Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

VETERUM
SCRIPTORUM
ET
MONUMENTORUM
HISTORICORUM, DOGMATICORUM,
MORALIUM,
AMPLISSIMA COLLECTIO
TOMUS II:
IN QUO CONTINENTUR

VETERA MONUMENTA IMPERIALIS MONASTERII STABULENSIS.

WIBALDI ABBATIS STABULENSIS ET CORBEIENSIS IN SAXONIA EPISTOLÆ:

ALEXANDRI papæ III. Regiſtrum epiſtolarum pro Remenſi Provincia:

Epiſtolæ variorum ad Sanctam Hildegardem cum reſponſis ad eaſdem.

FRIDERICI II. imperatoris epiſtolæ variæ cum Summariis privilegiorum eccleſiæ Romanæ & quibuſdam aliorum epiſtolis.

Prodit nunc primum ſtudio & opera Domni EDMUNDI MARTENE, *& Domni* URSINI DURAND, *presbyterorum & monachorum Benedictinorum e Congregatione S. Mauri.*

C. 584.
*B.

PARISIIS,

Apud FRANCISCUM MONTALANT, ad ripam Sequanæ Auguſtinianam, prope pontem S. Michaelis.

MDCCXXIV.

Cum Regis Privilegio & ſuperiorum permiſſu.

PRÆFATIO.

1. MULTA & varia monumenta cujuſque ætatis, epiſtolas, diplomata, ineditorumque operum præfationes, quæ nullo fere nexu inter ſe cohærebant, primo hujuſce collectionis tomo digeſſimus, ut hoc veluti Spicilegio levati, ad meſſem uberiorem poſtea manum admoveremus. Integra igitur eaque ampliſſima eum epiſtolarum tum inſtrumentorum corpora ſecundo hoc tomo & ſequenti emittimus, potiora deinceps, ſi Deus dederit, producturi, quæ ſaltem ea ſe præſtabunt prioribus illis monimentis, quod ſeries interdum continuatas eventuum inſigniorum, rerum cauſas & conſecutiones, pauca vero penitus diſſoluta & plane non connexa complectentur.

2. Quidquid in Stabulenſi monaſterio maxime memorandum contigit annis amplius ſexcentis, primordia ejus, progreſſus & excidia, abbatum mores & conditiones varias, frequentes regularis diſciplinæ defectiones, ejus reparationes, ſingulas denique mutationes rerum, hæc fere continent ea, quæ tomo huic præmittuntur monaſterii inclyti inſtrumenta & diplomata.

3. Quæ ſequuntur Wibaldi abbatis epiſtolæ, eventus rerum inſigniores duodecimi ſæculi ferme attingunt, Eugenii papæ III. adventum in Gallias, definitas ab ipſo expeditiones, alteram in oriente adverſus infideles, alteram in Sclavos in Germania, celebrata ab eodem pontifice concilia duo, unum Treviris, alterum Remis, quorum quidem acta, ſed Trevirenſis præſertim hodie deſiderantur. His accedit Conradi fœdus cum Emanuele Conſtantinopolitano imperatore adverſus Rogerium Siciliæ regem, Filii ejus Henrici Romanorum regis victoriæ in Welphum, Friderici I. creatio, primordia ejus imperii, plurimarum denique rerum cum eccleſiaſticarum tum civilium, ſed Colonienſium maxime, Moguntinarum, Leodienſium, Bremenſium, immo & Polonienſium ſeriem continuatam illæ exhibebunt.

4. Epiſtolarum Alexandri papæ III. regiſtrum hiſtoriam ſui temporis, cum eccleſiaſticam tum civilem, ſed Francicam præſertim, & Ludovici ſeptimi Francorum regis, fratriſque ejus Henrici Remenſis archiepiſcopi, atque inſigniorum quorumdam principum acta quam plurima mirum illuſtrabit in modum; Sedes etiam epiſcopales, res monaſticas, eccleſiaſticam diſciplinam & ſacros ritus ſæpius attingit; uti & quæ ſequuntur S. Hildegardis, Friderici II. imperatoris, Urbani IV. aliorumque Romanorum pontificum, Johannis de Monſterolio Inſulenſis præpoſiti & Carolo VI. Francorum regi,

a secretis, denique Sixti papæ IV. epistolæ : quæ quantam præ se ferant utilitatem, fusius enarrare supervacaneum prorsus videtur : quamquam ingratum forte non erit viris eruditis, si nonnulla quæ aut huc usque ignota, aut minus accurate tractata fuere, paulo uberius discutiemus.

§. I.

OBSERVATIONES

De Stabulensis monasterii abbatibus primis.

5. Mirum est nullam hactenus historiam monasterii Stabulensis, quod nobilissimum est, proferri, vixque aliquam eamque imperfectam & parum accuratam abbatum, qui ab annis mille & amplius illud administrarunt, haberi seriem. Quapropter occasione veterum tam insignis monasterii monumentorum, quæ in hujusce tomi collocamus limine, visum est operæ pretium, de primis illius abbatibus aliqua saltem parum nota observare. Nam integram illorum historiam hic describere, præfationis esset modum excedere.

Primi Stabulenses abbates erant simul & episcopi.

6. Illud in primis singulare ac notatu dignissimum occurrit primos illos abbates fuisse simul & episcopos, id quod olim in insignioribus ordinis nostri monasteriis usitatum fuisse alias observavimus, ut in Turonensi S. Martini, in Parisiensi S. Dionysii, in Morbacensi, Lobiensi, S. Michaelis ad Mosam, idque ut auferretur monachis, præsertim junioribus, omnis occasio discurrendi ad suscipiendos sacros ordines, ad requirendum chrisma, neve adventu episcoporum in monasteria ad sacras ordinationes, ad altarium aut ecclesiarum consecrationes explendas, monachorum quies & tranquillitas interturbaretur. Primus itaque Stabulensis monasterii rector S. REMACLUS, episcopus fuit simul & abbas, eoque nomine donatur in tertio Sigiberti regis diplomate anno regis ejusdem XIV. hoc est Christi DCLI. dato, uno saltem anno antequam S. Amando succederet in sede Tungrensi, ac proinde antequam ulla ipsi esset sedes attributa. Eo enim in diplomate dicitur : *vir venerabilis Remaclus episcopus & abba.* Sed & invictissimis rationum momentis demonstrat Mabillonius, sanctissimum præsulem anno ab Incarnatione DC. XLVIII. ordinatum fuisse episcopum, quarto antequam ecclesiæ Tungrensis crearetur præsul.

Præfat. in tom. 1. Anecd.

pag. 9

7. Post Remaclum Stabulensi Congregationi præfuere S. THEODARDUS ejus in eadem Tungrensi sede successor, S. BABOLENUS, pro Baboleno Fossatensi abbate perperam habitus, S. SIGOLINUS & S. GODOINUS, qui B. Remacli corpus ex S. Martini oratorio, in quo primum conditum fuerat, transtulit in principale S. Petri templum, *ab ipso sagaci industria constructum & consecratum*; quem proinde episcopum simul & abbatem fuisse manifestum est, cum ecclesiarum consecratio episcoporum proprium sit munus : idque confirmat Theoderici regis Francorum diploma ipsi Godoino concessum; ubi notanda maxime sunt hæc verba : *Considerantes* SACERDOTIUM *ipsius viri Godoini vel fidei ejus respectum.* Nam apud veteres Sacerdotium & episcopatus synonyma esse nemo nescit.

Act. dedicat. Stabul. eccles.

pag. 12.

8. Godoino successit PAPULINUS, quem Clodoveus episcopum, virum apostolicum, & reverentiæ gratia patrem suum non semel appellat in diplomate hic edito. Post Papulinum seu Papolenum Stabulense monasterium administravit RABANGARIUS, Mabillonio aliisque qui de Stabulensibus

pag. 14.

rebus tractaverunt incognitus. Ejus notitiam debemus placito coram Carolo Martello majore domus habito apud Glamanvillam pro restitutione quarumdam villarum Stabuleto facienda. Eo enim in placito *Rabangarius episcopus*, quasdam dicitur protuliſſe cartas, in quibus Rotgisus dictas villas in beneficio acceperat *ab antecessore suo Baboleno abbate*. Hic autem Rabangarius abbas ter *episcopus*, semel *vir apostolicus* vocatur. pag. 18.

9. Ex his patet sæculo adhuc octavo Stabulenses abbates episcopali dignitate decoratos fuisse. Sed nec illos eo titulo omnino spoliatos sæculo nono in promtu est demonstrare, tametsi de omnibus id asseverare non audeo. Verum res constat de LEUTBERTO, quem Albericus episcopum & abbatem Stabulensem fuisse asserit. Huic præmittendus est etiam ANTONIUS abbas, Mabillonio ignotus & in vulgatis indicibus desideratus. Florebat autem *Antonius vir venerabilis episcopus* sub Carolo Crasso imperatore, apud quem anno DCCCLXXXII. deprecatus est *pro quibusdam fratribus sibi commissis ex monasterio, quod vocatur Stabulaus*, ut fisculum suum, Blandonium nomine, ipsis concederet: quod ille pro imperiali munificentia singulari diplomate benigne annuit. Eo autem in diplomate obiter prætereunda non sunt illa de Stabulensibus monachis verba: *Qui ob Dei omnipotentis amorem nostramque fidelitatem, pignora sanctorum a prædecessorum nostrorum prudentia recognita, cum thesauro ejusdem,* ecclesiæ Aquisgranensis *fideliter reservarunt, & ad nos absque ulla diminutione detulerunt.* Ubi vides quanta fuerit apud omnes, sed præsertim principes, Stabulensium monachorum fama & existimatio, cum pignora sancta gazaque omnis sacræ ædis Aquisgranensis ab incursionibus barbarorum, qui sub Ludovico Balbo templum illud imperiale cum palatio & oppido igne & ferro consumserunt, recondenda & conservanda ipsis fuerint concredita. Alber. ad ann. 921.

10. Porro quam accurata fuerit apud Stabulenses sub his abbatibus episcopis regulæ Benedictinæ observatio, non est hujus loci pluribus differere, cum id abunde testentur tot sanctissimi abbates qui illi præfuerunt cœnobio, tot insignes viri, qui eo veluti in tutissimum salutis suæ portum sese recipiebant, tot denique monasteria, quæ ad eorum norman reformata sunt. At prætermittere non possum Christiani Druthmari verba, Stabulensium mores & religionem Prologo in Matthæum efferentis hoc modo: *Supra omnes homines vestra mihi est gratior societas, quia est sincera & absque dolo, & quam Deus docuit, sanctique ejus apostoli tenuere, ac posteris tenendam tradiderunt. Non enim est fel amaritudinis in vobis, neque zelus iniquitatis; sed fides firma, caritas inviolabilis erga Deum ac proximos. Et licet rebus terrenis egentes sitis, virtutibus tamen repleti estis: ita ut qui vos perfecte agnoverit, ulterius dilectione a vobis non possit separari. Sed si modico tempore vobiscum quis moratus fuerit, pro certo intelliget, quia Deus cohabitator vestri sit, & Spiritus-sanctus regat opera vestra. Neque enim habitabit diu malus inter vos, neque permanebit in consortio vestro; quia sicut aurum & argentum in camino probationis sordes abjiciunt: ita & qui inter vos venerit, aut desinet a malo opere, aut certe alienus efficietur a consortiis vestris. Qui namque inter vos conversantur, non multum mirentur, si plurimi sancti in his monasteriis probabiles fuerunt, sed pro certo experientur, quia qui apud vos non est bonus, sine dubio numquam alibi erit; & si reges & principes, atque vulgaris populus vos veraciter agnovissent, ut veros Christi discipulos amarent, supra omnes homines venerarentur ac diligerent.* Quanta fuerit apud Stabulenses sub abbatibus episcopis religio.

11. Sed, heu! tam præclaram sanctioris disciplinæ normam labefactavit prorsus Normannorum impressio, succedentibus deinceps tam sanctis viris abbatibus sæcularibus, quorum in prædam cuncta venere monasterii prædia, posthabita omnino regulari observantia. Horum primus occurrit LUITHFRIDUS comes, cujus meminit Albericus ad annum DCCCCXXI. his ver- Abbatibus episcopis succedunt abbates sæculares.

bis: *abbas Stabulenſis dominus Leuthbertus epiſcopus & abbas, deinde Luithfridus comes & abbas locum eumdem in manu ſua habuit.* Erravit autem ille in chronicis notis, cum Luithfridi comitis tempus conſignat poſt annum DCCCCXXI.
pag. 35. Conſtat enim ex diplomate Arnulfi imperatoris a nobis edito, cum anno jam DCCCXC. Stabulenſem abbatiam poſſediſſe, quo commutationem prædiorum quorumdam cum Richario factam ab eo approbavit. Quin & Zuen-
pag. 34. tiboldus rex Stabulenſi monaſterio locum Biſanchium eo deprecante conceſſit anno DCCCXCV.

12. Duos deinde Albericus abbates alios ſæculares nobis ſuppeditat, ſed male ad annum DCCCCXXXIX. conſignatos: *apud Stabulaus*, inquit, *præfuit Raginerus comes & abbas, deinde Evverardus comes & abbas.* Et de Raginerio quidem ſeu Reginario id conſtat ex præcepto Ludovici regis Auſtraſiorum anno DCCCCII. edito pro confirmatione cujuſdam commutationis ipſum in-
pag. 36. ter & Stabulenſes monachos factæ, in qua ſic loquitur Ludovicus: *Noverint omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futurorum induſtria, qualiter* REGINARIUS *comes & ſui monachi ex monaſterio S. Remacli pro opportunitate ad invicem inter ſe villas commutaverint &c. Data* IV. *idus Septembris anno ab Incarnatione Domini* DCCCCII. *indictione* V. *anno Domini Ludovici III.* Et in alio diplo-
pag. 37. mate anni DCCCCV. dicitur: *Glorioſus abbas Stabulenſis monaſterii Raginerius*
pag. 39. & anno DCCCCXI. *Raginarius comes miſſus dominicus, nec non & abba Stabulenſis, atque Malmundarienſis monaſteriorum.* Denique Carolus Simplex anno regni ſui XX. *redintegrante* anno XV. *largiore hereditate indepta.* I. *hoc eſt.* DCCCCXII. *ad petionem ejuſdem Reginarii & Berengarii comitum Fulrado cœnobitæ quædam ad vitam prædia concedit, quæ poſt ejus vitam in Stabulenſis monaſterii poſſeſſionem redire debebant.*

13. De EVERARDO vero, ſæculariſne abbas fuerit, non ita pro explorato haberi volumus. Nam in diplomatibus noſtris non abbatis, ſed advocati tantum nomen præfert. Hunc Raginarii nepotem faciunt noſtri Stabulenſes, fatentur que locum inter abbates ſuos *ab antiquo* habuiſſe.

14. Minor eſt difficultas de GISLEBERTO duce Lotharingiæ, quem abbatiam Stabulenſem habuiſſe jam anno DCCCCXXIV. docet *præſtaria* a nobis edita pagina 40. Sed & aſſerunt Stabulenſes decem & ultra in archivis ſuis extare inſtrumenta, in quibus ad annum uſque DCCCCXXXVII. dux Lotharingiæ, marchio, comes & abbas plerumque nominatur.

15. Denique in antiquo abbatum Stabulenſium catalogo Giſleberto ſubjicitur CONRADUS dux, qui aliunde innoteſcit ex ſequenti precaria: *Ego in Dei nomine Everardus cupiens de terra eccleſiæ quæſtum aliquem habere &c. adii celſitudinem ducis noſtri* Conradi, *qui tunc temporis abbatiam Stabulenſem juſſu domini regis Ottonis regebat, deprecans quatenus concederet mihi de terra S. Petri & S. Remacli &c. quamdam precariam facere in monaſterio Stabulenſi cum conſenſu Odilonis abbatis, qui illi monaſterio præeſſe dignoſcitur, & conſenſu Erinfridi advocati &c. Acta ſunt hæc in monaſterio Stabulenſi publice ſub die* VI. *nonas Martii regnante domno glorioſo rege Othone anno* X. *Conrado duce anno* IV. *Signum Odilonis abbatis, qui hanc precariam auctoritate regis & ducis firmavit S. Erinfridi advocati, S. Everardi, S. Willerici, S. Reginhardi. Ego Werinfridus cancellarius jubente domino abbate Odilone ſcripſi.*

Sæcularibus ſuccedunt abbates regulares.

Vit. S. Joh. Gorzienſis.

De Odilone abba-

16. Porro ex præcitata precaria patet Stabulenſe monaſterium ſub Conrado ultimo abbate ſæculari reſpirare cœpiſſe, ſuccedentibus abbatibus regularibus, quorum primus hic innoteſcit ODILO vir ſanctiſſimus. Is nobili genere natus, cum Virdunenſis eccleſiæ ab epiſcopo primus curam gereret, cunctis illis mordacibus curis ac ſæculi facultatibus rejectis, ſanctæ paupertati cum multis aliis Dei ſervis in Gorzienſi monaſterio devovit ſeſe, terrenis eam opi-

bus longe pretioſiorem ducens. Cum vero regulari jam adoleviſſet in obſervantia, ad reſtaurandum apud Stabulenſes monaſticam diſciplinam coopta-tus, novam monaſterio formam brevi reddidit. Id anno DCCCCXXXVIII. contigiſſe diſcimus ex veteri codice mſ. Stabulenſi, in quo ad ciclos paſchales Dionyſii eum ad annum conſignatur ejus electio. Is regulari ſanctiſſimo.

17. Prima vigilantiſſimi abbatis cura fuit, ut ſæcularibus abbatibus ad monaſticas dignitates omnis via præcluderetur. Quapropter facultatem eligendi deinceps abbatis ſecundum regulam S. Benedicti, confirmationemque primariæ monaſterii dotationis cum decimis quibuſdam ab Ottone Magno impetravit. Deinde prava quæ reperit omnia ad ſanctioris diſciplinæ lineam correxit, evocato ad ſuos erudiendos Notkero S. Galli monacho, qui factus eſt poſtea Leodienſis epiſcopus. Ædificia etiam quæ conflagraverant reparavit. Laudatur autem in libro miraculorum S. Remacli, & apud Flodoardum lib. 4. hiſtoriæ Remenſis cap. 33. ubi concilio Virdunenſi anno 947. inter fuiſſe dicitur. Eum ſanctum appellat Bartholomeus Fiſenus, ejuſque obitum ad annum 954. refert: Et eo certe anno jam ſucceſſorem habebat. Sæcularibus ad dignitates monaſticas viam præcludit. pag. 43.

18. Is fuit WERINFRIDUS abbas *vir religioſus & doctus omnium artium præſul* appellatus, qui ſub Odilone deceſſore ſuo cancellarii munere fungebatur. Ejus veſtigia terens, ut fratres in arrepto ſtrictioris vitæ propoſito contineret prætermiſit nihil, cavitque in primis ne ſæcularium virorum ac maxime nobilium conſuetudine quies monaſtica interturbaretur. Hinc cum Warnerus comes *juxta monaſterium Stabulaus quamdam villam ſui juris nomine Baldau* poſſideret, & eam Sigifridus comes acquirere vellet; piiſſimus abbas *nimiam immo immortalem inquietudinem timens loci, hoc conſilium toto niſu ſtuduit occupare*, Brunonemque archiepiſcopum Colonienſem atque Ottonis imperatoris fratrem conveniens, *ne id fieret ſæpius commonere.* Abbatis votis annuit pontifex, atque ejus aſſenſu Warnero comiti conceſſit quidquid in villa *Nohas dicta in pago Heiſtenſi in comitatu Tulpiaco* poſſidebant Stabulenſes monachi; quibus in commutationem, *Baldau* villam Stabuleto proximam tradidit Warnerius comes. Hæc omnia quæ fuſius in Brunonis diplomate videre eſt *acta ſunt publice Aquis palatio, die* II. *Kalendas Novembris, regnante Ottone fratre noſtro anno* XVIII. *Godefrido duce.* De Werinfrido abbate. pag. 46.

19. Sed dum fratrum ſuorum tranquillitati providet Werinfridus abbas, eam perturbare cogitabat inimicus homo. Nam Conradus dux Lotharienſis, quem modo laudavimus, cum privatus principatu ſub idem tempus fuiſſet, ob defectionis cum Luidulfo ſocietatem, continuo Hungaros hanc ulturus injuriam in regnum Lotharienſe induxit, uſque ad terram Raigenarii Hainonienſis comitis æmuli ſui & Brunonis Colonienſis antiſtitis; qui omnia paſſim diripientes, Malmundarium flammis permiſere. Sed neque Stabuleto, loco principi ac munitiori, ubi & theſauri recondi ſolebant, parcitum exiſtimamus. Hinc Werinfridus conveniens Everacrum Leodienſem antiſtitem exoravit, ut *propter regni hujus multipliceſque perſecutionis eventus, aliquod civitatis ſuæ ſaticum, in quo e diverſis partibus venientes confugium facerent*, conferre dignaretur; quod ille ſingulari diplomate à nobis edito libenti animo conceſſit anno DCCCCLXI. Quinque poſt annis hoc eſt DCCCCLXVI. Werinfrido abbati & Stabulenſibus fratribus eccleſias & decimas plures reſtituit, eiſque ſub ſua protectione ſuſceptis, liberam eligendi abbatis facultatem conceſſit Otto I. imperator. Nec multo poſt eodem *interveniente fideliſſimo Werinfrido venerabili abbate*, Otto II. primi filius prædium Turninas dictum, in pago Haſbanienſi & comitatu Fulcuini comitis, ſimiliter reſtituit, vetuitque ne cuiquam deinceps in beneficium daretur. Malmundarium & Stabul. ab Hungris combuſtum. pag. 47. pag. 48. pag. 49.

20. Circa idem tempus Notkerus qui Stabulenſes ſcholas hactenus rexerat, ad Leodienſem aſſumtus cathedram, epiſcopatus ſui initio altercationem, quæ inter Ratherium Veronenſem epiſcopum ac Fulcuinum abbatem Laubienſeſque monachos intercedebat, amice compoſuit, ad id *evocatis abbatibus Werinfrido, videlicet a Stabulaus, & Heriberto ab Andagino cum aliquibus fratribus*, uti teſtatur Folcuinus ipſe in Chronico Lobienſi.

Spicil. tom. 2. pag. 577.

21. Idem Notkerus adductus precibus noſtri Werinfredi vitam S. Remacli ampliori & elegantiori ſtilo conſcripſit: ſed eo in opere cum ſtatuiſſet Malmundarium primo in Colonienſi diœceſi, deinde Stabuletum in Leodienſi conditum fuiſſe, magnam inter utrumque monaſterium injecit diſſenſionis materiam. Conſtabat enim hactenus S. Remaclum amborum conditorem, huic illud ut præſtantiori immo & priori ſubjeciſſe, hac tamen lege ut ab eodem patre regerentur; ceterum commonuiſſe utriuſque loci incolas, *ut duobus in monaſteriis congregati, gemina ferverent dilectione Dei & proximi, neque ullo umquam ſcandalo aut ſchiſmate* disjungerentur: Malmundarienſes vero nulla tentarentur invidia, *quia*, inquiebat, *invidus alterius macreſcit rebus opimis*, &, *invidia Siculi non invenere tyranni majus tormentum*. Paruerunt igitur huic præcepto pii fundatoris Malmundarienſes, & ſua ſorte contenti, fuerant hactenus hujus legis retinentiſſimi: At lecto Notkeri opere, & re non examinata, mox attollere animos, miſeram ſuam conqueri conditionem, dolere ſe Stabulenſium abbati antiquiores ſubjici, ſollicitare atque etiam eniti jugo huic ad hunc uſque diem ſuaviſſimo eriperentur. Eoque res proceſſit, ut ſolemni epiſcoporum judicio definienda fuerit. Is fuiſſe videtur utriuſque cœnobii ſtatus, cum e vivis ereptus eſt plenus dierum & virtutum Werinfridus abbas.

Diſſidium inter Malmundarienſes & Stabulenſes.

Vit. S. Remacli.

22. Qui ei ſucceſſit RAVENGERUS abbas inceptam ſub prædeceſſore litem dirimi curavit. Congregata eſt eam in rem diverſis ex provinciis epiſcoporum ſynodus in regio Ingelheimenſi palatio, cui inter alias interfuere. WILLIGISUS Moguntinus, DEODERICUS Metenſis, & NOTGERUS Leodienſis antiſtites. In ea, præſente Ottone imperatore, ſecundum Stabulenſes judicatum eſt, pronuntiata adverſus Malmundarienſes hac ſententia: *Et quia monachis alterius cœnobii, id eſt Malmundarii, antiquorum ſancita regum non ſuffecerunt; ſed eadem monaſteria reſcindere, & ſub duobus abbatibus, quod numquam a tempore S. Remacli acciderat, eſſe laboraverant in tantum, ut niſi generaliter epiſcoporum ex diverſis provinciis confluentium ſynodo in* Ingelheim *palatio noſtro, prolatis ſupradictorum anteceſſorum noſtrorum præceptis, diffiniri potuerit: Propter hoc, inquam, ut ne qua deinceps inter eos controverſia fiat, Statuimus... ut defuncto per ſucceſſionem abbate, ex utriſque in unum cœnobii confluentibus, monachi habeant... ſecundum regulam S. Benedicti eligendi abbatis liberrimam optionem: ea tamen præponderante ratione, (Malmundarienſium pace) ut* Stabulenſes *primam in electione obtineant vicem, ſi apud eos melior meritis & inſtructior litteris inveniatur &c.* Hæc acta fuerunt anno DCCCCLXXX. Paucis poſt annis idem Ravengerus conceſſa ab antiquis imperatoribus & regibus præcepta Ottoni III. exhibuit, atque *interventu Theophanu* imperatricis, necnon Hildeboldi wormatienſis eccleſiæ venerabilis epiſcopi & Notkeri Leodienſis, privilegium ab eo protectionis impetravit: Ottone omnes monaſterii immunitates, atque in primis eligendi jus abbatis confirmante.

De Ravengero abbate.

pag. 50.

Concilii Ingelheimenſis judicium adverſus Malmundarienſes.

pag. 51.

23. Præfuere poſt VVerinfridum & Ravingerum Stabulenſi & Malmundarienſi monaſteriis abbates duo cognomines, qui in vulgatis deſiderantur indicibus. VVerinfridus II. ſcilicet, & Ravingerus II. quorum primum Gregorius papa V. alterum Silveſter II. ſub ſua protectione ſuſceperunt, ſingu-

VVerinfridus II & Ravengerus II. p. 52. & 54.

lari diplomate ratas habentes omnes utriusque monasterii possessiones, statuentesque ut in abbatis creatione, eligendus ex Stabulensi monasterio assumatur, si reperiatur dignus, sin vero, ex Malmundariensi.

24. Vixit Ravengerus ad annum circiter MV. cui è vivis sublato suffectus est fratrum suffragiis BERTRANDUS Stabulensis præpositus: sed electionem ejus Henricus imperator piissimus, sinistris quibusdam rumoribus adversus Stabulenses permotus, admissurum se negavit, accersitumque e Virdunensi S. Vitoni monasterio RICHARDUM abbatem Stabuleto & Malmundario præfecit. Unde editus a Mabillonio prædicti Richardi vitæ scriptor, vir gravis & antiquissimus, inter ea quæ ille regenda suscepit monasteria, Stabuletum & Malmundarium annumerat. *Balduinus Flandrensis*, inquit, *abbatias ei quam plures tradidit, abbatiam scilicet S. Petri Gandensis, abbatiam S. Amandi, abbatiam S. Bertini, abbatiam S. Richarii, abbatiam S. Judoci, rexit & alia quam plurima cœnobia Bretulense, Humularense, S. Quintini de Monte, S. Wandregesili, S. Huberti, S. Remacli & Malmundariense &c.* In vulgatis tamen abbatum Stabulensium indicibus desideratur S. Richardus, qui vice solum Bertrandi, idque ad breve tempus, dum nimirum apud imperatorem purgarentur Stabulenses, monasterium utrumque administrasse videtur. Atque hæc plane indicat ipse Henricus eo diplomate, quo tandem fratrum in Bertrandum vota firmavit: *Fidelium*, inquit, *nostrorum industriam animadvertere volumus, quia Stabulensis & Malmundariensis cœnobii abbate Ravengero humanis rebus exemto, fratres utriusque loci successoris iniere electionem, sed [quia] nostri culminis aures mala ipsorum opinio turbaverat, annuere omnino denegavimus, sed sub cura alterius cujusdam abbatis* (Richardi haud dubium) *eadem loca pro tempore commisimus, donec super hujus rei certam indaginem consilium haberemus. Denique illos injuste pati offensam nostræ majestatis comperientes, cum consilio procerum & consensu præsulum præsentem abbatem* BERTRANNUM, *quem electione regulari antea elegerant, constituimus.* pag. 55.

Electio abbatis Bertrandi cujus vice S. Richardus Stabulense monasterium aliquandiu rexit Sæc. VI. Bened.

25. Ut vero magis probaret præconceptos de se & fratribus rumores sinistros nullo prorsus nixi fundamento, sapientissime præfuit, instauratumque est ejus maxime opera ab Evergero Colonienſi antistite monasterium Malmundariense, quod olim ab Hungris combustum fuerat & consecrata basilica in honorem apostolorum Petri & Pauli. Sed & aliam eodem in loco erectam ecclesiam S. Gereoni martyri dedicari curavit a S. Heriberto Colonienſi archiepiscopo, qui consecratione peracta capellas olim a regibus concessas decimasque Malmundariensibus singulari diplomate confirmavit, pag. 56. dato IV. *nonas Novembris apud Malmundarium dedicata in die ecclesia in honore S. Gereonis, regnante Henrico II. anno ab Incarnatione Domini* MVII. *indictione* V.

26. Defuncto anno MXX. Bertrando abbate, nullum non movit lapidem Henricus imperator, ut Stabulensibus & Malmundariensibus Popponem Virdunensem tum S. Vitoni monachum præficeret abbatem, renitente ac reluctante multum Richardo abbate, qui tali se discipulo privari nullo modo posse dicebat. At prævaluit Henrici imperatoris & S. Heriberti Colonienſis archi-antistitis Popponem exposcentis auctoritas, avulsusque è pii patris gremio, Stabuletum multas messurus virtutum segetes perductus est. Erat autem Poppo spectatæ prudentiæ adolescens, & moribus ornatus suavissimis facileque omnium animos sibi conciliabat: unde *& regi ipsi multisque principibus eo tempore erat notus & carus.* Ejus vitam cum satis accurate ac diffuse scripserit olim Everelmus abbas Altimontensis, singularia de eo hic solum attingam, quæ ex editis a nobis hoc tomo diplomatibus lucem aliquam accipiunt. S. Poppo præficitur monasterio Stabulensi. Sæc. VI. Bened. pag. 55.

Conradum imperatorem & Henricum Francorum regem diu diffidentes conciliat.

27. Hujuſmodi autem eſt procurata inter diu diſſidentes principes Conradum ſcilicet imperatorem & Henricum Francorum regem, induſtria Popponis pax & concordia, quam Everelmus abbas explicat hoc modo: *Et quia ante quam plures annos Romani imperii cum Francis diſcordia non minima inoleverat, ipſe inter utroſque pacis gratiam labore & induſtria ſua paratam complevit, Conradumque atque Henricum reges in conſenſum revocavit.* Et quibuſdam interjectis: *Diſcordia quæ inter eos quaſi quoddam ſenium longum duxerat, ipſo mediante, in nihilum redacta eſt. Unde & invidendi ſibi occaſionem quibuſdam tribuit; quia ſolus id efficere valuit, quod ut fieret in multis effectus jam olim pertentatus defecit.* Ita Everelmus, quo uno auctore innoteſcit inveteratum tantos inter principes illud diſſidium. At quo in loco, quove anno, quibuſve teſtibus, arbitro Poppone illud fuerit compoſitum, tacet omnino prædictus abbas. Verum hæc omnia diſcimus ex edita hoc tomo carta commutationis factæ inter Nanterum abbatem S. Martini Metenſis & Popponem Stabulenſem. Quippe *facta eſt hæc commutatio apud Dinillam, ubi colloquium fuit inter imperatorem Conradum & Henricum regem Francorum.* Nam ignoti hactenus illius colloquii cauſa nulla nobis videtur poſſe proferri, quam diſſidentium duorum principum reconciliatio. Fuit autem *Dinilla* ſeu *Divilla* locus olim inſignis, idem, ut conjicimus, cum *Dunavilla*, in qua Carolomannus Major-domus *cum optimatibus & pontificibus ſeu & illuſtribus viris, ad univerſas cauſas audiendas, & juſta judicia rimanda* reſidebat, hodie pagus in territorio Metenſi vulgo *Divillers* appellatus.

pag. 57.

Apud Divilam.

pag. 19.

Idque anno 1032.

28. Porro cum *regente domno* POPPONE *epiſcopatum Trevirenſem*, PILIGRINO *Colonienſem*, THEODERICO *Metenſem*, REINARDO *Leodienſem*, habitum fuerit illud colloquium, collocari neceſſario debet inter annum M. XXXI quo regnare cœpit Henricus in Gallia, & MXXXVI. quo mortuus eſt Piligrinus præſul. Hinc refutata manet ſententia Bartholomei Fiſeni, Conradi & Henrici reconciliationem anno MXXXVII. ſtatuentis, quam aliunde evertit breve Chronicon Lobienſe, ubi ad annum MXXXII. hæc lego: *Cuonradus imperator cum Henrico rege amicitiam firmat.* Eo igitur anno conſignandum eſt illius colloquii tempus, cui præter memoratos præſules aderant GOZILO Lotharienſis regni dux & advocatus S. Martini Metenſis, HENRICUS comes & advocatus S. Maximini Trevirenſis, & frater ejus FRIDERICUS, qui Stabulenſem advocatiam tenebat, BETCELINUS comes *de Biendburch*, GODEFRIDUS comes de Amblavia, GOZILO comes de *Engeis*, & plures alii imperii proceres, qui prædictæ commutationi ſubſcripſere, Poppo denique Stabulenſis abbas & concordiæ interpres.

Tom. 3. Anecd.

Poppo monaſterium reſtaurat & eccleſiam dedicari curat.

pag. 61.

29. Jam vero reddita Gallis Germaniſque pace, ad renovanda monaſterii ſui ædificia Poppo accinxit ſeſe, poſitiſque novæ eccleſiæ fundamentis, tantam adhibuit diligentiam, ut ad ſummum uſque faſtigium paucioribus annis ſurrexerit, annoque MXL. nonis Junii conſecrata fuerit ab HERIMANNO archipræſule Colonienſis eccleſiæ; NITHARDO Leodienſis, HERIMANNO Mimigavordenſis, RICHARDO Virdunenſis, GERARDO Cameracenſis, pro more illorum temporum, quibus dedicationes templorum non ab uno, ſed a pluribus fiebant ſimul epiſcopis. Aderat huic ſolemnitati invitatus a Poppone HENRICUS III. imperator, qui ſacras reliquias, corpus ſcilicet S. Remacli, propriis humeris, quæ ſummi principis pietas ſumma fuit, deportavit, nova eccleſia inſigni donatione dotata. *Poſt evangelium vero miſſæ, domno abbate poſcente privilegium Gregorii papæ patrui patris ſui*, ſcilicet CONRADI imperatoris *loco pro tuitione & querela inſidiantium conceſſum, publice recitari fecit, idque a circumſtantibus approbatum regali etiam auctoritate corroboravit.* Præcepta etiam quæ primi conſtructores fecerant, aliorumque principum ſibi repræſentari fecit, & ea novo confirmavit diplomate.

30. Ex

30. Ex brevi autem hujus dedicationis narratione a nobis hoc tomo editâ discimus, biennio ante derectum fuisse S. Remacli sepulcrum, antiquis monasterii ruinis obvolutum, eoque in tumulo sanguinem ejusdem sancti ad hanc usque diem fluidum repertum, ex ampulla vitrea, quæ casu collapsa confracta est, defluxisse in terram. Aberat tunc S. Poppo; sed stupendi hujus prodigii testes multos, eosque tum, cum hæc scriberet, incolumes, narrationis auctor asseverat. At eum ipsum hic loquentem audire præstat: *Eodem*, inquit, *adhuc abbate*, Poppone, *vita comite, infra biennium dedicationis prædictæ, repertum est patroni nostri sepulcrum, plurima intercapedine temporum impedientè nobis celatum. Inventum quippe est IV. nonas Martii diebus sacræ quadragesimæ.* Et aliquibus interjectis: *Ergo postquam invenimus, ut æquum dignumque erat, divinæ dispensationi gratias retulimus, & dum urgente necessitate a terra machinamentis inibi congruentibus elevamus; excepto demolitæ carnis ejus pulvere, sanguinem ejus quasi in futuræ resurrectionis gloria reservatum, in vitrea ampulla subtus illud stabilitum invenimus: ad quam recipiendam dum inconsulta aviditate properatur, rationique prudenti renititur, peccatis machinantibus, sacrum vas collapsum colliditur, ipsumque pretiosum thesaurum, negligentia maxima agente, sparsim super terram effunditur.* Et paulo post: *Hujus rei tot adhuc testes sunt incolumes, quotquot ipsa die extitere præsentes. Testimonium quidem perhibet Gunterus, cui creditum est tanti mysterii sacramentum attrectare, qui præcepto* PETRI *decani nunc abbatis, in virtute sacræ obedientiæ cruentatis manibus lipsanas dispersas præsumsit recipere.*

Inventio corporis S. Remacli & ampullæ sanguinem ejus continentis.

31. Mortuus est S. Poppo anno MXLVIII. octavo kalendas Februarii; quo die solebant adhuc superiori sæculo Stabulenses nostri, cum publica ei veneratio cœpit haberi, solemni ritu cantare officium defunctorum sub unica collecta & novem lectionibus, panes etiam adventantibus omnibus distribuere, tribusque sequentibus diebus psalterium ex integro percurrere, additis singulis diebus tribus ex vigiliis defunctorum lectionibus cum suis responsoriis, ac totidem orationibus propriis. Quæ idcirco observamus, quia nihil aliud, credimus, intendit Trithemius, eaque est opinio Mabillonii, cum celebrari sua ætate, ait, apud Stabulenses S. Popponis festum VIII. kalendas Februarii, licet anno dumtaxat MDCXXIV. Sanctorum albo inscriptus est.

Obitus S. Popponis.

32. Monasteria sibi commissa omnia, sed præsertim Stabuletum & Malmundarium, quæ dissoluta repererat ac regulari observatione pene destituta, exornata reliquit & florentissima, cum religiosorum monachorum numero & moribus sanctissimis, tum elegantia ædificiorum, divitiis, & possessionibus. Morti autem proximus in Trevirensi S. Maximini cœnobio successorem sibi designavit Theodericum: de Stabulensibus autem interrogatus, quid agendum decerneret, *nihil aliud*, respondit, *mihi super hoc dicendum est, quam quod soli Deo illud velim esse commendatum. Hoc, ut dixi, soli certe Deo committo, nec alius quam ipse providerit rectorem admitto.* Suffectus est igitur ejus in locum PETRUS Stabulensis decanus, uti constat ex laudata superius narratione dedicationis ecclesiæ Stabulensis ab oculato teste conscripta: qui tamen in vulgatis indicibus desideratur, sive quod paulo post fato functus brevi præfuerit, sive quod expulso, ut aiunt, a Maximinianis Theoderico abbati sponte cesserit. Hic enim anno jam MXLIX. privilegium a Leone papa IX. impetravit. De excitatis autem a Malmundariensibus sub ejus præfectura turbis plura dicere supervacaneum est, cum eas fuse descriptas habeas in Triumpho S. Remacli apud Chapeavillam; sed neque de subsequentibus abbatibus, quos inter ut splendidissimum sydus illuxit VVibaldus, cujus vitam ipsius præmisimus epistolis.

Popponi succedit Petrus abbas.

§. II.

OBSERVATIONES

De ſacra expeditione a Ludovico VII. Francorum rege & Conrado imperatore ſuſcepta.

33. De ſacra expeditione Hieroſolymitana a Ludovico VII. Francorum rege & Conrado imperatore ſuſcepta pluribus differuere cum veteres tum recentes ſcriptores non pauci: at ſingularia quædam continent epiſtolæ VVibaldi abbatis Stabulenſis & Corbeienſis ab illis aut prorſus intacta, aut certe minus accurate diſcuſſa, quæ ut hoc idem retractemus argumentum ultro nos invitant. Conſilium illud primus agitavit Ludovicus rex, treſque potiſſimum ad id cauſæ eum impulerunt. Prima eaque præcipua, quam fere unam afferunt antiqui ſcriptores, fuit Edeſſæ urbis expugnatio. Ægre enim patiebatur rex piiſſimus, urbem munitiſſimam & invictis hactenus paganorum armis inexpugnatam, captam ſua ætate impune ab ipſis detineri. Nec minus eum commovit cruentum Vitriaci excidium, quo ne ſacris quidem Theobaldi comitis odio, abſtinuit: hinc conſcientiæ ſtimulis agitatus rex alias religioſus, expiari tantum nefas, niſi ſua ipſius vita deſperabat, ſeque & fortunas adverſus infideles devovit: quam præſertim cauſam expeditionis adducit Guillelmus Nangius in chronico ad annum 1143. ſic loquens: *Ludovicus rex Francorum contra comitem Campaniæ Theobaldum ducens exercitum, Vitriacum caſtrum, cepit, ubi ſuccenſa eccleſia, in ea mille & trecentæ perſonæ diverſi ſexus & ætatis igne combuſtæ ſunt. Super quo rex miſericordia motus ploraſſe dicitur, & hæc de cauſa poſtmodum, ut dicunt antiqui, peregrinationem Hieroſolymis aggreſſus eſt.* Nangio ſuffragantur Vincentius Bellovacenſis in Speculo, & antiquus auctor Anonymus in chronico nondum edito.

Sacræ expeditionis ſuſcipiendæ tres cauſæ.

Edeſſæ expugnatio.

Epiſt. Eug. ad Lud. reg.

Vitriaci excidium.

Spicil. tom. 11.

34. Tertiam nihilominus cauſam profert Otto Friſingenſis lib. 1. de Geſtis Friderici I. imperatoris cap. 34. Philippi ſcilicet, fratris ipſius regis votum, quod ſolvere ille morte præoccupatus minime potuerat. *Ludovicus*, inquit, *dum occulte Hieruſalem eundi deſiderium haberet, eo quod frater ſuus Philippus eodem voto aſtrictus, morte præventus fuerat, diutius protelare nolens propoſitum, quibuſdam ex principibus ſuis vocatis, quid in mente volveret aperuit.* Addit Friſingenſis præſul una omnium principum ſententia, Bernardum abbatem Clarevallenſem ſanctitate tum conſpicuum, vocatum fuiſſe, ut ab eo divino tamquam ab oraculo quid facto opus eſſet reſciretur. Interrogatus abbas, regis propoſitum *ad Romani pontificis audientiam & examen deferendum* eſſe cenſuit.

Philippi fratris votum.

35. Nec mora Ludovicus miſſa ad Eugenium legatione totum illi negotium expoſuit. Advenerunt interea ſummo pontifici oratores e Syria, multis verbis exagerantes, ut capta Edeſſa, periclitaretur in oriente Chriſtianum nomen, ſummumque in diſcrimen adduci Antiochiam & Hieroſolymas. Quapropter ſcriptis ad regem litteris, quas Otto Friſingenſis hiſtoriæ ſuæ inſeruit, hortatur regem, arma ut in infideles anteceſſorum ſuorum exemplo convertat, Bernardo vero abbati, qui potens erat opere & ſermone, aliis litteris negotium prædicandæ crucis commiſit.

Conſulitur ea de re Eugenius papa.

36. His animatus litteris Ludovicus, regni proceres & epiſcopos Lugdunum Clavatum convocavit, ibique una omnium ſententia generalis indictus fuit conventus Carnoti celebrandus dominica tertia poſt paſcha, quo plures tanto de negotio poſſent conferre. Audiendus hac de re Sugerius abbas ad Petrum abbatem Cluniacenſem ſcribens in hæc verba: *Orientalis eccleſiæ*

Ludovicus rex concilium Lauduni convocat.

Pet. Ven. lib. 6. epiſt. 19.

calamitatem, & Dominicæ crucis & regis Hierosolymitani, ac fratrum Templi & uliorum fidelium in urbe Antiochena obsessionem, ex litteris, quæ a partibus illis nuper delatæ sunt, cognovimus, & ad aures vestras pervenisse non ambigimus. Inde est quod archiepiscopi & episcopi, quin etiam dominus rex & regni optimates & nos super hoc Lauduni convenimus, & usque adeo res processit, quod XV. *die post octavas paschæ Carnoti generaliter conventum celebrare super hac causa & multarum provinciarum archiepiscopos, episcopos, abbates convocare, & pro domo Dei murum nos opponere, tantoque dolori pene inconsolabili consulie providere, & ne fides ab illis sacratissimis locis exterminetur, a quibus ad nos deportata est, Dei misericordia præcedente & subsequente, omnimodam operam adhibere disponimus.* Hæc ille, quæ ideo fuse referimus, quod Laudunensis hujus concilii nullus hactenus mentionem fecerit, cujus proinde notitiam uni debemus Sugerio. Invitans deinde illum, ut Carnotum ad condictum tempus accedat, subdit: *Et quia vestra præsentia huic tanto operi plurimum esset necessaria, ex parte Dei, cujus est causa, pro quo & in carcerem & in mortem ire semper parati esse debemus, ex archiepiscoporum & episcoporum parte, qui hanc nobis submonitionem injunxerunt, & ex nostra celsitudinem vestram præfato termino & loco, huic tam egregio facto interesse & invitamus & submonemus, & suppliciter efflagitamus.* Eadem de causa scripsit Petro venerabili S. Bernardus epistolam 355. quæ in novissima Mabillonii editione est 364. cujus hæc in primis verba notanda sunt. *Confidimus autem quod magnum huic verbo proventum præsentia vestra præstabit, tum pro auctoritate sanctæ Cluniacensis ecclesiæ, cui Deo auctore præestis, tum maxime pro sapientia & gratia, quam vobis ipse donavit ad utilitatem utique proximorum & sui ipsius honorem &c.* Ex quibus colligere est, quanta tunc esset apud omnes Petri venerabilis existimatio, quanta in conciliis auctoritas. Sed quoniam circa initium quadragesimæ generale ordinis capitulum indixerat apud Cluniacum eadem die qua conventus Carnotensis celebrandum, excusavit sese. Ne tamen rex præstantissimi viri consilio fraudaretur, conventum alium apud Vizeliacum, monasterium insigne haud procul a Cluniaco, cui tum Pontius Petri frater præerat, coegit in paschate, sicque unius Petri causa, ut videtur, habitus fuit celeberrimus ille conventus Vizeliaci, quod sane hactenus observavit nemo.

Ad conventum Carnotensem invitatus abbas Cluniacensis se excusat.

Pet. Ven. lib. 6 epist. 18. & 20.

Conventus Vizeliacensis.

37. Ibi tradente S. Bernardo, Ludovicus rex accepit crucem, non qualemcumque, sed benedictam & missam a summo pontifice. Data est & Alienordi reginæ crux, data & proceribus quamplurimis, quibus accessit populi tanta multitudo, ut deficientibus crucibus, vestes suas scindere in cruces piissimus abbas coactus sit & disseminare. Inde vero *Ludovicus toto anno a Paschali solemnitate, qua crucem accepit, usque ad aliud pascha, & insuper usque ad Pentecostem, antequam ad partes Hierosolymitanas proficisceretur, cum cruce susceptа in regno suo commoratus est*, ut scribit secundus auctor ejus historiæ apud Chesnium, & certe tantæ expeditionis apparatui præparando, non minus temporis requirebatur intervallum.

In quo rex cruce signatur.

Odo de Diogil. l. 1.

Tom. 4. p. 414.

38. Anno Domini MCXLII. Dominica III. post Paschа confluxere undique Carnotum regni antistites & abbates, cum magna procerum frequentia. Ibique de duce militiæ Christi dum deliberatur, sors cecidit in Bernardum abbatem Clarevallensem, unaque omnes voce ducem ipsum acclamant: quod porro muneris abbas modestissimus procul a se rejecit, tamquam suis moribus & institutis alieniſſimum. Hæc docet epistola Bernardi 256. ad Eugenium, nihilque aliud de celeberrimo illo conventu proditur.

Conventus Carnotensis.

39. Interea Ludovicus legatos passim mittebat ad reges & principes, quorum in ditiones & regna exercitus esset transiturus, liberum sibi suisque commeatum rogans. Qui quidem omnes & litteris & nuntiis pro voto responderunt, maxime vero Manuel imperator C P. cujus epistolam, assentationibus & blanditiis refertam alias edidimus.

Tom. 4. Anced. p. 399.

S. Bernardus crucem in Germania prædicat.

40. Promoto ſatis in Gallia crucis negotio, migravit in Germaniam S. Bernardus ſub finem anni MCXLVI. & Domino cooperante, & ſermonem ejus confirmante ſequentibus ſignis, infinitos ubique milites congregavit. Reperit vero in ipſo ingreſſu Radulfum quemdam monachum, qui & ipſe *multa populorum millia ex Agrippina, Maguntia, Wormatia & Spira, Argentina aliſque vicinis civitatibus, oppidis ſeu vicis ad accipiendam crucem* accenderat. At temerario ille & cœco religionis impetu ductus, occidendos ſuadebat Judæos omnes, uti infenſiores crucis Chriſti hoſtes & inimicos. Accerſitum ſerio admonuit Bernardus, compulitque, ut omiſſo in poſterum prædicationis munere, ſua ſe cella contineret, *indignante populo & ſeditionem movere volente.*

Otto Friſing. l. 1. c. 57.

Conradum imp. faciæ militiæ inſcribit.

41. Primam operam imperatori dedit, ac primo Francofurti eum adorſus, ſuggerebat ſecreto, & mellito quaſi ſermone inſtillabat, ſuæ tandem ſaluti *in tempore miſericordiæ uberis* provideret. Reſtitit tum Conradus, ſignificans, *nullum ſibi hujus militiæ ineſſe propoſitum.* Sua tamen ſpe non decidens vir Dei, captabat prudenter occaſiones, & Spiram in vigilia natalis Domini veniens, ipſum iterum & publice & ſecreto aggreſſus eſt ea inſtantia, ut nonnihil commotus imperator, inducias a Bernardo poſtulaverit, quo *deliberaret ſecum & conſuleret ſuos, ſequenti die ſuper hoc reſponſurus.* At ille moræ omnis impatiens, infra miſſarum ſolemnia ſuggeſtum præter morem non rogatus conſcendit, & dum vehementius urget, ac ea quidem libertate, quæ verbi Dei præcones maxime condecet, nondum finito ſermone, exclamavit imperator: *Agnoſco prorſus divina munera gratiæ, nec deinceps, ipſo præſtante, ingratus inveniar. Paratus ſum ſervire ei, quando quidem ex parte ejus ſubmoneor... Continuo ſignatus eſt rex, & vexillum ab altari per manum patris ſuſcepit, quod ipſe in exercitu Domini manu propria deportaret. Signatus eſt cum eo nepos ejus dux Fridericus junior, ſignati alii principes quorum non erat numerus.*

Vit. S. Bern. lib 3. c. 4.

Eugenius papa improbat quod ſe inconſulto ſignatus eſſet.

42. Hæc ubi ad aures Eugenii papæ III. pervenerunt, gaviſus eſt ille ſupra modum, improbavit tamen quod inconſulta ſede apoſtolica cruce ſignatus eſſet Conradus, ſcriptiſque per Theoduinum S. Rufinæ epiſcopum litteris, quæ hodie deſiderantur, paterne apud eum expoſtulavit, quod de tanta re ſine ſua conſcientia deliberaſſet. Hortabatur nihilominus, provideret primum de regni ſeu imperii ordinatione, curaretque ante omnia Henricum filium ſuum regem Romanorum inaugurari, quibus mox imperator epiſtola inter VVibaldinas vigeſima, ex qua hæc colligimus, reſpondit, omnia quæ ſe monuerat, *filiali & intima caritate ad effectum perduxiſſe; & de ordinatione* quidem regni ſibi *a Deo conceſſi, in frequenti principum conventu apud Frankenevort* tractaſſe. (Porro conventus ille habitus fuit ſub initium anni MCXLVII. menſe Februario) *ordinataque & firmata communi per omnes regni partes ſolida pace, filium* ſuum *Henricum in regem & ſceptri* ſui *ſucceſſorem unanimi principum convenientia, & alacri totius regni acclamatione electum, mediante quadrageſima in palatio Aquiſgranenſi coronari* decreviſſe. *Ad id vero,* inquit, *quod dicitis, nos rem tantam, ſcilicet de ſigno vivificæ crucis, & de tantæ tamque longæ expeditionis propoſito, abſque veſtra conſcientia aſſumſiſſe, de magno veræ dilectionis affectu proceſſit: Sed Spiritus-ſanctus, qui ubi vult ſpirat, qui repente venire conſuevit, nullas in captando veſtro vel alicujus conſilio moras nos habere permiſit: ſed mox ut cor noſtrum mirabili digito tetigit, ad ſequendum ſe, ſine ullo moræ intervenientis ſpatio totam animi noſtri intentionem impulit.* Quod utique reſponſum Chriſtiano imperatore digniſſimum, his apprime concinit, quæ modo retulimus ex vita S. Bernardi. Denique Eugenium in Gallias deſcendentem invitat, ut ad Rheni partes diverteret, diemque illi præſtituit feriam ſextam poſt Paſcha, quo *deſideratam faciem* ejus apud Argentinam videre peroptabat, *quatenus ſimul poſiti,*

Papam, ad Rheni partes invitat.

ea Deo miserante tractare ac disponere valerent, per quæ pax ecclesiarum & christianæ religionis ordo, congruis provectibus augeretur. Hanc Conradus epistolam per suos legatos, Buconem Wormatiensem, Anselmum Havelbergensem episcopos, ac Wibaldum abbatem Corbeiensem direxit, qui eam Divioni III. kalendas Aprilis summo pontifici obtulerunt.

S. Bernardus in Gallias revertitur ac Stampensi conventui interest.

43. Interim Bernardus vices suas in Germania committens Adamo abbati Eberacensi viro *religioso & honeste erudito*, in Gallias revertitur, editis ex itinere infinitis prope miraculis, Coloniæ, Juliaci, Aquisgrani, Leodii, Montibus, Valencenis, Cameraci, Lauduni, Remis ceterisque in civitatibus, quas tum peragravit, conscribens ubique milites, Catalaunos tandem appulit: quo progressus obviam viro Dei, in festo Purificationis Ludovicus rex cum magna procerum frequentia conventum habuit. Nam *& legati regis Romanorum & Welphonis inclyti ducis* ante paucos dies illuc advenerant, *ut de via Jerosolymitana communi consilio tractaretur.* Denique vix salutata sua Claravalle Stampas se contulit, quo rex solemnem episcoporum & totius regni procerum conventum indixerat in Dominica Septuagesimæ, quæ illo anno in XVI. Februarii diem incidebat. Eo in conventu prima die auditi fuere regum & principum nuntii, recitatæque eorum litteræ. Secunda promulgatum decretum de ducendo per Græciam exercitu, reclamantibus Rogerii Siciliæ regis nuntiis, ac dolos Græcorum timendos prædicentibus. Tertia denique, constituta profectionis die, Sugerius abbas S. Dionysii, sacra durante expeditione, regni administer designatus est.

Novum in Germaniam iter suscipit.

44. Stampensi conventu dimisso, in Claramvallem rediit S. Bernardus, mox novum in Germaniam iter suscepturus, quod a primo non satis hactenus distinxere scriptores. Et certe jam sexto kalendas Aprilis versabatur Treviris, inde Rutilam, tum Francofurtum progressus, ut discimus ex diurnis hujus & præcedentis itineris commentariis, quos Gaufridus ejus notarius confecit: unde lapsus memoria videtur idem ipse Gaufridus, cum quadraginta post annis, hoc est anno ætatis suæ nonagesimo, scripsit hoc anno Bernardum egisse Parisiis in solemnitate paschali, atque in concilio eodem tempore ibi celebrato, disputasse cum Gilberto Porretano coram summo pontifice. Certe Otto Frisingensis, qui concilii hujus acta fusius enarravit, nullam Bernardi fecit mentionem, non Odo de Diogilo, non scriptores duo anonymi gestorum Ludovici VII. non denique scriptores alii antiqui, qui Eugenii res gestas Parisiis attigerunt. Nec sane aliam ob causam existimamus nihil eo in concilio diffinitum esse adversus Porretanum, quam quod Bernardus omnium fere causarum ecclesiasticarum tunc temporis unus arbiter, esset absens. Quid vero sanctissimum abbatem ad suscipiendum secundum illud iter Germanicum impulerit, facile est divinare, ut nimirum Conradum aliosque principes cruce signatos, & consiliis adjuvaret, & sermonibus corroboraret: quibus itineri se committentibus, suos Clarevallenses revisit, festum Pentecostes in viæ cursu celebrans Tulli Leucorum, quo quater illo anno accessit.

Quo die Ludovicus peregrinationem suam sit aggressus: Chesn. tom. 4. p. 393.

45. Quo præcise tempore transmarinum iter aggressus sit Ludovicus, non consentiunt inter se gestorum ejus scriptores duo anonymi apud Chesnium. Alter enim, quem Sugerium perperam appellat Baronius, eumque secutus nuperus scriptor Gallicus vitæ Sugerii parum accuratus, docet ipsum anno MCXLVII. Hebdomada secunda post Pentecosten flammeum Galliæ vexillum in sacra æde S. Dionysii accepisse cum baculo & pera, quod porro solebant olim reges nostri, cum bellum aliquod aggrediebantur, pie religioseque servare, atque adeo dilatam ad id tempus fuisse ejus profectionem. Alter vero paulo maturius excessisse regem, & reginam ex urbe Parisiensi de-

Ibid. pag. 24. clarat his verbis: *Glorioſus rex Ludovicus regio comitatu, ut decebat, honorificentiſſime circumdatus, iter quod voverat peragere cupiens, ſeptimana poſt Pentecoſten de Pariſienſi civitate egreſſus eſt.* At rectius noſtro quidem judicio Guillelmus Nangius id contigiſſe refert tertio idus Junii feria quarta poſt Pentecoſten. Cui concinit Odo de Diogilo S. Dionyſii monachus, regi a ſecretis, & peregrinationis ſocius. Idem confirmat Henricus monachus in epiſtola ad Wibaldum abbatem, quæ inter ejus epiſtolas eſt vigeſima quinta: *Feria* pag. 108. *tertia*, inquit, *Pentecoſtes apud S. Dionyſium ad dominum papam pervenimus, ubi domino cancellario nos tantum præſentavimus, propter tumultum maximum qui in exitu regis circa dominum papam aderat. In craſtino autem, antequam dominus papa, qui Meldas tranſire diſpoſuerat, egrederetur, domino papæ per cancellarium præſentati ſumus* &c. Idem denique eruere licet ex epiſtola 131. Wibaldi ad Bernardum epiſcopum Hildesheimenſem. Et certe cum hoc eodem anno feſtum Pentecoſtes in octavam diem Junii inciderit, & rex poſt aggreſſum iter aliquot Odo de Diog. l. 2. Metis dies ad congregandum exercitum peregerit, atque in natali apoſtolorum Petri & Pauli a clero & populo Wormatiæ ſuſceptus fuerit ſolemni ritu; ſi prima aut ſecunda tantum hebdomada poſt Pentecoſten Pariſiis migraſſet, tam brevi ſane temporis intervallo Wormatiam perveniſſe minime potuiſſet. Hæc autem fuſius referimus, ne fucum faciant nuperi quidam ſcriptores Gallici, qui aliter ſentiunt. Teſtatur autem Odo de Diogilo fauſtam regi peregrinationem, ea ipſa die qua profectus eſt apprecatum eſſe ſummum pontificem, impertita etiam benedictione apoſtolica. *Sumto*, inquit, *vexillo deſuper altari & pera & benedictione a ſummo pontifice, in dormitorium monachorum multitudini ſe ſubducit... Illo die retentis paucis ſuorum, in refectorio comedit cum fratribus, & oſculatis poſtmodum omnibus, receſſit orationibus & lacrymis omnium proſecutus.*

Conradi exercitus a Turcis profligatus. 46. Toto peregrinationis curſu proſpera fuere omnia. Sanus & incolumis ultra regni ſui fines imperator proceſſit, & ſuperata Bulgaria & Thracia appulit tandem Conſtantinopolim, a Manuele officioſiſſime ſuſceptus. Hinc Nicæam progreſſus, Iconium, datis ab imperatore Græco ductoribus, movit. Sed eo itinere circumventus a Soldano Iconii, florentiſſimum exercitum, Deo ſic volente, fere amiſit. Cladem hanc luctuoſiſſimam, quæ ſane crucis negotium penitus invertiſſe creditur, Wibaldo ſuo uti fideli amico & familiari epiſtola 80. ſignificat; ſed multa prudenti ſilentio tegens, ne, illato pavore, in deſperationem rerum veniret Henricus filius ejus, ſumerentque inde „animos imperii hoſtes. Ait igitur Nicæâ ſe integro exercitu Iconium ten„dente, commeatum die decimo, cum totidem ſupereſſent itineris dies, defe„ciſſe: tum Turcas *in pedeſtre vulgus*, quod ſequi exercitum minime pote„rat, irruiſſe, improviſos telis laceſſentes: ſe autem miſeratum quidem eſſe „deficientis populi vicem, ſed maluiſſe exercitum, idque *rogatu principum „ & baronum, de terra illa deſerta ad mare* reducere incolumem, quam illas ho„ſtium velitationes, *cruenta victoria* propulſare. At tantum abeſt, ut exercitum reduxerit incolumem, ut vix ipſe, quod porro diſſimulat, paucis cum militibus evaſerit. Atque hic audiendus Anonymus primus ſcriptor geſtorum Ludovici VII. *Uſque ad illum diem magnum quid fuerat & fama magna de* Cheſn. tom. 4. p. 396. *exercitu imperatoris, quoniam in eo fuerant multi nobiles principes & inclyti milites, qui per voluntatem Dei, aut ejus tolerantiam, ibi corpore perierunt, & abſque profectu & utilitate ſanctæ terræ, pro cujus liberatione moverant, ibi fuerunt quaſi penitus devaſtati, quia ſicut retulerunt qui præſentes affuerant, de ſeptuaginta millibus loricatorum, & de tanta multitudine peditum, pars decima non remanſit. Quidam fame perierunt, alii gladiis hoſtium interfecti ſunt, & alii vinculis mancipati in ſervitutem hoſtium fuerunt reſervati. Vix imperator & aliqui de ſuis baronibus ab*

illo periculo, & ab hostium gladiis evaserunt, & retroversus urbem Nicæam cum paucis millibus redierunt. Turci, qui plus per insidias & proditionem quam per arma triumphum habuerant (nec mirum si magna lætitia gavisi sunt) multas divitias in castris Theutonicorum repererunt, aurum, argentum, equos & arma, & onusti spoliis in suas munitiones redierunt. Sed & ipse Conradus ad Emanuelem imperatorem postea scribens, sincere fatetur, detrimentum se *amissi exercitus* tum passum fuisse. Epist. 187. inter VVibaldinas.

47. Quæ vero scribens ad Wibaldum Conradus subjungit, multa continent hactenus ignota, ac vulgatis scriptoribus repugnantia, ex quibus illi merito possunt emendari. *Cum vero*, inquit, *ad mare venissemus, & castra metati fuissemus, in maxima tempestate non expectantes serenitatem, præ gaudio rex Francorum ad tentoria nostra, nobis nescientibus, supervenit, dolens quidem exercitum nostrum fame & labore attritum, de societate autem nostra non parvum habens gaudium. Ipse siquidem & omnes principes sui fideliter ac devote obsequium suum nobis obtulerunt: pecunias insuper suas & quæcumque habebant nostræ voluntati exponebant.* Hæc longe aliter narrant gesta Ludovici VII. auctore Anonymo apud Chesnium. Sic enim ille: *Dux Souaviæ Ferricus nepos imperatoris, fratris sui primogeniti filius, qui post mortem avunculi tenuit imperium, vir magnæ nobilitatis & sapientiæ, venit ad exercitum, qui rem prout acciderat regi & baronibut enarravit. Mittebat enim imperator ad regem, ut die assignata ad parlamentum convenirent, & quid agendum sit postea pertractarent.* Quantum hæc a narratione Conradi discrepent, nemo non videt. Neque enim invitatus, sed sponte sua, *rex Francorum Ludovicus*, inquit, *ad tentoria nostra* NOBIS NESCIENTIBUS *supervenit.* Quæ vero subjungit prædictus Anonymus, ut a vero ita & a Conradi verbis sunt longe magis aliena: *Considerans*, inquit, *imperator, quod ipse tenebatur pro majore principe de toto mundo, & quod cum tanta nobilitate de partibus suis moverat, & nunc erat cum pauca manu militum in partibus alienis, & quasi in subjectione Francorum, quia ibi nihil aut parum poterat sine illis, & propter hoc tale sibi dedecus imputans, visus est sibi per hoc imperialem lædere majestatem, si cum pauco numero militum transfretaret: propter hoc imperavit quod sui pedites redirent, & ipse cum modica gente Constantinopolim navigio est transvectus.* Mera sane commenta, quæ fucum nihilominus fecere nuperrimis magni nominis scriptoribus, sed quæ prorsus convellit ipsa Conradi narratio, ait enim: *Conjuncti ergo, cum copiis nostris & principibus, quorum quidam cum nobis remanserant, quidam infirmi, & præ penuria pecuniæ sequi non valebant, & ob id ab exercitu recedebant, usque ad S. Johannem,* * *ubi sepulcrum ejus & manna scaturire cernitur, absque omni difficultate celebraturi ibi nativitatem Domini pervenimus: ubi per aliquos dies repausantes, quia & nos infirmitas & multos nostrorum invaserat, recuperata sanitate procedere volebamus: sed invalescente ægritudine, nequaquam ire valuimus. Rex autem dolenter profectus, quantum potuit nos præstolatus est, sed diuturna infirmitas nos tenuit.* Ubi nudam & sinceram vides causam discessionis Conradi a Ludovico rege; illius scilicet infirmitatem, eamque obfirmatam & perseverantem in dies, non sinistram aut superbamquamlibet de Ludovico opinionem, quasi sibi totius orbis principi potentissimo dedecus imputasset *in subjectione Francorum* videri, cum regem dolentem & diu expectantem abire sola Conradi inveterata infirmitas compulerit. Et certe recuperata postea sanitate, dedecus non existimavit Conradus, Francorum regi conjungi, immo remorantem diutius Hierosolymis, quo illum prævenerat, expectavit, accedentem magno cum tripudio suscepit, nec multo post conjunctis copiis Damascum simul cum eo obsidione cinxit. Hujus porro imperatoris ægritudinis nullus hactenus fecit mentionem, nisi forte Odo de Diogilo, qui duplici eum sagitta vulneratum narrat, quod siluit Conradus.

A Ludovico rege convenitur.

Tom. 4. p. 397.

A quo ægre separatur.

* id est, Ephesum.

Vi a Manuele C.P. reducitur curandus.

48. Sed neque recedente Ludovico Conſtantinopolim cogitabat; ſed eò vi reductus eſt a Manuele, quod hactenus obſervavit nemo, a medicis ſuis procurandus. Hujus rei teſtem locupletiſſimum habemus Conradum ipſum, qui in præcitata epiſtola ſic loquitur: *Quod cum frater noſter Græcorum imperator audiret, vehementer indoluit, & cum filia noſtra dilectiſſima imperatrice, ſua videlicet conjuge, ad nos præpropere deſcendit, liberaliter nobis & principibus noſtris ſua & neceſſaria ad iter noſtrum largiens, quatenus a medicis ſuis citius curaremur, quaſi vi Conſtantinopolim in palatium ſuum reduxit, tantum nobis honoris, quantum ulli unquam prædeceſſori noſtro exhibitum eſſe audivimus.* Atque his ſuffragari quodammodo videtur ineditus auctor illorum temporum, qui Conradum ait, a Francis benigne ſuſceptum, & cum eis aliquandiu profectum, ſed revocatum tandem a Tyatyra fuiſſe ab imperatore Græcorum.

Omnibus humanitatis officiis ei exhibitis.

Epiſt 187. inter VVibaldinas.

49. Quot autem & quantis humanitatis officiis Conradum cumulaverit in palatio Manuel, alibi exprimit idem imperator ad Manuelem ipſum ſcribens in hæc verba: *Quanta nos caritatis & devotionis inſtantia, quanto fidei & humilitatis ſtudio in ſacris ædibus glorioſi imperii tui ſuſceperis, quanta humanitatis & liberalitatis gratia in lecto infirmitatis noſtræ non ſolum per tuos & tua, ſed etiam in propria perſona & propriis manibus miniſtraveris, tunc videlicet, quando manus omnipotentis Dei nos non ſolum in detrimento amiſſi exercitus, verum etiam in verbere corporalis ægritudinis percuſſerat, nulla poteſt rerum oblivio ab animæ noſtræ tenaci memoria evellere.*

Fœdus init cum eo adverſus Siciliæ regem.

Otto Friſ. l. 1. c. 4.

50. Neque vero abſque conſilio Conradum hujuſmodi officiis Manuel ſibi demerebatur. Erat namque ipſi atrox cum Rogerio Siciliæ rege bellum, atque ab eo non infrequentes accipiebat clades, nec unus ipſe tanto hoſti ſufficiebat. Tentaverat quidem ſæpius, ſed fruſtra, Ludovicum regem Francorum & muneribus & promiſſis, at bello ſacro unice intentum nihil movere potuerat. Unus igitur ſupererat Conradus, licet deletus, in quo poſſet ſpem aliquam collocare, & ſpes illa quidem affinitate jam præcipua nitebatur, uxoris quippe ejus ſororem, comitis Lucemburgenſis filiam duxerat, vivente adhuc Johanne patre ſuo, eaque occaſione, ut ait Otto Friſingenſis, æternum cum Conrado fœdus inierat. Illud ergo fœdus, quod Baronius ad annum 1149. poſt ſacram expeditionem perperam collocat, novo fœdere renovare ac confirmare cupiebat. Omnibus igitur officiis eum demulcere conatus eſt, muneribus, promiſſis, & precibus, omnique effuſo theſauro, etiam *neptem ſuam* Henrico filio ejus obtulit uxorem. His victus Conradus, pacto novo devinxit ſibi amplius Manuelem, jurans ei arma ſe in Siculum expleta peregrinatione illaturum. His lætus Manuel humanitatis prætermiſit nihil, ac valetudini reſtitutum propriis Jeroſolymam navibus tranſvehi voluit.

Infauſta Damaſci obſidio.

Epiſt. 127. inter VVibaldinas.

51. Ejus in ſacram civitatem adventum ut cognovit per Fulcherium patriarcham Ludovicus, qui interim cum comite Tripolis affine ſuo morabatur, illico convolavit, habitoque cum imperatore & rege Hieroſolymitano conſilio de ratione promovendæ religionis chriſtianæ, communibus omnium ſuffragiis decreta eſt Damaſci obſidio, ex cujus expugnatione chriſtianorum ſalus fere unice pendebat. Sed quam infauſtus fuerit oppugnationis hujus exitus perſtringit Conradus ad Wibaldum ſcribens in hæc verba: *Cum Damaſcum communi conſilio veniſſemus, & caſtra ante portam cum magno noſtrorum diſcrimine locaſſemus, etiam prope eſſet, ut ſine ambiguitate civitas caperetur, traditio a quibus minime cavimus, in hunc modum facta eſt, quod ipſi eo in loco civitatem inexpugnabilem eſſe aſſerebant, & ex induſtria in aliam partem, ubi nec aqua exercitui ſuppetebat, nec acceſſus alicui patebat, nos ducebant, & ita omnes in indignationem pariter & in dolorem converſi, infecto negotio redierunt.* Quæ fuſius enarrat ſæpe laudatus auctor Geſtorum Ludovici VII. cap. 20. addit Conradus: *Expeditionem*

nem tamen ibidem versus Ascalonem unanimiter se moturos spoponderunt, locum & diem præfixerunt. Illic ex condicto venientes, neminem fere invenimus. Ibi universitatem pacto frustra diebus præstolati, secundo ab eis delusi, ad propria tendimus. Atque hic fuit sacræ illius expeditionis infelix exitus.

52. Conradus tot proditionum pertæsus, Manuelem *in Achaiæ seu Thessaliæ finibus adiit, cum eoque tamquam e longa via fatigatus, laboribusque fractus, nec modica correptus infirmitate per aliquod temporis spatium quievit, de reditu ordinans suo*, ut scribit Otto Frisingensis, cujus hic auctoritas magni est ponderis. Est tamen penes nos hujus ævi scriptor necdum editus, qui Constantinopolim ipsum revertisse contendit: cui facile assentimur, cum sex ut minimum menses cum Manuele sit commoratus, *& non modica correptus infirmitate*, Constantinopolim curandus reduci ab imperatore facile potuerit. Ludovicus rex, qui nullam Græcis fidem habebat, aliam in redeundo per Siciliam iniit viam, nec tamen sic Manuelis expertos toties effugit dolos. Quomodo autem ab ejus captus classe fuerit, quave ratione ex ejus ereptus manibus, perstringit antiquus auctor Anonymus coævus, qui suam his verbis historiam terminat: *Cum autem ibi aliquandiu morati fuissent, imperator Constantinopolim reversus est. Rex vero suis repatriantibus, Jerosolymis per annum moratus est. Postea cum rediret, Græcorum naves incurrit, cumque ab eis imperatori Corfolium obsidenti præsentandus duceretur, Gregorius dux navium regis Siciliæ eos aggressus est, qui vastatis & spoliatis Græcorum provinciis usque ad ipsam urbem regiam C P. accedens, sagittas aureas in palatium imperatoris jecerat, & incensis suburbanis de fructu hortorum regis violenter tulerat. Unde rediens naves Græcorum incurrit, captis Ludovicum regem eripuit, sed captos regis obtentu dimisit.* Idem videre est apud Guillelmum Nangium, qui veterem hunc exscribit auctorem, additque: *Et Ludovicum cum honore lætus de triumpho & victoria in Siciliam duxit. Nam ut ita fieret procuraverat Siculus rex, timens insidias Danaum, & desiderans opportunitatem exhibendi devotionem, quam habebat regi & regno Francorum.*

Conradi reditus.

Ludovicus rex revertens a Græcis captus & a Siculis de manibus eorum ereptus.

53. Interim Rogerius rex Siciliæ de inito adversum se fœdere inter Conradum & Manuelem imperatores certior factus, aliud ipse cum Ludovico rege in eos pepigit, Welphonemque ducem e terra sancta per Siciliam redeuntem induxit, Conrado ut imperatori bellum inferret. Sic Deus justus & terribilis super filios hominum conatus omnes elisit Manuelis, qui ut sacram dissiparet militiam omnes artes, machinasque omnes adhibuerat, ac doli prætermiserat nihil.

Rogerius cum Ludovico & Welphone fœdus init.

54. Reversus ex itinere Conradus, suis ut staret promissis, novam in Italiam aggressus est expeditionem, jamque in Longobardiam concesserat, cum febre correptus, & insperatis Welphonis motibus exacerbatus, in Germaniam velociter repedare compulsus est: idque intactis fœderis cum Manuele iniit pactis posse fieri non dubitavit. Iis enim apposita erat hæc conditio, ut aliquo superveniente imperii periculo, aut corporis invaletudine a juratis articulis maneret absolutus. Atque duplici hoc capite liber a promissis erat Conradus: ne tamen Græcorum imperatori defuisse contra pacta videretur, duas ad ipsum, totidemque ad imperatricem scripsit epistolas, quibus sese excusat, causasque suggerit, cur in Rogerium arma movere non possit. *Simili*, inquit, *recordationis constantia fixum animo tenemus, quæ fuerit inter nos mutuæ pactionis obligatio, quid tuæ celsitudini spoponderimus, quid perficere promiserimus. Sed cum a sublimitatis tuæ regno corporaliter discessemus, in quo nos per fidem & benevolentiam habitare sentimus, imperium, quod nobis a superna majestate collatum est, invenimus in quibusdam partibus suis ex occasione longæ absentiæ nostræ turbatum; ad quos motus comprimendos, & pacem reformandam dum tota cordis intentione accingimur, pater ille misericors, quia flagellat omnem filium quem recipit,*

Conradus novam in Italiam parans expeditionem morbo & Welphonis motibus revocatur.

Excusat se erga Manuelem. Epist. 187. inter Vvibaldinas.

tendit manum in retribuendo, gravique tertiana febre maceratos nec prorsus imbecilles & fere inutiles per sex mensium spatium detinuit. Si itaque, Deo impediente, propositum nostrum ad tempus est retardatum, non tamen est omnino evacuatum, & promissionis nostræ effectus, magis est dilatus, quam frustratus. Primam itaque causam in excitatos motus in imperio, alteram in morbum refundit. Utramque hanc
Epist. 188. causam fusius & clarius explicat ad imperatricem ipsam sic scribens: *Nunc ergo tamquam carissimæ filiæ nostræ & imperii nostri cognatæ, causas familiariter & breviter aperimus, pro quibus in Longobardia, post exitum nostrum a vobis manere, & promissa implere nequivimus, pro quibus ad partes Alemanniæ modis omnibus nos properare, ordo quidam rerum & imperii nostri clamor ad nos usque perlatus, non absque gravioris consilii ratione persuasit. Si quidem, ut tua sapientia perfecte novit, dominus ille* WELPHO *vir magnæ nobilitatis & potentiæ in regno nostro habetur, neque fide qua eum in extrema necessitate adjuvimus, neque beneficiis quibus eum commode auximus, aliqua ratione commonitus, per Siciliæ tyrannum a Jerosolymis reditura habuit, & accepta non parva ipsius infami pecunia, per sacramenta & obsides ei firmavit, quod nos & nostros, nostrum imperium perturbare & infestare modis omnibus laboraret. Quod postquam ad propria rediit, adjunctis sibi quibusdam perfidis non parvi apud nos momenti & nominis, instanter facere cœpit, filios nostros, tuos utique nepotes amantissimos, & bonæ spei plenos invadendo, & in terra ipsorum quæ illis patrimonii jure competit, inimica quædam castella ædificando. Hoc igitur tam atrocis rei nuncio accepto, cum fama, ut in talibus fieri solet, omnia in deterius multiplicaret, prævenire cuncta & comprimere maturavimus, acque ad partes Alemanniæ subito & improviso adventu accessimus. Dum itaque in componendis & placandis omnibus diligentiam adhibemus, tanta nos infirmitas corporis in fine Augusti mensis invasit, ut usque ad pascha Domini gravioribus negotiis vix utiles esse possemus.*

Ibid. Ludovicus rex armat in Manuelem.

55. Tertiam nihilominus excusationis rationem consequenter subjungit idem Conradus: *Dum contra communis hostis nostri, Siculi videlicet tyranni, temerariam insolentiam nos expedire & accingere studemus, nunciatur nobis, quod omnis populus Francorum cum ipso rege suo, contra imperium præcellentissimi germani tui scilicet glorioissimi sponsi, conspiraret, & arma movere, auctore & incentore Siciliæ tyranno, cum omnis virtutis suæ conatu disponeret. Quam rem non facile spernendam vel omittendam ratum duximus; sed finem rerum expectare, aut tumultum reprimere, aut nos & imperium nostrum pro fratre nostro & rebus ipsius opponere decrevimus. Excusatos nos sufficienter credimus &c.* Hæc nemo miretur si tam fuse retulimus, quæ hactenus ab historia nostra exsularunt. Ceterum ut suam Manueli fidem amplius probaret Conradus, pacta non solum Constantinopoli jurata renovat; sed neptem etiam ejusdem imperatoris Græcorum Henrico filio suo collocandam postulat. Sic enim eamdem prosequi-
Ibid. tur epistolam: *Plane de divino adjutorio confidimus quod in brevi promissa nostra fideliter complebimus, non solum quia spopondimus, verum etiam quia de invasore imperii nostri vindicare summopere desideramus; & ut præcelsus vir tuus majorem de nobis amicitiæ certitudinem & adimplendi conventiones habeat, firmiorem inter nos affinitatem, sicuti cum præsentes essemus inter nos tractatum & firmatum fuit, ad præsens fieri disponimus: ita videlicet ut glorioosus filius noster, qui imperii nostri successor & heres est designatus & coronatus, neptem unam mariti tui sublimis Græcorum imperatoris uxorem præsenti tempore ducat, de duabus scilicet alteram: quæ electio in tui pectoris sapientia constabit, ut illa nobis transmittatur, quæ moribus & forma noscetur a te, quæ eas educasti, præcellere.* Verum brevi superveniens Henrici regis immatura, nec multo post subsecuta Conradi imperatoris mors, omnia Manuelis consilia dissipavit.

§. III.

OBSERVATIONES

De Welphonis ducis rebellione, deque parata in Italiam Conradi imperatoris expeditione.

56. Ubi primum Conradi fœdus cum Manuele palam cœpit disseminari, rumoris etiam nescio quid Eugenium afflavit, eodem fœdere bellum sibi æque ac Rogerio Siciliæ regi inferri; & confirmante omnia Welphone duce, cœperunt Romani inveterato pontificis odio advocare Germanos & miscere omnia in Urbe. Erat autem Welpho *vir magnæ nobilitatis & potentiæ* in imperio. Is sacræ militiæ nomen *in propria villa Wittengov* dederat anno MCXLVII. *in ipsa Dominicæ nativitatis nocte*, si fides sit Wito Arenpeckensi, atque adeo ante omnes Germaniæ principes, ac Conradum ipsum, qui eadem quidem die militiam illam professus fuerat; sed solum post missam diei solemnem. Nec multo post suos ad Ludovicum Francorum regem nuncios cum nunciis Romanorum regis destinavit, qui *de expeditione Hierosolymitana communi consilio* cum eo tractarent. Hos e Germania revertens S. Bernardus Catalauni reperit, colloquiumque cum eis & rege habuit. De VVelphone duce. Epist. 88. Vit. S. Bern.

57. Statuto tempore Welpho cum imperatore profectus est alacri animo, multis tum posteaque ab eo cumulatus beneficiis. *Nam sæpissime ei in necessitate subveniebat, & de omnibus, quæ a regio fisco Constantinopolitani imperatoris sibi offerebantur, partem illi tradebat.* Quin & ipsum sæpius in signum amicitiæ *commilitonem suum* appellare solebat. At superata Constantinopoli, cum exercitus Conradi profligatus ac pene omnino deletus fuisset, nullaque jam promovendi crucis negotii spes superesse videretur, principum Germaniæ pars maxima patriam repetere cogitavit. Perrexit nihilominus Welpho cum imperatore Jerosolymam usque, adimplendi voti desiderio. At gravi ibidem infirmitate correptus, ad suum & ipse reditum parare se coactus fuit, recuperataque sanitate itineri se commisit. VVit. Arenp.

58. Per Siciliam transiens a Rogerio rege officiosissime acceptus, ac magnis donatus muneribus, ad inferendum imperatori bellum facile adductus est homo versatilis & ad rebellionem propensus. Nam semel jam rebellaverat, ut docet Witus Arenpeckensis. Solvens Sicilia, Romam versus tetendit, comitantibus eum Centio Frajapane & Cataguefo, qui Rogerii Eugeniique partes tuebantur, papamque monuit de omnibus. Hujus Welphonis itineris testem habemus Johannem notarium Romæ tunc agentem, & ad quosdam Germaniæ principes scribentem in hæc verba: *Sciatis Guelphum domini regis Conradi proditorem cum Siculo concordem esse, magnamque pecuniam ab eo accepisse, & clam ductu Centii Frajapani & Catagueli Romam transiit.* Welphonis verbis haud difficilem præbuit assensum Eugenius, qui senatum populumque Romanum frequentes ad Conradum litteras dedisse sciebat, ut eum ad Italicam Romanamque expeditionem invitarent. Hujusmodi litteræ tres inter Wibaldi epistolas extant, in quarum prima quæ numero est 211. hæc legimus: *Appropinquet itaque nobis regiæ celsitudinis vigor, quoniam quidquid vultis in Urbe, obtinere poteritis, ac ut breviter ac succincte loquamur, potenter in Urbe quæ caput est mundi, ut optamus, habitare, totique Italiæ ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius ac melius, quam omnes fere antecessores vestri dominati valebitis. Sine mora ergo veniatis.* Et in sequenti epistola Sixti, Nicolai, Romam venit Welpho papamque de pactis adversus eum monet. Romani Conradum incitant in papam.

& Guidonis curiæ Romanæ consiliariorum. *Ut jam per plures litteras regiæ significatum est majestati, videntes imperium Romanum temeraria usurpatione clericorum suo vigore plurimum decidisse, ex quo populus Romanus dedecoratus erat, ad orbem vestris pedibus subdendum, Christi auxilio, cum summo studio senatum relevavimus, qui pacem in Urbe conservans, & justitiam faciens, bonos exaltando, malos autem delendo, ad adipiscendam imperii coronam, omni clericorum obstaculo remoto, vestræ dignitati ad Urbem venienti congrue viam præparavit.*

Eugenius ad Wibaldum abbatem recurrit.

59. His constrictus angustiis Eugenius, ad Wibaldum abbatem Stabulensem & Corbeiensem, quem sedi apostolicæ semper addictum noverat, & apud Conradum plurimum valere, recurrit; jussuque ejus Guido cardinalis & papæ cancellarius, Wibaldi ipsius amicus & familiaris ab annis amplius viginti, graviori eum adhortatus est epistola, ut suaderet regi, ne quid sinistri moliretur adversus ecclesiam Romanam, & exhibita nuper Henrico juniori regi beneficia ob oculos ponens; *Tibi*, inquit, *tamquam cauto & prudenti viro & in dilectione probato eloquimur. Certum est quod post discessum domini Conradi Romanorum regis, nisi dominus papa districtius prohibuisset, adversus filium ejus juniorem regem guerra mota fuisset, & non modica orta turbatio. Nunc autem, sicut domino papæ & nobis significatum est, & rumores etiam increverunt, pater ipsius Conradus mala pro bonis, quod Deus avertat, reddere nititur, & cum Constantinopolitano imperatore sanctam Romanam ecclesiam, catholicorum omnium matrem, graviter, si potuerit, affligere & infestare disponit... Ex parte ergo domini papæ & nostra, dilectionem tuam monemus, & monendo rogamus, & attentius exhortamur, ut modis omnibus quibus poteris, tamquam verus Christi athleta, & in apostolorum principis fide fundatus, efficere studeas, ne adversus apostolicam Romanam ecclesiam hujusmodi fluctus insurgant.* Hæc Guido, qui non multo post e vivis ereptus est.

Epist. 214. inter Wibald.

Quo pontificis animum sedare studet.

60. Ut autem pontificis animum ab omni, si fieri posset, anxietate liberaret Wibaldus, G. diacono cardinali, qui in Guidonis locum successisse videtur, rescripsit in hunc modum: Guido cardinalis *injunxit parvitati nostræ ex parte domini papæ & sua, atque attentius exhortatus est, ut modis omnibus quibus possemus efficere studeremus, ne adversus apostolicam sedem hujusmodi fluctus insurgerent, vel si forte aliquorum pravitate insurgere cœpissent, cum aliis ecclesiæ Dei fidelibus pro viribus compesceremus. Fecimus quod jussit, & homini non fœdere contracto, sed & fastu & inobedientia Græcorum aliquantulum corrupto, longa cohabitatione & assidua collocutione humilitatis & obedientiæ bonum instillavimus, & aliquorum verba familiaritatis ausu severius interdum repressimus.* Ubi vides Wibaldum, etsi contractum cum Manuele fœdus neget, non diffiteri tamen Conradum & fastu & inobedientia Græcorum aliquantulum fuisse corruptum, ac proinde machinatum non nihil in papam. Ne tamen his auditis, plus æquo angeretur Eugenius, aliis significavit litteris, illorum se imitari *diligentiam, qui pauca loqui & multa facere* consueverunt, suum erga ipsum & sacram Romanam ecclesiam studium & devotionem raro se ejus celsitudini prædicare, cum tamen *quotidiana & assidua instantia sedulum ad B. Petri* & ejus *fidelitatem servitium exhibere non cessaret: Quod, præstante Domino*, inquit, *vestræ beatitudini per alias excellentes personas notum facere non dubitamus. Si quid vero de rebus quæ ad vos pertinent, apud inclytum filium vestrum Dominum nostrum regem Romanorum finaliter esset deliberatum, nos absque morâ prolixioris interpositione, super personam nostram, seu per scripta nostra vobis intimare diligenter curavissemus: quod etiam cum factum fuerit, perficere maturabimus. Certa etiam sit vestra beatitudo, quod in quantum valet nostra mediocritas, in quantum divina clementia nobis apud serenissimum principem gratiæ & facultatis indulsit, mentem ipsius, & verba, & omne opus ad dilectionem & reverentiam vestræ personæ, & honorem sanctæ matris suæ, cui a Deo defensor ordinatus existit, mansuefacere & inclinare non desistimus.*

Epist. 215.

Fatetur tamen Conradum illi esse contrarium.

Epist. 218.

61. Circa

S Bernardus Conrado reconciliare Rogerium tentat.

61. Circa idem tempus in capite quadrageſimæ S. Bernardus abbas Claræ vallis, ſive rogatus ab Eugenio, ſive innata ad pacem propenſione, litteras dedit ad Conradum imperatorem, quas ab Ottone Friſingenſi fratre ejus uterino deferri & tradi in manus voluit, quo ſcilicet eas & ipſe ſua auctoritate roboraret. Rogerium autem Siciliæ regem his in litteris laudabat, *quod in multis utilis & neceſſarius fuiſſet catholicæ eccleſiæ, futurus utilior, ſi non prohiberetur virtute & potentia Domini noſtri*, inquit Wibaldus, *de quorum pace & concordia libenter acturum promittebat, ſi ſciret Domino noſtro non fore ingratum.* Porro excidere illæ S. Bernardi litteræ, quæ ex hac una Wibaldi epiſtola innoteſcunt. Addit Wibaldus idem etiam tentatum a Theodevvino S. Rufinæ epiſcopo, cum poſt ſuum a Jeroſolyma reditum, per Siciliam tranſitum haberet; ſed fruſtra, cum moliri quidquam nollent neque Conradus, neque Wibaldus, *niſi prius quid ſuper hoc in beneplacito domini papæ eſſet, certius* intelligerent. Epiſt. 205.

Uti & Theodevvinus cardinalis.

VVelphe Germaniæ principes commover.

62. Interea VVelpho alios in Germania principes adverſus Henricum Cónradi filium commovebat. *Adjunctis*, quippe *quibuſdam perfidis, non parvi apud nos momenti & nominis*, inquit Conradus, *inſtanter facere cœpit, filios noſtros... invadendo, & in terra ipſorum... inimica quædam caſtella ædificando.* Quinam fuerint illi perfidi magni momenti & nominis non explicat Conradus; ſed eos haud obſcure deſignat Johannes notarius in epiſtola ad quoſdam Germaniæ principes, aſſerens aliquos VVelfonis homines cum quatuor Sarracenis & totidem dextrariis interceptos a Romanis fuiſſe; *qui litteras ex parte Siculi*, FRIDERICO *duci Suaviæ*, ENRICO *duci Saxoniæ*, BERTHOLFO *filio ducis Conradi*, CONRADO *duci de Ceberinc, pro damno & guerra domini regis Conradi deferebant, quibus commonebantur & rogabantur a Siculo, ut quæ illis* GUELPHUS *de ſuo proficuo diceret, facerent.* Epiſt. 188. Epiſt. 2, 9.

63. Tanto VVelphus corroboratus auxilio, omnem ſe viam nocendi Rogerio præcluſiſſe exiſtimavit: Idem ſentiebant & prædicabant confœderati ejus. Unde & ſupra citatus Johannes notarius addit: *Ceterum ſciatis, quod Centius Frajapane, quantum poteſt vobis nocere ſtudet, & papa ejus conſilio, & hoc ita verum eſt, quod cardinales laudaverunt ſe coram C. Frajapane, & dixerunt ſe vos concluſiſſe, & Græcos Venetiæ tamquam canes & maſtinos, ita ut nihil poſſitis nocere Siculo ex hac parte.*

VVelpho a juniore rege victus.

64. Verum quia non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium adverſus dominum, bellicus ille apparatus brevi diſſipatus eſt. Nam dum VVelpho copias omnes adverſus Henricum juniorem regem educit, ipſum uti ſperabat circumventurus, circumventus ipſe funditur & profligatur. Rem ita narrat Vitus Arenpeckenſis: VVelpho, collecto milite, fines *regis invadit, & caſtrum ejus* Frochberc *forti impugnatione ſollicitans, dum in reverſione militem nimis diffuſe & incaute duceret, a militibus regis circumventus eſt, & congreſſione inita, cum paucis aliis circumquaque diffuſis, plus ex infortunio, quam ex inſtantia belli, milites Guelfonis fugam arripiunt, plurimiſque captis, nullo occiſo, ignominioſe revertuntur; & ſic guerra diu anxie inter ipſum & regem agitata finita eſt.* Sed magis juvat Henricum regem de ſua ipſius victoria differentem audire: *Octava die menſis Februarii ſuperbus ille & perfidus Welfo, tot beneficiis patris mei immemor, hoſtiliter invaſit terram noſtram, patre meo in rebus bellicis longe poſito agente, me autem cum parte militiæ in quodam caſtro relicto. Caſtrum ad quod ille acceſſit* Flocperch *dictum eſt, nos autem eramus in alio caſtro* Horbruc, *diſtante ab illo per ſpatium reſtæ & dimidiæ. Accepto ergo tantæ contumeliæ nuncio, feſtinavi hoſtem perſequi, & cum quinque magna milliaria poſt eum proceſſiſſemus, præmiſſis equitibus expeditiſſimis, qui ejus tergo imminentes fugam ejus retardarent, nos duabus conſertis acicbus eum perſequebamur. Cum itaque agminis extrema jam cæderemus, faciem convertere coactus eſt,* Epiſt. 190.

ſed vero Deo de cœlis pugnante pro nobis, tantam adepti ſumus victoriam, ut niſi per nocturnas tenebras delituiſſent, nullus omnino evadere potuiſſet. Capti ſunt equites trecenti, & equorum numerus non parvus extinctus eſt, partim lanceis confoſſus, partim gladiis cæſus. Hactenus Henricus, ex cujus poſtremis verbis refutatum manet, quod modo ex Vito Arenpeckenſi retulimus, plurimos quidem eo prælio captos fuiſſe, *ſed nullo occiſo.* Neque enim credibile eſt, tantam equorum multitudinem lanceis confoſſam aut gladiis cæſam, intactis ſeſſoribus, periiſſe.

Epiſt. 184. VVibaldus regi ſuadet victos ut hoſtes perſequeretur atque omnino deleret.

65. Si VVibaldo abbati credimus, *Guelfo cum omnibus fere hominibus a juniore rege pugna ſuperatus captus eſt.* Verum cum Henricus eum vix evaſiſſe aſſerat, probabilius videtur, Wibaldum ex incertis hæc rumoribus, tanta audita victoria, hauſiſſe: niſi forte quis dicat duplex in Welphonem commiſſum fuiſſe certamen, & in primo quidem vix evaſiſſe, captum fuiſſe in altero. Verum duplicis hujus pugnæ nullus hactenus meminit, non Henricus rex, non Conradus imperator, non VVibaldus abbas, non Vitus Arenpeckenſis, qui e contrario dixit *guerram hanc diu anxieque agitatam*, prima congreſſione finitam fuiſſe, quod ſane Wibaldus ipſe haud obſcure innuit. Nam ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem ſcribens, ait *poſt inſperatam, & ab omni humano conſilio & opere ferme alienam, & de cœlo traditam victoriam* voluiſſe, *& quantum in re militari oportuit* ſuaſiſſe, *ut dominus rex. . . non ceſſaret ſucceſſus urgere ſuos & hoſtes incomparabili damno affectos, metuque & angore animi perculſos invaderet*; aſſerens *fama conſtare bella, & res magnas celeritate adjuvari, dilationem ſemper nocuiſſe paratis.* Verum ſe minime exauditum fuiſſe. *Nam contradicebat*, inquit, *inveteratus ille Achitophel, qui vix ingentem diſſimulare triſtitiam poterat, & aſſumta ſanctioris amicitiæ perſona, de tempore & auris cauſabatur, & ſanctiſſimi jejunii religionem prædicabat, & aſtruebat oportere hominem, quem juſtus Dominus, qui juſtitias diligit, jam judicavit, legitimis judiciis & interpellationibus in jus vocari, pium & conveniens nullam captivis læſionem inferri.* Prævaluit igitur Achitophelis conſilium, *& inermem*, inquit VVibaldus, *vicit oratio armati, cujus tamen arma effecerant, ne is cui perſuadebat ad perfectum viciſſet.* Quibus ex verbis patet Achitophelem illum unum fuiſſe ex conjuratis cum VVelphone, ut pote *cujus arma effecerant*, ne *ad perfectum* vinceret junior rex.

Sed ſuo prævaluit Achitophelis conſilium.

Conradus VVelphonem ſibi reconciliat.

Epiſt. 190.

66. Igitur propter religionem jejunii quadrageſimalis, cujus tempore olim arma deponi volebant eccleſiæ leges, a prælio ceſſatum eſt, ac proinde ſecundum in Welphonem certamen nullum conſertum eſt. Sed Conradus aliud in tempus *generalem expeditionem indixit*, ut eum *penitus exterminare* poſſet. Interim *Fridericus dux Sueviæ, qui poſtmodum fuit imperator, fratruelis regis, & filius ſororis prædicti Guelphonis, medium ſe ad compoſitionem faciendam interpoſuit, captivoſque ducis Welphonis reddi, ac regem de cetero ſecurum eſſe, provida deliberatione confirmavit* ut loquitur Vitus Arenpeckenſis, additque: *rex vero, accepto conſilio, Welfoni quoſdam reditus de fiſco regni cum villa Maerclingen conceſſit.* Ubi vides Conradi imperatoris ſummam clementiam, qui cum VVelphonem ſecundo rebellem ſua ditione ejicere & ſpoliari, immo exterminare omnino deliberaſſet, cumulare beneficiis maluit, eo ut placato, vires omnes in Siculum, cujus excidium cum Manuele imperatore juraverat, poſſet exercere. Sic etiam ſedatis Germaniæ motibus, Ludovicum regem Francorum, qui in Siculi ſubſidium validum paraverat exercitum, ad pacis conditiones brevi poſt adduxit, uti colligimus ex Vito Arenpeckenſi. Unicus reſtabat Eugenius papa, quem Conrado adverſarium ſæpius denunciaverant Urbis ſenatores. Quamquam incertum valde eſt, utrum revera Siculo adhæſerit Eugenius.

Et Ludovicum regem.

Eugenium a Siculi

67. Et nihil quidem officii prætermiſit Rogerius, quo ſibi pontificem

conciliaret. Revertentem e Gallia omni affecit honore, cognito ejus adventu, *legatos ſuos ad eum miſit, & partem militum ſuorum ad ejus ſervitium delegavit* adverſus inobedientes ſibi Romanos: nec ſic tamen animum Eugenii rex emollivit. Si enim Romualdo Salernitano, quem hic exſcribimus, fides ſit, cum terræ ſuæ archiepiſcopos & epiſcopos ab ipſo ordinari & conſecrari poſtulaſſet, non ſolum paſſus eſt repulſam, ſed & *frequenter*, inquit, *ad eum legatos de pace componenda tranſmiſit, nec impetrare potuit.* Conradi tamen pacto cum Manuele territus papa, humaniorem poſtea exhibuit ſeſe in Siculum. Nam, ut ait Johannes notarius, *nuntios ſuos miſit ad eum pro* Conradi *damno, ſi cum eo poterit quod vult perficere; & treugas cum eo habuit uſque ad quadriennium.* Addunt Romani in ſua ad Conradum epiſtola, *Concordiam inter Siculum & papam hujuſmodi eſſe: Papa*, inquiunt, *conceſſit Siculo virgam & anulum, dalmaticam, mitram, & ſandalia, & ne ullum mittat in terram ſuam legatum, niſi quem Siculus petierit, & Siculus dedit multam pecuniam, pro detrimento veſtro & Romani imperii, quod Dei gratia veſtrum exiſtit.*

Societate tentat evellere.

Epiſt. 239.

68. Ut igitur papam a Rogerii conſortio avelleret Conradus, legatos ad eum miſit, viros in omni imperio præſtantiſſimos, Arnoldum Colonienſem electum & imperii cancellarium, Wibaldum abbatem Corbeienſem & Stabulenſem ſedi apoſtolicæ addictiſſimum, & Henricum notarium ſuum, qui imperatoris nomine pontifici teſtarentur, nihil ſe adverſus eum moliri, immo pro inimicis habere ſe omnes illi adverſantes; ac Romanos præſertim inobedientes in ordinem cogere velle: atque, ut dictis fidem faceret, optare ſe, ait, imperii coronam de ipſius manu ſuſcipere. Hæc ubi certo cognovit Eugenius ad Conradi partes haud ægre acceſſit.

Legatos ad papam mittit.

69. Igitur Conradus ad exitium regis Siciliæ ſemper anhelans, generalem in pentecoſte curiam celebravit apud Ratiſponam, in qua more regio verſus Italiam expeditionem *cum magno principum favore & totius militiæ alacritate indixit.* Similem mediante menſe Septembri Herbipoli coegit conventum, in quo *expeditionem Italicam, receptis a principibus qui convenerant fide & ſacramentis, efficaciter* ordinavit. Interfuere autem inter alios huic curiæ *Colonienſis archiepiſcopus, Bremenſis archiepiſcopus, Halverſtadenſis epiſcopus, Licenſis epiſcopus, Bavembergenſis epiſcopus, Merſburgenſis epiſcopus, Herbipolenſis epiſcopus Argentinenſis epiſcopus, Wormatienſis epiſcopus, Pragenſis epiſcopus, & legati diverſorum epiſcoporum & principum, & de laicis principibus convenerunt marchio de Wittin, marchio de Brandeburg, palatinus comes Bavariæ, comes* de Wincenburch *in Saxonia, præfectus urbis Moguntiæ, præfectus urbis Herbipolis, præfectus urbis* Bavemberch, *& alii multi comites, honorati & nobiles: qui omnes*, inquit Wibaldus, *cum magna voluntatis hilaritate, fide data & juramento præſtito, promiſerunt, quod ad eamdem expeditionem cum omni virtute & potentia militiæ ſuæ venient & proſequentur.*

Conradus ad Italicam expeditionem ſe parat.

Epiſt. 314.

Epiſt. 313.

Epiſt. 318.

70. Rebus ſic ſe habentibus, Conradus ad Romanos dedit litteras, quibus eos de proximo ſuo in Urbem adventu monebat. Dedit & alias ad Piſanos, antiquam eorum prædicans fidelitatem, ſuoſque ad papam aliaſque Italiæ civitates legatos commendans, atque orans, ut *tam de militum quam de navium numero, quas in expeditionem Siciliæ, ob perpetuam felicis remunerationis mercedem* exhiberent, *per illorum notitiam* certum eum efficerent. Sed & ad papam Eugenium ſcripſit, paratum ſe *ad promovendum eccleſiæ & ejus honorem.*

Scribit ad Romanos, Piſanos & papam.

Epiſt. 324.

71. His Eugenius acceptis litteris, ſuum erga imperatorem ſtudium ne tanto in opere deeſſe videretur, omnes Alamanniæ archiepiſcopos, epiſcopos, comites, & barones ſingulari adhortatus eſt epiſtola, ut venienti in Italiam Conrado ſuis adeſſent copiis. *Univerſitati veſtræ*, inquit, *certum nequaquam ambigimus, quod cariſſimus filius noſter Conradus, rex Romanorum, pro ſui hono-*

Eugenius Germaniæ principes ad expeditionem Italicam hortatur.

Epiſt. 339.

vis complemento, ad honorem Dei, & ecclesiæ servitium, atque totius regni vigorem & exaltationem, hoc tempore ad urbem regiam, vestro fretus auxilio, cum expeditione valida venire, largiente Domino, disposuerit. Quia ergo ad tam arduum opus per seipsum non sufficit, & propriæ vires non suppetunt, vestrum ei servitium tamquam vestro principi studiose debetis pro vestris viribus ministrare &c.

Eugenium de morte Conradi monet Wibaldus. Epist 344.

72. Verum quia inanes cogitationes sæpe in animis hominum versantur, tam præclara tanti principis consilia prævertit mors inopinata, erepto e vivis Conrado die Februarii XV. anni MCLII. Maximi imperatoris casum statim Eugenio significavit Wibaldus abbas, qui defuncto ecclesiæ protectore, de Romanis in posterum timebat non parum. Unde ad papam scribens, *ecce*, inquit, *venerande pater, quod verebar accidit, & ob hoc quasi divino & præscio spiritu, cum essem apud vos, non dissimulavi, neque silui, suggerens & contestans, ut pacem populi Romani, si honesta & tuta esse posset, sine dilatione reciperetis: etsi casum hunc, de quo non immerito dolemus, minime præsentiebamus, quadam tamen præsentione futurorum angebamur, ne forte spes nostra, quam de expeditione futura conceperatis, in aliquo rerum eventu vacillaret.*

Fridericus ei succedit. Ibid.

73. Decimo septimo post Conradi obitum die, convolantibus Francofurtum imperii principibus, *concurrentibus omnium votis, immo verius dictum sit, præcurrentibus singulorum desideriis*, ad imperii apicem summo omnium plausu evectus est Fridericus dux Sueviæ, defuncto imperatori proxima consanguinitate conjunctus, pauciſque elapsis diebus Aquisgrani diademate redimitus. *Multorum autem vox erat in ipsa diadematis impositione, expeditionem Italicam, quam patruus ejus strenue ordinaverat, ipse firmaret & perficeret. Sequenti vero die, tam Colonienſis, quam episcoporum qui illic aderant consilium & exhortatio erat, ut eandem militiæ, sacramentis acceptis, expeditionem Italicam ad propulsandas apostolicæ sedis injurias promoveret: sed laici principes simplici fortasse animo studiose suggerebant, non oportere in hac rerum novitate tam gravi sponsione principem devinciri* &c. Non multo post tamen, & eodem quidem anno Fredericus imperator pepigit cum Eugenio fœdus a Baronio relatum, mediantibus Romanæ ecclesiæ cardinalibus, Gregorio S. Mariæ Trans Tyberim, Ubaldo S. Praxedis, Bernardo S. Clementis, Octaviano S. Ceciliæ, Rollando S. Marci, Gregorio S. Angeli, Guidone S. Mariæ in Porticu & Bernardo Claravallis abbate ex parte papæ: ex parte vero Friderici, Anselmo Havelbergensi & Hermanno Constantiensi episcopis, atque Uthelrico de *Lenceburch*, Guidone Werra, Guidone Brandratensi comitibus. Pacti hujus articuli fuere, quod de ministerialibus suis unum jurare faceret Fridericus, ipseque, propria manu data in legati apostolici manu, promitteret, *quod nec treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum Rogerio Siciliæ rege, sine libero assensu & voluntate Romanæ ecclesiæ & domini papæ Eugenii vel successorum ejus... Sed pro viribus regni elaborabit, Romanos subjugare domino papæ & Romanæ ecclesiæ, sicut umquam fuerunt a centum annis & retro... Græcorum vero regi nullam terram ex parte ista maris concedet. Quod si ille forte invaserit, pro viribus regno, quanto citius poterit, ipsum ejicere curabit*, &c.

Qui fœdus init cum Eugenio papa.

Sed Eugenius Romanos sibi reconciliat.

74. Nullam tamen, vivente Eugenio, susceptam a Friderico legimus expeditionem in Italia. Sed & ipse pontifex Wibaldi secutus consilium, Romanos sibi reconciliavit, ut docet Romualdus Salernitanus. *Interea*, inquit, *Eugenius papa apud Tusculanum aliquanto tempore demoratus, pacem cum Romanis fecit, & a Senatoribus & universo populo Romano cum summo est honore susceptus. Hic autem adeo universum populum sibi beneficiis & eleemosynis alligavit, quod bene pro majori parte Urbem poterat pro sua voluntate disponere, & nisi esset mori æmula, quæ illum cito de medio rapuit, senatores noviter procreatos, populi amminiculo dignitate privasset.* Has observationes ad illustranda Eugenii III. gesta, ingratas eruditis

eruditis lectoribus minime credimus, maxime cum pauca superstint tanto de pontifice monimenta.

75. Eodem fere tempore defuncto Rogerio Siciliæ regi subrogatus est Willelmus ejus filius, qui vivente patre inunctus jam rex fuerat. Is reportata de Græcis insigni victoria, pacem cum Adriano papa, qui post Anastasium successerat Eugenio, facere non distulit. Pacis hujus acta vide, si lubet, in editis a nobis hoc tomo pag. 1231. Summariis privilegiorum ecclesiæ Romanæ. Ad celebrata in Gallis ab Eugenio concilia jam venio.

§. IV.

OBSERVATIONES

De celebratis ab Eugenio III. papa Treviris & Remis conciliis.

76. Dum versaretur in Gallia Eugenius III. tria saltem celebravit concilia. Primum Parisiis, alterum Treviris, tertium Remis quod & præcipuum fuit. De Parisiensi nihil hic occurrit dicendum. Sciunt enim omnes inquisitum ibi fuisse in doctrinam Gilberti Porretani Pictaviensis episcopi, qui cum multa ad hanc diem inaudita temere docuisset, tum in primis disseminabat *divinam essentiam Deum non esse*, nec *personas theologicas ulla in propositione prædicari*, quod porro ex ore ejus accepisse ferebant magistri duo magnæ auctoritatis; sed delato ad concilium generale, quod jam Remis indictum ab Eugenio fuerat, judicio, nihil tum in eum definitum esse. De Trevirensi vero, cujus nulla fere superest memoria, nisi forte in vita sanctæ Hildegardis, quam Theodorus monachus ineunte decimo tertio sæculo scripsit, tria hic nobis examinando proponimus, tum & plura de Remensi subjiciemus, cujus etiam acta magna ex parte excidêrunt.

77. Primum igitur de Trevirensi concilio quærimus, quo tempore fuerit celebratum, an scilicet post Remense, ut vulgo ferunt, an vero ante, deinde qui illi interfuêre antistites quæ denique agitata in eo fuere. Si Theodoro monacho credimus, *Eugenius celebrato Remis universali concilio, per Adalberonem Trevirorum archiepiscopum devocatus, Treviris morabatur*, ibique *visum est pontifici Moguntinæ civitatis, & majoribus cleri, ad apostolici cognitionem* Hildegardis abbatissæ scripta & prophetias esse proponendas, *quatenus ipsius auctoritate nosceretur, quid de compertis recipiendum aut refutandum foret.* Theodoro adstipulati sunt Baronius, Binius, Labbeus, aliique ecclesiastici auctores non pauci, quos & nos incaute secuti sumus in præviis observationibus ad epistolas S. Hildegardis. Verum huic opinioni refragatur primo antiquus auctor vitæ Adalberonis Trevirensis præsulis, quem penes nos habemus. Is diserte docet Eugenium ab Adalberone invitatum Treviros accessisse Dominica prima adventus, eoque die solemni ritu in cathedralem S. Petri ecclesiam admissum, per tres menses in urbe demoratum esse, atque inde Remos contendisse. *Eugenius*, inquit, *a Treviris recedens, Remis celebraturus concilium mediante quadragesima pervenit.* Secundo Arnaldus abbas Bonævallis, qui Remensi interfuerat concilio, in vita S. Bernardi non obscure negare videtur Eugenium contendisse Treviros post Remense concilium, sed recta Claramvallem progressum, in Italiam perrexisse satis clare asserit. Sic enim ille: *Eugenius celebrato Remis concilio, Claramvallem humiliter visitat, & gloriam pontificatus Romani pauperum præsentat aspectibus.* Et post pauca: *Cumque eum ibi morari diutius non pateretur magna eum prosequens multitudo, salutatis fratribus, iter in Italiam dirigens, abscessit.* Tertio cum inchoatum fuerit Remense concilium XI. Kalendas Aprilis *mediante quadragesima*, (nec finitum sit ante VI. idus ejusdem mensis.) Ea quippe die, quæ in

Trevirense concilium quo tempore fuerit celebratum.

Ante Remense.

Vit. S. Ber. lib. 2.

feriam IV. majoris hebdomadæ incidebat, irritam declaravit Eugenius abbatis Fuldenſis electionem, ut ejus probat epiſtola inter Waldinas 68. data *Remis*. Cum etiam ſit probabile ſummum pontificem itineri ſe non commiſiſſe feria V. in Cœna Domini, aut die ſacra paraſceves, & ſabbato ſancto, non denique in ſolemnitate paſchali: cumque aliunde conſtet ipſum in territorio Lingonenſi egiſſe V. kalendas Maij, ibique litteras dediſſe Alphonſo Hiſpaniarum regi pro confirmatione primatus eccleſiæ Toletanæ, ſed & biduo poſt Lingonis ſcripſiſſe Sugerio abbati S. Dionyſii & canonicis S. Genovefæ de monachis eorum in eccleſia conſtituendis, atque adeo Claramvallem eadem in diœceſi ſitam viſitaſſe, indeque contendiſſe in Italiam, quis credat in tam brevi temporis intervallo, quod ab Aprilis die decima tertia ad vigeſimam ſeptimam effluxit, hoc eſt infra dies quatuordecim Eugenium Remis Treviros exceſſiſſe, ibidem per plures dies novum concilium celebraſſe, atque inde Lingonas revertiſſe. His rationum momentis, quibus opponi poſſe nihil credimus, certum manet Remenſi præponendum eſſe concilium Trevirenſe.

Qui concilio Trevirenſi interfuere antiſtites.

78. Huic vero concilio interfuere cum Eugenio cardinales decem & octo, quos recenſet autor antiquus in vita Adalberonis Trevirenſis archiepiſcopi, ſcilicet Albericus Oſtienſis, Himarus Tuſculanus epiſcopi, Humbaldus preſbyter tituli ſanctorum Johannis & Pauli, Wido de Summa preſbyter tituli ſanctorum Laurentii & Damaſi, Julius preſbyter tituli ſancti Marcelli, Wido preſbyter ſanctæ Potentianæ, Odo Bonæ-caſæ, Heribertus preſbyter tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Wido diaconus cardinalis & cancellarius tituli ſanctorum Coſmæ & Damiani, Octavianus diaconus tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano, Guido Piſanus, Wido Cremenſis, Gregorius tituli ſancti Angeli, Johannes tituli ſanctæ Mariæ-novæ, Jacinctus ſanctæ Mariæ in Coſmedim, Otto tituli ſancti Georgii ad Velum-aureum. Hi omnes, inquit auctor ille, Eugenium Treviros accedentem comitati ſunt, ſed & epiſcopi multi *Germaniæ, Belgicæ, Franciæ, Angliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tuſciæ, & ex omni natione quæ ſub cœlo eſt*, in quibus eminebant Adalbero Trevirenſis archiepiſcopus, qui pontificem Treviros invitaverat, Pruvinum uſque, nobiliſſimum Galliæ oppidum, obviam ei factus; Arnoldus Colonienſis archiepiſcopus, qui Eugenio Treviros ingredienti aſſidebat a ſiniſtris; Henricus Moguntinus archipræſul, cujus ad petitionem facta eſt inquiſitio de ſcriptis & prophetiis ſanctæ Hildegardis, Albero Virdunenſis epiſcopus, qui una cum Adalberto primicerio ad ſanctam virginem juſſu pontificis miſſus eſt. His accenſendi ſunt Henricus Eboracenſis archiepiſcopus Hartwicus Gebennenſis, Amedeus Lauſanenſis epiſcopi, qui una cum Alberico Oſtienſi & Himaro Tuſculano cardinalibus, Eugenio eccleſiam ſanctæ Mathiæ conſecranti adjutores fuêre. Quibus adde Balduinum Cæſareæ Palæſtinæ antiſtitem, qui ſancti Paulini cryptam & ſancti Mari præſulis aram pridie kalendas Februarii conſecraſſe dicitur.

Quid in eo agitatum.

Epiſt. 56. inter Wibaldinas.

79. Jam vero congregatis in ſynodo patribus recitatæ ſunt Henrici junioris regis Romanorum litteræ ad Eugenium papam, quibus tria potiſſimum a pontifice poſtulabat. Primum, ut *cariſſimum patrem ac præceptorem atque adjutorem* ſuum *Henricum venerabilem Moguntinenſem archiepiſcopum, necnon archiepiſcopos, epiſcopos, abbates præpoſitos*, alioſque quavis dignitate præſtantes, qui de regno patris ſui ad eum tranſibant, *clementi bonitate* ſuſciperet, *eoſque admonitione ſedula* adhortari non renueret, ut patris ſui abſentiam, *patienter & fortiter* ferrent, *& noſtram indolem*, inquit, *educare ſtudeant*.

De reſtitutione ducatûs Poloniæ.

80. Secundum, quod Poloniæ ducatum reſpicit, his exprimit verbis: *Ducatûs quoque Poloniæ noſtra amita, tum per ſententiam excommunicationis, quæ a vobis in ipſam promulgata fuit, tum propter abſentiam patris noſtri, ſui utique domini*

& fratris, vim patitur, & de terra ſua & de honore ducatus ſui exſulare cogitur. Super qua re veſtra diſcretio bene meminiſſe debet, quod pater noſter eamdem ſororem ſuam cancellario veſtro, viro utique ſapienti & honeſto, nobiſque cariſſimo in manum commiſit, & per eum veſtræ celſitudini ipſum attente commendavit, ut videlicet ad ejus reſtitutionem clementem operam adhibere dignemini.

De confirmandis Corbeiæ duabus abbatiolis.

81. Tertio denique orat, ut Wibaldum abbatem Corbeienſem *in omni neceſſitate ſua clementer protegat, & præcipue in duabus abbatiolis obtinendis, videlicet Kaminata & Wiſbike, quæ quia fere collapſæ erant tam in religione quam in poſſeſſionibus, manſuetiſſimus pater noſter*, inquit, *eas Corbeienſi monaſterio & præfato abbati jure proprio contulit: quatenus per ejus induſtriam divinus ibidem ordo reformetur, & poſſeſſionibus recollectis quæ diſperſæ ſunt, atque conſervatis, loca penitus, ut cœperunt, non deſtruantur.*

82. Quid autem Henricum juniorem regem impulerit, ut Wibaldum commendaret Eugenio facile eſt divinare. Sciebat abbas vigilantiſſimus, Juditham Kaminatenſem abbatiſſam, judicio Thomæ ſedis apoſtoſtolicæ legati depoſitam, impatienter ferre latam in ſe canonice ſententiam, nec abbatia Gizekenſi, quam illa etiam poſſidebat, contentam, nihil non moliri, ut in Kaminatenſi reſtitueretur; nec latebat eum negotium illud Treviris ad pontificem eſſe deferendum, illamque protectores malæque cauſæ defenſores reperturam. Rem ut erat Henrico regi ſignificavit, qui ne fideliſſimo miniſtro hic deeſſet, illum papæ commendavit. Quid vero inde ſequutum ſit, diſcimus ex Wibaldi litteris ad Thiebaldum præpoſitum amicum ſuum, ubi omnes Judithæ molitiones his explicat verbis: *Recordari autem debet veſtra prudentia, quod anno præterito, cum dominus papa Trevirim eſſet venturus, & fama referente didiciſſemus, quia intendebatis abbatiſſam* de Giſeke *ad præſentiam domini papæ perducere, & cauſam ipſius adverſum nos agere; monuimus vos tamquam virum diſcretum & intime familiarem, ne adverſus innocentem & amicum ſtudium veſtrum in negotio parum honeſto & debili procederet. Si quidem abbatiſſa eadem novem fere menſibus antequam ad regimen Corbeienſis eccleſiæ accederemus, depoſita fuit, & remota a Kaminatenſi abbatia per dominum Thomam cardinalem preſbyterum, atque cum eam per vim contra canones obtinere conaretur, ab advocato ejuſdem eccleſiæ non ſine contumelia fuit expulſa.* Deinde poſtquam expoſuit Conradum regem Kaminatam ſuæ delegaſſe ordinationi, ſubdit: *His ita ſe habentibus, dignum duximus, ut prædictum eſt, veſtræ diſcretioni ſuggerere, ne adverſus decreta Romani pontificis, & contra præcepta domini regis in defenſionem perſonæ illius ſtare videremini: reſcripſiſtis nobis, ſi bene recolimus, quod membro Colonienſis eccleſiæ deeſſe non poſſetis. Venit illa Trevirim ad præſentiam domini papæ ſine vobis, & quantum potuit in nos egit, veritatem tacens, & mendacium loquens. Sed dominus papa per litteras noſtras veritate comperta, præfixit nobis & ipſi diem audientiæ in concilio Remenſi.* Epiſt. 115.

Ita & duciſſæ Poloniæ negotium detulit Eugenius ad concilium Remenſe. Ne tamen irrita prorſus & inanis videretur Henrici regis commendatio, litteras dedit pontifex ad Corbeienſes, quibus hortabatur, uti, *poſt habitis Henrici abbatis depoſiti molitionibus*, obedientiam deinceps omnem & reverentiam abbati ſuo Wibaldo exhiberent. Eugenii epiſtolam ecce habes hujus tom. pagina 229. Sed præſtat hic Wibaldum ipſum hac de re loquentem audire. Sic enim ille ad Bernardum epiſcopum Hildesheimenſem ſcribens: *anno præterito fuimus Treviri in curia domini papæ, unde cum gratia & apoſtolicæ benedictionis roboratione revertentes, accepimus litteras ad Corbeienſem eccleſiam plenas favoris & bonæ ſpei, in quibus continetur, ut Corbeienſes nos tamquam boni & humiles filii diligerent & honorarent, atque ut paſtori ſuo condignam reverentiam & obedientiam impendentes, ad recuperandas & retinendas poſſeſſiones & bona Corbeienſis eccleſiæ viriliter aſſiſterent.* Epiſt. 131.

De invasione prædiorum Stabulensis monasterii ab Eustachio milite.

83. Conquestus est etiam in concilio Wibaldus de Eustachio Leodiensis antistitis *parrochiano* & familiari, quod villam *Turnines*, cujus reditus cedebant in fratrum Stabulensium sustentationem, invasisset. Nam ad Stabulenses monachos scribens hæc inter alia dicit: *De* Tornines *tantum dolemus, quantum verbis exprimere non possumus, sicuti in litterarum exemplo, quod vobis transmisimus, videre potestis. Si dominus papa, ut fertur, Treverim venturus est, nos ipsos ad hanc causam peragendam expectabitis*, &c. Et revera summum pontificem reperimus litteras ad Henricum Leodiensem episcopum dedisse, quibus eum monet, fratribus ut Stabulensibus canonicam faciat justitiam de Eustachio parrochiano suo, *qui bona eorum in prædio* Turnines *violenter* abstulerat, sicut & de Machario de Suingeis, & de quibusdam aliis incendiariis ejus adjutoribus, qui *eamdem ecclesiam prædis & aliis modis vexare non cessabant.*

Epist. 41.

Epist. 53.

De Horreensium sanctimonialium reclusione.

84. Potest & ad concilium Trevirense referri editum ab Eugenio papa decretum de reclusione monialium Horreensis Parthenonis, (nobilissimum est in urbe Trevirensi virginum monasterium a S. Irmina ante annos mille fundatum;) cujus quidem decreti meminit Adrianus papa IV. ad easdem sanctimoniales scribens his verbis: *Dilectæ in Domino filiæ, vestris precibus annuentes, statuimus & præsentis scripti decreto sancimus, ut nulla persona magna vel parva, sæcularis & ecclesiastica, vobis inhibeat, ne sub eadem B. Benedicti regula domino serviatis, sub qua tempore prædecessoris nostri sanctæ memoriæ papæ Eugenii ex ipsius præcepto tamquam reclusæ promisistis domino deservire.*

Tom. 1. hujus Coll. pag. 833.

De confirmatione episcopi Placentini.

85. Ad acta etiam Trevirensis concilii spectat electionis episcopi Placentini confirmatio. Obeunte quippe Arduino antistite, canonici Placentini in Johannem abbatem de Columba vota contulerunt sua, utque electio illa apostolicæ auctoritatis firmitatem sortiretur, cum Eugenius versaretur Autissiodori, ubi etiam concilium celebrasse testatur Otto Frisingensis, humiliter postularunt. At repugnabat Moyses Ravennensis archiepiscopus, qui confirmationem illam ad se tamquam ad metropolitanum pertinere contendebat, cujus integra servare jura cupiens Eugenius, preces eorum tum admittere recusavit. *Postmodum*, inquit papa, *iidem filii nostri apud Trevirim nostro se conspectui repræsentantes, id ipsum a nobis instantius petierunt, asserentes possessiones episcopatus & bona, nisi firmaretur electio, devastari nimium & consumi, & nullam esse personam, quæ sibi super hoc & Ravennati ecclesiæ responderet, cum multas rationes dicerent se habere, pro quibus Placentini electi a Ravennate archiepiscopo consecrationem habere non debebant. Nos itaque necessitatibus Placentinæ ecclesiæ paternæ caritatis debito prospicere cupientes, electionem ipsam in omnibus, salvo jure Ravennatis ecclesiæ, confirmavimus*, &c.

Labb. tom. 10. conc. p. 1087.

De Fuldensis abbatis electione.

86. Denique, si Christophoro Browvero credimus, *in hac eadem synodo monasterii Fuldensis congregatio nomen abbatis sui Henrici detulit, & apud Eugenium eum accusavit, ceu minus recte & salubriter ecclesiam illam administraret: accusatione neque recepta, & causa ab Eugenio cognita, placuit Henricum suo munere defungi, successore tandem obveniente Marquardo.* Verum si quam ad concilium Trevirense querelam deposuit congregatio Fuldensis, ea certe non Henricum abbatem, quem Fuldensi nondum præfuisse monasterio cum celebraretur, sed neque etiam statim post Remense demonstrari facile potest ex Wibaldi abbatis epistolis non paucis; sed forte Ruggerum tangit, cujus tamen modestiam & integritatem Browverus ipse commendat, vel Aleolphum quem *ob immite & asperius in suos imperium* damnat: quamquam aliud de ipso testimonium perhibet VVibaldus ad Guidonem cardinalem scribens in hæc verba: *quod de ipso nobis compertum est, vir maturus & gravis est, & in recollgendis possessionibus & ædificatione sui monasterii constans & utilis. De adversariis suis certum est, quod contra propositum suum veniunt, qui relicta professionis suæ observantia, contra regulam*

Ann. Trev. lib 4 n. 70.

Antiq. Fuld. lib. 3. pag. 294.

lam ſacram, quam manuſcripto & viva voce ſe obſervaturos ſpoponderunt, litibus vacant propter ambitionem, & propriâ poſſident, ex quibus expenſas itinerum partiuntur.

87. Silentio prætermittimus Henrici comitis Namurcenſis epiſtolam ad Eugenium papam, quæ inter Wibaldinas eſt 72. ex qua patet ventilatam fuiſſe in concilio cauſam ipſum inter & archidiaconum Virdunenſem, quam tandem compoſuit S. Bernardus abbas. Hæc ſunt fere quæ de Trevirenſi concilio obſervanda habebamus. Venio ad Remenſe generale, in quo, ſi Anſelmo Gemblacenſi monacho fides ſit, *archiepiſcopi, epiſcopi & abbates uſque ad mille centum reſediſſe dicuntur.*

88. Hoc de concilio tria præſertim tradunt editores conciliorum Binius & Labbeus, primo Eudonem de Stella, vulgo *Eon*, natione Britonem, virum illiteratum & idiotam, pro Chriſto nihilominus haberi geſtientem, ſtupendoque hoc errore deluſum, ſolemnem illam exorciſmorum clauſulam *per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem* ad ſe pertinere inſuſurrantem; hunc, inquam, concilio exhibitum, Sugerio abbati & regni adminiſtro papæ juſſu traditum, atque ab eo arctæ cuſtodiæ mancipatum fuiſſe. Secundo proſcriptam in concilio Gilberti Porretani doctrinam. Tertio editos ad morum reformationem canones decem & octo, quos ex Vaticano & Gallicano codice annalibus eccleſiaſticis inſeruit Cæſar Baronius. At multo plura nobis ſuggerunt epiſtolæ VVibaldi, aliique auctores, quæ hic juvat fuſius explicare. De concilio Remenſi.

89. Et primo quidem auctor eſt Otto Friſingenſis, *veniſſe apud prædictum concilium cum bulla aurea nuncios junioris Romanorum regis Henrici, tam de ſublimatione ſua ad imperium Romano pontifici ſignificantes, quam de tribus fratribus Poloniæ, qui ejecto quarto & ſeniore, ducatum intra ſe diviſerunt; & de epiſcopis illius provinciæ, qui ſuper hoc patri ipſorum juramentum præſtiterant, querimoniam facientes.* Ottonem Friſingenſem exſcribit Willelmus Neubrigenſis. Hæc autem ut clarius eluceſcant, quædam de rebus Polonicis neceſſario præmittenda ſunt, ex quibus legationis hujus pendet intelligentia. Boleſlaus III. Poloniæ dux circa annum 1139. defunctus, quatuor reliquit filios, Wladiſlaum ducatus ſui heredem, Henricum, Boleſlaum Criſpum a contortis capillis ſic dictum, & Miceſlaum, quibus & ſuam portionem aſſignavit. Ex his VVladiſlaus ad crudelitatem cum primis proſpenſus a patriis moribus multum degeneravit. Is enim ducta Chriſtina Conradi imperatoris ſorore, quam ſcriptores Poloniæ non ita accurati ſobrinam tantum ejus faciunt, contra fidem epiſtolarum Henrici junioris Romanorum regis, ab uxore, laudis & gloriæ ſed parum ſolidæ appetentiſſima, facile inductus fuit, ut fratribus ſuis bello oppreſſis ac ſua ſorte exutis, Polonicam omnem ditionem invaderet. Hæc ubi agnovit Jacobus Gneſnenſis archiepiſcopus, vir venerabilis, ac ſenex excelſi animi, pertinacem in arrepto propoſito ducem VVladiſlaum diris devovit; cujus judicium confirmavit Eugenius papa III. promulgata etiam in duciſſam excommunicationis ſententia. His non deterritus VVladiſlaus bellum fratribus indicit: ſed, oppreſſorum vindice Altiſſimo, qui fratrum perſequebatur exitium, ingentis eis victoriæ fomitem ſubminiſtravit; quippe victus ipſe turpi fuga vix evaſit. Fugientem fratres victores Cracoviam uſque inſequuti ſunt. At ille in Germaniam ad Conradum imperatorem uxoris ſuæ fratrem ſe recepit, quem poſtea cum filiis Chriſtina ſequuta eſt, ſicque proprio non contenti & alienis inhiantes, etiam ſua infelici eventu amiſerunt. Nam uno omnium tam procerum quam epiſcoporum aſſenſu Boleſlao Criſpo Poloniæ ducatus decernitur. In contractum de reſtitutione duciſſæ Poloniæ. Otto Fr. l. 1. c. 55.

90. Conradus infortunatam Wladiſlai ſortem miſeratus, ad Polonos tam

crudelis viri dominationem exoſos, direxit legatos. Sed illi paſſi ſunt repulſam. His ita ſe habentibus, imperator ſacram expeditionem ſuſcepit, in cujus abſentia Henricus junior rex Romanorum litteras ad Eugenium Treviris agentem dedit, quibus, ut ſupra vidimus, pontificem deprecabatur, uti relaxata excommunicationis ſententia, quam in amitam vibraverat ſuam, collaboraret ut etiam ditioni reſtitueretur ſuæ. At nihil tum definire voluit Eugenius, cauſatus celebrandum continuo Remis concilium generale, ad quod omnia remittebat.

91. Novam igitur legationem Remos miſit Henricus, quam pontifex benigno ſuſcepit favore, directoque in Poloniam nuntio, ſcripſit juniori regi negotium ſe illud quantum poterit procuraturum. *Tuæ*, inquit, *amitæ, pro qua rogaſti, conſueta apoſtolicæ ſedis clementia, per nuncium noſtrum, quem ad partes illas duximus deſtinandum, auctore Domino, quantum pro honeſtate noſtra poterimus, providere curabimus.* Legatus ille, qui ex primo tantum nominis caractere nobis innoteſcit, aut Grégorius fuit aut Gerardus diaconi cardinales, qui varias in Germania leguntur obiiſſe legationes, aut etiam Guido diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu, ad quem extat S. Bernardi epiſtola 235. Is juxta acceptum a pontifice mandatum, operam omnem ſuam apud Boleſlaum & fratres ejus navavit, ut ditioni ſuæ reſtitueretur Wladiſlaus. At fraternæ injuriæ memor Ladiſlaus, emolliri nulla arte potuit, & quod olim reſponſum Conradi nuntiis dederat, legato etiam ſæpius ingeſſit: Wladiſlaum a ſe „ non eſſe offenſum, ſe & fratres ſuos ab eo petitos, & pacem deprecantes „ attributis a patre pene exutos, vitam defendiſſe ſuam, illumque divina ul- „ tione perculſum, humani juris violatorem, fratres inſontes & obſequen- „ tiſſimos ejicientem, fugientem magno Poloniæ conſenſu ſempiterno exi- „ lio eſſe damnatum. His & hujuſmodi verbis ſæpius repetitis, cum nihil ſe proficere animadverteret legatus, neque ullam ſui aut apoſtolici mandati haberi rationem, Poloniam univerſam eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit, vibrata prius in principem rebellem & contumaces ſententia excommunicationis, quam ſtatim confirmavit Eugenius. Hæc, de quibus ſilent omnes Poloniæ ſcriptores, Conrado ab expeditione ſacra jam reverſo ſignificavit legatus, monuitque eum *ut manum auxilii eidem duci & brachium fortitudinis* ſuæ *porrigere* ſtuderet, *quatenus vigorem eccleſiaſtici officii in hac parte viriliter* ſublevaret, *& de indulta pace duci & ſorori ſuæ laudem a Deo & hominibus conſequi* poſſet. Adjiciens confirmatam a papa excommunicationis ſententiam numquam fore relaxandam. Sed & cum epiſcopi Poloniæ, poſthabito cardinalis legati judicio, interdictum ſervare negligerent, objurgati ab Eugenio fuere his verbis: *Nos ſiquidem pro officii noſtri debito, de veſtra & populi vobis commiſſi ſalute ſolliciti, dilectum filium G. S. R. E. diaconum cardinalem ad partes veſtras olim direximus, ut & pacem inter W. ducem & fratres ejus, auxiliante Domino, reformaret, & eccleſiaſtica negotia tamquam apoſtolicæ ſedis legatus, tractaret: qui ſicut a nobis mandatum acceperat, partem quæ noluit ejus monitis obedire, & eos qui ejuſdem ducis terram detinent, excommunicationis vinculo innodavit, & in terra divina prohibuit officia. Vos autem, ſicut accepimus, quoniam hoc eum ex mandato noſtro non feciſſe aſſeritis, ſententiam ipſam minime obſervatis. Quia vero ipſe hoc noſtro fecit mandato, nos tam excommunicationis, quam interdicti ſententiam, ſicut ab ipſo data eſt, ratam habemus, & ut vos eam obſervetis, & faciatis ſimiliter obſervari, præcipimus.* Quid poſt hæc geſſerit Conradus ad promovendam ſororis ſuæ virique ejus reſtitutionem non conſtat. Id unum pro comperto habemus, contuliſſe eum hoc de negotio cum Wibaldo abbate, optaſſeque eos *abſque armis* in Poloniam reducere: at urgente expeditione Italica, & morte præveniente nihil in Polonos molitus eſt. Verum qui ei in imperio ſucceſſit Fridericus, col-

Epiſt. 54. inter WVibald.

Epiſt. 111. inter WVibald.

Epiſt. 122.

Epiſt. 170.

lecto exercitu, tantam de Boleslao victoriam reportavit, ut *dux Poloniæ*, in- Epist. 134.
quit ipse Fridericus ad Wibaldum scribens, *cum terram totam & populum a facie manus nostræ periclitari videret, principes nostros tum per nuntios suos, tum in persona propria aggrediens, multis precibus, multis lacrymis, vix tandem impetraverit, ut sub jugo dominationis nostræ redire, & gratiam recuperare mereretur... Et primo juravit pro se & pro omnibus Polonis, quod frater suus exsul ad ignominiam Romani imperii non fuerit expulsus... Deinde juravit quod ad curiam nostram Magdeburg in natali Domini celebrandam venire debeat, super querimonia fratris sui expulsi, plenarie responsurus.* Tradunt Polonici quidam scriptores Wladislaum e Germania revocatum, & fratri reconciliatum in Plocsko civitate non sine veneni suspicione spiritum exhalasse.

92. Redeo ad Remense concilium, in quo ea ipsa die, qua Henrico juniori regi scripsit Eugenius de amita sua, eadem & litteras alias ad Teutonicos episcopos dedit, quibus hortatur eos, ut regi prædicto *diligenter & fideliter* assistant *in his quæ ad patris sui honorem & regni statum pertinere noscuntur, ut pax per omnipotentis Dei gratiam in populis sibi subjectis integra conservetur.* Quam strenue autem in concilio pro eodem Henrico se gesserit Wibaldus abbas, declarat ipse aliis ad eumdem regem litteris his verbis: *Qua devotionis in-* Epist. 73.
stantia in concilio Remensi fuerimus pro stabilitate regni a Deo vobis collati, & pro incremento vestri honoris, arbitramur satis excellentiæ vestræ esse notificatum ab his qui rebus interfuere. Siquidem de fide nostra & studio circa vestræ personæ & regni vestri provectus sublimitati vestræ nullatenus erit dubitandum.

93. Si Sammartanis credimus, Arnoldus Colonienſis archiepiſcopus in con- Arnoldus Coloniensis præsul in concilio suspensus ab officio.
„cilio Remensi cum Moguntinensi archiepiscopo insimulatus deponitur, „Romamque profectus reconciliationem impetrare non valuit. Verum ea in synodo Arnoldum a sua dignitate minime submotum, sed ab officio dumtaxat suspensum constat ex Conradi imperatoris epistola ad Eugenium papam, qua jam reversus a sacra expeditione petit a pontifice confirmari, Theobaldi Xantensis præpositi electionem, *quia*, inquit, *Colonienſis archie-* Epist. 175.
piscopus ab officio episcopali a vestra dignitate suspensus est, atque adeo ad vestræ manus ordinationem pertinere credimus quidquid pontificalis & canonici juris in episcopio esse dinoscitur. Clarius vero ex ipsis Eugenii litteris ad eumdem imperatorem. Respondens enim Conrado Arnoldum sibi commendanti, & rationes quibus a proferenda in illum excisionis sententia deterritus fuerat in concilio Remensi, exponens, hæc habet. *Causa fratris nostri Colonienſis archiepiscopi quam* Epist. 183.
gravis sit, longum est enarrare; ab his qui circa te sunt poteris manifeste cognoscere. Si enim quanta circa officium per negligentiam & inobedientiam superbiendo commiserit, magnitudinis tuæ discretio cognovisset, nec etiam verbum, ut credimus, pro ipso movisset. Unde in concilio quod Remis, Deo auctore, celebravimus, excisionis sententiam pertulisset, nisi regiæ parcentes absentiæ, detrimentum aliquod regno, quod maxime nobis cavendum erat, eventurum exinde putavissemus. Et nunc post reditum tuum nobiscum firmiter statueramus, ipsum sententia digna suis excessibus feriendum, nisi tuæ legatio majestatis prævenisset; sed precibus tuis, quantum possumus, inclinati, manum nostram impræsentiarum in ipsius damnatione retraximus, & usque ad dominicam qua cantatur, ego sum pastor bonus *inducias concessi.* Datæ sunt hæ litteræ Laterani IV. kalendas Decembris, atque adeo inducias ipsi indulgebat quinque circiter mensium: quo temporis intervallo Romam Arnoldus sese purgaturus accessisse videtur, cum commendatitiis Conradi litteris, quibus a contumacia excusat eum, quod *senio & assidua ægrotatione confectus* suam ei præsentiam hactenus exhibere nequivisset, & quod per ejus absentiam non parvi motus & implacabiles in imperio discordiæ potuissent oriri, ceterum Eugenium exorans, ut *venientem* ad se *Arnoldum venerabilem archiepiscopum paterna cum*

pietate ſuſcipiat, & *cum integritate ſui honoris* remittat. At nihil profuerunt imperatoris ad pontificem litteræ. Unde neſcio quis in aures omnium rumor erupit, *archiepiſcopum ſine contradictione ab epiſcopali cura & dignitate ceſſaturum*, deſignato ei Wibaldo abbate Corbeienſi, qua de re gratulatur ei R. præpoſi-
Epiſt. 109. tus. At Wibaldus gratulanti reſpondit, audiſſe ſe quidem Colonienſis eccleſiæ priores archiepiſcopum monuiſſe diligenter, *ut quoniam dignitatem eccleſiæ ſuæ & ordinis ſui officium negligere videretur, & jam tam animo quam corpore deficiens, labenti eccleſiæ minus poſſet ſufficere, ſaluti ſuæ*, ſponte cedendo provideret; *quod conſilium*, inquit, *tam ipſe quam ſui non facile recipere putantur.* Et revera ſuam, ad obitum uſque, qui non multo poſt contigit, retinuit dignitatem, ut conſtat cum ex Henrici epiſcopi Leodienſis, tum ex cleri &
Epiſt. 109. & 310. populi Colonienſis litteris ad Eugeninm papam. In his quippe Arnoldus ejuſdem eccleſiæ præpoſitus omnium calculis promotus dicitur ad ſedem Colonienſem, vacantem *per deceſſum bonæ memoriæ Arnoldi archiepiſcopi.*

Moguntinus excuſatur quod non adfuerit.

94. Similis Henricum Moguntinum antiſtitem ſors manebat, ſi Remenſi interfuiſſet concilo, at futura præſentiens, ſuam caute ſubduxit præſentiam, qua de re ſcriptis ad Eugenium papam litteris, eum excuſat junior rex Ro-
Epiſt. 99. manorum Henricus: *morem*, inquit, *regni nobis a Deo collati veſtram prudentiam ignorare non credimus, in eo videlicet quod Moguntinus archiepiſcopus ex antiquo ſuæ eccleſiæ & dignitatis privilegio, ſub abſentia principis cuſtos regni & procurator eſſe dinoſcitur, quæ priſcorum inſtituta regum glorioſus genitor noſter, ut in ceteris, ſequutus, noſtram ætatem & regni gubernationem, reverendo patri noſtro Henrico Moguntino archiepiſcopo, omnium principum favente conniventia, magna cum attentione commiſit. Quantum vero ejuſdem venerabilis archiepiſcopi abſentia toti regno & perſonæ noſtræ incommoda ſit, optime novit intelligentia veſtra, cui mores Galliæ Belgicæ, quæ ſceptris noſtris ex majori parte ſubdita eſt, & totius Germaniæ ignoti non ſunt. Inde factum eſt, ut tempore ſynodi veſtræ, quam in Remenſi civitate divina favente clementia ad totius ſanctæ eccleſiæ incrementum celebraſtis, ad veſtræ ſanctitatis præſentiam venire idem archiepiſcopus non poſſet, quoniam alterius regni fines tutus ingredi non potuit, & noſtras res, quæ quantum ſunt per Dei miſericordiam majores, tanto ſunt ad regendum difficiliores, relinquere, nobis cum conſilio multorum principum renitentibus, ſalva fide & honeſtate ſua, non valuit.* At quoniam frequenter ab Eugenio accerſebatur archiepiſcopus, addit Henricus, ſe in celebratis Francofurti in natali B. Mariæ generalibus comitiis acquieviſſe tandem, ut ad ipſum toties vocantem accederet, & contra ſuam & totius regni utilitatem proficiſcentem illi commendat. Quid inde ſecutum ſit non tradunt epiſtolæ noſtræ, at ſi Sammartanis credimus, *deponitur juſſu Eugenii III. Wormatiæ in die Penteceſtes* 1151. *Junii* 27. *in Saxoniam relegatus, ubi interiit* 1153. *Kalendis Septembris, tumulatus Embeci.* Cujus familiare hoc re-
Annal Paderb. ferunt dictum: *Fui dives canonicus, pauper præpoſitus, & mendicus epiſcopus.*

Suſpenſi ſuffraganei Cantuarienſis archiepiſcopi.

95. Eodem in concilio ut ſcribit Radulfus de Diceto, ſuffraganei Cantuarienſis archiepiſcopi *ſuſpenſi ſunt a domino papa, quia, rege prohibente, non venerant* ad illud, e contrario vero Theobaldum archiantiſtitem ſummo cum gaudio honore ſuſceptum, coram univerſo præſulum cœtu laudavit, quod *natando potius, quam navigando ob reverentiam B. Petri & curiæ Romanæ* transfretans, ſeſe ſynodo exhibuiſſet. Regiæ autem illius prohibitionis cauſa præcipua fuit Henricus Wintonienſis epiſcopus & Stephani regis frater. Is cum in Theobaldum Cantuarienſem ſanctiſſimum archiepiſcopum invidiæ ſtimulis percitus eſſet, apud principem effecerat, ut omnes Angliæ præſules ad Remenſe concilium accedere prohiberentur, unum ſperans e duobus, aut archiepiſcopum ab Eugenio deponendum, ſi regiis obtemperaret mandatis; aut
Gervaſ. Dorob. chron. ſi papæ adimpleret juſſionem ab ipſo rege proſcribendum fore. At Theobaldus,

dus, *petita a rege, sed non concessa licentia, per multos labores accessit. Nam ministri regis diversos maris portus observaverunt, ne archiepiscopus transfretaret: sed ille Deum magis quam regem timens, clanculo mare adiit, & vix tandem in cymba fracta transvectus, vix terram tetigit & domino papæ se præsentavit.* Ita Gervasius Dorobernensis, qui de Willelmo archiepiscopo Eboracensi hæc subjungit: *Astiterunt in hoc concilio clerici Eboracensis ecclesiæ, una cum Henrico* Murdac *tunc temporis abbate de Fontibus, accusantes Willelmum Eboracensem archiepiscopum, & dicentes, eum neque canonice electum, neque legitime consecratum; sed auctoritate regia intrusum. Tandem præfatus Willelmus convictus & depositus est, Alberico Hostiensi episcopo pronuntiante & dicente: Decernimus auctoritate apostolica Willelmum Eboracensem archiepiscopum a pontificatu deponendum, eo quod Stephanus rex Angliæ ante canonicam electionem eum nominavit.*

96. Turonensis etiam archiepiscopi primatum in Armoricanos præsules in concilio Remensi confirmatum fuisse docet nos Eugenii papæ epistola ad archiepiscopum Turonensem tom. 1. edita. Nam cum archiepiscopus litteras a pontifice postulasset ad Dolensem & Briocensem ecclesias, quæ mandata ejus recipere detractabant, petitas ille negavit epistolas, quia, inquit, *sicut meminimus, propter eorum inobedientiam & contumaciam, sententia excommunicationis fuit in eos a te, frater archiepiscope, promulgata, & in Remensi concilio a nobis postmodum confirmata, quam tamdiu ratam manere decrevimus, donec a sua contumacia resipiscant & ad obedientiam Turonensis ecclesiæ convertantur.* Turonensis ecclesiæ confirmata privilegia.

97. Quæ hactenus de Gestis Eugenii III. in concilio Remensi retulimus, vigorem vere apostolicum in emendandis episcoporum vitiis demonstrant. Neque vero minus enituit summus ejus zelus in instituendis ad sanctioris disciplinæ leges monasteriis, indignos amovens abbates, ac religiosos amantesque regulæ eorum in locum subrogans. Exemplo potest esse Fuldense, quod nobilissimum ac famosissimum est in tota Germania, cœnobium. Non multo ante Aleolfum ob *immite & asperius in suos imperium*, virum aliunde, ut supra vidimus, inculpatæ vitæ, petentibus fratribus, in ordinem redegerat, ante omnia præcipiens, alieno ut ex claustro talem assumerent abbatem, *per quem in Fuldensi monasterio, quod pastoris incuria tam in spiritualibus quam in temporalibus fuerat diminutum, grata Deo veræ religionis cultura posset, auctore Deo, restaurari.* At Fuldenses, posthabito summi pontificis jussu, Ruggerum quemdam, suæ congregationis monachum elegerunt: quem miris Brovverus effert laudibus, utpote qui *animi moderatione & integritate morum antecessoris desiderium minuit, sui plurimum accendit.* Additque eum ad Remense concilium profectum, ab Eugenio *muneris eximii vacationem* impetrasse, & secessu facto in Montem B. Virginis, rerum divinarum studio, Henricum Hersfeldensem abbatem sibi suffici passum. Verum longe aliam Ruggeri personam nobis exhibent epistolæ nostræ. Nam primo Eugenius ad Fuldenses scribens, illis exprobat, quod contra mandati sui formam, præsumsissent eligere de suo claustro abbatem, *qui etiam pro membrorum deformitate ad sacerdotium non poterat promoveri.* Secundo Wibaldus in epistola ad Henricum juniorem regem testatur, quod *inutilis a plerisque prædicatur*, atque adeo *in abbatis nomen benedici detrectat.* De abbatis Fuldensis depositione. Brovver. Antiq. Fuld. l. 4. Epist 68. inter Vvibaldi. Antiq. Fuld. l. 4. Epist. 68.

98. Hæc ubi ad concilium Remense delata sunt, Eugenius statim rescidit electionem Ruggeri, & ne reluctantes decretis suis experiretur Germaniæ principes, præsertimque Henricum juniorem regem; privatim hac de re cum Vvibaldo tractatum habuit. *Non sumus immemores*, inquit, Vvibaldus ad Eugenium scribens, *multitudinis misericordiæ, quam nostræ parvitati in synodo Remensi exhibere dignatus estis, & præcipue in causa Fuldensium, quam pro maxima humilitate, qua vestrum pectus sacrum, Deo inspirante, præditum est, consilio nobis* Epist 112.

cum communicare placuit. Et nos siquidem, sicut cum vestra celsitudine condiximus, solliciti fuimus, ne aliquis propter jussionem vestram motus fieret, &c.

99. Antequam vero Remensi concilio finem imponeret Eugenius, tres saltem dedit hac de re epistolas, scriptas Remis VI. idus Aprilis: unam ad Henricum Romanorum regem, quam ille in castro *Nuremberg* recepit XVII. Kalendas Maij, principis implorans auctoritatem adversus factiosos. Alteram ad Fuldenses, qua irritam declarabat Ruggeri promotionem, monachos clericos a promissa illi obedientia; laicos a fidelitate absolvebat, præ-
Epist. 68. cipiebatque ut alio de claustro, consilio Adæ Eberacensis, Eberbracensis, Hersfeldensis & Corbeiensis abbatum, *personam religiosam, discretam, litteratam* eligerent in abbatem, *per quem apud eos religionis fervor, qui peccatis exigentibus, tepuerat*, valeret reparari. Tertiam ad prædictos abbates, ut ad Fuldense sese transferrent monasterium, curarentque ut talis ex altero assumeretur claustro, qui Deo gratum veræ religionis cultum inibi reformaret.

100. Pontificis litteras diu apud se retinuerunt Fuldenses, consentientem vitiis suis abbatem sibi eripi ægre ferentes: quem ut retinere valerent, duobus licet decretis canonica ratione subnixis notatum, novos ad Eugenium
Epist. 114. legatos misere, sed, ut ait Wibaldus *cum Petro petram invenerunt*, hoc est invictum & obfirmatum in pontifice animum. Interim Ruggerus, cum nulla sibi spes affulgeret *de medio eorum evanuit*, Fuldenses vero papæ litteras, quatuor abbatibus, quorum in electione abbatis uti debebant consilio, scriptas tandem misere Wibaldo, qui tertia tantum die post natalis B. Virginis festum eas recepit. Quid autem inde secutum sit disces ex prolixa VVibaldi abbatis ad Eugenium epistola 114. in qua totius electionis seriem fuse & eleganter describit.

De VVibaldi abbatis Corbeiensis confirmatione.

101. Etsi Wibaldi abbatis Corbeiensis electionem ratam habuisset Meldis Eugenius, Treverisque dedisset litteras ad Corbeienses monachos, ut reverentiam omnem obedientiamque ei exhiberent: Henricus nihilominus antiquus Corbeiensis abbas, a Thoma sedis apostolicæ legato ob personæ inutilitatem, confessam symoniam, inobedientiam, aliaque vitia depositus, cum non vulgaris esset nobilitatis, procerumque quorumdam auxilio & auctoritate fretus, omnem adhibuit machinam, pristinæ ut restitueretur dignitati. Id cum agnovisset Eugenius, & vibratam in Henricum a Thoma legato depositionis sententiam, & jam semel & iterum confirmatam Wibaldi electionem in concilio Remensi rursus ratam habuit. Locupletem hujusce confirmationis testem habemus VVibaldum ipsum ad Bernardum Hildes-
Epist. 131. heimensem episcopum scribentem in hæc verba: *Non profuit tam frequens sua depositio, tam crebra nostra confirmatio, tam perseverans apostolicæ auctoritatis jussio, seminatur terra mendaciis, seminatur scandalis, & ut mos est egentis, prius hominem falsa delatione suffocant, quam ipse se appeti intelligat. Venimus ad synodum Remensem, quæ celebrata est mediante quadragesima ubi dominus papa paci & tranquillitati Corbeiensis ecclesiæ providere volens, sententiam, quam venerabilis pater noster bonæ memoriæ Thomas presbyter cardinalis & apostolicæ sedis legatus in Henricum quondam monasterii ejusdem abbatem, verbo dederat, verbo & scripto confir-*
Epist. 118. *mavit.* Idem asserit in epistola ad abbatem S. Godehardi, ubi non modo Henrici abbatis depositionem in concilio Remensi confirmatam docet, sed & a gradu & ordine ecclesiastico *tamquam inobedientem, immo vero aperte rebellem anathematis sententia* perculsum fuisse.

Et Judithæ abbatissæ depositione.

102. Eamdem cum Henrico Corbeiensi abbate fortunam experta est Judith abbatissa Giseckensis ejus soror, quæ *nec sacrum virginis velamen per consecrationem episcopi, nec benedictionem abbatissæ a pontifice* acceperat, licet jam duas abbatias *Eskenevvege* & Kaminatam per violentiam occupasset. Huic res

erat cum Wibaldo Corbeiensi abbate, cui Kaminata, unde illa Thomæ cardinalis judicio expulsam se dolebat, ad exactam regulæ observantiam reformanda tradita fuerat. Abbatem multis coram summo pontifice convitiis & mendaciis Treviris oppetiverat. Utrique diem Remis indixerat Eugenius, ubi concilium in proxima quadragesima celebraturus erat. *Nos venimus*, inquit Wibaldus, *illa non venit, laqueus contritus est & nos liberati sumus. Dominus papa depositionem suam decreto confirmavit, & possessiones quas illa alienaverat, monasterio sub anathematis interminatione restituit.* Epist. 125.

103. Citatum etiam fuisse ad concilium Remense abbatem Brunvvillarensis monasterii prope Coloniam; sed infirmitate detentum ad illud accedere minime potuisse constat. Quid vero criminis illi fuerit objectum omnino nos latet. Innoxium ab omni culpa fuisse contendit Wibaldus, qui Guidoni cardinali illum commendat his verbis: *Commendamus igitur vobis virum venerabilem abbatem Brunvvillarensem, qui, sicut certum est, infirmitate detentus, ad synodum Remensem venire non potuit, & sicut ab ipso plenius audietis, de hoc quod sibi ab æmulis impositum est, omnem in modum innocens fuit. Vos igitur pro nostræ petitionis intuitu, ipsius pater & patronus eritis.* Præerat tum Brunvvillarensi monasterio Amilius, de Brabantia oriundus, vir eximiæ virtutis, qui patri, matri & sorori persuasit, ut spretis mundi illecebris, suavissimo se Christi jugo subderent, monasticam amplectentes disciplinam. Tanta vero sub ipso florebat apud Brunvvillarenses pietas & religio, tanta disciplinæ regularis observantia, ut abbates inde assumere sibi aliæ monachorum congregationes certatim contenderent. Ita Colonienses S. Martini Albanum, Gladbacenses Mechinardum, Gerardum Prumienses, Sigebergenses Cononem, qui postea fuit episcopus Ratisponensis, fratres denique S. Pantaleonis Embricum ex Brunvvillari acceperunt abbates. Brunvvillaris abbas citatus in concilio.

104. Ad acta etiam concilii Remensis pertinet prolatum in gratiam Cenomanensium S. Vincentii monachorum judicium adversus Gemmeticenses, qui cum jam diu inter se litigassent de quibusdam ecclesiis, Remos ad Eugenium concilium celebrantem accesserunt. Causam Julio & Johanni cardinalibus examinandam terminandamque pontifex commisit. Illi discussis partium cartis & rationum momentis, secundum Cenomanenses judicavere. Cardinalium sententiam datam *in capitulo Remensi anno Dominicæ incarnationis* MCXLVIII. *nonis Aprilis* habes in hujus collectionis tom. 1. pag. 804.

105. His omnibus adde quod legimus in Chronico Laureshamensi Folcnandum abbatem ad Remense concilium ab Eugenio papa evocatum, ab eo privilegium obtinuisse, tum de ecclesiæ suæ libertate, tum de regalis concambii stabilitate.

106. Quod spectat ad editos in concilio Remensi canones, primus ex manuscripto Gallicano decem & octo Romam Gregorio XIII. missos, quos etiam reperit in Vaticano, annalibus ecclesiasticis inseruit Cæsar Baronius: præter quos decem & septem alios ex duobus optimæ notæ mss. codicibus, uno S. Germani a Pratis, altero S. Michaelis in periculo maris excerptos, habes tom. 4. nostrorum Anecdotorum.

§. V.

OBSERVATIONES

De Henrico Ludovici junioris fratre & archiepiſcopo Remenſi.

107. Epiſtolæ regiſtri Alexandri papæ III. cum uni fere Henrico Remorum antiſtiti directæ ſint, æquum prorſus videtur, ut de tanto præſule brevi aliquid diſſeramus. Plura enim his in epiſtolis perſpicere eſt, quæ cum hactenus haud ſatis nota aut minus explorata fuerint, ſtudioſis hic ea lectoribus paucis perſtricta repræſentare nec injucundum fore putamus nec infructuoſum.

Henricus regi ſanguinis militiæ clericali aſcriptus.

108. Fuit Henricus regii ſanguinis, Ludovici VI. Francorum regis & Aleidis a Sabaudia natus, ex quibus prodiere pariter, Philippus, is nimirum qui vivente patre, rex inauguratus, mox ſummo omnium luctu extinctus eſt; Ludovicus Junior ſceptri paterni heres, Robertus comes Drocenſis, Philippus Aurelianenſis eccleſiæ archidiaconus, Petrus de Corteniaco, & Conſtantia Raymundo S. Ægidii comiti nupta. Adoleſcens militiæ clericali adſcriptus eſt, devovente patre, devotumque ſub ſua ſediſque apoſtolicæ tutela & patrocinio ſuſcepit Honorius papa II. Ordinatus circa annum 1136 ſubdiaconus, eccleſiæ Aurelianenſis archidiaconatum pluraque alia eccleſiaſtica beneficia adeptus eſt, omnes ſcilicet regales ſeu canonicorum ſecularium abbatias, quas ipſe in diplomate pro Pariſienſi S. Victoris eccleſia enumerat his verbis: *Henricus frater illuſtris Ludovici Dei gratia regis Francorum & ducis Aquitanorum & per Dei gratiam S. Martini Turonenſis archiclavis, abbas etiam quarumdam regalium eccleſiarum, videlicet S. Mariæ de Stampis, S. Mariæ de Corbolio, S. Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Pinſiaco, S. Mellonis Pontiſarenſis.* Quibus alii addunt abbatias S. Guenaldi, S. Spiri, S. Martini de Campellis, S. Dionyſii de Carcere. Præterea Pariſienſis eccleſiæ S. Mariæ. canonicum fuiſſe tradit Quercetanus, Belvacenſem etiam canonicum & theſaurarium Louvetus.

Spic. tom. 3.

Apud Chefn. in prop. hiſt. Drocenſis.

Fit monachus Clarevallis.

109. Fortuito autem caſu contigit, ut ad Claramvallem Henricus accederet, de re aliqua civili S. Bernardum conſulturus, cumque etiam videndi conventus avidus, fratrum orationibus commendaret ſeſe, tunc Bernardus, *confido*, ait, *in Domino, nequaquam te in eo moriturum in quo poſitus es, ſed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi-iſtorum proſit oratio quam expetiſti.* Nec mora, divino illuſtratus lumine, majores divitias æſtimavit theſauris mundi improperium Chriſti Domini, atque urgenti Dei voci obediens, ſpretis aulæ illecebris, omnibus ſæculi dignitatibus, & quod majus videbitur, regis ipſius, fratrumque ſuorum atque omnium regni procerum conſortio prætulit pauperum Chriſti contubernium, & ut ita dicam tugurium, factus monachus Clarevallenſis. Hæc contigere anno 1146. quo S. Bernardus crucem prædicaturus in Germaniam profectus eſt, Henrico novitio tyrocinii ſui annum decurrente.

Gaufrid. lib. 4. vit. S. Bern. n. 15.

Liber miraculorum S. Bernardi in Germania ipſi dicatur.

110. Ægre tulit vir ad perfectionem anhelans abſentiam tanti patris, cui ſuam morum converſionem atque ad eo ſalutem acceptam referebat. Gravem hanc moleſtiam ut aliqua ex parte ſublevarent Bernardi comites, librum primum miraculorum, quæ ſanctus abbas in Germania, ſed Spiræ præſertim patraverat, ipſi miſerunt, cum epiſtola alias a nobis edita, in qua regium principem jam Chriſti pauperem factum, ſic alloquuntur: *Tibi ſpecialiter deſtinandum credidimus deſcriptionis ejus breviculum, ut & tibi ſit conſolatio, & per te*

Anecd. tom. 1. p. 399.

ceteris

ceteris innoteſcat, quibus judicaveris expedire. Moleſta tibi, moleſta & eis eſt patris mora, ſed & ipſius animam pertranſit gladius, ſicut nos ſcimus. Quidni deſideret ipſe filios tales? quidni deſideretur talis pater à filiis? verumtamen, ubicumque ille ſit, apud vos eſt Spiritus ejus, cujus & corpus ipſum, ſi vobiſcum non eſt, eſt pro vobis. Pater enim filiis theſaurizat. Erant autem ii Gerardus & Gaufridus, qui libelli hujus meminerunt in epiſtola ad clericos Colonienſes. *Multi ex vobis curioſe legerunt exemplar libelli, quod ad illuſtrem Henricum regium ſpiritu magis quam ſanguine, miſimus de ſignis quæ vidimus a prima dominica adventus uſque ad diſceſſum noſtrum a curia, quæ nuper Spiræ habita eſt.* Vit. S. Bern. lib. 6. part. 2.

111. Interim ſuſpirabat Henricus ad feliciſſimum illum diem, quo ſolemnia Deo vota nuncupare debebat, atque irrevocabili pacto cœleſti numini conſecrari. Ardens deſiderium ſuum ad S. Bernardum ſcribens exprimit his verbis; *De cetero lætus & incolumis ſum & expecto videre faciem veſtram ſicut faciem Dei. Prope eſt enim dies deſponſationis meæ, quo feriam pactum meum Domino cum Deo, per manum veſtram & ſub cuſtodia veſtra, ut ſerviam ei die ac nocte & omnibus diebus vitæ meæ, amantiſſime pater.* Profeſſionem emittit. Annal. Ciſt. tom. 3. p. 135. n. 5.

112. Jam tertium Henricus in Claravalle peragebat annum, cœleſtibus paſtus deliciis, & humanarum rerum quaſi oblitus, cum ecce ex placidiſſima illa ſtatione quieti littoris procelloſum in mare dejicitur. Defuncto enim Odone epiſcopo Belvacenſi, communibus omnium votis a clero & populo poſtulatur in ſucceſſorem. Impatientiſſimo honorum homini moleſtius nihil potuit obnunciari. Perſeverat in propoſito, oblatas a ſe repellit infulas, ſpondetque certum ſibi eſſe in Clarevallenſi eremo deliteſcere, ibique uno teſte Deo vivere & mori. Aditur S. Bernardus e cujus ore nutuque pendebat. At ille hinc juveniles Henrici animos & converſionis propoſitum nondum ſatis firmatum, hinc reluctantem electum attendens, pronunciare nihil voluit: ſed Petrum venerabilem abbatem Cluniacenſem, magni tum nominis in Gallia virum conſulendum cenſuit. Is nihil cunctatus Henrici electionem a Deo, cujus voluntati fruſtra reſiſtitur, ordinatam pronunciavit, ſcripta ad S. Bernardum epiſtola, in qua inter alia ſic loquitur: *Quia quid inde ſentiam audire vultis, breviter dico: Si vitæ meritum quæritur, magnum eſt. Quomodo enim non magnum eſt, cum de tanto tantillum ſe fecerit; cum regii ſanguinis, ut ſic loquar, ſuperbiam tam robuſtæ humilitatis pede calcaverit, cum luxus & pleno cornu fluentes mundi delicias tormentis innumeris & mille mortibus commutaverit; cum undique arridentem mundum irriſerit; cum abnegans ſemetipſum, & tollens crucem ſuam Chriſtum morientem ſecutus fuerit? Si concors electio; cleri & populi Belvacenſis nec unus diſſentire videretur. Si metropolitani & coepiſcoporum aſſenſus, etiam univerſorum preces vobis, ut comperi, pro confirmando tam ſacro opere oblatæ ſunt. Si inſuper domini papæ voluntas, quantum hoc ei placuit, ipſius epiſtola domino Remenſi, ut audivi, directa teſtatur. Quid ergo reſtat, vir venerande, niſi ut voluntati Dei, quæ tot indiciis ſe declarare videtur, veſtram ſubjiciatis?* Oblatam ſedis Belvacenſis infulam reculat. Conſulitur Petrus Venerabilis. Petr. Venerabilis lib. 5. epiſt. 8.

112. Petri abbatis Cluniacenſis effato Bernardus divino quaſi oraculo aſſenſum præbuit, atque adeo coactus eſt Henricus pontificiæ dignitatis jugo collum ſubjicere. Sed brevi tanti ponderis gravitatem perſenſit, amiceque cum Petro abbate expoſtulavit his verbis: *Parcat vobis omnipotens Deus, quid eſt quod feciſtis? Sepultum hominem revocaſtis ad homines, & conſilio veſtro, cui nimium creditum eſt, expoſitus ſum & repoſitus in terribile curarum pelagus, ut me iterum honoris altitudo reſorbeat.* Cujus conſilio aſſenſum præbet.

113. Ordinatus ab Samſone Remenſi archiepiſcopo, omnes optimi præſulis partes explere ſibi propoſuit, prætermiſitque nihil ut & foveret bonos, malos vero a vitiis abductos in veritatis viam reduceret. In ipſo autem adminiſtrationis ſuæ exordio Belvacenſem eccleſiam valde attritam reperit, In epiſcopatu ut ſe geſſerit.

& a circumvicinis militibus graviter oppreſſam. Qui enim ante eum rexerant illam epiſcopi, nec de poſteris ſuis, nec de egenorum neceſſitatibus ſolliciti, indebita quædam ſubſidia, quæ beneficia denariorum appellebant, de domo epiſcopali annuatim recipienda militibus illicite ceſſerant, magno ſane eccleſiæ ſuæ detrimento.

114. Tantam pacato animo jacturam ferendam non eſſe e re ſua exiſtimavit, & ſapientum virorum maximeque ſedis apoſtolicæ uſus conſilio, promtiſſimum inflicto a prædeceſſoribus vulneri remedium adhibuit, extinctis illis ſolemnibus denariorum ſubſidiis. Dici autem vix poteſt, opus illud inſigne, nec ſatis umquam memorandum, nobilium omnium animos quantum exacerbaverit. Regem ſtatim adeunt, nullaque regii ſanguinis habita reverentia, graves apud ipſum de epiſcopo deponunt querelas. Et quoniam regnorum columnæ tutamenque ſolent eſſe nobiles, omnem rex eis pollitus eſt protectionem. At Henricus nec carni acquievit nec ſanguini, ſed Deo magis quam hominibus obediendum ratus, eccleſiæ ſuæ jura modis omnibus tutari ſibi propoſuit, fratrique regi animo conſtanti obſiſtere non reformidavit, excitantibus eum probis viris ac maxime canonicis civibuſque Belvacenſibus. Eo tandem res progreſſa eſt, ut veritus ne apertam in rebellionem tandem prorumperet, Sugerius graviſſimam ad Henricum ipſum clerum & populum Belvacenſem ſcripſerit epiſtolam, præpoſterum epiſcopi zelum ſevere increpans, atque a ſuo eum propoſito deterens hortatus ſit, ut *regiam clementiam blandiendo, & ſe voluntati illius exponendo, tam ſibi, quam eccleſiæ ſuæ, & civibus reconcilict.* Quibus Henricus propoſiti ſui tenaciſſimus in his quæ ſui erant officii, reſpondit, moleſtum ſibi eſſe eccleſiam Belvacenſem ſui cauſa fatigari, ſeſeque ab initio denunciaſſe clericis, *ne inutilem laborem aſſumerent, aut eccleſiam ipſam damnoſa dilatione gravarent.* Atque *utinam*, inquit, *vel nunc ipſa vexatio eis dederit conſilium vel intellectum, & omni fruſtratoria dilatione præciſa, eccleſiæ Chriſti providere feſtinent, perſonam aliam idoneam tanto miniſterio eligentes*, &c.

In ejus gratiam S. Bernardus ſcribit ad papam Eugenium. Epiſt. 178.

115. Interim ſanctus Bernardus quaſi futurorum præſcius, certuſque inique agi cum Henrico, Eugenii papæ III. animum adverſus nobilium re„ giſque ipſius querelas præmuniendum cenſuit. Scripſit igitur pontifici, fo„ vendum eſſe devotum juvenem favore paterno, & zelum bonum quem „ pro eccleſia ſua gerebat, non modo approbandum, ſed & juvandum. Sic „ futurum illum in dies devotiorem, ferventiorem & fortiorem, cum ve„ xationes & tribulationes, quæ numquam eccleſiæ illi deerant, a malis ho„ minibus, manu indefficientis auxilii ſibi ſentiret e regione levari.

Eugenius ad Galliæ antiſtites.

116. Noverat jam Eugenius nobilium Belvacenſium motus, & brevi omnia in diœceſi fore miſcenda, cum regem ipſum ad ſuas partes adjunxiſſent, niſi ſtatim comprimerentur. Sed accepta S. Bernardi epiſtola, continuo ſcripſit ad Hugonem Rotomagenſem, Samſonem Remenſem, Hugonem Senonenſem archiepiſcopos, Theobaldum Pariſienſem, Theodericum Ambianenſem, Balduinum Noviomenſem, Almaricum Silvanectenſem, Joſſenum Sueſſionenſem epiſcopos, qui magna tum auctoritate valebant in Gallia, „ ſignificavitque, ſed ea vehementia, quæ maxime decet pontifices Roma„ nos, facultates eccleſiæ miniſtrorum ſacrorum ſuſtentationi, pauperum ne„ ceſſitatibus ſublevandis, atque eccleſiarum ædificationi & reſtaurationi „ deſtinatos, ſumma conſervandas eſſe ſollicitudine. Vere lugendam & de„ plorandam ſanctæ Belvacenſis eccleſiæ conditionem, *quæ non modicam partem facultatum ſuarum, quam in prædictos uſus deberet expendere, quibuſdam militaribus perſonis contra leges forenſes, contra ſanctiones canonicas, contra conſtituta ſanctorum patrum compellitur impertiri.* Tum laudato Henrici epiſcopi zelo, qui

pontificii officii ſtudio incenſus, & eccleſiæ ſuæ libertati & pauperibus conſuluiſſet, dum prædicta beneficia ſeu ſubſidia denariorum militibus abraſerat, in milites ipſos invehitur, illatas Belvacenſi eccleſiæ injurias & damna exponit, præcipit tandem ut in contumaces graviotibus eccleſiæ cenſuris animadvertatur, niſi certo tempore moniti ſatisfecerint.

117. Exagitati cenſuris epiſcoporum nobiles, favore, uti diximus, regio freti, Henricum ad ſedem apoſtolicam provocarunt, variis eum criminationibus petentes. Citatus ab Eugenio Belvacenſis epiſcopus, Romano itineri accinxit ſeſe. Sed cum Claramvallem divertiſſet ad S. Bernardum, ſuaſit primum pius abbas, ut ne ulterius progrederetur, ſcripſitque ad Eugenium his verbis: *Filius veſter ille Belvacenſis, quem dicerem noſtrum, niſi inſolentiam redoleret, appellatus ad præſentiam veſtram veniebat, & libens ut pote de ſua juſtitia ſecurus & de veſtro paterno favore non dubius. Sed obſtiti ego & vix eum potui retinere, quippe, cupidum videndi faciem veſtram.* Et paulo poſt epiſcopum excuſans, *ipſe*, inquit, *& frater ſuus rex non ambulant in uno ſpiritu. Non a me quæratis cujus ſit culpa, non eſt meum inculpare quemquam; ſufficit mihi excuſare epiſcopum, quidquid humilitatis, quidquid obſequii pro ſua perſona vidimus exhibentem & nihil proficientem.* Vix epiſtolam tabellario commiſerat Bernardus, cum ecce novas ab Hugone cardinali Hoſtienſi litteras accipit, delatas ad Eugenium querelas continentes, Henricum perpetuis atque epiſcopali gravitate, indignis diſcurſibus diſtractum numquam fere in urbe aut diœceſi ſua conſiſtere, fratrem Robertum monachum, cujus conſilio in adminiſtrandis eccleſiæ ſuæ cenſibus utebatur, contentionum omnium incentorem eſſe & auctorem, ideoque retrudendum in monaſterii ſui clauſtra. Ad hæc reſpondit Hoſtienſi epiſcopo S. Bernardus in hæc verba: *De domno Belvacenſi quod primum poſuiſtis, primum ita reſpondeo: Sui juris eſt, jam non eſt in mea poteſtate, ſed in civitate vita ejus & converſatio. Si ſecus quam debet vel docet interdum agit, dolere poſſum, emendare, prout volo, non valeo. Verumtamen quod vobis ſuggeſtum eſt de vagatione ejus, nimium extitiſſe in ea, uſque adhuc nos non comperimus, nec inde notatum apud nos quandoque audivimus. Ex quo ad eum venit frater Robertus, qui cum eo eſt, turpe & grave aliquid perpetraſſe aut epiſcopo perſuaſiſſe, ad aures noſtras nondum omnino, & mirum ſi apud vos potuit pervenire, quod latere nos potuit.* Et poſt pauca: *In quadrageſima venit ad nos epiſcopus, paratus ire ad curiam, cauſa cujuſdam appellationis, & veniſſet niſi diſſuaſiſſemus. Propoſitum tamen ejus eſt proficiſci tempore opportuno.* Et revera ad pontificem quam primum acceſſit, de ſua cauſa ſecurus. Et ſane eluſit facile diſſipavitque adverſariorum omnes calumnias, quæ longe minus graves ipſi erant, quam pondus epiſcopale. Opportunam iraque nactus occaſionem ab officio & dignitate, cujus onus invitus ſubierat, & impatienter hactenus portaverat, ſe petiit abſolvi. Idque unum a pontifice efflagitabat, cujus præſertim cauſa Romam advenerat. Laudavit Eugenius zelum ejus, hortatus ut eccleſiæ ſuæ jura infracto animo tueri pergeret, id unum improbans in ſummo viro quod ad dignitates & gloriam natus, abdere ſe in monaſterio vellet, & revertenti fauſta omnia precatus benedictionem apoſtolicam impertivit. Regem præterea ſcriptis litteris admonuit, ut pro ſua in fratrem pietate, milites quoſcumque in Belvacenſem eccleſiam invadentes *juxta potentiam ſibi a Deo collatam* puniret, *bonaque & poſſeſſiones ipſius eccleſiæ, quæ abſentibus & inconſultis epiſcopis ejuſdem loci, ab eadem eccleſia illicite alienatæ* erant, *ad eamdem eccleſiam ſicut princeps catholicus & eccleſiæ Dei amator* ſtuderet *revocare.* Aliis etiam litteris Hugoni Autiſſiodorenſi epiſcopo atque Bernardo Clarevallenſi abbati mandavit, uti ad regem nulla interpoſita mora accederent, & invitato ſecum Henrico, fratri illum ſic reconciliarent, ut & *regia dignitas in ſui ſtatus integritate ſervetur, & epiſcopalis honor læsi non de-*

Apud papam accuſatur.

Epiſt. 305.

Accedit ad papam.

beat, atque fraterna caritas inter eos amore perpetuo reformetur. Tertias tandem litteras ſcripſit Hugoni Rothomagenſi Antiſtiti, quibus excommunicari mandabat pervicaces illos milites, niſi reſipiſcerent, terraſque eorum eccleſiaſtico interdicto ſupponi, ac tamdiu ſententiam illam obſervari, donec debitam pro commiſſo exceſſu ſatisfactionem exhiberent. Hæc omnia hactenus aut penitus ignota aut certe minus explorata ex editis hoc tomo epiſtolis elucidare alicujus opellæ pretium fuit.

Abſolvi ab epiſcopatu petit.

118. Vix dum exceſſerat ex Urbe Henricus, cum denuo ipſum inceſſit privatæ vitæ ingens cupido, & ſperans id tandem a pontifice importunis ſe precibus exoraturum, quod tam conſtanter renuerat, novis eum aggreditur epiſtolis, atque ab epiſcopatu exonerari ſe iterum poſtulavit. At firmus in propoſito Eugenius reſpondit, reditum ad eccleſiam ſibi a Deo commiſſam „ acceleraret ſuum, & ad lucrum animarum cleri & populi, cujus curam Domi„ no favente ſuſceperat, ſollicite prudenter, ac viriliter elaboraret. Tribuſque poſt diebus nova ab Henrico deprecatione fatigatus Eugenius, brevi ſic ei reſcripſit. *Sit ergo tuæ caritati ſine dubitatione certitudo, quia quam quæris ab epiſcopatu abſolutionem, ad præſens nequaquam concedimus. Vale in Chriſto, cariſſime frater, & ut inceptum reditum proſpere perficias, Dominum attentius exoramus.*

Novum Henrici iter ad papam.

119. Fractus hoc reſponſo Belvacenſis præſul, quievit aliquandiu, ſed propoſitum non mutavit ſuum. Defuncto enim Eugenio anno 1153. octavo idus Julii, ac ſublato pariter anno ſequenti Anaſtaſio, ſubrogatum ipſi Adrianum papam IV. adiit, ac modis omnibus, nunc obteſtatione nunc arte tentavit novi pontificis animum emollire, verum irrito prorſus conatu. Quod autem verbis coram haud potuit, mox reverſus ſcriptis aggreſſus eſt. Sed Adrianus Eugenii prædeceſſoris ſui veſtigiis inhærens, laudato Henrici in adminiſtrando epiſcopatu ſtudio, ſilentium ipſi impoſuit his verbis: *Si non eſſes a contemplationis requie ad labores actionis tranſlatus, ſtuderemus diligenter efficere, ut pro eccleſiæ utilitate hujuſmodi tranſlatio fieret, nec debemus efficere quod facta debeat inritari.... Suſceptum igitur miniſterium epiſcopale diſcretio tua diligenter exerceat.... Non enim volumus, nec poſſemus ullatenus ſuſtinere, quod epiſcopalem dimitteres dignitatem.* Hæc eo lubentius referimus, quo rarior eſt in principibus viris dignitatum & honorum contemtio, neque vero uſpiam apud ſcriptorem ullum reperientur.

Adriani epiſt. 18. hoc tom. pag. 650.

120. Jam reverſus ad ſuos, recuperatos eccleſiæ ſuæ cenſus non congerendis opibus, aut ſumtibus immodicis, aut vano luxui deſtinavit, ſed in ſervos Dei & religioſos quoſcumque beneficus, offuſus in pauperes, his modo larga manu, modo illis aut fovendis, aut recreandis, aut ampliandis ſuppeditabat, ea facilitate, ea benignitate, quæ rebus plurimum adjiceret. Id in primis videre eſt apud Petrum Cellenſem, qui liberalitatem ejus expertus, his eum extollit verbis: *Superacceſſit dono veſtro vultus hilaris, animus gratus, modus honeſtus. Et manus quidem larga in beneficum totam ſe expendit, ſed voluntas in circumſtantiis doni ſe ſupermenſuravit. Quid enim fuit convocare dioceſanos abbates & priores? Quid iterum indicii amoris expreſſit tam benigna perſonæ & negotii commendatio? Quis non eſt demiratus tam deſpectam perſonam a fratre regis ſic honorari? ab epiſcopo Belvacenſi ſic amplecti? a tanto homine tantillum monachum ſic nominari?... Certe accepi a multis multa, ſed a nullo tanta, quanta a Domino meo. Vicit notos, vicit alios amicos, vicit omnes vicinos & ſumma doni & modus donandi.* Non vacat ſingularia hic Henrici pie acta in epiſcopatu recenſere, quæ forte nimiam creſcerent in molem; ſed ea paucis Adriani papæ verbis perſtringere ſufficiat. In pontificia, *ſi quidem dignitate*, inquit, *tua nobilitas adeo provide, honeſte, ac circumſpecte, cooperante gratia divina, ſe hactenus habuit, quod ipſius prædeceſſoris noſtri videtur intentio adimpleta, & nos cognoſcentes tuam de præteri-*

Petrum Cellenſem beneficiis cumulat. lib. 1. epiſt. 24.

Epiſt. 18. Adrian.

tis

tis probitatem, de tuæ fraternitatis industria meliorem spem jugiter & fiduciam obtinemus.

121. Interim defuncto Anagniæ kalendis Septembris MCLIX Adriano papa, eoque in Romana S. Petri ecclesia sepultura donato, tribus post diebus Rollandus S. R. E. cardinalis ad supremæ dignitatis fastigium suffragiis omnium purpuratorum patrum evehitur, refragantibus dumtaxat tribus, quorum duo in tertium Octavianum vota contulerunt sua. Hic dominandi cupidus apostolicæ dignitatis insignia vi subrepta sibi impósuit, assumto Victoris IV. nomine. Promotionem utrique suam principibus ac regibus litteris & nunciis significavit. Fridericus I. imperator ad Victoris partes ultro convolans schisma in ecclesia suscitavit, aliis christiani orbis regibus in suspenso remanentibus, donec lux clarior affulgeret. Dici autem vix potest, quot Henricus obierit labores, ut ne grassante hac peste inclytum Galliæ regnum inficeretur. Præmuniit quidem illum ab ipso initio Petrus abbas Cellensis, gravissima epistola, admonuitque ut spreto Octaviano, adhæreret Alexandro, tueretur illum pro virili ac defenderet. *Sta*, inquit, *cum Josue, immo cum* JESU *evaginato gladio; dic transeunti*: Noster es, an adversariorum? *Habes Alexandrum immo Petrum, aut potius Christum, qui habet ministros Petrum & Alexandrum... Novi in te regiam animositatem, novi contra inflexam injustitiam inflexibilem cervicem. Novi ardorem zeli. Age ergo pro dignitate officii, pro sublimitate nativi sanguinis, pro religione ordinis; pro debito christianæ professionis quod debes & potes.* &c. At sponte currenti admovendi non erant stimuli. Erat jam dudum notus Henrico Alexander, cui, cum cancellariæ in ecclesia Romana munus exerceret, jam pridem carus erat. Virtutes ejus agnoverat, egregias animi dotes ac meritum non vulgare exploraverat. Non minimo ergo suspensus hæsit momento, quin partes ejus amplexaretur, auctorque in primis fuit regi fratri ut Gallicanos Belvaci antistites adunaret; Henrico vero Anglorum regi uti omnes Normanniæ episcopos & abbates apud Novum-mercatum congregaret, *& ibi*, inquit Robertus de Monte, *tractatum est de receptione papæ Alexandri & refutatione Victoris: & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.* Deinde nihil prætermisit, ut in fide Alexandri obfirmaretur Gallia: idque testatur ipse Alexander epistola VII. hujus registri ad eumdem scripta: *Dilecti si quidem filii nostri*, inquit, *Henricus & Oddo S. R. E. cardinales & apostolicæ sedis legati, nobis jam sæpe & sæpius retulerunt, licet hoc ipsum ex communi & publica fama, & ex ipso effectu operis manifestius agnoscamus, qualiter te pro domo Dei murum inexpugnabilem opposueris, qualiter schismaticos & hæreticos potentissime confutaveris, & animum carissimi filii nostri* LODOICI *illustris regis Francorum fratris tui, & aliorum tam sæcularium principum quam ecclesiasticorum virorum, multis persuasionibus in catholicæ ecclesiæ firmaveris unitate. Ex eorumdem etiam cardinalium relatione cognovimus, quanto tempore eos & familias ipsorum in domo propria retineris expensis tuis, quam laute, quam liberaliter procuraveris, & quanta eos studueris affectione tractare. Nostram vero receptionem, quæ in concilio in Francia celebrato solemniter facta est, magis ibi, quam nulli mortalium imputamus: cujus quidem studio, vigilantia & labore, & animi hæsitantium ad veritatis sunt semitam revocati, & devotione ecclesiæ persistentes, in ea firmitus roborati.* Hinc „epistola x. fundatam esse ait Belvacensis episcopi fidem inconcussam, „ut nec impetu fulguris coruscantis everti, nec imbrium effusionibus possit „emolliri. *Supra tale siquidem fundamentum quod Christus est*, inquit, *ædificii tui structura consurgit. Quod si turbo perflet, non quateris; si venti irruant, non moveris, quoniam ubi Christus est fundamentum quod firmiter ædificatum, nullo poterit impetu submoveri. Quia igitur nihil potest, vel potuit te a catholicæ ecclesiæ unitate præcidere, nihil a devotione personæ nostræ animum retardare; sed potius pro domo Dei murum*

Novum in ecclesia schisma post mortem Adriani.

Henricus adversus illud præmunitus. lib. 10. epist. 16.

Alexandrum in Gallia & Anglia pro vero pontifice haberi procurat.

In append. ad Sigeb.

inexpugnabilem præ aliis te opponens, ſchiſmaticis & hæreticis ſumma inſtantia contradicens, dilectos quoque filios noſtros cardinales, apoſtolicæ ſedis legatos, quibus in partibus illis negotium eccleſiæ commiſimus, benigne recipiens, & honeſte pertractans, in cauſa eccleſiæ utilis admodum ac neceſſarius extitiſti. Nimius eſſem ſi eximia quæque hic congererem Alexandri teſtimonia, quibus invictum erga ſe zelum Henrici noſtri, fidem, & devotionem commendat. Id unum adjiciam, quod ſane quolibet elogio longe præſtat, non ſemel illum eodem in Regiſtro vocari ECCLESIÆ COLUMNAM. Unde mirum non ſit, ſi tot ei litteras ſcripſerit Alexander, ſi tot negotia pro arbitrio terminanda commiſerit, ſi res denique ipſas eccleſiæ commendarit ſæpius apud regem pro auctoritate ſua promoveri. Sic nimirum epiſtola IV. *Tua ergo fraternitas*, inquit, *ſicut bene & laudabiliter inchoavit, in fide & obſequio B. Petri & noſtro firma & ſtabilis perſeveret, atque ad honorem ejuſdem Romanæ eccleſiæ & noſtrum modis quibus poteſt ſtudioſe aſpiret, & cariſſimum filium noſtrum* LUDOVICUM *illuſtrem Francorum regem fratrem tuum ad hoc inducere, & in eodem attente ſtudeat ſolidare.* Et iterum: *Quoniam proventum & exaltationem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ad honorem & promotionem eccleſiæ tibi commiſſæ, non eſt dubium pertinere, prædictum filium noſtrum regem inducas modis omnibus & horteris, ut in ea qua cœpit eccleſiæ devotione permaneat; & rebelles qui in regno ejus exiſtunt, ad obedientiam & fidelitatem eccleſiæ & noſtram regia auctoritate compellat.*

Fit archiepiſcopus Remenſis.

122. Nondum ab exorto ſchiſmate fluxerant anni duo, cum recolendæ memoriæ Samſon Remenſis archiepiſcopus dies explevit ſuos, eoque in eccleſia Igniacenſi, uti optaverat ſepulto, Henricus Belvacenſis antiſtes repertus eſt unus, qui orbatæ eccleſiæ deſiderium deliniret: moxque in locum tanti viri, conſpirantibus omnium votis, cleri & populi, ſuffectus eſt. Id ubi per ſolemnes nuncios accepit Alexander, probavit quamlibentiſſime Remenſium poſtulationem, gratulatuſque amico litteris hic a nobis editis, pallium ei per abbatem Grandis-ſilvæ miſit.

Eccleſiæ Catalaunenſis defenſionem ſuſcipit.

123. Nec mora Henricus cum ſuffraganeis ſuis Catalaunenſis eccleſiæ honori pro data occaſione incubuit. Agebatur de electione epiſcopi, cui contradicebat Henricus comes, atque ejus impulſu Ludovicus rex. Cum vero poſt multas contentiones convenire non poſſent, delata res eſt ad Alexandrum. Scripſit primum Alexander Remenſi archiepiſcopo paratum ſe eſſe votis ejus obſequi, niſi contrariam in rege adverteret voluntatem, ſed rem ad S. Lucæ feſtum terminandam diſtuliſſe, ut interim eum emollire & ad ſuam ſententiam ſuavibus verbis pertrahere poſſet. Data eſt epiſtola Dolenſi in monaſterio XI. kalendas Auguſti. Deinde poſt aliquot dies Brivate agens eumdem archiepiſcopum cum rege invitavit ad familiare colloquium eo de negotio habendum apud Clarum-montem, ubi concilium ab Alexandro celebratum fuiſſe obſervat ex Vaſſeburgo Marlotus. Quid in eo concilio pro Catalaunenſi eccleſia actum fuerit, an ad illud rex & archiepiſcopus acceſſerint, omnino nos latet; id unum ſcimus conveniſſe Henricum cum Ludovico. *Quod ſi cauſa electionis, quæ in Catalaunenſi eſt eccleſia celebrata in præſentia noſtra,* inquit Alexander, *legitime cognoſcatur, id eidem regi nec grave erit aliquatenus, nec moleſtum.*

Epiſt. 14.

Colloquium papæ cum rege.

124. Circa idem tempus colloquium aliud cum Francorum rege habuit Alexander ad S. Laurentium, aut ad S. Benedictum ſuper Ligerim, ad quod Henricum noſtrum, utpote cujus *præſentiam admodum opportunam* judicaret, invitavit, mandans inter alia, nulla ut interpoſita mora iter arriperet, & ad colloquii locum *feſtinanter* accederet.

Colloquium imperatoris cum rege apud Laonam.

125. Hæc cum ita ſe haberent, Fridericus imperator nullum non movit lapidem, ut alios principes ad Victoris ſui partes pertraheret. Contigit

autem, ut Alexandro legitimo pontifici ad Gallias properanti mitteret obviam Ludovicus oratores ſuos Theobaldum S. Germani a Pratis abbatem & Cadurcum clericum ſuum, *quorum legationem cum minus optato Alexander ſuſcepiſſet, iratus* rex *pœnituit ſe recepiſſe Alexandrum contemto Victore, & ſcripſit per Manaſſem epiſcopum Aurelianenſem ſuper hæc verba comiti Henrico, qui eo tempore in Germaniam ad imperatorem properabat.* Porro Henricus comes addictiſſimus erat Friderico, atque adeo Victori devotus. Is igitur & qui cum eo ſentiebant hoc accepto nuntio, auctores fuere imperatori, ut colloquium haberet cum rege & principibus utriuſque regni & imperii, advocatis etiam epiſcopis cum Alexandro & Victore, affirmantes illi indignatum Ludovicum regem, & facile huic adhæſurum, jamque ad partes ejus inclinare. Nec mora Fridericus colloquium indicit apud Pontem Laonæ, vulgo *Saint Jean de Loone*, convocat imperii prælatos omnes, ſcribitque litteras ad Lugdunenſem & Remenſem archiepiſcopos, quibus eos ad colloquium invitat. Extant litteræ illæ apud Cheſnium tom. 4. pagg. 576. & 580. Has ubi litteras accepit Henricus, protinus regi fratri ſignificat a parata ſibi decipula caveret. Interea vero certior de omnibus factus Alexander, legatos mittit Bernardum Portuenſem epiſcopum & Hyacinthum diaconum, qui regis lenirent animum, ac familiare cum eo colloquium procurarent. *Convenerunt ergo Alexander & Ludovicus Silviniacum,* ibique hortatus eſt rex pontificem, ſuam ut innocentiam purgaret in indicto colloquio. Sed dolos veritus imperatoris Alexander, colloquio adeſſe conſtanter recuſavit, ſcripſitque ad Henricum noſtrum in hæc verba: *Præſentibus litteris prudentiam tuam ſollicitamus, ut ad diſturbationem illius colloquii, quod cum Friderico dicto imperatore idem rex ſe propoſuit habiturum, omnibus modis intendas, & quod nulla ratione hujuſmodi propoſitum habeat complementum, quibuſcumque modis poteris efficias.* Res Alexandro pro voto ſucceſſit. Averſus enim ab imperatore Ludovicus, Henrici fratris, uti credere eſt, *& Clarevallenſium inſtinctu*, conſilia ejus diſſipavit omnia, & legitimo pontifici deinceps conſtantiſſime adhæſit. Hæc omnia fuſe enarrat Vizeliacenſis chronographus Spicil. tom. 3. lib. 4. p. 578.

Spicil. tom. 3. p. 578.

Diſſipat Henricus archiepiſcopus.

Chron. Alber.

116. Florebat tum in Anglia ſanctiſſimus eccleſiæ Cantuarienſis antiſtes Thomas, cujus in familiaritatem cum ſeſe penitus dediſſet Henricus noſter, ſcripſit aliquando ejus nomine ſummo pontifici, enixe petens eccleſiaſticam ſepulturam militi, qui in ludicro equitum certamine occubuerat, indulgeret. Certamina hæc Torneamenta vocabant, quibus pluribus de cauſis interdictum fuerat ſub graviſſimis eccleſiæ cenſuris, ut tollerentur e medio ac penitus exoleſcerent. Tum Alexander eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeverus exactor, oſtendit poſſe interdum aliquid amicis benemeritis denegari, planeque id quod petebatur, nulla habita ratione ſanctiſſimi antiſtis Cantuarienſis atque Henrici, recuſavit, cauſatus & reges ipſos & principes ſæpe eamdem a ſe repulſam tuliſſe.

Henricus familiaris S. Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo.

Epiſt. 23.

117. Nec remiſſior inde fuit archiepiſcopi Remenſis animus in pontificem, neque etiam id vel minimum ſuſpicatus eſt Alexander, & cum ſpectata ipſi eſſet præſtantiſſimi viri pietas & religio, favorem ejus more ſolito apud regem imp.orare non deſtitit, pro ſuis & eccleſiæ negotiis urgentibus. Et certe cum paulo poſt Turones acceſſiſſet pontifex, ac Bernardum Portuenſem epiſcopum pro cauſis graviſſimis ad Ludovicum regem miſiſſet, haud dubitavit rem eccleſiæ feliciter promovendam, ſi legationi huic accederet Henrici archiepiſcopi commendatio. Scripta itaque ad eum epiſtola, exoravit, ut pro more fratrem conveniret ſuum, ejuſque animum ad id annuendum quod propoſiturus erat legatus, inclinaret.

Eccleſiæ res illi apud regem papa commendat.

Epiſt. 33.

118. Auctoritatem ejus eodem fere tempore adhibuit papa, ut Matthei co-

Pulſos e monaſteriis

Suis abbates & canonicos regulares urbis Bolonat reſtituit.

mitis Flandrenſis filii inſolentia compeſceretur. Is poſtrò Dei timore Mariam Stephani regis Angliæ filiam, ad quam comitatus Bolonienſis hereditario jure ſpectabat, Deo in clauſtro dicatam, atque abbatiſſam jam benedictam matrimonio ſibi copulaverat. Abbates inſuper duos Bolonienſes S. Mariæ & S. Wlmari expulerat cum ſuis, atque eorum in locum ſæculares canonicos inſtituerat: ſed & eoſdem poſtmodum ab epiſcopo Morinenſi excommunicatos, & in contumacia obfirmatos retinebat. Scripſit igitur archiepiſcopo Remenſi Alexander, his vellet malis ſolita prudentia mederi, eliminaret procul a monaſteriis canonicos illos invaſores, diriſque devotos per totam provinciam vitandos denunciaret, reſtitueret tandem ſuis in locis regulares qui ejecti fuerant, conſilium ipſis & auxilium impertiretur ſuum. Quæ omnia rite exſecutus eſt, & perſeverarunt utroque in monaſterio canonici regulares, uſque ad excidium urbis Morinenſis. Tum vero tranſlato Boloniam epiſcopo, ceſſit canonicis eccleſiæ cathedralis monaſterium S. Mariæ, & ſuperiori ſæculo abbatia S. Wlmari ad preſbyteros Oratorii tranſiit.

Epiſt. 34. & 36.

Novum in eccleſia Attrebatenſi epiſcopum creari petit.

129. Paucis ante diebus admonuit Henricus Alexandrum papam de infirmitate Attrebatenſis epiſcopi, qui ſenio gravatus ad obeunda dignitatis ſuæ munia minus idoneus videbatur, petiitque canonicis alterius eligendi facultas tribueretur, idque eo ardentius proſequebatur Henricus, quod Manichæorum errores apud Attrebates, immo in toto Belgio diſſeminarent hæretici Publicani. At cum de voluntate epiſcopi non conſtaret, reſpondit Alexander, *cum de ipſius nobis abrenuntiatione conſtiterit, juxta tuæ diſcretionis conſilium procedemus.* Is erat Godeſcalcus, qui ex abbate Montis S. Eligii creatus epiſcopus, Attrebatenſem eccleſiam ſancte ac pie adminiſtraverat, eaque anno 1164. ob invalerudinem reſignata, ad Montem S. Martini, ordinis Præmonſtratenſis monaſterium ſeceſſit, ubi monachum profeſſus, obiiſſe dicitur anno 1170. Ejus in locum, agente potiſſimum Henrico noſtro, ſubrogatus eſt Andreas abbas Vallis Sarnaii ordinis Ciſtercienſis, qui tamen indignationem ejus ſtatim in ſe convertit. Unde vocatus Senonas ad Alexandrum, increpitus fuit cum ab Henrico S. R. E. cardinali, tum ab „ ipſo ſummo pontifice, & graviter admonitus, ut mandatis amantiſſimi pa- „ tris qui tantopere ipſum dilexerat, & *de nullo* promoverat ad majora, fideli- „ ter ac quieſceret. Quod cum ſpopondiſſet Andreas, ejus in gratiam ſcripſit Alexander Henrico Remenſi archiepiſcopo.

Hæreticos in Belgio extirpare contendit.

130. Jam videns Henricus non apud Attrebates ſolum, ſed & toto in Belgio, ut diximus, pullulare hæreſim Publicanorum, provinciam ſuam viſitavit, & quoſque aberrantes paterna caritate hortatus revocare ſtuduit ad ſanctæ eccleſiæ gremium. At illi ſurdis auribus exceperunt verba prædicantis. Cumque inſtaret archiepiſcopus ut errores deponerent ſuos, ſexcentas ei marcas argenti obtulerunt, *tantummodo ut parceret iniquis, & toleraret pravitatem eorum.* Verum cum Henrici cenſuram declinare non poſſent, ad papam provocaverunt. Agebat tum ille Turonis. Ea igitur in urbe adfuere ex hæreticis, qui pluribus litterarum teſtimoniis aſſerebant *ſe totius hæreticæ pravitatis immunes.* At præmonitus cum Henrici tum Ludovici regis litteris Alexander, ut peſtem hanc, quæ jam nimis graſſata erat, penitus extingueret, remittendos cenſuit cum ſuis litteris ad archiepiſcopum: quod quidem illis vehementer diſplicuit. Nam ex ipſis duo, non expectatis pontificis litteris, receſſerunt, aliis Alexandri ſententiam euixe petentibus: qui dum maturius cum ipſo archiepiſcopo aliiſque religioſis viris deliberaret, ipſis annuere recuſavit. Acta ſunt hæc ineunte anno 1163.

Scribit ad eum Alexandrum pro Aurelianenſi epiſcopo, & quas ſæpius viva

131. Sub finem præcedentis anni, & litteris & nuntiis interceſſerat Ludovicus rex apud Alexandrum pro Aurelianenſi epiſcopo, & quas ſæpius viva

voce

voce effuderat preces, illius in gratiam iteravit, jamque ad votis regis annuendum propendebat pontifex. Sed quia Henricum *exarsisse ferventer* in Aurelianensem antistitem, tamquam si in eum specialiter peccasset, agnoverat, nihil statuere voluit quin scriptis prius epistolis illius sententiam exposceret, ut quid sit *ad tanti principis tam sollicitas preces agendum, conscientiæ*, inquit, *tuæ judicio apertius videamus.* Addit Alexander: *Præterea nosse te volumus, quod si absque gravi difficultate fieri possit, præsentiam tuam transacto proximo natali festo habere desideramus.* Data est epistola illa Turonis XIII. kalendas Januarii.

Rander pro reconciliatione Aurelianensis epiſcopi. Epist. 37.

132. Parisios jam IV. idus Februarii pervenerat Alexander, ubi questus est apud eum Namurcensis comes uxorem suam ab se nullâ graviori causa discessisse, & posito omni pudore, aberrare de loco in locum, de reditu nihil cogitantem; & episcopum quidem Cameracensem vibrasse in eam excommunicationis sententiam jussu Remensis archiepiscopi: at cum nullibi staret errabunda, sententiam illam minus religiose posse observari. Tanto ut mederetur malo Alexander, Henrico scripsit, ut monitam diligentius mulierem induceret infra dies triginta ad virum suum reverti, aut si quam illa divortii causam haberet legitimam, decretorio decideret judicio, alioquin diris devotam ubique denuntiaret.

Committit ei comitis Namurcensis negotium.

133 Reversus Turonos Alexander concilium ibidem celebraturus generale, expertam sæpius Henrici liberalitatem litteris convenit, oravitque ut tam sibi quam fratribus suis honestas, ut aiunt, procurationes infra proximum S. Jacobi festum & ipse & suffraganei ejus destinarent. Datæ fuerunt illæ nonis Junii, incepto jam concilio, cui proinde non interfuit Henricus.

Subsidium ab eo petit.

134. Quid causæ fuerit, quidve impedimenti eum a concilio abesse coegerit, omnino nos latet; id unum scimus, ipsum non multo post morbo laborasse, de quo quidem morbo anxius multum fuit Alexander, anxii & cardinales ad unum omnes. Et consolatus statim ille infirmum litteris honorificentissimis; obtulit inter alia, *aliquas* se *majores personas de fratribus suis* missurum, si vellet, *ad* eum *visitandum*, vel venturum seipsum *in propria persona*. Notanda sunt in primis pontificis verba quibus ægrotantem alloquitur: *Novimus*, inquit, *& plena veritate tenemus, quomodo tu tamquam verus Israelita pro exaltatione ac defensione sacro-sanctæ ecclesiæ fortiter & constanter pugnasti, & te ipsum contra Damascum fortitudinis turrim opponens, causam ejusdem ecclesiæ fideliter agere atque tractare sicut propriam studuisti. Unde nos & fratres nostri hæc omnia memoriæ nostræ tenaciter infigentes, tibi super infirmitate, qua te superni conditoris dextera visitavit, tamquam fratri carissimo & strenuissimo ecclesiæ propugnatori intenta mentis affectione compatimur, & plurimum in Domino condolemus. Quapropter circa incolumitatem tuam anxii admodum & solliciti existentes, tuam nobis carissimam fraternitatem apostolicæ benedictionis alloquio & nostris litteris duximus visitandam.... Nos enim si tibi beneplacitum fuerit, & acceptum, aliquas majores personas de fratribus nostris ad te visitandum mittemus, & per nosipsos in propria persona, si profuturum tibi & utile crederemus, non dubitaremus subire laborem.*

Ægrotantem consolatur. Epist. 66.

135. Ast afflictæ compassus est ecclesiæ Deus optimus maximus, factumque est benigna ejus providentia, ut paucis mensibus convalesceret. Sed & vires addidit indignatio in G. comitem Roceii, qui tum Lugdunensis archiepiscopi nuncium pecunias deferentem multas impie spoliavit. Ubi enim latrocinium illud tali viro indignum ad aures ejus pervenit, convenit amice ipsum, tantaque auctoritate admonuit, ut hominem natura ferocem & violentum plene dejecerit, ut ne hiscere quidem auderet. Cum tamen durior ipsi esset is sermo, conventurum se hac de re Alexandrum qui tum Senonis morabatur promisit, & conventurum infra quindecim dies. Sperabat se tantilla hac mora & locorum intervallo elusurum Remensis præsulis zelum. Et

Valetudine recepta illatam Lugdunensi archiep. injuriam prosequitur. Epist. 71.

vero Henricus audito ſummi pontificis nomine, ſubticuit pro debita reverentia, neque ulterius proceſſit. Certior tamen de omnibus factus Alexander, cauſam ei remiſit, denunciari præcipiens comiti, ea nuncio reſtituere integra, quæ interpoſito juramento probaret ſe amiſiſſe, recuſantem anathematis gladio ferite, terris ejus interdicto ſuppoſitis.

Acta in regis conſilio reſcire cupit papa.

136. Varia tum in regis conſilio agitabantur de rebus eccleſiæ colloquia, quæ Alexandrum mirum in modum reddebant anxium. Anxietatem ut levaret utcumque, Henrico S. R. E. cardinali ſimulque Henrico noſtro ſcripſit, ut *donec illa colloquia ſeparentur* regi ſemper adhærerent ambo, omnibuſque intereſſent conſiliis, certus bene eventura omnia præſentibus illis. Addit pontifex: *Si autem alterum veſtrum non intereſſe contigerit, rogamus fraternitatem tuam, frater archiepiſcope, ut tu nulla ratione diſcedas, & quidquid ibi tractatum fuerit, quod ad factum eccleſiæ pertineat, nobis per eumdem cardinalem, quantum licet honeſtati tuæ, ſignificare minime differas.* Tribus poſt hebdomadis, nova *de ſtatu Italiæ tanto libentius* Henrico archiepiſcopo nunciavit, quanto ſollicitiorem eum noverat ad cognoſcendos eccleſiæ Romanæ proſperos eventus; ſperans brevi, humiliatis inimicis ſuis, gaviſuram eam optatæ tranquillitatis pace, quæ hactenus Henrici noſtri aliorumque fidelium ſubſidio reſpiraverat. Scribebat hæc pontifex Senonis, unde cum diſceſſiſſet, ageretque Mimatæ Milonem Tarvanenſem epiſcopum Remenſi archiepiſcopo commendavit, utpote qui *ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ*, inquit, *ac nobis ipſis fidelis ſemper & devotus extiterit... & primus inter occidentales epiſcopos ad præſentiam noſtram acceſſerit, & munus conſecrationis de manibus noſtris acceperit.*

Epiſt. 74.

Epiſt. 77.

Suum in Urbem adventum ei nunciat.

137. Interim verſus Italiam properabat Alexander: cumque Magalonem perveniſſet, æquori commiſit ſeſe, & vitatis ſingulari Dei providentia Friderici imperatoris inſidiis, proſpero tandem vento advectus eſt in urbem ſub finem Novembris. Triduo poſt, eximia in ſe merita amantiſſimi ſui Henrici gratiſſimis litteris teſtatus eſt, *immobilem* eum *eccleſiæ columnam* appellans, & cariſſimum fratrem, quem *arctiori in Domino caritate* diligeret: tum adventum ei ſuum, & quantis lætitiæ indiciis, quanta reverentia, quo honore a ſenatoribus, a civitatis nobilibus, a clero & populo civitatis exceptus ſit, nunciat. *Quia vero*, inquit, te proſperitatibus eccleſiæ *& noſtris gaudere plurimum & gratulari cognoſcimus, præſentium ſignificatione cognoſcas, quod nos diverſa maris pericula, & graves hoſtium & iniquorum incurſus divina providentia & apoſtolorum meritis evadentes, ad portum tandem ſalutis pervenimus, & a ſenatoribus populoque Romano invitati* IX. *kalendas Urbem intravimus, cum omni pace & tranquillitate ſuſcepti, & illam nobis & fratribus noſtris reverentiam, honorem, & devotionem prædicti ſenatores, nobiles civitatis, clerus & Romanus populus exhibuerunt, qua nulla major prædeceſſorum, ſicut omnia teſtantur, exhibita fuiſſe probatur.*

Epiſt. 94.

Subventionem pecuniarum ab eo petit.

138. Neque tamen inter hæc populi Romani officia Gallicam largitatem & munificentiam deprehendit. Sed recogitans ut neceſſitatibus omnibus ſuis occurriſſent Galli, & largiſſime ſuppeditaſſent, advertit e contrario ſe jam eo *in loco* eſſe, *cum illo populo ſe habitare, qui tempore omnimodæ pacis, nedum turbationis, ad Romanorum pontificum manus* conſueviſſet *reſpicere, & eis gravamen non modicum & onus inferre.* Ad hæc miratus eſt, collata ſibi paſſim ſubſidia *uſurarum ingluvie* penitus *devorari*, neque *eccleſiæ oneribus* ſufficere ullo modo poſſe. His preſſus anguſtiis ad Henricum, cujus munificentiam expertus non ſemel fuerat, recurrit. Obtulerat jam ipſi priuſquam moveret e Gallia libras centum & quinquaginta: earum loco centum marcas argenti amice petit ſibi continuo mittat, daturus nihilominus operam, ut *de eccleſiis ſui proprii epiſcopatus honeſtam ſubventionem* inveniret. Datum Lateranis XV. kalendas Februarii. Dubium non eſt quin promtiſſimum optimo patri ſubſidium miſerit Hen-

Epiſt. 96.

cus. Verum eo loco erant res ecclesiæ, ut & consistere diu in Urbe, & Romanos *in fidelitate sancti Petri & sua servare*, sine magnis sumtibus Alexander non posset. Hinc nova adhuc subsidia XVI. kalendas Aprilis ab archiepiscopo petiit ut hostibus ecclesiæ resistere valeret. Hortatus est tandem etiam kalendis Julii, ut pro incremento & exaltatione ecclesiæ, quæ ipsum semper inveneratur *coadjutorem diligentissimum*, constanter & animose, ut bene cœperat, laboraret, ejusque honorem incessanter studeret promovere. Epist. 109.

139. Tot adversitatum ventis agitatus Alexander, afflictis pro ecclesiasticæ præsertim libertatis defensione mire compatiebatur. Unde & venerabilem Thomam Cantuarienſem antistitem, bonis omnibus spoliatum, variisque affectum molestiis ab rege Angliæ, exulantem tum Galliis pro causa Dei, Henrico nostro commendavit. *Quia vero*, inquit, *nunc ope & consilio maxime opus habet, magnificentiam tuam per apostolica scripta rogamus, monemus & hortamur in Domino, quatenus pietatis intuitu, & pro reverentia B. Petri & nostra, & consideratione religionis & dignitatis suæ, ipsum & suos gratia, honore pariter & dilectione præveniens, sibique in adversitatibus suis consolationis & favoris tui solatium exhibeas.* His precibus & votis eo lubentius obsequutus est Henricus, quo impensiori amore illustrissimum illum exulem complectebatur, pro eximiis meritis, pro sanctitate, pro virtute & robore animi vere apostolico. Fovit ipsum amantissime tam per se quam per regem fratrem, & effusis abunde pecuniis, nulla in re defuit. Sed & exilii ejus fortunatos comites benigne suscepit Remis, retinuit secum pro cujusque arbitrio, & præsertim Radulfum majoris ecclesiæ decanum, & Johannem Sarisberiensem nationis Anglicanæ jubar. Nam ut observat Marlotus, *ea erat Henrici in viros doctos propensio & liberalitas, ut quos fovere poterat, apud se retineret, subsidio eis collato, ad decus & ornamentum suæ ecclesiæ.* S. Thomam Cantuariensem archiepiscopum illi commendat. Epist. 97.

140. Dum vero Remis versaretur Sarisberiensis, probare etiam præsulem suum voluit Deus, atque his angustiis & ærumnis, quibus tantum non est confectus. Nam cum innato sibi zelo immunitatibus nonnullis & privilegiis, quæ aliquo forte ecclesiæ suæ damno usurpata cognoverat, exuere voluisset & canonicos & cives; conspirantibus cum clero & populo totius provinciæ militibus, exorta in eum seditio est, quam nec sedare ipse, nec rex frater potuit, nisi adhibito consilio Henrici comitis Campaniæ, & comitis Flandriæ armis: quæ fusius videre est apud Sarisberiensem epist. 214. Seditio Remis exorta adversus archiepiscopum.

141. Circa idem tempus multum negotii Alexandro papæ facessebat Tolosanus comes. Is Friderici imperatoris precibus & promissis illectus, ecclesiasticos omnes, cum suæ ditionis, tum Ludovici Francorum regis, *adorare idolum* cum schismaticis detrectantes, propriis e sedibus movere, & mulctare exsilio decreverat; jamque exsulabat ejus impulsu Johannes Gratianopolitanæ ecclesiæ sanctissimus præsul. His omnibus malis Henricum unum oppositit Alexander papa; ac primum evertere satagens acerrimi ecclesiæ hostis nefaria consilia, scripsit ei, ut regem fratrem *pro ecclesiæ Dei reverentia*, cujus causam, inquit, *propriam suscepisti in omnibus defendendam*, studeret *commonere, & omnibus modis induceret, ut præfatum comitem per litteras & nuntium, priusquam tanti sacrilegii scelus* attentaret, *prævenire, & eum ab hujusmodi præsumtionis audacia penitus revocare* satageret. Et ad Gratianopolitanum antistitem quod attinet, adjecit: *Et ut venerabilem fratrem nostrum Gratianopolitanum episcopum quem expulit, ad propria quam citius revocet, ipsum attente commoneas & omnibus modis inducas.* Ejus adversus comitem Tolosanum implorat favorem. Epist. 112.

142. Verum non hoc unum fuit comitis Tolosani erratum. Nam spreta uxore sua Constantia, quæ quidem soror erat Ludovici regis, atque adeo Quem cum uxore reconciliare studet.

Henrici archiepiſcopi, *velut ſus in luti volutabro* alienis ſe mulieribus illicite commiſcebat; eoque res proceſſit, ut indignitatem viri moleſtius ferens nobilis mulier, ad filiam ſuam Mathildem S. Mariæ Sueſſionenſis abbatiſſam ſe receperit. Id ubi reſcivit Alexander, litteras ad comitem & ad comitiſſam dedit. Ad comitem quidem, ut a nefandis ſeſe voluptatibus contineret tandem, & ſeptis caſtiſſimis conjugalis thori cohiberet, tum *prædictam comitiſſam uxorem ſuam per magnos & honorabiles nuncios, miſſis ei* & fratri ejus Henrico Remenſi archiepiſcopo *litteris ſuis, ad ſe honorifice* revocaret, *data plenaria cautione, quod eamdem comitiſſam prout* decebat tantam & tam nobilem dominam *decenter deberet & honeſte tractare.* Comitiſſæ vero mandavit ad virum ut rediret ſuum: quæ pontificis annuere monitis penitus recuſavit, ni prius diſſolutam vivendi rationem comes emendaret. Præterea archiepiſcopo Narbonenſi, Nemauſenſi epiſcopo, & R. cardinali S. Mariæ in Via lata ſcripſit, ut eumdem comitem ad hoc tandem faciendum monere ſtuderent, & diligenter induerent, & quidquid a comite reſponſi obtinerent, ſibi & Remenſi archiepiſcopo ſignificarent. Denique ipſi etiam Henrico hæc expoſuit omnia, rogans iterum *quatenus ſi præfatus comes jam dictam comitiſſam honorifice ad ſe duxiſſet revocandam, eam ipſe fraterna exhortatione* induceret ad redeundum: *quia,* inquit, *conveniens non eſt vel honeſtum, ut uxor debeat ſine viro manere, dummodo ab eodem viro ita honorifice teneatur, quod juſtam cauſam ab ipſo non habeat recedendi.*

Epiſt. 485.

Ablatam Conſtantiæ comitiſſæ dotem reſtitui curat.

143. Collocata primum fuerat Conſtantia Euſtachio Henrici regis Anglorum filio, qui comitatu Bolonienſi eam dotaverat. Sed eo mortuo, Matheus Philippi comitis Flandrenſis frater Mariam Henrici regis filiam, monacham & jam abbatiſſam ordinatam, illicito, ut jam vidimus, matrimonio ſibi copulavit, Bolonienſemque uſurpavit comitatum. Sua ſe dote ſpoliatam impatienter ferens Conſtantia, querelas apud Alexandrum depoſuit, qui ut de illa deque Henrico archiepiſcopo ejus fratre bene meretur, Sueſſionenſi ſtatim, Ambianenſi atque Laudunenſi epiſcopis ſcripſit, ut Mattheum comitem & Mariam monacham apoſtolica monerent auctoritate, uſurpatum ſine mora comitatum reſtituerent, obedire recuſantes, licet jam aliam ob cauſam excommunicatos, ſingulatim pro hac re diris devotos denuntiarent, terris eorum interdicto ſuppoſitis.

Epiſt. 140.

144. Quæ hactenus de Henrici pietate, ſtrenuitate, ac prudentia in exſequendis delegatis ſibi a pontifice negotiis retulimus, virum omni ex parte perfectum exhibere videntur: at ne quid diſſimulemus, non defuere etiam ſuæ tanto in ſpeculo nebulæ, quas nec celabimus. Defuncto Geraldo Tornacenſi epiſcopo, Galterium ejuſdem eccleſiæ decanum clerus & populus elegit, electumque Remenſi archiepiſcopo confirmandum & conſecrandum pro more exhibuit. At Noviomenſes canonici, qui Tornacenſe epiſcopium ægre ferebant ab eccleſia ſua disjungi, ordinationi ejus oppoſuerunt ſeſe, Galterium provocantes ad ſedem apoſtolicam. Verum Henricus qui & electi meritum & provocantium injuſtitiam noverat, poſthabitis hiſce litigiis, Galterium nihilominus ordinavit. His auditis Alexander, miratus eſt vehementer id archiepiſcopo excidiſſe, dureque increpitum ſevere admonuit, ordinato a ſe epiſcopo munere interdiceret, dum judicio ille ſuo ſiſteret ſeſe & qui eum elegerant. Alexandri increpationem quonam exceperit animo Henricus exploratum non habemus; at cauſatus eſt non multo poſt pontificis in ſe gratiam & dilectionem refriguiſſe, quod preces ſuas in Attrebatenſis epiſcopi negotio noluiſſet admittere. Verum expoſtulationem hanc Alexander longe a ſe removens, his eum verbis delinivit: *Satis mirati ſumus, qua de cauſa turbatio in animo tuo pervenerit, & quibus argumentis gratiam & dile-*

De ordinato epiſcopo Tornacenſi arguitur Henricus.

Epiſt. 139.

& dilectionem noſtram circa te refriguiſſe conjicere potuiſti. Non enim ita immemores ſumus magnificæ devotionis & utiliſſimi obſequii, quod nobis & eccleſiæ in neceſſitatis articulo promto animo impendiſti, ut non te ſicut cariſſimum fratrem noſtrum & firmiſſimam eccleſiæ columnam ſinceriſſimo diligamus caritatis affectu, & tam nuncios quam litteras tuas libenti ſemper animo videamus, & cetera quæ fuſius proſequitur. Tum ſubdit: *Quapropter hæc in animum tuum non deſcendant; ſed omnem hujuſmodi ſollicitudinem & anxietatem deponas; &, ſi quando petitionibus tuis non ad votum annuimus, non voluntati noſtræ, ſed potius meritis negotiorum adſcribas.* Tum modeſte eum ſubmonet ſuffraganeos ut ſuos benigne pertractet, nec de S. Petri eccleſiis, hoc eſt exemtis ejus in provincia conſtitutis, tamquam de ſuis diſponat, ſed eas relinquat ſua gaudere libertate. Denique ejus in memoriam revocat quid ejus gratia præſtiterit pro Conſtantia comitiſſa Toloſana.

145. Quod vero dicimus monitum ab Alexandro archiepiſcopum, uti ſuffraganeos ſuos humanius haberet, non ſemel contigit. Nam illud idem monitum iteravit pontifex occaſione Belvacenſis epiſcopi, a cujus juriſdictione Flaviacenſe diœceſis ſuæ monaſterium auctoritate propria exemerat. Conqueſtus eſt hac de re Bartholomeus epiſcopus apud Alexandrum, qui factum archiepiſcopi improbavit, debitamque epiſcopo obedientiam mandavit ab abbate exhiberi. At conqueſtus eſt viciſſim Henricus de Belvacenſi antiſtite, quod majori faſtu ejus obſequi mandatis detrectabat, & roganti aliquid minus reverenter reſponderat duabus in ſynodis. Unde & ſatis ipſi facere tamquam patri & domino, ac ſupplex petere veniam juſſus eſt a ſummo pontifice, qui interim hortatus eſt Henricum, ut exorata venia, excipere benigne ſupplicem fratrem, *quia*, inquit, *decet te tum nobilitate generis qua præemines, tum etiam obtentu dignitatis qua polles, erga ſubditos, & maxime ſuffraganeos tuos ſpiritum benignitatis & manſuetudinis gerere, & benignum ac miſericordem exiſtere.* Cum vero & alia reprehenſione digna, fama referente, audiſſet de Henrico noſtro Alexander, ea ut emendaret per Silvanectenſem S. Vincentii abbatem præcepit, *quia*, inquit, *quantumcumque tanta dignitate & ſanguinis generoſitate præfulgeas, tibi contra officii noſtri debitum parcere de cetero non poterimus.*

Henrico ſcribit Alexander papa pro epiſcopo Belvacenſi.

Epiſt. 167. vid. epiſt. 140. & 357.

Epiſt. 334.

Epiſt. 169.

146. Ceterum tantilla hæc forte videbuntur, ſi meritorum ejus habebitur ratio, quæ certe nec ipſi Alexandro ignota erant. Probaverat enim ſæpe ſummus pontifex quanta in Henrico eſſet humanarum rerum contemtio, quæ alienatio a dignitatibus, quantus, quam vehemens ardor ad Dei gloriam: quin & fama ejus ad remotiſſimas quaſque gentes percrebuerat, celeberrimumque nomen ejus prædicabatur ubique; idque teſtantur litteræ Amalrici regis Jeroſolymorum & L. Nazareni archiepiſcopi. Hic deſtinatis ad Alexandrum papam & Gallicanos antiſtites legatis, qui afflictis eccleſiæ ſuæ rebus, cum multis anguſtiis, tum lamentabili terræ motu, ſubſidia exorarent, Guillelmum ex his preſbyterum & canonicum archiepiſcopo Remenſi commendans, *dia eſt*, inquit, *quod celſitudinis veſtræ opinionis fama, ſimilitudinem regiæ majeſtatis exprimens, crebro auribus noſtris reinfuſa, nos ad ſcribendum vobis ſæpius invitavit.* Et paucis interjectis: *Rogamus attentius deprecantes, quatinus gloriam familiaritatis & colloquii nobis impendatis.* Ille vero ad extrema quæque redactus poſt inſignem regis Ægyptiorum victoriam, his verbis Henricum noſtrum alloquitur: *Confidenter ab his exſpectantur beneficia, quorum manus liberalis nihil novit melius quam donare, nihil felicius quam miſereri. Inde eſt, quod veſtræ, de quæ plurimum confidimus & ſperamus, nobilitati, regni orientalis moleſtias, quibus nimis importune fatigatur, innumerabiles neceſſitates, & divinæ flagella iracundiæ, quibus ſecundum diem tentationis horis pene ſingulis conteritur & frangitur, familiarius & majore confidentia utile & neceſſarium duximus enodare.* Et

Quanta eſſet apud remotiſſimas gentes ejus fama, probant Nazareni archiepiſcopi & Amalrici regis litteræ.

Epiſt. 300.

Epiſt. 110.

poſtquam expoſuit paucis, ut expugnato principatu Antiocheno, Turcarum copiæ infinitæ in ſe irruerint, addit: *Hujus afflictionis noſtræ gemitus & militiæ chriſtianæ crebra ſuſpiria veſtræ oportuit pietati, tamquam quæ plurimum poteſt noſtris adverſitatibus ſubvenire., ſcriptis ſupplicibus aperire.* Tum illatam ſibi a rege Ægypti cladem deſcribit, quæ tanta ipſum arrogantia, tanto tumore extulerat, *ut non reſiſtendi confidentia, verum reſpirandi libertas* miſeris chriſtianis *denegaretur. Ea propter*, inquit, *ſanctiſſimum patrem noſtrum patriarcham Dominicæ reſurrectionis, cum eruditiſſimis & amabilibus viris Cæſarienſi archiepiſcopo & Aconenſi epiſcopo, cum aliis Templi & Hoſpitalis fratribus, cum lacrymis ſuſpirio multo dirigebamus, ſed majore impeditionis cumulo ſubſequente, prima & ſecunda die, quo a portu noſtro receſſerunt, tanta irruit tempeſtas, procellarumque & fulgurum ira de cœlo, quod dirupta navi, & perditis univerſis apparatibus, quos ſecum deferebant, ad ultimum remoti, portus vix attingentes littora, nudi evaſerunt.* Ex his judicare libet quanti Henricum noſtrum faceret Amalricus rex. Denum proſequitur: *Nos igitur hæc non ſine multo dolore percipientes, ne diuturniori expectatione regni orientalis in deterius langueret ſubventio, regni columnam & eccleſiæ ſpeculum F. archiepiſcopum Tyrenſem, & poſt dominum patriarcham in regno dignitate altiorem, genere & prudentia pollentem, & cum eo virum religionis & honeſtatis cultorem Peneadenum epiſcopum, ſtrenuum militem* A. de Landaſt, *& venerabiles fratres Hoſpitalis cum lacrymis & proſecutione litterarum noſtrarum ad veſtram dirigimus magnitudinem.*

Henricus diſſidentes Franciæ & Angliæ reges reconciliat.

147. Luctuoſum orientalis eccleſiæ ſtatum cum ex litteris Amalrici didiciſſet Alexander papa, non indoluit ſolum, ſed labefactatas etiam res qua ratione reſarcire poſſet, cogitavit. Angebant animum ejus diutinæ inter principes chriſtianos diſcordiæ, qui ſoli terræ ſanctæ ſuccurrere poterant. Auxilium præſertim a Ludovico Francorum & Henrico Angliæ regibus ſperare licebat: at illi irreconciliabili inter ſe bello diſſidebant. Eos ut conciliaret, Willelmum S. Petri ad Vincula, & Ottonem S. Nicolai in carcere Tulliano cardinales miſerat in Gallias. Prætermiſſum ab eis eſt nihil, ut principes ad unitatem & concordiam revocarent, verum incaſſo labore. Quid igitur Alexander in tantis anguſtiis conſtitutus? Scripſit iterum Henrico Remenſi archiepiſcopo & Hugoni Sueſſionenſi antiſtiti, regis Ludovici cancellario, ut ad flectendum regum animos omnem adhiberent operam. *Licet enim*, inquit, *in hoc ſemel & iterum repulſam paſſi fueritis, non tamen vos propterea aliquatenus deſiſtere volumus, ſed id frequentius iterare.* Res pro voto ſucceſſit. Evicit tandem præſulum auctoritas obfirmatas ad bellum amborum regum mentes, qui privatum non multo poſt habuere Pariſiis colloquium pro reconciliatione S. Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi.

Epiſt. 180.

Matth Paris ad an. 1169.

Impedit matrimonium inter regis filiam & Friderici imperatoris filium.

148. Verum non una anxietatis cauſa erat tum Alexandro infelix terræ orientalis ſtatus. Animum ejus non minus pungebat Fridericus imperator, qui ut Ludovicum Francorum regem illuſtrem devinciret ſibi, Agnetem ejus natam filio ſuo collocandam inſtanter petiit. Hanc ut affinitatem dirimeret Alexander, ad ſolitum recurrit perfugium, Henricum Remenſem archiepiſcopum, enixis eum exorans precibus, ut regi fratri diſſuaderet hujuſmodi matrimonium, alias ei proponens nuptias filiæ regis non minus dignas. *Si enim*, inquit, *regi placuerit, eam filio imperatoris Conſtantinopolitani poterit tradere in uxorem: quia nos opportune, Deo juvante laborabimus, quod res celeri compleatur effectu. Sane apud imperatorem regnum & conſanguinei puellæ ærarium indeficiens ſemper invenient.* Obtinuit apud regem Henricus quod optaverat Alexander. Nam Alexio Emanuelis Comneni imperatoris filio Agnes collocata eſt, & ſic omne Friderici ſchiſmatici conſilium prorſus evanuit.

Epiſt 333.

Ab eo ſcire cupit pa-

149. Non multo poſt tamen colloquium habuit idem Fridericus cum rege,

quod vix dici poteſt, quam ſollicitum tenuerit Alexandrum. Nam litteras continuo dedit epiſcopo Trecenſi & abbati Pontigniacenſi ad Remenſem præſulem deferendas, queis edoceri de omnibus petebat. *Licet*, inquit, *de cariſſimo in Chriſto filio Ludovico illuſtri Francorum rege fratre tuo in nullo umquam dubitare poſſimus, ſicut qui devotionem ejus circa nos & eccleſiam inter ceteros reges & principes orbis unicam & ſpecialem eſſe cognovimus, & ad commodum univerſalis eccleſiæ ſollicitam omnimodis & ferventem; tuæ tamen fraternitati plurimum expediſſet, ut de colloquio quod nuper cum Friderico dicto imperatore habuiſſe dignoſcitur, per te aliquid ſignificatum fuiſſet.* Tum ſubdit indubitata ſe fide tenere, nihililli regem occultare poſſe, quod alicui ſit committendum. pa quid in imperatoris & regis colloquio actum ſit. Epiſt. 392.

150. Quid eo in colloquio deliberatum fuerit certo definiri non poteſt: novam forte cum Ludovico affinitatem propoſuit Fridericus, deſponſata nimirum filia ſua Philippo ipſius filio. Nam quod ſuſpicionem illam maxime firmat, poſterioribus Henricum litteris Alexander enixius oravit, inchoatum negotium illud promto animo conſiliis & monitis faceret revocari. Quod ſi forte objiceretur Friderici auxilio regem adverſus regni hoſtes indigere, oſtendat quærendum regi de cœlo auxilium non ab homine, *quia divinum auxilium omnino fructuoſum eſt & efficax; ſed humanum multotiens ineffica invenitur, & ita ſuper his ſollicitus exiſtas, quod ſermo tuus in operis efficacia comprobetur, & eccleſia Dei in hoc ſicut in aliis de ſtudio & ſollicitudine tua levamen ſentiat & augmentum.* Quidquid ſit tandem de colloquio, Ludovicus ſummi pontificis conſiliis magis obſequendum ratus, oblatam filio ſuo uxorem non admiſit. Neque his graviſſimis negotiis privatas gregis ſui curas poſtponebat Henricus. Ea tempeſtate publicas Remenſis agri vias obſidebant Brabantiones ſeu Coterelli, prædones omnium improbiſſimi, qui nullius habentes reſpectum, non ætatis, non ſexus, non dignitatis aut conditionis, irruebant crudeliter in quoſque obvios, & ſpoliatos omnibus vel dura premebant ſervitute, vel miſerrimæ neci tradebant. Feras illas ut abigeret Henricus, ſuiſque ſedibus contineret, & ſi poſſet exterminaret, caſtra plura pluresque munitiones conſtruxit. At hæc ipſa caſtra magnam deinceps ipſum inter & comitem Trecenſem diſſidii materiam miniſtrarunt. Nam inde vocatus in ſuſpicionem archiepiſcopus moliendi aliquid adverſus comitem, atrociſſimo ab eo petitus eſt bello, eoque comitis furor & indignatio exarſit, ut adjunctis ſibi Coterellis, aliud nihil comminaretur quam excidium. Vaſtavit agros, commiſit omnia igni & ferro, editaque aliquando ſtrage magna hominum, & captis quam plurimis, ſex & triginta archiepiſcopi vaſſallos, qui ad ſacras ædes confugerant, cum ipſis ædibus concremavit vivos. Tantum nefas inhorruit pius antiſtes, ſpiritualiaque opponens arma, anathema pronunciavit in comitem, ſuffraganeis præcipiens ſuis, excommunicationis ſententia ſacrilegum percelli, & denuntiari excommunicatum. Verum ab hac ſententia provocavit comes ad Alexandrum papam, miſitque procuratores qui cauſam apud pontificem tuerentur ſuam. Miſit & ſuos Henricus archiepiſcopus qui accuſarent comitem, urgerentque latam in eum excommunicationis ſententiam confirmari. At magiſter Melior, qui pro comite ipſo perorabat, nullam illius contendebat haberi debere rationem, utpote latæ poſt factam ad papam appellationem: neque iſtud inficiabantur archiepiſcopi procuratores, ſed comitem appellationis limites transgreſſum fuiſſe conſtanter affirmabant; invaſiſſe poſtea in terras Remenſis eccleſiæ, archiepiſcopi homines aut neci traditos aut duræ captivitati, immo & juſſos comburi, nec redditos antiſtiti captivos niſi ſoluta redemtione. Ad hæc reponebant oratores comitis facta hæc abſque Domini ſui conſcientia fuiſſe, aut certe nulla veritate ſubniti. Parte utraque audita, Alexander cum certi nihil earum ex Nuptias filiæ Friderici & nati Ludovici regis impedit. Epiſt. 470. Diſſidium inter Henricum archiepiſcopum & comitem Trecenſem. Epiſt. 303. Epiſt. 315.

teſtimoniis elicere poſſet, Turonenſi archiepiſcopo atque Æduenſi antiſtiti mandavit, ut inquiſita diligenter veritate & clare perſpecta, aut Remenſis archiepiſcopi ſententiam remoto omni appellationis obice ratam haberent; aut certe, ſi res exigeret, irritam & inanem declararent. Hortatus eſt & Ludovicum, ut partes interponeret ſuas ad revocandos ipſos ad concordiam.

Prædones ex Remenſi pago exterminat Henricus.

151. Hæc dum pro tribunali ſummi pontificis agerentur, gravioribus adhuc premebantur Remenſes populi, Deo forte ſic permittente, in rebellionis ejus de qua ſuperius actum eſt, vindictam; atque Henrico archiepiſcopo, qui tum pro ſuis & eccleſiæ negotiis extra diœceſim morabatur, datæ ſunt breves ſed urgentes Petri abbatis S. Remigii litteræ, quibus nunciabat in ſummo omnes diſcrimine verſari: *Omnino*, inquit, *poſtulantes rogamus, ne moram faciatis redire ad nos. In abſentia enim veſtra cornua ſibi aſſumunt inimici veſtri & noſtri; adeo ut non ſit pax ingredienti vel egredienti. Indifferenter egrediuntur rapere, vaſtare & devorare omnia in quibus manus injicere poſſunt. Monacho, clerico, laico, pauperi, viduæ, nullique conditionis miſeriæ parcunt*, &c.

152. Nec mora dolore perculſus pius paſtor advolat, vitam poſiturus ſuam pro ovibus, ac tandem voluntati ejus annuens Deus optimus maximus, inſignem de hoſtibus victoriam reportavit. Eliminati continuo e patria Coterelli, Sempigniacum prædonum munitio tutiſſima æquata ſolo, donata libertate prædia & poſſeſſiones, expurgatæ viæ prædonum inſidiis, & ſoluti ſunt omnes metu & periculo. Hac etiam victoria jam emollitus Henricus comes & archiepiſcopo reconciliatus, his verbis gratulatus eſt ei: *Audivi quod Sempigniacum ſtraviſti, quod quidem mihi multum placet.* Addit comes: *Perlatum eſt etiam ad me, quod Guermundo de Caſtellione malum vultis facere: ipſe autem mecum eſt, nec ego exiſtimo vel credo quod ipſe vobis aliquid fore fecerit: Et ſi aliquid fore fecerit vobis, ego vobis emendare faciam in beneplacito veſtro. Unde precor in rebus ejus pacem teneatis.* Petrus vero abbas S. Remigii, vir hac ætate celeberrimus, non gratulatus modo, ſed & in tanti beneficii memoriam, quidquid monaſterium S. Remigii & S. Thimothei canonici in villa Septem-ſalices dicta, & in Marmoniaco poſſidebant, id totum archiepiſcopo de fratrum ſuorum conſilio liberaliter donavit. Donationis hujus inſtrumentum legimus olim & deſcripſimus ex autographo, in archivis illuſtriſſimi archiepiſcopi Remenſis, ſuo tempore in nova Gallia Chriſtiana inſerendum: Ex quo interim hæc maxime notanda duximus: *Hanc autem donationem eo reſpectu & eo emolumento libere & ſponte noſtra ei fecimus, quia cum quidam devaſtatores totius regionis illius, in vicinia illa morarentur, latrocinia exercentes, homicidia perpetrantes, itinerantes per viam publicam quæ ducit a Remenſi civitate ad Catalaunum indifferenter ſpoliantes, non deferentes ordini neque perſonæ, eos propulſavit in manu forti & brachio extento, munitionem de Sempegniaco penitus ad ſolum proſternens, per quam tanta maleficia exercebantur, & aliam novam munitionem ædificans in prætaxata villa de Septem-ſalicibus, ad perturbationem inimicorum eccleſiæ Dei, ad ſalvationem totius patriæ, denique ad eccleſiæ noſtræ & aliarum eccleſiarum tuitionem & pacem*, &c. Datum eſt illud inſtrumentum anno 1172.

Epiſt. 437.

153. Neque diu ſupervixit Henricus, cum referatur obitus ejus ad annum 1175. Plura autem hic eſſent de eximia ejus adminiſtratione ſubjicienda, niſi jam propoſitos præfationis hujus limites exceſſiſſemus; quamquam de tanto viro, qui vix notus eſt, pauciora afferri minime poterant.

§. VI.

§. VI.

OBSERVATIONES MONASTICÆ.

154. Quæ de rebus monasticis sequuntur observationes, ad tres pertinent insigniorum Galliæ monasteriorum abbates, Cluniaci, Clarevallis, & Præmonstrati, jussu Alexandri papæ III. exauctoratos. Ac de Cluniacensi, qui ceteris dignitate semper præstitit, primum agemus. Defuncto Petro Venerabili abbate ipso die natalis Domini anni MCLVII. ejus in locum Robertus quidam, semilaïcus, comitis Flandriæ cognatus, renitentibus plerisque, tumultuaria electione nominatur abbas. Sed eo paulo post rejecto & e vivis sublato, præfectus est legitime & canonice Hugo de *Fraisan*, vir *prudens moribus*, sed *simplex ingenio*, qui tunc prioris munus Cluniaci exercebat. Is vero Dominica secunda post Pascha anni MCLVIII. creatus abbas, monasterium tribus annis pacifice rexisse traditur, vivente præsertim Adriano papa IV. Sed excitato post ejus mortem luctuosissimo illo schismate Octaviani, de quo jam aliquid est delibatum, ad partes ejus Hugo non satis consulta deliberatione declinavit. Id vero præsertim enituit, cum legatos Alexander suos ad reges Franciæ & Angliæ misit, qui significarent, cum legitimam fuisse suam promotionem, tum vitandum Octavianum antipapam, virum ambitiosum, qui fraudulenter apostolica sibi præripuisset insignia. Accedentes enim Cluniacum legati illi, viri sane venerabiles, quales ad tantos principes mitti decebat, Guido scilicet Papiensis, Henricus Pisanus, & Otto S. Nicolai in carcere Tulliano cardinales, admissi non sunt, ut diserte scribit chronographus Vizeliacensis, Spicilegii tom. 3. *Primus autem & præcipue omnium Gallicanarum personarum suscepit eos dignæ memoriæ abbas Pontius Vizeliacensis, & catholicam orthodoxi Alexandri electionem universis utriusque ordinis principibus commendavit.* Non multo post, *Alexandro ab utroque regno suscepto*, inquit, laudatus auctor, *scripserunt legati Cluniacensibus pro susceptione Alexandri. Præerat eo tempore Cluniacensi ecclesiæ Hugo prudens moribus & simplex ingenio. Is convocato ex more talium negotiorum capitulo, de susceptione Alexandri fratres consuluit: at illi patris Hugonis exosam habentes prælationem, cum dentem invidiæ in personam innocentis nequirent infigere, versuto usi consilio, cum contestatione interdixerunt ei tam catholicum quam schismaticum suscipere, ne forte dum, ut assolet in talibus, victo faverent, victoris odium incurrerent. Ne vero dolosi potius quam salubris consilii periculum suspectum haberet, idem sapere & eadem subire cum eo unanimiter quidquid exinde contigisset adversi sponderunt.* Hæc chronographus Vizeliacensis, qui simulata abbatis Cluniacensis defectione, in fratrum invidiam refert, quod Alexandrum legitimum pontificem non statim agnovisset. At certum aliunde habemus, Hugonem Victori antipapæ pertinacius adhæsisse, abductum ut videtur, hortatu Imari præcipui ejus fautoris, qui monachus olim Cluniacensis, & Caritatis prior, ac demum abbas Monasterii-novi Pictavensis, Cluniacensem abbatem ad ejus partes allicere facile potuit, majori monachorum numero pro Alexandro fideliter stante. Tanta autem tunc erat abbatis Cluniacensis auctoritas, tanta apud omnes nominis dignitas, ut *Cluniacum accedere & in schismaticos ferre sententiam apostolici legati formidarent.* Auctores itaque fuere Alexandro, Henricum antistitem Belvacensem eo mittendi, qui *propter germanitatem Ludovici regis, tutius ad illas partes accedere, & delegatum sibi* a pontifice *gladium* solus exercere posse videbatur.

De Hugone abbate Cluniacensi.

Sigeb. supplem Chron Vizel. Spic. tom. 3.

Chron. Vizel. lib. 4.

155 Hæc ubi rescivit Alexander, acerbissime tulit celebertimum toto orbe

monaſterium, ad jus eccleſiæ Romanæ ſpeciali titulo pertinens, ac ſedi apoſto-
Epiſt. 8. licæ hactenus ita addictum, ut *ab ejus unitate nulla unquam occaſione* diſceſſiſſet, *nullis blanditiis & terroribus a fide catholicæ eccleſiæ* deviaſſet, *utilius æſtimans opprimi temporaliter & affligi, quam ab unitate & materno gremio ſequeſtrari*, tantum, inquam, monaſterium ſubſannationem, ſpectaculum & fabulam toto orbi chriſtiano factum, abbate ipſo & quibuſdam fratribus ſchiſmaticis ipſius integritatem maculantibus. *Ille ſiquidem*, inquit, *qui caput in eccleſia illa & ſuſtentatio videbatur, aliorum cauda factus eſt & ruina. Nec ſolum caput hoc debilitatum eſt, ſed potius, quod mœrentes dicimus, amputatum, cum tota Gallicana & univerſa pene totius orbis eccleſia in noſtra devotione & obedientia perſiſtente, & Octavianum ſchiſmaticum condemnante, ille abbas qui dicitur, a catholicæ unitate eccleſiæ præciſus, ei præſumit in animæ ſuæ periculum pertinaciter adhærere.* Et paulo poſt de quibuſdam monachis, qui abbatis exemplum ſecuti ad ſchiſmaticos deflexerant, addit: *Sicut enim ex relatione accepimus plurimorum, quidam ipſorum fratrum eidem Hugoni dicto abbati, & Ymaro apoſtatico & ſchiſmatico, Tuſculano quondam epiſcopo, in ordinis & animæ ſuæ perniciem adhærentes, traditi ſunt in reprobum ſenſum*, &c.

156. Igitur Alexander conſilio fratrum ſuorum S. R. E. cardinalium Hugonem excommunicatum publice denunciavit, præcepitque Henrico Belvacenſi tunc epiſcopo, poſtea Remenſi archipræſuli, ut Cluniacum accederet, ſchiſmaticum illum exauctoraturus, *niſi facti pœnitens, & relicta hæretica pravitate, rediret in gremium eccleſiæ*; contenderetque quoquo modo poſſet Ymarum ſchiſmaticum comprehendere, vel ſaltem ejiceret e monaſterio.

Chron. Vizel. 158. Paruit his mandatis Henricus, ſed vix dum advenerat Luzeium, quod oppidum eſt haud procul a Cluniaco, cum ecce occurrit ei Dalmatius ceterique regionis principes, deprecantes ut paratam in fontes anathematis ſententiam vibrare differret; ſicque hortatus eſt primum Cluniacenſes ad concordiam, ſignificans omnia jam Galliæ monaſteria Alexandrum unum agnoſcere, comminatus in rebelles excommunicationis fulmen, præſtituit ipſis diem, qua ſeſe ſiſterent apud Miledunum hoc de negotio reſponſuri. Adfuere autem dicta die cum multi Cluniacenſes, *qui videbantur eccleſiæ ſuæ capita*, hoc eſt, ut interpretor, præcipui cellarum priores, tum Theobaldus prior olim ipſius ſacri loci, tunc vero S. Martini a Campis, Hugonem in multis accuſantes, qui nec reſponſorem quidem ullum miſerat; remotaque omnis ſchiſmatis ſuſpicione ſe ſuaque monaſteria ſub Alexandri poteſtatem ſubjecere. Percuſſus eſt anathemate Hugo abbas Cluniacenſis, ſimulque & fautores ejus, & monachi facta ſibi poteſtate eligendi alterius abbatis, conjecere omnes oculos in Pontium abbatem Vizeliaci, qui, ut modo dicebamus, primus Alexandrum in Gallia ſuſceperat; ſed eo ſtatim e vivis ſublato, electus eſt tandem Stephanus Cluniacenſis monachus anno MCLXI. uti legere eſt in fragmento chronici veteris Cluniacenſis tom. 3. noſtrorum anecdotorum. Exauctoratus Hugo aliquandiu ſecutus eſt Fridericum imperatorem, ac tandem ſeſe recepit in cellam Vallium Biſuntinæ diœceſis, in ditione ejus imperatoris prope Poliniacum ſitam, ubi obiiſſe dicitur anno MCLXIV.

De Gaufrido Clarevallenſi. Longe magis ſtupenda atque inſolens forte videbitur Gaufridi abbatis Clarevallenſis abrogatio, utpote viri pietate & doctrina inſignis, de ordine deque eccleſia optime meriti, & cujus exturbandi loco vix ullæ ſatis legitimæ cauſæ proferri poſſunt. Fuerat is Petri Abaelardi in ſæculo olim diſcipulus, ſed factus anno MCXL. monachus Clarevallis, nec multo poſt S. Bernardi notarius, itinerumque ejus in Franciam & Germaniam comes, ac poſt

mortem vitæ ſcriptor, tanta virtutis & prudentiæ ſpecimina ediderat, ut defuncto Guerrico venerabili abbate Igniaci, creatus ſit primum hujus monaſterii abbas, deinde poſt Faſtredum, Claræ-vallis, Bernardum ipſum cujus vitam & virtutes ſcriptis celebraverat, actibus ſuis, uti ſperabatur, expreſſurus. Verum, quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo! Vix dum expleto adminiſtrationis ſuæ anno quarto, fratrum in ſe odium & indignationem ita concitavit, ut de eo amovendo ſcriptitarint ſummo pontifici; querentes inter alia *non eam gratiam & reverentiam in oculis regum & principum* promeruiſſe, *quam anteceſſores ſui promeruiſſe* noſcebantur; indeque ipſi monaſterio non modicum derogari, nec leve incommodum & jacturam totum ordinem ſuſtinere. Quæ utrum zelo religionis, an potius humano quodam reſpectu, ne quid deterius dicamus, ſanctiſſimo viro objicerentur, judicet æquus lector.

157. Hæc ubi ad judicium Alexandri III. delata ſunt, *de jactura & detrimento* monaſterii adeo inſignis, *tanto majorem animo concepit dolorem, quanto amplius totum ordinem*, atque adeo ipſos Clarevallenſes *ſpeciali prærogativa* diligeret, eorumque *defectum in damnum & detrimentum totius ordinis redundare* cognoſceret. Itaque ſcriptis ad Henricum Remenſem & Alanum Autiſſiodorenſem antiſtites litteris, præcepit ut continuo Claramvallem advolarent, promtiſſimum tanto malo remedium pro innata utrique prudentia collaturi. Scripſit etiam & ad abbatem Ciſtercienſem in hæc verba: *Quia vero ad te præcipue ſpectat correctio ordinis & obſervantia honeſtatis, diſcretioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus & mandando præcipimus, quatenus eumdem abbatem paterne & commonitorie cum omni diligentia & cura ſtudeas convenire, ut ſibiipſi conſulens, & monaſterio tam famoſo ſalubriter providens, abbatiam voluntate propria in tuis manibus abrenuntiet.* Addit & Gaufridum ad id facile inducendum, *quia*, inquit, *abbates ejuſdem ordinis, cum de abrenuntiatione conveniuntur, ne ambitioſa & cupida quodammodo voluntate præeſſe forſan videantur, conſueverunt facile ſuper his acquieſcere, & onus quod eis imminet, libenti animo reſignare*: ſin minus paterne monenti noluerit aſſentiri, eum conſilio prædictorum præſulum ab adminiſtratione ſine dilatione removeas.

158. His acceptis mandatis Henricus & Alanus, Claramvallem contulerunt ſeſe, at non reperto ibi Ciſtercienſi abbate, cujus præſertim opera promovendum erat negotium, eo infecto, reverſi ſunt. Quæ ubi reſcivit Alexander, ingemuit valde, diſſimulato tamen dolore, & dilato in aliud tempus negotio, Henricum tituli SS. Nerei & Achillei preſbyterum cardinalem, & Gaufridum olim epiſcopum Lingonenſem, monachos antea Ciſtercienſes, Henrico & Alano adjungi propoſuit, ut qui una cautius deliberare, & afflicto monaſterio providere poſſent.

158. Intermiſſum tribus poſt menſibus redintegratum eſt negotium, urgentibus Gaufridi adverſariis, quorum anteſignanus Frotmundus monachus Remos profectus, archiepiſcopum ſecum adducturus, ibidem, Deo, ut quidam conjiciunt, illatam inſonti patri injuriam vindicante, defunctus eſt *pridie idus Julii, & in monaſterio S. Remigii ſepultus*, teſte Johanne Saliſberienſi, qui de archiepiſcopo pauca hæc ſcribit: *Ipſe autem ad Claramvallem profectus eſt, accitus, ut aiunt, a majori parte conventus in ruinam abbatis.* Epiſt. 166.

159. Ut autem amice & abſque judicii ſtrepitu agerent delegati a ſummo pontifice antiſtites, epiſcopales Gaufrido infulas obtulere, quas vir modeſtiſſimus rejecit. Id ſaltem conjicere licet ex antiquis Clarevallenſium monimentis, quæ de Gaufrido pauca hæc habent: *Gaufridus notarius B. Bernardi, poſtea abbas Igniaci, abbatizavit in Claravalle annis quatuor, electuſque in epiſcopum noluit conſentire: unde verſus,*

Igniaci paſtor Gaufredus legis amator
Quatuor hic annis clarnit, atque fuit
Præſul electus, virtutum nomine clarus,
Noluit hoc fieri, dignus amore Dei.

160. Gaufrido igitur epiſcopatum abnuente, coacti ſunt antiſtites itineris ſui cauſam declarare, petieruntque tandem ut dimiſſa ſponte dignitate, Clarevallenſis cœnobii regimen alteri cederet. Nec repugnavit ille, ſatius æſtimans ſibi privatim conſulere, quam invitis & contradicentibus ſibi monachis imperare. Hinc breve chronicon Clarevallenſe apud Chiffletium ad annum 1165. *Eodem anno abbas Clarevallis Gaufredus videns contra ſe, ſive juſte ſive injuſte, quorumdam odia, abbatiam dimiſit.* Et magnum exordium Ciſterciénſe; *Godefrido poſt aliquantos annos cedente, venerabilis Pontius Grandis-ſilvæ abbas, merito religionis & prudentiæ ſuæ, communi abbatum & fratrum Clarevallenſium electione, ad hujus officii dignitatem ſublimatus eſt.* Nulla ergo inuſta ſibi infamiæ nota abbatiam dimiſit Gaufridus, nec minoris deinceps apud primos ordinis ſui patres habitus eſt. Cum enim invitatus fuiſſet paulo poſt abbas Ciſtercii cum epiſcopo Papienſe & priore Carthuſiæ ad tractandum cum Friderico imperatore de pace eccleſiæ, & gravi infirmitate detentus, adeſſe non potuiſſet, * *vice ſua miſit domnum Gaufridum Autiſſiodorenſem, qui Clarevallenſis fuerat abbas*, uti ſcribit Johannes Saliſberienſis. Sed nec omni omnino dignitate privatus deinceps egit. Nam cum Gerardus Foſſæ-novæ abbas Pontio Clarevallenſi ad Claromontenſem ſedem aſſumto anno MCLXX. ſubrogatus fuiſſet, Henricus Altæ-cumbæ abbas, & Foſſæ novæ pater immediatus deſtitutæ paſtore filiæ præfecit eum. Eodem vero Henrico anno MCLXXVI. ad Claremvallem migrante, Gaufridum ad Altam-cumbam tranſtulit. Hinc emendandus ſcriptoris cujuſdam anonymi dialogus de proſpero & adverſo ſtatu ordinis Ciſtercienſis, eo in loco ubi contendit Gaufridum ab Alexandro abbate Ciſtercii Claramvallem viſitante exturbatum, ad capitulum generale provocaſſe, & a capitulo Ciſtercienſis abbatis ſententiam confirmante ad papam appellaſſe, a quo abſolutus victor evaſerat: ſed demum a ſummo pontifice cauſam ejus retractante damnatum fuiſſe. Nam præterquam quod his repugnant laudatæ Alexandri papæ epiſtolæ, necdum abbas Ciſtercii erat Alexander, cum cedenti Gaufrido ſuffectus eſt Pontius abbas Grandis-ſilvæ.

* Epiſt. 234.

De Johanne electo Prænonſtratenſi.

161 Venio ad tertiam exauctorationem, videlicet abbatis Præmonſtratenſis. Cum bonæ memoriæ Philippus abbas ſupremum expleviſſet diem, congregati abſque cunctatione fratres ad futuri paſtoris electionem, vota contulerunt ſua in Johannem Belli-loci in diœceſi Trecenſi abbatem, virum generis ſplendore conſpicuum, erat enim comitis Briennenſis frater. At in ejus promotione diſplicuere plurima Alexandro ſummo pontifici. Primo quod in re tanti momenti, *quæ deliberatione majori, maturioreque conſilio in eccleſia Dei fieri ſemper oportet, in impetu ſpiritus & calore animi* proceſſiſſent. *Et neglecto*, inquit, *ordinis veſtri inſtituto, non expectato abbatum conſilio & aſſenſu, qui pro facienda electione ad vos ex more convenerant, & cum aliquantis veſtrum ex voluntate communi tractabant; abbatem Belli-loci voluiſtis aſſumere in paſtorem, hominem de quo pridem audivimus, & ſuper quo non eſt neceſſe, ut ad inſtruendos nos ullatenus laboretis.* Secundo cum ſchiſmati adhæſiſſet aliquando Johannes, non credebat Alexander hominem tam fœda maculatum labe univerſo ordini præficiendum, cujus ut caput ita & ornamentum eſſe debebat. *Cum autem dictus*

dictus abbas, addit pontifex, *ſchiſma dudum foverit & extulerit, licet ad obedientiam noſtram & eccleſiæ redierit unitatem; licet gratiam noſtram & reddiderimus ei, & paterne velimus, ſi non eidem ſe ſubſtraxerit, conſervare: multum tamen & nobis & toto veſtro ordini poſſet derogari, ſi ſuper illam eccleſiam, quæ caput eſt ordinis, magiſterium ipſum hoc tempore pateremur habere.* Tertio cum Præmonſtratenſe monaſterium multo eſſet ære alieno gravatum, & exortis ordo diſſenſionibus laceraretur, paci conciliandæ ac diſſolvendis nominibus parem eſſe non cenſebat abbatem prædictum. His præſertim cauſis adductus Alexander, de fratrum ſuorum S. R. E. cardinalium conſilio juſſit, ut *ille ad locum ſuum, dilatione poſtpoſita revertatur*, & abſolutos a promiſſa illi obedientia fratres ad alterius abbatis creationem juxta ordinis inſtituta permiſit procedere. Hanc Alexandri papæ ſententiam, prævalente Johannis electione, locum non habuiſſe ſcripſimus in nota ad illam epiſtolam, Sammarthanos ſecuti, qui Johannem annumerant inter abbates Præmonſtratenſes. At contrarium docet Johannes Pagius, qui cuncta ordinis ſui inſtrumenta diligenter inſpexerat. Sic enim ille in ſua Bibliotheca Præmonſtratenſi: *Johannes I. natione Gallus, comitis Briennenſis frater germanus & Belli-loci abbas, Præmonſtratenſis eccleſiæ munus abbatiale ſuſcipiens poſt Philippum, canonicos ad obedientiam recepit. Sed impetratis per quoſdam a ſede apoſtolica contra eum litteris, poſt paucos menſes, ſententiam depoſitionis excipiens, in Belli-loci eccleſiam reſedit.*

163. Tribus hiſce obſervationibus quartam addere libet de inſigni abbatia S. S. Dionyſii in Francia, quam cum Sixtus papa IV. Guillelmo de Eſtouteville cardinali, archiepiſcopo Rotomagenſi ac regis ipſius conſanguineo in commendam dediſſet, interceſſit rex Ludovicus XI. haud paſſus tam illuſtre monaſterium *cuiquam niſi religioſo illius ordinis in titulum aut commendam* dari, neque iteratis ac propria manu ſcriptis litteris ſummi pontificis a ſententia dimoveri potuit. Contigit autem, ut eodem fere tempore aliquas a papa rex peteret abbatias in commendam, cui Sixtus hæc maxime notanda reſcripſit: *Poſtremo tibi paterno ſuademus amore, ut pro commendis monaſteriorum fiendis inſtare non velis*, ABSQUE ENIM NOSTRÆ ET TUÆ CONSCIENTIÆ ONERE FIERI NON POSSUNT. *Labuntur enim in pejus monaſteria, quod ex aſſiduis religioſorum querelis, quotidie inaudimus, & nos non videmur eas faciendo, in aliis tantum excuſari poſſe, quantum in S. R. E. cardinalibus, qui nobiſcum aſſidue ſervitutis apoſtolicæ onera partiuntur, aut patriarchis, qui primum locum poſt cardinales in eccleſia Dei obtinent, nec aliis perſonis quam prædictis ſolebant noſtri prædeceſſores hujuſmodi commendas concedere.*

De abbatia S. Dionyſii in commendam data.

Sixt. Epiſt. 56.

Epiſt. 384.

ERRATA IN PRÆFATIONE.

Pag. 14. lin. 16. vacillaeret *leg.* vacillaret, *ibid. lin. 30.* mori *l.* mors, *p. 25. l. 8.* Gallis *l.* Galliis, *ibid. l. 23.* examinando *l.* examinanda, *p. 26. l. 2.* VValdinas *l.* VVibaldinas, *p. 34. l. 39.* egentis *l.* gentis, *p. 38. l. 13.* pollitus *l.* pollicitus, *ibid. l. 21.* dererens *l.* deterrens, *p. 40. l. 26.* offulus *l.* effulus, *p. 47. l. 11.* tum Galliis *leg.* tum in Galliis, *p. 48. l. 28.* mererdr *l.* mereretur, *ibid. l. 31.* dilectionem refriguiſſe *l. dilectionem refriguiſſe*, *p. 53. l. 31.* exercare *l.* exerere, *p. 56. l. 24.* præfecit eum. *l.* præfecit eum; *ibid. l. 25.* Claremvallem *l.* Claramvallem.

INDEX CHRONOLOGICUS

CONTENTORUM IN HOC VOLUMINE.

Vetera monumenta imperialis monaſterii Stabulenſis in Arduenna.

	Obſervationes prævia,	1
Anno 648.	*Diploma Sigeberti regis de fundatione Caſegonguidinenſis monaſterii*,	6
651.	*Diploma Sigeberti regis conceſſum S. Remaclo epiſcopo, & abbati*,	7
	Diploma Hilderici regis,	9
666.	*Præceptum Hilderici regis S. Remaclo datum in foreſta de locis nominatis*,	10
673.	*Exemplar præcepti Theoderici regis abbati Godoino conceſſi*,	12
677.	*Diploma Dagoberti regis Auſtraſiorum Godoino abbati conceſſum*,	13
693.	*Exemplar præcepti Clodovei regis datum Pabulino abbati*,	14
720.	*Placitum coram Carolo Martello majore domus habitum apud Glamanvillam, in quo reſtituuntur Stabulenſi & Malmundarienſi cœnobio villæ Toſinum & Silveſtris-villa*,	15
	Chilperici regis præceptum,	17
746.	*Præceptum Carolomanni majoris domus*,	19. 20
	Diploma Albrici clerici & abbatis,	21
814.	*Diploma Ludovici Pii imperatoris*,	23
817.	*Præceptum Ludovici Pii & Lotharii imperatorum Audoino abbati conceſſum*,	24
842.	*Diploma Lotharii II. regis Germaniæ*,	26
874.	*Diploma Ludovici regis Franciæ Orientalis*,	27
	Diploma Ludovici regis Franciæ Orietnalis Hildeboldo abbati conceſſum,	28
877.	*Præceptum Ludovici II. regis Franciæ Orientalis*,	30
882.	*Diploma Caroli Craſſi imperatoris Antonio epiſcopo & abbati conceſſum*,	31
888.	*Diploma Caroli Craſſi imperatoris*,	32
890.	*Diploma Arnulfi regis Linfrido comiti conceſſum*,	33
895.	*Diploma Zuendeboldi regis ad petitionem Linfridi comitis conceſſum*,	34
896.	*Diploma Zuendeboldi regis*,	35
902.	*Præceptum Ludovici regis Auſtraſiorum*,	36
905.	*Reſtitutio quarumdam villarum facta Stabulenſi monaſterio ab Herefrido*,	37
907.	*Præſtaria facta cum habitatoribus Burcitæ, petente Harduino & Otberto comite & Hiltrude ejus uxore*,	38
911.	*Diploma Reginarii comitis miſſi dominici & abbatis Stabulenſis*,	38
912.	*Præceptum Caroli Simplicis*,	39
924.	*Præſtaria facta Giſlæ & filiis ejus*,	40
935.	*Diploma Henrici regis Romanorum*,	41
	Præceptum Ottonis imperatoris Odiloni abbati conceſſum,	42
	Diploma Ottonis I. imperatoris,	43
	Carta Gerardi abbatis S. Martini Metenſis,	45
	Diploma Brunonis archiepiſcopi Colonienſis,	46
	Diploma Everacli epiſcopi Leodienſis,	47
	Diploma Ottonis I. imperatoris,	48
	Diploma Ottonis II. imperatoris,	49
	Diploma Ottonis II. imperatoris,	50
	Præceptum Ottonis III. imperatoris,	51
	Diploma Gregorii papæ V. Wucrinfrido abbati conceſſum	52
	Bulla Silveſtri papæ II.	54
	Electio Bertrandi abbatis ab Heinrico rege confirmata,	54
	Privilegium Heriberti Colonienſis archiepiſcopi Bertranno abbati conceſſum,	55
	Notitia commutationis factæ inter Nantherum abbatem S. Martini Metenſis & Popponem abbatem Stabulenſem,	56
	Notitia permutationis factæ inter S. Maximini Trevirenſis & Malmundarii abbatias,	58
	Diploma Henrici III. regis Romanorum Popponi abbati conceſſum,	59
	Brevis Narratio de dedicatione eccleſiæ Stabulenſis & inventione corporis S. Remacli,	60
	Diploma Henrici III. imperatoris,	64
	Diſcretio concamii de Aſtelburna & Cornaroimo,	65
	Titulus altaris S. Mariæ in Crypta,	66
	Titulus altaris S. Mauritii in Crypta,	67
	Titulus altaris S. Martini,	67
	Titulus altaris S. Andreæ,	67
	Diploma Leonis papæ IX. Theoderico abbati conceſſum,	67
	Bulla Leonis papæ IX. Geldulfo theſaurario conceſſa,	69
	Diploma Henrici IV. regis Romanorum,	70
	Carta Frederici ducis & advocati Stabulenſis,	72
	Notitia de eodem,	73
	Notitia de Invadiatione curtis de Sprimont,	74
	Carta Macharii de Cimai *& Bozonis de* Braz,	74
	Diploma Henrici III. imperatoris Rodulfo abbati conceſſum,	75
	Carta Rodulfi abbatis,	77
	Carta Rigoldi de Sunza,	78
	Carta Folmari abbatis,	81
	Diploma Henrici IV. imperatoris Popponi II. abbati conceſſum,	82

910.	
961.	
974.	
980.	
986.	
996.	
Circa 1000.	
Circa 1005.	
1007.	
Circa 1035.	
1040.	
Circa 1041.	
1046.	
1049.	
1065.	
1067.	
1081.	
1088.	
1089.	
1090.	
1104.	
1110.	

1118. *Carta Bosonis viri nobilis*, 83
1124. *Carta Cunonis abbatis*, 84
1126. *Carta Cunonis abbatis*, 86
1128. *Diploma Frederici archiepiscopi Colonienſis*, 87
1130. *De poſſeſſionibus Stabulenſis monaſterii ſub Poppone II.* 89
1131. *Diploma Lotharii II. imperatoris Vvibaldo abbati conceſſum*, 50
1132. *Carta Vvibaldi abbatis*, 92
1133. *Conſtitutio Vvibaldi abbatis*, 93
1136. *Carta Stabulenſium monachorum*, 94
1136. *Carta Vvibaldi abbatis pro Azone abbate S. Egidii de Monte-publico*, 95
Diploma Lotharii II. imperatoris Vvibaldo abbati conceſſum, 96
1137. *Diploma Lotharii II. imperatoris aureis caracteribus exaratum*, 98
1138. *Carta Vviboldi abbatis*, 102
Diploma Conradi II imperatoris, 103
Carta Vviboldi abbatis de reſtauratione & tranſlatione villæ Longiæ, 106
1139. *Diploma Alberonis epiſcopi Leodienſis*, 108
1140. *Diploma Conradi II. imperatoris Vvibaldo abbati conceſſum*, 110
Diploma Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis Vvibaldo abbati conceſſum, 113. 114
Carta Vvibaldi abbatis, 116
1143. *Epiſtola Celeſtini papæ II. ad epiſcopum, clerum & populum Leodienſem*, 117
Privilegium Celeſtini papæ II. Vvibaldo abbati conceſſum, 118
1144. *Privilegium Lucii papæ II.* 121
1146. *Privilegium Eugenii papæ III. Vvibaldo abbati conceſſum*, 121
Litteræ monachorum Stabulenſium ad Vvibaldum abbatem, 122
Litteræ Vvibaldi abbatis de decimatione eccleſiæ de Coblenz, *&c.* 123
1148. *De Vvinando de Limburgo excommunicato ob illatas Stabulenſi monaſterio injurias*, 125
Litteræ Vvibaldi abbatis de his quæ in beneficium conceſſit Reinero de Rupe apud Novam-villam, 126
1 54. *Privilegium Adriani papæ conceſſum Vvibaldo abbati*, 129
1181. *Conſtitutio Erlebaldi abbatis*, 130
1227. *Judicium Theoderici Trevirenſis archiepiſcopi & Hugonis Leodienſis epiſcopi adverſus Ermenſendam comitiſſam Lucemburgenſem, &c.* 132
1261. *Litteræ Henrici de Luxemburgo*, 133
1357. *Diploma Caroli IV. imperatoris*, 135
1376. *Litteræ Caroli IV. imperatoris Vvinceſlao duci Lucenburgenſi*, 135
Diploma Caroli IV. imperatoris pro Vvarnerio de Ockicres *abbate*, 136
1384. *Litteræ Vvinceſlai Romanorum regis*, 137
1409. *Diploma Jodoci marchionis Brandeburgenſis*, 138
1421. *Inſtrumentum publicum de facultate adminiſtrandi eccleſias parochiales data auctoritate apoſtolica monachis Stabulenſibus ære alieno gravatis*, 139
Sauvegarde de Philippe duc de Bourgogne, pour l'abbé & doyen de Stavelo & de Malmidi, 143 1465.
Diploma Frederici III. imperatoris, 145 1466.
Diploma Friderici III. imperatoris ad Philippum ducem Burgundiæ, 146 1467.
Fundatio duorum altarium in eccleſia Stabulenſi a Gaſpardo abbate, 147 1485.
EPISTOLA *nuncii apoſtolici ad epiſcopum Leodienſem*, 152

Epiſtolæ Vvibaldi abbatis Stabulenſis & Corbeienſis, 183
Obſervationes præviæ quibus ejus vita deſcribitur, 153
Epiſtola i. *ad Lotharium imperatorem*, 183 1137.
ij. *ad Lotharium imperatorem & Richizam ejus conjugem*, 186
iij. *ad monachos Caſinenſes*, 190
iv. *ad R. Caſinenſis monaſterii abbatem*, 191
v. *ad Odonem decanum Caſinenſem*, 192
vj. *ad Odonem decanum Caſinenſem*, 192
vij. *ad Theodericum abbatem Vvalciodorenſem*, 192 1146.
viij *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 193 1146.
ix. *Vvibaldi abbatis ad Conradum regem*, 194
x. *Conradi regis ad fratres Stabulenſes*, 195
xj. *Corbeienſium ad Stabulenſes*, 195
xij. *Stabulenſium ad Corbeienſes*, 196
xiij. *Rainardi abbatis magiſtri Vvibaldi ad eumdem Vvibaldum*, 197
xiv. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam*, 198
xv. *Vvibaldi abbatis ad Corbeienſes*, 199
xvj. *VV. prioris & fratrum Corbeienſis monaſterii ad Eugenium papam*, 200
xvij. *Corbeienſium monachorum ad Guidonem cardinalem*, 202
xviij. *Herimanni comitis ad Eugenium papam III.* 203
xix. *Conradi imperatoris ad H. ducem Saxoniæ*, 203
xx. *Bremenſis eccleſiæ ad Vvibaldum abbatem*, 204 1137.
xxj. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam*, 204
xxij. *Annonis ad Vvibaldum abbatem*, 206
xxiij. *Vvibaldi abbatis ad Annonem abbatem Indenſem*, 206
xxiv. *Conradi abbatis ad H. ducem Saxoniæ*, 207
xxv. *Conradi imperatoris ad J. abbatiſſam de* Herevord, 208
xxvj. *Henrici monachi ad Vvibaldum abbatem*, 208
xxvij. *Guidonis cardinalis ad Vvibaldum abbatem*, 210
xxviij. *Vvibaldi abbatis ad Guidonem cardinalem*, 211
xxix. *Eugenii papæ III. ad Anſelmum epiſcopum Havelbergenſem*, 211

1147. xxx. *Eugenii papæ III. ad Reinherium canonicum Hamelbergensem*, 212
xxxj *Henrici Romanorum regis ad Vvibaldum abbatem*, 212
xxxij. *Conradi imperatoris ad VVvibaldum abbatem*, 212
xxxiij. *A. abbatis Fuldensis ad Vvibaldum*, 213
xxxiv. *Vvibaldi abbatis ad Guidonem cardinalem*, 213
xxxv. *amici ad Vvibaldum abbatem*, 214
xxxvj. *Vvibaldi abbatis ad Reinardum Reinehusensem abbatem*, 215
xxxvij. *Reinardi ab Vvibaldum abbatem*, 216
xxxviij. *Stabulensium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 217
xxxix. *Roberti decani Stabulensis ad Vvibaldum abbatem*, 219
xl. *Bobonis præpositi ad Vvibaldum abbatem*, 219
xlj. *Vvibaldi abbatis ad Henricum Leodiensem episcopum*, 229
xlij. *Vvibaldi abbatis ad suos Stabulenses*, 222
xliij. *Henrici episcopi Leodiensis ad Vvibaldum abbatem*, 222
xliv. *Vvibaldi abbatis ad Leodiensem episcopum*, 223
xlv. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III*. 223
xlvj. *Corbeiensium monachorum ad Stabulenses*, 224
xvij. *Corbeiensium monachorum ad Stabulenses*, 225
xlviij. *Guidonis cardinales ad Vvibaldum abbatem*, 227
xlix. *Vvibaldi abbatis ad Guidonem cardinalem*, 227
l. *Vvibaldi abbatis ad Jordanum cardinalem*, 227
lj. *Vvibaldi abbatis ad Johannem cardinalem*, 228
lij. *Johannis cardinalis ad Vvibaldum abbatem*, 229
liij. *Eugenii papæ III. ad Corbeienses monachos*, 229
liv. *Eugenii papæ* III. *ad Henricum Leodiensem episcopum*, 230
lv *Henrici regis Romanorum ad Eugenium papam* III. 230
lvj. *Eugenii papæ* III. *ad Henricum juniorem Romanorum regem*, 231
lvij *Henrici regis Romanorum ad Eugenium* III. *papam*, 232
lviij *B. episcopi Hildesheimensis ad Eugenium papam* III. 233
lix. *Henrici ducis Saxoniæ ad Eugenium papam* III. 234
lx. *Herimanni comitis Vvincemburgensis ad Eugenium papam* III. 235
lxj. *H. abbatis B. Mariæ in* Flectorp *ad Eugenium papam* III. 236
lxij *VV. abbatis S. Blasii ad Eugenium papam* III. 236
lxiij. *C. abbatis B. M. in Grovenkerken ad Eugenium papam* III. 236
lxiv. *abbatis B. M. in Hamalungesburnem ad Eugenium papam* III. 238
lxv. *Eugenii papæ* III. *ad Henricum juniorem regem*, 239
lxvj. *Eugenii papæ* III. *ad Teutonicos prælatos*, 239
lxiij. *Eugenii papæ* III. *ad A. Bremensem H. Mindensem, & T. Ferdensem antistites*, 240
lxviij. *Eugenii papæ* III. *ad Corbeienses monachos*, 244
lxix. *Eugenii papæ* III. *ad Fuldenses*, 241
lxx. *Eugenii papæ* III. *ad Ebracensem, Everbacensem, Hersfeldensem & Corbeiensem abbates*, 242
lxxj. *A. præpositi Corbeiensis ad Vvibaldum abbatem*, 243
lxxij. *Vvibaldi abbatis ad Fuldenses*, 243
lxxiij. *Henrici comitis Namurcensis ad Eugenium papam* III. 244
lxxiv. *Vvibaldi abbatis ad Henricum regem Romanorum*, 245
lxxv. *prioris Corbeiensis ad S. abbatem* 246
lxxvj *Vvibaldi abbatis ad magistrum Balidricum*, 246
lxxvij. *monachorum Corbeiensium ad Vvibaldum abbatem*, 247
lxxviij. *Corbeiensium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 248
lxxix. *Vvibaldi abbatis ad suos Corbeienses*, 249
lxxx. *Vvibaldi abbatis ad Hadvvidem sororem suam*, 250
lxxxj. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 252
lxxxij. *Corbeiensium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 253
lxxxiij. *A præpositi Corbeiensis ad Vvibaldum abbatem*, 254
lxxxiv. *Vvalterii camerarii Corbeiensis ad Vvibaldum abbatem*, 255
lxxxv. *Vvibaldi abbatis ad suos Corbeienses*, 255
lxxxvj. *Corbeiensium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 256
lxxxvij. *Vvibaldi abbatis ad suos Corbeienses*, 257
lxxxviij. *Vvibaldi abbatis ad Henricum regem Romanorum*, 259
lxxxix. *Henrici regis Romanorum ad Vvibaldum abbatem*, 260
xc. *Ejusdem ad eumdem*, 261
xcj. *Capituli Leodiensis ad Vvibaldum abbatem*, 261
xcij. *Vvibaldi abbatis ad capitulum Leodiense*, 262
xciij. *Vvibaldi abbatis ad Henricum episcopum Leodiensem*, 264
xciv *Henrici regis Romanorum ad Vvibaldum abbatem*, 264
xcv. *Fuldensium monachorum ad Vibaldum abbatem*, 265
xcvj. *Bernardi episcopi Patherbornensis ad Vvibal-*

1149. *Vvibaldum abbatem*, 26,
xcvij. *Vvibaldi abbatis ad Guidonem cardinalem*, 266
xcviij. *Capituli S. Liborii ad Vvibaldum abbatem*, 266
xcix. *Vvibaldi abbatis ad canonicos Patherbornenſes*, 267
c. *Henrici regis Romanorum ad Eugenium III. papam*, 268
cj *Vvibaldi abbatis ad G. aurificem*, 269
cij. *G. aurifici ad Vvibaldum abbatem*, 270
ciij. *Vvibaldi abbatis ad Fuldenſes monachos*, 270
civ. *Stabulenſium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 271
cv. *Vvibaldi abbatis ad ſuos Stabulenſes*, 272
cvj. *Ejuſdem ad eoſdem*, 274
cvij. *Vvibaldi abbatis ad H. monachum*, 277
cviij. *Fuldenſium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 278
cix. *Fuldenſium monachorum ad Corbeienſes*, 279
cx. *Stephani monachi ad Vvibaldum abbatem*, 279
cxj. *O. abbatis S. Remigii ad Vvibaldum abbatem*, 280
cxij. *Henrici monachi ad Vvibaldum abbatem*, 280
cxiij. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium III. papam*, 281
cxiv. *Vvibaldi abbatis ad Guidonem cardinalem*, 282
cxv *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 283
cxvj. *H. monachi, ut videtur, Fuldenſis ad Vvibaldum abbatem*, 288
cxvij *Vvibaldi abbatis diploma*, 289
cxviij. *F. abbatis S. Godehardi ad Vvibaldum abbatem*, 289
cxix. *Vvibaldi abbatis ad F. abbatem S. Godehardi* 290
cxx. *R. abbatis ad Vvibaldum abbatem*, 292
cxxj. *Eugenii papæ III. ad Vvibaldum abbatem*, 293
cxxij. *Henrici archiepiſcopi Moguntini ad Vvibaldum*, 294
cxxiij. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam* 295
cxxiv. *Vvibaldi abbatis ad omnes fideles parochiæ* Lienvvart, 296
cxxv. *Thiboldi ad Vvibaldum abbatem*, 297
cxxvj. *Vvibaldi abbatis ad Thiboldum præpoſitum*, 297
cxxvij. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum Colonienſem archiepiſcopum*, 298
cxxviij. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 299
cxxix. *Henrici epiſcopi Mindenſis ad Vvibaldum abbatem*, 300
cxxx. *Bernardi epiſcopi Hildesheimenſis ad Vvibaldum abbatem*, 300
cxxxj. *Bernardi epiſcopi Hildesheimenſis ad Corbeienſes monachos*, 301
cxxxij. *Vvibaldi abbatis ad Bernardum epiſcopum Hildesheimenſem*, 301
cxxxiij. *Corbeienſium monachorum ad Bernardum epiſcopum Hildesheimenſem*, 317
cxxxiv. *Vvibaldi abbatis litteræ*, 320
cxxxv. *Vvibalai abbatis ad B. præpoſitum*, 322
cxxxvj *Theotvini & Guidonis cardinalium ad Henricum epiſcopum Mindenſem*, 322
cxxxvij. *Vvibalai abbatis ad ſuos Stabulenſes*, 322
cxxxviij. *Vvibaldi abbatis ad Bernardum epiſcopum Patherbornenſem*, 324
cxxxix. *Bernardi epiſcopi Patherbornenſis ad Vvibaldum abbatem*, 325
cxl *Guidonis cardinalis ad Anſelmum epiſcopum Havelbergenſem*, 325
cxlj *Ejuſdem ad eumdem*, 326
cxlij *Anſelmi epiſcopi Havelbergenſis ad Vvibaldum abbatem*, 326
cxliij. *Vvibaldi abbatis ad Anſelmum epiſcopum Havelbergenſem*, 327
cxliv. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 328
cxlv. *Vvibaldi abbatis ad Henricum abbatem Fuldenſem & Hervveldenſem*, 329
cxlvj. *Notitia de Duello*, 330
cxlvij. *Manegoldi ad Vvibaldum abbatem*, 331
cxlviij. *Vvibaldi abbatis ad Manegoldum ſcholæ magiſtrum*, 333
cxlix. *Vvibaldi abbatis ad Hartvvicum archiepiſcopum Bremenſem*, 341
cl. *Vvibaldi abbatis ad H. epiſcopum Mindenſem*, 343
cli *Vvibaldi abbatis ad abbatem S. Godehardi*, 344
clij. *Vvibaldi abbatis ad B. abbatem S. Michaelis*, 344
cliij *Vvibaldi abbatis ad H. electum Bremenſem*, 345
cliv. *Corbeienſium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 347
clv *Vvibaldi abbatis ad ſuos Corbeienſes*, 348
clvj. *Vvibaldi abbatis ad epiſcopum Mindenſem*, 348
clvij *Vvibaldi abbatis ad ſuos Malmundarienſes*, 349
clviij *Vvibaldi abbatis ad Vvalterium monachum*, 450
clix. *Vvibaldi abbatis ad ſuos Corbeienſes*, 352
clx. *G abbatis Solemniacenſis ad Vvibaldum abbatem*, 353
clxj. *Vvibaldi abbatis ad Solemniacenſes*, 353
clxij *Vvibaldi abbatis ad Trajectenſem epiſcopum*, 354
clxiij. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 355
clxiv. *Vvibaldi abbatis ad Conradum imperatorem*, 356
clxv. *Eugenii papæ III. ad Conradum imperatorem*, 357.

1149. clxvj. *G. cardinalis ad Vvibaldum abbatem*, 358
clxvij. *Vvibaldi abbatis ad G. cardinalem*, 359
clxviij. *Conradi imperatoris ad H. Mindenſem epiſcopum*, 360
clxix. *Vvibaldi abbatis ad H. Mindenſem epiſcopum*, 360
clxx. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 361
clxxj. *H. Vvibaldo abbati*, 361
clxxij. *Vvibaldi abbatis ad Petrum abbatem Cluniacenſem*, 362
clxxiij. *Conradi imperatoris ad H. Mindenſem*, 363
clxxiv. *G. cardinalis & legati ad Henricum epiſcopum Mindenſem*, 364
clxxv. *B. epiſcopi Patherburnenſis & Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 364
clxxvj. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam III.* 365
clxxvij. *Vvibaldi abbatis ad Guidonem cardinalem & cancellarium*, 366
clxxviij. *Eugenii papæ III. ad Conradum imperatorem*, 367
clxxix. *A. ad Vvibaldum abbatem*, 367
clxxx *Thiebaldi præpoſiti Xantenſis ad Vvibaldum abbatem*, 368
clxxxj. *P. Eſculani epiſcopi ad Vvibaldum abbatem*, 369
clxxxij. *Conradi imperatoris ad Eugenium III.* 369
1150. clxxxiij. *Vvibaldi abbatis ad ſuos ſucceſſores*, 370
clxxxiv. *Eugenii papæ III. ad Conradum imperatorem*, 371
clxxxv. *Vvibaldi abbatis ad A. præpoſitum Colonienſem*, 372
clxxxvj. *H. epiſcopi Conſtantienſis ad Vvibaldum*, 373
clxxxvij. *Vvibaldi abbatis ad Hermannum Conſtantienſem epiſcopum*, 374
clxxxviij. *Conradi imperatoris ad E. imperatorem CP.* 375
clxxxix. *Conradi imperatoris ad imperatricem Græcorum*, 376
cxc. *Henrici regis junioris ad Emmanuelem imperatorem*, 378
cxcj. *Ejuſdem ad imperatricem*, 379
cxcij. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum præpoſitum majorem eccleſiæ Colonienſis*, 380
cxciij. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 381
cxciv. *Vibaldi abbatis ad Stephanum priorem S. Jacobi Leodienſis*, 382
cxcv. *Vvibaldi abbatis ad Theobaldum præpoſitum Xantenſem*, 383
cxcvj. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam III.* 384
cxcvij. *Vvibaldi abbatis ad Guidonem cardinalem*, 385
cxcviij. *Conradi imperatoris ad Quindelinburgenſes moniales*, 385
cxcix. *Johannis abbatis Frithesſellenſis ad Vvibaldum abbatem*, 386
cc. *Vvibaldi abbatis ad Johannem Frithesſellenſem*, 386
ccj. *Vvibaldi abbatis ad Conradum imperatorem*, 387
ccij. *Vvibaldi abbatis ad H. regiæ curiæ notarium*, 389
cciij. *Henrici curiæ notarii ad Vvibaldum abbatem*, 390
cciv. *Vvibaldi abbatis ad Conradum imperatorem*, 391
ccv. *Vvibaldi abbatis ad Henricum curiæ regiæ notarium*, 391
ccvj. *R. ad Vvibaldum abbatem*, 392
ccvij. *Vvibaldi abbatis ad R. præpoſitum Hildesheimenſem*, 393
ccviij. *Anonymi ad Vvibaldum abbatem*, 394
ccix. *Vvibaldi abbatis ad Anſelmum epiſcopum*, 394
ccx. *R. præpoſiti ad Vvibaldum abbatem*, 395
ccxj. *Vvibaldi abbatis ad R. præpoſitum*, 396
ccxij. *Senatus populique Romani ad Conradum imperatorem*, 396
ccxiij. *Sixti, Nicolai & Guidonis conſiliariorum curiæ Romanæ ad Conradum imperatorem*, 398
ccxiv. *Cujuſdam ſenatoris ad Conradum imperatorem*, 396
ccxv. *Guidonis cardinalis ad Vvibaldum abbatem*, 400
ccxvj. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam III.* 401
ccxvij. *Conradi imp. ad Emanuelem CP. imperatorem*, 401
ccxviij. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 402
ccxix. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 403
ccxx. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam III.* 404
ccxxj. *Vvibaldi abbatis ad H. ſororem ſuam*, 405
ccxxij. *Conradi imperat. ad Eugenium papam III.* 406
ccxxiij. *Eugenii papæ III. ad prælatos Poloniæ*, 406
ccxxiv. *G. diaconi cardinalis ad Conradum imperatorem*, 407
ccxxv. *Vvibaldi abbatis ad E. imperatorem CP.* 408
ccxxvj. *Vvibaldi abbatis ad G. cardinalem*, 409
ccxxvij. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam* III. 410
ccxxviij. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam* III. 411
ccxxix. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam* III. 413
ccxxx. *H. Moravienſium ad Vvibaldum abbatem*, 414

1150 ccxxxj. *D. episcopi Pragensis ad Vvibaldum abbatem*, 415
ccxxxij. *Emelerii monachi ad Vvibaldum abbatem*, 416
ccxxxiij. *H. Hamenburgensis episcopi ad Vvibaldum abbatem*, 416
ccxxxiv. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 417
1150. ccxxxv. *Stabulensium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 418
ccxxxvj. *Anselmi episcopi Havelbergensis ad Vvibaldum abbatem*, 419
ccxxxvij. *R. monachi ad Vvibaldum abbatem*, 420
ccxxxviij. *Stabulensium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 421
ccxxxix. *Stabulensium monachorum ad Conradum imperatorem*, 422
ccxl. *Johannis notarii ad R. principem & comitem Ric.* 423
ccxlj. *Vvibaldi abbatis ad Conradum imperatorem*, 423
ccxlij. *Vvibaldi abbatis ad archiepiscopum Bremensem*, 424
ccxliij. *Vvibaldi abbatis ad Henricum episcopum Mindensem*, 426
ccxliv. *Vvibalai abbatis ad H. archiepiscopum Moguntinum*, 427
ccxlv. *Henrici episcopi Mindensis ad Vvibaldum abbatem*, 428
ccxlvj *Vvibaldi abbatis ad Henricum episcopum Mindensem*, 430
ccxlvij. *Henrici episcopi Mindensis ad bernardum episcopum Paterbornensem*, 431
ccxlviij. *Bernardi episcopi Paterbornensis ad Henricum Mindensem*, 431
ccxlix. *Vvibaldi abbatis ad suos Stabulenses*, 432
ccl. *Conradi imperatoris ad Henricum Saxoniæ ducem*, 433
cclj. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 434
cclij. *Eugenii papæ* III. *ad Vvibaldum abbatem*, 435
ccliij. *Vvibaldi abbatis ad Godebaldum canonicum Mindensem*, 435
ccliv. *Eugenii papæ* III. *ad Vvibaldum abbatem*, 436
cclv. *Eugenii papæ* III. *ad Henricum episcopum Mindensem*, 437
cclvj *Eugenii papæ* III. *ad H. archiepiscopum Bremensem*, 437
cclvij. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 438
cclviij. *Eugenii papæ* III. *ad Conradum imperatorem*, 438
cclix. *H. notarii ad Vvibaldum abbatem*, 439
cclx. *G. cardinalis ad Vvibaldum abbatem*, 440
cclxj. *Vvibaldi abbatis ad Conradum imperatorem*, 440
cclxij. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum præpositum Colonienſem*, 442
cclxiij. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 443 1151.
cclxiv. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum præpositum Colonienſem*, 443
cclxv. *Cancellarii ad Vvibaldum abbatem*, 444
cclxvj. *Vvibaldi abbatis ad A. cancellarium*, 445
cclxvij. *Vibaldi abbatis ad Henricum Mindenſem episcopum*, 446
cclxviij. *Conradi imperatoris ad Henricum episcopum Mindenſem*, 448
cclxix. *Henrici episcopi Mindensis ad Vvibaldum abbatem*, 448
cclxx. *H. ducis Bavariæ & Saxoniæ ad Vvibaldum abbatem*, 449
cclxxj. *Vvibaldi abbatis ad priorem & fratres Haſterienſes*, 450
cclxxij. *Vibaldi abbatis ad Stephanum episcopum Metenſem*, 451
cclxxiij *Stephani episcopi Metensis ad Vvibaldum abbatem*, 452
cclxxiv. *Vvibaldi abbatis ad Theodericum abbatem Vvalciodorenſem*, 452
cclxxv. *Stephani epiſcopi Metensis ad Theodericum abbatem Vvalciodorenſem*, 453
cclxxvj *Vvibaldi abbatis ad Stephanum epiſcopum Metenſem*, 453
cclxxvij. *Præceptum Conradi II. imperatoris pro monaſterio Vvalciodorenſi*, 456
cclxxviij. *Conradi imperatoris ad H. episcopum Leodienſem*, 458
cclxxix. *Henrici episcopi Leodiensis ad Vvibaldum abbatem*, 459
cclxxx. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam* I.I. 460
cclxxxj. *Vvibaldi abbatis ad Conradum imperatorem*, 461
cclxxxij. *R. Stabulenſis ad Vvibaldum abbatem*, 462
cclxxxiij *Vvibaldi abbatis ad epiſcopum Mindenſem*, 464
cclxxxiv. *Præpoſiti decani & canonicorum Mindenſium ad Vvibaldum abbatem*, 465
cclxxxv. *Vvibaldi abbatis ad Godeboldum*, 466
cclxxxvj. *Vvibaldi abbatis ad Henricum episcopum Mindenſem*, 467
cclxxxvij. *Vvibaldi abbatis ad H. archiepiſcopum Moguntinum*, 468
cclxxxviij. *Vvibaldi abbatis ad Henricum episcopum Mindenſem*, 468
cclxxxix. *Vvibaldi abbatis ad VV. Mindenſis eccleſiæ propoſitum*, 469
ccxc. *H ducis Saxoniæ & Bavariæ ad Vvibaldum abbatem*, 469
ccxcj. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam* III. 470
ccxcij. *Vvibaldi abbatis ad A. Colonienſem præpoſitum*, 470
ccxciij. *Vvibaldi abbatis ad ſuos Stabulenſes*, 471
ccxciv. *Vvibaldi abbatis ad H. Stabulenſem monachum*, 472

1151. ccxcv. *Stabulenſium monachorum ad Vvibaldum*, 473
ccxcvj. *Henrici monachi Stabulenſis ad Vvibaldum abbatem*, 474
ccxcvij. *Vvibaldi abbatis ad ſuos Stabulenſes*, 475
ccxcviij. *Vvibaldi abbatis ad Henricum monachum Stabulenſem*, 476
ccxcix. *Stabulenſium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 477
ccc. *Henrici monachi Stabulenſis ad Vvibaldum abbatem*, 478
cccj. *Ejuſdem ad eumdem*, 479
ccclj. *Corbeienſium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 480
ccciij. *Vvibaldi abbatis ad H. Corbeienſem monachum*, 481
ccciv. *Prioris & conventus Corbeienſis ad Vvibaldum abbatem*, 482
cccv. *Vvibaldi abbatis ad ſuos Corbeienſes*, 482
cccvj. *Conradi imperatoris ad Eugenium papam* III. 483
cccvij *Vvibaldi abbatis ad E. Leodienſem archidiaconum*, 485
cccviij. *Vvibaldi abbatis ad fratres Gladbacenſes*, 486
cccix. *Henrici epiſcopi Leodienſis ad Eugenium* III. *papam*, 487
cccx. *Eccleſiæ Colonienſis ad Eugenium papam*, 488
cccxj. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum electum Colonienſem*, 490
cccxij. *Conradi imperatoris ad Henricum archiepiſcopum Moguntinum*, 490
cccxiij. *Conradi imperatoris ad Eugenium* III. *papam*, 491
cccxiv. *Arnoldi ad Vvibaldum abbatem*, 493
cccxv. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum electum Colonienſem*, 493
cccxvj. *Conradi imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 495
cccxvij. *Heriberti capellani ad Henricum priorem Corbeienſem*, 495
cccxviij. *Suenonis regis Daniæ ad Conradum imperatorem*, 495
cccxix *Canuti regis Daniæ ad Conradum imperatorem*, 496
cccxx. *Vvibaldi abbatis ad Manuelem imperatorem C P.* 496
cccxxj. *Imperatoris C P. ad Vvibaldum abbatem*, 498
cccxxij. *Conradi imperatoris ad Romanos*, 498
cccxxiij *Conradi imperatoris ad Eugenium* III. *papam*, 499
cccxxiv. *Conradi imperatoris ad Romanos*, 500
cccxxv. *Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis ad Vvibaldum abbatem*. 501
cccxxvj. *Eugenii papæ* III. *ad Colonienſes*, 502
cccxxvij. *Eugenii papæ* III. *ad Conradum imperatorem*, 503 1152.
cccxxviij *Eugenii papæ* III. *ad Leodienſem epiſcopum*, 504
cccxxix. *Gregorii & Jacobi cardinalium ad Henricum epiſcopum Leodienſem*, 505
cccxxx. *Eugenii papæ* III. *ad H. archiepiſcopum Bremenſem*, 505
cccxxxj. *Ejuſdem ad Henricum archiepiſcopum Moguntinum*, 506
cccxxxij. *Eugenii papæ* III. *ad Bernardum epiſcopum Patherbornenſem*, 506
cccxxxiij. *Eugenii papæ* III. *ad Hermannum epiſcopum Trajectenſem*, 507
cccxxxiv. *Eugenii papæ* III. *ad Ulricum epiſcopum Halberſtadenſem*, 507
cccxxxv. *Ejuſdem ad Henricum ducem Saxoniæ*, 508
cccxxxvj. *Ejuſdem ad Ferdenſem epiſcopum*, 508
cccxxxvij. *Ejuſdem ad epiſcopum Mindenſem*, 509
cccxxxviij. *Ejuſdem ad abbatem Luneburgenſem*, 509
cccxxxix. *Ejuſdem ad prælatos & comites ac barones*, 510
cccxl. *Vvibaldi abbatis ad ſuos Corbeienſes*, 511
cccxlj. *Vvibaldi abbatis ad Stephanum epiſcopum Metenſem*, 512
cccxlij. *Vvibaldi abbatis ad Vvalciodorenſes*, 512
cccxliij. *Vvibaldi abbatis ad Haſterienſes*, 513
cccxliv. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam* III. 514
cccxlv. *Friderici imperatoris ad Eugenium papam* III 516
cccxlvj. *Vvibaldi abbatis ad E. Bavembergenſem*, 518
cccxlvij. *Henrici notarii ad Vvibaldum abbatem*, 519
cccxlviij. *Vvibaldi abbatis ad Henricum regiæ curiæ notarium*, 519
cccxlix. *Vvalciodorenſium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 521
ccl. *Henrici epiſcopi Leodienſis ad Stephanum Metenſem epiſcopum*, 521
ccclj. *Henrici Leodienſis epiſcopi ad Vvalciodorenſes & Haſterienſes*, 522
Nomina abbatum Vvalciodorenſium & Haſterienſium, 523
ccclij *Stephani epiſcopi Metenſis ad Vvibaldum abbatem*, 523
ccclij. *Conventio inter Fridericum imperatorem & Bertolfum ducem*, 523
ccclv. *Ottonis epiſcopi Friſingenſis ad Vvibaldum abbatem*, 524
ccclv. *Vvibaldi abbatis ad Jordanum cardinalem*, 525
ccclvj. *Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis ad Vvibaldum abbatem*, 526
ccclvij. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum archiepiſcopum Colonienſem*, 526
ccclviij. *Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis ad Henricum*

1151 f' *Henricum Mindenſem epiſcopum*, 528
ccclix. *Vvibaldi abbatis ad Fridericum imperatorem*, 529
ccclx. *Vvibaldi abbatis ad Bernardum epiſcopum Paterbornenſem*, 530
ccclxj. *Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis ad Vvibaldum abbatem*, 532
ccclxij. *Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis ad Eugenium papam III.* 532
ccclxiij. *Monialium de Oſtermere ad Vvibaldum abbatem*, 533
ccclxiv. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 534
ccclxv. *Vvibaldi abbatis ad Arnoldum archiepiſcopum Colonienſem*, 535
ccclxvj. *Friderici imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 537
ccclxvij. *Friderici imperatoris ad Corbeienſes monachos*, 537
ccclxviij. *Friderici imperatoris ad cives Huxarienſes*, 538
ccclxix. *Vvibaldi abbatis ad A. abbatem de Monte*, 538
ccclxx. *Henrici notarii ad Vvibaldum abbatem*, 539
ccclxxj. *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 540
ccclxxij. *Cujuſdam canonici regularis ad Vvibaldum abbatem*, 542
ccclxxiij. *Vvibaldi abbatis ad Anonymum*, 542
ccclxxiv. *Vvaltharii abbatis S. Laurentii Leodienſis ad Vvibaldum abbatem*, 544
ccclxxv *Vvibaldi abbatis ad Eugenium papam III.* 545
1153. ccclxxvj. *Vvibaldi abbatis ad Hermannum canonicum Bunvenſem*, 546
ccclxxvij *Vvibaldi abbatis ad Hillinum archiepiſcopum Trevirenſem*, 547
ccclxxviij. *Eugenii papæ III. ad Fridericum imperatorem*, 548
ccclxxix. *Bernardi epiſcopi Paterburnenſis ad Vvibaldum abbatem*, 549
ccclxxx. *Vvibaldi abbatis ad Bernardum epiſcopum Paterbornenſem*, 549
ccclxxxj. *Eugenii III. papæ ad capitulum Magdeburgenſe*, 550
ccclxxxij. *Eugenii III. papæ ad E. Salisburgenſem & alios antiſtites*, 551
ccclxxxiij. *Eugenii III. papæ ad Vvibaldum abbatem*, 553
ccclxxxiv. *Vveizel ad Fridericum imperatorem*, 554
ccclxxxv. *Concordia inter Eugenium III. papam & Fridericum imperatorem*, 557
ccclxxxvj. *Eugenii III. papæ ad Vvibaldum abbatem*, 558
ccclxxxvij. *Friderici imperatoris ad Manuelem CP.* 559
ccclxxxviij. *Vvibaldi abbatis ad Manuelem imperatorem CP.* 560
ccclxxxix. *Bernardi & Gregorii cardinalium ad O. Halberſtadenſem epiſcopum*, 561
cccxc. *Bernardi & Gregorii cardinalium ad Eugenium III. papam*, 561 1153.
cccxcj. *Gregorii cardinalis ad Vvibaldum abbatem*, 562
cccxcij. *Bernardi & Gregorii cardinalium ad Vvibaldum abbatem*, 562
cccxciij. *Vvibaldi abbatis ad Anaſtaſium IV. papam*, 562
cccxciv. *Vvibaldi abbatis ad Bernardum cardinalem*, 564
cccxcv. *Vvibaldi abbatis ad Gregorium cardinalem*, 564
cccxcvj. *Hu. de Baucio ad VVvibaldum abbatem*, 565
cccxcvij. *A. ad Vvibaldum abbatem*, 566
cccxcviij. *Stephani epiſcopi Metenſis*, 566
cccxcix. *Friderici imperatoris ad VVvibaldum abbatem*, 567
cccc. *Stabulenſium monachorum ad Vvibaldum abbatem*, 567
ccccj *Vvibaldi abbatis ad Henricum comitem* de Salmes, 568
ccccij. *Henrici comitis* de Salmes *ad Vvibaldum abbatem*, 569
cccciij. *Litteræ Vvibaldi abbatis ad ſucceſſores ſuos*, 570
cccciv. *Anaſtaſii IV. papæ ad Vvibaldum abbatem*, 572 1154.
ccccv. *Gregorii cardinalis ad Vvibaldum abbatem*, 573
ccccvj. *O. ad Halberſtadenſem decanum archidiaconos &c.* 573
ccccvij *Manuelis imperatoris CP. ad Vvibaldum abbatem*, 574
ccccviij *Vvibaldi abbatis ad Manuelem CP.* 574
ccccix. *Vvibaldi abbatis ad Anaſtaſium papam*, 575
ccccx. *C. abbatis Patherburnenſis ad Vvibaldum abbatem*, 576 1155.
ccccxj. *VV. epiſcopi Mindenſis ad Vvibaldum abbatem*, 576 1156.
ccccxij. *Vvibaldi abbatis ad Fridericum imperatorem*, 577
ccccxiii. *Adriani papæ ad Vvicmannum archiepiſcopum*, 578
ccccxiv. *Vvicmanni archiepiſcopi Magdeburgenſis ad Philippum epiſcopum Oſnaburgenſem*, 579
ccccxv. *Vvicmanni archiepiſcopi Magdeburgenſes ad Vvibaldum abbatem*, 579
ccccxvj. *Ejuſdem ad eumdem*, 579
De imperat. ex ſanguine Caroli Magni, 580
ccccxvij. *Friderici imperatoris ad Vvicmannum archiepiſcopum Magdeburgenſem*, 581
ccccxviij *Friderici imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 582
ccccxix. *VVerneri epiſcopi Mindenſis ad archiepiſcopum Magdeburgenſem*, 582
ccccxx. *Friderici epiſcopi Monaſterienſis ad Vvicmannum archiepiſcopum*, 583
ccccxxj. *B. Hildesheimenſis epiſcopi ad Vvicmannum archiepiſcopum Magdeburgenſem*, 584

1157. ccccxxij. *Vvicmanni archiepiſcopi Magdeburgenſis ad Adrianum papam*, 584
ccccxxiij. *Friderici imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 586
ccccxxiv. *Friderici imperatoris ad Henricum regem Anglorum*, 587
ccccxxv. *Henrici ducis Bavariæ & Saxoniæ ad imperatorem Fridericum*, 588
ccccxxvj. *Vvibaldi abbatis ad Adrianum papam*, 588
ccccxxvij. *Adriani papæ ad Vvibaldum abbatem*, 589
ccccxxviij. *Adriani papæ ad Colonienſem archiepiſcopum, Coſtantienſem epiſcopum & abbatem Stabulenſem*, 590
ccccxxix. *Adriani papæ ad abbatem Corbeienſem*, 590
ccccxxx. *Adriani papæ ad Vvibaldum abbatem*, 592
ccccxxxj. *Adriani papæ ad archiepiſcopum... epiſcopum Bavembergenſem & Vvibaldum abbatem*, 592
ccccxxxij. *Friderici imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 593
ccccxxxiij. *R. monachi ad Vvibaldum abbatem*, 593
ccccxxxiv. *Friderici imperatoris ad Vvibaldum abbatem*, 594
1158. ccccxxxv. *Henrici ducis Bavariæ & Saxoniæ ad Vvibaldum abbatem*, 595
ccccxxxvj. *Friderici imperatoris ad H.* de Limburg, 595
ccccxxxvij. *Adriani papæ ad Bernardum epiſcopum Paterbornenſem & G. Lieshornenſem abbatem*, 596
ccccxxxviij. *A. Moguntini archiepiſcopi ad Vvibaldum abbatem*, 596
ccccxxxix. *Adriani papæ IV. ad Vvibaldum abbatem*, 597
ccccxl. *Friderici imperatoris ad Fridericum epiſcopum Monaſterienſem*, 598
ccccxlj. *Friderici imperatoris ad capitulum Oſnabrugenſe*, 598

Appendix ad Vvibaldi abbatis Stabulenſis & Corbeienſis epiſtolas, 600
1144. *Præceptum Conradi Romanorum regis II. a Vvibaldo Stabulenſi abbate impetratum pro Monaſterio Reinchuſano*, 600
Diploma Conradi Romanorum regis pro monaſterio Corbeienſi, 604
1147. *Conradi regis diploma pro Vvibaldo abbate*, 606
1156. *Diploma Conradi regis Romanorum pro monaſterio Corbeienſi*, 607
1151. *Vvibaldi abbatis litteræ*, 610
1152. *Diploma Friderici Romanorum regis aureis conſcriptum litteris, & in conventu peroelebri Mersburgi conceſſum Vvibaldo abbati*, 613
1155. *Privilegium Adriani papæ IV. Vvibaldo abbati conceſſum*, 616
Diploma Adriani papæ IV. Vvibaldo abbati conceſſum, 619
Litteræ Adriani papæ IV. Moguntino antiſtiti, 620. a
Litteræ Vvibaldi abbatis ad ſuos ſucceſſores, 1156. 620. c
Litteræ Theoderici abbatis Corbeiæ-novæ, 1337. 621

REGISTRUM EPISTOLARUM Alexandri III. pro provincia Remenſi, quibus nonnullæ aliorum ſummorum pontificum aliæque præmittuntur epiſtolæ, 622

Obſervationes prævia, 622
Epiſtola j. *Paſchalis papæ II. Leodienſi epiſcopo*, 624. a
ij. *Brunonis archiepiſcopi Trevirenſis ad Reinaldum archiepiſcopum Remenſem*, 624. c
Placitum de banno de Viriliaco, 625
iij. *Adalberonis archiepiſcopi Trevirenſis*, 626

EPISTOLÆ EUGENII PAPÆ III.

Epiſtola j. *Abbatiſſæ & monialibus S. Petri Remenſis*, 627
ij. *Clero & populo Attrebatenſi*, 628
iij. *Canonicis eccleſiæ Aurelianenſis*, 629
iv. *Abbati & conventui Lobienſi*, 630 a
v. *Ludovico regi Francorum*, 630. d
vj. *Henrico epiſcopo Belvacenſi*, 631
vij. *Rothomagenſi Remenſi & Senonenſi archiepiſcopis, &c.* 632
viij. *Hugoni Antiſſiodorenſi epiſcopo & Bernardo abbati Clarevallenſi*, 633
ix. *Hugoni Rothomagenſi archiepiſcopo*, 634
x. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 635. b
xj. *Hugoni Rothomagenſi archiepiſcopo*, 635. c
xij. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 636. b
xiij. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 636. d
xiv. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 637
xv. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 638. a

EPISTOLÆ ADRIANI PAPÆ IV.

Epiſtola j *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 638. d
ij. *T. Pariſienſi epiſcopo*, 639
iij. *O. abbatis S. Dionyſii*, 640. a
iv. *An. Belvacenſi canonico*, 640. c
v. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 640. e
vj. *H. Senonenſi archiepiſcopo & Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 641
vij. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 642. b
viij. *Rothomagenſi epiſcopo*, 642. d
ix. *B. Noviomenſi & Henrico Belvacenſi epiſcopis*, 643
x. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 644. a
xj. *Remenſi archiepiſcopo*, 644. d
xij. *Remenſi archiepiſcopo & Laudunenſi epiſcopo*, 645. c
xiij. *Henrico Belvacenſi epiſcopo*, 645. e
xiv. *N. decano & capitulo Sueſſionenſi*, 646

xv. *Henrico Belvacensi episcopo*, 647. a
xvj. *S. Remensi archiepiscopo & ejus suffraganeis*, 647. d
xvij. *R. cardinalis S. Remensi archiepiscopo*, 649
xviij. *Henrico episcopo Belvacensi*, 650
xix. *Henrico Belvacensi episcopo*, 651
xx. *Henrico Belvacensi episcopo*, 652
xxj. *Henrico Belvacensi episcopo*, 653. a
xxij. *H. electo & capitulo Suessionensis ecclesiæ*, 653. d.

EPIST. ALEXANDRI PAPÆ III.

Epistola j. *Henrico episcopo Belvacensi*, 654
ij. *Henrico Belvacensi & Mauricio Parisiensi episcopis*, 655
iij. *Henrico Belvacensi episcopo*, 656. a
iv. *Henrico Belvacensi episcopo*, 656. c
v. *Henrico Belvacensi episcopo*, 657
vj. *Magistro Nicolao*, 658
vij. *Henrico Belvacensi episcopo*, 659
viij. *Fratribus Cluniacensis monasterii*, 661
ix. *Henrico Belvacensi episcopo*, 663
x. *Henrico Belvacensi episcopo*, 664
xj. *Henrico Belvacensi & Mauricio Parisiensi episcopis*, 665. b
xij. *Henrico electo Remensi*, 665. d
xiij. *Abbati S. Remigii*, 666
xiv. *Henrico Remensi archiepiscopo*, 667
xv. *Henrico Remensi archiepiscopo*, 668. b
xvj. *Henrico Remensi archiepiscopo*, 668. d
xvij. *S. abbati & fratribus monasterii Cluniacensis*, 669
xviij. *Henrico Remensi archiepiscopo*, 670
xix. 671
xx. 672
xxj. 673 a.
xxj. 1010
xxlj. 673. d
xxij. 674 b
xxiv. 674 c
xxv. 675
xxvj. 676. a
xxvij. 676. c
xxviij. 677. a
xxix. 677. c
xxx. 677. e
xxxj. 678
xxxij. 679. b
xxxiij. 679. d
xxxiv. 680
xxxv. 681
xxxvj. 682. c
xxxvij. 682. e
xxxviij. 683
xxxix. *Ludovico regi Francorum*, 684
xl. *Henrico Remensi archiepiscopo*, 685. a
xlj. *G. Catalaunensi electo*, 685. d
xlij. *Henrico Remensi archiepiscopo*, 686. b
xliij. 686. c
xliv. 687. b
xlv. 687. c
xlvj. 688
xlvij. 689. a
xlviij. 689. c
xlix. 990
l. 691. a
lj. 691. c
lij. 692. b
liij. 692. d
liv. *Henrico archiepiscopo ejusque suffraganeis, &c.* 693. b
lv. *Abbati S. Remigii*, 693. d
lvj. *Henrico Remensi archiepiscopo*, 694
lvij. *Abbati S. Remigii, & de Eleemosyna, & decano Remensi*, 695
lviij. *Henrico Remensi archiep.* 696. a
lix. *Henrico Remensi archiep.* 696. c
lx. *Abbati S. Remigii & S. Nicasii*, 697. a
lxj. *Henrico Remensi archiep.* 697. c
lxij. 698. a
lxiij. 699. a
lxiv. *Magistro F. & Mag. R. Remensi canonico*, 699. c
lxv. *Henrico Rem. archiep.* 700. a
lxvj. 700. b
lxvij. 700. d
lxviij. *Abbati S. Remigii & de Castro Theoderici & L. decano Remensi*, 701. d
lxix. *Abbati S. Remigii Remensis*, 702. b
lxx. *Henrico Rem. archiep.* 702. d
lxxj. 703. b
lxxij. 703. c
lxxiij. 704
lxxiv. *Henrico Remensi archiep. & Henrico cardinali*, 705. b
lxxv. *Henrico Rem. archiep.* 705. c
lxxvj. *Abbati Cisterciì*, 706. a
lxxvij. *Henrico Rem. archiep.* 708
lxxvij. 1011
lxxviij. 709. a
lxxix. 709. d
lxxx. 710. a
lxxxj. 710. d
lxxxij. 711. b
lxxxiij. 711. d
lxxxiv. 712
lxxxv. 713
lxxxvj. 714. a
lxxxvij. 714. d
lxxxviij. 715. c
lxxxix. *Abbati monasterii* *** 715 e
xc. *Henrico Rem. archiep.* 716
xcj. 717
xcij. 718
xciij. *Abbatis Clarevallensis ad Henricum archiepiscopum Remensem*, 719. b
xciv. *Henrico Rem. archiep.* 719. c
xcv. 721. a
xcvj. 721. c
xcvij. 723. a.
xcviij. *Abbati & fratribus S. Remigii*, 723. d
xcix. *Henrico Rem. archiep.* 724. b
c. 724. d
cj. 725. b
cij. 725. d

ciij. *Henrico Rem. archiep. ejuſque ſuffraganeis*, 726
civ. *Henrico Rem. archiep.* 727. a
cv. 727. d
cvj. 728
cvij. 729
cviij. *Decano & capitulo Catalaunenſi*, 730. a
cix *Henrico Rem. archiep.* 730. c
cx. 731
cxj. 732. a
cxij. 732. c
cxiij. 733
cxiv. 734
cxv. 735. a
cxvj. 735. d
cxvij. 736. a
cxviij. 736. c
cxix. 737
cxx. 738
cxxj. 739. b
cxxij. *Cenomanenſi epiſcopo*, 739. d
cxxiij. *Henrico Rem. archiep.* 740
cxxiv. *Henrico Rem. archiep.* 741. a
cxxv. *Epiſcopo Laudunenſi*, 741. d
cxxvj. *Henrico Rem. archiep.* 741. e
cxxvij. 742
cxxviij. 743
cxxix. 744
cxxx *Dominico & Heimardo*, 745
cxxxj. *Henrico Rem. archiep.* 746
cxxxij. 747. b
cxxxiij. *Preceribus militibus & univerſis Chriſti fidelibus*, 747. e
cxxxiv. *Henrico Rem. archiep.* 750
cxxxv. 751
cxxxvj. 752. a
cxxxvij. 752. c
cxxxviij. *Abbatis Cluniacenſis ad dominum Remenſem*, 753. b
cxxxix. *Henrico Rem. archiep.* 753. d
cxl. *Sueſſionenſi, Ambianenſi & Laudunenſi epiſcopis*, 755 a
cxlj. *Henrico Rem. archiep.* 755. e
cxlij. 756. c
cxliij. 756. e
cxliv. 757
cxlv. *Pro priore Vallis S. Petri*, 758
cxlvj. *Henrico Rem. archiep.* 759
cxlvij. *Pro cauſa quæ vertitur inter Ric. & abbatem S. Petri*, 760. a
cxlviij. *Henrico Rem. archiep.* 760. c
cxlix. *Henrico Rem. archiep.* 761. a
cl. 761. d
clj. *Pro Henrico ſacerdote*, 762
clij. *Henrico Rem. archiep.* 763. b
cliij. *Henrico Rem. archiep.* 763. d
cliv. *Dilectis filiis S. Andreæ de Caſtello & S. Sepulchri abbatibus & canonicis S. Gaugerici*, 764
clv. *Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 765
clvj. 766. b
clvij. 766. c
clviij. 767. b
clix. *Henrico Rem. archiep. & Laudunenſi epiſcopo*, 767 c
clx. *Henrico Rem archiep.* 768
clxj. 767. c
clxij. 769. c
clxiij. 771. a
clxiv. 771. d
clxv. 772
clxvj. 773
clxvij. *Pro eccleſia beati Remigii Remenſis*, 774. a
clxviij. *Henrico Rem. archiep.* 774. c
clxix. 775
clxx. *Henrici Remenſis archiepiſcopi ad Laudunenſem epiſcopum*, 776. a
clxxj. *Henrico Remenſi archiepiſcopo & epiſcopo Laudunenſi*, 776. d
clxxij *Henrico Remenſi archiep.* 778
clxxiij *Pro abbate & fratribus Trium-fontium*, 779
clxxiv. *Pro cauſa abbatiſſæ* d'Avenai, 780. a
clxxv. *Henrico Rem. archiep.* 780. c
clxxvj. *Abbati Flaviacenſi*, 781. b
clxxvij. *Pro P. adoleſcente*, 781. e
clxxviij. *Pro abbate S. Mariæ Virtuenſis*, 782.
clxxix. *Henrico Rem. archiep.* 783. b
clxxx. *Henrico Rem. archiepiſcopo & Hugoni epiſcopo Sueſſionenſi*, 783. d
clxxxj. *Henrico Rem. archiep.* 784. c
clxxxij. 784. c
clxxxiij. 785
clxxxiv. 786. c
clxxxv. 786. e
clxxxvj. 787
clxxxvij. 788. a
clxxxviij. *Henrici Remenſis archiepiſcopi ad epiſcopos & cardinales Romanæ eccleſiæ*, 788. c
clxxxix. *Henrici Remenſis archiepiſcopi ad Alexandum papam*, 789
cxc. *Henrico Rem. archiep.* 791. a
cxcj. 791. d
cxcij. 792. b
cxciij. 792. d
cxciv. *Morinenſi epiſcopo & abbati S. Quintini de Monte*, 793
cxcv. *Henrico Remenſi archiep.* 794
cxcvj. 795, b
cxcvij. 795. d
cxcviij. *Sueſſionenſi epiſcopo*, 796
cxcix. *Capituli Sueſſionenſis ad Henricum Remenſem archiepiſcopum*, 797. b
cc. *Henrico Rem. archiep.* 797. e
ccj. *Alberto ſacerdoti de Augeio, & Cerſolio*, 798. b
ccij. *Belvacenſi epiſcopo*, 798. d
cciij. *Henrico Rem. archiep.* 799. b
cciv. 799. d
ccv. 800. b
ccvj. 800. d
ccvij. 801
ccviij. 802. a
ccix. *Abbatiſſæ de Brobure*, 802. d
ccx. *Amalrici regis Jeroſolymorum Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 803

ccxj. *Henrico. Rem. archiep.* 805. a
ccxij. 805. d
ccxiij. *Pro F. clerico,* 806. a
ccxiv. *Henrico Rem. archiep.* 806. d
ccxv. *Abbati S. Remigii,* 807. b
ccxvj. *Henrico Rem. archiep.* 807. e
ccxvij. 808. c
ccxviij. 808. e
ccxix. 809. b
ccxx. 809. d
ccxxj. *Ambianensi & Meldensi episcopis,* 810. b
ccxxij. *Henrico Rem. archiep.* 810. e
ccxxiij. 811
ccxxiv. *O. abbati Vrsicampi & F. decano Remensi,* 812
ccxxv. *Henrico Rem. archiep.* 813. b
ccxxvj. 813. e
ccxxvij. 814
ccxxviij. 814
ccxxix. 815. a
ccxxx. *R. Catalaunensi archidiacono & abbati S. Memmii,* 816. b
ccxxxj. *Philippo abbati Pramonstratensi,* 816. c
ccxxxij. *Henrico Rem. archiep.* 817
ccxxxiij. 818
ccxxxiv. 820. a
ccxxxv. 820. d
ccxxxvj. *Pro Haiderico,* 821. a
ccxxxvij. *Pro priorissa de* Broburg, 821. d
ccxxxviij. *Henrico Rem. archiep.* 822. a
ccxxxix. *Pro Girardo,* 822. d
ccxl. *Henrico Rem. archiep.* 823. b
ccxlj. 823. e
ccxlij. *Capitulo Suessionensi,* 824
ccxliij. *Henrico Rem. archiep.* 825
ccxliv. *Pro Nicolao cive Catalaunensi,* 826. a
ccxlv. *Remensi & Rothomagensi archiepiscopis eorumque suffraganeis,* 826. c
ccxlvj. *Henrico Rem. archiep.* 827
ccxlvij. 828
ccxlviij. 829. a
ccxlix. *Henrico Remensi archiepiscopo & ejus suffraganeis,* 829. d
ccl. *Capitulo Suessionensi,* 830
cclj. *Henrico Remensi archiep.* 831
cclij. 832. b
ccliij. *Capitulo Suessionensi,* 832. c
ccliv. *Henrico Rem. archiep.* 833. b
cclv. 833. c
cclvj. *F. decano & capitulo Remensi,* 834
cclvij. *Henrico Rem. archiep.* 835. b
cclviij. 835. c
cclix. *Thiebaldo Ambianensi episcopo,* 836
cclx. *Henrico Rem. archiep.* 837
cclxj. 838
cclxij. 839. a
cclxiij. *F. decano & capitulo Remensi,* 839. d
cclxiv. *F. decano & capitulo Remensi,* 840
cclxv. *Henrico Rem. archiep.* 841
cclxvj. *Episcopo Catalaunensi,* 842. a
cclxvij. *G. Catalaunensi episcopo,* 842. d
cclxviij. *Pro Herberto cive Catalaunensi,* 843. a
cclxix. *Bituricensi, Remensi, Turonensi, Rothomagensi archiepiscopis,* 843. d
cclxx. *Decano & capitulo Carnotensi,* 844
cclxxj. *Henrico Rem. archiep.* 845. a
cclxxij. 845. c
cclxxiij. 846. b
cclxxiv. 846. c
cclxxv. 847. b
cclxxvj. 847. c
cclxxvij. 848
cclxxviij. 849. a
cclxxix. 849. c
cclxxx. 850. a
cclxxxj. *Henrico Remensi archiepiscopo & P. abbati S. Luciani,* 850. d
cclxxxij. *Henrico Remensi archiep.* 851
cclxxxiij. 852
cclxxxiv. 852
cclxxxv. *Gallicanis episcopis,* 853
cclxxxvj. *Henrico Remensi archiepiscopo & episcopo Ambianensi,* 854
cclxxxvij. *Henrico Remensi archiepiscopo & episcopo Ambianensi,* 855
cclxxxviij. *Henrico Rem. archiep.* 835. d
cclxxxix. 856
ccxc. 857
ccxcj. 858. a
ccxcij. 858. c
ccxciij. 859
ccxciv. 860
ccxcv. 861. a
ccxcvj. 862
ccxcvij. 862
ccxcviij. 863. b
ccxcix. *Vniversis fidelibus per regnum Francie constitutis,* 863. d
ccc. *L. archiepiscopi Nazareni ad Henricum archiepiscopum Remensem,* 864
cccj. *Henrico Rem. archiep.* 865
cccij. *Henrico Rem. archiep.* 866. a
ccciij. *Henrici Remensis archiepiscopi ad suos suffraganeos,* 866. c
ccciv. *Henrico Rem. archiep.* 868
cccv. 869. a
cccvj. 869. d
cccvij. 870. b
cccviij. 870. c
cccix. 871
cccx. 872
cccxj. *Philippo comiti Flandrie,* 873
cccxij. *Abbati Hamensi,* 874. b
cccxiij. *Henrico Rem. archiep.* 874. c
cccxiv. 875
cccxv. 876
cccxvj. 877
cccxvij. 878
cccxviij. 879
cccxix. *Friderici imperatoris,* 880
cccxx. *Henrico Rem. archiepiscopo, Catalaunensi episcopo & Virdunensi electo,* 881
cccxxj. *Henrico Rem. archiep.* 882
cccxxij. 883. a
cccxxiij. 883. d
cccxxiv. 884

cccxxv. 885. a
cccxxvj. 885. d
cccxxvij. 886 b
cccxxviij. 886. e
cccxxix. 887 c
cccxxx. *Bituricenſi & Ambianenſi præſulibus*, 887. e
cccxxxj. *Henrico archiep.* 888
cccxxxij. *Henrico Rem. archiep.* 889. b
cccxxxiij. 889. e
cccxxxiv. *Tornacenſi epiſcopo*, 890
cccxxxv. *Meldenſi & Ambianenſi epiſc.* 891
cccxxxvj. *Henrico Rem. archiep.* 892
cccxxxvij. *Henrico Remenſi archiepiſcopo & P. abbati S. Remigii*, 893 c
cccxxxviij. *Henrico Rem. archiep.* 893. e
cccxxxix. *Henrico Remenſi archiepiſcopo & G. Tornacenſi epiſcopo*, 894
cccxl. *Henrico Remenſi archiepiſcopo & G. Laudunenſi epiſcopo*, 895
cccxlj *Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 896
cccxlij *Henrico Rem. archiep.* 897 b
cccxliij. 897. e
cccxliv. 898
cccxlv. *Henrico Rem archiepiſcopo & G. Laudunenſi epiſcopo*, 899
cccxlvj. *Henrico Rem. archiepiſcopo*, 900. a
cccxlvij. *Catalaunenſi epiſcopo*, 900. d
cccxlviij. *Henrico Rem. archiep.* 901
cccxlix. 902
ccel. 903
ccclj. 904. a
ccclij. 905
ccclij. 905
cccliv. 906. b
ccclv. 906. d
ccclvj. *Turonenſi archiepiſcopo & Æduenſi epiſcopo*, 907
ccclvij. *Henrico Rem. archiep.* 909
ccclviij. 911
ccclix. *Illuſtri regi Francorum*, 912
ccclx. *Belvacenſi epiſcopo*, 913
ccclxj. *Archiep. Senonenſi pro nepote Henrici Rem. archiep.* 914. a
ccclxij *Epiſcopo Attrebatenſi*, 914. d
ccclxiij. *Henrico Rem. archiep.* 915
ccclxiv. 916. a
ccclxv. 916. d
ccclxvj. 917
ccclxvij. 918. a
ccclxviij. 918. e
ccclxix. 919
ccclxx. 920. a
ccclxxj. 920. d
ccclxxij. 921
ccclxxiij. 922. a
ccclxxiv. 922. c
ccclxxv. 923. a
ccclxxvj. 923. d
ccclxxvij. *Laudunenſi eccleſiæ*, 924. a
ccclxxviij. *Corbeienſi abbati*, 924. e
ccclxxix. *Henrico Rem. archiep.* 925. d
ccclxxx. 927. b
ccclxxxj. 927. d
ccclxxxij. *Willelmi cardinalis Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 928 c
ccclxxxiij. *Henrico Rem. archiep.* 928. e
ccclxxxiv. *Canonicis Præmonſtratenſibus*, 929
ccclxxxv. *Henrico Rem. archiep.* 931. a
ccclxxxvj. 931. c
ccclxxxvij. 932
ccclxxxviij. 933
ccclxxxix. 934
cccxc. *Ludovico regi Francorum illuſtri*, 935
cccxcj. *Henrico Rem. archiep.* 936. a
cccxcij. 636. c
cccxciij. 937. b
cccxciv. 937. e
cccxcv. 938
cccxcvj. 939. a
cccxcvij. 939. d
cccxcviij. 941. a
cccxcix. 941. c
cccc. *Henrico Rem. archiep.* 942. b
ccccj. 942. e
ccccij. 943
ccccij. 944
cccciv. *Henrico Remenſi archiepiſcopo & abbati Joiacenſi*, 945
ccccv. *Henrico Rem. archiep.* 946. b
ccccvj. 946. d
ccccvij. 947
ccccviij. 948. a
ccccix. 948 d
ccccx. 949
ccccxj. 950
ccccxij. 951
ccccxiij. 952. a
ccccxiv. 952. d
ccccxv. 953. b
ccccxvj. 953. d
ccccxvij. 954
ccccxviij. 955. b
ccccxix. 955 e
ccccxx. 956. c
ccccxxj. 956. e
ccccxxij. *Henrico Remenſi archiepiſcopo & G. Catalaunenſi epiſcopo*, 957
ccccxxiij. *Fratris Philippi Henrico Rem. archiep.* 958
ccccxxiv. *Rem. archiepiſcopo*, 659. b
ccccxxv. *Henrico Rem. archiep.* 659. e
ccccxxvj. 960
ccccxxvij. 961. c
ccccxxviij. 961. e
ccccxxix. 962
ccccxxx. 963
ccccxxxj. 964. a
ccccxxxij. 964. d
ccccxxxiij. 965
ccccxxxiv. 966. c
ccccxxxv. 966. e
ccccxxxvj. 967 c
ccccxxxvij. *Henrici Trecenſis comitis Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 967. e
ccccxxxviij. *Henrico Rem. archiep.* 968. b
ccccxxxix. 668. d
cccxl. 969

cccexlj. 970. b
cccexlij. 970. c
cccexliij. 971
cccexliv. 972. a
cccexlv. 973. c
cccexlvj. 973
cccexlvij. 974. b
cccexlviij. 974. d
cccexlix. *Henrico archiepiſcopo & omnibus abbatibus per archiepiſcopatum Remenſem conſtitutis*, 975
ccccl. *Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 975. a
ccccli. 976. d
cccclij. 977
ccccliij. 978. b
ccccliv. 978. d
ccccIv. 979. b
ccccIvj. 979. c
ccccIvij. 980
ccccIviij. 981
ccccIix. 982. b
ccccIx. 982. d
ccccIxj. 983. b
ccccIxij. 983. c
ccccIxiij. 984
ccccIxiv. 985. a
ccccIxv. 985. d
ccccIxvj. 986
ccccIxvij. 987
ccccIxviij. 988. a
ccccIxix. 988. d
ccccIxx. 989
ccccIxxj. 990
ccccIxxij. 991
ccccIxxiij. 992. b
ccccIxxiv. 992. c
ccccIxxv. 993
ccccIxxvj. 994. a
ccccIxxvij. *Henrico Rem. archiepiſcopo & ſuffraganeis ejus*, 994. c
ccccIxxviij. *Regis Jeroſolymorum Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 996
ccccIxxix. *Patriarchæ Jeroſolymitani Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 997
ccccIxxx. *P. prioris S. Sepulchri, Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 998
ccccIxxxj. *Henrico Rem. archiep.* 999. a
ccccIxxxij. 999. d
ccccIxxxiij. 1000. b
ccccIxxxiv. *Josberti hoſpitalis Jeroſolymitani magiſtri Henrico Remenſi archiepiſcopo*, 1000. c
ccccIxxxv. *Henrico Rem. archiep.* 1001
ccccIxxxvj. 1003
ccccIxxxvij. 1004. a
ccccIxxxviij. 1004. d
ccccIxxxix. 1005
cccccc. 1005. a
ccccxcj. 1006. c
ccccxcij. 1007
ccccxciij. 1008
ccccxciv. *Henrico Remenſi archiepiſcopo & Morinenſi epiſcopo*, 1009. a
ccccxcv. *Henrico Rem. archiep.* 1009. c

EPISTOLÆ VARIORUM ad S. Hildegardem cum ejuſdem ad eos reſponſis.

Obſervationes prævia, 1012. & ſeq.
Epiſtola j. *Abbatis Elevacenſis*, 1014. a
Reſponſum S. Hildegardis, 1014. d
ij. *H. abbatis Mulebrunnenſis*, 1015
Reſponſum S. Hildegardis, 1016. a
iij. *B. abbatis S. Michaelis Bambergenſis*, 1016. c
Reſponſum S. Hildegardis, 1017. b.
iv. *Bertholdi abbatis Zvvnieldenſis*, 1017. d
Reſponſum S. Hildegardis, 1018. b
v. *G. abbatis Salemenſis*, 1018. c
Reſponſum S. Hildegardis, 1019. b
vj. *B. abbatis S. Eucharii*, 1019. c
Reſponſum S. Hildegardis, 1020
vij. *L. abbatis S. Eucharii*, 1021. b
Reſponſum S. Hildegardis, 1021. c
viij. *Abbatis Buſonis-villæ*, 1022
Reſponſum S. Hildegardis, 1023
ix. *R. abbatis Zvvetellenſis*, 1024. a
Reſponſum S. Hildegardis, 1024. d
x. *Nicolai abbatis Halesbrunnenſis*, 1025
Reſponſum S. Hildegardis, 1026
xj. *Abbatum Bellæ-vallis, G. Cari-loci, A. Clariſontis, R. Caritatis, & G. Bethaniæ*, 1027
Reſponſum S. Hildegardis, 1028
xij. *N abbatis Eberdurdæ*, 1029
Reſponſum S. Hildegardis, 1030
xiij. *Richardi abbatis* Sprinchersbach, 1031
Reſponſum S. Hildegardis, 1032. a
xiv. *Cujuſdam abbatis*, 1032. c
Reſponſum S. Hildegardis, 1033. c
xv. *H. præpoſiti de* Flanheim, 1033. c
Reſponſum S. Hildegardis, 1034. b
xvj. *VV. abbatis* Hegennche, 1034. d
Reſponſum S. Hildegardis, 1035. c
xvij. *Abbatis de Veſcera*, 1035. e
Reſponſum S. Hildegardis, 1036. d
xviij. *N. abbatis in* Elveſtat, 1037. a
Reſponſum S. Hildegardis, 1037. c
xix. *H. abbatis in* Selboth, 1037. e
Reſponſum S. Hildegardis, 1038. d
xx. *H. præpoſiti in Herde*, 1039
Reſponſum S. Hildegardis, 1040. a
xxj. *H. Hamelenenſis monaſterii proviſoris*, 1040. c
Reſponſum S. Hildegardis, 1041. a
xxij. *abbatis in VVadegé*, 1041. c
Reſponſum S. Hildegardis, 1042. a
xxiij. *N. præpoſiti in* Undereſtlorf, 1042. d
Reſponſum S. Hildegardis, 1043. a
xxiv. *Friderici præpoſiti Vallis-Dei*, 1043. d
Reſponſum S. Hildegardis, 1044. a
xxv. *N. abbatis in* Rappenberh, 1044. d
Reſponſum S. Hildegardis, 1045
xxvj. *G. præpoſiti S. Victoris Moguntiæ*, 1046. a
Reſponſum S. Hildegardis, 1046. c
xxvij. *S. præpoſiti in Confluentia*, 1047. b

Responsum S. Hildegardis, 1047. d
xxviij. *A. S. Anareæ in Colonia præpositi*, 1048. b
Responsum S. Hildegardis, 1048. c
xxix. *A. Erphordiæ præpositi*, 1049. b
Responsum S. Hildegardis, 1049. c
xxx. *H. de domo in Moguntia præpositi*, 1050. b
Responsum S. Hildegardis, 1050 d.
xxxj *Helderici præpositi S. Simeonis Trevirensis*, 1051. b
Responsum S. Hildegardis, 1051. c
xxxij. *H. præpositi in* Knethstehde, 1052
Responsum S. Hildegardis, 1053 a
xxxiij. *H. præpositi in Bunna*, 1053. d
Responsum S. Hildegardis, 1054
xxxiv. *H. abbatis*, 1055. a
Responsum S. Hildegardis, 1055. d
xxxv. *Hadelheidis abbatissæ Ganderheimnensis*, 1056
Responsum S. Hildegardis, 1057. b
xxxvj. *N. abbatissæ*, 1057. d.
Responsum S. Hildegardis, 1058. c
xxxvij. *M. abbatissæ in* VVethdersvvinkele, 1058. c
Responsum S. Hildegardis, 1059 c
xxxviij. *H. abbatissæ de Altena*, 1060. b
Responsum S. Hildegardis, 1060. c
xxxix. *S. abbatissæ in* Altuvich, 1061. c
Responsum S. Hildegardis, 1062. b
xl. *S. abbatissæ in* Kisingun, 1062. d
Responsum S. Hildegardis, 1063. c
xlj. *R. abbatissæ S. Mariæ Ratisponensis*, 1063. c
Responsum S. Hildegardis, 1064
xlij. *N. abbatissæ in* Koufungim, 1065. d
Responsum S. Hildegardis, 1065. c
xliij. *N. abbatissæ in* Gerbestethde, 1066. a
Responsum S. Hildegardis, 1066. d
xliv. *Abbatissæ Montis S. Cyriaci*, 1067
Responsum S. Hildegardis, 1068
xlv. *N. abbatissæ in* Lutboldesberge, 1069 a
Responsum S. Hildegardis, 1069. c
xlvj. *N. abbatissæ*, 1069. e
Responsum S. Hildegardis, 1070. b
xlvij. *N. abbatissæ apud* VVidergoldesdorf, 1070. d
Responsum S. Hildegardis, 1071. b
xlviij. *H. abbatissæ de* Crouchdal, 1071. d
Responsum S. Hildegardis, 1072. a
xlix. *S. abbatissæ in* Babomberch, 1072 d
Responsum S. Hildegardis, 1073. a
l. *N. abbatissæ Veteris monasterii Moguntiæ*, 1073. d
Responsum S. Hildegardis, 1074. a
lj. *E. abbatissæ superioris monasterii Ratisbonensis*, 1074 b
Responsum S. Hildegardis, 1075
lij. *N. abbatissæ Nussimensis monasterii*, 1076. a
Responsum S. Hildegardis, 1076. c
liij. *N. abbatissæ Colonienſis*, 1077. a
Responsum S. Hildegardis, 1077. d
liv. *N. abbatissæ de* Didinkirkim, 1078. a
Responsum S. Hildegardis, 1078. d
lv. *T. abbatissæ Anturnacensis*, 1079
Responsum S. Hildegardis, 1080
lvj. *A. abbatissæ de* Crouchdal, 1082
Responsum S. Hildegardis, 1083. d
lvij. *G. Sanctimonialis*, 1086. a
Responsum S. Hildegardis, 1086
lviij. *B. Sacerdotis*, 1087
Responsum S. Hildegardis, 1088. a
lix. *V.* 1088. d
Responsum S. Hildegardis, 1089. b
lx. *T. menachi S. Benedicti*, 1089. c
Responsum S. Hildegardis, 1090. c
lxj. *B.* 1090. c
Responsum S. Hildegardis, 1091
lxij. *H. magistri de Trajecto*, 1092. a
Responsum S. Hildegardis, 1092. c
lxiij. *C. B. sacerdotum in* Ruthdelingun, 1093
Responsum S. Hildegardis, 1094
lxiv. *Sacerdotis Trevirensis*, 1095. a
Responsum S. Hildegardis, 1095. d
lxv. *Fratris S.* 1096 b
Responsum S. Hildegardis, 1097. a
lxvj. *V. Parisiensis Theologi*, 1097. d
Responsum S. Hildegardis, 1098
lxvij *Fratris O.* 1099
Responsum S. Hildegardis, 1100
lxviij. *N. decani S. Martini Moguntini*, 1102. b
Responsum S. Hildegardis, 1102. d
lxix. *N.* 1103
Responsum S. Hildegardis, 1104. a
lxx. *H. monachi Mulenbrunnunsis*, 1104. c
Responsum S. Hildgardis, 1105
lxxj. *N. monachi de Ebra Cisterciensis ordinis*, 1107. b
Responsum S. Hildegardis, 1107. d
lxxij. *V. VVesionensis*, 1108. b
Responsum S. Hildegardis, 1108. c
lxxiij. *H. Trajectensis canonici*, 1119
Responsum S. Hildegardis, 1110. a
lxxiv. *M. monachi & presbyteri*, 1110. c
Responsum S. Hildegardis, 1111. a
lxxv. *N. sacerdotis & magistri puerorum in Lutherum*, 1111. e
Responsum S. Hildegardis, 1112
lxxvj. *Monachorum Sigebergensium*, 1114
Responsum S. Hildegardis, 1115
lxxvij. *Monachorum Hirsaugiensium*, 1116
Responsum S. Hildegardis, 1117. a
lxxviij. *Monachorum Eberbacensium*, 1117. c
Responsum S. Hildegardis, 1118. b
lxxix. *N. prioris de Zvvifelda*, 1119. a
Responsum S. Hildegardis, 1119. d
lxxx. *Monialium Zvvifeldensium*, 1120
Responsum S. Hildegardis, 1121
lxxxj. *A. prioris & conventus de Monte S. Disibodi*, 1123 a
Responsum S. Hildegardis, 1112. c
lxxxij *Monachorum S Eucharii Trevirensis*, 1126. a
Responsum S. Hildegardis, 1126. d
lxxxiij *N. prioris & monachorum Cistellensium*, *Responsum*

Responsum S. Hildegardis, 1130. c
lxxxiv. *Henrici abbatis & conventus Montis S. Disibodi*, 1132

FRIDERICI II. IMPERATORIS Epistolæ variæ.

Observationes previæ, 1134
Epistola j. *Comiti Delphinò*, 1136. a
ij. *Papæ*, 1136. c
iij. *Quibusdam cardinalibus*, 1137
iv. *Regi Franciæ*, 1138
v. *Regi Franciæ*, 1139
vj. *Comiti Tolosano*, 1140
vij *Vercellensibus*, 1141
viij. *Regi Franciæ*, 1142
ix. *Ludovico regi Francorum*, 1143
x. *Duci Brabantiæ*, 1144
xj. *Marino de Balo sacri imperii in Papia vicario*, 1145
xij. *Summo pontifici*, 1146. b
xiij. *Universis fidelibus suis*, 1146. d
xiv. *Duci Londoiæ*, 1148. a
xv. *Potestati & communitati Florentiæ*, 1148. d
xvj. *Papiensibus*, 1149
xvij. *Regi Castellæ*, 1150
xviij. *Duci Lotharingiæ*, 1151
xix. *Fridericus nuntiat Germaniam se repetere contra Tartaros*, 1152
xx. *Vertellensibus*, 1153
xxj. *Papiensibus*, 1154. b
xxij. *Sarracenis*, 1154. e
xxiij. *Communitati*, 1155. c
xxiv. *Ravennensibus*, 1155. e
xxvj. *Rofrido Beneventano*, 1157. a
xxvij. *Principi*, 1157. c
xxviij. *Universis principibus*, 1159
xxix. *Petri de Vineis matri suæ*, 1160. c
xxx. *Petri de Vineis regi Conrado filio imperatoris*, 1160. e
xxxj. *Comitissæ Beatrici*, 1161
xxxij. *Regi Castellæ*, 1162. a
xxxiij. *Episcopo Reginensi*, 1162. d
xxxiv. *Regi Castellæ*, 1163. b
xxxv. *Petri de Vineis*, 1163. d
xxxvj. *Petri de Vineis Simoni Veneto*, 1164. a
xxxvij. *Petri de Vineis H. illustri Anglorum regi*, 1164
xxxviij. *Petri de Vineis magistro justitiario*, 1164. e
xxxix *Petri de Vineis, quam crucietur a creditoribus suis*, 1165. b
xl. *Conrado filio suo*, 1165. e
xlj. *Petri de Vineis archiepiscopo Barensi*, 1167. a
xlij. *J. de Columna cardinali*, 1167. c
xliij. *Comiti Provinciæ*, 1168
xliv. *Petri de Vineis cuidam archiepiscopo*, 1169
xlv. *Responsiva ad præcedentem*, 1170
xlvj. *Petri de Vinea*, 1171. a
xlvij. *Cuidam regi*, 1171. c
xlviij. *Cuidam regi*, 1172
xlix. *Archiepiscopi Capuani Petro de Vineis*, 1173. b
l. *Reparandas esse regni vires*, 1173. d
lj. *Accursii Petro de Vineis*, 1173. a
lij. *Archiepiscopi Panormitani Petro de Vineis*, 1174. b
liij. *Petri de Vinea archiepiscopo Panormitano*, 1174. d
liv. *Prædicti archiepiscopi Petro de Vineis*, 1175
lv. *Idem eidem*, 1176. b
lvj. *Petri de Vineis archiepiscopo Neapolitano*, 1176. c
lvij. *Archiepiscopo Capuano*, 1176. a
lviij *Petri de Vinea eidem archiepiscopo*, 1177. c
lix. *Lanfranco Spinulæ & consanguineis ejus*, 1177. e
lx. *Petri de Vineis amico*, 1178
lxj. *Petri de Vineis judici peregrino*, 1179
lxij. *Petri de Vineis amicis*, 1180
lxiij. *Petri de Vineis ad amicum*, 1181. b
lxiv. *De morte imperatoris*, 1181. e
lxv. *Justitiario Apuliæ*, 1182
lxvj. *Eidem*, 1183. b
lxvij. *Martino Ebulo*, 1183. c
lxviij. *Justitiariis*, 1183. e
lxix. *Thomæ de Monte-nigro justitiario principatus*, 1184
lxx. *Justitiario*, 1185. b
lxxj. *Comiti Provinciæ*, 1185. e
lxxij *Populo Arelatensi*, 1186
lxxiij. 1187
lxxiv *Justitiario Siciliæ*, 1188
lxxv. *Conradi in regem Romanorum electi ballivis judicibus & universis hominibus*, 1189
lxxvj. *Senatui populoque Romano*, 1190
lxxvij. *Comiti Casertano*, 1191
lxxviij. *Cruce-signatis apud Lugdunum congregatis*, 1192
lxxix *Universis cruce-signatis*, 1194
lxxx *Odoni cardinali*, 1202
lxxxj. *Castellano Pontis Tremuli*, 1203
lxxxij. *Ad comitem*, 1204
lxxxiij. *Justitiario Aprutii*, 1205. b
lxxxiv. *Stipendiariis*, 1205. d
lxxxv. *Richero de* *** 1206
lxxxvj. *Ad amicum*, 1207. a
lxxxvij. *Bajulis, judicibus &c. Panormi*, 1207. c
lxxxviij. *Justitiariis, &c.* 1208
lxxxix. *Communitati*, 1209
xc. *Potestati, consilio & communi Cremonæ*, 1210. a
xcj. *H. ducissæ Navarræ*, 1210. c
xcij *Comiti, &c.* 1211 Conradi quæ sequuntur.
xciij. *Responsiva ad quamdam epistolam de Calabria*, 1213
xciv. *Comiti Cremonæ*, 1214
xcv. *Marchioni*, 1215. a
xcvj. *Fideli suo*, 1215. c
xcvij. *Universitati Messanæ*, 1216. b

xcviij. *Fidelibus*, 1216. c
xcix *Johanni Turdo*, 1217
c. *Manfredi magistro N. decretorum doctori*, 1218. a
cj. *Manfredi justitiario*, 1220
cij. *Manfredi comiti Visarum*, 1221
ciij *Manfredi universitati Parisiensi*, 1218 d
civ. *Manfredi G. familiari suo*, 1222

SUMMARIA PRIVILEGIORUM ecclesiæ Romanæ.

Observatio prævia, 1224

EPISTOLÆ PONTIFICIÆ selectæ ex registro antiquo Urbani papæ IV.

Urbani epistola j. *Ad omnes communitates*, 1250
ij. *Ad regem Francorum*, 1252
iij. *Cujusdam cardinalis ecclesiæ Laudunensi*, 1254
iv. *Ejusdem ad Laudunensem ecclesiam*, 1255
v. *Ad Guidonem Narbonensem archiepiscopum*, 1256
vj. *Guidonis cardinalis ad regem Francorum*, 1257
vij. *Ad capitulum S. Petri*, 1258
viij. *Ad regem*, 1259. a
ix. *Ad abbatem Cisterciensem & capitulum generale*, 1259. d
x. *Nomine summi pontificis ad canonicos S. Mariæ*, 1260
xj. *Datur protector ordini Minorum*, 1261
xij. *Committitur officium legationis cuidam cardinali*, 1262
xiij. *Ad ecclesiam Laudunensem*, 1264
xiv. *Ad regis filiam*, 1265
xv. *Pro pauperibus clericis Parisius studentibus*, 1266. b
xvj. *Quod exhumetur regina*, 1266. c
1266. Epistola *Clementis papæ IV. ad electum Remensem*, 1267
Clementis papæ IV. ad Philippum Galliæ regis primogenitum, 1269
1271. *Gregorii papæ decimi ad Francorum regem*, 1270
1271. *Berardi de Neapoli ad Gregorium papam X.* 1271
1272. *Gregorii papæ X. ad episcopum Silvanectensem, & abbatem S. Dionysii*, 1272
1274. *Gregorii papæ X. ad B. Sabinensem electum*, 1273
Dominus papa illustri regi Siciliæ, 1274
1277. *Nicolai III. Rescriptum regi Franciæ illustri*, 1276
Ejusdem ad eumdem, 1276. e
1280. *Collegii cardinalium ad principes Italiæ*, 1278
Collegii cardinalium ad Venetos, 1279 1281.
Epistola j. *Martini papæ IV. ad Romanos*, 1280 1281.
ij. *Martini papæ IV. ad Philippum regem Francorum*, 1282 1281.
iij. *Martini papæ IV. ad B. archiep. Arelatensem*, 1283 1281.
iv. *Martini papæ IV. ad Carolum regem Siciliæ*, 1284. a 1281.
v. *Martini papæ IV. ad regem Siciliæ*, 1284 e 1281.
vj. *Martini papæ IV. ad regem Castellæ & Legionis*, 1286 1281.
vij. *Martini papæ IV. ad archiepiscopum & Capitulum ecclesiæ Senonensis*, 1288
viij. *Martini papæ IV. ad episcopum Parisiensem*, 1290
ix. *Martini papæ IV. ad magistrum & priores provinciales ordinis Prædicatorum*, 1291. a
x *Martini papæ IV. ad regem Castellæ & Legionis*, 1291. e 1282.
xj. *Martini papæ IV. ad universos archiepiscopos, episcopos, prælatos &c.* 1292 1282.
xij. *Martini papæ IV. ad Johannem cardinalem titulo S. Ceciliæ*, 1294 1283.
xiij. *Martini papæ IV. ad regem Angliæ*, 1297 1284.
B. de Neapoli ad regem Angliæ, 1299 1290.
xiv. *Martini papæ IV. ad regem Cypri*, 1300
bulla Nicolai papæ IV. in qua enumerantur census Romanæ ecclesiæ ex aliis ecclesiis, 1301
... *Papæ ad Robertum comitem Nivernensem*, 1305

EPISTOLÆ SELECTÆ JOHANNIS de Monsteriolo præpositi Insulensis.

Observatio prævia, 1310 1394.
j. *Ad Benedictum papam XIII.* 1314 1395.
ij. *Ad principem*, 1315
iij. *Caroli regis ad Wenceslaum Romanorum & Bohemiæ regem*, 1321
iv. *Ad quemdam episcopum*, 1322
v. *Caroli VI. Francorum regis ad Anglos*, 1323
vj. *Ad cardinalem*, 1325
vij. *Ad amicum*, 1329
viij. *Ad amicum*, 1330 1404.
ix. *Ad Antonium de Chalant cardinalem & archiepiscopum Tarentasiensium*, 1331 1404.
x. *Ad quemdam episcopum*, 1332. c
xj. *Ad suum præceptorem*, 1332. e
xij. *Ad amicum*, 1335. b Circ. 1405.
xiij *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1335. e 1405.
xiv. *Ad episcopum Cameracensem*, 1336. c 1405.
xv. *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1338 1405.
xvj. *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1339 1405.
xvij. *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1340. a 1405.
xviij. *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1340. c 1405.
xix. *Ad Benedictum papam XIII.* 1343
xx. *Ad quemdam episcopum*, 1349 1406.
xxj. *Ad quemdam episcopum*, 1350. c
xxij. *Ad principes & nobilem militiam Galli-*

canam, 1350. c
1397. xxiij. *Ad principem*, 1361
1404. xxiv. *Ad principes regii Francorum sanguinis*, 1362. c
1408. xxv. *Ad quemdam episcopum*, 1362. c
1408. xxvj. *Ad anonymum*, 1363. b
1409. xxvij. *Ad quemdam episcopum*, 1363. c
1409. xxviij. *Caroli regis Navarræ ad universos*, 1364
1409. xxix. *Caroli regis Navarræ ad Martinum Aragonum regem.* 1366
1409. xxx. *Caroli regis Navarræ ad infantem Castellæ*, 1368
1409. xxxj. *Ad Alexandrum papam V.* 1369
xxxij. *Ad Alexandrum papam V.* 1370
1409. xxxiij. *Oratio ad Alexandrum papam V. post ejus promotionem*, 1374
xxxiv. *Ad Nicolaum præceptorem*, 1378
xxxv. *Ad amicum*, 1378
xxxvj. *Ad suum præceptorem*, 1380
1411. xxxvij. *Ad quemdam cardinalem*, 1383
xxxviij. *Ad quemdam episcopum*, 1385
xxxix. *Ad quemdam episcopum*, 1386
xl. *Ad quemdam episcopum*, 1388
xlj. *Ad Petrum & Gontherum præceptores suos*, 1398
xlij. *Ad præceptorem suum*, 1404
xliij. *Ad præceptorem*, 1405
xliv. *Ad præceptorem suum*, 1406. a
xlv. *Ad Aquisgranenses*, 1406. c
xlvj. *Ad amicum*, 1409 b
xlvij. *Ad Laurentium de Primo-fato*, 1409. d
xlviij. *Ad amicum*, 1411
xlix. *Ad quemdam cardinalem amicum*, 1412
l. *Ad suum præceptorem*, 1414. c
lj. *Ad præceptorem*, 1414. c
lij. *Ad amicum*, 1415
liij. *Ad amicum*, 1416
liv. *Ad quemdam causidicum*, 1419
lv. *Ad quemdam episcopum*, 1420
lvj. *Ad quemdam amicum*, 1421
lvij. *Ad quemdam anonymum*, 1422
lviij. *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1423
lix. *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1426
lx. *Ad amicum*, 1428
lxj. *Ad quemdam episcopum*, 1429
lxij. *Ad Nicolaum de Clemengis*, 1431
lxiij. *Ad quemdam episcopum*, 1432 c
lxiv. *Ad amicum*, 1432. c
lxv. *Ad quemdam episcopum*, 1434. a
lxvj. *Ad amicum*, 1434. d
lxvij. *Ad amicum*, 1435
lxviij. *Ad amicum*, 1436
lxix. *Ad amicum*, 1437. a
lxx. *Ad præceptorem suum*, 1437. c
lxxj. *Ad Carolum V. Francorum regem*, 1443
lxxij. *Ad amicum*, 1452
lxxiij. *Ad amicum*, 1453
lxxiv. *Ad cardinalem de Florentia*, 1453. d
lxxv. *Anonymi Johanni de Monterolio*, 1454
lxxvj. *Ambrosii de Miliis ad Gontherum*, 1456
1435. lxxvij. *Ambrosii de Miliis ad Gontherum*, 1459.

EXCERPTA EX SIXTI IV. Registro anni M CCCCLIV.

Epistola j. *Friderico Romanorum imperatori*, 1466
ij. *Duci Mediolanensi, Venetiarum duci Herculi & Florentinis*, 1468
iij. *Johanni Ludovico de Sabaudia notario nostro, Gebennensis ecclesiæ administratori*, 1468
iv. *Regi Ferdinando*, 1468
v. *Matthiæ Hungariæ &c. regi illustri*, 1469
vj. *Cardinali Hispalensi*, 1469
vij. *Regi Franciæ*, 1470
viij. *Duci Ferrariæ*, 1470
ix. *Johanni Baptistæ de Bentivoliis equiti & Jurisconsulto*, 1471
x. *Friderico duci Urbini S. R. E. Confalonerio*, 1471
xj. *Locum tenenti legati Marchiæ*, 1472
xij. *Friderico imperatori*, 1472
xiij. *Archiepiscopo Lugdunensi*, 1472
xiv. *Regi Franciæ*, 1473
xv. *Johannæ de Arragonia ducissæ Arcis & Soræ*, 1473
xvj. *Andreæ de Spiritibus*, 1474
xvij. *Regi Franciæ*, 1475
xviij. *Constantio Sfortiæ Pisauri in temporalibus papæ vicario*, 1475
xix. *Regi Ferdinando*, 1475
xx. *Regi Ferdinando*, 1476
xxj. *Cardinali Cantuariensi*, 1476
xxij. *Comiti Palatino Rheni S. R. J. electori*, 1477
xxiij. *Galeatio mareschallo de Calecis equiti Bononiensi*, 1477
xxiv. *Ludovico regi Francorum Christianissimo*, 1478
xxv. *Regi Arragonum*, 1478
xxvj. *Regi Ferdinando*, 1479
xxvij. *Regi Francorum*, 1479
xxviij. *Duci Ferrariæ*, 1480
xxix. *Johanni de Arragonia papæ notario*, 1480
xxx. *Fratri Jacobo de Marchia ordinis Minorum de observantia*, 1480
xxxj. *Duci Mediolani*, 1481
xxxij *Imperatori*, 1481
xxxiij. *Duci Burgundiæ*, 1482
xxxiv. *Friderico comiti Palatino Rheni sacri imperii Romani electori*, 1482
xxxv. *Friderico imperatori*, 1482
xxxvj. *Regi Franciæ*, 1483
xxxvij *Eidem*, 1483
xxxviij. *Johanni regi Arragonum*, 1484
xxxix. *Vvlatscho duci S. Sabæ*, 1484
xl. *Francisce duci Britanniæ*, 1485
xlj. *Bertrando Milon militi*, 1485
xlij. *Manfredo ex marchionibus Cevæ juris utriusque doctori*, 1486
xliij. *Mariæ quondam uxori Rolandi de Carreto*, 1486

xliv. *Regi Francie*, 1487
xlv. *Regi Ferdinando*, 1587
xlvj. *Gubernatoribus, conſulibus & communitatibus ac Thurego, Berna, Lucerna, &c.* 1488
xlvij. *Maximiliano*, 1489
xlviij. *Regi Francie*, 1489
xlix. *Stephano Vaivode Moldavie &c.* 1490
l. *Regi Polonie*, 1490
lj. *Duci Mediolani*, 1491
lij. *Johanni regi Aragonum*, 1491
liij. *Helie archiepiſcopo Turonenſi*, 1492
liv. *Matthie regi Hungarie*, 1492
lv. *Bartholomeo de Andegavia armorum ducatori capitaneo*, 1493
lvj. *Regi Francie*, 1493
lvij. *Magiſtro & capitulo generali religionis S. Johannis Hieroſolymitani Rhodii proxime celebrando*, 1495
lviij. *Duci Venetiarum*, 1496
lix. *Ludovico duci Bavarie*, 1497
lx. *Friderico duci imperatori*, 1497
lxj. *Magiſtro de Calatrava*, 1498
lxij. *Duci Ferrarie*, 1499
lxiij. *Ferdinando regi Sicilie illuſtri*, 1500
lxiv. *Ludovico regi Francorum chriſtianiſſimo*, 1500
lxv. *Eidem*, 1501
lxvj. *Eidem*, 1502
lxvij. *Imperatori*, 1502
lxviij. *Regi Francorum*, 1503
lxix. *Eidem*, 1504
lxx. *Cardinali Cantuarienſi*, 1506
lxxj *Regi Francorum*, 1508
lxxij. *Eidem*, 1508
lxxiij. *Duciſſe Sabaudie*, 1509
lxxiv. *Regi Francorum*, 1509
lxxv. *Epiſcopo Taurinenſi*, 1510
lxxvj. *Johanni Silvaigo Januenſium capitaneo triremium*, 1511
lxxvij. *Epiſcopo Tridentino*, 1512
lxxviij. *Imperatori*, 1512
lxxix. *Archiepiſcopo Lugdunenſi*, 1513
lxxx. *Archiepiſcopo Narbonenſi*, 1514
lxxxj. *Archiepiſcopo Lugdunenſi*, 1514
lxxxij. *Regi Francorum*, 1515
lxxxiij. *Dilectis filiis univerſis & ſingulis per Italie partes dominis & officialibus ad quos præſentes littere pervenerint*, 1516
lxxxiv. *Duci Britannie*, 1517
lxxxv. *Imperatori*, 1517
lxxxvj. *Patriarche Antiocheno*, 1519
lxxxvij. *Angelo de Urſinis domicello Romano*, 1519
lxxxviij. *Regi Ferdinando*, 1520
lxxxix. *Duci Burgundie*, 1520
xc. *Duci Venetiarum*, 1521
xcj. *Regi Ferdinando*, 1522
xcij. *Duci Calabrie*, 1522
xciij. *Regi Aragonum*, 1523
xciv. *Regi Francie*, 1524
xcv. *Pe. tituli S. Georgii ad Velum-aureum presbytero cardinali*, 1525
xcvj. *Duci Mediolanenſi*, 1525
xcvij. *Generali ordinis Prædicatorum*, 1526
xcviij. *Regi Francorum*, 1526
xcix. *Regi Aragonum*, 1526
c. *Duci Mediolanenſi*, 1528
cj. *Regi Hungarie & Bohemie*, 1529
cij. *Cardinali S. Petri ad Vincula*, 1529
ciij. *Regi Francorum*, 1530
civ. *Duci Britannie*, 1530
cv. *Regi Francorum*, 1531
cvj. *Stephano Vaivode*, 1531
cvij. *Ambroſio de Eccleſia civi Saonenſi*, 1532
cviij. *Duci Venetiarum*, 1532
cix. *Imperatori*, 1533
cx. *Regi Hungarie*, 1535
cxj. *Andrea Vindianimo duci Venetiarum*, 1535
cxij. *Stephano VVaivoda Moldavie domino*, 1536
cxiij. *Duci Burgundie*, 1537
cxiv. *Regi Anglie*, 1537
cxv. *Eidem*, 1538
cxvj. *Duci Venetiarum*, 1538
cxvij. *Duci Ferrarie*, 1539
cxviij. *Duciſſe Sabaudie*, 1540
cxix. *Nobili mulieri imperiali de Columna*, 1540
cxx. *Raymundo de Urſinis*, 1541
cxxj. *Duci Ferrarie*, 1541
cxxij *Duci Mediolanenſi*, 1541
cxxiij. *Neapuleoni de Urſinis*, 1542
cxxiv. *Regi Ferdinando*, 1542
cxxv. *Regi Ferdinando*, 1543
cxxvj. *Imperatori*, 1543
cxxvij. *Regi Hungarie*, 1546
cxxviij. *Carolo de Manfredis Faventie in temporalibus pape vicario*, 1547
cxxix. *Regi Francie*, 1547
cxxx. *Cardinali Melfitenſi pape in Urbe legato*, 1548
cxxxj. *Andree Vendramino duci Venetiarum*, 1548
cxxxij. *Archiepiſcopo Sipontino Perufie gubernatori*, 1549
cxxxiij. *Ancharotio vice regi Sardinie*, 1549
cxxxiv. *Regi Ferdinando*, 1550
cxxxv. *Beatrici regine*, 1550

INDEX ALPHABETICUS.

Diplomatum, & eorum ad quos directæ sunt epistolæ hujus tomi.

Veterum monumentorum Stabulensis monasterii.

ADRIANI papæ IV. privilegium Vvibaldo abbati concessum, 129
Alberonis episcopi Leodiensis diploma pro monasterio Stabulensi, 108
Albrici Clerici & abbatis diploma pro monasterio Stabulensi, 21
Arnoldi archiepiscopi Coloniensis diploma Vvibaldo abbati, 113. 114
Arnulfi regis Lintfrido comiti, 33
Bertranni abbatis Stabulensis electio confirmata ab Henrico rege, 54. c
Bosonis nobilis viri carta pro monasterio Stabulensi, 83
Erunonis archiepiscopi Coloniensis diploma Vverinfrido abbati Stabulensi, 46
Carolomanni Majoris-domus præceptum datum Anglino, 19. 20
Caroli Crassi imperatoris diploma Antonio episcopo & abbati Stabulensi concessum, 81
Caroli IV. imperatoris privilegium Hugoni abbati Stabulensi, 133. c
Litteræ Vvinceslao duci Lucemburgensi, 135
Diploma pro Vvarnerio de Ockiores *Stabulensi & Malmundariensi abbate*, 136
Caroli Simplicis diploma in gratiam Fulradi cœnobitæ, 39
Placitum coram Carolo Martello majore domus habitum apud Glamanvillam, 15
Childerici regis præceptum datum Anglino Stabulensi abbati, 17
Clodovei regis præceptum datum Papolino abbati Stabulensi, 14
Cœlestini papæ II. epistola ad episcopum clerum & populum Leodiensem pro monasterio Stabulensi, 117
Privilegium Vvibaldo abbati, 118
Commutatio inter S. Maximini monachos & Stabulenses, 58
Commutatio facta inter Nantherum S. Martini Metensis abbatem & Popponem Stabulensem, 56
Conradi II. imperatoris diploma pro monasterio Stabulensi in gratiam Vvibaldi abbatis, 103. 110
Cunonis abbatis Stabulensis carta pro monasterio Stabulensi, 84
Ejusdem abbatis de mala consuetudine ab eo sublata, 86
Dagoberti regis Austrasiorum diploma Goduino abbati concessum, 13
De dedicatione ecclesiæ Stabulensis & inventione corporis S. Remacli, 60
Discretio concambii de Astelbrunna & Cornaroïmo, 65
Erlebaldi abbatis constitutio de suo & fratris sui Vvibaldi abbatis anniversario celebrando, 130
Everacli episcopi Leodiensis diploma Vverinfrido abbati Stabulensi, 47
Eugenii papæ III. privilegium Vvibaldo abbati, 121. c
Folmari abbatis Stabulensis litteræ, 81
Friderici Coloniensis archiepiscopi diploma pro monasterio Stabulensi, 87
Friderici III. imperatoris diploma Gaspari abbati Stabulensi, 145
Diploma ad Philippum Burgundiæ ducem, 146
Friderici ducis & advocati Stabulensis, 72
Gaspardi abbatis Litteræ de fundatione duorum altarium in ecclesia Stabulensi, 147
Gerardi abbatis S. Martini Metensis Litteræ seu notitia de servitio pagensium sigalinorum suo monasterio restituto, 45
Gregorii papæ V. diploma Vverinfrido abbati concessum, 52
Henrici Romanorum regis diploma pro monasterio Stabulensi, 41
Henrici II. imperatoris diploma pro monasterio Stabulensi; 64
Henrici III. Romanorum regis præceptum Popponi abbati concessum; 59
Diploma Rodulfo abbati concessum, 75
Diploma Theoderico concessum, 70
Henrici IV. imperatoris diploma Popponi II. concessum, 82
Henrici de Lucemburgo litteræ pro monasterio Stabulensi, 133. a
Herefridi nobilis viri restitutio facta monasterio Stabulensi, 137
S. Heriberti Coloniensis archiepiscopi privilegium Bertranno abbati Stabulensi, 55
Hilderici regis diploma, 9. 10
Instrumentum publicum de facultate administrandi ecclesias parochiales data auctoritate apostolica monachis Stabulensibus, 139
Judoci marchionis Brandeburgensis diploma pro monasterio Stabulensi, 138
Leonis papæ IX. diploma Theoderico abbati, 67
Ejusdem papæ bulla Galdulfo Stabulensis ecclesiæ thesaurario, 69

Lotharii II. regis Germaniæ diploma pro monasterio Stabulensi, 26
Diploma Vvibaldo abbati concessum, 96. 98
Lucii papæ III. privilegium Vvibaldo abbati Stabulensi concessum, 111. a
Ludovici Pii, diploma Virundo abbati Stabulensi datum, 21. 23
Ejusdem & Lotharii Andoino abbati Stabulensi, 24
Ludovici regis Franciæ orientalis pro monasterio Stabulensi, 27. 28. 30
Ludovici regis Austrasiorum præceptum, 36
Macarii de Cimai *& Bozonis* de Bartz, *carta pro monasterio Stabulensi*, 74. c
Notitia de invadiatione Curtis de Spriſimont, 74. a
Nuntii apostolici epistola ad episcopum Leodiensem, 152
Ottonis I. imperatoris præceptum pro monasterio Stabulensi, 42. 43. 48
Ottonis II. imperatoris diploma Vverinfrido abbati, 49
Ejusdem imperatoris præceptum Ravingero abbati, 50
Ottonis III. *imperatoris præceptum Ravengero abbati*, 51
Sauvegarde de Philippe duc de Bourgogne &c. pour l'abbé & doyen de Stavelot & Malmedy, 143
de possessionibus Stabulensis monasterii sub S. Poppone, 89
Præstaria facta cum habitatoribus Burcitæ petente Harduino & Oberto comite, 38. a
Præstaria facta Gisiæ & filiis ejus, 40
Reginarii comitis Missi dominici & abbatis Stabulensis diploma, 38. c
Rigoldi de Alzunza carta pro monasterio Stabulensi, 78
Rodulfi abbatis Stabulensis carta Riciero canonico S. Dionysii, 77
Sigeberti regis diploma de fundatione monasteriii Casegonguidunensis, 6
Ejusdem præcepium datum S. Remaclo, 6. 7
Silvestri papæ II. bulla Ravingero abbati, 54. a
Stabulensium monachorum littera ad Vvibaldum abbatem, 94. 122
Theodericici Trevirensis archiepiscopi & Hugonis Leodiensis episcopi judicium, quo castrum de Longia & domus de Coblenz *asseruntur abbati Stabulensi*, 133
Theoderici regis præceptum datum Godoino abbati Stabulensi, 12
Tituli altarium sacri ædis Stabulensis, 66
Vvenceslai Romanorum regis littera Stabulensi abbati, 137
Vvibaldi abbatis carta de rebus ab eo gestis, 92
Constitutio, 93
Diploma pro Azone abbate de Monte-publico, 95
Carta pro ecclesia S. Martini Leodiensis, 102
Litteræ pro Radulfo de Coblenz, 231
Carta de defectu Bovariorum in curte Lerneu, 116
Carta de restauratione Castelli & translatione ville Longiæ, 106
Litteræ de his quæ in beneficium Reinero de Rupe apud Novam-villa concessit, 126
de Vvinando de Lemburgo excommunicato ob illatas Stabulensi monasterio injurias, 125
Zuendeboldi regis Liutfrido comiti, 34
Ejusdem præceptum pro monasterio Stabulensi, 35

EPISTOLARUM VVIBALDI abbatis & aliorum.

A. ad Vvibaldum abbatem, 367. c. 566. a
A. præpositi Corbeiensis ad Vvibaldum abbatem, 243. a. 255. a
Adriani papæ IV. ad archiepiscopum Bavembergensem & Vvibaldum abbatem, 592
Ad Coloniensem archiepiscopum Constantiensem episcopum &c. 590
Moguntino Antistiti, 610
Ad Bernardum Patherbornensem episcopum & Gi. Liesbornensem abbatem, 596. c
Ad Vvibaldum abbatem, 589. 590. b.c. 592. a. d. 597. 616. 619
Ad Vvicmannum archiepiscopum Magdeburgensem, 578
Amici ad Vvibaldum abbatem, 572
Anastasii papæ IV. ad Vvibaldum abbatem, 572
Annonis epistola ad Vvibaldum, 206
Anonymi ad Vvibaldum, 394
Anselmi episcopi Havelbergensis ad Vvibaldum abbatem, 326. c. 419.
Arnoldi archiepiscopi Coloniensis ad Eugenium papam III. 532. c. *ad Vvibaldum abbatem*, 532. a
Arnoldi Moguntini archiepiscopi ad Vvibaldum abbatem, 596. c
Arnoldi ad Vvibaldum abbatem, 493
Ascholfi Fuldensis ad Vvibaldum, 213. b
Bernardi & Gregorii cardinalium ad Eugenium papam, 561
Ad O. Halberstadensem episcopum, 561. b
Ad Vvibaldum abbatem, 562
Bernardi episcopi Patherburnensis & Vvibaldi abbatis ad Eugenium III. 364. d
Ad Henricum Mindensem, 451. c
Ad Vvibaldum abbatem, 265. d. 325. 549
Bernardi episcopi Hildenesheimensis ad Corbeienses, 301. b
Ad Eugenium papam III. 233
Ad Vvibaldum, 300 d
Bovonis præpositi ad Vvibaldum, 219. c
Bremensis & Bucensis ecclesiæ epistola ad Vvibaldum abbatem, 204. b
Brunonis Hildesheimensis episcopi ad Vvicmannum archiepiscopum Magdeburgensem, 584. a
Bucensis ecclesiæ epistola ad Vvibaldum abbatem, 204. b
C. abbatis B. M. in Grevenkerken *ad Eugenium*, 237

C. abbatis Patherburnensis ad Vvibaldum abbatem, 576. a
Cujusdam canonici regularis ad Vvibaldum abbatem, 542. a
Cancellarii ad Vvibladum abbatem, 444
Colonienſis eccleſiæ ad Eugenium papam III. 488
Conradi imperatoris epiſtola ad Eugenium papam III. 198. 204. c. 365. 369. d. 384. 401. a. 404. 406. a. 410. 483. 491. 499
Ad Henricum archiepiſcopum Moguntinum, 490
Ad H. Leodienſem epiſcopum, 458
Ad H. epiſcopum Mindenſem, 361. 363. 447. a
Ad H. ducem Saxoniæ, 203. 207. 433
Ad J. abbatiſſam de Herevord, 208. a
Ad imperatricem Græcorum, 376
Ad Manuelem imperatorem Conſtantinopolitanum, 375. 401. d
Ad Piſanos, 500
Ad Quindelinburgenſes moniales, 385
Ad Romanos, 498. d
Ad fratres Stabulenſes, 195. b
Monaſterio Vvalciodorenſi, 456. d
Ad Vvibaldum abbatem, 193. 212. 252. 299. 355. 361. 417. d. 434. 438. a. 443. a. 459. b. 495. a.
Conradi Romanorum regis II. præceptum a Vvibaldo abbate Stabulenſi impetratum pro monaſterio Reinehuſano, 600
Pro monaſterio Corbeienſi, 602. 604. 606. 607
Corbeienſis prioris ad S. abbatem, 246. b
Corbeienſium monachorum ad Bernardum epiſcopum Hildenesheimenſem, 317
Ad Guidonem cardinalem, 202
Ad Stabulenſes, 195. 224. 225
Ad Vvibaldum abbatem, 247. 248. 255. 256. 347. 480
D. epiſcopi Pragenſis ad Vvibaldum abbatem, 415
Eugenii papæ III. epiſtola ad A. epiſcopum Havelbergenſem, 211. d
Ad A. Bremenſem, H. Mindenſem & T. Ferdenſem antiſtites, 240
Ad Bernardum epiſcopum Patherburnenſem, 506. d
Ad Colonienſes, 502
Ad Conradum imperatorem, 357. 367. 371. 438. c. 503
Ad Corbeienſes monachos, 229. c. 241. a
Ad Eberardum epiſcopum Salisburgenſem, 551
Ad Ebracenſem, Everbacenſem, Hersfeldenſem & Corbeienſem abbates, 242
Ad Ferdenſem epiſcopum, 508. c
Ad Fridericum imperatorem, 548
Concordia ejus cum Friderico imperatore, 557
Ad Fuldenſes, 241. d.
Ad H. Bremenſem archiepiſcopum, 437. 505. d
Ad Henricum archiepiſcopum Moguntinum, 506. b
Ad Henricum Leodienſem epiſcopum, 230. b. 504
Ad Henricum epiſcopum Mindenſem, 437. 509
Ad Henricum juniorem Romanorum regem, 231. 239
Ad Henricum ducem Saxoniæ, 508. b
Hermanno Trajectenſi epiſcopo, 507. b
Ad abbatem Lunenburgenſem, 509. c
Ad capitulum Magdeburgenſe, 550
Ad Manuelem imperatorem C. P. 559
Ad prælatos & comites ac barones Germaniæ, 510
Ad prælatos Poloniæ, 406. d
Ad Teutonicos prælatos, 239. c
Ad Reinerium canonicum Havelbergenſem, 212. a
Ad Uiricum epiſcopum Halberſtadenſem, 507
Ad Vvibaldum abbatem & fratres Corbeienſes, 293
Ad Vvibaldum abbatem, 435. a. 436. 553. 558
F. abbatis S. Godehardi ad Vvibaldum abbatem, 289
Friderici Monaſterienſis epiſcopi ad Vvicmannum archiepiſcopum Magdeburgenſem, 583.
Friderici imperatoris ad Corbeienſes monachos, 537. c
Ad Eugenium papam III. 516
Ad Fridericum epiſcopum Monaſterienſem, 598. b
Ad H. de Limburg, 595. c.
Ad Henricum regem Anglorum, 587
Ad cives Huxerienſes, 538. b.
Ad capitulum Oſnaburgenſe, 598. c
Ejus diploma aureis conſcriptum litteris in conventu Mersburgi conceſſum Vvibaldo abbati, 613
Ad Vvicmannum archiepiſc. Magdeburg. 581
Ad Vvibaldum abbatem, 537. b. 567. b. 582. a. 586. 593. b. 594
Conventio ejus cum Bertolfo duce, 523. d
Fuldenſium monachorum ad Vvibaldum abbatem, 265. b. 278
Ad Corbeienſes, 279. a
G. aurifici ad Vibaldum abbatem, 270. b.
G. cardinalis legati ad Henricum Mindenſem epiſcopum, 364. c
G. diaconi cardinalis ad Conradum imperatorem, 407
Girardi abbatis Solemniacenſis ad Vvibaldum abbatem, 353. c
Gregorii & Jacobi cardinalium ad Henricum Leodienſem epiſcopum, 505. a
Ad Eugenium papam, 561. b
Ad O. Halberſtadenſem epiſcopum, 561. b
Guidonis cardinalis ad Anſelmum epiſcopum Havelbergenſem, 325. c. 326. a
Ad Vvibaldum abbatem, 210. 227. a. 358. 400. 440. a. 562. a. c. 573. a
H. Vvibaldo abbati, 361. c
H. Hamenburgenſis epiſcopi ad Vvibaldum abbatem, 416. c
H. abbatis B. Mariæ in Flechtorp *ad Euge-*

nium papam III. 236. a
H. prioris & conventus Corbeiensis monasterii ad Vvibaldum, 482. a
abbatis B. Mariæ in Hamulungesburnen *ad Eugenium papam,* 238
Henrici archiepiscopi Moguntini ad Vvibaldum abbatem 294
Henrici Leodiensis episcopi ad Eugenium papam III. 487
ad Stephanum Metensem, 521. e
ad Vvalciodorenses & Hasterienses, 522
ad Vvibaldum abbatem, 222. 459. d
Henrici episcopi Mindensis ad Bernardum episcopum Patherburnensem, 431. a
ad Vvibaldum abbatem, 300. a. 428. 448. d
Henrici monachi epistola ad Vvibaldum abbatem, 208. 280. e
H. monachi, ut videtur Fuldensis, Vvibaldo abbati, 288
Henrici monachi Stabulensis ad Vvibaldum abbatem, 474. 478. 479
Henrici Romanorum regis ad Eugenium papam III. 230. e. 232. 268
ad Emmanuelem imperatorem CP. 378
ad imperatricem, 379
ad Vvibaldum abbatem, 212. c. 260. 261. b. 264. e
Henrici ducis Bavariæ & Saxoniæ ad imperatorem Fridericum, 588. a
ad Vvibaldum abbatem, 449. 467. c. 595. c
Henrici ducis Saxoniæ ad Eugenium papam III. 234
Henrici comitis Namurcensis ad Eugenium papam, 244
Henrici comitis de Salmes *ad Vvibaldum abbatem,* 569
Henrici regiæ curiæ notarii ad Vvibaldum abbatem, 390. 439. 519. a. 539, d
Heriberti-capellani ad Henricum priorem Corbeiensem, 459. c
Herimanni comitis epistola ad Eugenium papam III. 203. b
Herimanni comitis Vvincenburgensis ad Eugenium papam III. 235
Hermanni episcopi Constantiensis ad Vvibaldum abbatem, 373
Hu. de Baucio ad Vvibaldum abbatem, 565.
Jacobi cardinalis ad Henricum Leodiensem episcopum, 505. a
Imperatoris CP. ad Vvibaldum, 498 a
de Imperatoribus ex sanguine Caroli-magni, 580
Johannis cardinalis ad Vvibaldum abbatem, 229. a
Johannis abbatis Fritheslellensis ad Vvibaldum abbatem, 386. b
Johannis notarii ad R. principem & comitem Ric. 423. a
Kanuti regis Daniæ ad Conradum imperatorem, 496. c
Leodiensis capituli ad Vvibaldum abbatem, 261. e
S. Liborii capituli ad Vvibaldum abbatem, 266. d
Manegoldi ad Vvibaldum abbatem, 331.
Manuelis imperatoris CP. ad Vvibaldum abbatem, 574. b
Præpositi decani & canonicorum Mindensium ad Vvibaldum abbatem, 465
H. Moraviensium ad Vvibaldum abbatem, 414
Notitia de duello in juramentum conversa, 330
O. ad Halberstadensem decanum archidiaconos &c. 573. d
Odonis abbatis S. Remigii ad Vvibaldum abbatem, 280. e
Monialium de Ostermere *ad abbatem Vvibaldum,* 583
Ottonis episcopi Frisingensis ad Vvibaldum abbatem, 254. e
P. Esculani episcopi ad Vvibaldum abbatem, 369
R. abbatis ad Vvibaldum abbatem, 292
R. præpositi ad Vvibaldum abbatem, 395
Præpositi Hildenesheimensis ad Vvibaldum abbatem, 392
R. Stabulensis monachi ad Vvibaldum abbatem. 462
R. monachi ad Vvibaldum abbatem, 420. 593
Rainardi abbatis ad Vvibaldum, 216.
Roberti decani Stabulensis ad Vvibaldum abbatem, 219. a
Senatoris cujusdam ad Conradum imperatorem, 399
Senatus populique Romani ad Conradum imperatorem, 369. d
Sixti Nicolai & Guidonis consiliatorum curiæ Romanæ ad Conradum imperatorem, 398
Stabulensium monachorum ad Conradum imperatorem, 422
ad Corbeienses, 196
ad Vvibaldum abbatem, 217. 418 421. 473. 477. 567. d
Stephani episcopi Metensis ad Theodericum abbatem Vvalciodorensem, 453. b
ad Vvibaldum abbatem, 452. b. 523. b. 566. d
Stephani monachi ad Vvibaldum abbatem, 279. d
Suenonis regis Daniæ ad Conradum imperatorem, 495. d
Theoderici abbatis Corbeiæ-novæ litteræ Corbeiensibus suis præsentibus & futuris, 621
Theotuini & Guidonis cardinalium ad Henricum Mindensem episcopum, 322. c
Thioboldi ad Vvibaldum abbatem, 297. a
Thiebaldi præpositi Xantensis ad Vvibaldum abbatem, 368
VV. abbatis S. Blasii ad Eugenium papam III. 236. e
VV. prioris Corbeiensis & fratrum Corbeiensium epistola ad Eugenium papam III. 208
VValciodorensium & Hasteriensium abbatum nomina, 523. a
VValciodorensium monachorum ad Vvibaldum

dum abbatem, 521. a
VValtarii abbatis S. Laurentii Leodienſis ad Vvibaldum abbatem, 544. d
VVeraeri epiſcopi Mindenſis ad archiepiſcopum Magdeburgenſem, 582. d
Vvetzel ad Fridericum imperatorem, 554
Vvibaldi abbatis epiſtolae ad A. abbatem de Monte, 576. c
Ad A abbatem de Monte, 538. d
ad Adrianum papam, 588. c
ad Anaſtaſium papam, 563 575
ad Annonem abbatem Iudenſem, 206. d
ad Anſelmum epiſcopum Havelbergenſem, 327
ad Arnoldum Colonienſem archiepiſcopum, 298 526. d. 535
ad Arnoldum Colonienſem electum, 490. b. 493. c
ad Arnoldum praepoſitum majorem Colonienſis eccleſiae, 372. 380. 442. 443. d. 445. 470. c
ad B. abbatem S. Michaelis, 344. c
ad B. praepoſitum, 322. a
ad B. Leodienſem archidiaconum, 485
ad magiſtrum Baldricum, 246. c
ad Bernardum cardinalem, 564. a
ad Bernardum Hildenesheimenſem epiſc. 301
ad Bernardum epiſcopum Patherbornenſem, 324. 530. 549. d
ad Anonymum canonicum regularem, 542. c
Caſſinenſes ad monachos, 190
de concordia inter Reinhardum praepoſitum & Elvirum comitem, 320
ad Conradum imperatorem, 194. 356. 387. 391. a 423. c. 440. c. 461
ad Corbeienſes, 199. 249 255. c. 256. 348. 352
pro monaſterio Corbeienſi, 610
Diploma de locatione cujuſdam poſſeſſionis, 289. a
ad Eugenium papam III. 223. 281. 283. 295 328 364. d. 381. 402. 403 411. 413. 460. 470. b. 514. 534. 540. 545
ad F. S. Godehardi abbatem, 290
ad Fridericum imperatorem, 529. 577
ad Fuldenſes, 243. d. 270. c
ad G cardinalem, 359 409
ad G aurificem, 269
ad Geraldum Solemniacenſem abbatem, 353. c
ad fratres Gladbacenſes, 486
ad Godebaldum canonicum Mindenſem, 435. 466
ad abbatem S. Godehardi, 344 a
ad Gregorium cardinalem, 564. d
ad Guidonem cardinalem 211. a. 227. c. 213. c. 266. a. 282. 385
ad Guidonem cardinalem & cancellarium, 366
ad H. Trajectenſem epiſcopum, 354
ad H. monachum, 277
ad H. Corbeienſem monachum, 481
ad Hadvvidem ſororem ſuam, 250. 405
ad Hartvvicum Bremenſem archiepiſcopum, 341. 345. 424
ad priorem & fratres Haſterienſes, 450. 513
ad H. archiepiſcopum Moguntinum, 427. 468. a
ad Henricum Leodienſem, 219. 223. 264. 262
ad capitulum Leodienſe, 262
ad Henricum epiſcopum Mindenſem, 343. 349 360 426. 430. 446
ad Henricum abbatem Fuldenſem & abbatem Hereveldenſem, 329
ad Henricum monachum Stabulenſem, 472. 476
ad Henricum Romanorum regem, 245. 259
ad Henricum comitem de Salmes, 568. d
ad Henricum regiae curiae notarium, 389 391. c. 519. c
ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem, 373
ad Hermannum canonicum Bunnenſem, 146. b
ad Hillinum archiepiſcopum Trevirenſem, 547
ad Johannem cardinalem, 228
ad Johannem Fritheſellenſem abbatem, 386. d
ad Jordanum cardinalem, 227. c. 525
ad omnes fideles parrochiae Lienvvart, 296
ad Lotharium imperatorem, 183
ad eumdem Lotharium & ad Richiſam imperatricem, 186
ad ſuos Malmundarienſes, 349. c
ad Manegoldum ſcholae magiſtrum, 333
ad Manuelem imperatorem C P. 408 496. c. 560. 574. c
ad Mindenſem epiſcopum, 464. 467. 468. c
ad Odonem decanum Caſinenſem, 192
ad Petrum abbatem Cluniacenſem, 362
ad canonicos Patherbornenſes, 267. c
ad Rainaldum Caſinenſem abbatem, 191
ad R. praepoſitum, 396
ad R. praepoſitum Hildenesheimenſem, 393
ad Reinardum Reinehuſenſem, 215
ad ſuos Stabulenſes, 221. 272. 274. 322 c. 432. 471. 475
ad Stephanum epiſcopum Metenſem, 451. 453. 512. a
ad Stephanum priorem S. Jacobi Leodienſis, 382
ad ſuos ſucceſſores, 370. c. 570. 625. c
ad Thiebolaum praepoſitum, 297. c
ad Theobaldum praepoſitum Xantenſem. 383
ad Theodericum abbatem Vvalciodorenſem, 192. c. 452. d
ad VV. Mindenſis eccleſiae praepoſitum majorem, 469. c
ad VValterium monachum, 350
ad VValciodorenſes, 512 d
VVibaldi magiſtri epiſtola ad Vvibaldum, 197
VVicmanni archiepiſcopi Magdeburgenſis ad Adrianum papam, 584. d
ad Philippum Oſnaburgenſem, 579. a
ad Vvibaldum abbatem, 579. c. e

REGISTRI EPISTOLARUM Alexandri papæ III.

*A*Dalberonis *Trevirensis archiepiscopi ad Rainaldum Rhemensem archiepiscopum*, 626
Adriani papæ IV. epistola An. Belvacensi canonico, 643
B. Noviomensi & Henrico Belvacensi episcopis, 643
H. Senonensi archiepiscopo, &c. 641
Henrico Belvacensi episcopo, 638. d. 648. c. 641. 642. b. 643. 644. a. 645. c. 647. a. 650. 651. 652. 653. a
H. electo & capitulo Suessionensi, 653. d
Laudunensi episcopo, 645. b
N. decano & capitulo Suessionenensi, 646
O. abbati S. Dionysii, 640. a
Rothomagensi archiepiscopo, 641
Samsoni Remensi archiepiscopo, 644. d. 645. & *ejus suffraganeis*, 647. d
T. Parisiensi episcopo, 639

ALEXANDRI PAPÆ III. epistolæ.

*Æ*Duensi *episcopo*, 907
Alberto sacerdoti de Augeio & Gersolio, 798. b
Ambianensi episcopo, 755. a. 810. b. 854. 855. a. 887. c. 891
Abbati S. Andreæ de Castello, 764
Atrebatensi episcopo, 914. d
Pro causa abbatissæ de Avenai, 780. a
Belvacensi episcopo, 798. d. 913. v. *Henrico*.
Bituricensi archiepiscopo, 483. d. 887. c
Abbatissæ de Broburc, 802. d
Pro priorissa de Broburg, 821. d
Abbati de Castro Theodorici, 701. d
Catalaunensi episcopo, 881. 900. d
Decano & capitulo Catalaunensi, 730. a
Cisterciensi abbatia, 706. c
Cluniacensi monasterii fratribus, 661. 669
Corbeiensi abbati, 914. c
Dominico & Heimardo, 745
Abbati de Eleemosyna, 695. b
F. decano Remensi, 812
F. decano & capitulo Remensi, 834. c. 839. d. 840
Magistro F. & magistro R. canonico Remensi, 699. c
Pro F. clerico, 806
Comiti Flandrensi, 831
Abbati Flaviacensi, 781. b
Francorum illustri regi, 912
Gallicanis episcopis, 853
G. Laudunensi episcopo, 899
G. Tornacensi episcopo, 895
Canonicis S. Gaugerici, 764
Pro Giraudo, 822. d
Guidoni Catalaunensi electo, 685. d
Guidoni Catalaunensi episcopo, 842. a. d. 843. a. 881. 895. 900. d. 957
Pro Haiderico, 821. a
Abbati Hamensi, 874. b
Henrico cardinali, 705. b
Henrico episcopo Belvacensi, 654. 656. 657. 659. 663. 664. 665
Henrico electo Remensi, 665
Henrico archiepiscopo Remensi, 667. *& seq. passim usque ad paginam* 1011
Pro Henrico sacerdote, 762
Hugoni episcopo Suessionensi, 783. d. v. *Suessionensi episcopo*.
Joiacensi abbati, 945
L. decano Remensi, 701. d
Laudunensi ecclesiæ, 924. a
Laudunensi episcopo, 741. d. 755. a. 767. c. 776. d
Ludovico regi Francorum, 684. 935
Mauricio Parisiensi episcopo, 655. 665. a
Meldensi episcopo, 810. b. 891
Abbati monasterii *** 715. c
Morinensi episcopo, 793. 1009. a
Abbati S. Nicasii, 697. a
Magistro Nicolao, 658
Pro Nicolao cive Catalaunensi, 826. a
O. abbati Ursicampi, 812
P. abbati S. Luciani, 850. d
Petro abbati S. Remigii, 893. c. v. *S. Remigii abbati*.
Philippo abbati Præmonstratensi, 816. c
Philippo comiti Flandriæ, 873
Præmonstratensibus canonicis, 929
Abbati S. Quintini de Monte, 793
R. Catalaunensi archidiacono, 816. b
Remensi decano, 695. b. 701. d
Pro ecclesia beati Remigii Remensis, 774. a
Abbati S. Remigii, 666. 693. d. 695. b. 697. a. 701. d. *& fratribus*, 723. d. 807. b
Rothomagensi archiepiscopo ejusque suffraganeis, 826. c. 843
S. abbati sancti Memmii, 816. b
Senonensi archiepiscopo, 914. a
Abbati sancti Sepulchri, 764
Stephano abbati & fratribus Cluniacensis monasterii, 669
Suessionensi episcopo, 755. a. 783. d. 796
Suessionensi capitulo, 824. 830. 832. c
Theobaldo Ambianensi episcopo, 836
Tornacensi episcopo, 890. 895
Pro abbate & fratribus Triumfontium, 776
Turonensi archiepiscopo, 843. d. 907
Pro priore Vallis sancti Petri Carthusiensis ordinis, 758
Virdunensi electo, 881
Pro abbate sanctæ Mariæ Virtuensis, 782
Universis fidelibus per regnum Franciæ constitutis, 863. d
Proceribus & universis Christi militibus, 747. c
Amalrici regis Jerosolymorum Henrico Rhemensi archiepiscopo, 803. 996
Brunonis archiepiscopi Trevirensis epistola ad Reinaldum archiepiscopum Remensem, 624. c

Abbatis Clarævallensis Henrico Remensi archiepiscopo, 719. b
Abbatis Cluniacensis Henrico Remensi archiepiscopo, 753. b
Eugenii papæ III. epistola clero & populo Astrebatensi, 628
Canonicis ecclesiæ Aurelianensis, 629
Henrico episcopo Belvacensi, 631. b. 636. b. c. 637. 638
Hugoni Rothomagensi archiepiscopo, 632. 634. 635. c
Hugoni Altissiodorensi episcopo & Bernardo abbati Clarævallensi, 633
Abbatis & conventui Lobiensi, 630. a
Ludovico Francorum regi, 630. d
Abbatissæ & monialibus sancti Petri Remensis, 627
Remensi & senonensi archiepiscopis, &c. 632
Friderici imperatoris fœdus cum Ludovico VII. rege Francorum, 880
Henrici Remensis archiepiscopi ad Alexandrum papam, 789
ad suos suffraganeos, 866 c
ad episcopos & cardinales Romanæ ecclesiæ, 788. c
ad Laudunensem episcopum, 776
Patriarchæ Jerosolymitani H. Remensi archiepiscopo, 997
Henrici Trecensis comitis Henrico Rem. archiep. 967. c
Joiberti Hospitalis Jerosolymitani magistri H. Remensi archiepiscopo, 1000. c
L. archiepiscopi Nazareni ad Henricum archiepiscopum Remensem, 864
Paschalis II. papæ epistola Leodiensi episcopo, 624. a
Philippi fratris Henrico Rem. archiepiscopo, 956 b
Suessionensis capituli Henrico Remensi archiepiscopo, 797. b
Wilhelmi cardinalis Henrico Remensi archiepiscopo, 928. b

EPISTOLARUM VARIORUM ad S. Hildegardem, cum ejusdem ad eos responsis.

Abbatis cujusdam, 1032. c
Abbatis Lelie vallis, 1027
A. S. Andreæ in Colonia præpositi, 1048. b
A. abbatis Clarifontis, 1027. a
A. abbatis de Crouchdal, 1082
A. abbatis Elevacensis, 1012
A. Erphordiæ præpositi, 1049. b
A. prioris & conventus de Monte S. Disibodi, 1123
B. abbatis sancti Eucharii, 1019
B. abbatis sancti Michaelis Bambergensis, 1016 d
B. sacerdotis Trevirensis, 1095. a
C. B. sacerdotum in Ruthdelingun, 1093. c
Bertholdi abbatis Zvvnieldensis, 1017
E. abbatissæ superioris monasterii Ratisponensis, 1074. c
Eberbacensium monachorum, 1117. c
Friderici præpositi Vallis-Dei, 1043. d
G. abbatis Bethaniæ, 1027. a
G. abbatis Caroli-loci, 1027. a
G. abbatis Salemensis, 1018. c
G. præpositi sancti Victoris Moguntiæ, 1046. a
G. Sanctimonialis, 1086 a
H. abbatissæ de Althena, 1060. b
H. abbatissæ de Crouchdal, 1071. d
H. Hamelenensis monasterii provisoris, 1040 c
H. monachi Mulebrunnensis, 1104. c
H. præpositi de Flanheim, 1033
H. abbatis in Selboth, 1037. c
H. abbatis in VVadego, 1041. c
H. præpositi in Bunna, 1053. d
H. præpositi in Herde, 1039
H. præpositi in Knethstethde, 1052
H. de domo in Moguntia præpositi, 1050. b
H. magistri de Trajecto, 1092 a
H. Trajectensis canonici, 1009
H. Monachi Mulenbrunnensis, 1104. c
Hadelheidis abbatissæ Gandersheimensis, 1056
Henrici abbatis & conventus Montis sancti Disibodi, 1132
Hilderici præpositi sancti Simeonis Trevirensis, 1051. b
Hirsaugensium monachorum, 1116. b
L. abbatis sancti Eucharii, 1012. b
L. abbatissæ in Bavemberch, 1072. d
M. abbatissæ in VVethdersvvinkele, 1058
M. monachi & presbyteri, 1110. c
N. abbatis Eberburdæ, 1029.
N. abbatis in Elvestat, 1037 a
N. abbatis in Rappenberh, 1044
N. abbatissæ, 1057. d. 1069. d
N. abbatissæ Coloniensis, 1077. a
N. abbatissæ de Didinkirkin, 1078. a
N. abbatissæ in Gerbesthde, 1066. a
N. abbatissæ in Koufungim, 1065. a
N. abbatissæ in Lutbolderberge, 1069. a
N. abbatissæ Montis sancti Cyriaci, 1067
N. abbatissæ Nussimensis monasterii, 1076. a
N. abbatissæ Veteris monasterii Moguntiæ, 1073. d
N. abbatissæ apud VVidergoldesdorf, 1070. d.
N. præpositi in Undereslhorf, 1042. d
N. decani S. Martini Moguntini, 1102. b
N. sacerdotis & magistri pauperum in Lutherum, 1111. c
N. prioris & monachorum Cistellensium, 1130 b
N. monachi de Ebra Cistercienſis ordinis, 1107. b
N. prioris de Zvvifelda, 1119. a
Nicolai abbatis Halesbrunnensis, 1015
Fratris O. 1029
R. abbatis Caritatis, 1027. a
R. abbatis Zvvetellensis, 1024. a
R. abbatissæ sanctæ Mariæ Patisponensis, 1063. d
Richardi abbatis Sprinchersbat, 1031
S. abbatissæ in Altvvich, 1061
S. abbatis in Kizingun, 1062. d

S. præpositi Confluentia, 1047. b
Sigebergensium monachorum, 1114
T. monachi S. Benedicti, 1089. c
T. abbatissæ Anturnacensis, 1079
Trevirensium monachorum sancti Eucharii, 1126. a
VV. abbatis Bosonis-villæ, 1022
VV. abbatis Hegennche, 1034. c
Abbatis de Vescera, 1035. e
V. Parisiensis magistri theologi, 1097. d
V. VVessionensis, 1100. b
Monialium Zvvifeldensium, 1120

EPISTOLARUM FRIDERICI imperatoris, Conradi, Manfredi. & Petri de Vineis.

ANonymo nuntiat Fridericus Germaniam se repetere contra Tartaros, 1152
Petit in se compromitti super causa discordiæ inter duos principes, 1187.
Arelatensi populo, 1186
Aprutii justitiario, 1205
Apuliæ justitiario, 1182. 1183
Beatrici comitissæ, 1161
Brabantiæ duci, 1144
Cardinalibus quibusdam, 1137
Casertano comiti, 1191
Castellæ regi, 1150. 1162. 1163
Conrado filio suo, 1165. c
Comiti, 1204
Communitati, 1155. c
Cruce-signatis apud Lugdunum congregatis, 1192
Cruce-signatis universis, 1194
Delphino comiti, 1136. a
Franciæ regi, 1138. 1139. 1142
Florentiæ potestati & communitati, 1148. d
J. de columna cardinali, 1167. c
Justitiariis, 1183. e
Justitiario, 1185. b
Lanfranco-pinulæ & consanguineis ejus, 1177. c
Londoiæ duci, 1148. a
Lotharingiæ duci, 1151
Ludovico regi Francorum, 1143
Marino de Balo sacri imperii in Papia vicario, 1145
Martino Ebulo, 1183. d
Odoni cardinali, 1202
Papæ, 1136. 1146 b
Papiensibus, 1149. 1154. b
Pontis Tremuli castellano, 1203
Principi, 1157. c
Principibus universis, 1159
Provinciæ comiti, 1168. 1185. e
Ravennensibus, 1155. e
Regi cuidam, 1171. 1172
Reginensi episcopo, 1162. d
Richero de. . . 1206
Rofrido Beneventano, 1117. a
Romano senatui & populo, 1190
Sarracenis, 1154. e
Siciliæ justitiario, 1188
Thomæ de Monte-nigro justitiario principatus, 1184
Tolosano comiti, 1140
Vercellensibus, 1141. 1153
Universis imperii fidelibus, 1146. c
Conradi in regem Romanorum electi Ballivis judicibus & universis hominibus, 1189
Comiti, &c. 1211
Communitati, 1209
Cremonæ comiti, 1214
Cremonæ Potestati, consilio & communi, 1210. a
Fideli suo, 1215. c
Fidelibus, 1216. c
H. ducissæ Navarræ, 1210. c
Johanni Turdo, 1217
Marchioni, 1215. a
Messanæ Universitati, 1216. b
P. de Calabria, 1213
Panormi bajulis, judicibus, &c. 1207. c
Justitiariis, &c. 1207
Manfredi epistola. Justitiario, 1218. c
Magistro N. decretorum doctori, 1218. a
Parisiensi Universitati, 1220
Pisarum comiti, 1221
Petri de Vineis Epist. amico, 1165. b. 1178. 1180. 1181. 1207. a
Archiepiscopo, 1196
Responsiva ejus, 1170
Barensi archiepiscopo, 1167. a
Capuano archiepiscopo, 1176. c
Petro de Vineis capuani archiepiscopi, 1173. b
Conrado regi filio imperatoris, 1160. e
H. illustri Anglorum regi, 1164. b
Judici peregrino, 1179
Lombardiæ magistro justitiario, 1163 d
Magistro justitiario, 1164. e
M. suæ genitrici, 1160 c
Neapolitano archiepiscopo, 1176. c
Panormitano archiepiscopo, 1174. e
Panormitani archiepiscopi ad eum, 1174. d. 1175. 1176
Simoni Veneto, 1164. a

EPISTOLARUM PONTIFICIARUM.

ANgliæ regi, 1297. 1299
B. archiepiscopo Arelatensi, 1283
B. Sabinensi electo, 1273
Carolo regi siciliæ, 1266. 1284. a
Castellæ & Legionis regi, 1286. 1291. e
Cistercienſi abbati & capitulo generali, 1259. d
Cypri regi, 1300
Ad omnes communitates, 1250
S. Dionysii abbati, 1272
Francorum regi, 1252. 1257. 1270. 1276
Gregorio papæ X. Berardi de Neapoli, 1271
Guidoni Narbonensi archiepiscopo, 1256
Johanni cardinali S. Ceciliæ 1294
Laudunensi ecclesiæ, 1254. 1255. 1264
S. Mariæ canonicis, 1260
Minoribus fratribus datur protector, 1261
Nicolai papa IV. bulla in qua enumerantur census ecclesiæ Romanæ ex aliis ecclesiis, 1301

Parisiensi episcopo, 1290
S. Petri capitulo, 1258
Philippo regi Francorum, 1282
Philippo Galliæ regis primogenito, 1269
Magistro & prioribus provincialibus ordinis Prædicatorum, 1291. a
Principibus Italiæ, 1278
Regi, 1259. a
Regis filiæ, 1265
Roberto comiti Nivernensi, 1305
Remensi electo, 1267
Romanis, 1280
Senonensi archiepiscopo & capitulo ejusdem ecclesiæ, 1280
Siciliæ regi illustri, 1274
Silvanectensi episcopo & abbati sancti Dionysii, 1272
Venetis, 1279

EPISTOLARUM JOHANNIS de Monsterolio.

Alexandro papæ V. 1369. 1370. 1374
Amico, 1329 1330. 1335. b. 1378. 1409. b. 1411. 1415. 1416. 1421. 1428. d. 1431. 1434. d. 1435. 1436. 1437. a. 1452. 1453.
Anglis Caroli VI. regis Francorum, 1323
Anonymo, 1363. 1422
Anonymi Johanni de Monsterolio præposito Insulensi regis Francorum secretario, 1454
Antonio de Chalant *cardinali & archiepiscopo Tarentasiensi*, 1331
Aquisgranensibus, 1406. c
Benedicto papæ XIII. 1314. 1343
Cameracensi episcopo, 1336
Cardinali, 1383
Cardinali amico, 1325. 1412
Cardinali de Florentia, 1453. d
Carolo IV. Francorum regi, 1443
Castellæ Infanti, Caroli regis Navarræ, 1368
Causidico, 1419
Episcopo, 1322. 1332. c. 1349. 1350. c. 1362. c. 1363. d. 1385. 1386. 1388. 1420. 1334. a
Gonthero suo præceptori, 1398. 1456. 1459
Laurentio de Primo-fato, 1409. d
Martino Arragonum regi, 1366
Nicolao de Clemengis, 1335. c. 1338. 1339. a. 1340. 1423. 1426. 1431. c
Nicolao præceptori, 1375
Petro & Gonthero suis præceptoribus, 1398
Præceptori suo, 1332. c. 1380. 1404. 1405. 1406. b. 1414. c. c. 1437. d
Principi, 1315. 1361
Principibus regii Francorum sanguinis, 1362. c
Principibus & nobili militiæ Gallicanæ, 1350
Ad universos, 1364
Caroli VI. regis Francorum VVenceslao Romanorum & Bohemiæ regi, 1321

EPISTOLARUM SIXTI papæ IV.

Ambrosio de Ecclesia civi Saonensi, 1532. b
Ancharotio vice-regi Sardiniæ, 1549. c
Andreæ Vindianimo duci Venetiarum, 1535. c 1548. c
Andreæ de Spiritibus, 1474
Angelo de Ursinis domicello Romano, 1519. e
Angliæ regi, 1537. c. 1538. b
Antiocheno patriarchæ, 1519. b
Arragonum regi, 1478. d. 1484. a. 1523. 1526. d
Bartholomæo de Andegavia armorum auctori capitaneo, 1493
Beatrici reginæ, 1550. d
Bernæ gubernatori, consulibus & communitati, 1488
Bertrando Milon *militi*, 1485
Britanniæ duci, 1517. c. 1530. c
Burgundiæ duci, 1482. a. 1520. c. 1537. a
Calatravæ magistro, 1498
Cantuariensi cardinali, 1476. c. 1506. a
Cardinali Sancti Petri ad Vincula, 1529. d
Carolo de Manfredis Faventiæ in temporalibus vicario, 1547. a
Constantio Sfortiæ Pisauri in temporalibus vicario, 1475. c
Ferdinando regi, 1368. 1475. c. 1476. c. 1479. b. 1487. b. 1520. 1522. 1542. d. 1543 b. 1550. b
Ferdinando regi Siciliæ illustri, 1500. c
Ferrariæ duci, 1470. d. 1480. a. 1499. 1539. 1541.
Florentinis, 1468. c
Franciæ regi, 1470. a. 1473. b. 1475. a. 1479. d. 1483. a. d. 1487. a. 1489. d. 1493. d. 1509. 1515. 1524. 1526. c. 1530. a. 1531. a. 1547. c
Francisco duci Britanniæ, 1485. a
Friderico Romanorum imperatori, 1466. 1471. c. 1482. d. 1497. d
Friderico duci Urbini S. R. E. Confalonerio, 1471. c
Friderico comiti Palatino Rheni sacri Romani imperii electori, 1482. b
Galeatio mareschallo de Calecis equiti Bononiensi, 1477. d
Glaronæ gubernatori, &c. 1488
Gubernatoribus consulibus & communitatibus civitatum & partium magni fœderis & ligæ Alemanniæ superioris, 1488. c
Heliæ archiepiscopo Turonensi, 1492. b
Heraclio duci, 1468. c
Hispalensi cardinali, 1459. d
Hungariæ regi, 1529. a. 1535. a. 1546
Fratri Jacobo de Marchia ordinis Minorum de Observantia, 1480. c
Imperatori, 1481. d. 1502. c. 1512. d. 1517. d. 1533. 1543. c
Imperiali mulieri de Columna, 1540. c
Johannæ de Arragonia duciſſæ Arcis & Soræ, 1473. c
Johanni Arragonum regi illustri, 1484. a. 1491 d.
Johanni de Arragonia notario suo, 1480. c

Johanni Baptiſtæ de Bentivoliis equiti & juriſconſulto, 1471. a
Johanni de Sabaudia notario ſuo & Gebennenſis eccleſiæ adminiſtratori, 1368. d
Joh. Salvaygo Januenſium capitaneo triremium, 1511
S. Johannis Jeroſolymitani magiſtro & capitulo Rhodi proxime celebrando, 1495
Italiæ dominis ac officialibus univerſis, 1516
Locum tenenti legati marchiæ, 1472. b
Lucernæ gubernatoribus, conſulibus & communitati, 1488
Ludovico regi Francorum Chriſtianiſſimo, 1478. b. 1483. d. 1500. c. 1501. 1502. a. 1503. 1504. 1506. d
Ludovico duci Bavariæ, 1497. b
Lugdunenſi archiepiſcopo ceteriſque prælatis, 1472. c
Lugdunenſi archiepiſcopo, 1513. 1514. c
Malfitenſi cardinali legato ſuo in Urbe, 1548. b
Manfredo ex marchionibus Cevæ juris utriuſque doctori, 1486. a
Mariæ quondam uxori Rolandi de Carreto, 1486. d
Matthiæ Ungariæ &c. regi, 1469. b. 1492. d
Maximiliano, 1489. b
Mediolani duci, 1468. c. 1481. c. 1491. 1525. c. 1528. 1541. c
Narbonenſi archiepiſcopo, 1514. c
Neapuleoni de Urſinis, 1542. c
Palatino comiti Rheni S. R. J. electori, 1477. c
Pc. tituli ſancti Georgii ad Velum-aureum presbytero cardinali Hiſpalenſi, 1525. a
Poloniæ regi, 1490. d
Prædicatorum ordinis generali, 1526. a
Prælatis omnibus., 1472. c
Raimundo de Urſinis, 1541. a
Ryog *gubernatori, &c.* 1488
Sabaudiæ ducisſæ, 1508. c. 1540. b
Sinecæ gubernatoribus, conſulibus, &c. 1488
Sipontino archiepiſcopo, civitatis Perusiæ gubernatori, 1549. a
Stephano Vayvodæ, 1531. c. 1536
Stephano Vaivodæ Moldaviæ, &c. domino, 1490. a
Taurinenſi epiſcopo, 1510
Thuregi gubernatori, conſulibus & communitati, 1488
Tridentino epiſcopo, 1512. a
Venetiarum duci, 1496. 1521. 1532. c. 1538. c
Vlaticho duci ſancti Sabæ, 1484. d
Underwvalden *gubernatori, &c.* 1488
Urraniæ gubernatori conſulibus & communitati, 1488

VETERA MONUMENTA IMPERIALIS MONASTERII STABULENSIS IN ARDUENNA.

Ex archivis ejusdem Monasterii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

VETERA *imperialis monasterii Stabulensis monumenta edituris nobis visum est in primis operæ pretium, aliquid præmittere de celeberrimi illius cœnobii exordio, deque primo ipsius loci abbate S. Remaclo Tungrensi episcopo. Remaclus in Aquitania nobili ex genere, patre Albutio & matre Matrinia natus, sub Sulpitio Bituricensi antistite, si Notkero & Harigero ejus vitæ scriptoribus fides est, monasticis institutus disciplinis, iisque apprime informatus, beato Eligio, qui tum in Gallia monasticum ordinem mirifice propagabat, jam adultus traditus est. Is in pago Lemovicino, annuente Dagoberto rege, Solemniacense monasterium non multò antè fundaverat, in quo congregatis centum & quinquaginta monachis, Remaclum, cujus mores maxime probabat, præfecit abbatem. Tantæ congregationi non modo præfuit sanctissimus abbas, sed & profuit, quippe sub ejus magisterio non pauci zelo purioris disciplinæ accensi, commendabiles se præbuerunt, quos inter vitæ sanctimonia præluxit Tillo monachus piissimus, cujus nomen in Benedictino inscriptum martyrologio habes ad diem Januarii vij. & acta apud Bollandum & Mabillonium.*

Solemniacense monasterium annis quindecim cum strenue administrasset Remaclus, Sigebertus Austrasiorum rex suam in condendis monasteriis munificentiam exhibere volens, Casæ-congidunense ad Sesmarum fluvium, in saltu Arduennensi construxit, in honorem apostolorum Petri & Pauli atque sancti Johannis evangelistæ, accitumque e Solemniacensi asceterio Remaclum congregatis illic servis Dei abbatem constituit. Neque hic stetit regis sanctissimi pietas, sed, cum nulla essent in Arduenna monachorum cœnobia, hortante piissimo abbate, alia duo exædificavit, unum in Tungrensi, Stabuletum, alterum in Coloniensi dioecesi Malmundarium appellatum, atque utriusque regimen Remaclo abbati commisit. Qui ejus vitam scriptis commendarunt noni aut decimi sæculi auctores, Anonymus, Notkerus & Harigerus id factum existimant postquam episcopatum Tungrensem abdicanti sancto Amando suffectus est, verum præterquam quod in primario utriusque monasterii fundationis diplomate abbatis dumtaxat nomine donatur;

haudquaquam probabile videtur ſanctum antiſtitem aliena in diœceſi, ſcilicet Colonienſi, ſua poſtpoſita, monaſterium ædificare voluiſſe.

Pro utriuſque dotatione monaſterii rex fundos longè latèque patentiſſimos aſſignavit, nempe circa utrumque quoquo verſus duodecim milliaria, in quibus quidquid culti vel inculti jaceret agri monachorum eſſet, cujus donationis diploma notis chronicis caret. Primariæ huic donationi Sigebertus quædam poſtea addidit vectigalia, conceſſo altero diplomate regni ſui anno XIV. qui in Incarnationis annum DCLI. incidit, quo in diplomate Remaclus jam epiſcopus & abba *dicitur. Quonam vero anno pontificali caractere ornatus fuerit non conſentiunt auctores. Lubens ſubſcribo ſententiæ Mabillonii exiſtimantis Remaclum ordinatum fuiſſe epiſcopum anno DCXLVIII. nam cum ſacram pontificum manuum impoſitionem acceperit iij. nonas Februarii, eaque celebrari ſoleret die dñica, ejus ordinationi neceſſario aſſignandus eſt ille annus, in quo iij. nonas Februarii dies in dominicam incidebat. Hinc concludit Mabillonius Remaclum nullius certæ ſedis creatum fuiſſe epiſcopum, ſed regionarium, & certe in ſecundis Sigeberti litteris epiſcopus & abbas Stabulenſis & Malmundarienſis monaſteriorum dicitur, non Trajectenſis aut Tungrenſis epiſcopus, quod ſanè à rege prætermiſſum non eſſet.*

Anno DCLII. S. Amandus, qui jam quarto anno Tungrenſem epiſcopatum adminiſtrabat, Romanam ſuſcepit peregrinationem, ut dimittendæ dignitatis facultatem à Martino papa impetraret. Iteratis Amandi votis obſecutus eſt ſummus pontifex, conceſſa ipſi cum ſuis ad Elnonenſe monaſterium ſecedendi facultate. Interim ſuffragante Sigeberto rege, Remaclus à clero & populo ejus in locum ſubſtitutus eſt. Hinc refutata manet recentiorum Scriptorum opinio, qui poſt Notkerum, Harigerum, Egidium de Aurea-valle, auctores in deſignandis temporibus parum accuratos, cenſent Malmundarienſe Stabulenſeque monaſteria fundata eſſe poſt aſſumtum in ſedem Tungrenſem Remaclum, qui primo quidem Malmundarium exædificarit, dein advertens cœnobium illud alieno in tractu, nempe Colonienſi conſtructum, aliud in propria diœceſi, nempe Stabulenſe fundare conſtituerit. Nam præterquam quod omnino à vero abhorrere videtur, ſanctum antiſtitem ignoraſſe Malmundarium in ſua haudquaquam ſitum eſſe parochia; longe ſatius eſt exiſtimare, S. Cunibertum Colonienſem epiſcopum, quo familiariter utebatur Sigebertus, cujuſque præſertim conſilio utriuſque monaſterii ſuſcepta fundatio eſt, apud regem egiſſe, ut ſaltem unum in ſua diœceſi conſtrueretur, & Stabulenſis quidem monaſterii primo fundamenta jacta fuiſſe, deinde ſuadente S. Cuniberto Malmundarienſis proximo in loco, ut Remaclus qui utriuſque abbas eſſe debebat, utrumque etiam facilius adminiſtraret. Certe primariæ de duplicis hujus monaſterii fundatione litteræ Sigeberti, Stabulenſe ſemper præponunt Malmundarienſi. Idem obſervant in ſuis diplomatibus alii Francorum reges, imperatores, ſummique pontifices atque epiſcopi, quibus concinit antiquus auctor vitæ S. Remacli Anonymus, cujus verba hic ſubjicere non gravabor: Interim dum in hoc tenore propoſiti fide accinctus, ſpe munitus, caritate fundatus perſeveraret, contigit, Deo favente, jubere piis principibus Francorum Sigiberto rege & Grimoaldo duce, voluntate Dei & conſilio optimatum ſuorum, ut conſtruerentur infra foreſten monaſteria ſita in pago, qui Arduenna dicitur, cognominata Stabulaus ſive Malmundarium, in quibus commanent religioſi monachi. *Ubi vides Stabulaum præponi Malmundario. His tamen ſi quis præfracte reluctari voluerit, fateatur ſaltem neceſſe eſt, ambo monaſteria uno eodemque tempore ſimul conſtructa eſſe, quod quidem præfatus Anonymus haud obſcure innuere videtur cum ſubjungit:* Tunc cœperunt ædificari attentius, &, ut ad ſolet in tali opere virtus divina ſubſecuta eſt, proſperoque ſucceſſu velociter adimpleta ſunt. *Non ait primo Malmundarium, deinde Stabulaus ædificari cœpit atque perfici. Præterea utriuſque eccleſiæ uno eodemque tempore factam fuiſſe dedicationem tradunt antiqui ſcriptores, niſi quis velit Stabulenſem eccleſiam prius conſecratam fuiſſe, deinde Malmundarienſem, ad cujus conſecrationem expectandus fuit S. Cuniberti metropolitæ, in cujus diœceſi ſita erat, aſſenſus. His adde quod utriuſque abbatiæ unæ eædemque ſint fundationis litteræ, unus utriuſque alendis monachis fundus conceſſus.*

Tungrenſem epiſcopatum aliquot annis magna cum laude adminiſtravit S. Remaclus, donec ſæcularium tumultuum & Pontificalis oneris impatiens, exemplo S. Amandi abdicato epiſco-

patu, ad dilectam solitudinem, Stabulense scilicet monasterium, rediit, substituto in locum suum Theodardo monacho, viro eximio, cui prius vir sanctus Malmundariensis monasterii præfecturam commisisse traditur.

Privatus in Stabulensi monasterio vitæ quod supererat exegit S. Remaclus, contemplationi ac vitæ religiosæ exercitiis totus intentus, asperrimis interim pœnitentiæ laboribus corpus macerans, ac discipulos proprio exemplo ad virtutem excitans. Ita vitæ suæ cursum vir sanctus feliciter consummans, repositam sibi cœlestis gloriæ coronam optata morte à Domino reportavit iv. nonas Septembris post annum Sexcentesimum Sexagesimum sextum ut infra observabimus, licet Mabillonius ipsius obitum ex conjectura tantum, ad annum sexcentesimum sexagesimum quartum consignet.

Inter præcipuos quos in Stabulensi monasterio instituit discipulos recensent 1. *S. Hadelinum nobilem Aquitanum, qui cum Christi suavi jugo sub Remaclo collum subdidisset, ejus hortatu in solitudinem secessit, ubi ad Letiam fluvium haud procul à Dionanto oppido, apud Cellas monasterium ædificavit:* 2. *S. Theodardum episcopum Tungrensem & martyrem:* 3. *S. Bapolenum virum apostolicum, quem quidam perperam cum Baboleno Fossatensi, aut cum Bobiensi ejusdem nominis abbate confundunt:* 4. *Sigolinum beati patris æque judicio approbatum:* 5. *Goduinum qui Sancti Præsulis corpus ex S. Martini oratorio in ecclesiam transtulit, ex quibus tres postremi post S. Remaclum utriusque monasterii Stabulensis & Malmundariensis abbates extitere, uti & ipsorum successores; quæ res inter utriusque cœnobii fratres multarum de primatu rixarum seges ac materia subsecutis sæculis diu fuit. Horum hic controversias dirimendas non suscipio, sed nec debeo: tametsi morem eis gerens, rationes quæ pro utrisque militare videntur subjicere non gravabor.*

Igitur Malmundarienses in causæ suæ subsidium adducunt, 1°. *Antiquitate se superiores esse, ut pote quorum monasterium aliquot annis ante fundatum sit, quàm de Stabulensi condendo cogitaretur: nituntur que testimonio Notkeri, Harigeri subsequentiumque scriptorum.*

Secundo aiunt; Malmundariense monasterium abbatiæ titulo cum Stabulensi ex æquo gaudere, eumdemque sibi atque illi abbatem præfici.

Tertio addunt, sibi perinde ac Stabulensibus in electione Abbatis, jus esse ferendi suffragii, neque activæ solùm, sed etiam passivæ, ut aiunt, vocis privilegium esse concessum.

His Stabulenses reponunt plura, quæ majoris esse ponderis existimant 1°. *S. Remaclum ante susceptum & post abdicatum episcopatum ordinariam & quasi stabilem fixamque sedem in Stabulensi monasterio habuisse, omnem in eo vitæ cursum peregisse, supremum in eo diem obiisse, in eodemque sepultum expectare mortuorum resurrectionem; subsequentes abbates idem præstitisse, propterea que non Malmundarienses, sed Stabulenses abbates fuisse vulgo nuncupatos, quod quidem non leve argumentum sui primatûs arbitrantur.*

Secundo omnia privilegiorum utrique monasterio concessorum instrumenta non in Malmundariensi, sed in Stabulensi tamquam in principe asservari: quam quidem rationem in gratiam Stabulensium affert Fridericus archiepiscopus Colonienſis in diplomate à nobis referendo, ubi hæc inter alia: Ad hoc etiam accedit, quod omnia privilegia, tam banni lengæ, quam electionis abbatum, & quæ de jure advocati agunt, quæ ab imperatoribus & regibus eisdem locis multa collata sunt, & eadem ab apostolicis Gregorio V. & Leone IX. apostolica auctoritate roborata, quibus jus suum utraque ecclesia tuetur, apud Stabulaus recondita sunt, in quibus illa Stabulensis ecclesiæ præeminet dignitas. *Adde, quod præcipuum privilegium, quo sacri Romani imperii dignitas abbati collata est, eidem ut Stabulensi abbati indultum est. Quin & multa eaque insignia occurrunt privilegia abbati Stabulensi concessa, nulla Malmundariensis congregationis facta mentione, cum e contrario nullum videre licuerit abbati Malmundariensi excluso Stabulensi collatum. Hinc non levis pro Stabulensis monasterii primatu conjectura.*

Tertio, cum Stabulense cœnobium in Leodiensi parochia sit situm, Malmundariense vero in Colonienſi; si duo hæc monasteria ex æquo abbatiæ titulo ornata essent, abbatis ordinatio non ad Leodiensem antistitem, sed ad Colonienſem archiepiscopum pertineret, ut pote metropolitam & Leodiensi præsule superiorem, plenamque in Malmundariensem exerceret ju-

vidictionem. At nullo unquam tempore id sibi vindicarunt archiepiscopi Colonienses, qui jura hæc omnia animo non reluctanti ad Leodiensem episcopum spectare agnoscunt, uti videre est in diplomatibus Friderici & Arnoldi archiepiscoporum. Arnoldi verba hic solum referam. Electum, *inquit*, abbatem Leodiensis episcopus, ad quem pertinet, sine nostra & successorum nostrorum contradictione, benedicat, & ei curam animarum ex more injungat, habeatque ordinatus plenam potestatem ordinandi, nutriendi, transferendi, Malmundarienses monachos, nec ullus successorum nostrorum obedientiam vel successionem ab abbate exigat, sed tam Malmundarii, quam in aliis parrochiæ nostræ locis sibi pertinentibus missas licenter celebret, nec ad synodum nostram, nisi forte ab aliquo pulsatus fuerit venire cogatur... Nullus archidiaconus, nullus decanus vel presbyter, seu nullus noster in ipso Malmundariensi monasterio, vel in ædibus claustri ullam potestatem vel judicium exerceat, sed omnium fratrum & rerum potestas, correctio, & ordinatio in libera abbatis potestate consistat. *Porro cum Malmundarienses subjici debeant ecclesiastico alicui prælato, qui curam ipsorum animarum legitime institutus habeat; non subjiciuntur Colonienſi archiepiscopo, ipsis fatentibus Colonienſibus: non subjiciuntur Leodienſi antistiti, utpote extra diœcesim ipsius constituti: subjiciuntur ergo abbati Stabulenſi, qui non ut Malmundariensis, sed ut Stabulenſis abbas, spiritualem in eos juridictionem à Leodienſi episcopo accepit, perinde ac cellæ ac præposituræ in aliena dioceſi sitæ præcipuo subjiciuntur monasterio, tanquam membra capiti. Alioquin Malmundarienses fratribus suis Stabulenſibus longe forent liberiores, qui & episcopo & abbati sunt subjecti, cum ipsi soli abbati, nulli episcopo subjicerentur.*

Quarto, Malmundarienses Stabulenſibus subesse inde præsertim videre, est quòd Stabulenſium jugum excutere voluerint, proprio sibi procurato abbate, qui Malmundarienſi congregationi solus præesset: id quod cum tempore Ottonis II. imperatoris primum attentassent, in episcoporum diversis ex provinciis congregatorum synodo apud Engelheim palatium regium temeritatis suæ notam pertulerunt. Ipsorum tamen audaciam nec episcoporum, nec imperatoris ipsius judicium compescere potuit. Nam iterato, immo & tertio omnem moverunt lapidem, ut diversum à Stabulenſi abbatem proprium habere possent. Quod ut assequi possent; mortuo circa annum MLVI. Henrico imperatore III. cum & imperii & junioris imperatoris regimen Annoni Colonienſi antistiti commissum esset, Malmundarienses tempus opportunum nacti, Annoni piissimo pontifici & multarum ecclesiarum fundatori, corpus S. Agilolfi Colonienſium quondam episcopi, quod apud eos summa cum veneratione jamdiu colebatur, obtulerunt; eos ut in libertatem assereret, & regia, cujus erat administer, auctoritate, ipsis in posterum sui proprii abbatis eligendi facultas concederetur. Eorum petitionibus haud gravate annuit S. Anno, qui hoc pacto suam in illud cœnobium jurisdictionem extendebat; ipsoque favente creatus est abbas Tegeno monachus, qui non sine turbis, annos aliquot, Malmundarienſibus præfuit. Intrusum illum ut expellerent Stabulenses omnem adhibuerunt operam, sed suam cum nihil prævalere industriam cernerent, inito tandem consilio, S. Remacli corpus Leodium deferunt, ubi rex cum frequenti curia tum versabatur, eoque solemne epulum agente, super mensam ipsam illud apponunt. Henricus tanto stupefactus spectaculo, ac subsecutis in sui ipsius præsentia miraculis evictus, secundum Stabulenses judicavit, cujus judicium Alexander papa II. confirmavit. Hæc fusius narrant auctor triumphi S. Remacli apud Chapeavillam, Lambertus Schafnaburgenſis in chronico, eorumque meminere Henrici IV. & V. imperatores in suis diplomatibus infra referendis: Porro si à principio Stabulenſibus Malmundarienses non suberant, cur adeo pertinaci studio abbatem habere proprium aggressi sunt?

Quinto, quamvis in abbatis electione utrique convenire debeant, electio nihilominus in Stabulenſi tamquam in principe monasterio celebratur, & quod primatum evidentissime demonstrat, debent Stabulenses sua primi omnium ferre suffragia, atque inter eos ante omnia ex Stabulenſi congregatione assumendus est, nec umquam ad Malmundarienses recurrendum quandiu ad gubernandum inter Stabulenses idoneus quis reperitur, eo vero haudquaquam invento, tunc inter Malmundarienses inquirendus, aut in alio cœnobio. Audiendus hac de re Gregorius papa V. in litteris inferius referendis: Præterea sancimus, sicut ab ipsis imperatoribus

est

eſt diffinitum, ut utrimque in unum e duobus monaſteriis confluentibus monachis, habeant ſine ſimulatione, ſine exceptione perſonæ, ſine reſpectu pecuniæ, ſecundum S. Benedicti regulam abbatem eligendi liberrimam optionem, ea tamen præponderante ratione (Malmundarienſium pace) ut quia beatus Remaclus utriuſque monaſterii conſtructor & Tungrenſium antea epiſcopus & paſtor maluit in altero eorum, id eſt Stabulenſium, locum ſepulturæ ſibi eligere, ipſi primam electionis obtineant viam, ſi apud eos melior meritis & probabilior inveniatur. Si autem non illic, ſed Malmundarii reperiatur, utrique loco præficiendus eſt ab eo potius quam ab externis aſſumtus intromittatur. *Idem decernunt Silveſter papa II. Leo IX. Otto imperator II. Lotharius II. Conradus II. & Arnoldus Colonienſis archiepiſcopus.*

Sexto, Malmundarienſium cauſæ adverſatur id quod certiſſimum eſt, omnes nimirum hactenus eorum novitios non Malmundarii, ſed Stabuleti profeſſionem emiſiſſe. Qui porro monaſticis in rebus peregrini non ſunt, hi norunt ſatis hanc apud monachos viguiſſe conſuetudinem, ut novitii cujuſvis monaſterii ab alio majori dependentis, non niſi in majori, ſive capitaneo, ut vocant, monaſterio profeſſionis vota pronuntiarent. An vero id ab initio in uſu & more Stabuleti poſitum fuerit, ſub judice lis eſt. Certum eſt autem ſummorum pontificum Cœleſtini II. Lucii II. Eugenii III. & Adriani IV. bullis præſcriptum eſſe, ut monachi ipſius loci, *ſcilicet Malmundarii*, Stabulaus profeſſionem faciant. *Certum etiam eſt idem ſanxiſſe S. Popponem abbatem, quò Stabulenſium jura firmaret. Ita enim Everelmus abbas Altimontenſis in vita ipſius ſæculo VI. Benedictino n. 38.* Malmundarium, *ait*, inſuper, quod præfato loco (*Stabulenſi*) tam *adtinere* quam adjacere ſemper habuit, ut firmius ad eumdem locum *reſpiceret*, præſcriptum imperiale ſententiam impoſuit, confirmatis etiam his quæcumque eo loci juſte videbantur pertinere, ne quis injuſte appetendi ea facultatis jura ulterius poſſet habere. Sed & beatus Poppo, ut Malmundarienſes profeſſionis ſuæ ſponſionem apud Stabulaus agerent, perpetua lege ratum ſtabilivit, atque exinde omnes ſucceſſores ipſorum hujuſmodi ſententia manavit.

Septimo, denique, ut aliquando tandem concludamus, Stabulenſium primatum adeo apertè graviterque aſſerunt ſummi pontifices, ut pervicaces eſſe oporteat, qui in contrarium ire velint. Inter alia quæ ad Stabulenſe monaſterium pertinent recenſens Cœleſtinus II. primo loca enunciat, Malmundarium, quod ſicut ab initio fundationis ſuæ fuiſſe dinoſcitur, ſemper ſubjectum ſit Stabulenſi loco, quemadmodum cella monaſterio. *Eodem modo loquuntur Lucius papa* II. *Eugenius* III. *& Adrianus* IV. *Summis pontificibus præiverant Colonienſes archiepiſcopi, quorum intererat maxime Malmundarienſium jura ſtabilire. Fredericus archiepiſcopus in diplomate anni MCXXVIII. Stabulenſibus conceſſo, poſtquam aliqua retulit, quæ Stabulenſium juri firmando conferre videntur, ſic infert:* His ita ſe habentibus, perſpicuum eſt, quod eccleſia Stabulenſis principatum obtineat, Malmundarium vero *ſubjectionem ei & obedientiam* debeat: quod Malmundarienſes eo uſque hactenus infirmare conati ſunt, ut tempore divæ memoriæ Ottonis II. diſſidio facto, abbatem per ſe habere vellent *&c.* Nos vero, ut jam dictum eſt, omnem materiam diſſenſionis & ſcandali ſecundum tenorem veritatis & rationis a præfatis locis auferre cupientes, conſtituimus & præſenti privilegio in perpetuum firmamus, ut Malmundarium eo ſubjectionis jure Stabulenſi eccleſiæ obediat, quo jure omnes cellæ & præpoſituræ ſuis cœnobiis ſubeſſe videntur. *His accedit quod ait Conradus II. imperator in diplomate anni MCXL.* Hoc quoque immobiliter ſtatuimus, ut Malmundarium nunquam à Stabulaus ſeparetur; ſed ſicut a principio factum eſt, ſubjectum velut majori ſuo, ab uno abbate inſeparabiliter gubernetur.

Hæc ſunt præcipua rationum momenta, quibus ambo monaſteria cauſam defendunt ſuam, neque tamen me latet & Stabulenſes ad Malmundarienſium argumenta haud difficulter reſpondere; & Malmundarienſes e contrario Stabulenſium ineluctabiles rationes argutiis eludere. Verum apud æquos rerum æſtimatores an ponderis alicujus ſint, aliorum eſto judicium. Ea mihi expoſuiſſe ſufficiat, quæ in antiquis eorum monumentis occurrunt, quæ monumenta fere omnia

a subsecutis imperatoribus Frederico I. Carolo IV. Maximiliano & Carolo V. confirmata sunt. Sæculo XV. cum omnes Stabulensium possessiones bellorum impetu vastatæ essent, cœnobiumque ipsum conflagrasset, adeo tenues erant eorum fortunæ, ut ex tredecim qui in monasterio supererant monachis, numerosa olim congregatio illa ad quatuor aut quinque monachos redacta fuerit; an tunc ex parte Malmundariensium suis in juribus aliquod passi fuerint detrimentum ignoro, ea nihilominus a Maximiliano & Carolo V. imperatoribus rata fuisse postea reperio. Leodio accepi hodie ambo illa monasteria ad concordiam revocata pacifice agere. Quòd utinam hanc pacem auro quovis potiorem Deus æternam esse velit. Porro vetera hæc monumenta e Stabulensis monasterii archivis excepta, debemus ejusdem loci reverendissimo & amplissimo priori, a quo omnem experti sumus humanitatem. Non ignoramus aliqua ex iis sparsim edita fuisse; sed ea cum pauca sint, non ideo hic prætermittenda fuerunt, ne a viris eruditis, qui difficilius ea reperire possent, desiderarentur.

DIPLOMA SIGEBERTI REGIS.

DE FUNDATIONE MONASTERII Casegonguidinensis, cujus primus abbas instituitur S. Remaclus.

Circa 648. *Ex cartario Stabulensi & ms. Malmundariensi.*

SIGIBERTUS (*a*) rex Francorum (*b*) viro inlustri GRIMOADO majori domus. Singulariter ac percuncta feliciter ad mercedis nostræ augmentum credimus pertinere, si larga munera summi Dei omnipotentis devota mente offerre non dubitetis; quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, quando ex propria voluntate compendia servorum Dei destinare non dubitat. Ideoque sub devotione animæ nostræ, cum consilio magnificorum apostolicorum, (*c*) CUNIBERTI, GODONIS, vel illustrium virorum GRIMOALDI, BOBONIS, ADALGISILI monasterium regulare in honore patroni nostri Petri, Pauli, Johannis, vel ceterorum martyrum in terra nostra silva Arduennense in loco qui dicitur Casegongindinus (*d*) quem Sesomires fluvius cingere videtur, & ex nostræ largitatis munere juxta patrum traditionem cœnobiũ volumus construere, & ibidem Deo auspice REMACLUM (*e*) abbatem constituimus, qualiter ibidem secundum ordinem & monita antiquorum patrum conversari debeant, sic tamen, ut de ipsa castra & ripa fluminis in directum leuvas tres de nostra silva Uriacinse cum ipsa venna Dñica quæ dicitur Acnulfi, cum Probardo de Babone vel junioribus eorum, qui ibidem servire videntur die præsente concessimus ad possidendum. Similiter de suo ipso castro ex alia silva dominica alias tres leuvas & in directum item tres alias leuvas, nec non & aliam venellam in fluvio nuncupante Alisna, ubi illa petra pro quadrata est. Hæc omnia ad usus eorum servorum Dei ex unitate nostra visi fuisse condonasse, ut habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant, ut potius eis delectet attentius pio domino preces incessabiliter fundere. Et ut præceptio firma atque inviolata permaneat, manus nostræ subscriptionibus subter eam roborari decrevimus.

[a] [b] [c] [d] [e]

(*a*) Is Dagoberti primi filius extitit, ac vivente patre Austrasiorum rex creatus est anno 638. ad 663.

(*b*) In solo codice Malmundariensi pervetusto reperitur hæc inscriptio, *viro inlustri Grimoaldo majori domus* cum sequentibus verbis *singulariter ac per cuncta feliciter ad mercedis augmentum* quæ in Cartario Stabulensi desiderantur, tametsi omnino necessaria videntur.

(*c*) Cunibertus Colonienſis, Godo Metensis fuit episcopus, uterque sanctorum albo inscriptus.

(*d*) Casæcongnidunense monasterium in ducatu Luxemburgensi ad amnem Sesomirum vulgo *Somoy*, Chinium inter & Bullonium oppida situm, in prioratum subsecutis seculis redactum est, gallice *Cougnon* appellatum.

(*e*) E Solemniacensi diœcesis Lemovicensis monasterio accersitum, nec multo post Trajectensem episcopum ordinatum.

EXEMPLAR PRÆCEPTI SIGIPERTI regis dati sancto Remaclo.

De foreste in circuitu monasteriorum.

SIGIPERTUS rex Francorum, vestra comperiat largitas, qualiter pro devotione animæ nostræ servorum Dei compendiis, opitulante Dño, in foreste nostra nuncupata Arduenna, in locis vastæ solitudinis, in quibus caterva bestiarum germinat, consulere cupientes, quatenus eorum meritis æternæ retributionis copiam adipisci mereremur qui ibidem patroni nostri Petri & Pauli, Johannis, Martini, vel aliorum sanctorum Circa 6[illegible]

venerari pignora noſcuntur. Conceſſimus eis ut ibi monaſteria juxta regulam cœnobiorum vel traditionem patrum cognominata Stabelaco ſeu Malmundarium conſtruerentur, ubi Chriſto auſpice REMACLUS venerandus abba præeſſe dinoſcitur, & eis tale beneficium præſtitiſſe compertum ſit, ut ibidem familia Dei vel cuſtodes eccleſiæ quieto ordine comtemplativam vitam agere deberent juxta ammonitionem divinam, qui reliquerit domum, patrem, aut matrem, aut agros & cetera, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. Quapropter ex conſenſu fidelium noſtrorum, videlicet domni Cuni- B
[a] perti Colonienſis archiepiſcopi, nec non (a) Attelani, Theudofridi, Giſlocardi epiſcoporum, vel illuſtrium virorum Grimoaldi, Folcoaldi, Bobonis, Adregiſili, item Bobonis, nec non & domeſticorum Floduſi, Anſigiſi, Bertelini, Gariperti conceſſimus ſupradicto patri ob cavenda pericula animarum inhabitantium, & ad devitanda conſortia mulierum, ut gyrum gyrando in utrorumque par-
[b] tibus monaſteriorum (b) duodecim menſurarentur ſpatia dextrorſum ſaltibus non plus duodecim milliaribus, ut abſque impreſſione populi vel tumultuatione ſæculari, Deo ſoli vacarent. In reliquo vero taliter noſter promulgavit edictus, ut nullius umquam tempore vitæ ſuæ quælibet perſona ipſam foreſtem audeat irrumpere, aut manſiones aut domos ædificare, niſi tantum modo illi ſervi Dei, qui hæc tuguriola omni tempore noſtro conceſſu excolere videntur. Et ut perceptio circa ipſam familiam Dei vel poſteritatem illorum, quibus pro divino intuitu hæc parva munuſcula plenius conceſſimus, plenius obtineat vigorem, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decrevimus roborari.

Anerabilis REMACLUS epiſcopus & abba Chriſto auſpice præeſſe videtur: quæ vir inluſter GRIMOALDUS major domus in honorem ſanctæ Dei genitricis MARIÆ, ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Johannis Baptiſtæ, vel S. Martini, ſeu ceterorum ſuo opere in vaſta eremi Arduennenſis conſtruxit, quemadmodum nos loca ipſa ad ipſa monaſteria ædificanda pro noſtra præceptione ex foreſta noſtra conceſſimus: quæ licet gratia Chriſti ſint ditata præfata monaſteria, mundanæ tamen ſubſtantiæ cernuntur parumper habere. Ideo di- B
vina inſpiratione commonici, decrevimus aliquantulum de fiſco noſtro ad ipſa monaſteria conſpicere & conſolari. Telonium igitur quod ad portum Vetraria (c) ſuper fluvios [c]
Taunuco Ittaque, & portum illum qui dicitur Sellis, immoque & vagatio ſuper fluvium Ligeris, quod judices vel agentes noſtri ad portus ipſos tam quod navalis evectio conferebat, aut undique negotiantum commercia in theloneo aut quolibet ripatico, ex ipſis portubus ſuperius nominatis, in fiſco noſtro ſolebant recipere, pariter & homines qui in ipſis portubus commanent, vel ipſos C
portus cuſtodiunt, aut ibi aſpicere videntur, pro ſtabilitate regni noſtri ad monaſteria ſuperius nominata vel monachis ibidem conſiſtentibus noſtri muneris largitate concedimus. Qua propter præſenti ex hac juſſimus promulgari præceptione, ut neque vos, neque juniores, aut ſucceſſores veſtri, aut quiſlibet, quæ ad partem monaſteriorum ex hoc pertinet numquam præſumatis exiſtere contrarii, ſed magis theloneos ipſos de portubus ſuperius nominatis, quandocumque exinde fiſcus noſter poterat ſperare, in luminaribus jam dictis baſilicis, vel ſtipendiis mona- D
chorum, qui ibidem curſum regulariter quotidianis horis implent, annuimus poſſidendos, ut omni tempore proficiant in augmento. Et ſi forte aliqui portus ipſos prænominatos pro terris ipſorum propriis tranſtulerint, quo facilius ipſum theloneum quemadmodum ad fiſcum noſtrum debuerat provenire ſubtraxerint, jubemus ut navigia ad portus ipſos, ubi per tempora præcedentium regum parentum noſtrorum ire conſuetudinem habuerant diſcurrant, & alibi theloneus neque à vobis, neque à junioribus, ſeu ſucceſſoribus veſtris exigatur, quod E
fiat, ut ſi ante ſuperiores annos, dum modo ſub tenera adhuc videbamur ætate ſubſiſtere, aliquis quodlibet ex hujus ceſſione inſtrumenti accepit, nullus mancipetur effectus, ſed vacuum & inane permaneat, dum & aliter compluribus fidelibus noſtris noſcitur eſſe conventum, ut dum auxiliante Domino in regnum ad legitimam pervenimus ætatem, ceſſiones illius, quæ ex ori-

DIPLOMA SIGIBERTI REGIS conceſſum S. Remaclo epiſcopo & abbati Stabulenſi.

Ad primariam monaſterii fundationem quædam addit vectigalia.

Anno 651. SIGIPERTUS rex Franchorum vir inluſter GODEGISILO comiti. Singulariter regni noſtri compendiis, & prolixa felicitate, Deo adjuvante, confitemur augmentare quicquid ſacroſanctæ eccleſiæ propriæ deliberationis arbitrio ſerenitas noſtra contuletit; quia tunc regalis poteſtas ſui culminis fundamenta corroborat, quando larga humanitate condigna munera in honore Dei conferre non dubitat. Igitur ſancta ac venerabilia monaſteria Stabulaus ſive Malmundarium cognominata, ubi vir ve-

(a) Attilanus Laudunenſis, Theudefridus Tullenſis, Giſlocardus Virdunenſis eccleſiarum præſules extitere.
(b) Malmundarienſis ſcilicet & Stabulenſis.

(c) In Aquitania ſcilicet, ut docet Notkerus epiſcopus Leodienſis in vita S. Remacli; in qua meminit hujus donationis.

ginario fisco nostro aliquid serenitas nostra concesserat, deinceps in antea, hoc est an- [a] no XIV. (a) regni nostri debeant in Dei nomine stabiles esse. Hanc quoque auctoritatem, ut in omnibus valitura, in nostris & futuris temporibus valitura, intacta valeat durare, manus nostræ subscriptionibus roboravimus.

DIPLOMA HILDRICI REGIS Francorum.

Villam Germiniacum S. Remaclo à Sigeberto rege concessam confirmat.

IN Dei nomine HILDRICUS rex Francorum vir inluster. Illud nobis ad stabilitatem regni nostri Deo auxiliante provenire credimus, si justa decreta domni SIGIBERTI regis divæ memoriæ patrui nostri confirmare & roborare deliberamus. Nam venerabilis pater noster REMACLUS & abba clementiæ regni nostri suggessit, eoquod memoratus domnus Sigebertus rex villam Germiniacum nomine in pago Remensi sitam ad monasteria Stabulaus & Malmundarium, quæ ipse princeps & rex suo opere construxit, cum quibusdam aliis dominationis suæ rebus contradidit cum omnibus suis appenditiis, in qua sunt molendini duo sub uno tecto, cum aria super fluvium Suppia, vinea in Betereo cum vineatore, & quod hæc omnia possidenda ad integrum ad ipsa monasteria quæ sunt in honore patroni nostri Petri simul & Pauli apostolorum, Johannis Baptistæ, & S. Martini, vel ceterorum sanctorum qui ibidem venerantur, per suam regiam præceptionem illi concessit. Unde & ipsam regiam præceptionem nobis proferens relegendam, eam nostra regali auctoritate confirmari petiit. Cujus petitionem sicut unicuique justa petenti secundum regiam majestatem decernentes implere, effectum voluntatis ejus nos in omnibus cognoscite confirmasse; præcipientes & stabilientes ut sicut per inspectam jam dicti principis præceptionem, ipsa villa superius nominata cum integritate & soliditate sua, cum terminis ab ea pertinentibus, vel ipsa farinaria seu vinea cum vineatore ad ipsa denominata loca sanctorum, ipso jam dicto patri venerabili visus fuit idem princeps & rex concessisse, quæque omnia usque in præsens monachi ipsorum locorum ad victualia sua videntur possidere; ita deinceps per hanc nostram præceptionem tam in terris quam in casis, mansis, mancipiis ædificiis cum vineis, campis, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis, aquarumve decursibus plenius in Dei nomine confirmata habeant, teneant, possideant, & idem venerabilis Remaclus pater noster ejusque in posterum successores, omnibus temporibus ultra dominentur, quo liberius monachos qui ibidem videntur Deo deservire, vel pauperes qui ad ipsa loca sanctorum alimoniam expetunt melius delectet pro statu regni Francorum Dei misericordiam attentius exorare. Et ut ista regalis perceptio pleniorem obtineat vigorem, in Dei nomine nostris & futuris temporibus manus nostræ subscriptione inferius confirmare decrevimus.

Signum HILDERICI regis glorioſi. (b) [b]

PRÆCEPTUM HILDERICI REGIS datum S. Remaclo ex locis nominatis in foresta.

Confirmat S. Remaclo factam foreſtæ donationem, cujus mediam partem monachi ſponte reddiderunt.

CHILDRICUS (c) rex Francorum Anno 6[illegible] EMNECHILDIS & BILECHILDIS [c] gratia Dei reginæ viris illustribus GONDOINO duci & ODONI domestico. Ad æternam enim mercedem procul dubio credimus pertinere, si petitionibus sacerdotum vel quorumlibet devotorum justa petentium perducimus ad effectum. Igitur domnus & pater noster REMACLUS episcopus clementiam regni nostri petiit pro monasteriis suis Stabulau & Malunmdario, quæ bonæ recordationis patruus noster SIGEBERTUS quondam rex suo construxit opere. Unde & ipsius principis regiminis tale præceptum nobis ostendit relegendum de eorum majori spatio, de ipsa foreste dominica in utrisque partibus de ipsis monasteriis, tam in longum quam in transversum, duodecim millia dextrorsum saltibus, quod & adhuc pro totius firmitate taliter in ipsa præceptione habetur insertum, ut per consilium pontificum ipsius temporis, ideſt HUNIBERTI, MEMORIANI (d), GISLOALDI episcopi cum illustribus viris GRIMOALDO, FUCOALDO, ADREGISILO, OBONO ducibus, CLODULEFO, (e) ANGESILINO, GAREPERTO [d] [e] domesticis taliter actum fuit quod veracissime cognovimus quod illi servi Dei quibus datum fuit absque impressione populi ibidem in ipsa loca residere deberent. Quapropter ipse episcopus abba eorum una cum ipsis monachis nobis exinde confirmatio-

(a) Sigibertus anno 638. regnare cœpit, ac proinde annus regni ejus decimus quartus incidit in annum 651.

(b) Manus otiosa huic diplomati addidit: *Data. anno Dominicæ incarnationis DCXL. indict. xiij. Ursio scripsit & subscripsit.*

(c) In vetusto codice Malmundarienſi hoc privilegium ita incipit *Childericus Hodone domestico*, nulla reginarum & Gondoini facta mentione.

(d) In codice Malmundarienſi *Nemoriani* forte *Numerini* Trevirensis episcopi.

(e) In codice Malm. *Angsisilo.*

nem auctoritatis noſtræ petierunt affirmare, A quam petitionem nos pro Dei intuitu eis minime denegare potuimus. Ea tamen conditione ſic petierunt ipſi ſervi Dei, ut verſus curtes noſtras id eſt Amblavam, Charancho, Lethernacho, de ipſis menſuris duodecim millibus dextrorſum ſaltibus ſex millia ſubtrahere deberemus, pro ſtabilitate operis, quodadmodum per noſtram ordinationem ſic factum eſt. Unde juſſimus pro hac re domno & patri noſtro THEODARDO epiſcopo vel illuſtri viro HODONI domeſtico, cum foreſtariis noſtris & æternale cum paribus ſuis ipſa loca menſurare B & deſignare per loca denominata, quorum vocabula ſunt de monaſterio Malmundario uſque Sicco-campo, de Sicco-campo per viam Manſueriſcam uſque ubi Warchinna tranſverſat, de ipſa Warchinna uſque ubi Stagnebachus conſurgit, deinde per ipſum Stagnebachum uſque in Amblavam, deinde per Amblavam verſus aquam per illam
[a] foreſtem de *(a) VVlfeberto* uſque Rarobacco, ubi ipſe conſurgit, deinde Diddiloni rivus conſurgit, deinde per ipſum rivum uſque in Reſtam, & de Reſta per illam fo-
[b] reſtem, quæ ſeparat *(b)* Helmini Rovori- C tum & Audaſte villare, per ipſam mediam foreſtem, uſque Jocunda Fania, de Jocunda Fania per illam Alſenam quæ propinqua eſt monaſterio, deinde per illam Alſenam uſque ubi in glanem ingreditur, deinde tranſverſa glane uſque ad Albam Fontanam, de
[c] ipſa Alba Fontana in *(c)* Alblavam ſumma Siggino Aviaco, ubi Garelaicus vennam habuit. Inde per ipſam Amblavam ubi Dulnoſus in ipſa ingreditur, deinde per Dulnoſum uſque in Fanias, deinde per mediam
[d] foreſtem de ipſas Fanias uſque viam *(d)* Tranſveriſcam, inde per ipſam viam uſque D Sicco-campo. Ut hoc totum & ad integrum cum Dei gratia & noſtra teneant atque poſſideant cum emunitate nomenis & in ejus temporibus, ut abſque ullius impugnatione foreſtariorum, vel cujuſlibet perſonæ liceat ipſam familiam Dei quieto ordine reſidere, & pro vita noſtra vel ſtabilitate regni Franchorum die noctuque Domino famulari. Et ut hæc præceptio noſtra in membranis conſcripta firma & inviolabilis perſeveret, manu noſtra ſubter eam decrevimus affirmare.

Signum domni CHILDERICI regis E glorioſi.

Signum EMNECHILDIS reginæ.

Signum BLICHILDIS reginæ.

Signum GUNDUINI ducis.

Data quod fecit menſe Septembri die VI.
[e] anno VIII. *(e)* imperii.

(a) Malm. *VVlfebergo.*
(b) Malm. *Helmin Roboretum.*
(c) Codex Malmundarienſis hunc locum ita legit *Amblavam, ubi Gerlaicus vennam habicit.*
(d) Malm. *Manſiericam.*
(e) Cum Childericus anno 658. in Auſtraſia regnare cœperit, annus regni ipſius VIII. in annum *665.* aut *666.* incidere dicendus eſt: hinc colliges S. Remaclum, cui hoc diploma conceſſum eſt, nec dum e vivis exceſſiſſe eo anno, cujus obitum ex conjectura tantum anno *664.* conſignaverat Mabillonius, qui diploma illud non viderat.

EXEMPLAR PRÆCEPTI Theoderici regis dati abbati Godoino.

De confirmatione omnium rerum monaſterii.

THEODORICUS rex Francorum vir Circa 673.
inluſter. Si petitiones ſacerdotum aut eccleſiarum prolatas, in quo noſtris auribus recte popoſcerint, perducimus ad effectum, regiam conſuetudinem exercemus, & in æternum Dominum retributorem ex hoc habere confidimus. Ideo notum ſit fidelibus noſtris, quia venerabilis vir GODUINUS abba de monaſterio Stabulaus & Malmundario, quæ ſunt in honore S. Mariæ, & SS. apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Martini, & cererorum ſanctorum à bonæ memoriæ avunculo noſtro SIGIBERTO quondam rege ob amorem Chriſti de foreſte fiſcibus noſtris conſtructa, clementiam noſtram expoſcit, eo quod ipſe princeps pro mercedis ſuæ compendio & vita æterna villas aliquas de fiſcis, tam ultra Ligera, res proprias, quas domnus REMACLUS legitime poſſedit, quam ceteras per præcepta ſua manu roborata ſub integra emunitate abſque introitus judicum conceſſit: unde & ipſa præcepta ſeu & confirmationes decedentium regum memoratus abba ſe præ manibus habere adfirmat, ſed petiit celſitudinem noſtram, ut tam id quod ipſe princeps domnus SIGIBERTUS de fiſco ſuo ſeu de reliquis locis ad ipſa monaſteria a Chriſtianis hominibus inibi videtur fuiſſe datum, & præſentis temporis eorum manet poſſeſſio vel donatio, ut hoc in idipſum pro noſtris oraculis confirmare deberemus. Cujus petitioni pro reverentia ipſorum monaſteriorum, ſeu & conſiderantes ſacerdotium ipſius viri GODOINI, vel fidei ſuæ reſpectum, quo erga regnum noſtrum fideliter videtur famulari, non ſolum confirmaſſe, ſed etiam pro mercede noſtra a novo receſſiſſe veſtra comperiat magnitudo. Præcipientes enim, ut ſicut conſtat a ſuprafcripto principe domno SIGIBERTO vel germano noſtro CHILDERICO quondam rege, ſeu ceteris chriſtianis hominibus ad ipſa monaſteria tam villabus quam domibus, mancipiis, accolabus, vineis, ſilvis, pratis, campis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, cum reliquis beneficiis, mobilibus & immobilibus, præſenti tempore quieto ordine pars ipſorum monaſteriorum cernitur denominari, ita deinceps pro noſtra auctoritate plenius in Dei nomine confirmamus, tam ſupra ſcripta loca, quam ſupradictum GODOINUM

abbatem & ſucceſſores ſuos vel monachos ibidem conſiſtentes tam noſtris quam futuris temporibus inſpectas ipſas auctoritates antè lectos principes vel reliqua inſtrumenta quod ibidem fuit firmatum, & condonatum, ſeu & inantea juſte & rationabiliter collatum ſub emunitatis nomine abſque introitu judicum ibidem maneat inconvulſum, quo fiat, ut nobis ad mercedem pertineat, & ipſos ſervos Dei melius delectet pro regni noſtri conſtantiam attentius Domini miſericordiam deprecari. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora conſervetur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decrevimus roborari. In Chriſti nomine THEODORICUS rex ſubſcripſit.

DAGOBERTI REGIS Auſtraſiorum diploma Goduino abbati conceſſum.

Germiniacum villam a patre Sigeberto conceſſam ei confirmat.

Circa 677. [a] DAGOBERTUS (a) rex Francorum inluſter vir. Illud nobis ad ſtabilitatem regni in Dei nomine provenire confidimus, ſi facta domni & genitoris noſtri SIGIBERTI quondam regis pro noſtris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque ideo vir venerabilis GODUINUS abba de monaſterio Stabulau & Malmundario clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quod domnus & genitor noſter SIGIBERTUS rex S. Remaclo ex villa cognominante Germiniaco in pago Rhemenſe ad ſupraſcripta monaſteria, quæ ſunt in Arduenna, quæ ipſe princeps ſuo opere conſtruxit, ipſa villa Germiniacum cum omni integritate, appenditiis ſuis pertinentibus ad ſe, id ſunt molendini duo ſub uno tecto, cum aria ſuper fluvio Suppia, vinea in Beterio cum vineatore, hoc totum vel ad integrum ad ipſa monaſteria, quæ ſunt in honore patronis noſtri S. Petri & Pauli, & S. Martini, vel ſanctorum ceterorum, qui ibidem ad ipſa loca venerari noſcuntur, per ſuam præceptionem conceſſiſſe. Unde & ipſam præceptionem memoratus vir venerabilis GODUINUS abba ſuis etiam manibus roboratam nobis in præſenti protulit relegendam, & aſſerit quod pars ipſius monaſterii ipſam tem ſuperius intimatam tempore præſenti poſſidere vel dominari videntur, ſed rei totius firmitatem noſtram ſe petit, & plenius ex hoc ad ſupraſcripta monaſteria per noſtram præceptionem in Dei nomine confirmare deberemus, cujus petitionem ſicut unicuique juſta petentibus præſtitiſſe, & in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim, ut ſicut conſtat per inſpectam præceptionem jam dicto principe, ipſa villa ſuperius intimata, cum omni integritate & ſoliditate ſua terminum ad eamdem, vel ipſa farrinaria ſeu vinea cum vineatore taliter per ſuam præceptionem ad ipſa loca ſanctorum viſus eſt conceſſiſſe, & hoc ad præſens pares ipſius monaſteria poſſediſſe vel dominari videntur, ita deinceps per hanc præceptionem noſtram tam terris, caſis, manſis, mancipiis, ædificiis, cum vineis, campis, pratis, ſilvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, plenius in Dei nomine confirmatum, ita ut pares prædicti monaſterii hoc habeant, teneant, atque poſſideant, & ipſe GODUINUS ſucceſſoreſque ſui perennis temporis hoc valeant poſſidere, vel dominari, qui potius monachis, qui ibidem ad ipſa monaſteria deſervire videntur, vel pauperes qui ad ipſa loca ſanctorum alimoniæ expectantur, melius eos delectorum * pro ſtabilitate regni noſtri Domini miſericordiam attentius exorare. Et ut hæc præceptio pleniorem obtineat Dei nomine noſtris & futuris auxiliante Deo temporibus vigorem, manus noſtras ſubſcriptionibus ſuper eam decrevimus adfirmare.

*Delectat.

EXEMPLAR PRÆCEPTI Chlodovei regis dati Pabulino abbati.

De quadam commutatione facta cum rege.

Anno 691. Ex tabulario Stabulenſi & mſ. Malmundarienſi. CHLODOVEUS rex Francorum inluſtri HERICO duce & CHAREIEIVO comiti. Quotiens inter anteriorum regum celſitudinem & congregatione ſancta monachorum pro inſtrumenta cartarum, de qualibet re facta fuerit commutatio, oportet ſcripturarum ſeriem inter partes per noſtram præceptionem confirmare. Ideo vir apoſtolicus & pater noſter PAPOLINUS epiſcopus clementiam noſtri regni ſuggeſſit, eo quod domnus noſter & avunculus

(a) Dagobertum Sigiberti Auſtraſiarorum regis filium, defuncto patre, à Grimoaldo majore domus regiæ regnandi cupido per Didonem Pictavorum epiſcopum in Scotiam majorem, ſeu Hiberniam, Scotorum inſulam perpetuo exilio relegatum fuiſſe ſcripſerunt hiſtoriæ Gallicanæ ſcriptores non pauci, at ipſius in regnum reſtitutionem per annos amplius nongentos ignorare nos fecere omnes, donec ſæculo proxime elapſo Hadrianus Valeſius & Godefridus Henſchenius illam demonſtraverunt tribus potiſſimum argumentis, petitis ex vita S. Salabergæ abbatiſſæ, ex Willelmo Malmeſburienſi & ex actis S. Memmii Catalaunenſis primi pontificis, quibus tria alia acceſſêre argumenta ex Tridegodo poëta, Eadmero monacho & Eddio in vita S. Wilfridi Eboracenſis archiepiſcopi, quorum lucubrationes publici juris fecit noſter Mabillonius, qui tribus hiſce teſtimoniis & quartum addidit ex Paulo Warnefridi lib. 5. de Geſtis Langobardorum cap. 32. ubi Dagobertus cum Grimoaldo pacem iniiſſe dicitur. Verum argumentum hujus reſtitutionis omni exceptione majus eruitur ex hoc diplomate quod ipſe Dagobertus reſtitutus in regno Goduino abbati Stabulenſi dedit: quod cum unicum hactenus lucem viderit maximo viris litteratis debet eſſe in pretio. Henſchenius in Diatriba de tribus Dagobertis & ex eo Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum 677. n. 9. iſtud Diploma retulerunt, ſed mutatis ſubinde quibuſdam verbis minus latinis, & corrupta voce *farinaria*, cujus loco poſuere *farinaria*.

CHILDERICUS quondam rex una cum antecessore suo domno REMACLO episcopo quondam suis monachis, ubi ipse ad monasteria Stabulacho & Malmundario custos esse videtur, locella aliqua commutassent, unde & accepit pars domni & avunculi nostri CHILDERICI quondam regis locellum cui nomen Athetasis cum hominibus ibidem commanentibus & omne peculiare eorum vel terras eorum, quas excolere videntur, his nominibus, Radefrido cum nepotibus suis, Bertranno, Gisfloberto, Aganulfo, item Radefrido, Sigofrido, Rigoberto. Pro ipsa re in commutatione ipse pontifex accepit de fisco nostro locellum qui dicitur Maipa cum hominibus ibidem commanentibus his nominibus Athelino, Albode & Vinegario, cum terris quas excolere videntur, & omne peculiare eorum, ut hæc pars ipsi pontifici & suis monachis in perpetuo tempore debeant permanere. Inde & commutationem ipsius principis tum à suis manibus roboratam nobis in præsenti ostendit relegenda, quod pro firmitate studuimus petitiones eorum plenius circa ipsa monasteria vel congregationem sanctam confirmari præceptum. Cui nos hoc beneficium præstitisse, vel confirmasse, ac in omnibus concessisse cognoscite, præcipientes enim ut quicquid constat per inspectam ipsam commutationem ipsius principis juste & rationabiliter inter ipsum & glorioſum domnum Remaglum jam dictum pontificem fuit commutatum aut concambiatum, tam terris, curtilibus, casis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, mancipiis, ædificiis, & reliquis rebus, atque corporibus domnus & pater noster PABOLENUS, ad partem jam dictam Stabelasco & Malmundario, per nostrum præceptum plenius confirmato perennis temporibus habeat confirmatum atque stabilitum. Et ut hæc præceptio nostris & futuris temporibus firmiorem obtineat vigorem, manus nostræ signacula subter eam decrevimus adfirmare.

Signum CHLODOVEI glorioſissimi regis.

C--D--V
L--H--E rex Francorum.
V--O--S

Data quod fecit mense Junio XXV. anno secundo regni nostri. NAMUCHO recognovi.

PLACITUM

Coram Carolo Martello, majore domus habitum apud Glamanvillam, cujus judicio restitutæ sunt monasteriis Stabulensi & Malmundariensi villæ Tofinum & Silvestrisvilla.

Circa 720. CUM resedisset inlustet vir CAROLUS major domus una cum pluribus personis Glamanvilla, ad universorum causas audiendas, vel recta judicia terminanda, ibique veniens homo VVolfrannus in causâ conjugis suæ Rischildæ, ad probatores suos Tancrado & Fastrado & apostolico viro RABANGARIO episcopo, & testatores ad monasteria sancti Petri in Stabulao & Maimundario interpellavit, & repetebat ei quod villas aliquas nuncupatas Tofino & Silvestrivillâ, quod antecessorum eorum Rotgisus quondam tenuit, eisque malo ordine contradederit, vel plus sibi retinuerit. Sed ipsi RABANGARIUS episcopus in præsenti charta precariâ manu per plures personas PIPINO firmatas ostendit relegenda, qualiter ipsas villas superius nominatas Tofinum & Silvestrivillam ipse ROTGISUS pro beneficio ad ipsa monasteria sancti Petri Stabulense & Malmundariense, vel ab antecessore suo BOBOLENO abbate, & ab ipsis monachis tenuisset, ubi habebat insertum, ut ipsas villas usufructuario ordine dum advivebat, teneri debuisset, & nullius præjudicium exinde possessio generare deberet, nisi post suum decessum cum ocurrerent meliorata, quidquid in ipsas villas Rotgisus attrahere vel augmentare poterat, a die ipso ad ipsa monasteria, vel ipsi monachi, ejusque rectores absque contradictione ad heredes ipsi Rotgiso, aut cuicumque velint, testata traditione in eorum reciperent potestatem ac dominationem. Sed dum hanc causam sic diligenter pro ordine nos vel ipsas personas fuit inquisita, interrogatum fuit ipsius VVolfrannus an aliqui ipsius heredes Rotgiso contra ipsam precariam habebant, quod dicere vel opponere deberent, sed ipsi in præsens nullatenus contra ipsam precariam potuerunt dicere vel opponere, sed omnibus ipsa precaria vera recognoverunt, & nulla potuerunt tradere ratione quod ipsam villam ullis legibus habere potuissent. Proinde nos taliter una cum fidelibus Dominorum vel nostris, hii sunt Gariberto, Jugiso, Racanario, Martino, Alnarberto, Aluezo, & Boboleno juniori nestro, vel reliquis quam plurimis, visi sunt judicare, dum ipsi VVlfranno & ipsi heredes Rotgisus, Tancradus & Fastradus contra ipsam precariam nihil habuerunt quod opponere vel dicere deberent, nulla potuerunt tradere ratione, pro quo ipsas villas habere potuissent, & ipsam precariam in omnibus veram recognoverunt, ut memoratus RABANGARIUS episcopus vel pars ad ipsa monasteria sancti Petri Stabulensis & Malmundariensis ejusque rectores, ipsas villas superius nominatas Tophino & Sylvestrivillam unà cum omni integritate quidquid ipse Rotgisus ad ipsas villas detraxit vel comparavit, antequam ipsa precaria contra ipsa VVlfrannus & conjux sua Richilda vel heredes Rotgisus & Tancradus & Fastradus omni tempore haberent in deditione & reliqui eorum, & sic inter ipsos in posterum, & hac re subdita causatio. Data quod fecit mense De-

cembri die vj. non. regnante CHILPERICO rege.

CHILDERICI REGIS PRÆCEPTUM.

De Stabulensis seu Malmundariensis monasterii immunitate, neve alius quam de grege eligatur abbas.

HILDRICUS rex Francorum viro inclito KARLOMANNO majore domus, rectori palatio nostro, qui nobis in solium regni instituit, viris apostolicis patribus nostris necnon & imperatoribus viris, omnibus comitibus vel omnibus agentibus tam præsentibus quam futuris. Oportet enim clementia principale inter ceterorum petitiones sacerdotibus quibuslibet benignum accommodare auditum, & quæ pro timore Dei & pro timore nominis Christi postulatur ponatur proculdubio ad effectum, ut fiat in mercedem conjunctio, dum pro quiete servorum Dei congrua impertitur petitio, qua fidus propheta non dubitat ad Altissimi gratiam pervenire. Quod secundum sacro eloquio præcipuè a domesticis fidei, devota mente impenditur, quia scriptum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ergo dum & ANGLINUS abba, qui etiam monasteria Stabulaus & Malmundario, quæ ponuntur in foresta nostra Arduenna, vel super fisco nostro videntur esse constructa, & nostro promisso jussus est regere, vel ipsorum monachorum ubi basilicas in honore domnorum sanctorum Petri & Pauli, & sancti Martini videntur esse constructas, vel turba plurima monachorum ad unitatem noscuntur clementiæ nostræ pro quiete ipsorum servorum Dei perceptionem vigoris nostri placuit propalare sub quo tranquillitatis ordine, Domino protegente, ipsi monachi juxta religionis normam perpetim valeant residere, ut huic series planius declaretur, quia nihil de canonica institutione convelli, & quidquid a domesticis pro tranquillitate pacis conceditur, nec nobis aliquid detrahendum æstimet, atque innova decernitur merito, dum ab antiquis juxta pontificum institutionem pro regale correctione monasteria sanctorum & Stabulaus & Malmundarium libertatis privilegio videntur consistere. Ergo si qua inibi illius abbati est delegatum, aut deinceps fuerit additum, juxta quod ab ipso ANGLINO abbate vel ceteris domnis abbatibus ad præfata monasteria vel monachorum ibidem defervientes, juxta quod eorum continent privilegia, quæ nobis præfatus ANGLINUS abba protulit recensendum, sancitum esse cognovimus, & scimus, nullus episcoporum, ut diximus, nec præsens, neque qui fuerit successoris ejus seu archidiaconus seu eorum ordinatores vel quælibet persona, post quoque ordine afferre de loco ipso aut aliqua potestate sibi ipsa monasteria petere, quod scriptum est adaptare, vel aliquid quasi pro commutationis titulo minorari, aut de monasteria illata abstollere, nec ad ipsa monasteria vel cellulis ejus quod facilius est secundum delegationibus vitatam, vel hujus serie auctoritati ad ipsa monasteria absque illius inquietudine ibidem cuncta proficiant in augmentis. Addicientes ergo ut etiam in ipso privilegio de abbate ingressus ipsa loca congregatio post alius migravit, è semetipsis regulariter eligerent, instituendo abbati potestatem habeant committendo, & licentiam habeant terris fiscalis comparandi vel commutandi, adicientes ut nulli penitus judicum vel cujuslibet hominum licentia sit de rebus præfatis monasteria absque voluntate ipsorum servorum Dei iniquiter in aliquo defraudare, aut de monasterio pro suis usibus usurpare, nec quod primitus est, & Dei iram incurrat & nostram offensam, vel fisco gravi damno sustineat. Illud nobis præcipue integram memoriam nostram placuit addendo, ut tam quod est nostra largitate, quam deliberatione ipsius vel ceterorum aut cujuslibet, aut fuerit devoluta possessio quoquo tempore, nulla judiciaria potestas, aut succidente ad causas audiendas, aut aliquid exactando, ibidem non præsumat ingredi; sed omne immunitati hic ipsum monasteria, qui in Dionante castro & in Hogio commorari videntur, nullo theloneo ad usus exactare penitus non præsumatis, & quidquid exinde fiscus nostro forsitan de eorum hominibus aut de ingenuos aut de servientibus quæ ad ipsos casus legitimo redibunt initio, & earum agros, commanite videntur, vel unde quid poterit sperare ex indulgentiam nostram in luminaribus ipsius sancti loci vel stipendia sanctorum Dei, tamen nobis in Dei nomine viventibus, tam pro tempore succedentibus, pro mercedis compendium debeant cuncta proficere, ut pro æterna salute, vel felicitati patriæ seu regni constantiam delectet ipsius monachis immensam Domini pietatem implorare. Quem præceptum decretus noster in omnibus suffraganti, & ut firmior habeatur, & perhenniter conservetur, subscriptione manus nostræ eltuduimus peragere. CADECISSAMANUS recognovit. Signum CHILDERICO domno glorioso rege.

Emunata de monasterio Estabula seu Malmundario ut non debeat alter abbas esse, nisi quos ipsi monachi voluerint eligere; ut Dei voluntas fuerit. Data quod fecit mensis Julius.

PRÆCEPTUM

A

PRÆCEPTUM CAROLOMANNI majoris domus.

De judicio ab eo in Dunavilla prolato pro restitutione villæ Lethernau facta Anglino abbati.

Anno 746. INluster KARLEMANNUS major domus filius CAROLI quondam, cui Dominus regendi curæ committit. Cunctorum jurgia examinatione diligenti rimare oportet, ut non alterutrum salubris donetur sententia, nisi quem justitia consenserit Igitur cum nos in Dei nomine unà cum optimatibus & pontificibus seu & illustribus viris Dunavilla ad universas causas audiendas, vel justa judicia rimanda resideremus, ibique veniens ANGLINUS abba rector monasteriorum Stabulaus & Malmundarias, asserebat nobis dicens, quod domnus & avus noster PIPINUS quondam per suum testamentum villam aliquam quæ vocatur Lethernau unà cum appenditiis & adjacentiis suis quorum vocabula sunt Braftis, Feronio, Unalia, & Aldanias, ad casam S. Petri & S. Pauli, Stabulaus & Malmundarias condonasset vel delegasset, & nos ipsam villam post nos malo ordine retineamus & C injuste, unde & ipsum testamentum se præ manibus habere affirmat, cumque ad relegendum nobis tradidisset, invenimus eum veracem. Nos autem cum justitia considerantes casum humanæ fragilitatis pro salute animæ nostræ, vel stabilitate regni nostri ipsam villam Lethernau unà cum appendicibus vel adjacentiis suis per nostrum vvadium ipsum ANGLINO abbati visi sumus reddidisse, & per nostram festucam nos in omnibus exhibuisse. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, id est, FENALDO, HILDEBALDO, HRODERICO, CHRISTIANO episcopis, & abbate ERMENERO & HUGBERTO comiti palatio nostro vel reliquis D quamplurimis visi fuimus judicasse, ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam cognovimus, & ipsum testamentum sic veracem invenimus, ideo jubemus ut ipse domnus ANGLINUS abba vel ejus successores vel rectores monasteriorum illorum ipsam villam Lethernau una cum appenditiis vel adjacentiis suis cum omni integritate jure perpetuo ad ipsa monasteria habeant. Si quis vero aliquis de hæredibus vel prohæredibus nostris exstiterit, qui contrà hanc donationem nostram facere voluerit, successorum nostrorum regibus cum judicandum relinquimus. Datum quod fecit mensis Augustas dies XV. in anno quinto Regnante HILDERICO rege. Signum KARLOMANNI major domus †. Ego CHILDRADUS subscripsi.

PRÆCEPTUM CAROLOMANNI majoris domus.

De ampliſſima donatione quam fecit monaſterio Stabulenſi.

ICcirco ego KARLEMANNUS major domus, filius quondam KAROLI donamus donatumque imperpetuum esse volumus in elemosina nostra, vel ANGLINO abbati nostro, ad monasterio Stabulaus seu Malmundario constructo in honore patroni nostri sancti Petri & sancti Pauli, seu & sancti B Martini vel ceterorum martyrum, quorum pignora ibidem venerari noscuntur, ubi ANGLINUS abba Christo propitio præesse dinoscitur, hoc sunt villas cujus vocabula sunt, Lenione cum omnibus appenditiis suis in pago Conduſtrinse, Caldina, Mosania, VVarsipio & Barsina. necnon & Rudis, Pronote, Halma, & Haist in Gnoldo manso, Solania, similiter & villam quæ vocatur VVadalino cum omnibus appenditiis suis, Rudis, Olisna, Serario, Palatiolo & Brabante, ad ipsas casas Dei tradidimus atque transcribimus a die præsente ego KARLEMANNUS pro animæ nostræ vel ANGLINO, ut melius eis delectet pro nos vel stabilitate regni nostri Domini misericordiam attentius deprecari, in ea scilicet ratione, ut quamdiu ipse Anglinus advixerit, ipsas res usualiter excolere debeat, etsi nepos suus nomine GOTBALDUS illum superstes fuerit, ipsius Unadelino absque præjudicio & per precaria vel consensum ipsius monachis prædicto Unadelino tenere, vel excolere debeat sine ulla demaritione tantum ista superius denominata totum & ad integrum trado & dono ad ipsius monasteria, pro animæ nostræ, vel ANGLINO abbati nostro, hoc sunt terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, pratis, campis, pascuis, aquis, D aquarumve decursibus, adjacentiis, appenditiis, peculium utriusque sexus, mobilibus & immobilibus, nec non & in prædictis locellis, mansellis, in locis Mosali & Barsena, quod homines nostri ex genere Conduſtrensi his nominibus Adalinus & Agibertus, Bertegis & Astremundus tenuerunt, cum ipsis jam dictis hominibus superius nominatis, quidquid moderno tempore ipse ANGLINUS visus fuit tenere & in antea quidquid ibidem laborare aut augmentare vel attrahere potuerit, ad præfata monasteria in elemosina nostra vel sua, post suum quoque discessum ibidem revertatur absque ullâ contradictione. Si quis vero, quod futurum esse non credo, E contra hanc traditionis nostræ constitutionem facere præsumpserit, judicio successorum nostrorum regum cum reliquimus. Factum est astipulatione subnixa in villa Uvasidio publice sub

die quod fecit, menſis Junius dies vj. Regnante HILDRICO Rege. Signum illuſtris viri KARLEMANNI majoris domus. Signum illuſter vir DROGONE filio ejus conſentiente. Ego HILDRADUS Cancellarius rogatus hoc teſtamentum ſcripſi & ſubſcripſi.

DIPLOMA ALBRICI CLERICI & abbatis.

Manſum VVandelaicum pro anima ſenioris ſui Pipini regis Sabulenſi monaſterio donat.

A B antiquis inclytis patribus atque ſenioribus ſcimus eſſe datam licentiam, ut unuſquiſque de rebus quas poſſidet in hoc ſæculo, quod vult facere, in ſuo conſtat arbitrio faciendi proprio. Igitur ego in Dei nomine ALBRICUS indignus clericus & abba trado ad ſancti Petri & ſancti Remacli limina in Stabulaus manſum unum, qui vocatur Vvandelaicus manſus, quod dedit mihi ſenior meus PIPINUS atque rex in pago Ardennâ, interjacens de uno latere fiſci ipſius qui vocatur Palatiolus atque Beveris, unde eſt abſtractus, & de altero latere, Aldemega, muldionibus meis ex villa Graida ſub tributo annali. Nullo alio ſervitio niſi ex denariis x. ſol. pro remedio animæ domini mei ſupradicti regis atque unaquaque Dominicæ nativitatis, & ſi quis in poſterum tributum ipſum augeri, & aggravare, aut aliud ſervitium adjungere præſumpſerit, iram omnipotentis Dei incurrat, & à liminibus ſanctorum, omniumque Dei fidelium extorris habeatur. Hii ſunt termini atque confines ipſius manſi. Bezfontana, inde venit ad ſummum Medolum, inde Rotandum Haſi. Inde ad ſummum illud Bethushardau, Bulgercias duas ſorores, inde ad illam crucem ad ſummum Timonem, Fruſciaco, Caberliaco, Anſericellas, Hulſerolas, Proniſiacas uſque in Cranſmam. Inde venit ad fontanam Cancaronis & per ipſam uſque in Liciam.

DIPLOMA LUDOVICI PII imperatoris.

VVirundo abbati Stabulenſi & Malmundarienſi theloneum de navibus ſuis per Rhenum & Moſam decurrentibus concedit.

Anno 814. IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Jesu-Chriſti. HLUDOUVICUS divina ordinante providentia imperator auguſtus omnibus epiſcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, thelonariis, actionariis, miſſis noſtris diſcurrentibus vel hominibus rempublicam adminiſtrantibus, ſeu ceteris fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, & noſtris tam præſentibus quam & futuris notum ſit, quia vir venerabilis VVIRUNDUS abba & omnis congregatio ex monaſterio Stabulau & Malmundario, quod eſt ſitum in ſilva Ardennenſe, conſtructum in honore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ſeu & Martini, ubi & ſanctus REMACLUS corpore requieſcit, petierunt ſerenitatem noſtram, ut eis conceſſiſſemus theloneum de eorum navibus, quæ per Renum & per Moſam flumina propter eorum ſupplendas neceſſitates diſcurrunt, necnon & de carris & ſagmariis neceſſaria eorum deferentibus. Quorum petitionibus nobis ob amorem Dei & venerationem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ac ſancti Martini confeſſoris annuere, & hoc præceptum magnificentia noſtra firmitatis gratia circa ipſos fieri libuit, per quod jubemus atque præcipimus, ut nemo fidelium noſtrorum nec quilibet exactor judiciariæ poteſtatis de carris vel ſagmariis ipſius congregationis, de quolibet commercio undecumque videlicet fiſcus theloneum exigere poteſt, ut nullo loco theloneum accipere vel exigere præſumat. Naves vero quæ dicta flumina ob utilitatem & neceſſitatem ipſius congregationis diſcurrunt, ad quaſcumque civitates aut portus, vel cetera loca acceſſum habuerint, nullus ex eis aut hominibus, qui eas præviderit, nullum teloneum, aut ripaticum, aut poſtaticum, aut pontaticum, aut ſalutaticum, aut cenaticum, aut paſtionem, aut trauvaticum, aut ullum occurſum vel ullum cenſum, aut ullam redibitionem accipere vel exigere audeat, ſed licitum ſit eis abſque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc noſtram auctoritatem naves & homines, qui eas providere debent, cum his quæ deferunt per univerſum imperium noſtrum libere atque ſecure ire & redire, & ſi aliquas moras in qualibet loca fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorſus, ut dictum eſt, exigatur. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & a fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris diligentius conſervetur manu propria ſubſcripſimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum HLUDOVICI ſereniſſimi imperatoris.

Data kalen. Octob. anno primo, Chriſto propitio, imperii domini Hludovicici auguſti indictione viij.

Actum Ciſpiaco palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI PII imperatoris.

Stabulenſis & Malmundarienſis monaſteriorum poſſeſſiones petente VVirundo abbate confirmat.

Anno 814. IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti. LUDOVICUS divina ordinante providentia imperator auguſtus Imperialem celſitudinem decet præceſſorum ſuorum pie ſtatuta non ſolum inviolabiliter conſervare, ſed etiam cenſuræ ſuæ auctoritate alacriter confirmare. Ideirco notum ſit omnium fidelium noſtrorum induſtriæ, quia VVIRUNDUS abba ex monaſterio Stabelau & Malmundario, necnon & monachi in eiſdem cœnobiis conſiſtentes, detulerunt nobis præceptum CHILDERICI regis, in quo continebatur, qualiter vir ſanctus REMACLUS ſcilicet nomine, qui nunc in eodem monaſterio requieſcit, detuliſſet ei præceptiones regis SIGIBERTI, in quibus erat inſertum qualiter eaſdem cellulas novo opere conſtruxiſſet, & de ſua foreſte xij. leugas undique menſuratas ſive quæ infra erant pro divino amore conceſſiſſet. Sed prædictus pater magis diligens quiete Domino ſervire, quam tumultuoſam ſæculi fluctuationem perpeti, deNota. precatus eſt eumdem CHILDERICUM regem, ut vj. leugas ei ſubtraheret propter quietudinem monachorum ibi conſiſtentium, & vj. ei per ſuum præceptum confirmaret, atque undique deſignari juberet, ſicut & idem rex libenter facere procuravit, id eſt, de monaſterio Malmundario uſque Siccum-campum, de Sicco-campo per viam Anſuariſcam uſque ubi VVarginna decurrit, & de ipſa VVarginna uſque ubi *Steimbach* conſurgit, & de *Steimbach* uſque Amblavam, deinde rurſum per Amblavam per ipſam foreſtem *VVifberg Saurbach* ſurgit. Deinde ubi rivulus Dedilones conſurgit per ipſum rivulum uſque in Reſtam, & de Reſta per illam foreſtem quæ ſeparat Helmini Roboritum & Andaſtvillare, per ipſam mediam foreſtem uſque ad locum qui dicitur Joconda Fania, & deinde per Alſenam quæ propinqua eſt eidem monaſterio, & inde per illam Alſenam quæ uſque ubi in Glanum rivulum ingreditur, & deinde ultra Glanum uſque ad Albam fontem, & de Albo fonte uſque ad Amblavam juxta locum, quem dicunt Siegïnno Aviaco, ubi Gerlacus vennam habuit. Et inde per ipſam Amblavam ubi Dulnoſus in ipſam ingreditur. Inde per Dulnoſum uſque in Fanias, & inde per mediam foreſtem de ipſis Faniis uſque viam quæ dicitur Manſuariſca. Deinde per ipſam viam uſque ad eumdem Siccum-campum. Hæc omnia per loca denominata atque determinata & à prædicto rege, nec-

A non & ſucceſſoribus ejus a prædictas cellulas eorum relegendo præcepciones conceſſum atque confirmatum invenimus, ſed pro firmitatis ſtudio petiit prædictus abbas & ejus congregatio, ut nos denuo per noſtrum præceptum prædictam foreſtem per loca ſuperius denominata atque deſcripta eiſdem noſtra auctoritate concederemus monaſteriis. Quorum petitionibus libenter annuimus, & ut deprecati ſunt, per hoc noſtrum præceptum confirmavimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus fidelium noſtrorum de prædicta foreſte, ſicut ſuperius deſcriptum eſſe dinoſcitur, nullam inquietudinem B aut infeſtationem aut contrarietatem partibus prædictis monaſteriis ſuiſque rectoribus facere ullo unquam tempore præſumat, ſed liceat monachis in eiſdem cellulis Deo famulantibus, ad proprias ſupplendas neceſſitates, ipſam cum omni integritate perpetuis temporibus habere abſque alicujus infeſtatione aut reſultione aut diminoratione. Deprecati ſunt etiam nos de decimis & capellis ab anteceſſoribus noſtris ſibi conceſſis, & quibuſdam fiſcis noſtris, id eſt, de Duiira, Clodena, Bonna, Sintiaco, Andernaico, Bodobrio, VVaſitico, & Aunanno, Aſtanido. De Tumbis vero Glaniaco, Caranco C Tectis & VViria capellas ſimul cum decimis, ut pro firmitatis ſtudio & animæ noſtræ emolumento, domnorum prædeceſſorum noſtrorum noſtra confirmaremus auctoritate. Quapropter, ſicut petierunt, conceſſimus Decernimus ac jubemus, ut nemo fidelium noſtrorum de decimis & capellis memoratæ congregationi aliquid contendere vel abſcindere vel minuere præſumat, nec ullam contrarietatem vel contentionem eis inferre temptet, ſed ſicut ab anteceſſoribus & a nobis de memorata foreſte & de jam dictis decimis & capellis conſtat confirmatum, ita Domino protegente per D hanc noſtram auctoritatem noſtris & futuris temporibus maneat inconvulſum. Et ut auctoritas præceptionis meæ per diuturna tempora valeat inconvulſum manere, manu propriâ ſubſcripſimus & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum HLUDOVICI ſereniſſimi imperatoris.

Data kalend. Octobris anno primo Chriſto propitio imperii domini Hludovici ſereniſſimi auguſti. Indictione viij.

Actum Ciſpiaco palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

E

PRÆCEPTUM LUDOVICI PII & Lotharii imperatorum, Andoni abbati Stabulenſi conceſſum.

Dirimit contentionem abbatem inter & fiſcum regium de ſilva Aſteneteſi.

Anno 817. IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti. LUDOVICUS & LO-

THARIUS divina ordinante providentia A imperatores augusti. Notum esse volumus omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum sagacitati, quia ANDO abba monasterii, cujus vocabulum est Stabulaus & Malmundarium, accedens ad aures clementiæ nostræ, expetiit nobis dicens, quandam contentionem inter se & Albricum actorem fisci nostri, qui Tectis nuncupatur exortam esse, de quadam scilicet silva, quæ in loco nuncupante Astanetum, inter duos rivulos Tailernion & Dulnosum esse videtur. Nos quoque hujus contentionis & seditionis qualitatem cognoscere volentes, misimus duos ex fidelibus nostris B Jastonem videlicet comitem palatii nostri & VVirnitum magistrum parvulorum nostrorum, ut eum locum de qua hujus contentionis intentio agebatur, inspicerent, & per circummanentes utriusque partis rei veritatem inquirerent, qui reversi renuntiaverunt nobis, quod cum memoratus Ando abba per priscorum regum Francorum donationis præcepta, necnon & familia memorati fisci nostri, ac actores ejusdem propter antiquam consuetudinem suas opportunitates & commoditates in eadem silva communiter habere debeant, has autem C opportunitates & commoditates, propter contentiones & discordias, ne abhinc in futurum fiant, placuit nobis in hunc modum determinare: id est, ut cum præcepta regalia, quæ de memorata silva circa præscriptum monasterium a priscis Francorum regibus facta fuerunt, inviolabilia permaneant, cum utraque pars monasterii videlicet & fisci nostri eamdem silvam in pascuis animalium & porcorum utendis, cum in materiaminibus faciendis & piscationibus exercendis sine aliquolibet alterius partis impedimento dimissa sibi invicem pastionatici solutionem æquabiliter & communiter habeant, & neutra pars nullatenus memoratam silvam ultra exstirpare, aut mansioniles in ea facere præsumat. Et ut hoc nostræ auctoritatis conscriptum verum credatur ac diligentius conservetur, anuli nostri impressione subter eum signari jussimus.

Ego HERMINMARIUS notarius ad vicem FRIDUGIS recognovi.

Data viij. Kalend. Junii Christo propitio, anno decimo quarto imperii domni LUDOVICI & domni LOTHARII quinto piissim. august., indictione v.

Actum Tectis (a) palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. E

(a) Hujus palatii regii nulla occurrit mentio in libro IV. Mabillonii de re Diplomatica.

DIPLOMA LOTHARII II. REGIS Germaniæ pro monasterio Stabulensi.

Datis fidelibus suis in beneficium quibusdam Stabulensis monasterii prædiis, reliquas possessiones servis Dei in eo divino cultui mancipatis confirmat.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris Anno 854.
nostri JESU-CHRISTI. LOTHARIUS divina præveniente clementia rex. Dignum est ut regalis sublimitas sacerdotum & servorum Dei utilitatibus tanto benignius & libentius faveat, quanto eos in divinis rebus studere & moribus recordare perspexerit. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum præsentium videlicet & futurorum noverit industria, quod cum nos beneficia regni nostri inter fideles nostros dignum distribuere judicavissemus, contigit ut necessitate compulsi, propter parvitatem ipsius regni, quemdam partem rerum ex monasterio Stabulaus, quod est in honore sancti Petri apostolorum principis dicatum, quo etiam sacrum corpus REMACLI glorioси confessoris Christi ejusdemque loci pii patroni quiescit, beneficiario munere quibusdam fidelibus nostris concederemus, quamdam vero partem ad usus & supplementum inibi Deo militantium relinqueremus, nostrarumque serie litterarum confirmaremus; sed ut ipsa concessio & justa sanctio perennem obtinere valeat æquitatem, hoc nostræ mansuetudinis edictum fieri censuimus, per quod statuentes decernimus, modisque omnibus sancimus, ut famuli Dei qui in prædicto cœnobio a modo & deinceps divinis famulati fuerint cultibus, res inferius adnotatas nostris successorumque nostrorum temporibus in eorum usus perpetuo jure teneant atque possideant, secundum normam suæ institutionis ordinent, disponant, & libero auxiliante Christo sine cujuslibet potestatis contradictione vel demptione fruantur arbitrio, id est in comitatu Arduennensi villam quæ vocatur *Lederaus*, in pago Condruscio villam Vervigium cum suis appenditiis, id est, Bainam & VValthinam; in ipso pago villam *Sleinon* & villam Silvestrem-curtem; in comitatu Laumensi villam quæ dicitur Calco, in pago Hasbanio villam Hurionem, item in pago Condruscio villam Osoniam, & locum qui appellatur Villa; in Falminne pago villam *Hunnin*, rursum in comitatu Arduennensi villam Graisdam cum pertinentiis suis. Item in Falminne locum qui dicitur Lomna, & in Strata mansum unum, & in Bractis mansum dimidium, simulque inter ingenuiles & serviles mansos ducentos quadraginta quinque, sedilia insuper in portu Hoio & Deonanto, unde exeunt solidi xxxij. Ni-

hilominus etiam confirmamus præfatis monachis villas has, quæ in præstariis habentur per loca diversa, villam videlicet *Carbool*, villam Bragbanto, seu & in aliis locis mansos xxj. Statuentes præterea roboramus, ut villa vocabulo VVatlinio, quam Vvigfridus ministerialis noster jure beneficiario obtinet, ilico ut ei a nostra munificentia in quolibet loco fuerit recompensata; vel ipse prius, si excesserit humanis, ad dominium eorum sub integro revertatur. Eodemque modo jubendo sancimus, & auctoritate regali indicimus, ut quicumque ex possessionibus sæpedicti monasterii beneficia habent, absque negligentia & tarditate decimas fructuum ex mansis dominicatis ad hospitale ejusdem cœnobii dare contendant. Conferimus insuper eis ob exiguitatem vini capellam nostram, quæ est in fisco nostro Crovio sita, cum decimis omnibusque ad se pertinentibus. Hæc omnia pro amore divino pio favore prosequimur, quatenus nostri genitoris ac genitricis nostræ memoriam in eorum sacris orationibus habeant, dignasque preces effundant. Et ut hæc nostræ præceptionis auctoritas inviolabiliter obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum LOTHARII glorioſi regis.

RODMUNDUS notarius ad vicem ERECEMBALDI recognovi.

Data idus Aprilis anno Christo propitio regni domini LOTHARII glorioſi regis vij. indictione xj.

Actum Novo-castro in pago Leochensi in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI REGIS Franciæ orientalis pro monasterio Stabulensi.

Concedit ei mansum unum in fisco Crovia.

Anno 814. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS divina favente gratia rex omnibus degentibus in regni nostri munimine, præsentibus & futuris. Maximum regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia opportuna Deo servisque ejus pro amore Dei & remissione peccaminum nostrorum hilari animo conferimus: quia & in præsenti ævo nostram augere potestatem credimus, & in futuro regnum pro terrenis nobis recompensari absque ulla ambiguitate non ignoramus cœlestia, sicut scriptum est: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum*: Et iterum: *Elemosina a morte liberat: & non patitur ire in infernum.* Idcirco noverit omnium nostrorum fidelium cœtus, quia nos pro Dei amore sanctorumque suorum, simulque omnium parentum nostrorum, concessimus servis Dei monachis in cœnobio Stabulaus degentibus, quod est dicatum in honore sancti Petri apostoli sanctique Remacli confessoris Christi atque pontificis, cujus corpus in magno veneratur honore, unum (*a*) mansum in fisco nostro Crovia cum (*b*) manuero ad ipsum mansum pertinentem, quem de ipso manso excolere solitum erat, & cum hominibus desuper manentibus his nominibus: VValbertum, Henfridum, Hadulsum, Remeldam, Othfindam, Erlverdam, sicut actenus isti ad nostrum servitium tenuerunt, cum integritate ipsius mansi, sic ad eorundem monachorum profectum tradimus atque concedimus perpetualiter habendum, usitandum vel commutandum, seu quidquid facere voluerint liberam in omnibus habeant facultatem, in elemosina patris nostri & matris, & nostræ conjugis, filiorumque nostrorum, per futura sæcula. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, manu nostra eam & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domini LUDOVICI serenissimi regis.

HEBERHARDUS cancellarius ad vicem HUGBERTI archicapellani recognovi.

Data IIII. non. Martii anno Christo propitio XXXV. regni domni LUDOVICI serenissimi regis in orientali plaga Franciæ regnantis indictione vij.

Actum Triburias palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LUDOVICI REGIS Franciæ orientalis Hildeboldo abbati Stabulensi concessum.

Confirmat antiquas possessiones & immunitates monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 814.
LUDOVICUS divina favente gratia rex. Studendum nobis per omnia necesse est Domini voluntati obtemperare, ut de temporali regno commutemus spiritale, de marcessibili immarcessibile, de momentaneo æternum, ut mereamur illam beatam vocem Domini audire dicentis, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Idcirco oportet nos petitionibus servorum Dei aurem libenter accommodare, & eorum utilitatibus annuere. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter HILDEBOLDUS venerabilis abba noster deprecatus est celsitudinem nostram, ut ob mercedis nostræ augmentum, per nostræ auctoritatis præcep-

(*a*) Mansus proprie est fundus unde quis se & familiam sustentare possit, occuritque hæc vox persæpe in cartis.

(*b*) Forte cum manerio, est autem manerium habitatio seu domus manso adjuncta, Gallis *manoir*.

tum, confirmassemus præcepta, quæ de A temporibus prædecessorum nostrorum ad monasterium Stabulaus facta fuerunt. Cujus petitioni ob amorem Domini nostri JESU-CHRISTI libenti animo assensum præbentes, decrevimus ita fieri, & jussimus fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod decernimus atque jubemus, ut quidquid nostri prædecessores ad præfatum monasterium Stabulaus concessérunt, & nos concedimus, ut totum ibi perpetualiter permaneat. Et quidquid LOTHARIUS imperator frater noster ac filius & æquivocus ejus nepos noster secundum quod in B præceptis continetur tam in villis quàm in rebus monachorum stipendiis delegatis ac traditis, id est in comitatu Arduensi villam quæ vocatur *Lernon* & Graisdam cum pertinentiis suis, & VVatlinia cum integritate. In pago Condruscio villam Vervigium cum suis appendiitis, id est, Bainam & VValtinam & *Lenion* & villam Sylvestri-curtem, Osoniam & locum qui dicitur Villa. In comitatu Laumensi villam Calco, in pago Hasbanico villam Hurionem, in Falmine pago villam *Humnin* & locum qui dicitur Lobunbi erant *Hulisbech* Genedricio medis, & in strata mansum unum & mantias, & C in Bratis mansum dimidium, & Curbionem & VVisippen cum Milinam & Philuppam, sedilia insuper in porru Hoiio & Dionanto, unde exeunt solidi xxxij. nihilominus confirmamus eis quæ in precaria habentur per diversa loca & *Carbal*, Brachanta & Bovenneias. Eodem modo sancimus regali auctoritate atque præcipimus, ut quicumque ex possessionibus præfati monasterii beneficia habent, absque negligentia & tarditate decimas fructuum ex mansis dominicatis ad hospitale cœnobii adducere ejusdem non differant. Decimas etiam de fiscis nos- D tris quas anteriores nostri concessérunt, & nos dare cum integritate præcipimus. Et ut nullus judex vel missus audeat pro ipsis decimis dona accipere; & si aliquis pro hoc subtraxerit, sicut in capitulari domini genitoris nostri continetur, ita qui fecerit, emendare cogatur, neque in villis eorum quilibet missus ad freda exigenda, vel publicas causas audiendas, aut mansiones, vel paratas faciendas sive paraveredos, seu carra exigenda ingredi præsumet. Neque teloneum rotaticum, pontionaticum exigendum in aliquo loco, sed quidquid exinde E ad nos venire debuerat, in luminaribus basilicæ ipsius conferatur. Hæc omnia præscripta cum his quæ supra Rhenum & supra Mosellam videntur habere, vel quæ divina pietas eis deinceps augere voluerit, in usus præscriptorum fratrum concedimus omnino; præcipientes ut nullus abba, neque ulla potestas inde quippiam eis auferre præsumat, quatinus genitoris ac genetricis nostræ memoriam in eorum orationibus habeant jugiter, nostræque charissimæ conjugis ac prolis nostræ non obliviscantur per futura sæcula, sed eos Domini clementiam delectabilius exorare delectet. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, manu nostra eam firmavimus & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum domini LUDOVICI serenissimi regis.

HEBARHADUS cancellarius ad vicem LIUTBERTI archicapellani recognovi.

Data quarto idus Junii anno Christo propitio xxxvj. regni domini LUDOVICI sereniſſimi regis in orientali Francia regnantis indictione vij.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LUDOVICI II. REGIS Franciæ orientalis pro Stabulensi monasterio

Ad petitionem Hildebaldi abbatis confirmat possessiones illius ultra Ligerim aliasque sed præcipue villam Germineum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 877
LUDOVICUS divina favente clementia rex. Si petitiones sacerdotum ecclesiarum Dei, quibus dignitatem celsitudinis nostræ dignè laudabiliterque postulaverint, ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & propter hoc Dominum Deum retributorem nos habere confidimus. Ideoque vir venerabilis HILDEBALDUS abba de monasteriis Stabulaus & Malmundarii, quæ sunt in honore sanctæ Mariæ sanctorumque apostolorum Petri & Pauli vel ceterorum sanctorum a bonæ memoriæ domno scilicet SIGIBERTO rege ob amorem Christi de foreste nostra & fiscis super fluviam Amblavam constructam, clementiæ nostræ aures monstravit, qualiter ipse princeps & rex pro mercedis suæ impendio & æterna retributione, villas aliquas tam ultra Ligerim, quam alias res proprias, quas domnus REMACLUS legitime possedit, seu ceteras præceptiones manu sua roboratas sub integra emunitate, absque introitu advocatorum, concessit. Unde & ipsas præceptiones seu & confirmationes præcedentium regum memoratus abba se præ manibus habere affirmans, petiit celsitudinem nostram, ut tam id quod ipse princeps dominus SIGIBERTUS de fisco suo seu reliquis locis, quæ ad ipsa monasteria per suas auctoritates noscitur concessisse, quam etiam quod ad ipsa scripta monasteria a Christianis hominibus noscitur collatum fuisse, & quod præsentis temporis ævo eorum subest possessioni & dominationi, ut hoc ipsum ipsis monasteriis dignaremur etiam nostra regali confirmare auctoritate, cujus petitioni non

solum pro reverentia ipsius venerabilis viri, sed & pro devotione monachorum, qui in eisdem locis Domino videntur famulari, accommodantes aures nostræ serenitatis juxta petitionem ejus noverint omnes fideles nostri tam præsentes quam & futuri, non solum quod nos postulavit confirmasse, & roborasse, sed & villam dominicationis olim regiæ Germinei nomine, situm in pago Katalannense, pro remedio animæ nostræ nos renovasse, cum mansis, terris, ædificiis, campis, pratis, pascuis, silvis, cultis & incultis, aquis, aquarumve decursibus, viis & inviis, exitibus & regressibus; præcipientes & firmiter statuentes, ut sicut constat a jam dicto principe domno SIGIBERTO rege, vel a sibi succedentibus regibus usque in præsens roboratum ipsis monasteriis & confirmatum, sic deinceps in posterum maneat inconvulsum. Et ut hæc nostra concessio & auctoritas firmior in posterum habeatur, & melius a fidelibus nostris credatur, manu propria eam subter firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni LUDOVICI invictissimi regis.

VALTERUS cancellarius recognovi.

Data vij. kalend. Junii anno dominicæ incarnationis DCCCLXXVII. indictione X. anno primo domni HLUDOVICI serenissimi regis in orientali Francia.

DIPLOMA CAROLI CRASSI imperatoris Antonio episcopo & abbati Stabulensi concessum.

Donat Stabulensi monasterio fiscum Blandonium &c.

Anno 881. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLUS divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut imperialis sublimitas sacerdotum ac servorum Dei utilitatibus tanto benignius ac libentius faveat, quanto eos in divinis rebus studere & moribus concordari perspexerit. Ideirco omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium videlicet & futurorum, noverit industria, quia (a) ANTONIUS venerabilis episcopus per precatum LIUTBERTI Moguntiacensis sedis archiepiscopi, deprecatus est nostram celsitudinem, pro quibusdam fratribus sibi commissis ex monasterio quod vocatur Stabulaus, qui ob Dei omnipotentis amorem nostramque fidelitatem pignora sanctorum a prædecessorum nostrorum prudentia Aquis recognita cum thesauro (b) ejusdem fideliter reservaverunt, & ad nos absque ulla diminutione detulerunt, ut concederemus eis quemdam fiscum nostrum, Blandonium nomine, qui est in pago Leuvensi, cum capella & pertinentiis ejus, mansos sediles xxxij. serviles xij. capellam etiam ex Bratis, quam olim se habere scriptis professi sunt ad restaurationem ecclesiæ, quæ est in honore Petri apostolorum principis dicata, ubi etiam agius requiescit REMACLUS, per nostræ auctoritatis præceptum confirmare dignaremur. Nos quoque postulationibus illorum libenti animo aures servitutis nostræ accommodantes, concedimus eis juxta postulationem illorum ob amorem Domini & salvatoris nostri supradictum fiscum cum capella & pertinentiis suis, capellam quoque suprafatam ex Brattis ad luminaria & restaurationem ecclesiæ anteprædictæ. Et ut audentiores & promptiores in Dei ac nostro parati sint obsequio, & ut pro nobis & prædecessoribus nostris studiosius delecter orare, jussimus de supradictis rebus hoc nostræ auctoritatis præceptum ascribi, per quod decernimus atque omnino jubemus, ut nullus fidelium nostrorum, qui supradictam abbatiam in beneficium habuerit, vel alia aliqua judicialis potestas prædictos fratres de suprafatis rebus inquietare præsumat, nec in alios convertat usus. Et ut hoc nostræ largitatis concessu futuris temporibus ab omnibus diligentius observetur, manu propria nostra subscribentes, & anulo nostro subtersigillari jussimus.

[a] Nota.

[b]

Signum domni CAROLI serenissimi imperatoris.

WALDO cancellarius ad vicem LUITHVVARDI archicancellarii recognovi.

Data idus Novembris anno dominicæ incarnationis DCCC. LXXXII. indictione XV. anno vero piissimi KAROLI quarto.

Actum in Wormatia civitate in nomine Christi feliciter. Amen.

(a) Hoc ex loco confirmari licet id quod alias observavimus in præfatione ad tomum I. Anecdotorum nostrorum, abbates in insignioribus monasteriis olim fuisse episcopos.

(b) Id factum fuisse existimamus occasione incursionum Normannorum, qui thesauros omnes ecclesiarum deprædabantur: à quibus ut præcaverent reges seu imperatores, Aquisgranensis ecclesiæ pretiosissimum thesaurum monachis Stabulensibus abscondendum & conservandum tradiderunt; quem illi post modum cum a' impiis jam nihil timeretur, Carolo imperatori resignaverunt.

DIPLOMA CAROLI CRASSI imperatoris.

Ad precem Gisleberti comitis Theodoni fideli suo mansum unum in villa Alnetthi concedit.

Anno 882. IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI. KAROLUS divina præveniente clementia imperator augustus. Dignum est ut imperialis majestas procerum suorum petitionibus tanto benignius & libentius annuat, & eos annuendo ad effectum perducat, quanto viderit eos

ac noverit in suis obsequiis persistere efficaces. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ ac nostrorum præsentium videlicet & futurorum noverit solertia, quia dilectus noster GISLEBERTUS illustrissimus comes imploravit culminis nostri clementiam, ut unum ex fidelibus suis nomine Theodoni res quasdam proprietatis nostræ ei ad proprium concederemus, ac per nostræ mansuetudinis præceptum more solemni roboraremus. Nos igitur ejus postulatione permoti, hos sublimitatis nostræ apices fieri decrevimus, per quos jam fatum Theodonem in pago Condrusco, & in villa cujus vocabulum est *Alnith*, mansum unum, ut quidquid ad præfatum mansum juste pertinere dinoscitur, omnibus appenditiis suis, domibus, cæterisque ædificiis, terris, cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, cambas, mobilibus, & immobilibus, exitibus & egressibus, ac communia de foreste nuncupante Hulsinas, necnon & mancipia utriusque sexus ibidem pertinentibus seu commanentibus ad proprium tribuimus, & de jure nostro in jus & potestatem ipsius perhenniter mansurum transfundimus: quatenus per hanc nostram auctoritatem deinceps potissimam ex eisdem rebus vel mancipiis habeat potestatem faciendi quidquid egerit vel voluerit, remota cujuslibet inquietudine vel contrarietate. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subtorfirmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum KAROLI glorioſissimi IMPERATORIS.

AMALBERTUS notarius ad vicem LIUTBERTI archicancellarii recognovi.

Data viij. idus Septembris anno Christo propitio regni domni KAROLI glorioſissimi imperatoris viiij. imperii autem iiij.

Actum *Francone ford* palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA ARNULFI REGIS Lintfrido comiti concessum.

Approbat commutationem quamdam prædiorũ monachos Stabulenses inter & Richarium.

Anno 890. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ARNULPHUS divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter LINTFRIDUS comes & sui monachi ex monasterio Stabulaus nostram adierunt modestiam, cum quodam viro cognomento Ricario, petentes quatinus ei quasdam rerum commutationes ex nostra abbatia suaque proprietate pro oportunitate utriusque partis agere concederemus. Cujus petitionem justam nostræque parti omnimodam congruentem cognoscentes, libentissime postulata annuimus. Dedit itaque jam dictus Ricarius more legis Salicæ per manus fidejussorum Erberti atque Goderamni ad partem ecclesiæ sanctorum Petri & Remacli in monasterio Stabulaus fundatæ in pago Arduennense, villa Burcido ac Barris mansos fiscales xij. cum appenditiis & mancipia ibi residentia vel aspicientia sive ex comitatu sive ex fisco, vel quidquid ibi pertinet, agris, pratis, silvis, aquis, ac universis quæ ad eum pertinere videbantur. Item in eodem pago loco qui Sigudis dicitur, mansos vij. cum terris, pratis pariter ac silvis optimis ad porcos mille saginandos; & in recompensatione hujus beneficii tradimus jam fatis fidejussoribus ejus Goderanno & Ecberto secundum legem Salicam in pago (a) Onduſtrio in Villula inter sedilia ac prata terraque arabili ac silvam bonuaria lx. Item in alio loco *Harz* vocabulo inter sedilia campos pratorum bonuaria cxxx. ac silva, simul etiam in Lomacensi campo in villa Sollanna de terra Bonuaria xxx. silva communi. Præsenti scripti auctoritate statuentes, quatenus tam ipse quam ejus posteritas absque aliqua contradictione possideat. Et ut auctoritas nostra firmior habeatur, & per futura tempora fidelibus nostris credatur ac diligentius observetur, manu nostra propria firmavimus, & anuli nostri subtus ea sigillari jussimus.

Signum Domni ARNULFI glorioſi regis.

ELGILPERO notarius ad vicem THEOTINARII recognovi.

Data iij Kal. Novembris anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCXC. indictione viij. anno iiij. domni ARNULFI sereniſſimi regis.

DIPLOMA ZUENDEBOLDI REGIS ad petitionem Lintfridi comitis concessum.

Locum Bisanchium Stabulensi monasterio donat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis ZENDEBOLDUS divina favente clementia rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata curam gerimus, & eis nostræ largitatis solatium conferre satagimus, non solum regium morem decenter imitamur, verum etiam id nobis ad æternæ beatudinis præmia feliciter promerenda liquido credimus esse profuturum. Quapropter comperiat omnium sanctæ Dei ecclesiæ fideliumque nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, quia LINTFRIDUS fidelis & dilectus comes noster adiit culmen serenitatis nostræ, deprecans, ut Anno 895.

(a) Videtur legendum Conduſtrio. Pagus autem Conduſtrius est Leodiensis ditionis tractus, cujus caput est Hoium.

pro

pro noſtræ mercedis emolumento, quaſdam res juris noſtri, quas prius in beneficium habuit in pago Arduennenſe, id eſt, locum qui dicitur *Biiſanch*, ad monaſterium ſancti Petri Stabulaus nuncupatum, ubi ſanctus Remaclus confeſſor requieſcit corpore traderemus. Nos vero juſtam illius petitionem eſſe cognoſcentes, libenti animo ita fieri decrevimus. Conceſſimus quippe præfatum locum *Biiſanch* cum appenditiis ſuis ad idem cœnobium, ut divæ memoriæ anteceſſorum noſtrorum æternaque redemptione illud jure proprietario æternaliter conſiſtendum cum curtilibus & ædificiis, familiis, manſis, mancipiis utriuſque ſexus, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, viis continuis, exitibus & redditibus, terris, cultis & incultis, quæſitis & inquiſitis, mobilibus & immobilibus, vel quidquid juſte legitimeque ad eumdem locum pertinere cenſetur. Juſſimus quoque hoc præſens auctoritatis noſtræ præceptum inde conſcribi, per quod decernimus firmiterque præcipimus, ut præſcriptus donationis noſtræ locus cum omnibus integritatibus ſuis ab hodierna die & deinceps perpetuis temporibus ad antedictum monaſterium in uſus fratrum ibi Domino famulantium, nullo inquietante, perpetim conſiſtat, liceatque ipſis fratribus eumdem locum quieto ordine veluti cetera ipſius monaſterii loca juxta commoditatem ſuam poſſidere atque diſponere, quatenus eoſdem fratres pro nobis & anteceſſoribus noſtris Domini miſericordiam attentius exorare delectet. Et ut hæc auctoritas inviolabilem per omnia tempora obtineat in Chriſti nomine ſtabilitatem, & a fidelibus noſtris verius credatur ac diligentius conſervetur, annulo noſtra ſubtus eam firmavimus & anuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus.

Signum domni ZENDEBOLDI regis.

GOSBERTUS notarius ad vicem (*a*) YATHBOLDI archicancellarii recognovi.

[*a*]

Data iij. Kaletid. Junii anno incarnationis dominicæ DCCCXCV. indictione xiij. anno domni Zendeboldi regis primo.

Actum VVormatia civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA ZUENDEBOLDI REGIS pro monaſterio Stabulenſi.

Ut pro eo quotidie miſſam & pſalterium cantent, concedit monachis quædam prædia.

Anno 896.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis ZUENDEBOLDUS divina ordinante providentia rex. Quidquid Deo dicatis locis devotanei conferimus, a totius mundi dominatore cum unicuique ſecundum quod

(*a*) Forte Rathboldi Trevirenſis archiepiſcopi.

Vet. Script. & Mon. ampl. coll. Tom. II.

A dignus apparebit, atque omnia diſcernens retribuet utique æternis præmiis, nos confidimus recipere. Ideo omnibus ſit ſanctæ Dei eccleſiæ noſtriſque fidelibus notum, nos ad monaſterium Stabulenſe, in honore ſancti Petri principis apoſtolorum conſtructum, in quo ſanctus Remaclus confeſſor & pontifex corporetenus quieſcit, & monachis inibi Domini famulatui inhærentibus in proprium tradidiſſe paululum terræ juxta villam eorum *Lederuan* nuncupatam, quæ his finibus undique cingitur, ſcilicet ex una parte mons *Preux* ſurgit, ex alia vero via ad B campum eorum Anglariam ducens, & ex tertia Fundiſneias vocatas defluit, ut habeant, teneant atque perpetualiter illam nemine inquietante vel moleſtiam quamlibet ingerente poſſideant. Ea tamen ratione præfata terra firmior maneat, ut pro noſtris facinoribus cotidie miſſam unam ac pſalterium unum ablinc deinceps cantent. Et ut hoc inviolabiliter per ſuccedentia tempora obſervetur, hæc noſtræ auctoritatis ſcripta exinde compoſita manu noſtra ſubtus roborantes anulo noſtræ effigiei aſſignari juſſimus.

Signum domni ZUENDEBOLDI inC victiſſimi regis.

EGILBERTUS cancellarius ad vicem HERMANNI archicapellani recognovit.

Data iij. idus Novembris anno ab incarnatione Domini DCCCXCVI. indictione xiij. anno ij. ZUENDEBOLDI regis.

Actum in Arduenna apud villam quæ vocatur *Amarlans* feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM LUDOVICI REGIS Auſtraſiorum.

Commutationem quarumdam villarum inter Reginarium comitem & ſuos monachos Stabulenſes approbat.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis LUDOVICUS divina favente clemen- Anno 902. tia rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurorum induſtria, qualiter REGINARIUS comes & ſui monachi ex monaſterio ſancti Remacli pro opportunitate ad invicem inter ſe villas commutaverint, & in locis his nominibus nuncupatis Doraiſdas & Pandarias, nec non & Porcaritias atque exceptis his omnibus qui nunc in circuitu monaſterii noſtris nobis noſcuntur & in aliis villis noſtris dominicis reſidere atque habitare ibi videntur. Econtra vero in recompenſatione iſtarum reddidit præfatus comes quaſdam villas eiſdem prædictis Stabulenſis eccleſiæ monachis, id eſt, Filionio & Scurcieias ac *Auvans*, eo ſcilicet rationis tenore, ut quidquid juſte & legaliter pars alteri contulit parti, jure legitimeque uſurpet, hoc eſt cum

D

quæſitis & inquirendis cunctiſque rebus illuc juſte pertinentibus. Et ſuper hoc noſtræ celſitudinis confirmationem expetierunt, quorum petitionibus libenter obtemperantes, pro remedio animæ noſtræ decrevimus, ut nulla contraria poteſtas hoc confringere nullatenus præſumat, & ut hoc verius credatur atque diligentius obſervetur, hanc noſtræ auctoritatis paginam tranſcribi juſſimus, ac manu noſtra ſubtus eam firmavimus & ſigillo noſtro inſigniri juſſimus.

Signum domni LUDOVICI ſereniſſimi regis.

SUNTGARIUS cancellarius ad vicem RATBOTI archicancellarii recognovit.

Data iiij. idus Septembris anno ab incarnatione Domni DCCCCII. indictione v. anno domni LUDOVICI tertio.

Actum in civitate Metenſi in Dei nomine feliciter. Amen.

RESTITUTIO QUARUMDAM villarum, facta Stabulenſi monaſterio ab Herefrido, ea tamen lege, ut ipſe Giſlebertuſque comes eas vitæ ſuæ tempore poſſideant.

Anno 905. OMnibus Deo pie fideliterque militantibus notum eſſe cupimus, GISLEBERTUM venerabilem ducem, necnon glorioſum abbatem Stabulenſis monaſterii RAGINERUM & EVERARDUM advocatum interpellaſſe quemdam nobilem virum nomine HEREFRIDUM de rebus conjacentibus in pago & comitatu videlicet his nominibus *Rovoreiz*, Felſcherolas, *Nodorcit*, Celcias & omnia ibidem aſpicientia, quæ ſupradictus vir nobilis, præfato admonente abbate & advocato, noluit longe facere a noſtra memorati monaſterii ditione, ſubtractis ſcilicet illis rebus nefarie quondam ab ejuſdem monaſterii jure. Quapropter idem nobilis vir BEREFRIDUS pro animæ ſuæ parentumque ſuorum remedio recordans, & * ni jam olim nequam facti de iiſdem rebus tradidit, atque eaſdem reddidit res pignoribus ſancti Petri & ſancti Remacli Stabulenſis loci, Raginero comite & abbate præſentialiter exiſtente, tali videlicet tenore; quod idem ipſe & nepos ejus GISLEBERTUS eas haberent tempore vitæ ſuæ, & annis perſolverent ſingulis unius manſi xenium, videlicet iij. porcos & lx. fuſas lini ad jam ſæpedictum monaſterium. Poſt finito tempore ſuæ & nepotis vitæ, illius monaſterii finetenus ſolide & quiete poſſidendi redderentur juribus.

Signum RAGINERI ducis, qui hanc cartam facere juſſit. Sign. HERIFRIDI traditoris. Sign. EVERARDI. Sign. GISLEBERTI. Sign. Ermengiſi. Sign. Garemanni. Sign. Rotaudi præpoſiti. Sign. VValonis cuſtodis eccleſiæ. Sign. Fulradi. Sign. Aſceri. Sign. Remigii. Hugo notarius juſſu Ragineri ducis recognovi, anno vj. regnante LUDOVICO invictiſſimo rege.

Acta Stabulaus publice xij. Kalend. Auguſti.

* f in pœnam.

PRÆSTARIA FACTA CUM habitatoribus Burcitæ, petente Harduino & Oberto comite & Hiltrude ejus uxore.

QUicumque inter ſe de rebus propriis commutationem fieri voluerit, oportet eam omnino ſcripturarum firmitate roborari. Idcirco notum ſit ſanctæ fidelibus Dei eccleſiæ, qualiter convenit inter HARDUINUM & comitem OBERTUM, & uxorem ejus HILTRUDAM, atque præpoſitum Rotandum & fratres Stabulenſis eccleſiæ, atque comitem RAINERUM, qui tunc ipſam regebat, quamdam preſtariam facere, quod ita & fecerunt. Tradiderunt itaque Harduinus & prædictus comes Otbertus cum uxore ſua nomine Helitruda ad eccleſiam ſancti Petri & ſancti Remacli in monaſterio Stabulenſi, in quo ipſe domnus Remaclus in corpore requieſcit, conſiſtente ibidem præpoſito Rotando unum manſum indominicatum in villa VVabaiſe, in comitatu Baſtionenſe, & ipſius tunc loci habitatores econtra tradiderunt xij. manſus in villa *Burcit*, ea videlicet ratione, ut uſquequo prædicti homines viverent, legaliter tenerent abſque ullius contradictione, & poſt diſceſſum illorum prædicta villa ad monaſterium rediret.

Acta in monaſterio Stabulaus publice ſub die viij. idus Aprilis regnante glorioſo rege LUDOVICO anno viij. Signum HARDUINI & OTBERTI, qui hanc preſtariam fieri petierunt. Signum Remigii monachi. Sign. Gutardi. Sign. Roderici. Sign. Framerici. Sign. Lietumdi. Sign. Rotaudi, Aſceri, Goduini, Hadeboldi, iterum Roderici. Signum Lietfridi, Erkenradi, Rodulfi, Ludelberti laici, Rodulfi, Ramberti, Raingri, Bernarcri. Ego Hugo cancellarius ſcripſi & ſubſcripſi.

Anno 911.

DIPLOMA REGINARII COMITIS miſſi dominici & abbatis Stabulenſis.

De permutatione facta cum Harduino auctoritate regia.

IN nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI RAGINNARIUS comes ac miſſus dominicus necnon & abba Stabulenſis atque Malmundarienſis monaſteriorum, notum ſit quamplurimis fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ præſentibus ſcilicet & futuris, quod quidam fidelium noſtrorum nomine Harduinus, per conſenſum noſtrum regalem adiens

celsitudinem, quatenus per ejus præceptum firmior haberetur jure & æternali quædam commutatio, quam fecit ex sua proprietate de rebus sancti Remacli. Igitur jussione regia & consensione omnium fratrum Stabulensium præsens testamentum firmatum atque promulgatum est, ut deinceps nullus successorum nostrorum umquam audeat violare. Dedimus namque nos præfato Harduino in pago Hasbanio in locis Honavi, Versines & Serangio nominatis mansos iiij. & mancipia xij. his nominibus Ramaldum, VVibaldum, Hildiardus, Madalgerus, Hilderanam, Engilgardem, Dominicam, Martinum, Luithertum, Mariam, Bocicaniam, Erlihinum, Amaldrudem per manus fidejussoris VVinigisi & advocati nostri Everardi. Econtra dedit ille quidquid visus fuit habere in villa Bonio, excepto ecclesiam unam cum dimidio manso abso, & dedit mancipia xv. quorum nomina hæc sunt, Alticus, Antgerus, Fulmarus, Gaiilus, Heruinus, Ganzobaldus, Gaiila, Beta, Tiettrudis, Fredereda, Rihaida, Vuenetrudis VVldrada, Englinera, Gostrada, per manus scilicet fidejussoris Notgeri ad eumdem semper censum persolvendum, sicut ipse écontra mancipia accepit. Unde & nos per præceptum nostri senioris & consilium omnium fratrum omnimodis hanc chartam testationis firmamus, bonisque viris corroborandam esse percensuimus.

Acta in castro Hoiio publice sub die Kalend. Junii anno xij. regnante domno Hlubovico filio Arnulphi regis in Francia. Signum Ragenarii comitis. Sign. Issaac comitis. Sign. Magineri comitis. Sign. Rataudi præpositi. Sign. Roderici rectoris. Sign. Egberti. Sign. Roberti. Sign. Adelardi. Sign. Guntradi. Sign. Remigii. Sign. advocati Everardi. Sign. Ercommari. Sign. Radulfi. Sign. Heribrandi. Sign. Trutgeri. Sign. Amolrici. Sign. Rogeri. Sign. Eilgeri. Sign. Raginbaldi. Sign. Gisleberti. Sign. Humberti. Sign. Bernardi. Sign. Leonis. Ego Geroardus in Dei nomine cancellarius recognovi & subscripsi.

PRÆCEPTUM CAROLI SIMPLICIS regis.

Ad petitionem Reginarii & Berengarii comitum concedit Fulrado cœnobitæ quædam prædia ad ipsius vitam, & post ejus mortem cœnobio Stabulensi.

Anno 912. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus divina propitiante clementia rex & vir illustris. Siquando nostrorum fidelium precatibus aurem clementiæ nostræ attribuimus, non solum regium morem decenter explemus, verum etiam eorumdem nobis animos ad conservanda debita fideli-

A tatis jura congruenter aptamus. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque pariter fidelium præsentium, scilicet ac futurorum industria, qualiter Reginarius atque Berengarius venerandi comites nostram præsentiam adeuntes, petierunt a nostræ majestatis culmine, ut cuidam sacerdoti ac cœnobitæ Fulrado cognomine, nonnullas dominii nostri res concederemus. Quorum libenter annuentes postulationi, deliberavimus omnino ita fieri. Dedimus siquidem illi in pago Maginisio in comitatu ejusdem Berengarii in villis B Condodono simul & in Mairla nuncupatis curtes dominicas duas cum ædificiis desuper exstructis ad easdem pertinentibus, sedibus quoque cum mancipiis supra residentibus, vel capitale ibidem debitum persolventibus utriusque sexus, prato etiam silvaque communi, aquis insuper aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, & universis legitimis terminationibus, ac quidquid in præscriptis locis nostræ ditioni competere videbatur, ea scilicet sub conditione, ut C dum advixerit his omnibus libere perfruatur; aut quodcumque inde libuerit faciat. Post suum vero ex hoc mundo transitum, cuncta in nostri emolumentum mensæ fratrum Stabulensium hereditaria successione relinquat. Unde & hoc nostræ auctoritatis jussimus conscribi præceptum, per quod statuentes decernimus, ut prælibatus cœnobita Fulradus res, ceu diximus, memoratas sibimet a nobis clementer indultas temporibus vitæ suæ sine alicujus contradictione teneat ac dominicandi usu firmissima ratione possideat, migransque a præsenti sæculo monachis supradicto degentibus in cœD nobio jure dimittat potiendos æterno. Et ut hæc nostræ dignitatis auctoritas majorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria eam subter firmavimus, anulique nostri impressione insigniri præcipimus.

Signum Caroli regis glorioſi.

Hugo regiæ dignitatis notarius ad vicem Henrici archiepiscopi recognovi.

Data ij. idus Aprilis indictione xv. anno vigesimo regnante domno Carolo rege, redintegrante xv. largiore vero hereditate indepta. i.

Actum Neumaga palatio in Dei nomine E feliciter. Amen.

PRÆSTARIA FACTA GISLÆ & filiis ejus.

De quibusdam villis Stabulensis monasterii.

Anno 924. ANno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi dcccxxiiij. Adiit quidam illustris vir nomine Herebertus præsentiam senioris nostri ducis Gisleberti pariterque omnium fratrum, postulans

licere sibi facere precariam quamdam ex nostra terra pertinente ad nostram mensam, in loco nuncupante Landricum-campum, super fluvium Huïa, in comitatu Lomensi, ubi conjacent mansa iiij, molendinum unum, prata, pascua, sylva, aqua, aquarumve decursibus, familia utriusque sexus inibi commanentibus xliij. confines vero loci illius sunt ex una parte de potestate THEODORICI comitis ex fisco Givelio, ex alia parte Hildeberti, tertia ex Calco, quidquid ad ipsum locum pertinet ab hac die & deinceps concedimus, tradimus, firmamus, firmatumque esse volumus diebus videlicet Gislæ ac filiorum ejus Eugoni atque Hadeboldi. Et ipse enim præfatus vir econtra in ipso comitatu tradidit nobis ad immeliorationem loci mansa fiscalia ij. ex propria hereditate in loco nuncupante Fostias, cum familia ibi degente xxij. qui uno anno solvunt solidos viij. altero vero ix. eo tenore, ut post discessum illorum cum omni immelioratione ad nostros redeat usus, & non habeant potestatem, nec vendendi, nec commutandi, nec in aliquod naufragium ponendi. Et ut stabilis præsens precaria permaneat ad circulum anni ad festivitatem patroni nostri Remacli xx. denarios persolvat, & si negligens inde fuerit, legaliter componat.

Actum Stabulaus regnante domno HEINRICO glorioso rege anno viij.

Signum GISLEBERTI ducis. Sign. GURGERICI advocati. Sign. Rotaudi præpositi. Sign. Hascheri decani. Sign. Berimundi. Sign. Odelrici. Sign. Hadeboldi. Sign. Lintfridi. Sign. Roderici.

Ego Bernardus indignus presbyter ac notarius scripsi & subscripsi.

DIPLOMA HENRICI REGIS Romanorum.

Confirmat Stabulensi monasterio quosdam servos in villa Jupilla.

Anno 935. IN nomine omnipotentis Dei. HEINRICUS divina inspirante gratia rex. Sciant omnes fideles nostri, presentes scilicet & futuri, qualiter nos, intervenente ADALBERTO fideli nostro duce, congregationi Stabolaucensis cœnobii, in loco Jupilla vocato, familiam subtus adscriptam nostræ conscriptionis auctoritate corroborari jussimus: ea sane ratione, ut legitimum censum quem hactenus solvere visa est ei qui huc usque eam in beneficium possedit, ab hodierna die etiam ac deinceps memoratæ congregationi persolvat. Hæc sunt nomina mancipiorum VVolfrannus, Birico, Landanarius, Helprada, Serina, item Helprada, Ruengarda, Gerdrud, Alenda, Mainuaria cum filiis & filiabus earum, & his scilicet qui ex Gerdruda procreati sunt. Inde hanc nostræ auctoritatis conscriptionem fieri jussimus, per quam firmiter præcipimus, quatenus præfata congregatio tali fruatur concessione, qualem de præfatis concessimus mancipiis. Et ut hæc nostra corroboratio per succedentia tempora a fidelibus nostris verius credatur ac diligentius observetur, manu nostra subtus eam firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum domni HEINRICI invictissimi regis.

POPPO cancellarius ad vicem RODBERTI archicapellani subnotavi.

Data vj. idus Junii anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXV. indict. viij. anno autem Heinrici regis istius regni xvj.

Actum juxta flumen *Char* in Dei nomine. Amen.

PRÆCEPTUM OTTONIS imperatoris Odiloni abbati concessum.

Facultatem eligendi abbatis secundum regulam S. Benedicti tribuit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina præveniente clementia rex. Si regalis majestas abbatum ac monachiorum Deo servientium utilitatibus benignitatis suæ munere excreverit, eorumque necessitatibus pie consulere studuerit, id omnimodis ad emolumentum animæ suæ proficere non ambigat. Idcirco comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter quidem abbas nomine ODILO *(a)* [a] ex monasteriis Stabulaus scilicet & Malmundaria, quæ sunt constructa in honore sancti Petri apostolorum principis, in quo superiore sanctus requiescit REMACLUS confessor & episcopus, adiens celsitudinem mansuetudinis nostræ, postulavit nos, quatenus concederemus suis monachis inibi Deo militantibus electionem regularem, ac confirmaremus nostræ præceptionis auctoritate. Cujus petitioni justæ rectæque pie annuentes, libenti animo assensum præbuimus. Et ut ista concessio & justa confirmatio perennem obtinere valeat in Domino firmitatem, hoc nostræ mansuetudinis edictum fieri censuimus, per quod statuentes decrevimus, modisque omnibus sancimus, ut monachi qui in prædictis cœnobiis nunc & deinceps divinis famulaverint officiis, habeant ex semetipsis secundum institutionem sancti Benedicti electionem abbatis, qui secundum sanctæ religionis formam ambobus præsit monasteriis, quia olim antequam præfatus abba ibi ordinatus fuisset, audivimus ea per

(a) Non confundendus est hic Odilo cum ejusdem nominis Cluniacensi abbate sanctissimo, qui tredum viderat lucem.

pecuniæ falſitatem...aliquam introducere in eiſdem audeat perſonam, ſed juxta antiquorum patrum inſtituta regulariter eligant ſibi abbatem, quatenus in divinis cultibus indeſinenter permanentes, pro ſalute regni noſtri miſericordiam Dei implorare valeant.

DIPLOMA OTTONIS I. imperatoris.

Confirmat monaſterii primariam dotationem cum quibuſdam decimis.

Anno 950. IN nomine Dei & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI. OTTO divina ordinante providentia rex. Imperialem celſitudinem decet prædeceſſorum ſuorum pie facta non ſolum inviolabiliter conſervare, ſed etiam cenſuræ ſuæ alacriter auctoritate confirmare. Idcirco notum ſit omnium fidelium noſtrorum induſtriæ, quia ODILO abba ex monaſterio Stabulaus & Malmundario, necnon & monachi in eiſdem cœnobiis conſiſtentes, detulerunt nobis præceptum LUDOVICI imperatoris, & HILDERICI regis, in quibus continebatur, qualiter vir ſanctus Remaclus ſcilicet nomine, qui nunc in eodem monaſterio requieſcit, detuliſſet præfato CHILDERICO regi præceptiones SIGIBERTI regis, in quibus erat inſertum, qualiter eaſdem cellulas novo opere conſtruxiſſet, & de ſua foreſte duodecim leugas undique menſuratas ſeu undique infra erant pro divino amore conceſſiſſet. Et prædictus pater magis diligens quiete Domino ſervire, quàm tumultuoſa ſæculi fluctuatione perpeti, deprecatus eſt eumdem CHILDERICUM regem, ut ſex leugas eis ſubtraheret, propter quietudinem monachorum ibidem conſiſtentium, & vj. eis per præceptum ſuum confirmaret, atque undique deſignari juberet, ſicut & idem rex libenter facere procuravit. Id eſt de monaſterio Malmundario uſque Siccum-campum, de Siccocampo per viam Manſuvariſcam uſque ubi VVarchina decurrit, & de ipſa VVarchina uſque ubi *Stembach* conſurgit, & de *Stembach* uſque Amblaviam, deinde ſurſum per Amblaviam per illam foreſtem de *VVlfberg* ubi *Saurbach* ſurgit, deinde ubi Didolones rivulus conſurgit. Inde per ipſum rivulum uſque in Retham, & de Retha per illam foreſtem, quæ ſeparat Chelmino Roborito & *Audaſt* villare, per ipſam mediam foreſtem uſque locum qui dicitur Joconda-Fania, & deinde per Alſenam quæ propinqua eſt eidem monaſterio, & inde per ipſam Alſenam uſque ubi in Glanum rivulum ingreditur, & deinde ultra Glanum uſque ad fontem Albam, & de Alba fonte uſque ad Amblavam juxta locum Sirgino Aniao, ubi Gerelacus vennam habuit, & inde per ipſam Amblavam ubi Dulnoſus in ipſa ingreditur, inde per Dulnoſum uſque in Sanias, & inde per mediam foreſtem de ipſis Saniis uſque viam, quæ dicitur Manſuvariſcam, inde per ipſam viam uſque ad eumdem Siccum-campum. Hæc omnia per loca denominata atque determinata a prædicto rege necnon & a ſucceſſoribus ejus ad prædictas cellulas eorum relegendo præceptiones conceſſum atque confirmatum invenimus, ſed pro firmitatis ſtudio petiit prædictus abba & ejus congregatio, ut nos denuo per noſtrum præceptum foreſtem prædictam per loca ſuperius denominata atque deſcripta, eiſdem noſtra auctoritate concederemus atque confirmaremus monaſteriis, quorum petitionibus libenter annuimus, & ut deprecati ſunt, per hoc noſtrum præceptum confirmavimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus fidelium noſtrorum de prædicta foreſte, ſicut ſuperius deſcripta dinoſcitur, nullam inquietudinem aut infeſtationem, aut contrarietatem partibus prædictis monaſteriis ſuiſque rectoribus facere ullo umquam tempore præſumat, ſed liceat monachis in eiſdem cellulis Deo famulantibus, ad proprias ſuas neceſſitates ipſam cum omni integritate perpetuis temporibus habere abſque alicujus infeſtatione, aut reſultatione, aut diminoratione. Deprecati ſunt etiam nos de decimis & capellis ab anteceſſoribus noſtris ſibi conceſſis ex quibuſdam fiſcis noſtris, id eſt, Duira, Clodonna, Barnia, Sinciaco, Andernaico, Bodobrio, Vvaſitico, & Avinianno, Aſtanmo, de Tumbias vero, Glaniaco, Carango, Tectis & Vviria capellis ſimul cum decimis, ut pro firmitatis ſtudio & animæ noſtræ emolumento donum prædeceſſorum noſtrorum noſtra confirmaremus auctoritate. Quapropter ſicut petierunt conceſſimus, & decernimus, ac jubemus, ut nemo fidelium noſtrorum de decimis & capellis memoratæ congregationi aliquid contendere aut abſtrahere vel minuere præſumat, nec ullam contrarietatem aut contentionem eis inferre temptet, ſed ſicut ab anteceſſoribus, & a nobis de memorata foreſte, & de jam dictis decimis vel capellis conſtat confirmatum, ita Domino protegente, per hanc noſtram auctoritatem noſtris & futuris temporibus maneat inconvulſum. Et ut hæc vero auctoritas præceptionis noſtræ per diuturna tempora valeat inconvulſa manere, manu propria ſubſcripſimus, & anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Signum domni OTTONIS invictiſſimi regis.

Data kalend. Februarii, anno Domini DCCCCL. indictione viij. regnante pio rege OTTONE.

Actum Baſen villare in Domino feliciter. Amen.

CHARTA GERARDI ABBATIS S. Martini Metensis.

De servitio pagensium figalinorum suo monasterio restituto.

Anno 950. IN Christi nomine. GERAHRDUS abbas monasterii sancti Martini. Noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium sagacitas, quod glorioſissimus rex SIGIBERTUS condito monasterio in honore beati Martini
[a] (a) sub urbe Metensi, dedit ad illùd per regale suum testamentum, sicut ceteri pagenses figalini redderent servitium, quod & feciſſe noscuntur, quamdiu præfato monasterio utiles præfuere rectores. Postmodum vero propter longinquitatem terræ & linguæ diversitatem, seu rectorum segnitiem, paulatim servitium omne quod ex legitima consuetudine antiqua habuere, & abnegare cœperunt, in quantum ut eorum pene nulla nobis esset notitia seu memoria. Tandem perquisito quod apud nos habetur testamento, & eorum jure in notitiam revocato, non aliter potuimus aliquid vendicare, nisi præcepto domni OTTONIS regis ipsius nobis collato; cujus auctoritate fulti, cum habitatores illius villæ convenas debitam exigeremus, & reddere ipsi in libertatem elati negarent, domnus rex, nisi ad nostram se aptarent voluntatem, præcepit omnes ejici. Quapropter domni HUDONIS comitis & BERNARDI advocati seu aliorum honorabilium virorum flexi precibus, hanc notitiam fieri concessimus, in qua quid deinceps nos exigere, & illos omni anno persolvere convenerit, inseri volumus. Statuimus ergo tenere ad opus nostrum mansum unum juxta ecclesiam & forestem unam quæ vocatur *Liethforest*, & vineas omnes, reliquam vero terram ipsi teneant & successores eorum, & ut annis singulis quatuor libras denariorum Colonienſium in festivitate sancti Martini persolvant, & vineas omnes cultas & incultas bene excolant, terciam partem fructus accipientes. Si autem constituto a nobis facto restiterint, aut in aliquo negligentes apparuerint, secundum legem emendent, aut terram funditus perdant stipulatione subnixa. Actum Coloniæ publice sub die kalend. Junii indictione tertia, regnante OTTONE, rege his testibus præsen-
[b] tibus. Signum BERTARDI (b) abbatis, qui hanc notitiam fieri statuit. Signum Eronii. Sign. Friderici, Lantberti, Fredulfi præpositi, Adelrammi, Amardi. Nomina laicorum. Signum HUGONIS comitis, BERNARDI advocati. Hii sunt qui censum revadiaverunt prædictum. Sign. Rimberti majoris, VVidonis, VVetenzonis, Albezonis, Exerzonis.

(a) Insigne fuit olim ordinis sancti Benedicti cœnobium, quod modo destructum est, assignatis reditibus primatiali Nanceii ecclesiæ.

(b) Forte Berardi abbatis S. Martini, qui præerat anno 948. post quem dignitati renunciare potuit, substituto sibi Gerardo.

DIPLOMA BRUNONIS archiepiscopi Colonienſis.

Confirmat commutationem factam inter VVerinfridum abbatem & VVernerum comitem.

BRUNO sanctæ Colonienſis ecclesiæ filius Dei gratia archiepiscopus servorum Dei, notum esse volumus tam præsentibus quam & futuris, quia quidam religiosus abba ex monasterio Stabulaus & Malmundaria VVERINFRIDUS nomine adiit clementiam nostram, pro quadam commutatione, quam fecerat cum comite VVARNERO fideli nostro, & quia eadem monasteria sub nostræ tuitionis defensione erant, petiit eamdem commutationem nostra auctoritate roborari. Cujus petitioni, quia justa erat, annuimus, & utilitati ecclesiæ consuluimus. Habebat namque prædictus co-
C mes noster fidelis juxta monasterium Stabulaus quamdam villam sui juris nomine *Baldan*, quam SIGIFRIDUS comes ut acquireret, & apud nos & apud fideles nostros sui interceſſores valde laborabant, quod abbas audiens, & nimiam imo immortalem inquietudinem (c) timens loci, hoc consilium toto nisu studuit præoccupare; & aures clementiæ nostræ ne id fieret sæpius commonere. Itaque convenientes in unum abba præfatus & comes dedit idem VVERINFRIDUS abba VVARNERO comiti fideli nostro quidquid habere videbatur in villa *Nohas* dicta, in
D pago Heiflensi, in comitatu Tulpiaco, id est curtem bonam cum casticiis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, quæsitis & inquirendis, silvarum magnam copiam, familiam utriusque sexus, & cetera ad eundem locum pertinentia. Et quia monachi alterius monasterii, id est Malmundariæ, quamdam partem in eadem villa habebant, reddidit abba eidem ecclesiæ in pago Conduſtrio locum qui dicitur Villa, in comitatu Hoio vj. mansos bonos cum familia utriusque sexus, silvam bonam, & cetera ad eamdem villam appenditia. Econ-
E tra dedit memoratus comes VVARNERUS coram testibus idoneis quidquid habere videbatur in villa jam dicta *Baldan* curtem bonam, sed ab hostibus valde vastatam, agri culturas bonas, Cambam, molendinum, silvam magnam. Nam ecclesia ejus-

Anno 953.

Nota [c]

(c) Quippe antiqui patres magnatum procerum qui contortia ante omnia fugiebant, atque adeo vicinitatem ipsorum in primis declinabant. Unde & horrendas ad inhabitandum solitudines eligebant.

dem villæ cum bono dotalicio, scilicet terra & silva eidem monasterio antiquitus fuerat data; hæc omnia invicem sibi tradiderunt abba cum consensu monachorum utrorumque cœnobiorum, & comes cum consensu uxoris & filiorum & amicorum suorum, & coram celsitudine nostra eamdem commutationem firmaverunt, & idem comes per testes idoneos ramum cum cespite ad altare Stabulaus misit, & traditionem cum vestitura legaliter fecit. Et ut hæc commutatio futuris temporibus firmior habeatur, petitione ejusdem abbatis manus nostræ tractu signavimus. Signum VVERINFRIDI abbatis. Sign. VVerinmundi, Titgeri, Norberti, Reginardi, & ceterorum. Et alterius monasterii. Signum Odulfi, VVisirici, Heilfridi, Rogibaldi. Sigh. VVARNERI comitis, Reginardi, Gevardi, & Richarii, & multorum. Acta sunt hæc publice Aquis palatio die ij. kalend. Novembris, regnante rege Ottone fratre nostro, anno xviij. GODEFRIDO duce.

DIPLOMA EVERACLI EPISCOPI Leodiensis.

Concedit monachis Stabulensibus refugii locum in sua Leodiensi civitate.

Anno 951. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. [a] (a) EVERACUS miseratu solummodo Salvatoris, sanctæ MARIÆ Virginis, sanctique martyris Christi Lamberti Leodiensis ecclesiæ episcopus. Noverit igitur omnium Christi fidelium præsentium scilicet & futurorum sollertia, qualiter venerabilis abba VVERENFRIPUS ceterique fratres Stabulensis ecclesiæ nostram adeuntes mansuetudinem, omnimodis expetierint, quatenus propter diversos regni hujus multiplicesque persequutionis eventus, aliquod civitatis nostræ saticum, in quo e diversis partibus venientes, confugium facerent, clementi miseratione contulissemus. Quorum petitionibus consensu fidelium nostrorum adquiescentes, contulimus eis quoddam (b) saticum in confinibus scilicet Adelberonis & Bozonis atque Adelardi situm, cum omnibus (c) castitiis superpositis ad partem ipsorum ecclesiæ tenendum. Ea videlicet ratione, ut ab hac die & deinceps ipsum prædictum atque integrum saticum in usus ipsorum sine censu aliquo teneant, habeant, atque jure firmissimo perpetualiter possideant. Si quis vero successorum nostrorum, seu quælibet extranea persona hanc traditionis nostræ auctoritatem infringere tentaverit, auctoritate Patris & Filii & Spiritus sancti, sanctorumque canonum, atque nostra petimus & interdicimus, ne ullo modo fiat. Si vero ab hac intentione se non retraxerit, iram omnipotentis Dei incurrat, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ sequestratus appareat, paitemque cum diabolo & sociis ejus æternaliter habeat, ut autem hæc traditio nostra in reliquum tempus firmior permaneat, anulo nostro signari & manu fidelium nostrorum jussimus roborari. Signum meimet EVERACRUS episcopus qui hanc auctoritatem fieri jussit. Signum Lamberti, Huberti advocati, Regineri thelonerarii, Fulcuini, Rotzoni, Johannis præpositi, Rástedimi, GUNTRANNI abbatis. Natradini custodis, Bononis archidiaconi, Gisleberti archidiaconi, Bononis, Franchonis, Lierbrandi præpositi, Adelulfi, Gosberti, Eilgandi, Gisleberti, Tietbaldi, Francohis. Everardi, Ratzonis, Bosonis & Adelardi, Lutgeri & Adelberonis, item Adelberonis, & Guntmari, Remigisi & Framerici, Adelgeri. Data kal. Julii anno Domini DCCCCLXI. indictione ij. regnante vero glorioſissimo rege OTTONE XIIIJ.

(a) Hunc nescio qua auctoritate Chapeavilla Eraclium, Sammarthani Euvrardum appellant, contra fidem omnium antiquorum instrumentorum & MSS. in quibus constanter ubique dicitur Everaclus.

(b) Saticum idem esse videtur ac spatium amplum.
(c) Castitium ædificium significat, hinc castiare pro ædificare, & castiator pro architectus.
(d) Moguntini scilicet & imperii archicancellarii.

PRÆCEPTUM OTTONIS I. imperatoris.

Ecclesias & decimas Stabulensibus & Malmundariensibus monachis restituit, eisque sub sua protectione susceptis, liberam eligendi abbatis concedit facultatem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 966.
OTTO divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ ADALEHIDIS fidelisque nostri archiepiscopi (a) VVILLEHELMI, [a] ob spem divinæ remunerationis, pro statu vel incolumitate regni vel imperii nostri, pro sanitate quoque nostra, filiique nostri carissimi regis scilicet OTTONIS, & pro remedio animæ domni genitoris nostri HEINRICI, ecclesias cum decimationibus, & mansis, vel mancipiis, omnibusque appenditiis earum Stabulensibus vel Malmundariensibus pertinentes monachis, Deo sanctoque Petro apostolorum principi almoque confessori Christi Remaclo sub regula sancti Benedicti deservientibus, quibus venerabilis abbas VVERENFRIDUS præesse videtur, munifica largitate reddidimus, & usibus vel stipendiis eorum perpetualiter servituras decrevimus, & ut nulli umquam in beneficium dentur, volumus, & firmiter jubemus. Ipsa vero cœnobia Sta-

bulense vel Malmundariense cum omnibus ad victualia vel stipendia monachorum deputatis sub perpetua nostræ regiæ vel imperatoriæ dignitatis defensione vel emunitate esse decrevimus. Et ut nullis umquam temporibus alicui in beneficium cedant, sed sub nostra nostrorumque successorum tuitione perpetualiter consistant. Monachi vero in præscriptis cœnobiis Deo sanctoque Petro apostolo, almoque confessori Christi Remaglo famulantes, eligendi inter se abbatem liberam habeant potestatem. Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, hanc cartam & anuli nostri impressione signari jussimus; quam & manu propria subter firmavimus.

Signum domni OTTONIS magni & invictissimi imperatoris augusti.

Data viij. Kalend. Februarii anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXVI. indictione viiij. anno regni domni Ottonis XXXI.

Actum Trajectis in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM OTTONIS II. imperatoris.

Turninas prædium Stabulensi monasterio restituit, vetatque ne deinceps in beneficium detur.

Anno 980. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina præordinante clementia imperator augustus. Cum nostræ serenitati condignum esse videatur omne consilium salubre & maxime pro animarum remedio erga divinas res adauctas sequi & adimplere, comperiat omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum sollers prudentia, quia nos, commonente & supplici[ter] interveniente fidelissimo nostro WERENFRIDO venerabili abbate, pro animæ nostræ remedio, & imperii stabilitate, quoddam prædium Turninas vocatum in pago Hasbanensi & comitatu FOLCHUVINI comitis, Hoio situm, ad abbatiam Stabulaus jure proprio .... sed a quibusdam in beneficio distributum, & ita ab eadem ecclesia multo jam tempore subtractum, nostra imperiali potentia eidem ecclesiæ ubi sanctus Dei REMAGLUS corporaliter requiescit, iterum restituimus, & in perpetuam proprietatem donavimus, cum utriusque sexus mancipiis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omnibus jure legaliterque ad hoc pertinentibus tali ratione, ut ab eadem ecclesia & expensa fratrum Deo servientium hoc nullus regum vel imperatorum seu alicujus personæ tam instanti quam successuro tempore inde auferat, aut in beneficio aliquo transmutet, sed victui eorumdem fratrum perpetuo deserviat. Et ut hæc nostræ donationis auctoritas firmior perpetim credatur, & a cunctis observetur, hanc cartam transcribi jussimus, & anulo nostro signatam manu propria subtus eam firmavimus.

Signum domni OTTONIS imperatoris augusti.

FOLGMARUS cancellarius vice VVILLIGISI archicapellani notavi.

Data v. non. Martii, anno incarnationis Domini DCCCLXXIIII. indictione ij. anno regni domni Ottonis xiiij. imperii vij. Actum Noviomago.

DIPLOMA OTTONIS II. imperatoris.

De electione abbatis Stabulensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno [illegible]
OTTO divina favente clementia imperator augustus. Si regalis aut imperialis majestas abbatum ac monachorum Deo servientium utilitatibus vel necessitatibus pie consulere studuerit, id omnimodis ad emolumentum animæ suæ proficere non ambigat. Idcirco comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter quidam abbas nomine RAVINGERUS ex monasteriis Stabulaus scilicet & Malmundaria, quæ sunt constructa in honore sancti Petri apostolorum principis, in quo *superiore* sanctus requiescit Remaclus confessor & episcopus adiens celsitudinem mansuetudinis nostræ, postulavit a nobis, quatenus secundum prædecessorum nostrorum morem, id est SIGIBERTI, HILDRICI, CHLODOVEI & DAGOBERTI regum, qui & eorumdem monasteriorum fuere constructores, necnon & imperatorum KAROLI, CHLUDOVICI, sed & serenissimi beatæ memoriæ OTTONIS genitoris nostri augusti imperatoris, concederemus monachis ibidem Deo militantibus electionem regularem, quod & fecimus. Et quia monachis alterius cœnobii, id est Malmundarii, antiquorum sancita regum non sufficerunt, sed eadem monasteria rescindere, & sub duobus abbatibus, quod numquam antea a tempore S. Remacli acciderat, esse laboraverant, in tantum, ut nisi generaliter episcorum ex diversis provinciis confluentium synodo in *Ingilenheim* palatio nostro prolatis supradictorum antecessorum nostrorum præceptis diffiniri potuerit, propter hæc, inquam, ut ne qua deinceps inter eos controversia fiat, statuimus secundum mansuetudinis nostræ edictum, & omnium in eadem synodo episcoporum consultum, maxime VVILLIGISI Moguntini archiepiscopi, & DEODERICI Metensis episcopi, & NOTGERI Leodiensis

sis episcopi, ut defuncto per successionem abbate, ex utriusque in unum cœnobiis confluentibus, monachi habeant sine simulatione, sine exceptione personæ, sine respectu pecuniæ, secundum sancti Benedicti regulam, abbatem eligendi liberrimam optionem; ea tamen præponderante ratione, Malmundariensium pace, ut quia beatus Remaglus utriusque monasterii constructor & Tungrensium antea episcopus & pastor, maluit in altero eorum, id est Stabulaus locum sepulturæ sibi deligere, ipsi primam electionis obtineant vicem, si apud eos melior meritis & instructior litteris inveniatur, sin autem, non illuc, sed Malmundarii melior reperiatur, utrique loco præficiendus potius quam ab externis assumptus intromittatur. Et ut hæc nostræ concessionis ac confirmationis auctoritas meliorem in Dei nomine obtineat vigorem, hoc præceptum inde conscriptum manu propria subter firmavimus, anulique nostri impressione insigniri fecimus.

Signum domni OTTONIS invictissimi imperatoris augusti.

HILDEBOLDUS episcopus & cancellarius advicem VVILLIGISI archicapellani recognovi.

Data ij. nonas Junii anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXX. indictione vij. anno vero regni secundi Ottonis XIX. imperii autem xiij.

Actum Aquisgrani in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTUM OTTONIS III. imperatoris.

Confirmat omnes Stabulensis & Malmundariensis monasterii immunitates.

Anno 986. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO favente divina clementia rex. Si piis petitionibus sacerdotum de nostra regia munificentia aliquid accommodaverimus, id ad æternæ retributionis munera capessenda profuturum nobis liquido credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum dinoscat industria, quomodo vir venerabilis RAVINGERUS Stabulensis ac Malmundariensis monasterii abbas nostris obtutibus præsentavit præcepta divæ memoriæ avi nostri OTTONIS & æquivoci illius nostri genitoris imperatorum augustorum, in quibus continebatur, qualiter ipsi prælibata cœnobia, Stabulense videlicet ac Malmundariense, & omnia loca illuc aspicientia, omnemque familiam servilem & ingenuam illo pertinentem sub suæ tuitionis immunitatem susciperent, eorumque præceptionibus prædecessorum suorum morem sequentes confirmarent, pro rei tamen firmitate petiit celsitudinem nostram, ut nos denuo id ipsum faceremus. Cujus petitionem ob votum dilectæ genitricis nostræ THEOPHANU videlicet imperatricis augustæ, necnon & interventum fidelis nostri HILDEBOLDI VVormatiensis ecclesiæ venerabilis episcopi atque NOTGERI Leodiensis episcopi, benigne suscipientes, antefata cœnobia Stabulense & Malmundariense, quæ sanctus REMACLUS confessor Christi in honore sancti Petri principis apostolorum construxit & consecravit, quibus modo præsidet prædictus RAVINGERUS cum omnibus ad victualia vel stipendia monachorum sub regula sancti Benedicti Deo sanctoque Remaclo die nocteque ibi servientium deputatis, sub nostram tuitionem suscipimus, atque sub perpetua nostræ regiæ defensionis emunitate esse decrevimus, interdicentes firmiter, ut nullis umquam temporibus alicui in beneficium concedantur, sed sub nostra nostrorumque successorum tuitione jam dicta cœnobia cum ecclesiis ac decimationibus & mansis vel mancipiis omnibusque aliis appenditiis illic rite pertinentibus perpetualiter consistant. Ad hæc etiam monachis Deo & sancto Remaclo in præscriptis cœnobiis famulantibus, eligendi inter se abbatem, quotiens usus evenerit, juxta regulam sancti Benedicti liberam potestatem concedimus. Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, hanc cartam conscribi & anuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus.

Signum domni OTTONIS gloriosissimi regis.

HILDEBOLDUS episcopus & cancellarius vice VVILLIGISI archicapellani recognovi.

Data iij kalend. Martii, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXVI. indictione XV. anno autem tertii OTTONIS regnantis quarto.

Actum Noviomago feliciter. Amen.

DIPLOMA GREGORII PAPA V. VVerinfrido abbati concessum.

Confirmat omnes monasterii possessiones, jusque eligendi abbatis, primum ex Stabulensi, deinde ex Malmundariensi cœnobio.

Anno 996. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, VVERENFRIDO religioso abbati solutam & apostolicam benedictionem. Tum summe apostolicæ dignitatis apex in hoc divini roboratus nitore dinoscitur præfulgere, si in adquirendis Dei laudibus sui impensius studebit laboris exhibere certamen. Ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compellit sollicitudinis cura, quæque ad stabilienda piorum pertinere di-

gnoſcuntur locorum ubertim promulgare, A & apoſtolicæ inſtitutionis cenſura confirmare. Igitur quia poſtulaſti, frater, a nobis, quatenus monaſteria a venerabili patre Remaclo in honore ſancti Petri conſtructa, id eſt, Stabulaus & Malmundarium, ſita ſaltu Arduennenſi privilegio noſtræ auctoritatis muniremus. Et quia juſta viſa eſt nobis petitio tua, aſſenſum tibi præbemus per hujus noſtri privilegii conſtitutum, & roboramus apoſtolica auctoritate, atque decernimus ſecundum anciquorum edictum regum, id eſt, SIGIBERTI, CHLUDOVEI & DAGOBERTI, qui & eorum conſtructores fuere B monaſteriorum, nec non & imperatorum KAROLI, LUDOUVICI & OTTONIS auguſtorum, ut loca determinata, vel villæ, aut poſſeſſiones, quæ ab ipſis imperatoribus ipſi ſancto ſunt traditæ, & per eum utriſque eccleſiis diviſæ uſibus deſerviant monachorum, nullique liceat advocato, vel in placitis, aut caſticiis, ea infringere; quod percutimus æterno anathemate. Præterea ſancimus ſicut ab ipſis imperatoribus eſt diffinitum, ut utrimque in unum e duobus monaſteriis confluentibus monachis habeant ſine ſimulatione, ſine exceptione perſonæ, ſine reſpectu pecuniæ, ſecundum ſancti Be- C nedicti regulam abbatem eligendi liberrimam optionem, ea tamen præponderante ratione, Malmundarienſium pace, ut quia beatus Remaclus utriuſque monaſterii conſtructor, & Tungrenſium antea epiſcopus & paſtor, maluit in altero eorum, id eſt Stabulenſium locum ſepulturæ ſibi eligere, ipſi primam electionis obtineant viam, ſi apud eos melior meritis & probabilior inveniatur. Sin autem non illic, ſed Malmundarii reperiatur utrique loco præficiendus, ab eo potius quam ab extetnis aſſumptus intromittatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario auſu præſumpſerit, his quæ D a nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dictorum monaſteriorum ſtatuta ſunt refragare, aut hæc in quoquam tranſgredi, ſciat ſe anathemate innodatum, atque cum diabolo & ejus atrociſſimis pompis, atque Juda traditore Domini noſtri JESU-CHRISTI tartari incendiis concremandum. At vero ſi pio intuitu obſervator & cuſtos ductor fuerit, hujus noſtri apoſtolici conſtituti, ad cultum Dei reſpicientis, miſericordiam a miſericorde Deo noſtro multipliciter conſequatur, & beatæ vitæ poſſeſſor effici mereatur. E

Scriptum per manum Johannis notarii regionarii atramentarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ anno Dominicæ incarnationis DCCCC XCVI. indictione IX. menſe Junio die IJ. Bene valete.

BULLA SILVESTRI PAPA II.

Utramque monaſterium Stabulenſe & Malmundarienſe ſub ſua ſuſcipit protectione, mandatque ut in abbatis electione ex Stabulenſi, ſi dignus reperiatur, aſſumatur.

SILVESTER ſummus & univerſalis papa & beati Petri vicarius ſervus ſervorum Dei, venerabili Stabulenſium & Malmundarienſium abbati RAVENGERO & omnibus in Chriſto pie vivere volentibus veram in Domino JESU dilectionem ac mutuam fraternæ charitatis unanimitatem. Circa

CUM conſtat poſt primorum noſtrorum parentum prævaricationem in liberi arbitrii abuſionem genus humanum ei ſententiæ addictum, ut & homo capitibus aliorum ſecundum pſalmographi vocem ſuperponatur, ad compeſcendos ſcilicet humanæ voluptatis illicitos appetitus, & legibus non modo forenſibus, verum etiam eccleſiaſticis cohibeamur regulis ac rationibus, couſque progreſſa eſt auctoritatum inſtitutio, ut ſancta ſanctorum loca, quæ devotione fidelium fundata, cultui divino mancipata, plura a diverſis ſtipendiorum eximia ſunt adepta, non ſolum regalia, ſed imperalia, ad immunitatem ſui expoſtulent præcepta; verum etiam auctoritatis noſtræ ad ſtabilitatem ſui deſiderent privilegia. Quapropter rogatu venerabilis NOTGERI Leodienſis epiſcopi abbatiam Stabulenſem vel Malmundarienſem antiquorum regum & imperatorum munificentia nobiliter conſtructam, & ſemper tam noſtrorum prædeceſſorum auctoritate quam regia immunitate defenſam, ſub eadem immunitatis noſtræ tuitione ſuſcipimus. Abbatem ſemper habeant, ea tamen præponderante ratione, Malmundarienſium pace, ut quia beatus Remaclus utriuſque monaſterii conſtructor & Tungrenſium antea epiſcopus & paſtor maluit in altero eorum, id eſt Stabulenſium, locum ſepulturæ ſibi diligere, ipſi primam electionis obtineant vicem, ſi apud eos melior meritis & inſtructior litteris inveniatur. Si autem non illic, ſed Malmundarii melior repetiatur, utrique loco præficiendus potius quam externis aſſumptus intromittatur.

ELECTIO BERTRANNI ABBATIS

Stabulenſis ab Heinrico rege confirmata, cum facultate deinceps eligendi abbatis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Divina favente clementia rex HEINRICUS. Dum regiæ ſerenitatis dignitas pietatis conſultu abbatum vel monachorum Deo famulantium neceſſitatibus ſubvenit, dilatari gloriam ſui imperii credat, ac præſer- Circa 1005.

tim ſuperni perpetuitatem regni pro hujuſcemodi dignis operibus acquirere ſibi non ambigat. Quapropter fidelium noſtrorum tam & præſentium quam & futurorum induſtriam animadvertere volumus, quia Stabulenſis & Malmundarienſis cœnobii abbate RAVENGERO humanis rebus exempto, fratres utriuſque loci ſucceſſoris iniere electionem, ſed noſtri culminis aures mala ipſorum opinio turbaverat, annuere omnimodis denegavimus, ſed ſub cura alterius cujuſdam abbatis eadem loca pro tempore commiſimus, donec ſuper hujus rei certam indaginem conſilium haberemus. Denique indigne illos pati offenſam noſtræ majeſtatis comperientes, cum conſilio procerum & conſenſu præſulum præſentem abbatem BERTRANNUM, quem electione regulari antea elegerant, conſtituimus, ac utrique loco regendo digne præfecimus. Quatinus ergo tantæ perturbationis procella in perpetuum ſedaretur, ac ut prædictus venerabilis abba celſitudinem manſuetudinis noſtræ poſtulans a nobis, ut electionem regularem, quam prædeceſſorum noſtrorum regum & imperatorum, cognatorum ſcilicet noſtrorum traditione & privilegiis apoſtolicæ ſedis hactenus habuerant, *eis concederemus*, quod & fecimus. Et quia monachis alterius cœnobii, id eſt Malmundarii ſolet diſcordia oriri, manſuetudinis noſtræ edicto ſancimus, ut defuncto per ſucceſſionem abbate, ex utriſque in unum monaſteriis confluentibus monachis, habeant unanimi concordia ſine exceptione perſonæ, ſine obcœcatione pecuniæ, ſecundum ſancti Benedicti regulam eligendi liberam optionem, ea tamen præponderante ratione, ut quia beatus REMACLUS utriuſque loci conſtructor & Tungrenſium antea epiſcopus & paſtor maluit in altero eorum, id eſt Stabulaus locum ſepulturæ ſibi eligere, ipſi primam electionis obtineant vocem, ſi apud eos quidem melior meritis & inſtructior litteris inveniatur. Si autem non illic, ſed Malmundarii melior reperiatur, utrique loco præficiendus potius quam exterius aſſumptus intromittatur. Itaque ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, hoc præceptum inde conſcriptum manu propria ſubter firmavimus, anulique noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

PRIVILEGIUM S. HERIBERTI Colonienſis archiepiſcopi Bertranno abbati Stabulenſi conceſſum.

Decimas & capellas a regibus conceſſas in ſua diœceſi confirmat.

Anno 1027. HERIBERTUS ſanctæ Colonienſis ſedis antiſtes ſervus ſervorum Dei BERTRANNO Stabulenſi abbati ſuiſq; ſucceſſoribus perennem in Domino ſalutem. Igitur poſtulaſti a nobis, frater, quatinus decimas & capellas in ſaltu Arduennenſi ſitas, ad dioceſim noſtram reſpicientes, præbendæ vero fratrum Malmundarienſium appendentes noſtra auctoritate muniremus, allato etiam nobis ſuper hoc privilegio ſanctiſſimi *prædeceſſoris noſtri* CUNIBERTI, cujus conſilio & auxilio idem Malmundarienſe cœnobium conſtructum eſt, & venerabilis memoriæ viri EVERGERI, a quo idem monaſterium prius a Hungris combuſto renovatum, & *in honore* ſancti Petri apoſtoli conſecratum eſt, quorum auctoritate confirmatum, ut poſſeſſiones, decimæ vel eccleſiæ, quæ a regibus vel imperatoribus ceteriſque bonis chriſtianis largitæ atque oblatæ, & *in* poſtmodum concedendæ ſunt, firma ſtabilitate perpetuoque jure inconcuſſæ permaneant; & juſta viſa eſt petitio tua, aſſenſum ei præbentes, etiam gratam habemus. Igitur & nos decernimus atque jubemus, ut *nemo fidelium* memoratis fratribus & de præfatis decimis, vel capellis aliquid demere vel minuere præſumat, nec ullam contrarietatem inferre tentet, ſed ſicut ab antiquis regibus ſcilicet SIGIBERTO, CLODOVÆO ac DAGOBERTO, & imperatoribus KAROLO, LODOVICO, OTTONE conſtat confirmatum, ita Domino protegente per hanc noſtram auctoritatem roboratum noſtris & futuris temporibus maneat inconvulſam. Si quis autem violator exſtiterit ſciat ſe perpetui anathematis baculo feriendum, qui autem obſervaverit, æternæ renumerationis gratiam habiturum.

Privilegium domni HERIBERTI Colonienſis archiepiſcopi confirmatum ab eo iiij. non. Novembris apud Malmundarium, dedicata in die eccleſia in honore ſancti Gereonis, regnante HEINRICO II. anno ab incarnatione Domini MVII. indictione V.

NOTITIA COMMUTATIONIS factæ inter Nantherum S. Martini Metenſis abbatem & Popponem Stabulenſem.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus, tam futuris quam præſentibus, quale concambium factum eſt inter domnum POPPONEM abbatem quondam Stabulenſis cœnobii & NANTHERUM abbatem de monaſterio ſancti Martini, quod eſt in epiſcopatu Metenſi. Hic Nantherus abbas quoddam bonum habuerat in comitatu Othemedenſi, villam ſcilicet *VValendor* vocatam, reſpicientem ad altare ſancti Martini: de qua cum a loco longe aberat verſus Coloniam, *nullum* ſervitium, nullum poterat habere reſpectum, ſed in tantum ad nihilum jam venerat, ut nihil cenſus nihil ſervitii præter viij. ſolidos ipſa ſolveret curtis, quæ plus XXX. manſis conſta- Circa 1035.

bat. De quo etiam cenſu ipſi abbati contrarium ab ipſis debitoribus evenerat: ſuper qua re cum frequenter imperatoriam majeſtatem quæreret, & quod ſibi in loco utile eſſet invenire *non* poſſet, propoſuit ſibi ſuper hoc agi conſilium, ſi fortuna proſperum ſibi ſubminiſtraſſet locum. Erat tunc temporis domnus POPPO bonæ memoriæ abbatias curans Treviris ſancti Maximini, Stabulaus ſancti patris noſtri Remacli, qui cum ipſi regi & multis principibus eo tempore notus eſſet & carus, ipſi & prædicto abbati familiaris erat amicus. Hunc igitur adiit, ſuper jam dicto damno quæſivit conſilium, & tandem ipſius domni Popponis conſilio viſum ſibi eſt, ut ſupradicti boni a ſe fieret commutatio. Animadvertens itaque aliquid de bono ſancti Remacli adjacere, præfatam quoque curtim Stabulenſi cœnobio vicinam eſſe, bonum ſibi viſum eſt eamdem commutationem cum ipſo domno Poppone facere, quod ipſe libenter annuit, tradens ei in comitatu *Biendenborch* villam ſancti Remacli *Medrenai* vocatam cum omnibus appenditiis ſuis, terris, ſilvis, aquis, omnibuſque inde procedentibus debitis Facta eſt autem hæc commutatio apud NOTA. Dinillam, ubi colloquium fuit inter imperatorem CUONRADUM, & HEINRICUM regem Francorum, ducatum Hlotarienſis regni tenente duce GOZILONE, eodem ſuper bono ſancti Martini advocato, ſuper abbatiam ſancti Maximini comite HEINRICO, ſuper bono ſancti Remacli fratre ejus comite FREDERICO, regente domno POPPONE epiſcopatum Trevirenſem, PILIGRINO Colonienſem, THEODERICO Metenſem, REINARDO Leodienſem. In unum igitur advocatis convenientibus, dux Gozilo tradidit prædictam *VValendorp* comiti Friderico in uſum fructuarium cum omnibus appenditiis ſuis ad altare ſancti Petri ſanctique Remacli. Item comes FRIDERICUS *Madrenaii* cum appenditiis ſuis eodem conventu duci GOZILONI ad altare ſancti Martini, præſentibus memoratis abbatibus, qui ipſam agebant commutationem. Placuit poſtea abbati NANTHERO a prædicto abbate POPPONE eumdem *Medrenaii* de villa ſancti Maximini LUCETI vocata commutare, quod & fecit præſentibus advocatis ſupradicta ratione. Confirmatum eſt autem hoc concambium præcepto CUONRADI imperatoris, & legali advocatorum banno, ac juſta traditione habitum a prædictis abbatibus per annum & diem digna cenſus ac ſervitii ſolutione. Teſtes fuerunt BECELINUS comes de *Biendeburch*, GODEFRIDUS comes de Amblavia, GOZILO comes de *Engeis*, Gerardus Flameus, Hermannus *de Gruoſtes*, Theodericus & Riquinus *de Lembruch*, Herel fidejuſſor *de Budelei*, Harpero & Toricus de Petra, Arnulfus de Aiſno, Stephanus *de Malenpret*, Razo *de Mecuedes*, Arnulfus de Verino.

NOTITIA DE PERMUTATIONE facta inter S. Maximini Trevirenſis & Malmundarii abbatias.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ordinationes eccleſiarum bonum eſt noſſe Chriſti fideles, ut ſi quid Deo ſervientibus aliquis velit demere, ſit qui poſſit contradicere. Ob hoc litterarum memoriis traditur quidquid a bonis diſpenſatoribus de rebus eccleſiaſticis geritur, ſi eas augent vel minuunt dono, præſtaria, ſive concambio. Hujus rei gratia notum ſit omnibus quale concambium factum ſit de Aſteneburno villa ſancti Petri, quæ fuerat pertinens ad altare Malmundarii. Igitur regnante domno imperatore CUONRADO villa quædam Hanuvulro vocata erat de abbatia ſancti Maximini, & quoniam bonum erat ipſius imperatoris, placuit ſibi eamdem Anuvulro de loco accipere, & Maguntiæ ſancto Martino dare. Erat eo tempore comes quidam GISLEBERTUS in partibus Haſbaniæ, qui ob injuriam ſui malefacti, ipſius imperatoris amiſerat gratiam. Ob hoc re adquirenda bonum ſibi viſum eſt ſupradicto imperatori, de allodio ſuo dare xx. manſus apud Corvvoromo cum omnibus eorum appenditiis, terris, cultis, & incultis, ſilvis, aquis, omnibuſque ipſius allodii uſuariis. Placuit itaque ipſi imperatori, ob ſalutem animæ ſuæ, hoc bonum ſibi a prædicto comite datum, ſancto Maximino reſtaurare, pro villa quam ſupradiximus eum de loco accepiſſe. Igitur abbate JOHANNE abbatiam ſancti Maximini regente, quoniam hoc bonum longe a loco aberat, bonum ſibi viſum eſt alias commutare, petiitque domnum POPPONEM tunc temporis monaſteriorum *Stabulaus* & *Malmundarii* abbatem, ut hoc bonum quoniam abbatiæ ſuæ vicinum erat, ſibi acciperet, & villam Aſteneburno vocatam loco ſuo proximam ſibi pro hoc bono traderet. Placuit hoc ſupradicto abbati POPPONI, & convenit utriſque commutationem facere prædicti boni. Igitur convenientibus ipſis in unum, ſimul etiam advocatis ipſorum locorum, comite HEINRICO, de bono ſancti Maximini, FRIDERICO fratre ejus de abbatia ſancti Remacli, tradita eſt prædicta Aſtenebruno ab advocato FRIDERICO præcepto domni imperatoris atque conſenſu domni abbatis Popponis comiti Heinrico in ſervitium ſancti Maximini cum omnibus appenditiis ſuis, terris, cultis, & incultis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, cunctiſque inde procedentibus debitis, quæſitis, vel inquirendis. Item datum eſt comiti FRIDERICO ab advocato HEINRICO in ſervitium ſancti Petri ad altare Malmundarii, quidquid datum fuerat a ſupradicto imperatore ſancto Maximino apud Corvuorommo, cum omnibus

appenditiis ſuis, terris, ſilvis, aquis, omnibuſque debitis uſuariis. Viſumque communibus utriuſque partis fidelibus eſt inæqualem hanc eſſe commutationem pro prædicto bono dato ab abbate Poppone. Unde ſibi auctum eſt ab abbate Johanne quod habebat *VVendenges* de bono ſancti Maximini & apud Ruinago dimidium manſum, & quinque partes vineæ ſuper Moſam quoque manſum & dimidium cum omnibus horum appendiciis, familiam quoque ultra Moſam quæ erat ſancti Maximini. Facta eſt itaque hæc commutatio juſſu prædicti imperatoris, & confirmata legali advocatorum banno, & recta traditione, & habita ab utriſque ſupradictis abbatibus per annum & diem digna cenſus ac ſervitii ſolutione. Regnante imperatore CUONRADO, ducatum Lotharienſis regni ducé GOZILONE tenente, advocatorum locorum prædictis comitibus HEINRICO ſive FRIDERICO, archiepiſcopatum Trevirenſem gubernante POPPONE, PILIGRINO Colonienſem, THEODERICO Metenſem, RAINARDO Leodienſem; teſtes fuerunt comes GISLEBERTUS de Salmo, Bovo de Lotauſo, Stephanus de *Malempret*, Hermannus de *Gruoſtes*, Gunzelinus, Arnulfus.

DIPLOMA HENRICI III. REGIS Romanorum Popponi abbati conceſſum.

Omnes monaſterii poſſeſſiones & immunitates confirmat.

Anno 1040. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia rex. Sublimitas regalis prudentiæ Deo ſervientium paci ac quieti omnimodis debet proſpicere. Unde comperiat omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum induſtria, quod monaſterii Stabulai ſub noſtra [a] ditione ſiti (a) conſecrationi præſentes, id eſt obtinente apud noſtram celſitudinem abbatis ejuſdem loci ſcilicet POPPONIS reverentia, petente eodem abbate, juxta antiquorum regum SIGIBERTI, CHILDERICI, CLODOVEI, DAGOBERTI, qui conſtructores fuêre præfati loci, necnon & imperatorum CAROLI, LUDOVICI, OTTONUM trium, HEINRICI, ſed & ſereniſſimæ memoriæ CUONRADI imperatoris genitoris noſtri ſancita, appendentium vel traditarum rerum illi eccleſiæ a tempore ſancti Remagli per ſuccedentia tempora ratam præceptionem firmavimus regali auctoritate noſtra. Eſt igitur noſtra dignatione ſancitum, ut quidquid prædeceſſorum ſuorum temporibus illi loco fuit traditum aut condonatum, A ſed quod eidem abbati imperator HEINRICUS ob ſuæ animæ mercedem de Haſbanio reddidit beneficium, ſive quod a divæ memoriæ genitore noſtro ipſi fuit reſtitutum a comite HERMANNO ex hærede mortuo per aliquanta tempora injuſte detentum, *Scaletin* videlicet & *Paliſiol* cum omnibus appenditiis ſuis, & quidquid ad ipſum locum emit, ſextam ſcilicet de Amblava & Tumbis a comite GODEFRIDO de Zingeis, vel quod de bono eccleſiæ concambium VVendengias, & Coruuoronnor abbatis ſancti Maximini data villa Aſtebronna loco concambii ſine B aliqua infractura maneat inconvulſum. Quoniam vero prædeceſſores noſtri reges vel imperatores ſuæ auctoritatis firmitate ipſi loco fancivere, ut advocatus ejuſdem eccleſiæ in cortibus ad locum reſpicientibus non præſumat manſuras aut paraturas facere, redibitiones, freda exigere, aut placitum tenere, aut parafredos ſibi ſumere ſine permiſſu abbatis & voluntate eadem, & nos ipſi abbati firmando corroboramus, bannique noſtri impoſitione ne deinceps quiſquam hæc audeat infringere vigoramus, & quidquid ſane acquiſivit aut acquiſitum reperit in quibuſlibet rebus eccleſiæ roboratur noſtræ auc- C toritatis rata præceptione, habens emunitatem ab omni advocatorum infeſtatione. Et quoniam monachis alterius cœnobii, id eſt Malmundarii ſancita antiquorum regum vel imperatorum non ſuffecerunt, & ſub duobus abbatibus reſcindere eadem monaſteria laboraverunt, quod a temporibus ſancti Remagli adhuc manet inconvulſum, propter hæc, inquam, ut ne qua deinceps inter eos controverſia fiat, quod eveniſſe temporibus domni imperatoris OTTONIS ſecundi conſtat, ſtatuimus ſecundum manſuetudinis noſtræ edictum, ut unius abbatis regimini ſicut ju- D giter permanſit utrumque ſit ſubjectum cœnobium. Et ut hæc noſtræ conceſſionis ac confirmationis de omnibus his plenior habeatur auctoritas, manu propria hoc præceptum ſubter firmavimus, ſigillique noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Signum domni HENRICI regis invictiſſimi.

THEODERICUS cancellarius vice BARDONIS archicapellani recognovi.

Data non. Junii indictione viij. anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadrageſimo. Anno autem domni HEINRICI regis E tertii ordinationis xiij. regni ij.

Actum Stabulai feliciter. Amen.

(a) Hinc patet conſecrationem Stabulenſis eccleſiæ factam fuiſſe anno 1040. ſub S. Poppone abbate, qui diſciplinam in monaſterio reſtituit, ædificia etiam collapſa atque adeo eccleſiam reſtauravit, quod amplius patet ex ſequenti narratione ipſius dedicationis.

BREVIS NARRATIO de dedicatione eccleſiæ Stabulenſis & inventionis corporis S. Remacli.

ANNO ab incarnatione Domini IXL. non. Junii, dedicatum eſt hoc monaſterium in honorem beati Petri principis a- *Excmſ. Stabulenſi annorum milleſimum 600.*

postolorum Pauli atque Remacli a venerandis episcopi ERIMANNO archipræsule sanctæ Colonienſis ecclesiæ, NITHARDO Leodicensis, HERIMANNO Mimigaryordensis, RICHARDO Virdunensis, GERARDO Cameracensis, HENRICO tertio rege præsente, domno autem Popone abbate vicesimo anno ordinationis suæ abbatiam regente, quod ipse a fundamento restauravit, atque ut nunc patet ad effectum perduxit. Muralis autem ambitus ad tuitionem ejus in modum mediocris oppidi compositus, ipsa die in sepulturam defunctorum orthodoxorum taliter est consecratus. Nam corpora beati patroni nostri Remacli, nec non Justi martyris & plurimæ reliquiæ pretiosæ cum aqua exorcisata exterius in circuitu ejus lustrando vehuntur, gyroque peracto, cum maximo cleri plebisque tripudio, laudes celebres in sublime exaltando, ad eumdem aditum reconsignantur, atque cum eadem insigni processione porta præscripti cœnobii repetitur, in qua peracta sacerdotali benedictione, rex cum memoratis episcopis atque proceribus sursum se obvium sanctis exhibuit, ad excitandam gloriam Dei in plebem sermonem episcopo facere præcepit. Subinde quatenus regali munificentia donarentur benigna largitate providit. Nam protinus pro remedio animæ patris & suæ xij. mansus cum xxx. mancipiis utriusque sexus incolarum ritu eos excolendos lypsanis in altari principali locandis ex hereditate propria contulit. Ad hæc quoque præclara dies Christi cultibus mancipata, vicinorum atque exterorum ne privaretur frequentia, ex eo occasione nacta mercatum publicum per singulos annos ipsis colendis biduo complendum decrevit, atque venalitatem & emtionem cunctis præsentibus pariter cum HENRICO duce Bauuariorum inchoavit. His ita gestis ministris loculum patroni nostri ferentibus, auxilio sese gerendo mancipavit, sicque cum clero debita processione vacando, ac plebe immensa ad locum ubi nunc reconditum est cum magna devotione idem præfatus rex transtulit. Post evangelium vero solemnis missæ, domno abbate poscente, privilegium Gregorii papæ, patrui scilicet patris sui, loco protuitione & quærela insidiantium concessum, publice recitare fecit, idque a circunstantibus approbatum, regali etiam auctoritate corroboravit. Huic etiam beneficio aliud addidit, nam præcepta regum antiquorum, SIGIBERTI scilicet CHLODOVEI, HILDRICI, DAGOBERTI, qui constructores extitere locorum, representare jussit sibi, nec non imperatorum CARLOMANNI filiique sui LODVVICI atque augustorum OTTONUM diligentique examinatione seriem veritatis per ea legendo discutit, & quicquid in sanctæ ecclesiæ ditione a priscis moderniſque temporibus concessum, adhuc inconvulsum comperit suo quoque testamento confirma-

NOTA.

vit. Insuper quicquid prædecessores HENRICUS, ac pater ejus CUONRADUS imperatores cœnobio diu ablata divina miseratione tacti restituerunt, in eo inserere fecit sigilli impressione, manusque subscriptione munivit, atque ad obstruenda in futurum præjudicia in generali Aquisgrani palatio optimatum suorum atque aulicorum deliberatione suaque præsentia ratum fieri decernendo sancivit. Præterea eodem adhuc abbate vita comite, infra biennium dedicationis præscriptæ, repertum est patroni nostri sepulchrum plurima intercapedine temporum impediente nobis celatum. Inventum quippe est iv. nonas Martii diebus sacræ quadragesimæ, desideriis nostris superna gratia favente, vero indicio omnique summota ambiguitate. Nam sicut a patribus nostris veredica relatione est relatum scriptoque proditum, GODUINUS qui quartus in regimine loci beato confessori abba successit, ab oratorio S. Martini ubi prius humatum continebatur in monasterium principale SS. apostolorum Petri & Pauli ab ipso sagaci industria constructum ac consecratum, officiosa devotione vij. calend. Julii transtulit, quæque etiam in tam magnifico negotio expediebant congruo honore efficaciter adimplevit. Siquidem lecticam auro argentoque suis expensis digna decoris prærogativa fabricatam præparavit, in quam jam arida ossa a corrupta ejus carne sequestrata locavit, retroque altare præscriptorum apostolorum in sublime, ut esset omnibus evidens condigno apparatu statuit, sinceritate etiam ejusdem benignæ devotionis in tumulo ejus impendit, quia subtus eam in inferiori parte terræ commendavit, pavimentoque firmo ad tutelam fidelibus posteris non ignava fide munivit. Sed invalescente persecutione paganorum atque Lotharingiam provinciam ceteraſque frequenter hostili immanitate atque incursione vastante, postque prædictum monasterium ab invisa gente Danorum est combustum, & ideo casum minante ab abbate Odilone propensiori opere atque eminentiori in ipsis fundamentis est restauratum. Nullum sepulturis irrogatum est impedimentum, quia latitudo eadem totius detrimenti tulit occasionem. Noviter autem & ipsum dirutum excellentiorique gratia, longitudine, latitudine, crassitudine, sumtuosoque decore præsens restitutum; sed a fundamentis duorum seclusum, multorum abolita est memoria monimentorum inibi positorum, insuper patroni nostri generali atque inevitabili jure mortalitatis veritate patrum sublata priscorum. Diversarum etiam rerum impediunt nunc species maceriarum dilapsarum ruderumque congesta congeries, pavimentorum novorum super inducta planities, subinde telluris herbidæ sub nudo aëre insolitarum fœcunditatum ubertates, plurimæque va-

rietatum objectæ imagines. Nam patrum nostrorum relatione ex eo fidem opinio nostra conceperat, sed ad confirmandum veritatis argumentum, facultas non suppetebat, quia designatus locus ævo cesserat, ruinaque murorum altarisque omnia vestigia quærendi abstulerat; sed post quam ea impedimenta fuerunt extrusa, desiderii nostri repensatur gratia, atque apparuit quod diu quærebamus multa indagine adhibita. Ergo postquam invenimus, ut æquum dignumque erat, divinæ dispensationi gratias immensas retulimus, & dum urgente necessitate a terra machinamentis inibi congruentibus elevamus, excepto demolitæ carnis ejus pulvere sanguinem ejus, quasi in futuræ resurrectionis gloria reservatum, in vitrea ampulla subtus illud stabilitum invenimus. Ad quam recipiendam dum inconsulta aviditate properatur, rationique prudenti renititur, peccatis nostris machinantibus, sacrum vas conlapsum colliditur, ipsumque pretiosum thesaurum negligentia maxima agente sparsim super terram effunditur; sed superna gratia interveniente ac vires nostras reparante, spem nostram nimio mœrore dissolutam, bona fiducia refovemus, ipsumque cruorem diligenti cautela & examinatione cum ipsa terra recolligimus, & quia privatis publicisque nostris cunctorumque ortodoxorum commodis necessarium spiritualiter providebamus, in theca modica fideliter servandum recondimus. Locus autem sanctificationis atque inventi sarcofagi, quia digna ibi veneratione non fas erat excoli, nam pervius aditus atque exitus arcebat claustri, insuper morosa deliberatione intercedente, omnes reliquias dispersione acta non fuit possibile ad plenum recipi, decretum est præsentibus absentibus atque futuris, quod residuum ex eis inibi restabat hac ratione memoriæ commendari. Nam infra mutalem parietem in medio occultus arcus cementaria arte compilatus, pavimentumque a loco illo sublatum atque propter tenacem soliditatem non adeo adhuc reperimus partitione dissolutum desuper reponitur, ut pia fide quærentibus veritatis indicium certa astipulatione pandatur. Hujus rei tot adhuc testes sunt incolumes quotquot ipsa die extitere præsentes. Testimonium quidem perhibet Gonterus, cui creditum est tanti mysterii sacramentum attrectare, qui præcepto Petri decani nunc autem abbatis, in virtute sacræ obedientiæ cruentatis manibus lipsanas dispersas præsumsit recipere, atque ad custodiendum fideliter in conclavi memorato retrudere. At ubi prædictus domnus abba, cujus hæc absentia gesta sunt rediens agnovit, omnipotentis Dei gratiam dignis laudibus extulit, atque ipsum loculum cum pulvere, sanguine, cinere retro altare prædictorum apostolorum summa curiositate atque honore tumulandum tradidit, nec non ad recolendam tam præcipuam sanctificationem in posterum vario lapide marmoreo desuper strato eleganter decorare jussit.

DIPLOMA HENRICI II. imperatoris.

De permutatione facta inter abbatiam sancti Maximini Trevirensem & Stabulensem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Circa 1042.
HEINRICUS divina favente clementia imperator. Sublimitas imperialis prudentiæ Deo servientium paci ac quieti omnimodis debet prospicere, ut si quando aut necessitas exigit, aut utilitas exposcit, de villis aut rebus ecclesiarum præstariam aut concambium facere, quibus auctoribus id agatur oportet litteris annotare, ut postquam ejus rei auctores vel astipulatores contigerit obisse, si quis succedentium id velit infringere vel demutare, ipsa litteralis commendationis auctoritas in medium prolata, & præcipue si sublimitate imperiali est confirmata, habeatur pro teste, ad infirmanda molimina partis adversæ. Quapropter notum sit Christi fidelibus & nostris, tam præsentibus quam futuris, quale concambium factum sit de bono sancti Remacli apud VVendengias, quod olim pertinens ad abbatiam sancti Maximini pro Astenebruno, inter alias commutationes datum fuerat cœnobio Stabulensi, & sancitum & corroboratum imperiali auctoritate patris mei divæ memoriæ CUONRADI Cæsaris, villa quædam *Inkesengias* vocata, erat de episcopatu Bavenbergẽsi, pertinens ad præbendam sancti Georgii. Quæ quoniam longe distabat a præfata urbe, visum est ejus loci præposito nomine LUITPALDO cum consensu domni *sui* (a) SUGERI episcopi alias eam concambire, petiitque a venerabili POPPONE abbate monasterii Stabulai, ut hanc villam, quoniam abbatiæ suæ vicina erat, acciperet sibi, & bonum de VVendegiis loco suo propinquius pro denominata villa traderet sibi, & ut æquum ex utraque parte concambium fieret, duos adhuc mansus apud Andernacum & Nonam de Buobardio adjiceret. Pro hoc igitur apud Trajectum in curia nostra a supradicto venerabili abbate interpellati habendum possidendum ulterius ecclesiæ sancti Remacli firmando corroboravimus, bannique nostri impositione, ne deinceps quisquam aut tollere aut usurpare sibi audeat, vel injustitiam aut violentiam facere publice vigoravimus. Atque ut hujus nostræ confirmationis & concessionis de hoc con-

[a]

(a) Sugerus, seu Suiggerus, sive Suidigerus, S. Henrici imperatoris cancellarius Bambergensis episcopus electus dicitur anno 1042. quadriennioque post ad summum pontificatum evectus, Clemens II. appellatus.

cambio plenior imo certior habeatur auctoritas, manu propria hoc descriptionis præceptum subter annotavimus & confirmavimus.

Signum domni HEINRICI secundi imperatoris invictissimi.

DISCRETIO CONCAMBII de Astelbrunna & Cornaroimo.

IN *VVendenges* quondam habuerat sanctus Maximinus villam nomine Hauvillam, quam concupiens imperator CUNRADUS ad opus unius cunicularii sui nomine LUIDULFI a domno abbate POPPONE extorsit, ea conditione ut si aliquid bonum propter jus imperii sui in proprio suo eveniret, absque ulla contradictione sancto Maximino redderet. Quod & contigit non post multum tempus. Nam quidam comes nomine GISLEBERTUS in partibus Hasbaniæ quodam milite nomine VVIKERO interfecto, nullo modo potuit pacari imperatori, quousque quoddam prædium Corvuoroimo nomine sibi traderet pro acquirendo ejus amore. Quod statim domno abbate POPPONE placitante, redditum est sancto Maximino pro restauratione. Tunc fratres & ministri monasterii sancti Maximini illud bonum parvipendentes, eo quod nimium ab eis longe distaret, petierunt ut vicino loco aliquod concambium acciperent. Quod & factum est, nam abbas POPPO & advocatus sancti Maximini HEINRICUS dux Bavariæ, instigante familia ejusdem sancti Maximini, consilium inierunt, ut quamdam curtim nomine Astelebruna ex abbatia sancti Remacli pro prædicto bono commutarent: sed numerato censu de Astelebruna, prope dupliciter præponderabat. Ad hæc prædictus advocatus quemdam loculum nomine *VVendenges* de bono sancti Maximini in augmentum, laventibus abbate JOHANNE & fratribus sancti Maximini concessit. Et factum est ut hæc duo loca Coruuoroimo & *VVendenges* pro sola Astelebrunna abbati, & advocato FRITHERICO Stabulensi tradita essent. Post hæc in Paschà Domini apud *Engeilhem* coram imperatore CONRADO recitata est hæc commutatio. Insuper imperiali coram totius regni optimatibus confirmata est cyrographo, & ab utraque familia scilicet S. Maximini & sancti Remacli, & ab utrisque abbatibus & advocatis justo & æquo acclamatur esse facta concambio. Præterea domnus abbas Poppo zelo bono & spirituali fervens desiderio, ut locum suum Stabulensem scilicet, aliquo posset fructificare incremento, prædiolum quoddam *Lukesenges* nomine, quod pertinebat ad episcopum Bavenbergensem nobis satis vicinum, & utile invenit, & illis quorum erat propter difficultatem itineris inutile intellexit. Quid plura? Nuncios suos ad episcopum nomine SUGERUM & ad præpositum suum nomine Liupoldum misit, ut sibi jam præfatum prædiolum, id est, *Lukesenges* quod ab eo multum distabat daret, monuit, & e contra prædium nostrum *VVendenges*, quod de bono sancti Maximini jam tenebamus pro supplemento de Astelebruna sibi in commutatione acciperet, eo quod super Mosellam situm erat, & vinum quod ibi acciperet levius per alveum transjectum ad civitatem suam conducere posset. Quod audiens episcopus libenter petitioni domni abbatis annuit, & absque ulla dilatione commutationem fieri jussit; sed præpositus jam memoratus callidus, & multum carus in omni negotio, cum se parum accepisse quæreretur pro suo prædio, addidit eis domnus abbas nonam de Buobardo, & duos mansus apud Adernacum, quod ita usque in hodiernum diem permanet inconvulsum. Defuncto igitur domno Poppone abbate, domnus THEODORICUS præpositus monasterii sancti Maximini, & monachus sancti Remacli in utrisque abbatiis successit: Qui partibus favens Trevirensium propter benedictionem quam inde acceperat plusquam Stabulensium, sæpissime quærelam & controversiam referebat invidentium, dicens rectius pertinere *Lukesenges* ad sanctum Maximinum, quam ad sanctum Remaclum eo quod de bono ipsius sæpe nominato *VVendenges* commutatum esset, quod jamdiu tenebamus pro augmento de Astelebrunna. Nos autem sanum consilium exequentes, & in posterum inquietudinem illorum prævidentes, addimus eis prædium nostrum septem mansuum *Gozilesdorp* cum ecclesia & tota familia, quod ita pace composita permanet in die hodierna.

TITULUS ALTARIS S. MARIÆ in Cripta.

ANNO Domini MXLVI. dedicatum est hoc altare a RICHARDO Virdunensi episcopo ex consensu VVAZONIS Leodiensis episcopi in honore Domini nostri JESU-CHRISTI & intemeratæ genitricis ejusdem virginis MARIÆ, & sancti Johannis evangelistæ & beati Lamberti martyris, in quo continentur reliquiæ de sepulcro Domini, de vestimento Domini, de ligno Domini, de vestimento virginis MARIÆ, de corporibus apostolorum Petri, Johannis, Jacobi fratris Domini, & aliorum apostolorum, de corporibus sanctorum Lamberti episcopi & martyris, Pancratii, Ciriaci, Gengulphi, Georgii martyrum, de vestimento sancti Apollinaris episcopi & martyris, & aliorum martyrum, & reliquiæ Materni, Ursmari, Erminii confessoris, & reliquiæ sanctarum virginum, de velo sanctæ Agathæ, & de ampulla 1046.

ampulla ejus, Agnetis, Dariæ, Anastasiæ, Eugeniæ, Barbaræ, Columbæ.

TITULUS ALTARIS S. MAURICII in Cripta.

1046. ANno supradicto eodem die dedicatum est hoc altare ab eodem venerabili Virdunensi episcopo in honore sanctorum martyrum Mauricii, Exuperii, sociorumque eorum, in quo continentur reliquiæ eorumdem, continentur etiam reliquiæ sanctorum Stephani papæ & martyris, Quirini & Quintini martyrum, & memoria beati Felicis papæ & martyris, & reliquiæ beatorum Trudonis & Celsi confessorum. Est etiam juxta hoc altare a latere dextro hoc scriptum. Anno Domini MLI. ordinationis autem suæ anno XVIII. domnus abbas VVibaldus transtulit ossa fratrum nostrorum ab occidentali parte templi, ubi negligenter erant sepulta, & hic decenter collocavit & recondidit.

TITULUS ALTARIS S. MARTINI.

II. kalend. Septembris dedicatum est hoc altare in honore sancti Martini, in quo continentur reliquiæ ejusdem, continentur etiam reliquiæ sanctorum confessorum Hilarii & Remigii, de corpore sancti Nicolai, de corpore sancti Maximini, de corpore sancti Servatii, de corpore sancti Germani Autisiodorensis episcopi. In altari sancti Benedicti sunt reliquiæ de corpore ejusdem, de corpore sancti Gregorii papæ. Insunt etiam reliquiæ sanctorum confessorum Vedasti & Amandi, Hadelini, Monulphi, Basilii, & beati Mauri abbatis.

TITULUS ALTARIS S. ANDREÆ apostoli.

In honore sanctæ Trinitatis & gloriosæ Virginis Mariæ, beatique Andreæ apostoli & omnium apostolorum & sanctorum martyrum Valentini, Crisanti & Dariæ consecratum est hoc altare a VVAZONE Leodiensi episcopo. vij. kalend. Maii in Christo feliciter.

DIPLOMA LEONIS PAPÆ IX. Theoderico abbati concessum.

Regum & imperatorum privilegia confirmat & jus eligendi abbatis.

1049. LEo episcopus servorum Dei THEODERICO religioso abbati, venerabilis monasterii sancti Petri, sanctique Remagli Stabelao positi suisque successoribus in perpetuum. Tunc summe apostolicæ dignitatis apex in hoc divini prospectus amore dinoscitur præfulgere, si in adquirendis Dei laudibus sui impensius studeat laboris exhibere certamen. Ob hoc nos debita ejusdem apostolicæ pastoralis compellit sollicitudinis cura, ut quæ ad stabilienda piorum pertinere dinoscuntur locorum, ubertim promulgare, & apostolicæ institutionis censura debeamus confirmare. Igitur quia postulasti, frater, a nobis quatinus monasteria a venerabili patre Remaglo constructa, id est Stabolaus & Malmundarium sita in saltu Arduennensi, in honore sancti Petri apostolorum principis privilegio nostræ auctoritatis muniremus. Et quia justa visa est nobis petitio tua, assensum tibi per hujus nostri privilegii constitutum præbemus & roboramus apostolica auctoritate secundum præcepta regum & imperatorum in præsentia nostri relecta. Ratum itaque decernimus quidquid dedit primus constructor locorum, SIGIBERTUS videlicet rex Francorum, qui Germiniacum in pago Remensi, & molendina duo sub uno tecto super Suppia, & vineam cum vinitore in Bethereo, & thelonea quæ ad portum Vetraria sunt super fluvios Taunaco & Itta, & portum qui dicitur Sellis & Vogatium super fluvium Ligerim, ipsi adhuc viventi sancto Remaglo tradidit. Eadem quoque firmitate vigoramus acta & instituta regum CLODOVEI, DAGOBERTI, CHILDERICI, THEODERICI, qui eadem præceptis suis confirmaverunt, aliaque perplura addiderunt, necnon imperatorum CAROLI, LUDOVICI, LOTHARII, & trium OTTONUM, HEINRICI etiam primi & secundi & tertii augustorum, qui constructores & defensores fuere locorum ipsorum, & quidquid de terminis & immunitate Leuguæ in eorum præceptis continetur; stabile esse judicamus. Concambia etiam quæ facta sunt de Lukesengeis & Astelebrunna, sive etiam quæ a Christianis hominibus pro salute animarum suarum, ad ipsa monasteria collata sunt & condonata: a FRETHERICO comite *Ferieres* & *Cansis*, a FRETHERICO duce *Sprisimont* allodium cum ecclesia, & quæcumque ab initio constructionis locorum usque in præsens eorum manet possessio & imposterum concedenda sunt, ut firma stabilitate perpetuoque jure inconvulsa permaneant, decernimus & confirmamus. Nullum habeant advocatum nisi unum & alterum ab ipso, qui uterque bannum advocatiæ ab imperatore accipiat, nec secundum prædictorum præcepta imperatorum quisquam eorum præsumat, aut in villis vel possessionibus quæ ad ipsa monasteria respicere videntur placita tenere, mansuras aut precarias facere, redibitiones vel freda exigere, parefredos sumere, vel cuiquam violentiam inferre sine permissu abbatis & voluntate, nulliique personæ cujuscumque dignitatis sit vel ordinis, ipsam abbatiam liceat umquam

in beneficium vel concambium accipere. Quod si quis, quod absit, hæc omnia temptaverit infirmare, beati Petri, nostraque auctoritate eum æterno percutimus anathemate. Præterea sancimus sicut ab ipsis imperatoribus est diffinitum, ut defuncto per successionem abbate, utrimque in unum è duobus monasteriis confluentibus monachis, habeant sine simulatione, sine exceptione personæ, sine respectu pecuniæ, secundum sancti Benedicti regulam abbatem eligendi liberrimam optionem: Ea tamen præponderante ratione, cum Malmundariensium pace, ut quia beatus Remaglus utriusque monasterii constructor & Tungrensium antea episcopus & pastor maluit in altero eorum, id est, Stabolaus, locum sepulturæ sibi eligere, ipsi primam electionis obtineant viam, si apud eos melior meritis & probabilior inveniatur. Si autem non illic, sed Malmundarii melior reperiatur utrique loco præficiendus, ab eo potius quam ab externis assumtus intromittatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictorum monasteriorum statuta sunt refragari, aut hæc in quoquam C transgredi, hunc a liminibus sanctæ matris ecclesiæ segregamus, atque cum Juda traditore Domini nostri JESU CHRISTI, & cum diabolo & angelis ejus æternis incendiis concremandum deputamus. At vero qui pio intuitu observator & custos extiterit hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientis benedictionis gratiam & misericordiam à misericorde Deo nostro multipliciter consequatur & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Data Maguntiæ iij. nonas Septembris per manus PETRI diaconi bibliothecarii & D cancellarii sanctæ apostolicæ sedis anno domni Leonis noni Papæ, 1. indictione tertia.

nostram adivit, petens ut officio, cui deservit, nostræ auctoritatis decretô firmamentum adderemus. Nos & æquitate justitiæ & sedulâ fratris petitione commoniti, præsentis edicto paginæ omnes possessiones, quæ ad dotem altaris suprædictæ ecclesiæ pertinere noscuntur, inviolatas permanere constituimus. Præcipimus etiam ut sicut hactenus idem frater cum suis antecessoribus, ratiocinia sua in eis qui vinum aut plures denarios ad altare pro censu capitis persolvunt, sine contradictione accepit, ita deinceps cum successoribus suis immobili firmitate B obtineat, id est, quidquid pro interfectione viri sui, vel pro effusione sanguinis, vel pro imparibus nuptiis sæculari jure persolvitur, ad thesaurarium ecclesiæ sine ullâ refragatione perveniat. Nec liceat abbatibus aut alicui præpositorum, vel censum ipsum, vel ratiocinia quæ ex supradictis & aliis rebus proveniunt, in feôdum dare, vel alio quocumque modo ipsis ædituis ullam diminutionem vel alienationem inde facere. Quod quicumque præsumserit, beati Petri & nostra auctoritate anathematis vinculo irrevocabiliter illigetur. Hoc quod pro amplitudine possessionum suarum illi ecclesiæ perneccessarium est, beati Petri auctoritate immobili decreto firmamus, ut quia beatus Remaclus utriusque loci primus fundator, relicto Tungrensi episcopâtu cum infulis pontificalibus, eisdem locis primus abbas præfuit, omnibus eorumdem locorum abbatibus firma & libera ligandi atque solvendi potestas permaneat, & rerum suarum invasores a christianitate suspendere, iterumque & communioni sanctæ restituere prævaleant.

*Data Remis iij. nonas Decembris, per manus Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii sanctæ & apostolicæ sedis. Anno Dominicæ incarnationis MXLIX. anno domni Leonis noni Papæ secundo, indictione IV.

BULLA LEONIS PAPÆ IX. Geldulfo Stabulensis ecclesiæ thesaurario concessa.

Confirmat omnes possessiones ad dotem altaris concessas, aliaque privilegia Stabulensis thesaurarii.

LEO episcopus servus servorum Dei. GELDULFO Stabulensis ecclesiæ thesaurario, cunctisque suis successoribus apostolicam benedictionem. E

Pastoralis curæ vigilantia propria nos sollicitudine hortatur, ut omni studio commodis ecclesiarum Dei intendamus, & quidquid quieti fratrum & firmamento possessionum conduxerit, hilari animo & munifico præbere debeamus. Quia igitur frater Gendulfus Stabulensis ecclesiæ ædituus notitia nobis & familiaritate acceptus providentiam

DIPLOMA HENRICI IV. REGIS Romanorum.

Confirmat antiquorum regum privilegia, advocatorum oppressiones vetat, jubetque ut duobus monasteriis, Stabulensi & Malmundario, unicus sit abbas.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia rex. Sublimitas regalis prudentiæ Deo servientium paci ac quieti omnimodis debet prospicere. Unde comperiat omnium fidelium nostrorum tam futurorum quam præsentium industria, quod monasterii Stabulai sub nostra ditione siti providentes utilitati, id obtinente apud nostram celsitudinem abbatis ejusdem loci, scilicet THEODERICI reverentia, petente eodem abbate juxta antiquorum regum SIGIBERTI, HILDERICI, Anno 1065.

Clodovei, Dagoberti, qui constructo- A res fuerunt prætati loci, nec non & imperatorum Karoli, Ludouvici, Ottonum trium, Heinrici, sed & sereniſſimæ memoriæ Chuonradi imperatoris avi noſtri, nec non genitoris noſtri piæ memoriæ Heinrici imperatoris auguſti ſancita appendentium vel traditarum rerum illi eccleſiæ, a tempore ſancti Remagli per ſuccedentia tempora ratam præceptionem firmavimus regali auctoritate noſtra. Eſt igitur noſtra dignatione ſancitum, ut quidquid prædeceſſorum ſuorum temporibus illi loco fuit traditum aut condonatum, ſeu quod B prædeceſſori ſuo abbati videlicet Poppon imperator Heinricus ob ſuæ animæ mercedem de Haîbanio reddidit beneficium, ſive quod a divæ memoriæ avo noſtro ipſi fuit reſtitutum a comite Herimanno, ex hærede mortuo, per aliquanta tempora injuſte detentum, *Scaletin* videlicet & *Palifiol* cum omnibus appendiciis ſuis, & quidquid ad ipſum locum erat, ſextam ſcilicet de Amblava & Tumbis, a comite Gotefrido de Eingeis, vel quod de bono eccleſiæ concambiavit VVendegias, & Coruuoroimon abbatis S. Maximini data villa Aſtebronna loco concambii ſine aliqua infractura ma- C neat inconvulſum. Quoniam vero prædeceſſores noſtri reges vel imperatores ſuæ auctoritatis firmitate ipſi loco ſanciverunt, ut advocatus ejuſdem eccleſiæ in curtibus ad locum reſpicientibus non præſumat manſuras aut paraturas facere, redibitiones vel fieda exigere, aut placitum tenere, aut parefredos ſumere ſibi, ſine permiſſu abbatis vel voluntate, eadem & nos ipſi abbati firmando corroboramus, bannique noſtri impoſitione ne deinceps quiſquam hæc audeat infringere vigoramus, & quidquid ſane acquiſivit aut acquiſitum reperit in quibuſlibet rebus eccleſiæ, roboratur noſtræ auctori- D tatis rata præceptione, habens emunitatem ab omni advocatorum infeſtatione. Et quoniam monachis alterius cœnobii, id eſt, Malmundarii ſancita antiquorum regum vel imperatorum non ſuffecerunt, & ſub duobus abbatibus reſcindere eadem monaſteria laboraverunt, quod a temporibus ſancti Remagli adhuc manet inconvulſum; propter hæc, inquam, ut ne qua deinceps inter eos controverſia fiat, quod eveniſſe temporibus domni imperatoris Ottonis ſecundi conſtat, ſtatuimus ſecundum edictum noſtrum, ut ſub unius abbatis regimine, ſicut E jugiter permanſit, utrumque ſit ſubjectum cœnobium. Et ut hæc noſtræ conceſſionis ac confirmationis de omnibus his plenior habeatur auctoritas, manu propria hoc præceptum ſubter firmavimus, ſigillique noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Signum domni Heinrici quarti regis.

Sigehardus cancellarius vice Sigefridi archicancellarii recognovi.

Data anno Dominicæ incarnationis MLXV. indictione iij. anno autem ordinationis Heinrici quarti xij. regni vero nono. Actum Treviris in Dei nomine feliciter. Amen.

CARTA FREDERICI DUCIS & advocati Stabulenſis.

Allodium de Sprimont pro anima Gerbercæ uxoris ſuæ donat.

IN nomine Domini. Noverint tam præ- Annotacy. ſentes quam futuri, quod ego Dei gratia dux Fredericus & Stabulenſis advocatus, mortua Gerberca uxore mea, tradidi ad altare ſancti Petri & ſancti Remacli eccleſiam *de Sprimont*, & allodium quoddam *Genape*, quod ex parte ipſius defunctæ noſtri juris erat. Dedi autem eccleſiæ allodium *de Sprimont* pro xxx. libris in vadimonium, unde conjugis defunctæ neceſſaria proſecutus ſum exequiarum. Cumque allodium *Genape* multis exiſtentibus cauſis tam cito non poſſem ſolidare, & ipſe diſpoſuiſſem iter meum Romam accelerare, iterum ſuper allodium *Sprimont* lx. marcas accepi. Et admonitus de priori allodio *Genape*, ne de non ſolidata traditione in eccleſiam advocationis meæ peccarem, tradidi *Sprimont* pro *Genape* in fidei-manu ad opus eccleſiæ, ſi aut in itinere mortuus, aut reverſus *Genape* eccleſiæ non ſolidarem, & mutuata non reſtituerem. Fideimanus hi ſunt, Tiezelinus & Albertus *de Braz*, Adelardus *de Hamme*, Fidejuſſores hi ſunt, Francho frater Alberici, VVarnerus filius VVakelini. Teſtes vero hii ſunt, Adelardus *de Lieſen*, Helfridus *de Alvenz*, comes Otto *de Loz*, Erleboldus de *Molins*, Tibaldus de Longo-prato, Rodericus de Contere, Faſtradus filius VVaſelini *de Boclaville*, Rabodo *de Clavires*, Guntranus *de Sume*. Reverſus autem a Roma cum allodium *Genape* libere non poſſem eccleſiæ ſolidare pro illo & pro ſumma pecuniæ acceptæ, imo pro remedio animæ meæ conjugiſque defunctæ pro loco etiam ſepulturæ meæ tradidi *Sprimont* ipſi eccleſiæ & fratribus perpetuo jure tenendum in manus advocati Adelardi *de Lieſen*. Cujus traditionis teſtes ſunt, Albertus comes de Namuco, frater ejus Heinricus, Balduinus de Sarto, Elbertus *de Olnon*, Rofridus *de Darcles*, VValtherus frater ejus, Goderannus *de Davels*, Boſo & VVidricus de Breis, Albericus de Mónte, Stepelinus *de Maliſoil*, Francho *de Argeon*, Harnicus *de Laiz*, Adelardus *de Urciſmont*, & filius ejus Boſo, Tiezelinus *de Urſiſmont*, Lambertus *de Hubin*, Albricus *de Braz*, & frater ejus Franco, Stephanus *de Fals*, Erleboldus *de Molins*. Acta ſunt hæc anno incarnationis Dominicæ MLXVII. indictione v. iij. kalend. Septembris, Heinrico quar-

to imperatore. TIETHVVINNO Leodienſium A præſule. TYEDERICO Stabulenſi paſtore. Deo autem per ſæcula regnante.

NOTITIA DE EODEM DONO.

Anno 1067. IN nomine Domini. Noverint præſentes & futuri ſancti fideles, quod dux FREDERICUS mortua uxore ſua GERBERGA, tradidit ad altare ſancti Petri & ſancti Remacli in Stabulau eccleſiam *de Sprimont* & allodium quoddam *Genape*, quod ex parte ipſius conjugis defunctæ ſui juris erat: Dedit autem eccleſiæ allodium *de Sprimont* pro triginta libris in vadimonium, unde conjugis defunctæ neceſſaria proſecutus eſt exequiarum. Cumque non poſſet allodium *Genape* eccleſiæ ſolidare, & ipſe diſpoſuiſſet iter ſuum Romam accelerare, iterum ſuper allodium *Sprimont* ſexaginta marcas accepit, & admonitus de priori allodio *Genape*, ne de non ſolidata traditione in eccleſiam peccaret, ſtatuit ut allodium *Sprimont* pro illo in fidei-manus eccleſiæ traderet, ſi tamen aut ipſe aut ſucceſſor ſuus *Genape* eccleſiæ non ſolidaret, & mutuata non reſtitueret. De qua re fidei manus hi ſunt, Tiezelinus & Albricus *de Braz*, Adelardus *de Ham*. Fidejuſſores hi ſunt, Franco frater Albrici *de Braz*, VVarnerus filius VVazelini. Teſtes vero hii ſunt, Adelardus *de Liezen*, Helfridus *de Alvenz*, comes Otto *de Lotz*, Erleboldus *de Molins*, Tierbaldus de Longo-prato, Rodericus *de Contere*, Faſtrardus filius VVazelini *de Bodlenville*, Rathodo *de Claviers*, Gontrannus *de Summe*. Reverſus autem a Roma cum infirmatus viſitaretur ab abbate THEODERICO & fratribus, & ſibi locum ſepulturæ juxta conjugem petiiſſet in prædicta eccleſia Stabulenſi, conſtituit ut allodium prædictum *Sprimont* fidei-manus pro remedio animæ ſuæ traderent, & ſolidarent jure perpetuo eccleſiæ: Quod & fecerunt in manus ADELARDI advocati *de Lieſen*. Cujus traditionis teſtes hi ſunt, ALBERTUS comes de Namuco & frater ejus HEINRICUS, Balduinus de Sarto, Elbertus *de Olnon*, Rotfridus *de Daveles*: & VValtherus frater ejus, Goderannus *de Daveles*, Boſo & VVidricus de Brais, Roricus cum barba, Albricus de monte, Stepelinus *de Maliſoil*, Franco *de Argeon*, Adelardus *de Urciſmont*, & filius ejus Boſo, Thiezelinus *de Urciſmont*, Lambertus *de Hubin*, Albricus *de Braz*, & frater ejus Franco, Stephanus *de Fals*, Erleboldus *de Molins*, Heinricus Ganvvarienſis. Acta eſt donatio anno incarnati verbi MLXVII. indictione v. iij. Calendas Septembris HEINRICO quarto imperante. THIETDUINO Leodienſium præſule. THEODERICO abbate. Domino Deo per ſæcula regnante.

NOTITIA DE INVADIATIONE curtis de Sprimont.

ANno Dominicæ incarnationis MLXXXV. indictione viij. domnus RODULFUS abbas neceſſitate regii ſervitii coactus accepit a Mazone de Kona equum unum pro quatuor marcis, carratam vini pro duabus marcis, pro quibus ſex marcis dedit ei in vadimonio curtem noſtram *in Sprimont* cum tota indominicatura uſque decima. Quod ſi aliquando fratres villam ſuam redimerent, ſicut ad præbendam libere pertinebat, ita ſine ulla conditione vel pacto in manus & uſus eorum libere bonum ſuum reciperent. Hæc ideo ſcripſimus, ne poſteri noſtri putent in beneficio datum fuiſſe, aut plus acceptum pecuniæ, aut ipſam villam ad manum abbatis, & non ad præbendam pertinere, quia multos labores pro eodem bono ſuſtinuimus. Hujus rei teſtes ſunt iſti, Reinerus, Robertus, Gondoldus, Cuono de Longia, Robertus *de Horchamp*, Albricus Villicus de Stabulaus, Adelardus *de Baldon*, & Theodericus frater ejus.

CHARTA MACHARII DE CIMAI & Bozonis de Barz.

De dono quod fecerunt pro anima Adelardi de Lieſſen ſubadvocati, qui fuerat interfectus.

Annotat. IN nomine ſanctæ & invididuæ Trinitatis. Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis ſolvantur. Idcirco ego MACHARIUS DE CIMAY, & ego Bozo DE BARZ compuncti corde de nece cognati noſtri ADELARDI DE LIESEN, ad eccleſiam Stabulaus, in qua ſubadvocatus fuerat, de Brabanto, ubi interfectus eſt, eum referri fecimus, & cum conſenſu cognatorum ejus Thyeboldi de Haya & fratrum ejus Arnulfi, Vealtris, & Giſleberti *de Gynerules*, Adelardi *de Gyaz*, & fratris ejus VViderici, Adelardi *de Semaces*, VValtheri de Haya, & fratrum ejus Roberti & VVidonis, honorifice eo in parte monaſterii Aquilonari ſepulturæ tradito, ob ſalutem animæ ejus tradidimus ad altare ſancti Petri ſanctique Remacli in eadem eccleſia allodium ejus *de Bullardes* cum eccleſia & familia ad idem allodium attinente, & decimam *de Bavines*, & allodium quod habebat *in Brilei*, quidquid in dominicatura, domibus, manſis, cultis vel incultis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, ejus juris in locis denominatis erat. Facta eſt autem hæc traditio per manus HEINRICI majoris advocati ejuſdem eccleſiæ filii comitis Namurcenſis ALBERTI, præſente

domno RODULFO abbate, Godefrido decano, Eminone præpoſito, & ceteris eorum fratribus, quorum uſibus omnia conferebantur, ut tam ipſi quam ſucceſſores eorum pro *anima cari noſtri attentius* Deum exorarent, ut a peccatis ſolvantur. Teſtes verò hujus traditionis ſunt, comes LAMBERTUS de Monte-acuto, Bozo *de Braz*, & frater ejus Johannes Donhaia, & cognati ſuperius intitulati, quorum conſilio & anniſu hæc facta ſunt, ſcilicet Thyeboldus de Haya, & fratres ejus Arnulfus, Vealtris, & Giſlebertus *de Gyvernles*, Adelardus *de Gyaz*, & VVidericus frater ejus, VValtherus de Haya cum filio Rogero, & fratribus ejus Roberto, & VVidone, Adelardus *de Seniacis*, Udo de Longia, & frater ejus VVidericus, VVidericus Niger de Rona cum aliis ejuſdem eccleſiæ hominibus, Roberto & Cuonone, & Reinero de Longia, Adelardo *de Montfort* & filio ejus Adelardo, Mozone de Rona & filio ejus Giſleberto, Albrico villico Stabulenſi cum filiis ſuis Albrico & Ebroino.

Actum publice in monaſterio Stabulaus anno Dominicæ incarnationis MLXXXVIII. iij. Kalend. Octobris, indictione xij. regnante HEINRICO iv. Romanorum imperatore auguſto, HEINRICO Leodienſi præſule, domno RODULFO Stabulenſi abbate, in Chriſti nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA HENRICI III. imperatoris Rodulfo abbati Stabulenſi conceſſum.

Confirmat omnes monaſterii poſſeſſiones, immunitates & commutationes, advocatorum jura limitat, & Malmundarienſium audaciam compeſcit.

Anno 1049. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Reſpectu divinæ miſerationis electus tertius HEINRICUS gratia Dei Romanorum imperator auguſtus & patritius. Quoniam comperimus auctoritate ſanctæ ſcripturæ omnem hominem de bonis exemplum accipere debere, dignum & juſtum fatemur, id magis imperialem celſitudinem ſollicitius decere ſervare: debet enim auctoritas tantæ ſublimitatis aliquando revolvere, qualiter res eccleſiarum Dei ſitæ ſint, & quæ a præcedentibus regibus vel imperatoribus in eis ſervientibus tradita ſint, & ab eis tradita vel conceſſa auctoritatis ſuæ renovare ac roborare litteris. Unde noverit numeroſitas fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum, illuſtrem virum abbatem RODULPHUM de monaſteriis Stabulaus ſive Malmundarium cognominatis, quæ utraque quondam corporaliter vivens ſanctus Remaclus ſumptu & auxilio SIGIBERTI regis infra foreſtem noſtram in ſaltu Arduennæ fabricavit & conſecravit, in quorum etiam principali, id eſt Stabulaus, corpore tenus ſibi quieſcere complacuit, nos cum monachis ſuis adiſſe, & ſcripta vitæ ipſius *agii confeſſoris* Chriſti Remacli, nec non & præcepta regum SIGIBERTI, HILDRICI, THEODERICI, qui petitione ejus & animonitione conſtructores fuerunt ipſorum locorum, & ſancita imperatorum KAROLI, LUDOVICI, trium Ottonum, ſed & ſereniſſimæ memoriæ HEINRICI imperatoris genitoris noſtri detuliſſe & poſtulaſſe noſtram celſitudinem, ut omnia appendentia, vel tradita ipſis eccleſiis, a tempore ſancti Remacli per ſuccedentia tempora, noſtræ imperialis præceptionis firmaremus auctoritate. Eſt igitur noſtra dignatione ſancitum, ut quidquid prædeceſſorum ſuorum temporibus in illis locis fuit traditum aut condonatum, ſeu quod abbati POPPONI imperator HEINRICUS, ob ſuæ animæ mercedem in Haſbanio reddidit beneficium, ſive quod a divæ memoriæ avo noſtro ipſi fuit reſtitutum a comite Herimanno, ex hærede mortuo per aliquanta tempora injuſte detentum, *Scaletin* videlicet & *Paliſiol* cum omnibus appendiciis ſuis, nec non & decimas eccleſiarum, quas prædeceſſoribus ipſius prædeceſſores noſtri imperatores dederunt, & confirmaverunt, & quidquid ad ipſa loca emit, ſextam videlicet de Amblava & Tumbis a comite GODEFRIDO de Engeis, vel quod de bono eccleſiæ concambiavit VVendengias & Corvvoroimon abbatis ſancti Maximini data villa Aſtelcburna loco concambii, ſeu quod ab HATHELINO (a) epiſcopo Bantbergenſi, & ejus præpoſito Liupoldo concambiavit prædiolum ſcilicet *Lukeſenges* pro vvendengiis & duobus manſis apud Andernaicum, & pro nova *de Buobarde*, ſine aliqua infractura maneat inconvulſum. Quoniam vero prædeceſſores noſtri reges vel imperatores ſuæ auctoritatis firmitate ipſis locis ſanciverunt, ut advocatus ipſorum monaſteriorum in cortibus ad ipſa loca reſpicientibus non præſumat manſuras aut paraturas facere, redibitiones vel freda exigere, aut placitum tenere, aut parefredos ſumere ſibi ſine permiſſu abbatis vel voluntate: Eadem & nos ipſi abbati & ejus ſucceſſoribus firmando corroboramus, bannique noſtri impoſitione ne deinceps quiſquam hæc audeat infringere vigoramus, & quidquid ſane adquiſitum reperit in quibuſlibet rebus eccleſiæ, roboratur noſtræ præceptionis auctoritate, habens emunitatem ab omni advocatorum infeſtatione. Et quoniam monachis Malmundarii conſtitutis, ſancita antiquorum regum vel imperatorum non ſuffecerunt, ſed ſub duobus

(a) Hathelinus deſideratur in ſerie epiſcoporum Bambergenſium apud Bucelinum, collocandus inter Hermannum anno 1075. a Gregorio ſeptimo exanctoratum & Rupertum qui anno MLXXXIX. præfuiſſe reperitur.

abbatibus rescindere eadem monasteria laboraverunt, quod a temporibus sancti Remacli adhuc manet inconvulsum; propter hoc, inquam, ne aliqua deinceps inter eos controversia fiat, quod evenisse temporibus domni imperatoris OTTONIS secundi constat, quodque infra annos pueritiæ nostræ per nos quorumdam non sano depravatos consilio per quinquennium & eo amplius tempore contigit evenisse, sed apud curiam nostram Leggiæ celebratam in Pascha anno videlicet MLXXI. incarnationis Dominicæ, [a] ipsi sancto Remaclo nobis præsentialiter (a) oblato causa expetendæ justitiæ, qui utrorumque cœnobiorum fundator illic per miracula, quæ Deus omnipotens per eum nobis & fidelibus nostris præsentibus dignatus est ostendere, claruit esse veracissime, quod a nobis erat discissum injuste, fatemur nos juste sibi redditum perpetualiter redintegrasse. Et ideo statuimus firmissime secundum nostrum imperiale edictum, ut sub unius abbatis regimine, sicut jugiter permansit, utrumque sit deinceps subjectum cœnobium. Et ut hæc nostræ concessionis ac renovationis atque confirmationis de omnibus his plenior habeatur auctoritas, manu propria hoc præceptum subterfirmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni HEINRICI tertii Romanorum imperatoris augusti.

HUMBERTUS cancellarius vice RUOTHARDI archicancellarii recognovi.

Data est x. Kalend. Decembris, anno ab incarnatione Domini MLXXXIX. indictione xij. anno autem domni Heinrici tertii Romanorum imperatoris augusti, regni quidem xxxvj. imperii verò vj.

Actum Magontiæ in Christi nomine feliciter. Amen.

(a) Quomodo id factum fuerit fusius descriptum habes in libello de triumpho S. Remacli, quem edidit Chapeaville ad calcem tom 2.

CARTA RODULFI ABBATIS Stabulensis.

De parte montis Sclacyns concessa Riciero canonico S. Dionysii.

Anno 1090. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam posteris quam præsentibus; quod ego RODULFUS abbas S. Petri, sanctique Remacli in Malmundario de terra quam ecclesia ejusdem S. Petri, sanctique Remacli habet in villa de *Sclacyns* partem montis secundum quod limites ibidem positi disterminant, in hæreditatem con- [b] cessi Ryciero canonico S. Dionisii. (b) Mons autem ille asper & inculcus, nulla quidem utilitate proficuus, quem ibidem Richerus considerans habilem ad excolendum, speranque saluti suæ profuturum, si quod omnibus erat infructuosum, in usum converteret multorum, tam ipsius ecclesiæ, cui locus appendet, quam suorum quoque posterorum, obtinuit apud me, ut ejusdem montis partem, ut supradictum est, in quem vellet usum excolendam susciperet de manu præpositi mei WIDERICI, & Villici mei de *Sclacyns*, scabinorum statuente judicio, & universo consentiente placito, eo videlicet pacto, ut si singulis annis in die sancti Remigii IV. solidos & j. den. solvisset, liber ab omni responsione permaneret; si vero de censu superfedisset, ij. solidos in emendatione, nisi misericordia præveniente persolveret, & sua ut prius stabiliter teneret. Eo vero hæreditario jure terram illam adquisivit atque suscepit, ut quamdiu viveret in manu sua eam teneret, post obitum vero suum decanus de sancto Dionisio quicumque foret, ut quisque succederet, eodem jure quo ipse tenuerat, obtineret, ita tamen ut quantum census est, unusquisque pro redemptione persolveret. Hæc autem traditio ut stabilior esset manu mea renovata est eidem Richero in capitolio sancti Petri, sanctique Remacli in Malmundario, assidente toto cœtu fratrum & collaudante, quam traditionem si quis violare præsumpserit, partem habeat cum Juda traditore, sitque anathema, maranatha. Quidquid verò supradictum est, ut omnimodis inconvulsum permaneret proprio sigillo confirmavi. Hujus traditionis testes sunt, Drogo decanus, Harduinus, Albertus, Bernoldus, Phannerus, Andreas, Johannes, Gondolfus, Dodo, Elbertus, WEDERICUS, Robertus, Robertus.

Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MXC. indictione XV. HEINRICO imperatore augusto, OBERTO episcopo Leodiensi.

(b) Collegiatæ scilicet ecclesiæ in civitate Leodiensi.

CARTA RIGOLDI DE ALSUNZA

De restitutione villæ Germiniaci factæ monasterio Stabulensi & confirmata in synodo Leodiensi.

Anno 1094. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus sanctæ & universalis ecclesiæ filiis præsentibus & futuris, quod ego Rigoldus de Alsunza villam sancti Remacli Stabulensis monasterii præsulis & patroni Germiniacum nomine, in episcopatu Remensi sitam, quam antecessores mei eidem sancto injuste abstulerant, invaserant, possederant, & mihi eadem possessione hæreditariam reliquerant, amicorum meorum hortatu commonitus, & maxime fratrum ejusdem loci frequenti excommunicatione territus, non solum meæ animæ, sed & animarum parentum meorum, periculum

considerans, & *noſtræ communi proſpiciens* ſaluti, eidem ſancto Remaclo reddere, recepta ab abbate & a fratribus loci advocatione, & tertia parte noſtræ decimæ, & tertium denarium de placitis, tertia etiam parte ſervitii quod muanda vocatur, cætera omnia abdicavi, & de his neque me neque aliquem meorum amplius quicquam præſumturum in fide mea promiſi, deinde me ita obſervaturum cum juramento ſolemni firmavi, deinde obſides dedi, qui ea quæ fide promiſeram vel juraveram, & ipſi ſimiliter promiſerunt & juraverunt, ea ſcilicet ratione, ut ſi, quod abſit, ego fidem vel ſacramentum violavero, aliquid extra præſcriptam conventionem præſumendo, ipſi obſides beneficia quæ ex me habent, abſque omni quod mihi debent ſervitio tamdiu teneant, donec me injuſte præſumta juſte reddere cogant, quod ſi facere nequiverint, argentum quod fratres Stabulenſes ad expediendum quod aliquantulum impeditum erat ejuſdem villæ bonum cauſa caritatis & adjutorii mihi dederunt, ſcilicet quinquaginta & unam marcas, infra terminum quadraginta dierum, idem obſides de proprio ejus reſtituant Hoc ipſi obſides, ut dictum eſt, ita ſe impleturos primo fide data promiſerunt; deinde coram legatis fratrum Poppone præpoſito & Rogero ſupra ripam Sermoys in loco qui dicitur *Karieres*, ſacramento confirmaverunt, quorum nomina hæc ſunt, Gerardus *Gerbez*, Remuindus *de Sulſinus*, Robertus, VValtherus de Condero, Alboldus *de Tanny*, Rogerus *de Sins*, Richerus *Baterans*, Albricus *Materans*, Adelelinus, VViardus filius Bliardi, teſtes vero qui huic reddition vel his conventionibus interfuerunt, hii ſunt, Godefridus *de Mazieres*, Auredus filius ejus, Godefridus *de Urciſmont*, Rodulfus de Hunhaia, VValtherus *de Halois*, & Godefridus filius ejus, Lambertus *de Bulin & Frainels* nepos ejus, Cuono *de Ham*, Theodericus de Halentina, Arnulfus *de Avenz*, Hardüinus de Gemma: Et de hominibus eccleſiæ hii ſunt teſtes, VVidericus de VVanſina, VVidericus judex, Godefridus *de VVellin*, Bertricus *de Spontin*, VValtherus *de Barniſin*, VVerizo *de Silveſtrecurt*, Reinerus filius Ermengoldi *de Oſois*, Adelardus *de Dinant*, VValtherus de Hartania, VVidericus *de Braz*, & alii plures. Acta ſunt hæc anno incarnationis Domini MCIV. indictione xij. quinto non. Julii, regnante HEINRICO iv. Romanorum imperatore auguſto, OTBERTO Leodienſi præſule, FOLMARO Stabulenſi abbate. Poſtea verò ipſo anno ego Rigoldus in feſto ſancti Remacli cum aliquibus prædictæ conventionis obſidibus Stabulaus veni, & coram ejuſdem loci abbate & tota congregatione, & HEINRICO comite & advocato, & THIEBALDO ſubadvocato, & comite CUONONE & filio

A ejus LAMBERTO, & HERIMANNO Salmancenſi comite, & fratre ejus OTTONE, & FRIDERICO comite de *Arenberg*, & coram totius cleri & nobilium, & populi multitudine frequentia, quæ præſcripta ſunt renovavi omnia, & ſuper ipſius ſancti *Remacli* corpus, cum præſentibus obſidibus juravi me cuncta obſervaturum ſine omni malo ingenio vel calliditate, ſine argumentorum fallacia. Deinde abbas cum tota congregatione clericorum qui frequenter aderant ordine, omnes hujus redditionis vel conventionis violatores, ſeu ejuſdem boni injuſtos

B invaſores excommunicavit, & æterno damnavit anathemate coram innumerabili utriuſque ſexûs multitudine: Cujus excommunicationis exemplar hic ſubnotavimus.

Ex authoritate Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus-ſancti & ſanctæ Dei genitricis virginis MARIÆ, & ſancti Michaelis archangeli, & omnium cæleſtium virtutum, & ſancti Petri apoſtolorum principis & ſancti Remacli, patroni noſtri, omniumque ſanctorum, atque ſanctorum canonum excommunicamus & anathematizamus ab introitu ſanctæ Dei eccleſiæ, & a conſortio totius chriſtianitatis omnes qui in villa Germiniaco quicquam in-

C *juſte & immaniter contra nos vel eccleſiam noſtram egerint, vel quorum conſilio & inſtinctu & adjutorio, injuſtitia, rapina, vel præda facta fuerit; ita videlicet ut ſint maledicti in domo, maledicti in agro, maledicti in omni loco in quo ſteterint vel ambulaverint, ſederint, aut jacuerint, maledicti manducando, maledicti in bibendo, maledictus cibus & potus eorum, maledicti dormiendo & vigilando, maledicta ſetra in opere eorum, maledictus labor & fructus terræ eorum, maledictus introitus & exitus eorum, maledicti a vertice capitis uſque ad plantam pedis,*

D *fiant uxores eorum viduæ & abſque liberis, percutiat eos Deus egeſtate, fame, febre, frigore, æſtu & corrupto aëre, & dentium dolore, percutiat eos amentia & cæcitate, ac furore mentis, palpent in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, perſequatur eos Dominus, donec pereant de terra, deglutiat eos terra vivos ſicut Dathan & Abyron, & deſcendant in infernum viventes, ut ſint cum Juda traditore Domini & cum Pilato & Herode, & cum cæteris malefactoribus qui in inferno ſunt, niſi reſipiſcant & eccleſiæ Dei ſatisfaciant, fiat, fiat. Quod ut inconvulſum*

E *& ratum permaneat in æternum, ſancti Remacli auctoritate ipſius & ſigilli impreſſione ſignavimus. Ego OBERTUS gratia Dei Leodienſis epiſcopus petitione domni abbatis FOLMARI & fratrum, quia meæ diœceſis ſunt, hanc cartam in ſynodo mea, ut debui, confirmavi, & hujus redditionis vel conventionis violatores, ſeu ejuſdem boni injuſtos invaſores excommunicavi, & æterno damnavi anathemate.*

CARTA FOLMARI ABBATIS Stabulensis.

Canonicos Leodienses S. Dionysii a quodam absolvit servitio.

Anno 1104. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam posteris quam præsentibus, quod ego FOLMARUS abbas sancti Petri sanctique Remacli omnibus sanctorum ecclesiis exhibens, omniumque in Christo fratrum pacem & honestatem diligens, fratres de sancto Dionysio in Leodio absolvi a quodam respectu quo videbantur obligati in villa nostra *Sclacins* pro vinea quam ibidem habent hereditario quidem iure a prædecessore meo acquisitam, sed non usquequaquam placita sibi & libera satis conditione possessam. Fundus ejusdem vineæ ad curtim nostram *Sclacins* appendebat, ibique censum persolvebat, & de manu laicali donum ejusdem hereditatis oportebat requirere, quod fratribus illis minus expeditum videbatur, nec honestum suæ ecclesiæ, licet prius etiam post datum censum liberi ab omni responsione. Itaque ego FOLMARUS gratia fraternitatis, & amore pretiosi martyris Dionysii, annuens eorum petitioni, consensu & voluntate fratrum de Malmundario, meorumque fidelium consilio, terram illam ab omni potestate & respectu supradictæ curtis, ita liberam & absolutam fratribus illis reddidi, ut deinceps in Malmundario præposito ejusdem villæ *Sclacins* censum persolvant, & de manu abbatis donum requirant & accipiant. Census autem est iv. solidorũ & j. den. quem singulis annis in festo sancti Remigii persolvent, & quantum census est tantum per defunctam manum in requisitione dabunt. Quod si de censu supersederint, duos tantum solidos in emendatione, nisi misericordia intercesserit. Si vero de utroque & de censu & emendatione supersedentes cuncti venerint ad justitiam, judicio parium coram abbate facient justitiam. Hanc autem traditionem eo libentius ita liberam fecit, quia fundus ejusdem vineæ mons fuerat asper & incultus nulla quidem utilitate proficuus, domnus frater Richerus ejusdem ecclesiæ sancti Dionysii canonicus, partem ejusdem montis secundum quod limites ibidem positi disterminant a prædecessore meo RODULFO abbate adquisitam, vineam excoluit, & quod omnibus erat infructuosum multis in usum, tam nostræ ecclesiæ quam suæ convertit, sperans hoc saluti suæ profuturum, & per nostras & per illorum orationes apud misericordem Deum. Facta est hæc traditio in Malmundario assidente fratrum & astipulante collegio. Cujus traditionis testes sunt clerici, Rodulfus, Martinus, Adelinus, Engelbertus, Gerardus, Lanfridus, presbyteri: laici, Robertus de Longia, Arnulfus, Hillinus, Godescalcus, Everardus, Evercinus. Si quis hanc traditionem violare præsumpserit, partem habeat cum Juda traditore, fiatque anathema maranata. Quidquid vero supradictum est, ut omnino inconvulsum permaneat, hanc cartam proprio sigillo confirmavi. Actum est hoc anno Dominicæ incarnationis MCIV. indictione xij. imperante HEINRICO IV. OBERTO episcopo, FOLMARO abbate.

DIPLOMA HENRICI IV. imperatoris Popponi secundo abbati Stabulensi concessum.

De restitutione villæ VVileppe, & quomodo Malmundarienses opera Annonis archiepiscopi diversum a Stabulensi abbatem habere voluerunt.

Annonis. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina gratia Romanorum imperator augustus POPPONI Stabulensis ecclesiæ abbati, cunctisque ejus successoribus. Cum universis Christi JESU ecclesiis imperialis providentiæ cura deesse non debeat, tamen secundum apostolicam institutionem, qua domesticis fidei maxime jubemur bonum impendere, eis ecclesiis auxilii nostri suffragium impendius exhibere debemus, quæ sub nostræ provisionis tuitione consistunt, & pro nostro & totius imperii statu speciali quodam studio orare non desinunt. Noverit itaque tam præsentium quam omnis posteritatis nostræ solertia, quod POPPO Stabulensis ecclesiæ abbas imperialem nostram clementiam frequenti querimonia sollicitavit, eo quod villam unam *VVileppe* ad præbendam Stabulensem & fratrum pertinentem, VVarnerus de *Kerpenne* violenter invaderet, cujus rei proclamationem, quam nos ipsi temporibus progenitoris nostri per abbatem FOLMARUM in curia Leodii ventilari audivimus, quid a domno patre nostro responsum diffinitumve sit integra veritate subterminabimus. Defuncto suavissimæ memoriæ avo nostro imperatore HEINRICO, pupillus pater noster cum totius regni administratione in tutelam domni ANNONIS Colonienſis archiepiscopi commendatus est, qui ut pote a parvulo facile impetravit (a) ut Stabulensem & Malmundariensem ecclesiam, quæ a principio constructionis suæ sub unius abbatis regimine fuerunt, disjungeret, Malmundariensis ecclesiæ prælatum Colonienſibus archiepiscopis investiendum inviolabili decreto

(a) Ut ope Annonis archiepiscopi propriũ abbatem habere possent, Malmundarienses corpus Ailulfi seu Agilolfi archiepiscopi Colonienſis quod possidebant ei concesserunt Et sic tanto seipsos thesauro privarunt, nec quod optabant obtinuerunt.

decreto ſanciret. Quæ res hoc ſolum rationis habere videbatur, quod eccleſiarum altera, id eſt Malmundarienſis, intra terminum diœceſis ſuæ inveniebatur, altera vero Leodienſis epiſcopatus fines limitabat. Poſito itaque Malmundarii abbate, cœpit utraque eccleſia cum totius regni ſcandalo pro ſuæ partis firmamento vehementer agere, utrobique perturbatis & multis diſtractis rebus eccleſiæ: ita factum eſt ut *VVilippe* quæ in epiſcopatu Colonienſi erat ad eccleſiam Stabulenſem pertinens ab illo intruſo & adulterino Malmundarienſi abbate in beneficium daretur, quod diſſidium cotidianis incrementis validius eouſque progreſſum eſt, ut & patris noſtri ætas maturior, & apertiſſima miracula, quæ per beatum Remaclum jus ſuum repoſcentem in oculis totius imperii divina majeſtas operata eſt, placato domno ANNONE archiepiſcopo, in antiquum ſtatum eccleſias revocarent. Nec longe poſt nobis, ut prædictum eſt, jam adultis, fratres cum abbate ſuo FULMARO de villa *VVilippe* proclamantes, judicio totius curiæ eam receperunt, ut quam ſine ulla infirmatione legitime poſſederunt, donec factis in regno partibus, & quibuſdam pro nobis agentibus, pro patre noſtro quibuſdam, jure regni confuſo, rurſus per vim prænominata poſſeſſione privarentur, qua tempeſtate per Dei miſericordiam ſedata, & agente nobiſcum toto imperio, habita Coloniæ curia, ſpoliati fratres rurſus proclamabant, & quia noſipſos proprium & ſingularem advocatum ipſius villæ *Vilippe* eſſe probatum eſt, juxta formam judicii a patre noſtro promulgati, redintegrato judicio univerſorum principum, fratres in prædium ſuum per ! garum noſtrum LUDOVICUM de *Hamreſtem* introduximus, & nequaquam deinceps inquietudinem pro jure ſuo patiantur, rei geſtæ ordinem teſtamento noſtro comprehendimus, & ad perpetuam firmitatem ſigillo noſtro inſigniri mandavimus.

Data Coloniæ anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo decimo. Indictione iij. per manum Alberti cancellarii.

CARTA BOSONIS VIRI NOBILIS.

De altare in eccleſia Stabulenſi erecto, ubi ipſe & ſui poſt mortem conderentur.

Anno 1118. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Sciri volo ab omnibus præſentis & futuri ſæculi hominibus, quod ego Bozo nobili ortus proſapia, & uxor mea HELVIDIS æque nobilis domnum POPPONEM abbatem & fratres Stabulenſes crebris interpellavi petitionibus, quatinus in eccleſia beati Petri, ſanctique Remacli in Stabulaus, locus ad ædificandum Deo altare aptus mihi concederetur, coram quo poſt univerſæ carnis viam, cum prædicta uxore mea & filio meo unico FRANCHONE requieſcerem. Huic meæ petitioni aſſenſu facto, altare ſub turri ædificatum, pro cujus beneficii recompenſatione ad communem fratrum uſum allodium noſtrum in *Tavernon* cum omni familia ibidem pertinente contradidi legitime in manus & per manus Engonis *de Malaz*, & Arnulfi *de Roche*, *Herel de Vilen*, & Radulfi *de Tuez*, & Arnulfi *de Bores*. Ea vero conditione dedi, ut quamdiu cum uxore viverem, fratribus pro reſpectu ejuſdem allodii ſingulis annis v. ſolidos ſolverem in ſolemnitate ſancti Remigii. Defuncto autem uno ex nobis, fratres mediam allodii partem, & dimidium familiæ ſuis uſibus aptarent, qui vero ſupereſſet pro altera parte xxx. den. ſolveret die ſuprafcripto. Defuncto itaque utroque, totum allodium fratrum arbitrio cederet, cum tota familia, ſolvente ſingulis annis ſingulos denarios, ita tamen ut octo ſolidi ad quotidianum luminare deputarentur ante præfatum altare, & pro requie animarum noſtrarum ſeu genitorum, in loco eodem noſtri memoria in quotidianis miſſarum celebrationibus haberetur. Hæres vero noſter in eodem allodio nihil præter advocatiam haberet, & eam tali modo, ut jus nullum exigeret, ſed ſi rebellio inibi quiſquam eſſet, rogatus a fratribus, judicio eamdem rebellionem compeſceret, & ſumptum tantummodo cum fratre acciperet.

Actum & ratum eſt anno ab incarnatione Domini MCXVIII. indict j. regnante HENRICO V. OTBERTO in Leodio præſule, domno POPPONE in Stabulaus abbate, coram teſtibus HEINRICO advocato, PETRO ſubadvocato, Arnulfo *Veltres*, Balduino *de Offins*, VVarnero *de Boclenville*, VVarnero *de Baſſines*, Steppone & fratre ejus Heinrico *de Maneres*, VVarnero *de Borſche*. Stephano & Adelardo *de Meanz*, Gerardo *de Tois* & hominibus eccleſiæ, Reinnero de Longia, Udone, Cuonone, Herimanno de Longia, Franchone *de Baldou*, & fratribus ejus Adelardo *de Montfort*, & Nicholao de Longia, Eurvino & Adelardo & Anſelmo de Stabulau, & multis aliis.

CARTA CUONONIS ABBATIS Stabulenſis.

De eccleſia de Braz in beneficium data, & poſtea monaſterio reſtituta.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 1124. CUONO divina gratia Stabulenſis abbas ſucceſſoribus ſuis. Quia non improvide neque inutiliter rerum geſtarum memoria ad poſteros tranſmittitur, nos utilitati & quieti fratrum noſtrorum providentes, ea quæ noſtris temporibus & per nos de eccleſia *de Braz* acta ſunt, ad notitiam ſucceſſorum

nostrorum veraci testamento destinare curavimus. Igitur ecclesia *de Braz* antiquissimo jure nostra fuit, ita ut ante tempora gloriosi principis KAROLI ecclesiæ nostræ ablata fuerit, & prædicti principis auxilio & testamento, quod adhuc penes nos est, restituta. Sed postquam Longia castellum ecclesiæ munitum est, ad custodiam ipsius data est in beneficium præfata ecclesia Albrico *de Braz*. Anno igitur ab incarnatione Domini millesimo centesimo tertio, Anselmus *de Braz* supradicti Albrici filius disponens in Hungariam ire, accepit ab altari mutuo duodecim marcas & dimidiam, ea scilicet conditione, ut si ipse reverteretur, vel aliqui filiorum suorum, qui etiam cum eo profecti sunt, reddita prænominata summa, beneficium suum reciperet. Si vero contigisset cum exulem obire, una cum masculinæ prolis heredibus, fratres eamdem ecclesiam in proprios usus retinerent, pro sua & cognatorum suorum anima. Et ut hoc ratum perseverare posset, reposuit idem beneficium in manu domni abbatis FULMARI a supradicta cognatione fratribus confirmandum, commendans custodiam Cuononi de Longia, quam in castello debebat. Affuerunt legitimi testes huic traditioni, Robertus de Longia, Cuono, Hillinus, Albricus villicus, & alii quamplures. Factum est igitur ut tam ipse, quam filii reditum suum morte prevenirent. Quod ubi per unum de fratribus nostris *Ernest* illuc missum certissime comperimus, secundum præscriptas conditiones eamdem ecclesiam pro domno abbate FULMARO in perpetuam eleemosinam accepimus, fratrum deinceps usibus serviturам, & decani nostri & fratrum arbitrio disponendam. Denique succedentibus ibi abbatibus, fratres eamdem donationem renovabant, & confirmabant, metuentes ne aliquando ecclesia in beneficium redderetur: ita reddidit eam nobis domnus abbas POPPO secundus, & domnus VVARNERUS, qui ei in regimine successit, sed ipse postea quorumdam consilio impulsus, & penuria regii servitii coactus, acceptis duodecim marcis, reddiderit in beneficio prænominatam ecclesiam Everardo *de Iziers*, ita tamen ut duodecim marcas & dimidiam, quas Anselmus mutuo acceperat, nobis restitueret. Qui Everardus, quia unam de filiabus Anselmi uxorem duxerat, quasi hereditario jure videbatur ei beneficio appropinquare. Quod factum ubi ad notitiam conventus pervenit, nullatenus potuerunt fratres adduci ut concederent, sed convocato inter se electo suo, hortantur ut ea quæ absente & ignorante conventu fecerat, irritum decerneret, quod ipse magno nisu & ingenti labore per advocatum HEINRICUM & ecclesiæ ministeriales tandem effecit, promulgato judicio, nec ullum debuisse petere, nec abbatem potuisse reddere. Igitur hoc dissidium per totum quadriennium fuit, & pene usque ad cædes & incendia exarsit, modo nostris in decimam accipientibus, modo Everardo & suis violenter remancipantibus. Amoto vero domno VVARNERO a regimine, & imposita nobis prælationis sarcina, cum nos quoque eamdem decimam fratribus confirmassemus, eadem pernicies rediviva dissensione crescebat, donec condicta die ad hanc pestem removendam, hoc tali compositione sedatum est. Decimam, quam tres libras prudentium æstimatione singulis annis valere reputatum est, pro XXX. solidis in hereditarium pactum Everardo concessimus, ita videlicet ut ex omni parte tam in tectis quam in libris & synodali jure, ipsæ ecclesiæ sine ulla querela provideret, excepto quod defuncto sacerdote, donum & vestituram ecclesiæ abbas idoneæ personæ per manum suam faceret. At vero pro eo quod ad præfatam summam accrescebat, homo abbatis effectus, custodiam in Longia castello faceret, & alter filiorum ejus qui cum pacto succederet, uxore de familia ecclesiæ accepta, vel nobili, quæ ecclesiæ sit prius legitime tradita, omne allodium & familiam quam in villa *Braz* possidebat, ecclesiæ cum traderet, & a domno abbate in hereditarium feodum reciperet, quod ipse coram subscriptis testibus, facto nobis hominio, mox complevit. Et quia filius ejus de familia comitis de *Durbuy* erat, præsente HEINRICO adhuc puero & nutricio ejus Godefrido de *Asca*, sub cujus tutela erat, & matre pueri ADOLIDE comitissa, puer Clarebaldus filius Everardi licentia a domnis suis impetrata, juravit cum patre suo se præscriptas conditiones de ecclesia nostra & allodio suo & uxore ducenda observaturum. Quod si de omni suprascripto pacto quicquam diminueret, aut violaret, vel ipsos XXX. solidos in depositione beati Remacli solvere negligeret, sciret se ecclesiam cum omnibus prædictis conditionibus amissurum.

Actum est hoc in monasterio Stabulensi, anno incarnationis Dominicæ MCXXIV. indictione secunda, HEINRICO V. imperatore regnante, domno ADELBERONE episcopo in Leodio, testes sunt HEINRICUS advocatus, & filius ejus HEINRICUS, GODEFRIDUS de Asca & comes de *Durbuy*, Heinricus adhuc puer, Bozo *de Braz*, VVesel *de Ham*, Stephanus *de Meanz*, Hezel *de Vilenz*, & Franco filius Bozonis. Homines ecclesiæ, Reinnerus, Philippus, Cuono de Longia, Adelardus judex, & Heribertus, & alii multi.

CARTA CUONONIS ABBATIS Stabulensis.

De mala consuetudine ab eo sublata.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ann. 1116.
Cuono Dei gratia Stabulensis abbas. Sicut

decet ea quæ inviolata, ſancta, bene & ordinabiliter inſtituta ſunt, in ſuo vigore conſervare, ita nihilominus convenit illa, quæ pravo uſu vitiata ſunt, in proprium ſtatum reformare. Unde noverit veſtra poſteritas, quod nos in loco noſtro quemdam pravum & omnino damnoſum uſum, imo abuſionem invenimus, quam nos conſilio eccleſiæ noſtræ & fidelium noſtrorum dato præſenti teſtamento correximus. Cum enim vetus conſuetudo eſſet, ut omnes qui intra terminos villæ Stabulaus ruralem poſſeſſionem habent, ter in anno calcem ad monaſterium deferrent, negligentiores miniſtri redemtione pro angariis receepta, duo mala operabantur, hoc eſt, & populum exactione opprimebant, & muros tam officinarum quam ambitus atrii penitus corruentes negligebant. Nos itaque huic duplici malo occurrentes, ſtatuimus & preſenti decreto inviolabiliter firmavimus, ut deinceps ruſtici ad monaſterium calcem vel lapides ad comburendum deferant, & ſi juſſi non fuerint calcem deportare, nullam prorſus immutationem aut redemtionem pro eo perſolvant, excepto quod ſi calx abundaverit, pro una carrata calcis, ſex carratas lignorum ad ædificandum, aut duas ad comburendum. Ibunt autem ter in anno, primo infra Maium menſem, ſecundo inter feſtum ſancti Johannis & ſancti Petri in fine menſis Junii, tertio inter feſtum ſancti Remacli & ſancti Remigii. Quam calcem vel lapides ad comburendum aptos de curtibus noſtris deferent, hoc eſt de Lovineis, aut *de Scorices* vel *de Fielon*, vel *de Ozon*.

Actum eſt hoc in Stabulau, anno ab incarnatione MCXXVI. indictione ij. regnante domno LOTHARIO Romanorum tertio rege, in Leodio domno ALBERONE epiſcopo, in Stabulau domno CUONONE abbate.

DIPLOMA FREDERICI archiepiſcopi Colonienſis.

De ſubjectione Malmundarienſis monaſterii & ſuperioritate Stabulenſis ſupra illud.

Incorrupt. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. FREDERICUS Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, fratribus in Stabulenſi cœnobio commanentibus æternam in Domino ſalutem. Memores ſcripturæ dicentis: *Beati pedes pacem portantes*; ſicut nos in eccleſiis noſtris bonum pacis & concordiæ conſervare ſtudemus, ita in eis & ab eis ſcandalorum & diſſidii occaſionem præcidere curamus, & ſicut noſtra in ſuo ſtatu permanere cupimus, ſic aliorum juſte habita convellere formidamus. Ea propter materiam diſſenſionis & diſceſſionis, quæ hactenus Stabulenſem & Malmundarienſem eccleſiam longa ſimultate vexavit, reſecare volentes, ſubminiſtrante nobis fratre VVIBALDO (*a*) Stabulenſis eccleſiæ magiſtro atque portario, ſupradictorum locorum fundationem, & Stabulenſis eccleſiæ privilegia diligenter relegimus, in quibus inventum eſt beatum Remaclum utriuſque loci ædificatorem, poſt conſtructum primo a ſe Malmundarium, ſuæ & ſucceſſorum ſuorum habitationis & ſepulturæ, principalem locum apud Stabulaus elegiſſe, & pro eo quod idem locus in Leodienſi parochia eſt, omnes per ſucceſſionem utriuſque loci abbates ab epiſcopo Leodienſi conſeerari debere. Ad hoc etiam accedit, quod omnia privilegia tam banni leugæ, quam electionis abbatum, & quæ de jure advocati agunt; quæ ab imperatoribus & regibus eiſdem locis multa collata ſunt, & eadem ab apoſtolicis Gregorio V. & Leone IX. apoſtolica auctoritate roborata, quibus jus ſuum utraque eccleſia tuetur, apud Stabulaus recondita ſunt; in quibus illa Stabulenſis eccleſiæ præeminet dignitas, ut pace Malmundarienſium, primam vicem in eligendo abbate Stabulenſes obtineant; & de ſeipſis idoneam perſonam ſine Malmundarienſium calumnia aſſumant. His ita ſe habentibus, perſpicuum eſt, quod eccleſia Stabulenſis principatum obtineat, Malmundarium vero ſubjectionem ei & obedientiam debeat. Quod Malmundarienſes eo uſque hactenus infirmare conati ſunt, ut tempore divæ memoriæ OTTONIS ſecundi diſſidio facto, abbatem per ſe habere vellent, quod in *Engelheim* judicio viginti epiſcoporum, ut in privilegio ſupradicti imperatoris, quod ſuper eadem re habetur, legi poteſt, caſſatum eſt. Tempore quoque domni Henrici impetatoris hujus nominis quarti per domnum archiepiſcopum ANNONEM rurſus facto divortio, abbas quidem Malmundarii ordinatus eſt, ſed per beatum Remaclum in curia regis miraculis ineſtimabilibus coruſcantem convictis omnibus qui adverſæ partis aderant, receptum eſt a Stabulenſibus Malmundarium. Nos vero ut jam dictum eſt, omnem materiam diſſenſionis & ſcandali ſecundum tenorem veritatis & rationis a præfatis locis auferre cupientes, conſtituimus, & præſenti privilegio in perpetuum firmamus, ut utrique loco unus ſemper præficiatur abbas electus ſecundum quod in ſupradictis privilegiis habetur, & ut Malmundarium eo ſubjectionis jure Stabulenſi eccleſiæ obediat, quo jure omnes cellæ vel præpoſituræ ſuis cœnobiis ſubeſſe videntur. Benedictionem monachicam & profeſſionum ſuarum cyrographa, non ut præſenti anno fecerunt, ſed potius in Stabulenſi eccleſia, excepta mortis neceſſitate, faciant & reddant, nec eis ad exemplum opitulari

(*a*) Hic eſt magnus ille VVibaldus non multo poſt factus abbas Stabulenſis, deinde Caſſinenſis, tum Corbeienſis, qui quatuor imperatoribus Henrico IV. Lothario II. Conrado II. & Friderico I. in deliciis fuit. Ipſius epiſtolas infra exhibebimus.

debet hoc aut poteſt, quod jam moto præfato diſſidio, abbas THEODERICUS quoſdam ex Malmundarienſibus Malmundarii benedixit, & profiteri fecit, ut ſcilicet per hoc fideliores & ſubjectiores ſibi faceret, quod cum non effeciſſe finis rerum indicavit, Neque vero ullus ſucceſſorum noſtrorum Colonienſium videlicet archiepiſcorum abbatem Stabulenſem de ſubjectione ſibi facienda & cura Malmundarienſis loci ſuſcipienda, ut noſtris temporibus temptatum eſt, unquam fatiget, ſed in conſecratione ſua curam utriuſque eccleſiæ ſuſcipiat. Porro quia de ordinibus & conſecrationibus Malmundarienſis loci ad noſtram parochiam pertinet, ſi abbati placuerit, ordinatos fratres Malmundarium mittere, hoc ei quia ubique inter ejuſmodi loca apud monachos fit, non negamus, aut ſi ſub titulo ejuſdem loci voluerit nobis ordinandos preſentare, eis quoque manum imponemus. Atque ut omnem ſcandalorum pravitatem præcidamus, hoc quoque ſtatuimus, ut ſi aliqua gravis cauſa vel culpa Malmundarii contigerit, nullo modo abſque Stabulenſium deliberatione, & conſenſu terminati liceat vel emendari, ſitque abbati libera poteſtas commutandorum, nutriendorum, recipiendorum, pro ut ſibi videbitur, fratrum ſuorum. Quæ omnia ut ſtabili & inconcuſſa firmitate permaneant, ſub anathematis interpoſitione decernimus, & teſtes qui in donatione hujus privilegii affuerunt ſubternotari fecimus. Arnoldus præpoſitus ſancti Petri, Hugo decanus, Bruno præpoſitus ſancti Gereonis, Arnoldus præpoſitus ſanctæ Mariæ ad gradus. RUBERTUS abbas Tuitii, GERARDUS abbas ſancti Pantaleonis, comes ADOLPHUS de *Saſſenberh*. Item Adolphus de *Berge*, Theodericus de *Gladebach* & alii multi utriuſque ordinis probatiſſimi.

Actum eſt hoc Coloniæ anno ab incarnatione Domini MCXXVIII. indictione vj. regnante domno rege Lothario iij.

DE POSSESSIONIBUS STABULENSIS monaſterii ſub S. Poppone abbate.

Anno 1130. ABbas a prima inſtitutione monaſterii numquam aliquas proprias curtes ſuo vel regni ſervitio deputatas, ſed tenebat eccleſias abbatiæ ſuis & regni neceſſitatibus ſervientes, exceptis quibuſdam quæ ad uſum fratrum pertinent. Et ſicut abbas POPPO renovator cœnobii noſtri, qui ab annis duobus [a] & octoginta (*a*) vita exceſſit, ipſe tenuit, & ſucceſſoribus ſuis tenendas reliquit, ita eccleſias & poſſeſſiones ad abbatis & regni ſervitium pertinentes annotabimus. Deinde quid abbas POPPO loci noſtri depopulator dederit aut vendiderit ſubſcribemus. Eccle-

(*a*) S. Poppo vita exceſſit anno 1048. hæc proinde inſtrumentum illud anno circiter 1130. datum eſt.

ſia de Oyſeis ſolvebat ad manum abbatis ſex libras, eccleſia de *Graiſde* iv. libras, *Olfait* ij. libras, *Oſiſines* iij. libras, *Fineval* ij. libras, *Spontin* vij. libras, *Haletin* v. libras, *Jupille* ij. libras, *Izers* iij. libras, Longia ij. libras, *Hoſeumont* x. libras, *Rochelevenges* x. libras, *Avvogne* v. libras, *Lovigneis* ij. libras, *Verviers* ij. libras, *Keren* v. libras, *Buitebach* xl. ſolidos, *Bolenges* xxx. ſolidos, in curte *VVellin* xvj libras, in curte Novæ-villæ ix. libras, in curte VValendor ix. libras, in curte Bacinga x. libras, in *Leignon* iij. libras, in *Comblenz* iij. libras, in *Seignates* ij. libras, de cenſertiis in Oſeis iij. libras, de cenſura in *Aiſlois* iij. libras, in Okeriis ij. libras, in Bra iij. libras: ſumma, cxxxiij. libræ: in *Lernau* i. carratam vini, in *Baldun* i. in *Rahieres* i. in *Chevrons* i. in Sancto-vito ij. in Tumbis iv. in VVainis i. in Amblavia ij. in Lorenceis i. in Nova-villa ij. Molendinum Malmundarii unam carratam vini. In *VVellin* xl. arietes, in *Lengun* xx. in *Olzieres* xxxviij. in *Generez* xxij. in Lovengeis xxx. in *Lernau* xxx. Manſus de Chenruus tenet bonuaria terræ xxv. manſus de *Rahieres* tenet bonuaria xxiv.

DIPLOMA LOTHARII imperatoris II. VViboldo abbati conceſſum.

Confirmat monaſterii poſſeſſiones & immunitates, abbatis electionem, advocatum unicum &c.

Anno 1131. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHARIUS tertius Dei gratia Romanorum rex. VVIBALDO Stabulenſi abbati ſuiſque ſucceſſoribus. Cum univerſis JESU CHRISTI eccleſiis regalis providentiæ cura deeſſe non debeat, tamen ſecundum apoſtolicam inſtitutionem, qua domeſticis fidei maxime debebatur bonum impendere, eis eccleſiis auxilii noſtri ſuffragium impenſius exhibere debemus, quæ ſub noſtræ proviſionis tuitione conſiſtunt, & pro noſtro & totius imperii ſtatu ſpeciali quodam ſtudio orare non deſiſtunt. Neque enim vero minoris gratiæ eſt deſtructa reformare, quam nova ædificare. Unde noverit omnium fidelium noſtrorum tam futuræ quam preſentis ætatis induſtria, quod nos cum conjuge noſtra RICHIZA, ob veneratioem beati Remacli locum Stabulaus devote adivimus, ubi a fratribus loci ejuſdem eccleſiæ jura & privilegia diligenter audivimus & relegimus. Itaque petitione & reverentia abbatis VVIBOLDI privilegia quæ illi eccleſiæ a regibus SIGIBERTO, HIDRICO, CLODOVEO, DAGOBERTO, qui conſtructores fuerunt præfati loci, data ſunt, ſive ab imperatoribus CAROLO, LUDOVICO, & tribus OTTONIBUS, CUNRADO etiam & quinque HEIN-

RICIS, & ceteris fidelibus qui eidem ecclesiæ aliqua bona contulerunt, confirmamus & roboramus. Habeant itaque monachi ejusdem loci liberam potestatem eligendi abbatem secundum regulam sancti Benedicti, & formam canonum, ita ut utraque monasteria, id est, Stabulense & Malmundariense semper sub unius abbatis regimine consistant, & quia in eorum principali, id est, Stabulaus, beatus Remaclus sepulturæ locum sibi elegit, semper apud Stabulaus electio fiat, ea præponderante ratione, ut de conventu Stabulensis ecclesiæ idonea persona, si inventa fuerit, primo assumatur. Quod si minime, quod non credimus, ex eo loco promoveri aliquis potuerit, tunc primum ex Malmundario vel ex altero loco apta persona requiratur. Quidquid hactenus quiete & inconvulse possederunt, quicquid per concambia mutaverunt, inviolabiliter eos possidere deinceps decernimus. Statuimus etiam ut unum tantum advocatum habeant, qui si secundum a se constituere voluerit, bannum a nobis accipere debebit, qui advocati in curtibus ejusdem ecclesiæ neque mansiones, neque hospitia debent habere, & in omnibus placitis abbatis nec adesse, nec aliquod jus exigere debent, non precarias facere; non palefredos fumere, non freda, non paratutas, non redibitiones exposcere nullam prorsus exactionem facere. Sed si ab abbate ob necessariam causam fuerint invitati, in eis duntaxat causis, quas abbati correxerint, tertiam partem accipient, neque in his rebus quas eadem ecclesia adhuc acquiret, aliud quam prædictum est jus unquam obtineant. Hoc quoque in eodem loco abjudicari fecimus, & presenti privilegio inviolabiliter sancimus. ne jure hereditario villici vel judices fiant, sed utrumque ministerium, id est villicaturæ & juvveria in potestate abbatis & gratia consistat, & eis jure & lege ministeriorum & non jure beneficiorum diem & legem abbatis constituat. Omnia vero beneficia quæ abbas POPPO secundus dedit, lege sempiterna damnamus, & irrita esse juxta prædecessoris nostri imperatoris HEINRICI sententiam decernimus. Villam Turnines quæ ad mensam fratrum pertinet, quam eis GODEFRIDUS comes Namurcensis injuste abstulit, quamque judicio curiæ in manu imperatoris HEINRICI refutavit, jure perpetuo fratribus confirmamus, & villam Vilippam juxta privilegium ejusdem imperatoris, quam VVARNERUS de Kerpenne injuste invaserat, fratribus æterna firmitate restituimus. Terminos banni leugæ juxta decreta omnium antecessorum nostrorum regum videlicet & imperatorum confirmamus, & banni nostri interpositione munimus. Et ut omnia rata & inconvulsa permaneant, & presenti privilegio firmavimus, & sigilli nostri impressione consigniri fecimus.

Signum domni LOTHARII tertii Dei gratia Romanorum regis invictissimi.

THYETMARUS ad vicem ADELBERTI archicancellarii recognovi.

Data Stabulaus idus Aprilis, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo primo, indictione nona, anno sexto regni domni LOTHARII tertii Romanorum regis serenissimi feliciter. Amen.

CARTA VVIBOLDI ABBATIS Stabulensis.

De rebus ab eo gestis & emendatis in curte Andernaci.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. VVIBALDUS Dei gratia Stabulensis abbas successoribus suis. Quoniam oportet nos, sicut promisimus, dispersa congregare, & congregata conservare, nos in rebus ecclesiæ nostræ nimium neglectis & dilapsis proposuimus Dei miseratione studium restaurandi cum omni sollicitudine impendere. Quapropter notum esse volumus tam posteris quam presentibus, quod in curte nostra Andernaci, possessiones nostræ per infideles ministros multum minoratæ fuerunt, partim ab ipsis oppignoratæ, partim pro vilioribus commutatæ. Nos igitur cum fidelibus ecclesiæ illuc venientes, recensitis possessionibus, & hominum censu connumerato, invenimus quam plurima contra utilitatem ecclesiæ nostræ, præter consensum nostrum & prædecessorum nostrorum confirmationem esse alienata. Quæ omnia injuste ordinata nos rationabiliter irrita esse decrevimus, promulgato tam hominum nostrorum quam scabinorum ejusdem curtis juxta canonicam formam judicio, ut nulla commutatio vel alienatio rerum ecclesiasticarum rata esset, nisi quam consensus fratrum & legitima abbatis donatio, cum advocati astipulatione dato testamento confirmaret; ita quibusdam receptis, habito cum fidelibus nostris consilio, commutationem de curte, quam vulgo mansionem vel censum dicunt, quæ ad indominicaturam nostrã pertinebat, quæ facta est cum quodam Adelberto æque pro sua curte & vinea quæ quatuor amas vini solvere potest, concessimus & confirmavimus, ita ut retenta prorsus nobis vinea, curtem quæ in concambium accepta erat, quidam ex familia *Nicheiz* nomine, quam in ea ædificaverat, quiete possideret, & per singulos annos xx. denarios census pro ea solveret. Quædam etiam curtis nostra quæ est in *Lodenesdorp* commutata erat cum quodam Heinrico pro curte sua, quæ est in Andernaco, & pro vinea quæ ferre potest tres amas vini, & retenta vinea concessimus eidem *Nichoz* ipsam curtem pro xx. denariis census, quos itidem prius solvebat nostra curtis.

Anno 113.

Actum est hoc in curte & domo nostra Andernaci, anno ab incarnatione Domini MCXXXII. indictione decima, regnante domno LOTHARIO tertio Romanorum rege, domno ALBERONE Trevirensi archiepiscopo. Hujus rei testes sunt, Hillinus præpositus, Ebroinus præpositus, Albricus, VVarnerus, monachi: Ex laicis, VVidericus Albus, Hillinus de *Alriniunt*, Arnulfus de *Osnes*, Godefridus de *Cittene*. De scabinis, Folbertus, Siboldus, Borchardus, Bezelinus & alii multi.

A nam in sæpedictis ecclesiis intruserit, offensam Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli & sancti Remacli in tremendo judicii die incurrat.

Actum est Stabulaus anno Dominicæ incarnationis MCXXXIII. regnante domno LOTHARIO tertio Romanorum rege, ALEXANDRO in Leodio præsule. Testes de fratribus sunt, VVarnerus decanus, Rodulfus custos, Heribrandus cellerarius, Hozelo cantor: De laïcis vero, Nicolaus de Longia, Adelardus frater ejus, VVidericus de Villa, VVidericus Albus, VVidericus Niger, Anselmus villicus & alii multi.

WIBOLDI ABBATIS CONSTITUTIO. B

De ecclesiarum Longiæ & montis Rainheri investitura a laica manu non accipienda.

ANNO 1133. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. WIBOLDUS divina misericordia Stabulensis abbas Heribrando de Longia & successoribus suis. Utiliter satis ac provide rerum gestarum ordo ad notitiam futurorum scripto transmittitur, ne per ignorantiam legi..... permutetur. Unde noverit omnis nostra posteritas, quod tu tam tibi quam successoribus tuis ecclesiam quæ est in villa Longiæ, & eam quæ est in monte sancti C Rainheri ab antecessoribus nostris domno videlicet CUONONE abbate, & domno JOHANNE abbate jure feodi obtinueras, pro supplemento beneficii, quod pro eo habes, & semper & jugiter in castello nostro Longia maneas, ita videlicet ut quotienscumque supradictæ ecclesiæ defunctis sacerdotibus vacarent, tu manu tua ipsas ecclesias dares, & personam ad investituram altaris per te conduceres. Verum nostro tempore, defuncto fratre Roberto presbytero, qui easdem ecclesias habuerat, nos nullis precibus, nullo consilio.....potuimus ut ecclesiarum possessionem a laïco dari concederemus, sed quia te tamquam virum bonum ac fidelem multum diligimus, & tam heredes tuos, quam te, in mansione castelli nostri conservare voluimus, ex consilio fratrum nostrorum & hominum ecclesiæ utilitati & honori tuo aliter providere curavimus. Concessimus enim tibi, & presenti scripto jure perpetuo firmavimus, ut tuum sit vacantibus præfatis ecclesiis personam idoneam & canonicam nobis vel successoribus nostris ad investiendum præsentare, nec liceat aliquando nobis vel alicui abbatum personam, quæ a te vel heredibus tuis exhi- E bita fuerit, aliqua conditione vel exactione gravare, aut retardare; sed sine ulla pactione eidem personæ prænominatas ecclesias a sua manu dent, & sactamento fidelitatis accepto, ad donum altaris suis litteris ac testibus conducant. Quod si quis constitutionem nostram aliquando labefactare & violare temptaverit, & te invito aliquam perso-

CARTA STABULENSIUM monachorum.

Villam Bovianicum, in qua tempore persecutionis Danorum latuerat S. Remacli corpus, ad nihilum redactam, VViboldo abbati restaurandam concedunt.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ANNO 1131. Fratres Stabulenses cœnobii tam futuris quam presentibus. Sicut ad prælatorum discretionem pertinet subditorum necessitatibus studiose ac viriliter subservire, ita nihilominus condecet subditos prælatorum honestæ & utili voluntati assensum sine mora præbere. Tuæ igitur religiosæ petitioni, pater VVIBOLDE abbas, de villa nostra Boviniaco, quæ ad vestiarium nostrum pertinet, satisfacimus, ut quia tempore persecutionis Danorum, sanctum & venerabile corpus sancti patris & patroni nostri Remacli in eadem villa quiete latuit, quæ nunc in solitudinem redacta & absque habitatore facta est, tu sicut universa, quæ ad recolendam sancti patris nostri memoriam pertinent, singulari desiderio & honore foves D & amplecteris, sic eamdem villam ob honorem ejusdem sancti patris nostri restaurare & reædificare disponis. Concedimus igitur tibi ptæfatam villam cum omnibus suis appendiciis, acquisitis vel acquirendis, ut omni tempore vitæ tuæ in omni statu vel ordine apud nos sive alias positus, pace vel adversitate tua, eam secundum tuam propriam utilitatem libere ordines & disponas, & fructu ipsius pro voluntate tua utaris, hac conditione interposita, ut eamdem villam tibi non liceat oppignorare, vel feodo, vel commuratione aliqua sine nostra communi astipulatione possis alienare. Post obitum vero tuum ipsa villa cum omni augmento & melioratione sua, cum omni fructu & presenti & futuro ad nostrum vestiarium, sicut & antea fuit, sine ulla abbatum contradictione revertetur. Et ut firma & inconvulsa stabilisque hæc pactio queat permanere, in communi nostro capitulo omnium consensu per volumen regulæ beati Benedicti ma-

nu domni VVarneri decani, ipſam villam tibi dedimus, & præſenti ſcripto confirmamus, & ſtarum conditionum violatores in tremendo Dei judicio terribili anathemate condemnamus.

Acta ſunt hæc Stabulaus in capitulo, anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto, indictione xiv.

DIPLOMA VVIBOLDI ABBATIS Stabulenſis pro Azone abbate de Monte-publico.

Eccleſiam de Heran ei ſub annuo cenſu concedit.

Anno 36. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. VVIBOLDUS Dei miſericordia Stabulenſis eccleſiæ abbas, dilecto fratri & religioſo [a] coabbati ſuo AZONI (a) de Monte-publico in Leodio, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum. Si villicus ille evangelicus ore Domini de mammona iniquitatis laudatus eſt, qui fraudem feciſſe viſus eſt, & multo magis nos quibus Deus eccleſiæ ſuæ diſpenſationem credidit, & de fidelium oblationibus pietatis opera exercere poſſumus, ad veræ laudis *nomen & retributionem* tendere debemus. Ideirco his & ſimilibus exemplis commonitus, ſi qua ex rebus eccleſiæ noſtræ indigentibus eccleſiis ſine damno ſine diminutione poſſeſſionum noſtratum impartiri poſſumus, promta voluntate & hilari manu facere volumus. Quapropter, venerande frater, concedimus *tibi*, & per te tuis ſucceſſoribus, in perpetuum eccleſiam de *Heran* pro lx. & quinque ſolidis Leodienſium denariorum ſingulis annis in eccleſia noſtra ſolvendis, cujus ſummæ medietatem in nativitate S. Johannis Baptiſtæ infra octavas, alteram vero in natali S. Lamberti infra octavas perſolves. Ea ſane conditione, ut ſicut tu præſentialiter more ceterorum inveſtiendorum in noſtro, id eſt in Stabulenſi capitulo, donum & inveſtituram ejuſdem eccleſiæ de manu noſtra accepiſti, & nobis ſive eccleſiæ noſtræ ſacramentum fidelitatis juraſti; ita loci cui ſuccedentes ſibi proviſores nobis ſive noſtris ſucceſſoribus idem facientes, eamdem eccleſiam jure & conſuetudine noſtræ eccleſiæ accipiant. Statutum eſt etiam communi totius capituli aſſenſu, ut ab hodierna die & deinceps ſucceſſores tui in ſuo introitu electo præſentis cartæ in præſentia fratrum privilegio, præfatæ eccleſiæ donum ſub præſcripta conditione & pacto, nulla interpoſita exactione, vel pretio, ſive munere ſuſcipiant; eâ cum ratione, ut exinde omnem conſuetudinem ceterorum inveſtitorum nobis ſive noſtris ſucceſſoribus tam in judiciis A ſuper pares ſuos promovendis, quam in provincialibus ſynodis nobiſcum adeundis exſolvant. Conceſſimus quoque tibi ut ejuſdem eccleſiæ fructum, prout utilius potes, uſibus & commodo fratrum tuorum aptes, ſalvo tamen in omnibus epiſcopali jure. Tu etiam & ſucceſſores tui quæcumque ad epiſcopalem ſive ſynodalem juſtitiam, vel ſervitium, vel uſus eccleſiæ pertinent, ſine noſtro ſupplemento exſolves. Ceterum ſi quid de præſcriptis conditionibus per te vel per tuos turbatum, vel immutatum, vel irritum fuerit, vel ſi prænominatam pecuniam conſtitutis diebus ſolvere neglexeris, poſtquam a nobis per noſtros clericos inveſtitos uſque tertio commonitus fueris, niſi ex jure & juſtitia neglectum corrigere & legibus componere volueris, eccleſia & omni ejus beneficio ſine omni recuperatione carebis. Verum utcumque res ſe ſe futuris temporibus mutent, cum nos tibi hanc eccleſiam, ut prætaxatum eſt, conceſſimus, duæ portiones decimationis ad veſtiarium fratrum noſtrorum pertinebunt, tertia ad præbendam preſbyteri ejus eccleſiæ.

Actum eſt hoc anno ſub incarnatione Domini MCXXXVI. indictione xiv. in præſentia domni VVIBOLDI abbatis anno ordinationis ſuæ ſexto, regnante domno LOTHARIO tertio Romanorum imperatore auguſto, ALBERONE electo in Leodio. Teſtes ſunt de fratribus VVarnerus prior, Arnulfus præpoſitus, Elleboldus cellerarius, Cono camerarius, & omnis ejuſdem loci congregatio. De laïcis vero Anſelmus villicus & frater ejus Adelardus, Albricus & frater ejus Condricus, Ebroinus, Erchempertus, Franco de *Francorchamp*, & alii eccleſiæ multi filii.

DIPLOMA LOTHARII imperatoris VVIboldo abbati conceſſum.

Monaſterium ſub ſua ſuſcipit protectione, omniaque illius privilegia confirmat.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHARIUS Dei gratia Romanorum imperator auguſtus. VVIBALDO Stabulenſi abbati, ſuiſque ſucceſſoribus. Cum univerſis JESU-CHRISTI eccleſiis imperialis providentiæ cura deeſſe non debeat, tamen ſecundum apoſtolicam inſtitutionem, qua domeſticis fidei maxime jubemur bonum impendere, eis eccleſiis auxilii noſtri ſuffragium impenſius exhibere debemus, quæ ſub noſtræ proviſionis tuitione conſiſtunt, & pro noſtro & totius imperii ſtatu ſpeciali quodam ſtudio orare non deſiſtunt. Neque vero minoris gratiæ eſt conſtructa reformare quam nova ædificare. Unde noverit omnium fidelium noſtrorum tam futuræ quam preſentis ætatis induſtria, quod nos, vene- Anno 1136.

(a) Azo abbas fuit monaſterii S. Egidii in Monte-publico extra civitatem Leodium, ordinis canonicorum regularium S. Auguſtini, quod monaſterium fundatorem primarium habuit Beringerum abbatem S. Laurentii, ut conſtat ex VVibaldi abbatis epiſtolis infra edendis.

rande abba VVibalde, fidelitatis tuæ conſ- A tantiam & labores, quos nobiſcum in adminiſtratione imperii noſtri perfers, penſantes eccleſiam tuam in omnibus defenſare, & privilegiis imperialibus munire decrevimus. Quæcunque igitur eccleſiæ tuæ, id eſt Stabulenſi a regibus SIGIBERTO, HIDRICO, CLODOVEO, DAGOBERTO, ſeu ceteris qui conſtructores fuerunt præfati loci, data ſunt, ſive ab imperatoribus CAROLO, LUDOVICO, & tribus OTTONIBUS, CUONRADO etiam & quinque HEINRICIS, & ceteris fidelibus, qui eidem eccleſiæ aliqua bona contulerunt, confirmamus & corroboramus. Habeant ita- B que monachi ejuſdem loci liberam poteſtatem eligendi abbatem ſecundum regulam S. Benedicti, & formam canonum, ita ut utraque monaſteria, id eſt, Stabulaus & Malmundarium, ſemper ſub unius abbatis regimine conſiſtant. Et quia in eorum principali, id eſt Stabulaus, beatus Remaclus ſepulturæ locum ſibi elegit, ſemper apud Stabulaus electio fiat, ea præponderante ratione, ut de conventu Stabulenſis eccleſiæ, idonea perſona, ſi inventa fuerit, primo aſſumatur. Quod ſi minime, quod non credimus, ex eo loco promoveri aliquis potuerit, tunc primum ex Malmundarienſi, vel ex alieno lo- C co apta perſona requiratur. Quidquid hactenus quiete & inconvulſe poſſederunt, quidquid per concambia mutaverunt, immobiliter eos poſſidere decernimus. Statuimus etiam ut unum tantum advocatum habeant, qui ſi ſecundum a ſe inſtituere voluerit, bannum a nobis accipere debebit. Qui advocati in curtibus ejuſdem eccleſiæ neque manſiones, neque hoſpitia debent habere, & in omnibus placitis abbatis, nec adeſſe, nec aliquod jus exigere debent, nec precarias facere, nec paraveredos ſumere, nec freda, nec paraturas, nec redibitiones expoſcere, nullam prorſus exactionem facere: Sed ſi D ab abbate ob neceſſariam cauſam fuerint invitati, in eis dumtaxat cauſis, quas abbati correxerint, tertiam partem accipient, neque in his rebus quas eadem eccleſia adhuc acquiret, aliud quam prædictum eſt jus numquam obtineant. Hoc etiam ſecundum antiquam conſtitutionem confirmamus, ut abbates nullam expeditionem, nullum exercitum, nulla arma, nullam pro eis redemtionem, vel commeatum umquam nobis vel miſſis noſtris exhibeant. Sed advocatus, qui a nobis & ab ipſo abbate beneficium propter hoc ipſum habet, ſine ſupplemento abbatis E vel omnium ſuorum diligenter exſolvat, hoc quoque in eodem loco abjudicari fecimus, & præſenti privilegio inviolabiliter ſancimus, ne jure hereditario villici vel judices fiant, ſed utrumque miniſterium, id eſt, villicaturæ & juvveriæ, in poteſtate abbatis & gratia conſiſtat, & eis jure & lege miniſteriorum, & non jure beneficiorum diem & legem abbates conſtituant. Omnia vero beneficia quæ abbas POPPO ſecundus dedit lege ſempiterna damnamus & irrita eſſe, juxta prædeceſſoris noſtri imperatoris HEINRICI ſententiam, decernimus. Villam *Turnines*, quæ ad menſam fratrum pertinet, quam eis GODEFRIDUS comes Namurcenſis injuſte abſtulit, quamque judicio curiæ in manu imperatoris HEINRICI refutavit, jure proprio fratribus confirmamus, & villam Vilippam juxta privilegium ejuſdem imperatoris, quam VVarnerus *de Kerpene* injuſte invaſerat, fratribus æterna firmitate reſtituimus. Terminos banni leugæ, juxta decreta omnium anteceſſorum noſtrorum regum videlicet ac imperatorum, confirmamus, & banni noſtri interpoſitione munimus. Quidquid eadem eccleſia acquiſivit, vel juſte acquiret, ſcilicet villas, caſtella, prædia, manſos, mancipia, thelonea, pontatica, itus vel reditus, & omnia prorſus publica & regia vectigalia, ſicut hactenus tenuit, ita deinceps ſine ulla refragatione vel inquietatione firmiter poſſidere imperiali auctoritate ſancimus. Et ut omnia rata & inconvulſa permaneant, & privilegio præſenti firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri fecimus.

Signum domni LOTHARII tertii Romanorum imperatoris invictiſſimi. C

Ego EBENURDUS vice UDERIPI Uruloenſis recognovi.

Data anno Dominicæ incarnationis MCXXXVI. XVJ. Kalen. Septembris. Indictione XIV. anno vero regni regis Lotharii ſecundo, imperii tertio.

Actum *VVerzeborch* in Chriſti nomine feliciter. Amen.

DIPLOMA LOTHARII II. imperatoris aureis caracteribus exaratum bullaque aurea inſignitum.

In gratiam VVibaldi abbatis, cujus fidelitatem & ſervitia laudat, omnes Stabulenſis monaſterii immunitates & poſſeſſiones confirmat, electionemque abbatis ex monaſterio Stabulenſi præ Malmundario, ſi dignus reperiatur, aſſumendi, jura advocatorum & eorum officia aliaque determinat.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHARIUS Dei gratia Romanorum imperator auguſtus, VVIBALDO Stabulenſi abbati ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Cum omnium Dei eccleſiarum paci ac quieti & utilitatibus noſtra imperialis ſollicitudo ac potentia conſulere debeat, tum maxime benignitatis & curæ noſtræ ſtudium circa eas eccleſias invigilare oportere credimus, quæ ad imperium noſtrum pertinent, &, ut ita dictum ſit, noſtro imperio cohærent, quæ etiam jugi & aſſiduo orationum ſuffragio nos & imperium noſtrum adjuvant, & in temporalibus Anno 1131

poralibus imperii administrationibus nostros & labores & expensas fideliter supportant. Quocirca Stabulense monasterium a prædecessoribus nostris regibus & imperatoribus nobiliter constructum, & magnis possessionibus ampliatum, multisque privilegiis magnifice honoratum, & libertate singulari donatum, cum tamquam nostrum proprium arctius diligamus, & in omnibus juste opitulari velimus, præcipue tamen personam domni ac venerabilis abbatis VVIBALDI, qui eidem cœnobio regulariter præest, præcipuo amore ac familiaritate nostra dignam judicamus, cujus fides & devotio circa stabilitatem & honorem imperii nostri in hac Italica expeditione manifeste satis enituit, qui post multos labores & pericula, quæ pro nobis & nobiscum in administratione nostri imperii in Apulia fideliter pertulit, nobis redeuntibus in monasterio Cassinensi a fratribus ejusdem loci & universo populo violenta & admirabili prorsus electione in abbatem raptus, & ad honorem & firmitatem nostri imperii remanens, nostram celsitudinem petiit, ut Stabulense monasterium, cujus curam ipse non deposuerat, & res ad ipsum pertinentes nostro imperiali privilegio munire & confirmare dignaremur. Cujus petitioni piæ & rationabili facilem assensum præbentes, jamdictum Stabulense monasterium cum Malmundario & omnibus prorsus appenditiis, secundum instituta & præcepta regum SICIBERTI, DAGOBERTI, THEODERICI, CHILDERICI & aliorum, necnon imperatorum CAROLI, LUDOUVICI, & trium OTTONUM, CONRARDI quoque, & HEINRICORUM quinque, in nostram tutelam suscepimus; ita videlicet ut numquam liceat alicui regum vel imperatorum eamdem abbatiam cum omni integritate & advocatia omnium possessionum ejus ullo alienationis modo scindere a regno, vel alium ei dominum imponere, vel alicui in beneficium aut in concambium dare, sed semper ad nostram nostrorumque successorum manum & servitium inconvulsa stabilitate permaneat, & libertate sibi collata pacifice potiatur, nullum teloneum, nullum pontaticum, nullum transitum vel exitum, nullum denique publicum terra aquave vectigal, aut pensionem monachi sive ipsorum homines in nullo regni nostri loco persolvant, terminos banni leugæ secundum quod in antiquioribus privilegiis nominati & inscripti sunt, cum omni immunitate & comitatu suo, sicut hactenus eadem ecclesia possedit, ita per succedentia tempora immobiliter obtineat.

Sancimus etiam prædecessorum nostrorum more, ut Malmundarium cum omnibus suis pertinentiis a Stabulensi numquam divellatur aut separetur monasterio, secundum quod jam tertio tentatum est, sed judicio principum legitime cassatum, & imperatoriis privilegiis finaliter est decisum. Defunctо igitur per successionem abbate, monachi utriusque loci Stabulaus in capitolium concorditer veniant, habeantque liberrimam facultatem secundum sancti Benedicti regulam eligendi sibi abbatem, ea tamen præponderante ratione, ut quia beatus Remaclus utriusque ecclesiæ constructor & primus abbas, Stabulaus quiescere, & locum illum Malmundario, sua sepultura & ordinatione abbatum præferre voluit, Stabulenses primam vocem in electione obtineant, & de Stabulensi conventu, si digna fuerit inventa persona, abbatem eligant. quod si nulla ibidem idonea persona, quod fieri posse non credimus, inventa fuerit, potius a Malmundariensi conventu, quam ab extraneis abbas eligatur. Ceterum si inter se nullam ad hoc officium personam aptam invenerint, liceat eis libere de alio quocumque regulari loco sine contradictione alicujus abbatem eligere, & a nobis vel successore nostro regni more investitum, a Leodiensi episcopo, cui nullum servitii genus, vel hospitium, seu prandium debet, consecrationem & monachorum suorum ordinationem sine precio aut ulla exactione accipere. Advocatum a nostra manu accipiat, qui nobis exercitum & expeditionem, & quæ ad ipsam pertinent pro summa & debito sui beneficii faciat, abbate, & suis omnibus super hoc quiescente, & nullam pro hoc nobis aut ipsi advocato redemtionem aut supplementum præstante. Qui advocatus si secundum a se advocatum ordinare voluerit, ille secundus bannum a nostra manu accipere debebit. Plures autem advocatos in ejusdem abbatiæ curtibus fieri nostro imperiali banno perpetua censura interdicimus. Qui advocatus in curtibus & villis nullum hospitium, nullum placitum, nullam prorsus exactionem debet habere, non freda, non redibitiones exigere, non precarias vel incisuras facere, non palefridos tollere, sed omnium rerum & culparum potestas & ordinatio, justitia & utilitas penes abbatem & monachos, & eos quos ipsi ordinaverint libere tota consistat. Ubi vero abbas cum suis ad justitiam faciendam non sufficerit, si advocatus petitione abbatis, quia aliter numquam debet, venerit, tertiam portionem de his, quæ ex illa duntaxat justitia accrescent, habebit. Castellum Longiæ cum toto montis corpore & utriusque vallibus & comitatu, ad indominicatam abbatis manum & potestatem & ordinationem, cum omnibus beneficiis & casatis, qui ad custodiam ipsius castelli pertinent, semper spectare & pertinere decernimus, nec in ipso castello, aut in possessionibus ad ipsum pertinentibus, aliquam habitationem vel potestatem advocatum habere permittimus. Quidquid eadem ecclesia munificentia regum aut imperatorum vel religiosorum Christianorum largitione obtinuit, tam in fundis quam ecclesiis, capellis, decimationibus,

& omnibus eorum appenditiis, & commoditatibus, ſicut hactenus poſſedit, ſive illa quæ deinceps juſtis modis obtinere potuerit, parva vel magna, ubicunque locorum fuerint, ſub noſtræ tuitionis poteſtate immobiliter ei confirmamus, & maxime poſſeſſionem quam Aquiſgrani eadem habet eccleſia, id eſt, domum indominicatam, & capellam indominicatam & liberam, & domos triginta in una parte viæ, viginti quinque per ordinem & ſine interruptione poſitas, ſcilicet a domo illa quæ fuit Cameracenſis epiſcopi uſque ad foſſatum in ea parte qua itur ad pontem Harduini, & in alia parte viæ ante præfatam capellam ſanctæ Aldegundis quinque domos, & ſex bonuarios terræ ibidem circumquaque jacentes, & ſeptem bonuarios in villa quæ dicitur *Vals*, & unum manſum in monte Hillini. Quæ omnia cum ſuis uſibus & ſervitiis & cenſu libere ad Stabulenſem eccleſiam pertinere ſtatuimus, nec liceat alicui noſtrorum mariſcalcorum vel principum in præſcriptis domibus, nolente Stabulenſi abbate, hoſpitium aut ullum ſervitium habere. Et quia inter noſtros & eccleſiæ Stabulenſis miniſteriales, de ſervitio quod Stabulenſis annuatim debet eccleſiæ, non conveniebat, dicentibus noſtris per ſingulas fruges eccleſiam qualecumque debere ſervitium, fidelibus vero eccleſiæ econtra dicentibus ſeptimo anno plenum & regale ſervitium debere, nos prædicti abbatis VVIBALDI meritis, ejuſque petitioni, cui contraire non poſſumus, in perpetuum concedimus & confirmamus, ut tam ipſe quam ſui ſucceſſores viginti marcas aut viginti marcharum ſervitium ſingulis annis, ſi Aquiſgrani venerimus, nobis aut noſtris ſucceſſoribus perſolvat. Quod ſi vel Stabulaus vel in villas ad ipſum monaſterium pertinentes nos aut ſucceſſores noſtros venire contigerit, aut triginta marcas aut triginta marcarum ſervitium exolvet, nuſquam vero niſi aut in domibus ipſius cœnobii aut Aquiſgrani præfatum ſervitium aut ſervitii redemtionem nobis vel ſucceſſoribus noſtris præſtabit. Et quotienſcumque nobis ſerviét de ſingulis clericis ſuis, qui matrices eccleſias tenent, quinque ſolidos, & a ſingulis villicis ſuis quinque ſolidos, & per ſingulos manſus eccleſiæ duodecim denarios accipiet, nullis manſis pro alicujus beneficio vel pacto ſive pignore, ſeu ſervitio ab hac penſione immunibus. Et ut hoc ratum inconvulſumque in omnia tempora maneat, hoc præceptum & propria manu ſignavimus, & aurea bulla inſigniri fecimus: Teſtes etiam qui adfuerunt ſubter annotari fecimus. ALBERO Treverenſis archiepiſcopus, CUONRARDUS Madeburgenſis archiepiſcopus, MEINGOLDUS Merſeburgenſis epiſcopus, ALBERO Baſilienſis epiſcopus, ALBERO Leodienſis epiſcopus, ANDREAS Trajectenſis epiſcopus, ANSELMUS Halvelbergenſis epiſcopus, HEINRICUS Tullenſis epiſcopus, CUONRADUS abbas Vuldenſis, HENRICUS dux Bavariæ & marchio Tuſſiæ, CUONRADUS marchio de VVitin, MEINFRIDUS marchio, FREDERICUS marchio de Aniona, & frater ejus VVARNERUS, comes LANDULFUS, BUCCA Vitelli, comes POPPO, comes ADULPHUS, & alii multi barones Romani Imperii.

Signum domni LOTHARII tertii (*a*) Romanorum imperatoris invictiſſimi. [a]

Ego ETHARDUS vice HEINRICI Ratiſponenſis epiſcopi & archicancellarii recognovi.

Ego Engelbertus monachus vice BERTULFI notarii ſcripſi.

Data anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, indictione prima, decimo kalend. Octobris. Anno vero regni regis Lotharii tredecimo, imperii quinto.

Actum Aquini in Campania, in Chriſti nomine feliciter, Amen.

CARTA VVIBOLDI ABBATIS Stabulenſis.

Decimas de Femala Leodienſi ſancti Martini eccleſiæ concedit.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 1138.
I VVIBOLDUS Dei gratia Stabulenſis abbas ſucceſſoribus ſuis. Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, quod anno ordinationis noſtræ viij. quidam VValtherus nomine, portionem poſſeſſionis & decimationis, quam in eccleſia de *Female* habebat, in manus noſtras reddidit: quam nos communi fratrum conſilio & laicorum noſtrorum, jure hereditario poſſidendam fratribus eccleſiæ beati Martini in Leodio conceſſimus, eo pacto, ut ſingulis annis duos denarios pro reſpectu ejuſdem poſſeſſionis perſolvant.

Actum eſt hoc anno Dominicæ incarnationis MCXXXVIII. indictione prima, regnante domno CUONRADO II. Romanorum rege, ALBERONE II. in Leodio præſule. Teſtes de fratribus ſunt, VVarnerus decanus, Ebroinus, Robertus, Cuono, cum omni ejuſdem eccleſiæ conventu. De laicis vero, Anſelmus villicus Stabulenſis, Ebroinus, Gundricus, Heinricus de Valle, Franco de *Francorchamp*, Godefridus *de Beves*, & alii multi eccleſiæ filii.

(*a*) Et ſi ſecundus proprie hoc nomine imperator fuerit Lotharius, tertium nihilominus ſe nominat; quia tertius ex regibus Alemannis Lotharii nomine inſignitis, ipſe ad imperium fuit aſſumtus, id quod in multis aliis cartis obſervatum deprehendimus: tametſi ſecundus Lotharius rex dumtaxat, numquam vero imperator extitit.

DIPLOMA CONRADI II. imperatoris.

In gratiam VViboldi abbatis omnia monasterii privilegia, sed præcipue Lotharii bullam auream confirmat.

Anno 1138. IN nomine sanctæ & invididuæ Trinitatis. CONRADUS divina favente clementia. Romanorum rex. Cum omnium Dei ecclesiarum paci ac quieti & utilitatibus nostra regia sollicitudo, ac potentia consulere debeat, tum maxime benignitatis & curæ nostræ studium circa eas ecclesias invigilare oportere credimus, quæ ad regnum nostrum pertinent, & ut ita dictum sit, nostro regno cohærent, quæ etiam jugi & assiduo orationum suffragio, nos & regnum nostrum adjuvant, & in temporalibus regni administrationibus nostros & labores & expensas fideliter supportant. Stabulense itaque monasterium a prædecessoribus nostris regibus & imperatoribus nobiliter constructum, & magnis possessionibus ampliatum, multisque privilegiis magnifice honoratum & libertate singulari donatum, cum tamquam nostrum proprium arctius diligamus, & in omnibus juste opitulari velimus, præcipue tamen personam domni ac venerabilis abbatis VVIBALDI, qui eidem cœnobio regulariter præest, præcipuo amore ac familiaritate nostra dignam judicamus; cujus fides & devotio circa stabilitatem & honorem regni nostri, & in expeditione Italica sub prædecessore nostro imperatore Lothario, & in nostra ad regiam gloriam ordinatione, satis enituit. Ejusdem itaque abbatis petitione, cui nihil justum negare volumus, jam dictum Stabulense monasterium, cum omnibus suis appenditiis, secundum instituta regum, SIGIBERTI, DAGOBERTI, CLODOVEI, & aliorum, necnon imperatorum KAROLI, LUDOVICI, & trium OTTONUM, ac divæ recordationis CONRADI imperatoris abavi nostri, & trium HENRICORUM, in nostram tutelam suscipimus: ita videlicet ut numquam liceat alicui regum vel imperatorum eamdem abbatiam cum omni integritate, & advocatiam omnium possessionum ejus, ullo alienationis modo scindere a regno, vel alium ei dominum imponere, vel alicui in beneficium aut in concambium dare, sed semper ad nostram nostrorumque successorum manum & servitium inconvulsa stabilitate permaneat, & libertate sibi collata pacifice potiatur. Nullum theloneum, nullum pontaticum, nullum transitum & exitum, nullum denique publicum terra aquave vectigal, aut pensionem, monachi sive ipsorum homines in nullo regni nostri loco persolvant. Terminos banni leugæ, secundum quod in antiquioribus privilegiis nominati & inscripti sunt, ne

Nota.

A cum omni immunitate & comitatu suo, sicut hactenus eadem ecclesia possedit, ita per succedentia tempora immobiliter obtineat. Sancimus etiam prædecessorum nostrorum more, ut Malmundarium cum omnibus suis pertinentiis, a Stabulensi monasterio numquam divellatur, aut separetur, quod jam tertio tentatum est, sed judicio principum legitime cassatum; & imperatoriis privilegiis finaliter est decisum. Defuncto igitur per successionem abbate, monachi utriusque loci Stabulaus in capitolium concorditer conveniant, habeantque liberrimam facultatem, secundum sancti Benedicti regulam, eligendi sibi abbatem, ea tamen præponderante ratione, ut quia beatus Remaclus utriusque ecclesiæ constructor, & primus abbas, Stabulaus quiescere, & locum illum Malmundario sua sepultura præfere voluit, Stabulenses primam vocem in electione obtineant, & de Stabulensi conventu, si digna fuerit inventa persona, abbatem eligant, quod si nulla ibidem persona, quod fieri posse non credimus, inventa fuerit, potius a Malmundariensi conventu, quam ab extraneis abbas eligatur. Ceterum, si inter se nullam ad hoc officium personam aptam invenerint, liceat eis libere de alio quocumque regulari loco, sine contradictione alicujus, abbatem eligere, & a nobis vel successore nostro regni more investitum, a Leodiensi episcopo, cui nullum servitii genus debet, consecrationem & monachorum suorum ordinationem accipere. Advocatum a nostra manu accipiat, qui nobis expeditionem, & quæ ad ipsam pertinet, pro summa & debito sui beneficii faciat, abbate & suis omnibus super hoc quiescente, & nullam pro hoc nobis aut advocato redemptionem aut supplementum præstante. Qui advocatus, si secundum a se advocatum ordinare voluerit, bannum a nostra manu accipere debebit. Plures autem advocatos in ejusdem abbatiæ curtibus fieri nostro regio banno perpetua censura interdicimus. Qui advocatus, in curtibus & villis nullum hospitium, nullum placitum, nullam prorsus exactionem debet habere, non freda, non redibitiones exigere, non palafridos tollere, sed omnium rerum & culparum potestas, & ordinatio, justitia & utilitas penes abbatem & monachos, & eos quos ipsi ordinaverint, libere tota consistat. Ubi vero abbas cum suis ad justitiam faciendam non sufficerit, si advocatus petitione abbatis, quia aliter numquam debet, venerit, tertiam portionem de his quæ ex illa dumtaxat justitia accrescent, habebit. Castellum Longiæ cum toto montis corpore, & utrisque vallibus, ad indominicatam abbatis manum & potestatem & ordinationem cum omnibus beneficiis & casatis, qui ad custodiam ipsius castelli pertinent, semper spectare & pertinere decernimus; in cujus valle mercatum &

publicas nundinas, datis ad vendendum chirotecis noſtris, autoritate regia inſtituimus. Quidquid eadem eccleſia munificentia regum aut imperatorum, vel religioſorum chriſtianorum largitione obtinuit, tam in fundis quam eccleſiis, & omnibus eorum appenditiis & commoditatibus, ſicut hactenus poſſedit, ſive illa quæ deinceps juſtis modis obtinere potuerit, parva vel magna, ubicumque locorum fuerint, ſub noſtræ tuitionis poteſtate immobiliter ei confirmamus, & præcipue villam *Tornines*, quam a divæ memoriæ imperatore OTTONE præfatæ eccleſiæ redditam GODEFRIDUS Namurcenſis comes invaſerat, ſed a ſupradicto abbate in curia noſtra Coloniæ ſuper hoc proclamatus, judicio principum noſtrorum, & præcipue Salicorum, in manus noſtras reddidit & refutavit, noſque in manu abbatis per præſentis privilegii paginam ad uſus fratrum delegavimus. Villam quoque Vilippam tempore avunculi noſtri piæ recordationis imperatoris HEINRICI injuſte ablatam ſupradicto monaſterio reddimus. Villam *Sprimont* cum eccleſia, & decimationibus, & terris ad ipſam eccleſiam pertinentibus, ſicut dux FREDERICUS pro anima ſua eccleſiæ tradidit, in perpetuum confirmamus. Quidquid prædeceſſor noſter imperator LOTHARIUS prænominato fideli ſuo & noſtro, abbati in monte Caſſino ad honorem regni remanenti, per auream bullam conceſſit, nos quoque ſtabiliter ei concedimus & confirmamus. Et ut hoc ratum, inconvulſumque in omnia tempora permaneat, hoc præceptum ſigilli noſtri impreſſione & propriæ manus inſignivimus; teſtes quoque qui adfuerunt ſubter annotari fecimus, quorum nomina ſunt hæc, THEDEUVINUS ſanctæ Rufinæ cardinalis-epiſcopus, & apoſtolicæ ſedis legatus, ARNOLDUS Colonienſis archiepiſcopus, ALBERO Trevirenſis archiepiſcopus, ALBERO Leodienſis epiſcopus, ANDREAS Trajectenſis epiſcopus, EMBRICO VVerceburgenſis epiſcopus, VVARNERUS Monaſterienſis epiſcopus, UDO Oſenburgenſis epiſcopus, NICHOLAUS Cameracenſis epiſcopus, VVALERANNUS dux, HEINRICUS filius ejus, VVILHELMUS comes Palatinus, Godefridus de Aſcha qui judicium fecit de *Tornines* †. Godefridus de la Rotza, Heinricus frater ejus, Theodericus judex Aquenſis.

Signum CONRADI ſecundi Romanorum regis invictiſſimi.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice ſumni cancellarii Maguntini ſcripſi & ſubſcripſi.

Anno Dominicæ incarnationis MCXXXVIII. indictione prima.

Datum Coloniæ tertio idus Aprilis.

CARTA VVIBOLDI ABBATIS.

De reſtauratione Caſtelli, & tranſlatione villæ Longiæ.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. VVIBOLDUS Dei miſeratione Stabulenſis abbas indignus, ſuis ſucceſſoribus, cunctiſque Stabulenſis cœnobii fidelibus tam futuris quam præſentibus. Miſericordiæ & miſerationum Dei quæ a ſæculo ſunt reminiſcentes, & pro gratia nobis collata Deum in omnibus ſuis beneficiis magnificantes, mirabilem eum laudamus & prædicamus, qui nos humiles & indignos ad Stabulenſis cœnobii regimen promovit, & intra ipſius monaſterii domum inveſtitura regia per bonæ memoriæ domnum imperatorem Romanorum LOTHARIUM tertium, & ſacerdotali benedictione per domnum ALEXANDRUM Leodienſem epiſcopum ad abbatiæ prælationem provexit. Horum igitur & omnium in eadem eccleſia collatorum nobis divinitus recolentes beneficiorum, honori loci & utilitati tam futuræ quam præſenti pro noſtra capacitate & facultate diligenter invigilavimus, ſed impediente malitia temporis, & frequentibus regiis ſervitiis, laboribuſque, & expenſis aſſidue occupati & fatigati, quantum deſideravimus, ad operis efficaciam minime perducere valuimus. Caſtellum Longiæ, quod ad tuitionem totius terræ noſtræ ab anteceſſoribus noſtris, viris utique prudentibus & religioſis ædificatum eſt, & neceſſariis cuſtodibus ac vigiliis, datiſque multis & magnis poſſeſſionibus diligenter ordinatum, quoniam fere totum collapſum erat, & raris inhabitatoribus incolebatur, & creſcentibus ſuper terram malis, & infidelitate hominum, de proditione timebatur, communi fratrum & hominum noſtrorum conſilio, quamvis opibus impares, totum tamen montis corpus ædificare aggreſſi ſumus, partim nova inſtaurando, partim vetera reſarciendo. In ea itaque montis parte, quæ ad aquilonem reſpicit, noſtris propriis expenſis turrim novam ædificavimus, datis pro annuo beneficio c. ſolidis, dedimus eam ad ſervandum Nicholao miniſteriali noſtro tamquam noſtram propriam, nullo prorſus feodo obligatam, accepto ab ipſo per ſacramentum & obſides ſufficienti ſecuritate, quod ad noſtram voluntatem & juſſionem ſine dolo & fraude nobis eamdem turrim redderet, nec contra noſtram & ſucceſſorum noſtrorum regulariter ordinatorum voluntatem, eam aliquando retineret. Hoc quoque in eiſdem conditionibus firmatum eſt, ut heres ipſius aut proheres qui in eodem beneficio & cuſtodia illi ſuccederet, de propria familia eccleſiæ eſſet, nec alterius conditionis vir aut mulier ad cuſtodiendam

Annorjt.

domum illam jure aliquo hereditatis accederet. Verum quoniam ſolitudo quædam erat circa caſtellum & ædificia, hæc ad neceſſarium ornatum, & munitionem, & comeatum victualium non ſufficiebant, & quia villa quæ Longia dicebatur, juxta rivi fluentum longe diſperſa, & a caſtello remota omnium injuriis patebat, viſum nobis eſt, eamdem villam ſub caſtello in valle orientem verſus collocare, ſicque nundinis & foro inſtituto, caſtellum decore, munitione, cuſtodia, neceſſariis comeatibus adjuvare. Ceterum tota villa hominibus noſtris aut hereditate aut allodio competebat, comitatu tantum & banno ad nos pertinente, ſed & partem montis, & totam vallem, quæ nunc ædificata eſt, hereditaria poſſeſſione ſuam eſſe dicebant, unde non modico labore, & aliquibus expenſis, omnibus expeditis obſtaculis, vallem cum toto montis corpore ab omnium dominatione & reclamatione abſolutam & liberam, ad noſtram & ſucceſſorum noſtrorum manum recepimus, ſicque dimenſa fori platea, quæ trecentos fere pedes habet in longitudine, & pluſquam ſexaginta in latitudine, poſitiſque quatuor limitibus, reliquum montis & vallis ad habitandum apte diſtribuimus, impetrata emiſſione habitatoribus, ut cum licentia dominorum ſuorum tranſmigrarent. Quæ omnia privilegio domni noſtri inclyti & victorioſiſſimi Romanorum regis CUONRADI ſecundi confirmari Coloniæ in curia fecimus, acceptiſque pro initiandis banno regio in foro nundinis ad vendendum ſuis chirotecis. Et ut majori frequentia locus idem ſemper incoleretur, dedimus habitatoribus omnem terram, quam vel domibus, & aliis ædificiis, vel hortis, ſeu aliquo culturæ modo occuparent in æternam proprietatem, ut nullum inde cenſum, nullum ſervitium, nullam prorſus juſtitiam alicui hominum perſolvant, ſed libere poſſideant, utantur, fruantur, vendant & commutent, nullo contradicente, & quicquam pro hoc exigente. Quicumque de noſtris hominibus qui ad altare principale, vel ad alia eccleſiarum noſtrarum altaria, vel ad curtes noſtras quæ nondum feodo obligatæ ſunt, & ad nos quocumque modo pertinent, ibidem habitaverit, liber erit, id eſt, neque ullum cenſum, aut redemtionem, nullam pro defuncta manu juſtitiam vel ſummam, ſi uxorem ad aliam eccleſiam pertinentem habuerit, exolvet; nullum glandaticum, nullum theloneum, aut tranſitum, aut precariam, vel paratam nobis aut alicui advocato aut vice-comiti ſeu miſſo regio dabit, ſed omni libertate potiatur. Verumtamen ſi ſervus alicujus in eodem loco habitare voluerit, omnes conſuetudines & juſtitias ſuas ei dabit, & quaſcumque poſſeſſiones ..... exceptis duntaxat præſcriptis manſis, omnem ei ..... ſine contradictione exhibebit. Nobis autem & ſucceſſoribus noſtris ..... & regulariter ordinatis, hæc tantummodo ſervitia facient, hoſpitia nobis & noſtris præſtabunt, domus in quibus hoſpites non erunt ..... nobis præſtabunt, qui vero carnes aut panem, ſeu cerviſiam vendent, credent nobis xij. denarios, & venditor vini v. ſolidos, ultra quos nobis credere ex juſtitia non habebunt. Ad nullum prorſus ..... niſi pro his quæ ad comitatum pertinent, & pro rixa publica ..... pro dolo & fraude & falſitate in menſuris & ponderibus manifeſte ..... pro injuſtitia alicui proclamanti illata, pro pecunia alicui repoſcenti negata. Quarum omnium culparum compoſitio lxx. ſolidorum erit, exceptis duabus ..... nulli ſucceſſorum noſtrorum liceat eamdem villam in feodum dare, aut oppignorare, aut commutare, aut ullo modo alienare, vel alias conſuetudines, ſine conſenſu fratrum & miniſterialium noſtrorum, & ipſorum habitatorum imponere. Quod ſi quis facere præſumſerit, cujuſcumque ſit ordinis aut dignitatis, anathema ſit.

Actum eſt publice in monaſterio Stabulenſi nonis Junii, die dedicationis eccleſiæ, & interpoſito noſtro & omnium fratrum noſtrorum multorumque qui ad idem feſtum convenerant, ſacerdotum anathemate, confirmatum anno Dominicæ incarnationis MCXXXVIII. qui eſt primus ordinationis domni CUONRADI II. Romanorum regis invictiſſimi, indictione prima. VVALERANO duce Lotharingiæ quæ eſt Moſellanorum, GODEFRIDO DE RUPE advocato Stabulenſi, Friderico de Aſca ſubadvocato, qui & ipſi confirmaverunt, anno noſtræ ordinationis viij. Et ut hoc verius credatur, & per ſuccedentia tempora ratum inconvulſumque teneatur, hanc eamdem cartam noſtro proprio & communi eccleſiæ ſigillo inſigniri fecimus, & fratrum noſtrorum nomina ſubter annotavimus. Signum domni VVIBOLDI abbatis. Signum VVarneri decani, Sign. Ebroini, Sign. Roberti, Sign. Cuononis, Sign. Engonis, Sign. Emmonis, Sign. Anſelmi, Sign. VVarneri, Sign. Giſleberti. Teſtes ſunt de familia eccleſiæ, Nicholaus de Longia, & Adelardus frater ejus, Reinerus & Heribrandus de Longia caſtellani, Adelardus & VVidericus de Ville, VVidericus Albus & VVidericus Niger de Rona, Balduinus de Loregeis, Arnulfus & Nicolaus de *Holdrichamp*, Anſelmus villicus Stabulenſis, Ebroinus, Gundricus, Erchenbertus, Erleboldus, & alii multi eccleſiæ filii.

DIPLOMA ALBERONIS EPISCOPI Leodienſis.

De poſſeſſione Turnines auctoritate pontificia & regia Stabulenſi monaſterio reſtituta.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. ALBERO divina præordinante clementia Anno 1139.

Leodiensis ecclesiæ episcopus licet indignus, dilecto fratri VVIBOLDO Stabulensis ecclesiæ venerabili abbati, suisque successoribus in perpetuum. Officii nostri sollicitudo desiderat, ut loquentes veritatem cum proximo nostro, non agamus dolum in lingua nostra, sed quæ vidimus & audivimus, hoc sine ullius acceptione personæ testemur. Quocirca calamitati & laboribus Stabulensis ecclesiæ paterno affectu plurimum compatientes, quæ de possessione sua *Turnines* nobis præsentibus & pro facultate nostra collaborantibus, egerit præsenti scripto nostro ad posterorum nostrorum memoriam transmittere curavimus. Igitur cum Stabulensis ecclesia, ex privilegio divæ memoriæ imperatoris OTTONIS primi, haberet ne villa *Turnines* eidem monasterio jure antiquo pertinens, ullius prorsus auctoritate personæ in beneficium dari posset, sed victui & quotidianis expensis Stabulensium fratrum perpetuo deserviret, cumque reclamante fratrum conventu præfata villa contra sacrorum canonum instituta, concessione quorumdam abbatum de præbenda fratrum ablata esset, domnus VVIBALDUS abbas Stabulensis avunculum nostrum Namucensem comitem GODEFRIDUM qui eamdem villam injuste habebat, in curia domni nostri CUONRADI secundi sereniſſimi Romanorum regis proclamavit, & prænominatam villam judicio curiæ recepit. Aliquanto vero plus tempore germanus noster EUSTACHIUS Leodii advocatus sæpefatam villam *Turnines* per vim occupavit, hoc scilicet rationis prætendens, quod VVigerus de VVoronna, cujus filiam uxorem duxerat, a prædicto avunculo nostro Namucense comite, eamdem villam in beneficium acceperat. Verumtamen nos evidentis justitiæ ratione commoti, tum ex admonitione reverentissimi patris nostri papæ INNOCENTII, & jussione piissimi regis nostri CUONRADI secundi, annitentibus sedulo pro Stabulensi ecclesia domno metropolitano ARNOLDO sanctæ Colonienſis ecclesiæ archiepiscopo, necnon ALBERONE Trevirensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, non pepercimus carni & sanguini, sed cousque fratrem nostrum ecclesiastica auctoritate coegimus, ut villam *Turnines* cum omnibus inde ablatis Stabulensi monasterio restitueret, facta insuper coram nobis promissione, quod de eodem bono nullam deinceps violentiam inferret. Quod nos episcopali banno nostro firmavimus, & petitione fratrum nostrorum majoris ecclesiæ canonicorum per præsentem paginam memoriæ longiori commendavimus. Huic rei interfuerunt prælati & canonici majoris ecclesiæ, FRIDERICUS præpositus & archidiaconus, Elbertus archidiaconus & præpositus ecclesiæ sancti Martini, Dodo archidiaconus & præpositus sancti Bartholomei, Reinerus archidiaconus & præpositus sancti Pauli, Alexander archidiaconus & custos, Johannes archidiaconus & præpositus in *Ecbe*, Reinzo decanus & abbas civitatis, ELBERTUS abbas sancti Jacobi, VVAZELINUS abbas sancti Laurentii, GISLEBERTUS abbas sancti Hugberti, THEODERICUS abbas VValciodorensis, WALTHERUS Florensis abbas: interfuit etiam confrater noster ALBERO Virdunensis episcopus, & ODO abbas sancti Remigii Remensis: nobiles & liberi homines, comes LAMBERTUS, Heinricus du Rupe, Ebaldus de *Florines*, VVilhelmus de Cimaco, Stephanus de *Meanz*, Gozuinus de Falconismonte, & alii multi.

Actum est hoc publice Leodii in capitolio sanctæ Mariæ sanctique Lamberti, anno Dominicæ incarnationis MCXXXIX. indictione iij. regante domno CUONRADO secundo, anno regni ejus ij. ordinationis autem nostræ iij. *(a)* [a]

DIPLOMA CONRADI II. imperatoris VVibaldo abbati concessum.

Varia Stabulensis monasterii privilegia confirmat.

Anno 1140

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CUONRADUS secundus divina favente clementia Romanorum rex. Si fidelium nostrorum justas & honestas petitiones clementer exaudimus, & Dei omnipotentis gratiam, qui pauperem facit & ditat, humiliat & sublimat, nobis conciliamus, & fidelium nostrorum benivolentiam, & devotionem circa nos vehementius excitamus. Proinde notum facimus omnibus fidelibus Christi & nostris, videlicet tam futuris quam præsentibus, qualiter fidelis & carissimus noster venerabilis abbas Stabulensis ecclesiæ VVIBALDUS, cujus studium & labor jampridem in nostro & regni servitio fideliter enituit, nostram præsentiam lachrymabiliter adiit, conquerens inter alias molestias, quas in relevanda ecclesia sua, quæ diu multumque corruerat, patiebatur, hoc sibi plurimum nocere, quod ministeriales sui, curtium suarum ministeria, id est, judiciarias, & villicationes per feodum & hereditario jure vellent obtinere. Unde fiebat ut ordinatio abbatis & præpositorum inefficax esset, & coloni ecclesiæ ad inopiam redigerentur. Communi itaque principum nostrorum & generalis curiæ nostræ, quæ Leodii celebrabatur, consilio, obtentu etiam ejusdem venerabilis abbatis VVIBALDI, judicari fecimus, quod nullus judex, qui vulgo scultetus dicitur, nullus villicus qui vulgariter major vocatur, ministerium suum diutius habere & retinere

(a) Similem cartam eadem continentem dederunt Fredericus Leodiensis ecclesiæ præpositus, Reinzo decanus, & totum capitulum: quam proinde edere supervacaneum ducimus.

valeat, nisi quamdiu cum gratia abbatis deservire queat, sed quotienscumque jussus fuerit reddere, sine contradictione reddat, nec filius post obitum patris per hereditatem repetat, sane ut a nobis, itemque a prædecessoribus nostris sæpefatum est, hoc perpetua stabilitate Stabulensi ecclesiæ concedimus & confirmamus, ut nullo unquam tempore eadem abbatia in beneficium aut concambium alicui omnino personæ donetur, sed in defensione & ordinatione & mundiburgio regum vel imperatorum semper consistens, propria & antiqua libertate potiatur, nulli mortalium servitium aut subjectionem nisi nobis, nostrisque successoribus regibus videlicet vel imperatoribus umquam præstitura. Habeant autem monachi liberam facúltatem eligendi quemcumque voluerint abbatem secundum regulam sancti Benedicti, ita videlicet ut monachis Malmundariensibus in capitolium Stabulaus convenientibus, Stabulenses primam in consilio & electione vocem & auctoritatem obtineant, & ex Stabulensi conventu, si digna fuerit inventa persona, principaliter & sine contradictione Malmundariensium, eligant. Hoc quoque immobilitet statuimus, ut Malmundarium nunquam a Stabulaus separetur, sed sicut a principio factum est, subjectum velut suo majori Malmundarium, ab uno abbate inseparabiliter regatur. Et quoniam advocatorum violenta rapacitas multis datis indiciis ac privilegiis, vix exerceri potest, Stabulensi ecclesiæ stabili firmitate concedimus & præcipimus, ut advocatus in curtibus ejusdem ecclesiæ, sive in ministerialibus, vel in tota familia, nullam justitiam, nullum placitum, nullum hospitium, nullam precariam, nullam prorsus exactionem vel servitium habeat, sed omnis justitia, omnes lites, omnis causarum & placitorum utilitas ad abbatem, & ubi ipse voluerit, pertineat. Si vero per se abbas, aut per suos aliquid corrigere non potuerit, ad invitationem abbatis advocatus sine mora vel contradictione veniat, & tertiam partem de his, quæ ex illa dumtaxat justitia accreverit, accipiat. Advocatus expeditionem & arma pro summa & debito sui beneficii nobis successoribusque nostris procuret, abbate & ministerialibus & tota familia, atque omnibus ejusdem ecclesiæ possessionibus super hoc liberis, & nullum nobis vel advocato supplementum præstantibus. Hoc quoque quod prædecessor noster imperator LOTHARIUS tertius de servitio Stabulensis ecclesiæ diffinivit, & per auream bullam confirmavit, nos immobiliter statuimus, ut nusquam locorum nisi Aquisgrani servitium solvat, ubi post singulas messes, si illuc venerimus, viginti marcas argenti, vel viginti marcarum servitium exhibere debebit. Porro in ipsis ministeriis vel in villis ad monasterium pertinentibus xxx. marcas aut xxx. marcarum servitium præstabit. Cum autem serviet abbas, unaquæque matrix ecclesia, quæ sui juris & ordinationis est, solvet quinque solidos, & unusquisque mansus duodecim denarios ejus monetæ quæ in comitatu illo datur, ubi possessiones sitæ sunt, nullis ecclesiis, nullis mansis, pro aliquo pacto aut beneficio, aut vadimonio, ab hac pensione immunibus: non enim regni servitium aliquo alienationis modo obligari vel retardari potest aut debet. Castellum Longiæ cum oppido, quod idem venerabilis abbas VVIBALDUS sub monte construxit, ad abbatis ditionem & potestatem in perpetuum pertinere decernimus: ita videlicet, ut advocatus nullam justitiam, vel potestatem, sive mansionem illic habeat, nec liceat ulli abbatum inde quidquam in beneficio, vel concambio, vel præstaria, vel pignore, alicui mortalium concedere. Terminos banni leugæ, sicut in antiquis privilegiis continentur, rata possessione confirmamus, ut nullus dux aut marchio, nullus comes aut vice-comes, nulla sæcularis vel ecclesiastica magna parvave persona, in eis aliquam potestatem vel justitiam sive judicium exerceat, nulla persona quæ ibidem habitet, alium quam abbatem dominum habeat, nec pro imparibus nuptiis, aut pro sanguinis effusione, vel pro defuncta manu, alii nisi abbati respondeat. Possessiones quas proximis decem annis quiete possedit, cum omni sua integritate & usu præfatæ Stabulensi ecclesiæ confirmamus. Et ut hoc ratum inconvulsumque per omnia tempora maneat, præceptum hoc conscribi, & sigillo nostro insigniri præcepimus, manuque propria, ut infra apparet, corroboravimus. Huic etiam nostræ confirmationi testes idoneos adhibuimus, quorum nomina hæc sunt, ADELBERTUS Maguntinus archiepiscopus, ALBERO Trevirensis archiepiscopus apostolicæ sedis legatus, ALBERO Leodiensis episcopus, STEPHANUS Metensis episcopus, SIGEFRIDUS Spirensis episcopus, Bucco VVormacensis episcopus, EMBRICO VVirceburgensis episcopus, UDO Cicensis episcopus, BERNARDUS Pathelbrunnensis episcopus, UDO Osnabrugensis episcopus, FRIDERICUS Suevorum dux & Alsatiæ, ADELBERTUS dux Saxoniæ, GODEFRIDUS dux Lovaniensis, VVILHELMUS comes Palatinus, HERMANNUS marchio, TIBALDUS marchio de *Voborch*, GEBEHARDUS comes de *Sulcebach*, HEINRICUS comes Namucensis.

Signum domni CUONRADI secundi Romanorum regis invictissimi.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice ADELBERTI Moguntini archiepiscopi & archicancellarii recognovi.

Anno Dominicæ incarnationis MCXL. indictione tertia, regnante CUONRADO Romanorum rege secundo, anno vero regni ejus secundo. Data VVormaciæ V. idus Februarii in Christo feliciter. Amen.

DIPLOMA ARNOLDI archiepiſcopi Colonienſis VViboldo abbati conceſſum.

Decimas novalium in villa Bullinga ei & ſuis ſucceſſoribus in generali ſynodo concedit.

Anno 1140. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. ARNOLDUS Dei miſeratione ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus VVIBALDO Stabulenſi abbati, ſuiſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Sicut in eccleſia Dei ipſius vocatione ac miſericordia ſuperiorem locum obtinere cernimur, ita fratrum noſtrorum & pauperum curam propenſius gerere debemus, quatinus ea quæ juſto ordinata ſunt, in ſuo ſtatu conſerventur, quæ vero aliqua ex parte labefactata fuerint, in antiquæ dignitatis robur, Deo auctore, reformentur. Quo circa noverit omnium fidelium Dei tam futurorum quam præſentium induſtria, quod venerabilis filius noſter VVIBALDUS Stabulenſis abbas, in ſynodum generalem, quam Deo præſtante Coloniæ celebravimus, veniens, conqueſtus eſt nobis, quod in villa nomine Bullinga, cujus eccleſia ad ipſum pertinet, coloni omiſſis agris, ſilvam ſtirpare, & ex ea uberes fructus capere jamdudum cepiſſent, & quamvis ejus utilitatis quæ ex paſtu porcorum in eadem ſilva colligatur decimatio, ad ipſum abbatem ſine ullius contradictione pertineat, annonæ tamen decimatio ad eccleſiam Bullingam & abbatem pertinebat, eorumdem novalium decimatio quantacumque eſſet, jure ad prædictam eccleſiam & abbatem pertineret. Quod ut per omnia tempora ab omnibus conſervetur, dedimus tibi, reverende abba VVIBALDE, & per te tuis ſucceſſoribus in perpetuum, juſto judicio decimationem omnium quæ ex novalibus præſcriptæ ſilvæ provenerint, ut eam tuis tuorumque monachorum uſibus totam coaptes, ac legitime poſſideas, ita videlicet ut nullo alienationis modo, alicui umquam perſonæ per te vel per tuos ſucceſſores obligetur, ſed neceſſitatibus Deo famulantium jugiter deſerviat. Decimas etiam, quæ eccleſiæ tuæ a prædeceſſore noſtro felicis memoriæ HERIBERTO archiepiſcopo collatæ & confirmatæ ſunt, præſentis auctoritate paginæ eccleſiæ tuæ, tibi & ſucceſſoribus tuis confirmamus. Si quis ſane contra hanc noſtram conſtitutionem ſciens agere præſumſerit, ſi commonitus errorem ſuum cito non correxerit, terribilem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli indignationem, & noſtram atque ſucceſſorum noſtrorum cum maledictione excommunicationem incurrat. Teſtes ſunt qui affuerunt, ARNOLDUS majoris eccleſiæ præpoſitus, VValtherus decanus, Gerardus, Bonnenſis præpoſitus & archidiaconus, Herimannus Sanctenſis præpoſitus & archidiaconus, Bruno præpoſitus de ſancto Gereone, Thiebaldus præpoſitus ſancti Severini, VVilelmus præpoſitus de ſancta Maria ad gradus, ejuſdem decaniæ decanus, Berno præpoſitus de ſancto Cuniberto, Theodericus præpoſitus de ſanctis apoſtolis, Beringerus præpoſitus de ſancto Andrea, Fredericus præpoſitus de ſancto Georgio, GERARDUS abbas (a) de ſancto Pantaleone, RODULFUS abbas (b) Tuitienſis, AMELIUS abbas (c) Brunvvillarienſis, THEODERICUS abbas de (d) Campis, Fulcoldus decanus de ſancto Cuniberto, Robertus decanus de ſancto Gereone, Fulcuinus decanus de ſancta Maria ad gradus, Obertus magiſter ſcholarum eccleſiæ ſancti Petri, Johannes ſecundus magiſter in eadem eccleſia, Godinus ſcholaſticus de ſancto Gereone, Berengerus ſcolaſticus de ſancta Maria ad gradus.

Actum eſt Coloniæ publice in majori eccleſia anno Dominicæ incarnationis MCXL, indictione tertia, regnante CUONRADO Romanorum rege ſecundo, regni ſui tertio.

DIPLOMA ARNOLDI archiepiſcopi Colonienſis VViboldo abbati conceſſum.

De auctoritate & poteſtate abbatis Stabulenſis in Malmundarienſes monachos.

Anno 1140. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. ARNOLDUS divina præordinante clementia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, dilecto filio & fratri VVIBALDO Stabulenſis eccleſiæ venerabili abbati, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Sicut eccleſia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitaris ardore alienas invadere non oportet. Et quia ſcriptum eſt: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* nos ad pacem eccleſiarum reformandam & conſervandam paſtoralis curæ ſollicitudo ammonet. Itaque, cariſſime nobis frater abba VVIBALDE, ſecundum ſcriptum felicis memoriæ anteceſſoris noſtri FREDERICI archiepiſcopi, quod prædeceſſori tuo CUONONI abbati collatum eſt, illam veterem diſſenſionis materiam, quæ diu multumque cœnobium tuum, Stabulenſe videlicet, cui, Deo auctore, regulariter præes, & Malmundarienſe monaſterium, quod eidem a prima fundatione conjunctum eſt, vexavit, radicitus reſecare volentes, conſtituimus & ſacra pontificali auctoritate confirmamus, ut Malmundarium, quod in noſtra quidem parochia ſitum eſt, numquam

(a) Ordinis S. Benedicti in ipſa civitate Colonienſi.
(b) Ordinis item S. Benedicti extra civitatem ad alteram Rheni ripam.
(c) Ordinis S. Benedicti, quod monaſterium duabus a Colonia horis diſtat.
(d) Ordinis Ciſtercienſis & plurium in Germania monaſteriorum patris.

a Stabulenſi

a Stabulenſi cœnobio ſeparetur, ſed ab uno A ſemper abbate ſine cujuſlibet perſonæ contradictione regatur, & una ſemper abbatia & ſit & nominetur. Defuncto vero per ſucceſſionem abbate, & eo, ubi vivens ordinaverit ſepulto, utriuſque loci monachi Stabulaus in capitolium conveniant, & cum libera eligendi facultate omnium prælibato aſſenſu & connivencia, ſumma electionis auctoritas & prima vox penes Stabulenſes habeatur, & de eádem eccleſia perſona idonea, ſi inventa fuerit, aſſumatur, hoc enim & apoſtolicæ ſedis privilegia, & imperatorum ac regum plurima præcepta eccleſiæ B Stabulenſi conceſſa declarant. Sic igitur electum abbatem Leodienſis epiſcopus ad quem pertinet ſine noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum contradictione, benedicat, & ei curam animarum ex more injungat, habeatque ordinatus plenam poteſtatem ordinandi, nutriendi, transferendi Malmundarienſes monachos, nec ullus ſucceſſorum noſtrorum obedientiam vel ſubjectionem ab abbate exigat, ſed tam Malmundarii quam in aliis parochiæ noſtræ locis ſibi pertinentibus miſſas licenter celebret, nec ad ſynodum noſtram, niſi forte ab aliquo pulſatus fuerit, venire C cogatur, & decimationes eccleſiarum Malmundarii, Amblavæ, *Aldendorp* & *Bullinge* & aliarum quas juſtis modis acquiſierit, in ſuos & fratrum ſuorum uſus libere poſſideat. Nullus archidiaconus, nullus decanus vel archipræſbyter, ſeu nullus noſter in ipſo Malmundarienſi monaſterio vel in ædibus clauſtri ullam poteſtatem vel judicium exerceat, ſed omnium fratrum & rerum poteſtas, correctio & ordinatio in libera abbatis poteſtate conſiſtat: Quod ſi quis contra hanc ſcripturæ paginam ſciens venire tentaverit, ſi ammonitus cito non reſipuerit, iram Dei & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli & D omnium ſanctorum incurrat, & anathematis maledictione perpetuo innodetur. Super conſervantes autem, benedictio Dei omnipotentis deſcendat. Teſtes ſunt qui affuerunt: Arnoldus majoris eccleſiæ præpoſitus, VValterus decanus, Gerardus Bonnenſis præpoſitus & archidiaconus, Herimannus Sanctenſis præpoſitus & archidiaconus; Bruno præpoſitus de ſancto Gereone, Thiebaldus præpoſitus eccleſiæ ſancti Severini, VVilhelmus de ſancta Maria ad gradus præpoſitus, ejuſdem decaniæ decanus, Berno præpoſitus de ſancto Cuniberto, Theodericus præpoſitus de ſanctis apoſtolis, Berengerus E præpoſitus de ſancto Andrea, Fredericus præpoſitus de ſancto Georgio, GERARDUS abbas de ſancto Pantaleone, RODULPHUS abbas Tuitienſis, AMELIUS abbas Brunvvillarienſis, THEODERICUS abbas de Campis, Fulcoldus decanus de ſancto Cuniberto, Robertus decanus de ſancto Gereone, Berengerus ſcholaſticus de ſancta Maria ad gradus.

Actum eſt Coloniæ publice in majori eccleſia anno Dominicæ incarnationis MCXL. indictione iij. regnante CUONRADO Romanorum rege ij. regni ſui tertio.

CARTA VVIBOLDI ABBATIS.

De defectu bovariorum in curte Lernou.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 1140.
VVIBOLDUS divina favente clementia Stabulenſis eccleſiæ humilis miniſter, ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Notum facimus diſcretioni veſtræ, quod nobis in curte noſtra *Lernou* venientibus, & de fidelitate ejuſdem curtis ammonentibus, & præcipue de defectu bovariorum conquerentibus, quod videlicet ad curandas vaccas cum ipſarum fructu denuo de curte illa debito jure cogi poſſet, retulerunt ſcabini eſſe inibi quamdam progeniem, quæ jure hereditario nobis & ſucceſſoribus noſtris deſervire in hoc deberet. Quod audientes qui ejus progeniei proximi eſſe videbantur, Ruezelinus videlicet, & Johannes, & Adelardus fratres, & C duæ ſorores eorum Anſbera & Elenburgis in noſtram præſentiam venerunt, obſecrantes ut quia injuſte ad hoc faciendum etiam alio tempore nominati ac ſollicitati erant, audita multorum veritate per ſacramentum comprobata, quod numquam patres eorum, non attavus, non avus, non pater per ſe vel per ſuos de bovaria curare debuerunt, eos comprobare noſtra fineret auctoritas. Quod nos per nos & noſtros exquirentes, & veritati intendentes, evocatis eis juramento approbare conceſſimus. Juraverunt igitur prædicti vitiquod præmiſimus, videlicet quod nec parentes eorum, nec ipſi, D nec ipſorum ſucceſſio, ejus legis eſſent, ut de bovaria noſtra curare, niſi ſponte vellent, deberent. Quod nos judicio hominum & ſcabinorum noſtrorum ejuſdem curtis, & Stabulaus confirmantes, præſenti paginæ mandari, & ſigillo noſtro inſigniri, teſtes quoque qui affuerunt ſubſcribi fecimus, ne quis umquam per ſuccedentia tempora eos ab hac ſua lege temeraria præſumtione infringere audeat.

Actum eſt publice in domo noſtra Stabulenſe anno Dominicæ incarnationis MCXL. indictione iij. regnante domno CUONRADO II. Romanorum rege invictiſſimo, ALBERONE II. in Leodio præſule, ordinationis autem noſtræ anno ix. Nomina eorum qui affuerunt hæc ſunt, Arnulfus cantor, Giſlebertus cuſtos, Erleboldus frater & capellanus noſter. De laicis, Anſelmus villicus, Adelardus frater ejus, Erchenbertus (a) frater [a] noſter, Adelardus villicus de *Lernou*: De

(a) Hunc VVibaldi fratrem conjicio fuiſſe Conradi regis cancellarium, qui cum ipſo ad Terræ ſanctæ expeditionem profectus eſt, ut infra videbimus in VVibaldi epiſtolis.

scabinis, Giſlenus, Hartuinus, Robertus A
& Lyetbertus, feliciter. Amen.

EPISTOLA COELESTINI PAPÆ II. ad archiepiſcopum, clerum, & populum Leodienſem.

Confirmat latam ab eis excommunicationis ſententiam contra infeſtatores monaſterii Stabulenſis, hortaturque ut diſtractiones bonorum a Poppone II. factas reſtitui curent &c.

Anno 1143. [a] COELESTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili fratri (a) AD. B epiſcopo & dilectis filiis clero & populo Leodienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Gratum nobis eſt, quia juxta apoſtolum alter alterius onera portantes dilectum filium noſtrum VVIBOLDUM Stabulenſem abbatem, ſicut ipſo referente didicimus, & commiſſum ſibi monaſterium contra infeſtatores ſuos adjuvatis, & in eos tamquam in ſacrilegos debitæ animadverſionis ſententiam promulgaſtis. Nos itaque, quorum præcipue intereſt, male acta corrigere, & bene geſta firmare, excommunicationis ſententiam canonice in eos promulgatam auctoritate apoſtolica confirmamus, & ratam manere cenſemus. De aliis vero qui joarias, majorias, & villicationes, necnon & beneficia quæ a POPPONE ſecundo abbate acceperunt, cujus alienationes & diſtractiones regum judicio caſſatæ ſunt, contra voluntatem abbatis retinent, & necdum eidem ſententiæ ſubjacent, vobis mandamus, quatinus eos eaſdem adminiſtrationes & bona in manu abbatis libere dimittere diſtricte commoneatis. Quod ſi comtemtores extiterint, anathematis eos vinculo innodetis. Tu vero frater epiſcope Henricum de Rupe D
[b] ſimiliter commoneas, ut domum (b) Erheberti fratris jam dicti abbatis, quam infra treuguam in diebus videlicet ſacræ Paſſionis deſtruxit, & ea quæ de bonis abbatiæ abſtulit, cum integritate reſtituat. Quod ſi infra xl. dies poſt tuam commonitionem adimplere neglexerit, canonicam in eum ſententiam proferas, & nec iſte, nec alii, de quibus ſupradictum eſt, abſolvantur, donec eidem abbati digne ſatisfaciant. De preſbyteris vero de Longia & *VVellin* & aliis, qui præfatis excommunicatis, ſicut accepimus, communicare præſumunt, juſtitiam faciatis.

Datum Lateranis v. Kalend. Januarii.

(a) Adalberoni hujus nominis ij. filio comitis Gueldriæ, qui ex primicerio Metenſi anno 1136. electus eſt epiſcopus Leodienſis, præfuitque ad 1146.
(b) Is in præcedenti carta dicitur Erchembertus.

PRIVILEGIUM CELESTINI II. PAPÆ VVibaldo abbati conceſſum.

Monaſterium Stabulenſe ſub ſedis apoſtolicæ protectione ſuſcipit, ac varia illius privilegia & immunitates confirmat.

CELESTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis VVIBALDO Anno 1143.
Stabulenſi abbati ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Apoſtolici moderaminis clementiæ convenit religioſos diligere, & eorum loca pia protectione munire. Dignum namque & honeſtati conveniens eſſe cognoſcitur, ut qui ad eccleſiarum regimen aſſumti ſumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & apoſtolicæ ſedis patrocinio foveamus. Eapropter, dilecte in Domino fili VVIBOLDE abbas, tuis juſtis poſtulationibus debita benignitate gratum impartientes aſſenſum, Stabulenſe monaſterium, cui, Deo auctore, præeſſe dinoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Malmundarium videlicet, quod ſicut ab initio fundationis ſuæ fuiſſe dinoſcitur, ſemper ſubditum ſit Stabulenſi loco quemadmodum cella monaſterio, monachi vero ipſius loci Stabulaus profeſſionem faciant, & ubi abbas providerit benedicantur D
& ordinentur, nec pro eodem loco Stabulenſis abbas, qui pro tempore fuerit, cogatur Colonienſi archiepiſcopo obedientiam promittere, vel animarum curam ab ipſo ſuſcipere. Caſtellum quod Longia vocatur, prohibentes quod nullus advocatus ibi aliquid ſibi uſurpare præſumat, ſed in diſpoſitione abbatis omni tempore permaneat; eccleſiam in *Sprimont*, in *Herran*, in *Turnines*, in *Hoſammont*, in Oiſeis, in Praiſdis, in *Aldendhorph*, in Amblavia, in Tumbis, in Clotena. Villam Germiniacum & duo molendina ſuper fluvium Suppiam, villam *Tur-* E
nines, villam *Sprimont*, *Lukeſenges*, *Vilippes*, *Tavernou*, *Huſenebarch*, quam dedit vobis liber homo Godefridus villam *Bacen.* Ordinationes autem eccleſiarum & decimationes earum, ſicut hactenus habuiſtis, vobis nihilominus confirmamus, ſtatuentes, ut in parochialibus eccleſiis quas tenetis, nullus epiſcopus abſque abbatis aſſenſu preſbyterum collocet, ſed juxta decretum præde-

cessoris nostri bonæ memoriæ papæ Urbani, episcopi parochiæ curam cum abbatis consensu sacerdoti committant, ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura episcopo rationem reddant, abbati vero pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant. Prohibemus quoque ut in possessionibus ipsius monasterii nullus juniam, vel majoriam, aut villicationem hereditario, seu feodi jure per successionem teneant, sed in potestate abbatis sit ordinare, & cum oportunum cognoverit immutare; securitatem etiam & libertatem in circuitu ipsius monasterii infra leugam, sicut a regibus seu imperatoribus rationabili providentia concessum est, nullus præsumat infringere. Idem vero monasterium tertium advocatum non habeat, sed juxta antiquam consuetudinem duos tantum, quorum primus advocatiam cum banno de manu regum vel imperatorum accipiat, alter autem qui de manu primi advocati beneficium acceperit, bannum a regibus vel imperatoribus accipiat, nec liceat eis in possessionibus vel personis monasterio pertinentibus hospitia, placita, precarias, exactiones facere, non palefridos tollere, non freda, non redibitiones, non consuetudines, quæ mortuæ manus vulgo appellantur exigere, sed sicut in scriptis regum vel imperatorum continetur, ad jus & ordinationem abbatis pertineant. Ministeriales autem cum ad festa monasterii convenerint, nullum servitium aut pastum exigant, nisi quantum abbas rationabiliter eis providerit impendendum. Addentes etiam auctoritate apostolica interdicimus, ut abbatia ipsa nulli in beneficium vel concambium detur, nec a laico umquam regatur, nec liceat abbati qui pro tempore fuerit possessiones vel bona ipsius in feodum vel in pignus alicui dare, nec ullam prorsus commutationem, vel quamlibet alienationem absque communi capituli consilio exinde facere. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia præponatur, sed liceat vobis communi consilio vel partis consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam, absque ullius contradictione, abbatem eligere. Chrisma quidem, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, abbatis benedictionem & monachorum ordinationem, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, si quidem catholicus fuerit & gratiam atque communionem sedis apostolicæ habuerit, & ea gratis & absque aliqua pravitate vobis voluerit exhibere, alioquin liceat vobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Porro abbas qui pro tempore eidem loco præfuerit, ad nullius nisi diœcesani episcopi synodum ire cogatur. Præsbyteri autem sive clerici qui in vestris ecclesiis deserviunt, debita & consueta vobis servitia absque ulla contradictione persolvant. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut quicumque se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesiæ. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva vero sit antiquæ libertatis justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu-Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Celestinus catholicæ ecclesiæ episcopus.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus.

† Ego Theodevvinus sanctæ Rufinæ episcopus.

† Ego Albericus Hostiensis episcopus.

† Ego Sthephanus Prenestinus episcopus.

† Ego Guido presbyter cardinalis titulo sancti Chrisogoni.

† Ego Goizo presbyter cardinalis titulo sanctæ Ceciliæ.

† Ego Thomas presbyter cardinalis titulo Vestinæ.

† Ego Gregorius diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi.

† Ego Gerardus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Dominica.

† Ego Octavianus diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano.

† Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli.

Datum Laterani per manum Gerardi sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, iij. Kalend. Januarii. indictione vij. incarnationis Dominicæ anno MCXLIII. pontificatus vero domni Celestini secundi papæ anno primo.

PRIVILEGIUM LUCII PAPÆ III.

Sub ſua protectione monaſterium Stabulenſe ſuſcipit, firmatque ejus privilegia.

Anno 1144. LUCIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis VVIBALDO Stabulenſi abbati, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Apoſtolici moderaminis clementiæ convenit religioſos diligere, & eorum loca pia protectione munire, &c. *ut in privilegio Celeſtini ſecundi papæ.*

Ego LUCIUS catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

† Ego CONRADUS Sabinenſis epiſcopus.

† Ego THEODEVVINUS ſanctæ Rufinæ epiſcopus.

† Ego PETRUS Albanenſis epiſcopus.

† Ego GREGORIUS preſbyter cardinalis titulo Calixti.

† Ego GISELBERTUS preſbyter cardinalis titulo ſancti Marci.

† Ego UBALDUS preſbyter cardinalis titulo ſanctæ Crucis.

† Ego UGO ſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyter titulo ſancti Laurentii in Lucina.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis ſanctorum Sergii & Bacchi.

† Ego GUIDO diaconus cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani.

† Ego OCTAVIANUS diaconus cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano.

† Ego GUIDO in Romana eccleſia altaris miniſter indignus.

† Ego PETRUS diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis ſancti Angeli.

† Ego JOHANNES diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ-novæ.

† Ego GERARDUS diaconus cardinalis ſanctæ Romanæ eccleſiæ.

Datum Laterani per manum BARONIS ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi, iv. idus Novembris, indictione viij. incarnationis Dominicæ anno MCXLIV. pontificatus vero Domini Lucii ſecundi papæ anno primo.

PRIVILEGIUM EUGENII PAPÆ III. VViboldo abbati conceſſum.

Monaſterium ſub ſua ſuſcipit protectione, omneſque illius poſſeſſiones & immunitates confirmat.

Anno 1146. EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis VVIBALDO Stabulenſi abbati ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Apoſtolici moderaminis clementiæ convenit religioſos diligere, & eorum loca pia protectione munire, &c. *ut in duabus præcedentibus bullis.*

Ego EUGENIUS catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

† Ego CUONRADUS Sabinenſis epiſcopus.

† Ego ALBERICUS Hoſtienſis epiſcopus.

† Ego GUIDO preſbyter cardinalis titulo ſancti Chriſogoni.

† Ego HUBALDUS preſbyter cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.

† Ego HUBALDUS preſbyter cardinalis titulo ſanctorum Johannis & Pauli.

† Ego MANFREDUS preſbyter cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

† Ego ALBERTUS preſbyter cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ.

† Ego UBALDUS preſbyter cardinalis titulo ſanctæ Crucis in Jeruſalem.

† Ego Jordanus preſbyter cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ.

† Ego OTTO diaconus cardinalis ſancti Georgii ad Velum aureum.

† Ego GUIDO diaconus cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani.

† Ego OCTAVIANUS diaconus cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano.

† Ego GREGORIUS diaconus cardinalis ſancti Angeli.

† Ego PETRUS diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Via-lata.

† Ego CINTHIUS diaconus cardinalis ſanctorum Sergii & Bacchi.

Datum Viterbii per manum ROBERTI ſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyteri cardinalis & cancellarii viij. idus Junii indictione ix. incarnationis Dominicæ anno MCXLVJ. pontificatus vero domni Eugenii III. papæ anno ſecundo.

LITTERÆ MONACHORUM Stabulenſis monaſterii ad VViboldum abbatem.

Ipſi concedunt ad vitam Boviniacum & Germiniacum villas, etiamſi deſineret eorum eſſe abbas.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 1146. Reverendo patri ſuo & domno VVIBOLDO, venerabili Stabulenſis eccleſiæ abbati. Tota ejuſdem cœnobii congregatio in perpetuum. Sicut neceſſarium eſt ea quæ a potentioribus traduntur firmis privilegiorum monimentis roborari, ita nihilominus conſtat eſſe utillimum, ſi vel quod a ſubditis ſuis prælatis aut majoribus conceditur, certis quibuſdam ſignorum atteſtationibus confirmetur, non quod viri religioſi ſua umquam conceſſa immutare velint vel debeant, ſed ne poſterorum oblivio aut ignorantia, prædeceſſorum ſuorum inſtituta tempore aliquo immutare præſumat. Notum itaque eſſe

volumus tam futuris quam præsentibus ecclesiæ nostræ fratribus, quod duo prædia nostra, scilicet Boviniacum atque Germiniacum, jam a longis retro temporibus non solum nobis inutilia, sed etiam gravissimis sumtibus damnosa, tibi reverende pater VVIBALDE, unanimi consensu & concordi benivolentia in perpetuum concessimus, ita videlicet, ut toto vitæ tuæ tempore in quocunque statu sis, id est, sive ad aliam sedem promovearis, sive a nostro (quod absit) regimine liber fueris, & ut absolute dicamus, sive abbas dicaris vel non, iisdem prædiis cum omnibus pertinentiis suis & fructu libere deinceps utaris ac fruaris, nullum inde nobis debitum persolvens, ac defectum supplens, quin potius omnia ad te tamquam ad proprium possessorem, & dominum conferantur. Et licet de tua fide, & pio erga nos & nostra desiderio, nihil umquam dubitaverimus, tamen ad propositæ cautelæ ampliorem sollicitudinem, ante omnia & super omnia observari a te volumus, & omnino interdicimus, ne umquam ipsas possessiones aut prædia distrahere, alienare, oppignorare, vel dereriorare tibi liceat, neque ibidem aliquando homines alterius professionis vel ordinis constituere, vel locum ad habitandum concedere, sed te vita decedente, libere cum omni integritate sua omnibusque acquisitis & in jus atque ordinationem nostram, sive successorum nostrorum fratrum videlicet hujus ecclesiæ revertentur, Boviniacum scilicet in manum Vestiarii, ad quam prius pertinebat, Germiniacum vero ad usus & dominationem fratrum omnium. Ut autem hujus nostræ traditionis confirmatio integra omni vita tua permaneat, præsentem pagitam sigilli ecclesiæ nostræ impressione insigniri fecimus, & omnium nostrum qui hoc & fecimus, subter annotari fecimus.

Actum publice in capitulo Stabulaus anno Dominicæ incarnationis MCXLVI. indictione IX. regnante domno CUONRADO Romanorum rege secundo, anno regni ejus IX. ordinationis autem domni abbatis VVIBOLDI XV. in Christo feliciter. Amen.

Ego Robertus prior, subscripsi. Signum VVarneri, Signum Roberti, Radulfi, Emmonis, Anselmi, Heinrici, Gisleberti, Hillini.

LITTERÆ VVIBOLDI ABBATIS.

De ecclesia de Comblenz decimatione Radulfo de Comblens ad vitam data.

Anno 146. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. VVIBOLDUS Dei gratia Stabulensis abbas successoribus suis in perpetuum. Utiliter multum & provide conscribuntur ea quæ a nobis de possessionibus monasterii nostri geruntur, ut videlicet reditus & possessiones statuto tempore sine diminutione solvantur, & in singulis quibusque rebus, quid, qua utilitate poscente, vel qua necessitate cogente actum sit a posteris nostris non ignoretur. Noverint igitur omnes ecclesiæ nostræ, nostrique fideles, quod decimatio ecclesiæ de *Comblenz*, quæ ad vestiarium fratrum nostrorum Malmundarii pertinet, data fuit a prædecessoribus nostris in pactum pro sex libris Leodiensis monetæ, exinde per singulos annos persolvendis, sicque Macharius de *Semaces* possedit eam post VVarnerum patrem suum usque in finem vitæ suæ. Quo defuncto, voluimus ipsam decimationem quoniam damnose locata erat, ad commodum fratrum per manum nostram ordinare. Ceterum propter malitiam temporis quæ in diebus nostris nimium superhabundavit, & propter constitutionem pacti nostris prædecessoribus confirmati, hoc ad effectum perducere non valentes, parati fuimus reddere præfatam decimationem sub prædicta pensione Nicolao prænominati Macharii filio; verum ipse accepta non parva pecunia a Radulfo de *Comblenz* volens & sponte sua designavit in manu nostra, & abdicanda exfestucavit hoc quod hereditarium ei a patre in ejusdem decimationis pacto fuerat. Nos igitur acceptis ab eodem Radulfo vj. libris denariorum, qui sicut aliud nos omnium pactorum justitia est, nobis pro cognitione proprietarii juris nostri, & pro investituta possessionis suæ sub pacto dati sunt, concessimus ac dedimus eidem Radulfo, & uxori ejus Idæ omnem decimationem de ecclesia de *Comblenz*, sicut eam tenuit VVarnerus & Macharius, sub annua pactione, ita videlicet ut in Dominica quæ diem sacram Pentecosten proxime præcedit vj. libras denariorum Leodiensis monetæ persolvant, & quamdiu ambo vixerint, censumque prædictum villico de *Comblenz* per singulos annos praefixa die solverint, absque ullius inquietatione possideant. Defunctis vero utrisque, nullus eamdem possessionem obtinebit, nisi uxorem de ministerialibus ecclesiæ habuerit, & sex libras de abbatis investitura persolverit. Quod si prænominata die totum censum solvere neglexerint, tunc a villico de *Comblenz*, quicumque pro tempore fuerit, per continuum triduum vocati ejusdem curtis indicati, possessionem & jus hereditatis de cetero sine spe recuperationis amittant. Quod si villicus exigere & indicare supersederit, non possessor ab ipso abbate vocatus, per ministeriales judicabitur, datis ad singulas vocationes parvissimi temporis indutiis, scilicet propter vestimenta fratrum emenda, & propter constitutionem hujus pacti. Obeunte vero omni possessore, investitura in capitolio Malmundarii dabitur, pro qua habebit abbas sex libras denariorum, & fratres amam vini.

Actum est publice in monasterio Malmundario v. idus Octobris in martyrio Nigasii, Quirini, & Scuviculi, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto, indictione x. anno regni domni CUNRADI regis ix. præsente domno abbate VVIBOLDO. Hujus rei testes sunt, Albertus decanus, Anselmus præpositus, Erleboldus custos Stabulensis, Bovo portarius, & ceteri fratres. De clericis, Poppo de *Semacas*. De laicis, Francho villicus Malmundariensis, Hillinus de *Altimunt*, Philippus, Johannes, Alardus de *Lernou*, VVarnerus de Cresonia, Lietbertus de VVallaria, & alii multi.

DE VVINANDO DE LEMBURGO excommunicato ob illatas Stabulensi cœnobio injurias.

Anno 1148. *Exstat Stabulensi.*

ANNO Dominicæ incarnationis MCXLVIII. VVinandus de *Lemburch* qui dicebatur de Turri cum suis complicibus Stabulensem ecclesiam multis rapinis & prædis molestaverat, super quo a domno VVIBALDO abbate post canonicam ad satisfaciendum evocationem anathematis vinculo innodatus erat. Ordinante interim divina clementia & multiplices casus Stabulensis ecclesiæ miserante, subito idem VVinandus decessit, nec usquam in omni Leodiensi episcopatu, metu ejusdem domni abbatis & excommunicationis, christiano more sepeliri potuit, sed ad omnium infidelium superstitum terrorem, & ad domni abbatis cujus industria hoc effecerat, vel ecclesiæ perpetuum munimentum & honorem, Bailus, quæ juxta *Lemburch* est, extra muros cimiterii sepultus est. Cum tamen idem VVINANDUS consanguineus domni HEINRICI tunc Leodiensis pontificis esset, vel quia magnus erat, sui sic eum decessisse non mediocriter dolentes, cum magna humilitatis instantia, assumtis secum duobus nobilibus dominis suis, Heinrico de Rupe, & Heinrico de *Lemburch*, quorum alter, id est de Rupe advocatus ecclesiæ nostræ erat, & alterius Heinrici amitæ filius, domnum abbatem & ecclesiam adeunt, & ut recepta compositione damnorum mortuum suum christiana sepultura non privarent, suppliciter exorabant. Post multimodas igitur supplicationes, summa ablatorum ad c. marchas supputata est, quam summam duo prædicti nobiles domno abbati cum suis, quos postea notabimus, se daturos vel deservituros promiserunt. Juraverunt præterea duo dicti nobiles, quod numquam deinceps per se vel per summissam personam in fundis, vel possessionibus, vel libertate sua Stabulensem ecclesiam molestarent vel inquietarent. Juraverunt idem quidam de familia utrorumque & præterea hommagium domno abbati VVIBALDO fecerunt, & fidelitatem domno abbati & ecclesiæ juraverunt, quod deinceps in fundis vel possessionibus ejusdem ecclesiæ & familiam ubicumque locorum liberam & intactam ab omni injusta & indebita vexatione conservarent. Quod si qui eorum hanc sponsionem temerarie violarent, juraverunt sæpedicti duo nobiles Heinricus de *Lemburch* & Heinricus de Rupe a castellis & possessionibus suis alienare & exturbare, donec ablata ex integro restituerent, & de injuria domno abbati & ecclesiæ congrue satisfacerent.

LITTERÆ VVIBOLDI ABBATIS

De his quæ in beneficium Reinero de Rupe apud Novam-villam concessit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. WIBOLDUS divina favente clementia Stabulensis abbas successoribus in perpetuum. Cum in rebus nobis a Deo commissis, sive secundum rationem utilitatis, sive secundum necessitatem dispensationis aliquid ordinamus aut statuimus, dignum est ut ad posterorum memoriam scripto diligenter transmittamus. Unde notum esse volumus omnibus, quod cum multiplicibus & pene inextricabilibus periculis & sumtibus id elaboravissemus, ut medietas eorum beneficiorum quæ abbas secundus POPPO dederat, quæ nova beneficia dicebantur, tam a liberis quam a ministerialibus nostris in manus nostras resignari deberet, fidelis noster Reinnerus de Rupe, qui juriam apud Novam-villam & sanctum Vitum a nobis tenebat, ad nos veniens de xxxix. solidis, quos de novo beneficio apud Novam-villam habebat xx. solidos in manus nostras ad usus fratrum Malmundariensis ecclesiæ refutavit, a quo cum adhuc de xxx. solidis, quos in eadem villa singulis annis habebat, medietatem exigeremus, sufficienti testimonio tam laicorum, quam etiam fratrum nostrorum Malmundariensium probavit, patrem suum quondam E. pro his xxx. solidis xl. solidos quos de antiquissimo beneficio apud *VVellines* tenebat, ecclesiæ Malmundariensi in concambium resignasse. Rursus cum de terris scilicet duobus mansis, quos apud prædictam Novam-villam, & de vij. rusticis quos de novo etiam beneficio infra bannum Malmundariensem tenere dicebatur, mediam partem habere vellemus, interventu illustris ac præclari viri ducis VVALERANNI, cujus fide & opera tam nos quam prædecessores nostri in ecclesia nostra sæpenumero usi sumus, necnon nobilissimæ uxoris suæ JUDITHÆ, ac filii ejus HEINRICI, qui etiam tam nos quam res ecclesiæ nostræ intimo affectu dilexerunt & honoraverunt, & præcipue obsecratione & instantia fratrum

nostrorum Malmundariensium, praeterea etiam respectu servitii ejusdem Reineri, qui in omnibus necessitatibus nostris tam in persona sua, quam in rebus suis fideliter nobis semper astiterat, animo inclinati, a proposito rigoris nostri destitimus, utilius esse judicantes paucarum rerum parva detrimenta sustinere, quam fratres nostros non audire, quam tot nobilium & fidelium nostrorum petitionibus non consentire. Opponebatur siquidem nobis ab omnibus debere nobis sufficere XX. solidos a fideli nostro recepisse, quos cum omni integritate beneficii sui a quatuor praedecessoribus nostris, scilicet domno POPPONE secundo, domno VVARNERO, domno CUONONE, & domno JOHANNE, ad nos usque obtinuerat, non debere hominem qui se totum nobis exhibebat, mala pro bonis recipere, dignum esse ut mansuetudine lenitatis nostrae & bonitate fruerentur, quatinus hujus pii studii ac laudandae intentionis exemplo, alii circa nostri obsequium excitarentur, ac per hoc de studiosis studiosiores, ex devotis devotiores efficerentur. Nos itaque licet dicta tam nobilium quam fidelium nostrorum satis approbaremus, quamvis personam fidelis nostri Reineri, cujus causa agebatur, satis amplecteremur, tamen eo usque perseveravimus, donec fratres Malmundarienses ad nos accesserunt, instanter & attente suggerentes, ut petitionibus tot nobilium acquiescceremus, dicentes plus posse utilitatis ecclesiae provenire benivolentia tantorum principum, quam detrimenti in dimissione paucorum rusticorum, & unius mansi, qui si forte ad usus ecclesiae rediret, aut in brevi absque cultore inutilis omnino efficeretur, aut si fructuosus esse inciperet, aliquorum violentia rursus ab ecclesia subtraheretur. Igitur cum multis hujusmodi persuasionibus in oculis hominum, qui praesentes aderant, nos constanter sollicitarent, tunc demum ne ingrati beneficiis ac servitiis fidelis nostri Reineri esse videremur, ex communi consensu & petitione fratrum nostrorum Malmundarienssium & interventu supradictarum personarum, concessimus eidem Reinero, ac per eum heredibus suis in beneficium perpetuum apud Novam-villam illos duos mansos, de quibus agebamus, & septem rusticos qui contra bannum Malmundarii, scilicet apud Duflum & Kefosse & Richolfi-villam commorabantur, eo jure habendos, quo & illos possidebat, qui ex antiquissima successione beneficii jure sibi competebant, ita videlicet ut & duos illos mansos, atque septem rusticos, qui in praedictis locis manebant, ad omnem utilitatem suam sive heredum suorum modis quibuscumque vellet, deinceps coaptaret. Et ut haec omnia postmodum rata & inconvulsa permanerent, cuncta quae idem Reinerus sive de novo, sive de antiquo beneficio de manu Stabulensis abbatis possidere debet, huic nostrae scriptionis testamento, quod eidem Reinero assensu omnium fratrum nostrorum in capitolio Malmundariensi aeditione praedictae ducissae JUDITHAE, & filii ejus Heinrici, (quippe jam defunctus erat gloriosae memoriae dux VVALLERANNUS) ac testimonio & approbatione ministerialium nostrorum concesseramus, inferere volumus, ideo scilicet ne idem Reinerus sive heredes sui supra id quod eis concesseramus aliquando quicquam usurparent, neque, quod absit, post haec aliquis successorum nostrorum ipsi Reinero aut suis heredibus aliquid de eodem beneficio imminuere tentaret. Habet siquidem Reinerus a nobis & a successoribus nostris Stabulensibus abbatibus apud Novam-villam in festo sancti Lamberti de novo beneficio XIV. solidos. Item ibidem in festo sancti Martini illos XXX. solidos, pro quibus pater suus olim XL. solidos apud *VVellines* de antiquo beneficio fratribus Malmundariensis ecclesiae ante nostram ordinationem in concambium dederat. De his autem XXX. solidis nobis & fratribus sex solidos resignavit: item in Epiphania Domini apud Novam-villam VIIJ. solidos de novo beneficio tenebat, quos ex integro nobis & fratribus reddidit. Rursus ibidem in medio Maio XVIJ. solidos ex quibus V. solidos in manu nostra ad usus fratrum refutavit. Tenebat etiam idem Reinerus apud Novam-villam de antiquo beneficio juariae mansum unum. Item ibidem de antiquo beneficio dimidium mansum & dimidium molendinum in villa quae Brunefa nuncupatur. Item apud Novam-villam de novo beneficio duos mansos & intra bannum Malmundariensis oppidi, scilicet apud *Duffum* & *Chefosse* & Richolfi-villam VIJ. rusticos qui de novo sunt beneficio. De antiquo vero beneficio habebat apud Rupem dimidium mansum, apud VVarcham dimidium molendinum, & apud *Lonfait* terram super quam quidam Godescalchus manebat. Summa itaque novi beneficii ejusdem Reineri XXXIX. solidi, ex quibus XX. solidi nobis & fratribus ab eo sunt restituti, apud Novam-villam duo mansi, & circa Malmundarium VIJ. rustici, de quibus nos eam medietatem quae nobis competebat, eidem Reinero atque heredibus suis, sicut supradiximus, petitione fratrum nostrorum, & virorum illustrium in beneficium tradidimus. Cetera etenim omnia de antiquo beneficio fuisse certissime constat. Observabitur autem tam a Reinero quam ab heredibus suis, ne umquam aliqua ex occasione de XXIJ. solidis fratribus singulis annis persolvendis aliquid imminuatur. Sic namque a nobis constitutum est, & utrique concessum, ut omnis defectus de toto supradicto censu non ad fratres, sed ad Reinerum sive suos pertinere debeat, ita ut, sicut praediximus,

fratres singulis annis xx. solidos absque defectu habeant. Et quia ista neque levitate, neque temeritate aliqua ducti conscripsimus, ad hoc ut in perpetuum inviolata conserventur, presentem paginam tam nostri quam ecclesiæ nostræ sigilli impressione insigniri jussimus, testesque qui affuerunt annotari subter fecimus, obtestantes successores nostros per eam quæ in Christo est gratiam, ne ad ea infirmanda, quæ communi fratrum & fidelium nostrorum consilio, & provida quadam dispensatione acta sunt, aliquando studium aut manum apponant, sed ea quæ cum maximo labore, vel servata invenimus vel dispersa recollegimus ad usus fratrum & pauperum atque hospitum diligentiam adhibeant.

Datum Sutrii per manum ROLANDI sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, xvj. kalend. Junii, indictione tertia incarnationis Dominicæ anno MCLIV. pontificatus vero domni Adriani papæ IV. anno primo.

PRIVILEGIUM ADRIANI PAPÆ IV. VVibaldo abbati concessum.

Monasterium sub sedis apostolicæ tuitione suscipit, omnesque illius possessiones & privilegia confirmat.

Anno 1154. ADRIANUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis VVIBALDO Stabulensi abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem viram professis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impartiri suffragium. Quapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam, cui, Deo auctore, præesse dinosceris, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Celestini, Lucii, & Eugenii, Romanorum pontificum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, &c. *ut in privilegiis Celestini, Lucii, & Eugenii III.*

Ego ADRIANUS catholicæ ecclesiæ episcopus.

† Ego HUBALDUS presbyter cardinalis titulo sanctæ Praxedis.

† Ego MANFREDUS presbyter cardinalis titulo sanctæ Savinæ.

† Ego JULIUS presbyter cardinalis titulo sancti Marcelli.

† Ego OCTAVIANUS presbyter cardinalis titulo sanctæ Cæciliæ.

† Ego HENRICUS presbyter cardinalis titulo sanctorum Nerei & Achillei.

† Ego GUIDO diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu.

† Ego JOHANNES diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi.

† Ego GERARDUS diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Via-lata.

† Ego ODO diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano.

CONSTITUTIO ERLEBALDI abbatis.

De suo & fratris sui VViboldi abbatis anniversario celebrando, &c.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. ERLEBALDUS Dei misericordia Stabulensis ecclesiæ servus, successoribus suis & cunctis Christi fidelibus in perpetuum. Piam prædecessorum institutionem, successorum tradi memoriæ, non solum debitam apud posteros conservat gratiam, sed etiam salubre dat successoribus exemplum bonæ actionis mutandi formam. Quod ego ERLEBALDUS Dei misericordia Stabulensis ecclesiæ servus, salubriter attendens, ipse quoque meos imitari prædecessores dignum fore & justum existimavi, eos præsertim qui eamdem Stabulensem ecclesiam possessionibus ampliare, & thesauris adornare, ad usus Deo servientium, & decorem domus Dei salutari sollicitudine studuerunt. Ut ergo humilitatis meæ memoria in eodem loco in perpetua benedictione habeatur, ecclesiam ejusdem oppidi parochianam, & ecclesiam de Rona, cum appendiciis earum, quas per interventum domni mei dilectissimi serenissimi imperatoris FREDERICI & principum ejus, dono domni & venerabilis Leodiensis episcopi ALEXANDRI secundi mihi concessas, ipsiusque & Leodiensis capituli privilegio, quod apud nos habetur, mihi confirmatas, jam per aliquot annos canonice & quiete possedi, fratribus Stabulensibus conditione subscripta tradidi. Singulis mensibus decimo kalend. mensis subsequentis defunctorum fidelium fiet officium, in missa & vigiliis, & compulsatione campanarum pro anima piæ memoriæ carissimi patris mei spiritualis, fratris mei carnalis domni VVIBALDI abbatis prædecessoris mei, sicut & pro mea specialiter postquam ab hac decessero, simulque pro animabus omnium fidelium defunctorum, ita dumraxat, quod si Dominica, vel festivitas in prædictis kalendis occurrerit, die alia prædictum fiat officium, quæ proxime ad hoc competens inveniri poterit. Ut vero labor fratrum absque mercede non transeat, nec eorum devotio ex tempore umquam refrigescat, fratribus per singulos caritatem vini, pauperibus vero elemosynam de urinis cibis annonæ, ad mensuram Stabulensis oppidi dari statui. De reditibus quoque prædictæ ecclesiæ ad complendum centenarium in cœna Domini

pauperum

pauperum numerum, qui ex triginta duobus A
servientibus, ad obsequia cotidiana monasterio deservientibus compleri solebat xxxij. pauperes apponi, ad percipiendum cum aliis pauperibus commune subsidium decrevi, salva servientibus nostris ea quantitate, quam de jure & consuetudine in cœna Domini semper habuerat. Quidquid autem de omnimodo sæpedictæ ecclesiæ proventu reliquum fuerit, communibus eorumdem fratrum usibus assignavi, ad hoc maxime, ut cum eo quod in præscripto defunctorum auc pauperum subsidio se observaturos fideliter promiserunt, etiam in celebranda conven- B tualiter cotidiana in honore matris Domini missa, quæ diebus nostris hortatu nostro celebrari cœpit, devotionis suæ propensius curam exhibeant, quatinus eam quam in terris affectuose venerantur, advocatam in cœlis effectuose habere mereantur. Et ne super collato sibi a me beneficio successorum meorum, quod absit, alicujus vel ignorantia, vel injuria fratres in posterum ullam sustinere possint injuriam, hoc etiam præsenti scripto confirmavi, ut quotiens jam dictis ecclesiis presbyteros vicarios præfici necesse fuerit, eos prior Stabulensis eccle- C siæ cum fratribus archidiacono præsentet, quatinus curam plebis de manu illius suscipiant; de temporalibus vero priori vel ei quem ipse ad hoc ordinaverit, respondeant. Placuit itaque hoc scriptum ad utilitatem futurorum transcribi, & testibus muniri; & tam nostro quam ecclesiæ sigillo insigniri. Testes qui adfuerunt hii sunt, Henricus decanus, Balduinus subprior, Bonefacius præpositus, Simon & VVarnerus cantores, Herimannus cellerarius, Arnulfus, Johannes camerarius, sed & totus conventus. De clericis, Alexis investitus de Ones, Harthuinus consilii decanus, D Arnulfus investitus Malmundarii, Lambertus de *Baldou*, Reinnerus de Salmis, & alii multi. De laicis, Lambertus juvenis de *Malempreit*, Robertus de *Brecenges*, Anselmus de Ottreis, Anselmus villicus Stabulensis, Garsilius & Gerardus camerarii domni abbatis, Franco, Poncardus & alii multi.

Actum anno Dominicæ incarnationis [a] MCLXXXI. (a) indictione ij. actumque in publica statione in die palmarum anno ordinationis nostræ xxiij. in Christo feliciter. Amen. Amen. Amen. E

(a) Amanuensium oscitantia irrepsit hic quidam error in chronicis notis, nam indictio cum incarnationis anno non quadrat.

JUDICIUM THEODERICI Trevirensis archiepiscopi, & Hugonis Leodiensis episcopi, adversus Ermesendam Luceburgensem comitissam, quo castrum de Longia & domus de Comblenz asseruntur abbati Stabulensi.

THEODORICUS Dei gratia Treve Anno 1247.
rensis archiepiscopus, HUGO eadem gratia Leodiensis episcopus, & L. comes Palatinus & dux Bavariæ. Notum facimus omnibus præsens scriptum inspecturis, quod cum quæstio coram domino rege HENRICO & suis *principibus* apud *Aquisgrani* inter dominam comitissam ERMESENDEM Luceburgensem & abbatem & conventum Stabulensem super castro de Longia, & domo de *Comblens*, & jure ecclesiæ suæ, secundum quod in privilegiis suis continebatur, verteretur. Tandem mediantibus domino rege & *suo* consilio, scilicet, HENRICO Colonienſi archiepiscopo, & LUPOLDO duce Austriæ, in hanc formam pacis convenerunt supradicti. Comitissa videlicet, abbas & conventus, quod incontinenti supradicta comitissa jam dictis abbati & conventui castrum suum de Longia, & domum de *Comblens* libere restituet, & ipsos abbatem scilicet & conventum Stabulensem de cetero terra *sua* quiete & pacifice ubique gaudere permittet. De damnis igitur eisdem illatis stabit dicto nostro: ita quod si ambo ad id prosequendum interesse non poterimus, alter nostrorum de me & de domino Leodiensi sine contradictione bona fide prosequetur. Et super hoc fidejusserunt pro prædicta domina ERMESENDE comitissa, dominus VV. de *Lemburg*, dominus Th. de *Huffalize*, & domnus Ar. de *Rodemach*, prædictis abbati & conventui. Si vero prædicta domina contra prædictam formam pacis aliquo modo contraire, quod non credimus, attentaverit, terra sua quæ est in diœcesi Trevirensi, & terra sua quæ est in diœcesi Leodiensi tamdiu sub interdicto auctoritate nostra jacebit, quousque ad plenum de violatione pacis prædictis abbati & conventui Stabulensi fuerit satisfactum. Nos autem de castro Longia & de domo de *Comblens* providebimus indemnitati comitissæ, abbatis, & conventus Stabulensis, & ordinationem indemnitatis nobis reservamus faciendam, quam abbas sæpedictus fide interposita in manus nostras se servaturum repromisit, & super hoc nobis litteras suas patentes exhibere tenebuntur. Ut ergo abbas & conventus sua in pace quieta de cetero possideant, nos supradictis abbati & conventui præsentem paginam sigillis nostris roboratam dedimus in perpetuum robur & munimen.

Datum Aquisgrani, Dominica, *Isti sunt*

dies, anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo.

LITTERÆ HENRICI de Luxemburgo.

Vicecomitatum deſcendentem de curiâ de Braz. concedit Stabulenſi monaſterio.

Anno 1244. EGO HENRICUS *de Luſcelebor*. Notum facio omnibus præſens ſcriptum inſpecturis, quod ego vicecomitatum cum familia, nemoribus, aliis redditibus, & omnibus ipſius proventibus, quod VValtherus de *Avens* de jure tenebat vel tenere debebat, deſcendentem de curia de *Braz*, quem legitime in plena curia mea ab eodem acquiſivi, jure hereditario poſſidendum, retentis mihi homagiis deſcendentibus à prædicto comitatu, intuitu pietatis, & pro remedio animæ meæ in omni jure, ſecundum quod ipſum tenere debebam, eccleſiæ Stabulenſi contuli in elemoſinam perpetuo jure poſſidendum; promittens eidem in dicto comitatu, & in omnibus ipſius attinentiis, quotienſcumque requiſitus fuero ab ipſa bonam, firmam, & legitimam contra quoſlibet præſtare garrandiam, violentiam in dictis bonis, quotienſcumque neceſſe fuerit, ſine contradictione eidem deponendo, & ad id faciendum per litteras meas patentes prædictæ eccleſiæ me obligavi. Teſtes qui præſentes fuerunt prædictis, ſunt dominus H. de Hufaliſia, dominus VV. de *Bomale*, dominus B. de *VVaimes*, inilites. H. clericus, Hugo clericus, Orbanus præpoſitus, & alii quam plures tam clerici quam laici. In cujus rei teſtimonium & ſtabilitatem præſentes litteras ſigillo meo roboratas eccleſiæ memoratæ dedi in robur & teſtimonium.

Actum & datum apud Durbuii anno Domini MCCXLIV. menſe Auguſto.

DIPLOMA CAROLI IV. imperatoris.

Confirmat privilegium Lotharii imperatoris.

Anno 1357. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis feliciter. Amen. KAROLUS quartus divina favente clementia Romanorum imperator ſemper auguſtus, & Boemiæ rex ad perpetuam rei memoriam. Rex magnificus qui facit mirabilia magna ſolus, cœleſtis diſpenſatione conſilii, licet inſufficientibus meritis ad hoc noſtram evocavit perſonam, ut cæſareæ dignitati feliciter præſidentes, inter ceteras ſollicitudinum curas, quibus pro ſubditorum noſtrorum optata ſalute noſtro perſtrinxit materia cogitationis aſſidue infuditur, ad ea ſingulariter ſpeciali quadam inclinatione favoris & gratiæ uberius intendamus, quæ divinæ laudis augmentum & gloriam & ſanctorum monaſteriorum commoda reſpiciunt & profectum. Sane religioſus HUGO abbas monaſteriorum Stabulenſis & Malmundarienſis ſuo & dictorum monaſteriorum nomine, ad noſtræ majeſtatis accedens præſentiam, nobis humiliter ſupplicavit, ut ſibi & ſuis ſucceſſoribus abbatibus pro tempore exiſtentibus, nec non conventibus ac monaſteriis Stabulenſi & Malmundarienſi prædictis quoddam privilegium recolendæ memoriæ divi LOTHARII Romanorum imperatoris prædeceſſoris noſtri dictis monaſteriis conceſſum auctoritate imperiali approbare, ratificare, innovato, de novo concedere & confirmare dignaremur. Tenor vero dicti privilegii per omnia ſequitur in hæc verba. [*Sequitur bulla aurea Lotharii imperatoris ſuperius edita.*]

Nos igitur conſideratione Dei omnipotentis, ad honorem beati Benedicti, de cujus ordine profeſſores monaſteriorum prædictorum fore noſcuntur, habito reſpectu ad multiplicia merita probitatis & indefeſſæ virtutis conſtantiam, quibus prædicti profeſſores nos & ipſum ſacrum imperium ſollicitis animis & pervigili ſtudio frequentius honoraverunt, præſertim cum ſupplicatio prædicta de fonte rationis emanet, & juſte petentibus non ſit denegandus aſſenſus, animo deliberato ſano principum, comitum, baronum, procerum & nobilium noſtrorum & imperii ſacri fidelium conſilio præcedente, monaſteriis prædictis, Colonienſis & Leodienſis diœceſeum, eorumque abbati & profeſſoribus privilegium ſupradictum in omnibus ſuis tenoribus, ſententiis, clauſulis, & articulis, prout rite & rationabiliter proceſſit animo deliberato, non per errorem ſeu improvide, ſed ex certa noſtra ſcientia, auctoritate cæſarea, & de plenitudine imperialis poteſtatis approbamus, ratificamus, innovamus, de novo concedimus & de innata nobis benignitatis clementia tenore preſentium confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ majeſtatis paginam infringere, vel ei auſu quovis temerario contraire, ſub pœna centum marcarum puri auri, quas ab eo, qui contravenire præſumſerit, totiens quotiens contra factum exiterit, irremiſſibiliter exigi volumus, & earum medietatem imperiali cameræ, reſiduam vero partem injuriam paſſorum uſibus applicari, noſtris, imperii ſacri, & quorumlibet aliorum juribus ſemper ſalvis.

Signum ſereniſſimi principis & domini domini KAROLI quarti Romanorum imperatoris invictiſſimi & glorioſiſſimi Boemiæ regis. Teſtes hujus rei ſunt illuſtres, LUDOVICUS dictus Romanus marchio Brandeburgenſis, princeps elector venerabilis,

HENRICUS Lubecenſis eccleſiæ epiſcopus, HEINRICUS abbas Fuldenſis, illuſtres VVENCESLAUS Lucemburgenſis, Brabantiæ & Lymburgiæ, ac VVILHELMUS Juliacenſis duces, ſpectabiles BURGHARDUS Magdeburgenſis, burggravius imperialis curiæ, magiſter VVILHELMUS DE VVIDE, ALBERTUS DE ANHALT, JOHANNES DE RITZ comites, nobiles VValramus de *Salmen*, VValramus de *Burn*, Johannes de Sleyda, VViricus de *Berperg*, Arnoldus de *Rymmin*, Reynhardus de *Schonenforts*, & alii quam plures noſtri & imperii ſacri fideles. Præſentium ſub bulla aurea typario imperialis noſtræ majeſtatis impreſſa teſtimonio litterarum.

Datum Trajecti ſuper Moſa anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, decima indictione, xiv. kalend. Februarii, regnorum noſtrorum anno undecimo, imperii vero ſecundo.

Ego JOHANNES Dei gratia Luthomuſchlenſis epiſcopus ſacræ imperialis aulæ cancellarius vice R. in Chriſto patris domni BOEMUNDI Trevirenſis archiepiſcopi ſacri imperii per Galliam & regnum Arelatenſe archicancellarii recognovi. *Super plicam ſequentia erant ſcripta.* P. D. imperatorem Rudolfus de Frideburg. (*a*)

[a]

LITTERÆ CAROLI IV. imperatoris VVinceſlao duci Lucemburgenſi.

Declarat ſe confirmaſſe privilegia Stabulenſis & Malmundarienſis monaſteriorum, quibus jubet ea gaudere.

Anno 1376. KAROLUS quartus divina favente clementia Romanorum imperator ſemper auguſtus & Boemiæ rex, illuſtri VVENCESLAO Luczemburgenſi, Brabantiæ, & Lymburgiæ duci fratri & principi ſuo cariſſimo, gratiam ſuam & omne bonum. Quia privilegia abbatis monaſteriorum Stabulenſis & Malmundarienſis ordinis ſancti Benedicti Colonienſis & Leodienſis diœceſeum alias auctoritate imperiali confirmaſſe, ac de novo dinoſcimur conceſſiſſe, juxta litterarum noſtrarum imperialium deſuper editarum continentiam & tenorem. In quibus quidem privilegiis inter cetera expreſſe cavetur, quod quandocumque abbates dictorum monaſteriorum exiſtentes pro tempore, ſervitium quod Romano imperatori & regi, dum ad regalem ſedem Aquenſem & ad terras ipſorum monaſteriorum accedunt, præſtare tenentur, juxta formam privilegiorum perſolverint, quod ex tunc iidem abbates, a quolibet eorum clerico matricem eccleſiam obtinente quinque ſolidos, & a quolibet eorum villico ſimiliter quinque ſolidos, a quolibet vero manſo monaſterii Stabulenſis prædicti duodecim denarios bonæ monetæ recipere debeant & habere. Et quia venerabilis & religioſus VVARNERUS DE OCKIERS dictorum monaſteriorum abbas modernus, princeps & devotus noſter dilectus ſervitium præfatum ratione acceſſus, quem nuper pro ſereniſſimo principe domino VVenceſlao Romanorum & Boemiæ rege filio noſtro cariſſimo feliciter coronando ad regalem ſedem Aquenſem fecimus, nobis & eidem filio noſtro ad plenum perſolvit, de quo etiam perſoluto ſervitio dumtaxat eumdem abbatem abſolvimus præſentibus & quittamus, dilectionem tuam attento ſtudio requirimus & hortamur, ac tibi firmiter præcipiendo mandamus, quatenus dicta privilegia per nos, ut prædicitur, confirmata & de novo conceſſa, in omnibus ſuis clauſulis, ſententiis, tenoribus, articulis, atque punctis, pro ut ſcripta noſcuntur tenere inviolabiliter, & in nullo infringere debeas, eidem quoque abbati, ut in receptione denariorum hujuſmodi nullatenus impediatur, fideliter ſuffragari & aſſiſtere auxiliis oportunis, pro ut noſtræ majeſtatis gratiam diligis conſervare. Nam abbatem prædictum cum dictis ſuis monaſteriis in ſuis juribus illæſum ſervari cordialiter affectamus, præſentium, ſub imperialis noſtræ majeſtatis ſigillo, teſtimonio litterarum.

Datum Aquiſgrani anno Domini MCCCLXXVI. indictione quarta, ij. idus Julii, regnorum noſtrorum anno triceſimo, imperii vero viceſimo ſecundo: *Sic ſignatum & ſubſcriptum ſuper plicam inferiorem*: De mandato domini imperatoris Nicolaus Cameracenſis præpoſitus.

DIPLOMA CAROLI IV. imperatoris pro VVarnerio de Ockieres Stabulenſi & Malmundarienſi abbate.

Regalia ei concedit.

Anno 1376. *Ex mſ. Malmundarienſ.* KAROLUS quartus divina favente clementia Romanorum imperator ſemper auguſtus & Boemiæ rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quod accedens ad noſtræ majeſtatis præſentiam venerabilis & religioſus VVARNERUS DE OCKIERES Stabulenſis Leodienſis & Malmundarienſis Colonienſis diœceſum monaſteriorum abbas ordinis ſancti Benedicti, modernus princeps & devotus noſter dilectus, nobis humiliter ſupplicavit, quatenus regalia ſive temporalia dictorum monaſteriorum a nobis & imperio ſane dependentia ſibi gratioſe dignaremur concedere: nos vero ſupplicationi hujuſmodi tamquam juſtæ favo-

(*a*) Idem privilegium confirmavit poſtea Sigiſmundus imperator anno 1414 ipſa die coronationis ſuæ, quæ fuit viij. Novembris, anno regnorum ſuorum Hungariæ 28. Romanorum v.

rabiliter inclinati, non improvide neque per errorem, ſed animo deliberato, de plenitudine cæſareæ poteſtatis, nobis aſſiſtentibus pluribus principibus electoribus, & aliis eccleſiaſticis & ſæcularibus comitibus, baronibus, nobilibus & proceribus noſtris, ac ſacri imperii fidelibus Aquiſgrani, recepto prius ab eo debitæ fidelitatis, devotionis & obedientiæ ſolito juramento, necnon ceteris quæ requiruntur in his ceremoniis & ſolemnitatibus debite obſervatis, de certa noſtra ſcientia, præfato abbati regalia ſive temporalia monaſteriorum hujuſmodi, prout ad nos tamquam Romanorum imperatorem pertinet & debuimus, conceſſimus & concedimus per præſentes: mandantes univerſis & ſingulis principibus eccleſiaſticis & ſæcularibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, civitatum, caſtrorum & locorum univerſitatibus, necnon ceteris abbatiarum dictorum monaſteriorum fidelibus, hominibus & vaſallis, noſtræ ac imperii gratiæ ſub obtentu, quatenus prædicto abbati, prout ad vos & eorum ſingulos pertinet, tamquam ſuo domino vero & legitimo tam in feodis, feodalibus, vaſallagiis, quam aliis quibuſcumque debitis obſequiis & ſervitutibus obediant fideliter & intendant ſub pœna perditionis feudorum & aliorum bonorum ſuorum & jurium omnium ab abbatiis dictorum monaſteriorum dependentium de conſuetudine, vel de jure, necnon centum marcarum argenti puriſſimi, quam vos & eorum quemlibet, qui contrafecerint, & auſu temerario dicto abbati non paruerint cum effectu toties quoties hoc factum fuerit, incurrere volumus ipſo facto, quarum medietatem imperialis noſtri ærarii, reſiduam vero partem abbatis & ſuorum monaſteriorum prædictorum uſibus de dicta plenitudine poteſtatis cæſareæ decernimus applicandam præſentium ſub imperialis noſtræ majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum.

Datum Aquiſgrani anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, indictione quarta decima, ij. idus Julii, regnorum noſtrorum anno triceſimo, imperii vero viceſimo ſecundo. *Sic ſubſignatum.* De mandato domini imperatoris, Nicholaus Cameracenſis præpoſitus.

LITTERÆ WINCESLAI Romanorum regis.

Declarat ſe villam Rupenſem habere in beneficium ab abbate Stabulenſi.

Anno 1384. WENCESLAUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, & Boemiæ rex, ac Luczemburgenſis dux, marchioque Arnulenſis & comes Rupenſis. Recognoſcimus tenore præſentium univerſis, quod villam noſtram Marchiæ relevaverimus a venerabili abbate & monaſterio Stabulenſi ordinis ſancti Benedicti Leodienſis diœceſis, & cetera bona quæ ab eis tamquam comes Rupenſis tenemus, ad inſtar prædeceſſorum noſtrorum comitum Rupenſium, & ob hoc dictum monaſterium, perſonas & ejus bona tamquam advocatus defenſor & protector tueri, defendere, & protegere intendimus, contra quaſcumque perſonas injuriantes dicto monaſterio, ſicut hoc ſolitum eſt fieri per noſtros prædeceſſores ſupradictos. Noſtris tamen juribus, ad quæ nobis tamquam comiti Rupenſi facere tenentur, ſemper ſalvis. Præſentium ſub appenſo noſtro minori ſigillo, teſtimonio litterarum.

Datum Luczemburg, anno Domini MCCCLXXXIV. XV. die menſis Septembris, regnorum noſtrorum Boemiæ anno viceſimo ſecundo, Romanorum vero nono. *Sic ſignatum & ſubſcriptum ſuper plicam inferiorem.* P. D. ducem Reſchinenſem, CONRADUS epiſcopus Lubicenſis.

DIPLOMA JUDOCI MARCHIONIS Brandeburgenſis.

Diploma Lotharii imperatoris a Carolo IV. confirmatum juxta integrum ſui tenorem ratum habet.

Anno 1400. JODOCUS Dei gratia marchio Brandeburgenſis, ſacri Romani imperii archicamerarius & marchio Moraviæ, ad perpetuam rei memoriam univerſis. Ad ſingulorum profectum licet nos ſemper mens noſtra ſollicitet, majori tamen quodam internæ meditationis cura ad hos ſingularis utique nos allicit ardor, quorum animus calcatis mundi curis, puris deſideriis, ad videndam faciem ſui creatoris dumtaxat inardeſcit, nam talium meritis & pia prece, certa ſpe confidimus, civibus ſummis in cœleſti patria feliciter poſſe admiſceri. Sane mentis noſtræ oculis adtendentes ad monaſterium Stabulenſe ac honorabiles abbatem ceteroſque ejuſdem monaſterii fratres pia devotione converſos, pro quorum parte nobis cum inſtantia extitit ſupplicatum, quatenus quoddam privilegium ipſis per ſereniſſimum principem dominum LOTHARIUM olim Romanorum imperatorem conceſſum, & demum per invicteſſimum principem dominum CAROLUM quartum ſimiliter Romanorum imperatorem dominum & patruum noſtrum cariſſimum confirmatum, de noſtra ſpeciali benignitate auctoriſare, approbare, confirmare dignaremur. Nos conſiderantes quod juſta petentibus non eſt denegandus conſenſus, volentes quoque grata noſtræ liberalitatis beneficia prælibatis monaſterio, abbati, & fratribus, ſub conſideratione omnipotentis Dei, & ſuæ matris MARIÆ, &

omnium ſanctorum ejus gratioſe impartiri, A prætactum privilegium in omnibus ſuis tenoribus, ſententiis, clauſulis, & articulis animo deliberato, & de certa ſcientia noſtra approbavimus, ratificavimus, innovavimus, & de ſpeciali noſtra clementia, approbamus, ratificamus, innovamus, & confirmamus valiturum volentes temporibus æviternis. Mandamus inſuper capitaneo terræ noſtræ Luxemburgenſis præcepto & receptori in Durbuii nunc exiſtentibus, aut qui pro tempore fuerint, quatenus præfatum monaſterium, abbatem & ſingulos fratres ejus contra gratias, libertates, & jura in ſupranominato privilegio contentas & contenta, nulla penitus occaſione impediant, aut impediri permittant, quin potius contra eaſdem & eadem inviolabiliter conſerveng. Præſentium ſub noſtri appenſione ſigilli teſtimonio litterarum.

Datum Tangermindis Dominica proxima poſt feſtum aſſumtionis ſanctæ Mariæ, anno Domini MCCCCIX. *Sic ſignatum & ſubſcriptum ſuper plicam.* Ad mandatum domini marchionis, Stephanus canonicus.

INSTRUMENTUM PUBLICUM. C

De facultate adminiſtrandi eccleſias parochiales data auctoritate apoſtolica monachis Stabulenſibus paupertate & ære alieno gravatis.

Anno 1421. REverendo in Chriſto patri & domino domino epiſcopo Leodienſi, ejuſque in ſpiritualibus vicario ſeu officiali, necnon religioſo viro domno abbati monaſterii S. Remacli Stabulenſis, ordinis ſancti Benedicti, Leodienſis diœceſis, ac aliis univerſis & ſingulis quorum intereſt vel intererit, & quos infraſcriptum tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuſcumque nominibus cenſeantur, & cujuſcumque fuerint gradus, ſtatus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, tam conjunctim quam diviſim, BARTHOLDUS DE OCKIER divina favente clementia abbas monaſterii ſancti Huberti in Ardenna ordinis ſancti Benedicti Leodienſis diœceſis, judex & executor unicus ad infraſcripta, ſub titulo dictæ noſtræ abbatialis dignitatis, a ſancta ſede apoſtolica ſpecialiter deputatus, ſalutem in Domino & preſentibus fidem indubiam adhibere. Litteras ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini MARTINI divina providentia papæ quinti, ejus vera bulla plumbea in cordula canapis impendente more Romanæ curiæ bullatas, ſanas & integras, non viciatas, non cancellatas, non abolitas, non abraſas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, ut prima facie apparebat, nobis per religioſum ac diſcretum virum domnum Henricum de Baſtonia monachum profeſſum monaſterii ſancti Remacli Stabulenſis dictæ Leodienſis diœceſis procuratorem, & eo nomine venerabilium ac religioſorum virorum dominorum conventus dicti monaſterii Stabuleuſis in prætactis litteris apoſtolicis principaliter nominatorum, de cujus procurationis mandato nobis conſtetit per legitima documenta præſentatas, nos cum ea, qua decuit reverentia recepiſſe noveritis in hæc verba: MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio abbati monaſterii ſancti Huberti in Ardenna Leodienſis diœceſis ſalutem & apoſtolicam B benedictionem. Sacræ religionis ſub qua dilecti filii conventus mónaſterii ſancti Remacli Stabulenſis, ordinis ſancti Benedicti Leodienſis diœceſis devotum ac ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis eorum, illis præſertim per quæ ipſorum & dicti monaſterii neceſſitatibus conſuletur, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Sane pro parte eorumdem conventus nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dictum monaſterium, quod etiam ex ſua primæva fundatione tam fructuum, reddituum, & proventuum abundantia, quam alias unum de famoſioribus & notabilioribus monaſteriis partium illarum fuit, & in quo quadraginta religioſi vel circiter exiſtebant, impræſentiarum propter crebra guerrarum diſcrimina, quæ partes illas proximis elapſis temporibus, proh dolor! lamentabiliter afflixerunt, nec non hoſtiles inimicorum & pravorum hominum incurſus, alioſque ſiniſtros eventus in ſuis facultatibus adeo diminutum, & tot debitorum oneribus prægravatum exiſtit, quod quatuor ex tredecim monachis actu degentibus in eodem monaſterio ex fructibus, redditibus, & proventibus conventua- D lis menſæ ejuſdem monaſterii propter ipſorum nimiam exilitatem nequeunt commode ſuſtentari, & ipſis ac dicto monaſterio pro tempore incumbentia onera ſupportare non valent. Quodque niſi ipſis & dicto eorum monaſterio ſuper hoc de alicujus ſubventionis auxilio celeriter provideatur, timetur veriſimiliter in brevi monaſterium ipſum magnæ deſolationi ſubjacere, necnon prædictorum monachorum majorem partem, ipſo monaſterio derelicto cogi vagare per mundum. Quare pro parte eorumdem conventus fuit nobis humiliter ſupplicatum, E quatinus remanente in eodem monaſterio de dictis monachis certo numero per te deputando, qui inibi de ipſius menſæ conventualis fructibus, redditibus & proventibus ſuſtentari poterunt, & onera ſibi & eidem menſæ incumbentia ſupportare, cum reliquis monachis ejuſdem monaſterii, ut ipſi quaſcumque parochiales eccleſias, ſeu earum perpetuas vicarias in civitate vel diœceſi Leodienſi conſiſtentes etiam conſuetas

per clericos ſæculares gubernari, ſi ſibi alias canonice conferantur, aut præſententur ad illas, ſeu inſtituantur in eiſdem, recipere & retinere, & ipſarum curam exercere valeant, diſpenſare, & alias in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui monaſteriorum quorumlibet & perſonarum in eis ſub regulari habitu virtutum Domino famulantium utilitatem affectamus, eorumque, quantum cum Deo poſſumus, commodum procuramus, ipſorum ſcandalis obviando, ac de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatinus ſuper præmiſſis hujuſmodi auctoritate noſtra te diligenter informes: & ſi per informationem ipſam, ea veritate fulciri reppereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, deputato per te ex dictis monachis certo numero, qui in ipſo monaſterio virtutum Domino famulari poterunt, & de ipſius menſæ fructibus, redditibus & proventibus ſupradictis ſuſtentari, & alia ipſis & eidem menſæ incumbentia onera ſupportare valeant, cum reliquis ipſius monaſterii monachis ad hoc ſufficientibus & idoneis, ut ipſi quaſcumque parochiales eccleſias, ſeu earum vicarias, in civitate & diœceſi prædictis conſiſtentes, ſi ſibi alias canonice conferri, ſeu eos ad illas præſentari & inſtitui quacumque auctoritate contingat, dummodo venerabilis fratris noſtri epiſcopi Leodienſis, & dilecti filii abbatis dicti monaſterii ad id accedant aſſenſus, & exinde nullum oriatur ſcandalum, recipere, & quouſque monaſterium & menſa hujuſmodi in ſuis fructibus, redditibus, & proventibus adeo abundaverit, quod ad ipſorum & aliorum ejuſdem monaſterii monachorum ſuſtentationem, & ſuorum ac menſæ prædictæ onerum ſupportationem ſufficiant retinere, earumque curam exercere libere & licite valeant, Lateranenſis concilii & quibuſcumque aliis conſtitutionibus apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus monaſterii & ordinis prædictorum, etiam juramento confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate noſtra diſpenſes.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. idus Aprilis, pontificatus noſtri anno iv.

Post quarum ſiquidem litteratum apoſtolicarum præſentationem & receptionem fuimus per dictum dominum Henricum procuratorem & procuratorio nomine præexpreſſo debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad informationem, de qua in ipſis litteris apoſtolicis fit mentio, capiendam, & alias ad executionem earumdem litterarum apoſtolicarum & contentorum in ipſis, juxta traditam ſeu directam a dicta ſancta ſede apoſtolica nobis formam, procedere dignaremur. Nos igitur Bartholdus abbas, judex & executor prædictus volens tamquam verus obedientiæ filius mandatum apoſtolicum hujuſmodi reverenter exequi, ut tenemur, auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa, de & ſuper contentis in dictis litteris apoſtolicis nos diligenter informavimus, ac debitam informationem per teſtes idoneos, quos idem procurator ob hoc coram nobis produxit, id quod in eiſdem litteris apoſtolicis narratur atteſtantes, ac alias legitime recepimus. Et quia per diligentem informationem hujuſmodi ſic per nos habitam, ita eſſe, quod quatuor ex tredecim monachis actu degentibus in eodem monaſterio Stabulenſi ex fructibus, redditibus & proventibus conventualis menſæ ejuſdem monaſterii propter ipſorum nimiam exilitatem nequeunt commode ſuſtentari, & ipſis & dicto monaſterio pro tempore incumbentia onera ſupportare non valeant, quodque niſi ipſis ac dicto eorum monaſterio ſuper hoc de alicujus ſubventionis auxilio celeriter provideatur, timetur veriſimiliter in brevi monaſterium ipſum magnæ deſolationi ſubjacere, necnon prædictorum monachorum partem majorem, ipſo monaſterio derelicto, cogi vagare per mundum. Et ea quæ in ipſis litteris apoſtolicis narrantur veritate fulciri reperimus, idcirco eadem auctoritate apoſtolica deputatis per nos quinque ex dicti monaſterii monachis, qui in ipſo monaſterio virtutum Domino famulari poterunt, & de menſæ ipſius monaſterii Stabulenſis fructibus, redditibus, & proventibus ſupradictis ſuſtentari, ac alia ipſis & eidem menſæ incumbentia onera ſupportare valeant, cum reliquis ipſius monaſterii monachis ad hoc ſufficientibus & idoneis, ut ipſi quaſcumque parochiales eccleſias ſeu earum vicarias in civitate & diœceſi prædictis conſiſtentes, ſi ſibi alias canonice conferri, ſeu eos ad illas præſentari & inſtitui quacumque auctoritate contingat, dummodo conſenſus veſtri reverendi in Chriſto patris & domini domini epiſcopi Leodienſis, necnon domini abbatis dicti monaſterii Stabulenſis ad id accedant, & exinde nullum oriatur ſcandalum, recipere, & quouſque monaſterium & menſa hujuſmodi in ſuis fructibus, redditibus, & proventibus adeo abundaverit, quod ad ipſorum & aliorum ejuſdem monaſterii monachorum ſuſtentationem, ac ſuorum & menſæ prædictæ onerum ſupportationem ſufficiant retinere, earumque curam exercere libere & licite valeant, Lateranenſis concilii & quibuſcumque aliis conſtitutionibus apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus monaſterii & ordinis prædictorum, etiam juramento confirmatione apoſtolica vel quacumque alia roboratis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, dicta auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa, diſpenſavimus &

dispensamus, juxta ipsarum litterarum apostolicarum formam & tenorem. Quæ omnia & singula præmissa vobis dominis episcopo, abbati, ac aliis universis & singulis suprascriptis intimamus, publicamus, & notificamus, ac ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducimus & deduci volumus per præsentes. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium præsentes litteras, seu præsens publicum instrumentum, hunc nostrum processum in se continentes, seu continens, per notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique fecimus appensione sigilli communiri.

Datum & actum modo & forma præmissis in domo nostræ abbatialis habitationis sita infra emunitatem dicti nostri monasterii S. Huberti in Ardenna, anno a nativitate Domini MCCCCXXI. indictione XIV. die Jovis, quarta mensis Julii, hora vesperorum vel circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Martini papæ prædicti anno quarto, præsentibus ibidem honorabilibus ac discretis viris VVilhelmo de *Lantins*, Johanne *Hustins*, VVilhelmo de *Ans*, Johanne de *Grucenaixhe* Leodiensis diœcesis & pluribus aliis, litteratis viris testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Nicolaus *Colon* de Viseto presbyter Leodiensis diœcesis publicus sacra imperiali auctoritate notarius, quia prædictarum litterarum apostolicarum præsentationi, receptioni, requisitioni, informationi, testium depositioni, dispensationi, omnibusque aliis & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur per reverendum in Christo patrem & dominum dominum BARTHOLDUM abbatem prænominatum una cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi, ideoque hoc præsens publicum instrumentum per alium mihi fidelem, me aliis occupato negotiis fideliter scriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, hic me manu mea propria subscripsi, signoque & nomine meis solitis & consuetis, una cum appensione sigilli domini abbatis executoris præfati signavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

SAUVE-GARDE DE PHILIPPE DUC de Bourgogne &c. pour l'abbé & doyen de Stavelot & de Malmedy.

Anno 1463. Ex mss. Malmundarens.

PHILIPPE par la grace de Dieu duc de Bourgogne, de Lothier, de Brabant, de Lembourg, comte de Flandre, d'Artois, de Bourgogne, palatin de Haynnay, de Hollande, de Zellande & de Namur, marquis du saint empire, seigneur de Frise, de Salme, & de Malines, à nostre gouverneur de Luxembourg ou a son lieutenant, & a tous nous autres justiciers & officiers quelquonques sur ce requis salut. A l'humble supplication de reverend pere en Dieu le abbé, doyen, & religieux ez convents des engliſes & abbayes de Stavelot & Malmedy etants d'ancienneté a cause de la fondation desdites engliſes & abbayes en la protection & sauvegarde de nos predecesseurs & de nous, & lesquels d'abondant & de nouvel en tant que mestier est, ensemble leursdites engliſes, grainges, maisons, lieux, & heritages d'icelles engliſes tant en chiest comme en membres, leurs familles, serviteurs, dismeurs & officiers en faisant leurs offices, censiers, maisons, censes, molin, granges, terres, preis, bois, vignes, renies, recevances & biens quelconques, nous y avons prins & mis, prennons & mettons par la teneur de cette, si vous mandons & expressement commandons & commettons par ces presentes, que iceux suppliants ensemble leursdites engliſes, familles, serviteurs & biens desseursdits vous maintenez, ou garderez, ou faites maintenir & garder en toutes leurs susdites possessions, droits, usages, coutumes, privileges, franchises & libertez, esquels vous les trouverez estre & leurs predecesseurs avoir estez paisiblement d'ancienneté, & les gardez & deffendez, ou faites garder & deffendre de par nous, & aussi leursdittes familles, serviteurs, fermiers, dismeurs & officiers, de toutte injure, violence, griefs, oppositions & molestations de tort, de force d'armes, de puissance, de lays, & de touts autres infestations & nouvelletez indeues; lesquels si vous trouvez estre ou avoir estez faits contre ou prejudice de cette presente sauvegarde, & desdits suppliants, leurs familles, serviteurs, dismeurs, fermiers & officiers desseurdits ramenez & remettez, ou faites ramener & remettre tantost & sans delay en premier estat & droit & nostre presente sauvegarde volons estre publiée & signifie par nostre bien aimé Jehan le Thieſſon *chatelain de Soren, que commettons a ce que ceste es lieux, & aux personnes dont il serat requis, & se iceux suppliants, leurs familles, serviteurs, dismeurs, officiers ou censiers, ou aucuns d'eux veullent avoir autre asseurance, icelluy leur faitz donner & bon & loyal selon la coutume du pays, & en ... d'icelle notre sauvegarde en cas d'eminent peril mettez & asseez, ou faites mettre & asscoire nos bastons & penonceal en moien de nos armes en & sur les maisons, granges, terres, possessions, & biens quelconques desdits suppliants, en faisant faire inhibition & deffence de par nous a tous ceux qu'il appartiendra, & dont par lesdits suppliants serez requis sur certaines & grosses peines a nous a appliquer, que ausdits suppliants, leurs familles, serviteurs, dismeurs, officiers & biens quelconques d'icelles engliſes ne mefassent, ou fasent meffaire en aucune maniere, & pour les choises desdits plus diligenment executer,*

deputez auxdits suppliants ou a leurs serviteurs, procureurs, ou autres officiers a leur depens raisonnables, se requis en estez un ou plusieurs de nos sergans, ou autres officiers, lesquels toutesfois ne s'entremettent de chose qui require cognoissance de cause.

Donné en nostre ville de Bruge le penultieme jour de Decembre, l'an de grace mille quatre cent soixante-trois.

Par monseigneur le duc à la relation du conseil.

DIPLOMA FREDERICI III. imperatoris.

Gaspari abbati concedit regalia ac confirmat omnia monasterii privilegia.

Anno 1466. FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ rex, ac Austriæ, Stiriæ, Karinthiæ & Carniolæ dux, dominus Marchiæ Sclavonicæ, & Portus-Naonis, comes in *Hapspurg*, Tirolis, Pherretis, & in *Keburg*, marchio Burgoviæ & lantgravius Alsatiæ. Notum facimus tenore præsentium universis firmiter, quod ad salutem æternæque vitæ gaudia nobis credimus provenire, cum religiosarum personarum quæ divinis sunt obsequiis deputatæ, profectibus & commodis libenter intendimus, & eisdem favorem cæsareum liberaliter impartimur. Sane pro parte venerabilis GASPARIS abbatis monasterii Stavellensis Leodiensis diœcesis, principis devoti nostri dilecti, nostræ majestati extitit humiliter supplicatum, quatenus sibi sua ejusdemque monasterii regalia & feuda conferre, ipsumque de iisdem investire, ac sibi suoque conventui, ac jamdicto monasterio omnia & singula ipsorum privilegia, litteras, jura, libertates, donationes, bona atque possessiones, quæ & quos a divæ memoriæ Romanis imperatoribus & regibus prædecessoribus nostris ac aliis principibus & Christi fidelibus rite obtinuisse noscuntur, approbare, ratificare, innovare, & confirmare gratiosius dignaremur. Nos itaque præfati GASPARIS abbatis supplicationibus tamquam rationabilibus benigniter inclinati, sibi prædicta regalia sive feuda, ita tamen quod ipse GASPAR in manus venerabilis episcopi Leodiensis nostri & imperii sacri principis devoti dilecti, dum & ad hoc requisitus fuerit, debitum atque in ejusmodi recipi solitum homagii præstet juramentum, eo etiam pacto, quod quamprimum nos ad terras sacri imperii superiores devenire contigerit, atque id pro rei commoditate visum fuerit expedire, sæpe nominatus GASPAR, princeps noster personaliter in manus nostras ejusmodi præstet juramentum, contulimus, ac tenore præsentium conferimus gratiose, necnon sibi suoque conventui, & monasterio Stavellensi universa & singula privilegia, litteras, jura, libertates, immunitates, donationes, bona, possessiones, villas, curias, quæ & quas ipse ac sui prædecessores abbates, præfatusque conventus pro ipsis ac dicto monasterio a præfatis nostris prædecessoribus ac aliis Christi fidelibus rite & rationabiliter obtinuerunt, in omnibus suis tenoribus, sententiis, punctis, & clausulis de verbo ad verbum, prout scripta, seu scriptæ sunt, ac si tenores eorum & earum singuli præsentibus inserti consisterent, etiamsi de eis in præsentibus jure vel consuetudine specialis mentio fieri deberet, auctoritate imperiali approbavimus, ratificavimus, innovavimus, & confirmavimus gratiose, ac tenore præsentium approbamus, ratificamus, innovamus, & de certa nostra scientia benigtius confirmamus. Inhibentes universis & singulis principibus ecclesiasticis & secularibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, officialibus, magistris civium, scabinis, consulibus, & communitatibus civitatum, oppidorum & villarum, ceterisque nostris & imperii sacri subditis & fidelibus, ne præfatos abbatem, conventum & monasterium Stavellense, aut eorum homines, & bona adversus nostræ approbationis, innovationis, ratificationis & confirmationis indultum, impediant aliquatenus aut molestent, aut suos impedire seu molestare permittant, quin potius eos nostro & imperii nomine protegant realiter & defendant, sicut nostram & imperii sacri indignationem gravissimam, ac pœnas in privilegiis & litteris ejusdem monasterii expressas, necnon pœna quadraginta marcarum auri puri voluerint artius evitare. Quarum medietatem ærario nostro imperiali, reliquam vero partem præfatorum abbatis & conventus ac monasterii Stavellensis usibus decernimus applicandam. præsentium sub nostræ imperialis majestatis sigilli appensione testimonio litterarum.

Datum in Nova-civitate die vicesima sexta mensis Junii anno Domini MCCCCLXVI. regnorum nostrorum, Romani vicesimo septimo, imperii decimo quinto, Hungariæ vero octavo. *Sic signatum & subscriptum.*

Ad mandatum domini imperatoris. UDALRICUS episcopus Pat. cancellarius. *Et a tergo.* R. Rudolfus Kayntsigger.

DIPLOMA FREDERICI imperatoris ad Philippum Burgundiæ ducem.

Ut abbas Stabulensis a suis subditis subsidia exigere possit.

Anno 1467. Ex ms. Malmundariensi. FEDERICUS divina clementia Romanorum imperator semper augustus, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ rex, ac Austriæ, Stiriæ

Stiriæ, Karintliæ, & Carniolæ dux, comesque Tirolis. Illustri PHILIPPO Borgondiæ duci principi & consanguineo nostro carissimo gratiam nostram cæsaream & omne bonum. Illustris princeps consanguinee carissime, cum uti relatione accepimus fide digna, Stabulense Leodiensis, & Malmundariense Colonienſis diœcesis ordinis sancti Benedicti monasteria guerrarum turbine, incommodis, rapinis ac variis insolentium invasionibus, in eorum fructibus, bonis, redditibus & obventionibus plurimum demolita, extenuata, damnificata, impignorata & onerata existant, adeo ut nisi manibus adjutricibus piorum releventur, in ruinam verisimiliter tendant irrecuperabilem. Nos quia singulorum, præsertim spiritualium locorum, monasteriorum & ecclesiarum advocatiæ & tuitionis veluti Romanorum imperator curam gerimus præcipuam, dictorum monasteriorum indemnitati consulere, atque a debitorum, quo obvoluta, sunt onere releventur providere cupientes dictorum monasteriorum abbati in præsentiarum ut in dictis dominio & diœcesibus abbatiarum antedictarum ab universis per se & commissarios suos per ipsum abbatem ad hoc constituendum, seu constituendos illas & illæ inhabitantibus, illisque subditis & subjectis & eorum quolibet, sed & hac vice dumtaxat in extenuationem debitorum prænominatorum, bonorumque impigneratorum tuitionem, contributionem, sive subsidium caritativum exigere, percipere, & auxilium vestris facultatibus subditorum eorumdem debitæ moderationis honestate servata sublevare & in monasteriorum prænominatorum usus & utilitatem licite & libere possit & valeat præsentis indulti nostri patrocinio auctoritate nostra Romana cæsarea, & ex certa scientia concedimus & indulgemus dilectionem tuam ut abbati & regentibus prænominatis, cui in his auxilii opem pro solita tua benevolentia feras serioſius, exhortantes contradictores quoscumque & in hujusmodi forsan rebelles auctoritate nostra congruentibus pœnis compellando recepturus pro gratitudinis vice favores gratiæ & benevolentiæ nostræ liberales.

Datum in Nova-civitate xiv. die mensis Junii, anno Domini MCCCCLXVII. regnorum nostrorum Romani xxviij. imperii xvj. Hungariæ vero ix. Ad mandatum domini imperatoris.

FUNDATIO DUORUM ALTARIUM in ecclesia Stabulensi, a Gaspardo abbate, sub certa obligatione missarum dicendarum &c.

Anno 1485. UNiversis & singulis catholicæ fidei cultoribus tam futuris quam præsentibus has litteras inspecturis, lecturis, seu eas legi audituris. GASPAR Dei gratia monasteriorum Stabulensis, Leodiensis & Malmundariensis, Colonienſis diœcesis canonice ad invicem unitorum ordinis sancti Benedicti humilis minister & abbas salutem in Domino sempiternam. Vigilanti mihi transacta nocte a somno mox occurrit, & in mente plus solito remansit infixa meditatio, quæ circa miseriam & afflictionem, quibus crebro humana afficitur conditio, versabatur, quippe inter cetera mundi mala, quæ toti suæ posteritati prothoparens noster Adam quasi hereditario quodam titulo delegavit, unum comperi, & id magis horrendum atque præcipuum, ipsam videlicet mortem, quæ tum certissima sui expectatione, tum adventu suo quammaxime incerto, indebiles infert & mœrorem & tristitiam. tam enim est incertitudine varia tamquam inter se repugnans conditio mortis, ut ea nihil homini certius sit, ejus autem hora nihil incertius. Nam quomodo in nocte fur aut latro, sic & homini plerumque non præmeditata advenit, & subito mundana cuncta prætipiens dulcissimum corporis & animæ nexum solvit, ubi tunc ipsa anima quæ sic a vasculo, corporis violenta quadam prædatione surripitur expers criminis & adornata virtutibus. Si fuerit ad suum opificem, a quo tam pridem processit gaudens & intrepida, iterum conscendit mercedem pro labore receptura, quod si vacuam illam! a piis operibus abiisse contingat, jam misera imo miserrima justo Dei vindicis judicio transgressore, pœnas mandatorum, pœnas infernales mox subire cogitur, ubi nulla quies, nulla spes, sed sempiternus horror inhabitat. Sic quoque inter & per hæc ad me ipsum reversus, conspicienſque in me provectæ jam ætatis canitiem, quæ præfixum ab initio terminum adesse indicat, aures meas pulsare non cessans, ut ad longinquum iter arripiendum, & illud valde angustum asperumque me præparem, ac de singulis circa illud requisitis oportuno tempore mihi provideam, quatenus dum hora abeundi insliterit, reflexis jam undique callibus facilior tutiorque ad optatam patriam aditus mihi pateat & accessus. Talibus itaque pulsatus judiciis, & his aliquando intendens, atque de bonis mihi a Deo collatis, de illis maxime quidem, quæ ex residuo abbatialis portionis passim stantibus bonorum separationibus, recoliegeram, priusquam a morte præveniri contingat, quidpiam boni præparamenti præmittere cupiens, ex prompto scilicet ab hujusmodi bonis excrescente nonnullos fructus, census, redditus, & proventus primo comparavi, prout adhuc in futurum, sicut facultas dederit, latius facere intendo, atque illos in auctentico registro desuper confecto ad perpetuam rei memoriam describendos;

duxi. Deinde hujusmodi fructus, census, redditus, & proventus omnes de singulis prætactos, quemadmodum in ipso regiſtro cum eorum pignoribus terrarumve ac locorum poſitionibus, necnon juncturarum diſtinctionibus, liquide habentur, dum adhuc ratio viget & intellectus, ad bina altaria quæ jamdudum in medio eccleſiæ dicti monaſterii Stabulenſis poſteriori parti chori ab utraque parte inhærentia erigi, inſtrui, & conſecrari diſpoſui, dextrum videlicet ad honorem ſanctæ Crucis, trium regum, beatarum Annæ matris MARIÆ, Barbaræ & Margaretæ martyrum; reliquum vero ad B ſiniſtrum ad laudem ſanctæ Trinitatis, beatorum Nigaſii, Quirini & Scuvicu'i atque Juſti martyrum, necnon Sigiberti regis dictorum monaſteriorum primi fundatoris, de plenariis conſenſu ſimul & aſſenſu confratrum meorum decani, totiuſque conventus dicti monaſterii Stabulenſis tamquam in dotem illis aſſignando converti & applicavi illa quoque de & cum hujuſmodi bonis & redditibus tamquam ad ſuſtentationem eccleſiaſticæ perſonæ & oneri ſupportanda ſufficientibus competenter dotavi, adhæredavi, & in titulum unius eccleſiaſtici beneficii fundavi, erexi, atque per præſentes C doto, adhæredo, fundo & erigo, quatenus ex hoc divini cultus officium inibi accipiat incrementum modis & formis ſubannotatis. ſtatui namque & volui, ſtatuo & volo, ut ex nunc inantea quatuor miſſæ qualibet ſeptimana alternativis vicibus, nunc in uno ſuper reliquo altarium prætactorum abſque ulla oblivione per ipſorum rectorem dicantur & celebrentur, niſi forteſſe incumbente aliqua gravi infirmitate, per quam legitima de cauſa cogatur a celebritate ceſſare, devotione tamen & honeſtate debitis in hoc ſemper ſervatis, ſub quibus miſſis ſingulis D vicibus memoriam cum collecta pro me fundatore præfato, proque parentibus, amicis, & benefactoribus meis inſerendam duxi. Quarum ſiquidem miſſarum talem continuationis ſeriem conſtituo, ut tres primæ celebrentur de die vel tempore, Dominica, die lunæ & Mercurii diebus, quarta vero miſſa defunctorum die Veneris pro me fundatore hujuſmodi altarium, ac pro parentum, progenitorum, benefactorum meorum & omnium fidelium defunctorum ſalute. Quod ſi aliqua feſta celebria infra ebdomadam occurrant, fiant extunc primæ miſſæ E potius talibus feſtivis diebus, quam feriatis, dummodo tamen hujuſmodi feſta non ſint de patronis prætactis vel dedicatione, quia talibus diebus inſtantibus dicantur miſſæ ſpeciales ſupra & ultra dictas quatuor miſſas, conſiderato quod quarta miſſa dicatur potius aliquo die non feſto quam feſtivo, & hoc die Veneris, ſi alias congrue fieri poſſit. gitur finita ſic qualibet miſſa, is qui tunc celebravit rector, necdum alba exutus A divertat ſe cum aſperſorio benedictæ aquæ circa tumulum meum, quod ante ingreſſum chori pro ſepultura mea mihi paravi & elegi, ibique aſpergendo illud, legat pſalmum: *Miſerere mei Deus*; vel pſalmum: *De profundis*; cum collecta defunctorum pro me ſæpe memorato fundatore. Inſuper diſpono quod in ſingulis quatuor anni partibus, dictus rector legat vigilias cum novem lectionibus, & hoc die ſibi magis congruo; altera vero die ſequenti celebret miſſam defunctorum. Quod faciendum dico poſt diem obitus mei loco anniverſarii mei, ubi tunc ſingulis quatuor vicibus more exequiarum decenter obſervet illud, & celebret, ac peragat officium circa funeralia defunctorum debitum & conſuetum, ubi perlecta immediate miſſa, ipſe rector conſtitutus circa ſepulturam meam diſtribuet pauperibus, ſingulis quatuor temporibus, tredecim albos panes, ſeu miccas duorum ſolidorum monetæ Leodienſis. Dies vero dedicationis dictorum altarium ſtatutus, eſt celebrandus nona die menſis Julii. Vacantibus igitur altaribus prædictis volo ac firmiter obſervandum diſpono atque relinquo, quod is, qui ad hujuſmodi altaria obtinenda admittendus, ſeu deputandus fuerit, nullo impedimento, cujuſcumque religionis aſtrictus exiſtat, ſed ſit actu preſbyter ſæcularis, honeſtæ quidem vitæ & bonæ converſationis, aut ejus ſaltem ætatis, quod infra annum poſſit in ſacerdotem ordinari, quo nihilominus intermedio tempore per alium ſacerdotalis ordinis virum ſervitium miſſarum prætactarum fideliter adimpleri, ac perfici ſtudeat, ſi fructibus ac redditibus ad id deputatis gaudere, uti & frui voluerit. Præſtet quoque in adeptione dictorum altarium ſolemne juramentum, perſonalem ſe facturum reſidentiam ac illis perſonaliter deſerviturum. Fundum quoque, bona, fructus & redditus eorumdem quoſcumque & calicem in eſſe pro ſuo poſſe conſervare, atque illis de caſula ceteriſque ornamentis neceſſariis totiens quotiens opus fuerit ſimul de luminari competenter providere, cui nec liceat tempore divinorum per eccleſiam vagabundus deambulare, ſed decentius, honeſtiuſque ſit ei capellis dictorum altarium, aut choro inſiſtere, & ibi aut horas ſuas legere, aut orare, cantare, vel aliud bonum facere. Ceterum abbati in pontificalibus exiſtenti, vel celebranti indutus ſuperpellicio miniſtrabit, librum ante eum tenendo, alia quoque obſequia ex tunc ſolita & requiſita benevolus impendendo, quatenus ex hoc majorem ſibi gratiam ab eodem conſequatur & favorem. Præterea collationem hujuſmodi altarium ac rectoris inſtitutionem admiſſionemque ad ea quotienſcumque vacaverint, mihi, quamdiu in humanis vixero, reſervo: poſt deceſſum vero meum ſucceſſoribus meis abbatibus legitimis imperpe-

tuum attribuo, relinquo & affigno. Volo tandem hujuſmodi altarium rectorem, quoad vixero, meæ, ac poſtquam vita functus fuero, diemque extremum obiero, ſucceſſorum meorum abbatum diſciplinæ, juriſdictioni pariter & correctioni ſubjacere debere. Ut ergo dictorum altarium fundatio, dotatio, & inſtitutio, cum omnibus ſuis exceptionibus, clauſulis & conditionibus præmiſſis, perpetuæ poſterorum commendetur memoriæ, ſitque & maneat firmioris ſtabilitatis, roboris, fidei ac teſtimonii; ego JASPAR abbas præfatus præſentis fundationis litteras deſuper confectas, ſigillo meo majori eiſdem inferius impenſo, muniendas volui & decrevi. Cujus quidem fundationis negotii dictos meos confratres decanum & capitulum Stabulenſe non minus conſcios feci, quatenus de eorum conſenſu ſimul & aſſenſu ſuum ſortiretur effectum. Unde nos decanus, totumque capitulum monaſterii Stabulenſis prætactum deſiderium reverendi in Chriſto patris & domini noſtri, domini JASPARIS abbatis monaſteriorum præfatorum, circa divini cultus augmentum tendere attendentes, & ob id eidem in hac parte liberius complacere, atque alias obedire, prout tenemur, cupientes, prætactis fructuum emptioni & ad dicta altaria applicationi, adhæredationi, fundationi, erectioni, dotationi, miſſarumque celebrandarum ordinationi, rectoris eorumdem inſtitutioni, ejuſve correctioni, necnon omnibus aliis & ſingulis rebus quibuſcumque præmiſſis noſtros conſenſus & aſſenſus impartimur, & adhibemus, ea quoque in omnibus & per omnia, quantum in nobis eſt, & liberis mentibus proferendi fas eſt, ratificamus & roboramus. Verum juriſdictione & proprietate dicti monaſterii Stabulenſis præmiſſis non obſtantibus ſemper ſalvis & illæſis. Sigillum quoque noſtrum præſentibus duximus appendendum in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Datum anno a nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quinto menſis Januarii, die penultima.

EPISTOLA NUNTII APOSTOLICI ad epiſcopum Leodienſem.

Ut papæ ſignificet, qua ratione diſciplina regularis in Stabulenſi monaſterio reſarciri poſſit.

Ex mſ. Malmundarienſi.

REverendiſſime & illuſtriſſime princeps & domine, domine colendiſſime.

CUM proxime litteras ex Urbe acciperem, inter plurima etiam ſignificabatur S. D. N. non ſine animi ſui amaritudine intellexiſſe, abbatias tres, eaſque valde inſignes, in hiſce provinciis jam multis annis a comite quodam occupari, regularem autem diſciplinam, pietatem, cultumque divinum & cetera quæ ex divi Benedicti regula requiruntur, in illis negligi: adeo ut niſi ſanctitas ſua paterna ſollicitudine in tempore proſpiceret, deteriora quæque metuenda. Et cum ſua beatitudo, magnam ſpem in reverendiſſima illuſtriſſima G. V. ſemper habuerit repoſitam, ac intellexerit Stabulenſem abbatiam unam ex illis, in ejuſdem G. V. reverendiſſimæ & illuſtriſſimæ diœceſi ſitam, voluiſſe Sanctitatem ſuam apoſtolico brevi eamdem G. V. paterne admonere, quo illius monaſterii præſentem ſtatum plenius cognoſceret & quando illius regimini in ſpiritualibus & temporalibus oportune conſuli poſſet, ſecum ſuo more prudenter ſtatueret, ac de ſingulis S. S. certiorem redderet, prout etiam idipſum a reverendiſſimo Colonienſi epiſcopo quantum ad ſecundam Malmundarienſem abbatiam, cum illam illius diœceſis diſtrictu complecti intelligat, pari paterno affectu requirit. Mitto itaque ipſum apoſtolicum breve, ex quo reverendiſſima & illuſtriſſima G. V. Sanctitatis ſuæ mentem voluntatemque copioſius intelligat, & ſolita ſua pietate quo paterno B. ſuæ Sanctitatis deſiderio ſatisfiat, curabit.

EPISTOLÆ WIBALDI ABBATIS STABULENSIS ET CORBEIENSIS,

VIRI CUM SPLENDORE GENERIS TUM PIETATE AC REBUS GESTIS PRÆSTANTISSIMI.

Ex mſ. codice imperialis monaſterii Stabulenſis αὐτόγραφον.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

In quibus ejus vita ex antiquis utriuſque monaſterii monumentis, aliiſque probatis auctoribus deſcribitur.

CUM *vetera Stabulenſis monaſterii inſtrumenta Wibaldi litteris præmiſimus, viris eruditis æque conſulebamus, atque ipſis imperialis loci aſcetis, quibus jucundum fore videbatur, gazam omnem ſuam litterariam ita collectam & coacervatam recognoſcere. Ut enim brevitatis ſtudio omittamus multa inſtrumentis illis, eaque ſcitu digniſſima, de Wibaldo contineri, quæ ætas deleverat, tanta certe ipſis eſt cum ejus epiſtolis convenientia, ut poſſint epiſtolis eiſdem inſtrumenta, & inſtrumentis viciſſim epiſtolæ illuſtrari. Id vero ſi neceſſe erit uno aut altero exemplo confirmari, epiſtolam afferimus* 40. *ubi Henrico Leodienſi epiſcopo Wibaldus de Euſtachio nobili viro conqueritur.* Euſtachius, *inquit*, veſter & parochianus villam Tornines invaſit. *Euſtachium igitur illum qui volet cognoſcere, inſtrumenta ſi inſpiciet attentius, fratrem fuiſſe comperiet Adalberonis Leodienſis epiſcopi, Godefridi comitis Namurcenſis conſanguineum, advocatum denique Leodienſem, qui tempore Innocentii ſecundi ab epiſcopo prædicto perculſus eccleſiaſtica cenſura, villam eamdem* Turnines *æque violenter occupatam, compulſus fuit reſtituere.*

Vid. ſupra dipl. Alberon. p. 108.

Ita & nomen Erheberti Wibaldi fratris, cujus honorifica habetur mentio epiſtola 79. *ex inſtrumentis ſolum duobus, quibus ſubſcripſiſſe legitur innoteſcit. Neque etiam, opinamur, id uſquam occurret, quod epiſtola* 346. *inſinuat, aulam ſe Cæſaris in ipſo ætatis flore frequentaſſe, atque adeo imperatoribus quatuor operam dediſſe. At rei hujus*

Vid. ſupra p. 108. 116. 217.

argumentum est non leve, & diploma illud eximium quod nondum abbas proprio nomine potuit impetrare anno 1128. *in plena synodo Leodiensi, & quæ sequuntur Lotharii imperatoris, & Conradi regis privilegiorum instrumenta duo, ubi ipsius in regni administratione fides & strenuitas, quasi tum ad regni clavum sedisset, diserte prædicantur.* Pag. 87. Pag. 98. Pag. 103.

Jam vero cum ex singulis hisce monumentis appareat, Wibaldum, seu virtus spectetur & acies ingenii, seu rerum gestarum gloria, præstantissimum sua ætate fuisse, & fere nulli secundum, eumdemque de ecclesia & imperio difficillimis temporibus optime esse meritum. Mirari satis non possumus, viri memoriam ac pene nomen silentio premi Quid enim de eo memoriæ prodidere Germaniæ scriptores, cum antiqui tum recentiores, & quibus præsertim id oneris incumbebat, Otto Frisingensis, Radevvicus, aliique coætanei! Quid Saxoniæ chronographi! Prodiit quidem ante annos decem clarissimi viri D. Libnits *opera Corbeiæ novæ breve chronicon, quod satis continue præcipuos viri actus exequitur, sed opus illud miserum, tam fœdis erroribus inquinatur, ut fœtum esse suspicemur mediocris cujusdam & recentissimi scriptoris, qui nec fere Corbeiam noverit. Quî enim fieri potuit, ut Wibaldi vitam, contra fidem monumentorum omnium monasterii inclyti, ad annum* 1174. *produceret. Is certe error, ut plures alios omittamus, Meimbomio, si hic qualiscunque auctor ipsi venit in manus, occasio fuit Wibaldum Stabulensem, quem sciebat aliunde, vir doctus, in Græcia interiisse anno* 1158. *a Corbeiensi distinguendi, sicque abbates ex uno fingendi duos.* Script. Brunsvic. tom. 3. p. 296.

Otto Frisingensis, *inquit*, scribit VViboldum, hunc ipse VVibaldum nominat, jussu imperatoris in Græciam Constantinopolim ablegatum; HUJUS LEGATIONIS COLLEGA FUIT WIBALDUS STABULENSIS, VIR PRUDENS *& paucis interjectis*, GUIBALDUS STABULENSIS COLLEGA VVICKBOLDI in legatione transmarina, non sine suspicione propinati veneni mortuus est: *hæc ille.*

Neque diligentiores videntur fuisse Leodiensis ecclesiæ annalium sartores, cujus tamen ecclesiæ Wibaldus lumen fuit & columen annis amplius 30. *Ex his enim unus omnino, lustratis quam diligentissime omnibus cum urbis tum sacrarum ædium archivis, & ceteris provinciæ monumentis, hæc pauca non ita pridem de ipso quasi hæsitanter scribebat.* Doctrina rerum sanctiorum usu & veritate celebrari cœpit, totamque diœcesim illustrare VViboldus, e monacho VValciodorensi, (ita cœnobii habent archia), abbas Stabulensis, eamque sui in omnem partem famam diffudit, ut Corbeiæ Germanici monachi ipsum abbatem sibi præfici postularint. Quo tempore? nihil habeo, nisi quod ipse scripsit ad Bernardum Hildesheniensem episcopum in hanc sententiam: Eram in Stabulensi monasterio valetudine vix satis confirmata post febrim, quæ me Viterbi hebdomadas quinas detinuerat, quando ad me venerunt xv. calend. Decembris, qui me Corbeiensem abbatem tunc designatum nuntiarent, cum sacri ordinis conventum Leodii haberet Henricus episcopus. *Hæc ille, quæ certe minus explorate dicta, neque sunt admodum accurata.* Fillen. lib. 30. Legiæ sacræ ad an. 1145.

Paulo fusius & accuratius Wibaldum scriptis suis celebravit Petrus diaconus, Cassinensis monachus & coævus, ac nostra ætate Nicolaus Schaten *doctus Jesuita, annalium Paderbornensium auctor. Sed quantilla hæc sunt? ea solum hic attingit, quæ vetera Corbeiæ instrumenta produnt; ille vero hæc solum exequitur quæ tum in monte Cassino acta sunt, cum Lotarii jussu raptus est ad sedem Cassinensem, atque adeo de ejus origine, de ætate puerili, de studiis, quæ solent uti certa futurorum præsagia in præstantissimis viris annotari, uterque auctor habet nihil.* Chronic. Cassin. l. 4. c. 124. &c.

Ex his videre est, quam sit difficile, virum immortali dignum memoria, his involutum tenebris, luci debitæ restituere. Attamen ut promissis quodam modo stemus, eorum scilicet insigniorum virorum, quorum epistolæ, hoc in opere emitterentur, actus a nobis illustratum iri, qualecumque vitæ ejus specimen, cum ex citatis auctoribus,

tum ex antiquis Corbeiæ & Stabuli monumentis, nobiſſimâ quamamiſſimè communicatis, aggreſſi ſumus, amiciſſimè viciſſim tantillum hunc conatum chariſſimis utriuſque loci aſcetis & fratribus offerentes.

FLOREBANT apud Leodios ſeculo undecimo & ſequentibus, viri nobiles domini de Prato, multis & magnis dignitatum titulis eminentes. Wibaldum ex eo genere eſſe oriundum, Johannes Stabulaus S. Laurentii monachus, de fratre ejus Erleboldo agens, commentariis ſuis inſeruit. Atque huic auctori quodam modo aſtipulatur poeta Ligu-
Lib. 4. *rinus, cum Wibaldum canit* clara ſtirpe creatum. *Conſentiunt etiam Stabulenſium monumenta, quæ Leodienſem eſſe ſatis inſinuant. Sed & Wibaldus ipſe provinciam Leodienſem non ſemel patriam ſuam appellat.* Ceterum fratres chariſſimi, *inquit epiſt.* 305. reditum noſtrum ad vos accelerare prohibet non ſolum Stabulenſis eccleſiæ, verum etiam totius Lotharingiæ concuſſio, quæ utique (*eccleſia Stabulenſis*) noſtra patria eſt, quæ nos genuit, educavit & provexit. *Quibus adde Erebertum ejus fratrem, qui unus paternarum opum heres fuit, domum ſeu caſtellum non longe abs monaſterio Stabulenſi habuiſſe.*

Fratres ipſi fuere duo & una ſoror, EREBERTUS, ERLEBOLDUS, & HAVIDIS, omnes certe æque prædicandi. Primus enim accepta cruce Conradum regem cui erat a cancellis, in Paleſtinam ſecutus eſt anno 1148. *& Stabulenſium monachorum perpetuus fuit defenſor, quorum etiam cauſa multa tulit damna, atque ipſo*
Sup. pag. 217. *caſtello ſuo fuit aliquando ſpoliatus, uti ex edita a nobis Cœleſtini epiſtola ad Alberonem Leodienſem epiſcopum ſatis conſtat.*

ERLEBOLDUS autem S. Laurentii Leodienſis primum, deinde Stabulenſis, mo-
Brevis hiſt. mſt. Stabul. abbatum. *nachus, ubi ſub fratre Wibaldo abbate plura edidit virtutis ſpecimina, datus eſt ipſi ſucceſſor anno* 1158. *multis ſtrenue actis cum ad ſummos pontifices tum ad imperatores legationibus. Poſt felicem denique & glorioſam adminiſtrationem, Deo ſoli vacaturus ceſſit dignitate anno* 1192. *nec multo poſt feliciter obdormivit. Tertia denique HA-*
* f. Geriſheim. *VIDIS in monaſterio* * Gerigesheim, *Chriſto deſponſata meruit ut ſororibus præficeretur circa annum* 1150. *Hoc quippe anno Wibaldus ipſi, miſſo anulo, congratulatur, epiſtola* 220.

Horum trium, ut videtur, maximus natu fuit Wibaldus. Is ab ipſis incunabulis ereptus mundo, monachis Stabulenſibus traditur rudimentis imbuendus religionis. Stabulenſis eccleſia, *inquit epiſtola* 78.... lacteo nos pietatis alimento nutrivit, & delicta juventutis noſtræ & ignorantias noſtras non reminiſcens, nos ſi qua in prælatione æſtimatur dignitas, ad ſummum ſui regiminis gra-
Epiſt. 41. &c. dum provexit. *Et alibi eccleſiam eamdem,* matrem *vocat* nutricem, educatricem.

Labentibus paulatim tenellæ ætatis annis, grammaticæ applicatur & rethoricæ, ſub diſciplina venerabilis Reinardi, qui tum Stabulenſium ſcholas mira ſapientia regebat. Is Wibaldum juvenem ob eximiam cum virtutis tum ingenii naturam tanto amore proſequebatur, ut poſt aliquot annos creatus primus Reinehuſenſis abbas, & deinde ſenior factus, ad finem uſque vitæ loco haberet filii, paternæque ætatis privilegio utens, admonuerit frequentius, cum ad ſummos dignitatis gradus aſſumeretur, ne ſeſe ſineret male blandientis ſeculi illecebris illaqueari. Id videre eſt in nonnullis ejus epiſtolis, quæ certe pietatem ſpirant non vulgarem. Magnos hoc magiſtro progreſſus fecit Wibaldus, & diſciplinis altioribus brevi maturus, ad majores Leodienſium ſcholas ſtatim fuit evocatus. Tum vero ſumma ejus & ingenii felicitas & judicii vis enituere, ut paucorum annorum intervallo dialectica, rhetorica, arithmetica, geometrica & aſtronomia imbueretur. Eas adhuc ſcholas frequentaſſe anno 1115. *ipſe ad Eugenium papam*
Epiſt. 371. *circa annum* 1152. *ſcribens his verbis indicat:* ante annos ferme 37. cum eſſemus pueri ſub ſcholari diſciplina in prædicta civitate (*Leodienſi*) conſtituti. *Sed jam mundi pertæſus receſſum meditabatur, de loco ſolum dubius hæſitans.*

Invitabant quidem vetera Stabulenſium merita ad eos ut diverteret, at ſolitudinem

quærebat quæ eſſet ab hominum conſuetudine remotior, & forte vicinitatem verebatur conſanguineorum, quorum, quiſquis ſeſe Deo devovet, conſortium fugit. Quibus omnibus una cum Richero ſtudiorum conſcio & propoſiti rite penſatis, anno 1117. *vaſtam Valciodori ſolitudinem ſelegit.*

Erat tum temporis Valciodorenſium fama ſub Widrico abbate quæ ſapientes & litteratos undique alliceret. Undique conveniebant, *inquit antiquus auctor*, jugo levi obedientiæ colla ſubmittere, & cœleſtis hauſtu dulcedinis carnalis vitæ æſtum refringere, ac dicere cum propheta : Sitivit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea. Hujus guſtata ſuavitate dulcedinis, *pergit idem auctor*, magiſter VVibaldus & magiſter Richerus ſine ulla deliberationis mora præfatum abbatem adeunt, atque illi æſtus ſuos confitentes, conſilio ipſius veſtem cum ſpe priori mutant, religionemque ſub eo profitentur. Chronic. Valcied. Specil. tom. 7.

Neque tamen Wibaldus, quem Deus optimus ad labores magis actuoſæ vitæ vocabat, quam ad contemplativæ otium, ſperatam Valciodori quietem invenit. Widricus enim cognita ejus & profunda eruditione & morum maturitate, fere prius ſcholis regendis eum applicat, quam ſolemne religionis vota nuncupaſſet. Stabulenſes vero ſollicitant ut ad ſe ſe redeat, acerbius conquerentes ereptum ſibi eſſe, trahunt denique, ſecum detinent, atque elapſis annis ſeptem vel octo abbatem ſibi conſtituunt.

Æque gravis proculdubio Wibaldo ac Walciodorenſibus diſceſſus ille fuit; his quidem qui doctum juxta & pium magiſtrum amittebant, illi vero qui ad ſcopulum e tranquillo rapiebatur. Sciebat Stabuletum frequentes eſſe nobilium concurſus, ibique cum ipſa loci celebritate, tum ob ſummam ſancti Remacli venerationem, curias ut aiunt, aliquando ſuas habere imperatores. Triumphabant econtra Stabulenſes hunc ſibi redditum virum cujus auctoritate & prudentia priſtinæ dignitati poſſent reſtitui. Ab uſque obitu enim Folmari venerabilis abbatis, qui circa annum 1106. *contigit, monaſterii res peßum ibant. Poppo de Bello-monte ejus ſucceßor multa prædia abalienaverat, ea in beneficium, ut aiunt, conferens, unde &* depopulator *dictus eſt. Eo decedente, Varnerus quidam dignitate abbatiali uſurpata, quinque annos intruſus rexerat, ac tandem depoſitus præpoſituram exercebat. Quantum hæc mala detrimenti conferant diſciplinæ nemini prorſus latet. His igitur medendis Wibaldus ſatis videbatur idoneus.* Vid. ſupra pag. 89.

Sed quo præciſe anno Stabuletum advenerit reperiri nuſquam potuit, cum tamen aliunde conſtet eum anno ſalutis 1130. *creatum eſſe abbatem, concludi neceſſe eſt & ibidem ante Henrici V. imperatoris obitum degiſſe: nec enim, uti jam diximus ſtatim creatus eſt abbas. Et nobis hic Petrus diaconus chronici Caſſinenſis continuator tametſi minus accuratus, quodam modo conſentit.* Hic, *inquit de Wibaldo agens*, natione Lotharingus, & a pueritia in monaſterio Stabulenſi monachus factus, grammaticam, dialecticam &c. ad plenum eruditus, atque a quinto Henrico imperatore ejuſdem cœnobii Stabulenſis abbatiam regendam ſuſcepit. Chronic. Caſſin. lib. IV. c. 124.

Cuno Popponis legitimus ſucceſſor, optimum in VVibaldo adjutorem reperiens, non ſcholas ſolum ei commiſit, uti tradit chronicon VValciodorenſe jam citatum, ſed & monaſterii portam, quod præcipuum erat Stabuleti munus, ob frequentes quos diximus principum & imperatoris acceſſus. Imo de maximis quibuſque negotiis cum eo conferens, ejus conſiliis quam lubentiſſime utebatur. Sic agente VVibaldo, diſſenſiones illæ graves quæ occaſione allodii de Bras *inter Evrardum* d'Iſiere, *& homines monaſterio ſubditos jam pridem exortæ erant, ſopitæ ſunt anno* 1124. *ſub certis conditionibus. Meliorata bona quæ in Calco erant negligentia miniſtrorum redacta pene ad nihilum. Pactum eſt fœdus anno* 1127. *cum vicario Sprimontenſi, quicum multa erant ordinanda.* Vid. ſupra p. 84. 85. Hiſt. mſ. abbat. Stab.

At nihil magis ipſi cordi fuit quam ut Malmundarienſes in ordinem redigeret. Numquam illi, uti oſtendimus in prævia obſervatione ad Stabulenſium inſtrumenta, niſi inviti admodum ferre potuere ſeſe quodam modo ſubjici Stabulenſibus, jugumque illud ab ipſo ſancto Remaclo ſibi impoſitum exuere jam ſæpius tentaverant, antiquitatem ſuam levius quam verius jactitantes. Et ex hoc fonte derivata diſcordia in utrumque monaſ-

terium ex eo tempore defluxerat, ſed tum æſtuabat magis, credentibus forte Malmundarienſibus opportunum ſibi adeſſe tempus, cum Stabulenſium res ob malam Popponis & Vernerii adminiſtrationem miſcebantur. Tam acriter negotium illud VVibaldus eſt

Vid. pag. 87. & 88. *proſecutus, ut tandem anno* 1128. *ad felicem exitum perduxerit, inſigni impetrato diplomate abs archiepiſcopo Colonienſi, quo definitur ut* Malmundarium eo ſubjectionis jure Stabulenſi eccleſiæ obediat, quo jure omnes cellæ vel præpoſituræ ſuis cœnobiis ſubjici videntur.

Tantos vero tum temporis tam nobiles tam neceſſarios ſibi & monaſterio amicos, cum in Italia tum in Germania conciliavit, ut ſuſpicari libeat, ſummos Germaniæ principes atque ipſum Henricum V. imperatorem ejus miniſterio frequentius eſſe uſos. Tum certe cum Gerardo cardinali, qui ſummum pontificatum poſtea adeptus Lucius II. eſt dictus, amicitias junxit, uti ipſe declarat Johanni cardinali Gerardi ejuſdem ſive fratri ſive

Epiſt. 50. *ſororis filio ſcribens anno circiter* 1148. Quid laboramus, *inquit*, cum propitium judicem habeamus, quem ſane non timemus, pro eo quod ex officio ſedis ſuæ catholicæ eccleſiæ cuſtodiam & canonicæ litis arbitrium habet. Sed pro eo diligimus quod nepos eſt ſummi quondam pontificis papæ Lucii, qui nos ante ſupremum provectionis gradum unice dilexit, & in apoſtolatus culmine conſtitutus eccleſiam noſtram & nos maxime honoravit. *Et paulo infra*: Tueatur nepos quem avunculus dilexit, protegat ab ipſo ordinatus quem ille provexit, ſervet preſbyter cardinalis judicium ſummi pontificis, ut nullis concuſſionibus eum fatigari permittat, quem ille honore dignum putavit. O quanta veræ dilectionis fiducia in ipſo ineundæ familiaritatis imo notitiæ primordio. Ita vobiſcum ſecure & liberaliter loquimur, ſicut cum illo, illo inquam avunculo veſtro ſermocinari conſueveramus, cujus intima amicitiæ gratia viginti & eo amplius annis ſine offenſione uſi, & ut minus uſitate, ſed verius dictum ſit fruiti ſumus.

Hiſt. mſ. abbat. Stab. *Prolixus ſim ſi ceteros omnes cum epiſcopos tum cardinales hic velim enumerare, quos ſic privatus ſibi devinxit. Hæc porro ſui documenta edebat, quando deceſſit e vita dominus Cuno, cujus exitum Stabulenſes non ſine magna virtutum celebritate, ad quartum idus Decembris anni* 1128. *conſignant. Neque vero quiſquam, opinamur, ſubrogandus huic abbati reperiebatur VVibaldo dignior. At ſive abſens eſſet, reipublicæ negotiis intentus, ſeu dignitatem illam vir modeſtiſſimus a ſe removeret, quod ſæpius feciſſe oſtendemus; ſuffectus eſt Johannes* Rulland, *vir quidem pius & induſtrius, ſed cetera minime notus. Biennio is præfuit, ac tandem fato functus, tertio calendas Novembris, anno* 1130. *abbatiam VVibaldo reliquit, qui quarto ab ejus obitu die electus eſt. Nec ſine Dei optimi conſilio factum eſt, ut eo præciſe eligeretur anno, quo ſummus pontifex Innocentius ſecundus, prævalente Petro Leone, ſua pulſus ſede eſt. Numquam utique legitimo pontifici ſubveniſſet Germania, ſi ejus conſilio fuiſſet deſtituta. Pauciores vix effluxerant anni, ex quo tota pene conflagrarat ſchiſmate luctuoſiſſimo. Fumabant adhuc diverſis in locis incendii hujus reliquiæ, quæ excitari vel levi flatu poterant. Lothario ſæpius imperii proceres & miniſtri ſuggerebant, Romanos immodica aviditate jura proferendi ſua ultra fines conſtitutos, inveſtituras eripuiſſe. Adjiciebant vero recuperandi eas occaſionem præbere ſchiſma recens exortum, cum reſtitui ſedi ſuæ ſummus pontifex abſque ſubſidio imperatoris nullo modo poſſet. Aliquot jam menſes Gallia, quæ perfugium eſſe ſolet ſummis pontificibus, Innocentium detinebat avidius; ſed & Germanis, felicitati gentis nimis invidentibus, paterne indulgens, ad extremos Belgii fines movere deſtinabat, nuntiabaturque Leodium brevi venturus. Quo audito, Lotharius e Saxonia ſub initium anni* 1131. *Rhenum tranſmiſit, & nuntiato pontificis adventu, ipſe cum multis imperii proceribus obviam progreſſus, eum Leodio undecimo calendas Octobris perhonorifice excepit. Rurſus pontifex in conventus epiſcoporum xxx. & liij. abbatum, regi & conſorti ejus Richiſæ diadema impoſuit. His veluti comitiis damnato Petro Leone, ſubſidium omne promiſit Innocentio Lotha-*

rius

vius adversus pseudo-pontificem, at de investituris facta mentione, non modicam animo ejus curam injecit, quæ tamen puncto temporis discussa est, suadente Bernardo Claræ-vallis abbate, ne vetus illa quæstio tantis laboribus composita denuo agitaretur.

Quas tum partes Wibaldus egerit, Stabulensium monumenta prorsus silent, sed nec usquam legimus utrum tantæ celebritati coram adfuerit præsens. Adfuisse suadet dignitas nova, quæ locum ipsi inter principes imperii dabat, & excusationem admittebat nullam monasterii ejus vicinia. Ceterum, soluto Leodiensi conventu, Lotharius & Richiza Treviros contendentes, sanctam celebraturi paschatis diem, Stabuletum appulere pridie idus Aprilis, cum Mathæo Albanensi legato, & magna procerum pompa. Dominica erat palmarum, qua die prima panduntur mysteria morientis Christi. Die postera basilicam ingressi rex & regina, prostrati diu jacuere, sacras venerantes sancti Remacli exuvias. Tum Lotharius, approbata ibi Wibaldi electione, confirmatisque insigni diplomate, quod superius edidimus, monasterii privilegiis, perrexit Treviros usque. Sequebatur inter principes regem Leodiensis præsul, sed mox Stabuletum reversus, Wibaldum, peracto prius paschali die, inauguravit. Tertius jam mensis & eo amplius ab ejus electione transierat, & vix ullum ex eo tempore colligendi sui habuerat spatium. Tum vero pusillum nactus quietis, oneris sibi imposiți immensam persensit molem, videns inde monasterii bona potiorem partem dispersa aut neglecta, hinc disciplinam in dies singulos labi. Quæ duo cum difficilius quovis in loco reparentur, in Stabulensi reparari ferè non poterant, avocantibus assidue abbatem negotiis imperii. Tenebatur qua princeps, solemnibus reipublicæ comitiis frequens adesse, sequi in expeditionibus imperatorem, parare copias, ipsa in discrimina venire. Atque his omnibus videbatur præ ceteris Wibaldus futurus obnoxius, eum ob miram in consulendo solertiam, tum ob incredibilem in exequendo celeritatem, quæ sane duo ubi primum eminere in ipso Lotharius deprehendit, eum quasi admisit in administratione imperii consortem. Et fidem his facit instrumenti ejus exordium, quod ipsi concessit idem imperator anno 1136. *Wirsburgi.* Noverit, *inquit*, omnium fidelium nostrorum tam futuræ quam præsentis ætatis industria, quod nos venerande, abba Wibalde, fidelitatis tuæ constantiam & labores quos nobiscum in administratione imperii nostri perfers pensantes, ecclesiam tuam in omnibus defensare & privilegiis munire decrevimus. Pag. 70. Vid: supra. pagg. 96. 97.

Tamen cum attenderet non principis solum vices Stabulensem abbatem implere, verum & pastoris, atque adeo monasterii non minus quam imperii demandatam ipsi esse curam; sic uni perinde ac alteri vacabat, nullum ut intermitteret tempus a labore.

Quod ad monasterium spectat, primam reformationi disciplinæ regularis operam collocavit, utque omnibus eo pariter tendentibus, felicem propositi sui finem consequeretur, singulis quos digniores sciebat, propria tribuit munia. In his Warnerum, & eo mortuo Robertum studiorum sub Reginardo sodalem, constituit priorem seu decanum, quæ Stabuleti proxima dignitas est ab abbate. Hic prudentia & virtute præcellebat, atque imprimis eloquentia. Taceo, *inquit prædictus* Reginardus Wibaldo scribens, de Tulliana eloquentia fratris Roberti Stabulensis decani, qui nos aliquando nihilominus aliquantisper audivit, quam in eisdem litteris sum admiratus, cui certe stylo paucorum vel antiquorum non dico modernorum stylus meo judicio videtur esse prælatus. Epist. 34.

Scholis Henricum præfecit monachum vere pium & eruditum, cujus labores & merita non semel epistolis suis celebravit.

Erlebaldum denique germanum fratrem, qui Leodii apud Laurentianos vota religionis nuncuparat, accitum ad se capellanum prius instituit suum, deinde custodem, sic porro appellatur is cui commissum est instrumentorum archivum. Neque vero sanguini destinatio hac referatur, cum jam videretur muneribus primis adolescens dignissimus. Vid. supra pag. 116. & 125.

His tribus præsertim adjutoribus, fieri non poterat quin brevi recalesceret tepidior

obſervantia. Et novi utique fervoris quædam veſtigia epiſtolæ Stabulenſium nonnullæ ad Wibaldum exhibent, & Wibaldi viciſſim ad ipſos, ſed ea in primis in qua fratrum

Epiſt. 136. *quatuor mortem luget.* Manus Dei, *inquit*, ſupra monaſterium noſtrum eſt extenta, evocando ad ſe & ſubtrahendo nobis fratres noſtros, rebus utique divinis maxime utiles ac neceſſarios. Nos triſtamur fratres atque lugemus illos nobis eſſe *ademtos*, qui orabant pro populo & pro civitate noſtra, intenti jugiter corde & voce ad ſui conditoris amorem ac laudem, ſectantes humiliter obedientiam, diligentes veraciter noſtram perſonam. Sed lætatur in cœlis Chriſtus cum angelis factos eos eſſe ex ipſius gratiæ dono glorioſæ civitatis ſuæ municipes. *Fratres illi quatuor primis ſolum litteris deſignantur, ſed quæ prædictis tribus Roberto, Henrico, & Erlebaldo minime conveniunt, ex quo conſtat non paucos tum temporis Stabuleti floruiſſe magnæ pietatis viros.*

At vero quæ pietas in monaſterio, confuſis omnino rebus & conturbatis vigere diu poteſt? nulla prorſus quanta quanta ſit. Id quod attendens Wibaldus, ſuſcepta rerum & bonorum adminiſtratione, ſollicite inquiſivit quid ferrent monaſterii redditus, quid detractum ex illis eſſet, quid diſperſum, quid uſurpatum, atque utrum & quomodo reſtitui abſque injuria poſſet. Majoris ſane erat molis hæc inquiſitio quam ut ipſe unus eam ſubiret, adeo confuſa imo deſperata omnia invenit.

Diximus ſuperius plurimos monaſterii fundos Popponem ſecundum penſionibus annuis elocaſſe quæ tenues admodum erant. Locationes hujuſmodi nuncupant beneficia, *& quibus fiebant* beneficiarios *ſeu* miniſteriales, *ac tandem penſiones illæ annuæ dicebantur* cenſus. *Cum vero tenuitas ipſa cenſuum, ut propria uſurpem verba, eo adduceret inopiæ monaſterium alias opulentum, ut fratribus paucis ea quæ ad cultum & victum eſſent neceſſaria vix poſſet ſuppeditare. Tanto nihilominus lucro beneficiarii illi non contenti, alii non ſolvebant cenſus; alii deberi negabant, quidam uſurpabant fundos elocatis illis contiguos, ſicque infinitæ excitabantur quotidie lites & bellorum incendia. Atque monaſterii patroni quos vocant advocatos, nominis ſui immemores, horumce motuum occaſione captata, in ipſos monaſterii ejuſdem ſubditos ſæpius graſſabantur, exuentes bonis, deprædantes domos & denique comburentes. Sed ipſum audiamus Wibaldum, mala hæc ſuo more deſcribentem, familiarem vero ſuum Henricum alloquitur.*

Epiſt. 294. Magna eſt ruina ordinis noſtri, quam in tam multiplici rerum neceſſariarum defectu nos ſublevare poſſe non confidimus. Porro tanta eſt apud vos rerum tenuitas, & præbendæ quotidianæ defectus, ut etiamſi totum regnum firmiſſima pace frueretur, vix tamen valeret ſe Stabulenſis eccleſia ſuſtentari. Advocati veſtri, peccatis facientibus, non ſunt pauperum defenſores, ſed crudeliſſimi vaſtatores, & libertatis veſtræ inimiciſſimi inſidiatores. Miniſteriales veſtri, qui maxime deberent eccleſiam ſuſtentare, converſi ſunt in arcum pravum, & neque mandatis obtemperant, neque agriculturam, ubi ipſi villici ſunt exercere adjuvant. Sed quod deterius eſt, impediunt & devaſtant. A quibus detrimentis nulla fere eccleſiæ veſtræ poſſeſſio aliena eſt, & maxime illæ curtes vacuæ & neglectæ ſunt, de quibus præcipua, & præbendæ ſupplementa capi ſolebant.

Vexationibus illis iniquis vir conſtans irritatus magis quam depreſſus, animum non deſpondit, ſed diſponens prudenter omnia, atque agens indefeſſe, modo compoſitione, modo vi eas paulatim repreſſit.

Vid. ſupra pag. 92. *Ac primo miniſteriales aggreſſus decreto, ſanxit*, irritas fore alienationes, quas fratrum conſenſus, & legitima abbatis donatio cum advocati adſtipulatione, dato teſtamento non confirmaſſet. *Quod decretum facilem Stabulenſibus aperiebat viam ea recipiendi quæ ſine hujuſmodi conditionibus fuiſſent alienata. Et hæc quidem multa reperiebantur, ſed præcipue in curte Andernaci, quæ recepta ſunt anno 1132. Tum vero eoſdem urgens inſtantius.* Multiplicibus, *ut ipſius verbis utar* & pene in-

extricabilibus periculis *effecit, ut medietas* eorum beneficiorum quæ Poppo dederat, resignaretur sibi tam ab hominibus monasterii liberis, quam a ministerialibus.

Advocatos etiam ceterosque monasterii adversarios seu potius prædones vi volens repellere, constructiones suscepit totas propugnaculorum, atque ingentis vici seu oppidi translationem, ipsa est Longia, quæ sane princeps quilibet difficillimis illis temporibus aggressus numquam esset, nisi in magna rerum opulentia, eaque omnia, si non ipso quo proposuerat, certe anno septimo perfecit. Videre est hac de re instrumentum ab eo confectum, ubi situm vici hujus antiqui & statum, translationis causas, privilegia novis incolis concessa, aliaque scitu dignissima plane suo more graphice describit. Supra pag. 106.

Negotiis interea quæ speciali quodam modo Dei gloriam, vel sancti alicujus cultum attinerent, libentius operam dabat. Duas olim Cuno & Johannes decessores sui, ecclesias Heribrando de Longia dederant jure feodi: in prædicto vico Longia unam, aliam in monte sancti Rainheri, hoc etiam insuper concesso, ut vacantibus illis sacerdotum morte, provideret *ipse laicus*, de novis sacerdotibus, conducta ad investituram altaris persona. *Non tulit vir sanctorum canonum minime rudis, ecclesias a laico dari, abusumque illum, seu volente seu nolente Heribrando, correxit anno* 1133. Pag. 93.

Villam Bovinias extremis in finibus Namurci sitam, quæ furente sævitia Normannorum sacris sancti Remacli pignoribus perfugium dederat, & ob id unum magnæ apud Leodienses veneration, instaurare gestiens, sibi petiit dum viveret fruendam concedi, erat namque fratrum vestiario destinata. *Receptam igitur eam, funditus eversam, destitutam incolis & colonis pristino restituit decori. Plurima alia strenue egit Wibaldus, quæ editis a nobis Stabulensium instrumentis fusius continetur, sed hæc pauca satis ostendunt, quam sollicite vices explerit omnes abbatis.* pag. 94.

Quid vero operæ negotiis imperii dederit libentius exequemur, cum ea potissimum vitæ suæ parte conspiciendus sit.

Vidimus superius Lotharium, soluto Leodiensi conventu, ubi proposita quæstione de investituris & suppressa, suppetias tandem promiserat Innocentio, Stabuletum cum ceteris imperii proceribus appulisse. Quis statim præcipuam itineris hujus causam non præsentiat?

Opinamur nos voluisse regem cum Wibaldo secretius conferre de suppetiis illis ferendis. Et inde conjicimus prima Stabuleti fuisse agitata consilia Italicæ expeditionis, quæ exitus habuit tam prosperos, atque immortalem Lothario gloriam comparavit. Id vero suadent ea quæ colloquium sunt subsecuta. Non solum concidit quæstio odiosa de investituris, sed rex, collecto statim exercitu, ad partes Italicæ sub finem sequentis anni contendit.

Tum vero quantos Wibaldus pertulit labores? Nondum pedem ab urbe Augusta Wendelicorum moverat rex, cum ecce tibi adest nuntius, Conradum Suevia ducem, qui Italicum regnum invaserat, irrupisse in Germaniam, atque eumdem omnia miscere, plurimis ad partes ejus inclinantibus. Is territus expeditionis fama de viis itineribus cum exercitu fugerat ab Italia res novaturus. Reprimendi igitur Wibaldo fuere uti & ceteris imperii proceribus rebellium conatus, confirmandi alii in fide Cæsaris, providendum statim exercitui de necessariis, cavendum denique quocumque modo, ne malum illud improvisum latius serperet. Singula hæc, ut multa alia non expendunt scriptores antiqui, verum constat Wibaldum hac occasione insignia cum fidei tum virtutis, & precipuæ in rebus gerendis solertiæ specimina edisse, quæ certe Lotharium, confecta expeditione, eo compulere, ut deinceps virum illum frequentius de præcipuis imperii negotiis appellaret, atque eumdem brevi in Italia videbimus ingenti præfectum classi, quæque in pericula se se inferentem & adversus schismaticos molientem consilia.

Reversus est Cæsar ab Italia anno 1133. *uti scribit auctor chronici Hildeshemiensis, cui concinunt Corbeiæ novæ monumenta, atque adeo annus vix unus expeditioni sumtus est. Hoc scilicet intervallo totam subegit Italiam cum modico exercitu & Innocentium, profligatis perfidis schismaticis, suam in sedem collocavit.*

Addunt auctores coævi, Conradum, qui rebellaverat, statim fuisse receptum in gratiam, agente in primis sancto Bernardo Clarævallis abbate. Verum non ita facile alienati ab invicem animi principum conciliantur, & sat probabile est Wibaldi consilius & precibus eo sensim adductos fuisse, & Conradum, ut finita expeditione veniam abs cæsare deprecaretur, & cæsarem ut Conrado veniam daret. Atque hic fons hæc origo est consuetudinis hujus veteris, quæ deinde eidem principi cum Wibaldo intercessit, quæ tanta fuit ut post aliquot annos in regni solium sublimatus, germanis suis illum licet, in
Epist. 340. *altissimo principatus culmine constitutis, sæpe numero anteponeret.*

Incipiebat vero cæsar multarum palmarum nobilis pacis hujus suavitates degustare, cum denuo frequentibus litteris ab Innocentio admonetur, schismaticos rebelles, quos paulo ante devicerat, vires jam recepisse novas, eosdem omni ex parte irruere, tempus denique
Chronic. Cassin. l. 4. c. 97. *instare propius*, ut Romani imperii coronam ab hostium jugo defenderet, & ecclesiam scissam ad pacem, concordiam & unitatem.... liberaret.

His commotus cæsar, perpendensque obstinato cum hoste bellum esse gerendum, plura diversis in locis comitia habuit generalia, ubi de nova expeditione Italica tractabatur, abjectaque omni cunctatione, copias undique colligi curat, quibus & Henricum superbum Bavariæ ducem generum suum præficit, adjunctis ipsi Conrado Sueviæ duce, de quo superius egimus, & Wibaldo abbate. Ac tandem per Alpes Tridentinas ingressus in Italiam sub initium Septembris, anno 1136. *Ravennam cum instructissimo exercitu concessit in hiberna, expugnatis eversis aut receptis in deditionem quæque occurrere castellis & oppidis. Ravennæ deliberatum de bello per Apuliam & inferiorem Italiam inferendo, ac de Sicilia ipsa invadenda, ut nullum de cetero perfugium ipsis relinqueretur, atque adeo pestis illa tota plane concideret. Expeditioni huic maritimæ, quæ magnam in duce dexteritatem exigebat, Wibaldus præficitur, ita tamen ut ne prius discederet ab imperatore, quam classis quæ instruebatur, aliquo tandem moveret. Hinc cæsari Wibaldus fere ubique consilius æque ac virtute adfuit. Exacta hyeme imperator exercitum educens duas in partes dividit, missoque cum altera Henrico genere in Campaniam, ipse cum altera, adscito sibi Wibaldo Umbriam, Æmiliam, Flaminiam, Picenumque provincias Romano*
Chronic. Cassin. l. 4. c. 106. *regno subjecit.* Inde vero, *inquit Petrus diaconus*, castra movens supra Barum, quæ totius Apuliæ caput est, tentoria figit, & a civibus urbis susceptus, arcem quam Rogerius magnifice construxerat, oppugnare modis omnibus cœpit, ac tandem magno labore ad solum usque deduxit.

Ibid. c. 105. *Interea Henricus gener, Capuano principatu, nullo pene obsistente redacto, Beneventum, quo Rogerius tyrannus xx. millia militum induxerat, in deditionem accipiens, Innocentio summo pontifici restituit, & statim ad imperatorem cum eo revertitur. Junctis hoc modo viribus, brevi omnes Apuliæ urbes Romano subduntur imperio, ejectusque Rogerius Capuanus princeps confugit in Siciliam.*

Ibid. c. 105. *Tum Lotharius convocato apud Melphiam conventu, Wibaldum navalis expeditionis ducem Neapolim misit, ut classem milite & armis instrueret. Ipse vero cum exercitu Salernum contendit, expugnata hac urbe in Siciliam quo se hostis contulerat trajecturus. Verum Wibaldus professionis suæ non immemor, sacra sancti patris* BENEDICTI *limina, quæ non ita distabant prius voluit visitare, vices certe deploraturus suas, qui sic vitam fere omnem ab ejus institutis, uti censebat, prorsus alienam transigeret. Hæc & alia similia secum in animo volutans vir pius & laudes fastidiens bellicas, sanctum subiit montem, easdem venerabunde vias terens, quas olim sancti pene innumeri ad cœlestem patriam tendentes tenuere. Excepius a fratribus, uti decebat, quam honorifice, indoluit vehementer, quod dissiderent ab invicem, prævalerentque in dies in loco sancto perfidi schismatici. Dissentionis & mali auctor unus reperiebatur Raynaldus Tuscus, qui locum tenebat abbatis. Cum enim superiore anno, Seniorecto abbate defuncto, electus fuisset a paucis, & competitorem habuisset Raynaldum Colmentanum, virum pium & prudentem, in quem convenerant vota partis sanioris, timentes quidam turbulenti & audaciores monachi, fautores Tusci illius, ne respueretur omnino, tum eo quod esset*

solum-

ſolummodo initiatus ſacro ſubdiaconatus ordine, atque ab Anacleto, quem non cognoſcebat imperator, tum quod de ſimonia poſſet convinci, eum tumultuarie & ſeditioſe, *ut verbis utamur Petri diaconi, renitentibus omnibus aliis fratribus*, apprehenderant, & in ſancti patris Benedicti cathedra locantes, ſibi conſtituerant in abbatem. *Ex eo igitur tempore intruſus ille abbatiam tenuerat, tametſi ſæpius imperatori Ravennæ hyemanti, conqueſti erant de eo Caſſinenſes. Sed noviſſime vocatus ad conventum Melphiæ, de prædictis omnibus reſponſurus, quo tandem res caderet neſciebatur, cum multos ſibi pecunia & muneribus amicos conciliaſſet.* Chronic. Caſſin. l. 4. c. 104.

Hæc & plurima alia, quæ tumultus hujuſmodi ſubſequi ſolent, Wibaldus graviter ferens, fratres omnes in capitulum vocatos, amice admonuit: Reminiſci illos debere, qualiter per totum fere orbem prædicationis fluenta, & monachicæ vitæ rudimenta ab eodem loco manaſſent: quanta & qualia pater Benedictus divina fretus potentia ibi patraſſet: qualiter ſua corporali requie, regulæque deſcriptione Caſſinenſe cœnobium, caput omnium monaſteriorum, perpetuo conſtituiſſet. Poſtremo, propter filium Petri Leonis ab eccleſia disjuncti, & ſeparati eſſent, oportere illos dare operam, ut reformarentur, ut tanti loci fluenta ad antiquum claritatis ſtatum redirent, & ad papam Innocentium, quem totus mundus ſequebatur, converterentur. *Hæc cum peroraſſet, patri BENEDICTO ſe commendans & fratribus, Neapolim abiit.* Petrus diac. Chron. Caſſin. l. 4. c. 124.

Interea Raynaldus præſtito pontifici Innocentio & Cæſari fidei ſacramento in conventu Melphienſi, atque impetrata amicorum interventu facultate revertendi Caſſinum, modo ut ſuos ad idem adigeret ſacramentum, id quod injunctum fuerat reverſus explevit. At non ſtetit diu vir nequam in fide promiſſa, accito ſtatim Gregorio Adenulphi de ſancto Johanne, ut Caſſinum adverſus imperatorem muniret, uti paulo ante fecerat, cum Henricus Bajoariæ dux irrupit in Campaniam. Chronic. Caſſin. l. 4. c. 118.

Sperabat forte imperatorem, quem fama ferebat in Siciliam transfretare, ob ætatem provectiorem numquam eſſe reverſurum. Sed ſua eum ſpes fefellit. Nam imperator, obſeſſa urbe Salerno & recepta, ſentiens ſe ſe viribus in dies deſtitui, mutato conſilio, Capuam ſe recepit, proponens ante hyemem migrare in Germaniam. Ibi audito ex Caſſinenſibus Raynaldum contra fidem promiſſam defeciſſe ad ſchiſmaticos, iratus valde, Brunonem miſit campidoctorem *cum militum manu ad monaſterium, qui perjurum cuſtodirent. Nec multo poſt ipſe ad civitatem S. Germani accedens, pœnas ab eo petiturus infidelitatis, juſſit* in ſecretario baſilicæ Domini ſalvatoris cuſtoditi, *ac tandem* ad monaſterium, *inquit Petrus diaconus*, ubi examinandus erat, ſub cuſtodia non parva remiſſus, *paucis diebus elapſis, legitime exauctoratur, conſpirantibus in idipſum ſummo pontifice & imperatore, quorum arbitrio cauſam ejus permiſerant Caſſinenſes.* Ibid.

Quo die ferri debebat ſententia, non pauci adſuere cum imperatore cardinales, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates & procerum multitudo infinita. In his vero eminebant præ ceteris, Aimericus cardinalis S. R. E. cancellarius, Gerardus cardinalis S. Crucis, Peregrinus patriarcha Aquileienſis, Bernardus abbas Claræ-vallis, qui ſuo more prolocutus, animos omnium non modice eo inclinavit, ut ſchiſmaticus idem & intruſus e loco ſancto exturbaretur. Cumque hoc omnes pariter conſtituiſſent, ſoluto conventu, itum eſt in beati Benedicti ædem.

Tum vero cardinales prædicti cum patriarcha Raynaldum evocantes, coram altari ſententiam tulere. Et ſic juſſu illorum, *pergit Petrus diaconus*, præſente imperatore, *& univerſis imperii magnatibus, virgam & anulum, necnon & regulam ſupra corpus ſanctiſſimi Benedicti (locum deſignat ubi olim ſacræ ejus exuviæ colebantur) depoſuit.*

Quibus peractis, & reverſis omnibus in capitulum, de novo abbate ſubſtituendo tractaturis, gravis in ipſo ingreſſu cardinales inter & Caſſinenſes monachos exorta contentio totam abſumſit diem. Volebat Gerardus cardinalis S. Crucis, ut ex monaſte-

vio fratres assumerentur duodecim, qui vice solum summi pontificis, abbatem secum nominarent. Addebatque præclare cum ipsis agi, cum suo summo jure uti summus pontifex posset. Ex quo enim sese ejusdem pontificis arbitrio permisissent in Raynaldi causa, devolutam ad ipsum esse pro hac vice omnimodam electionem. Timentes vero Cassinenses multis de causis, quas exponere hic longum esset, ne abbas e gremio, ut aiunt, sibi præficeretur, privilegia opponebant sua cardinali, & pro virili contendebant ea ne violarentur. Eo contentio exarsit, ut cardinalis ira succensus, nomine ecclesiæ interdixerit, ne ulla fieret electio: sed exoratus ab imperatore summus pontifex, cardinalis hujus interdictum die sequenti revocavit, annuens monachis, ut, servata privilegiorum integritate, abbatem crearent, dum nulli extraneo Cassinensis ecclesia submitteretur, quæ Romanæ sedi Stephanum VIII. Victorem III. & secundum Gelasium apostolicos dedisset.

Ferebant tamen Cassinensium privilegia. Henricum pium Romano pontifici
*I. octavo. septimo * Benedicto consecrationem Theobaldi abbatis Cassinensis, quem ipse imperator ordinaverat, concessisse, & unum prandium in eundo & redeundo ad Beneventum, reliqua vero Romano imperio reservasse, atque idipsum confirmasse Conradum, & Henricum ejus filium. *Ex quo constabat extraneos aliquot Cassinensi monasterio esse ordinatos abbates, sed & nonnullos ab ipsis imperatoribus designatos, jure quodam speciali, & accedente fratrum consensu, summo pontifici, post initam possessionem fuisse oblatos ut inaugurarentur. Jus porro illud, quod vulgo dicitur* jus investiturarum, *ubique olim exercebant imperatores, sed absque ullo fundamento. At vero in Cassinensi ecclesia, quæ* CAMERA ERAT IMPERIALIS ET DE JURE PATRONATUS IMPERII, *deberi ipsis adhuc credebatur.*

Tum jussit imperator acciri sibi Wibaldum, is futurorum præscius, *inquit Petrus diaconus oculatus testis, loco cesserat, & Neapoli jussa prætexens imperatoris, otiosus præter morem, creari expectabat Cassinensem abbatem, sperans fore ut de se, dum sic abesset, nullus cogitaret. Nihil enim metuebat magis magnus ille vir, & ad omnia summa natus, quam ne sibi imponeretur illud onus. Hinc advenienti ad imperatoris nutum, cum nuntiaretur quamobrem esset advocatus, omnino renuit, affirmans constanter, numquam se tam gravem tamque imminensam sarcinam suscepturum. Cum vero imperator viri animum satis nosset alienum prorsus esse a dignitatibus, plures in cubiculo archiepiscopos, episcopos, abbates, aliosque optimates imperii congregaverat, una cum patriarcha Aquileiensi, ut undique circumventus, & precibus omnium quasi expugnatus, obsistere desineret. Ac primum ipse cœpit hortari, deinde admonere, tum probare multis argumentis, quanti ecclesiæ interesset & imperii, ut abbatiam quæ sibi offerebatur, reciperet. Hinc Richiza serenissima augusta orare instantius, inde monachi pedibus ejus obvoluti clamare sæpius misereretur ipsorum sortis, omnes tandem suo modo vehementius instare. Immotus ille & invictus perseverabat, eumdem proferens sermonem,* numquam se tam gravem tamque immensam sarcinam susceperum.

Videns itaque imperator precibus non procedi, monachis traditum jussit in capitulum duci, ubi statim una omnium voce abbas Cassinensis renuntiatus est. Nec mora induxit eum sceptri sui traditione in possessionem Cassinensis ecclesiæ & territorii, dicens, uti scribit Petrus diaconus qui præsens aderat. Fidelitatem a vobis de Cassinensi abbatia ideo non accepimus, quia dudum nobis de Stabulensi cœnobio fidelitatem dedisti. Nolo ut successores tui te trahant in exemplum, & dicant se successoribus meis de Cassinensi cœnobio ideo non facturos fidelitatem, quia a te imperii nostri majestas non exegit. Sed consuetudinariam fidelitatem, quam a temporibus Caroli & deinceps abbates de abbatia Cassinensi fecerunt, facere studeant.

His peractis, imperator ad S. Germanum descendit, abbatem novum summo pontifici exhibitum multis verbis commendaturus. Et mox Aquinum vetus deflectens, prope

civitatem fixit tentoria. Huc vero accessere statim Otto *decanus Cassinensis, Raynaldus Colmentanus, Petrus diaconus, Bertulphus aliique insigniores monachi Cassinensis conventus, una cum Wibaldo abbate acturi scilicet nomine conventus imperatori gratias pro benevolentia ejus singulari, quam diebus omnino octo quibus Cassini degerat, expertos esse omnes dicebant, & faustum ipsi in Germaniam reditum apprecaturi. Petituri denique ejus opem adversus Pandulfum, Landonis Aquinensis comitis filium, qui castellum in silva* Trillæ, *quæ ditionis erat Cassinensis, nullo jure construxerat, ut ex eo erumpens, impune posset circumjecta monasterii prædia deprædari. Admissos cæsar suo more excepit benigne, grates vicissim rependens pro bona voluntate. Et de Pandulfo qui immerentes sic vexabat nimis commotus, accitum ad se Brunonem* campidoctorem *extemplo misit cum cohorte, qui ignem spoliato castro subjiceret. Tum Raginulfum Apuliæ ducem, Robertum principem Capuanum, comites denique omnes Capuani principatus, comites Aquinenses & circumjectos passim Normannos præcepit clientelæ debitum Wibaldo profiteri. Atque ut nullus auderet deinceps Wibaldum aut ejus clientes quovismodo lacessere, insignia duo confici curat diplomata, quibus omnia Cassini & Stabuleti monasteriorum privilegia confirmarentur. De eo quidem diplomate quod Cassinensibus destinatum fuit, non possumus loqui, cum levior ejus mentio fiat in Chronico Cassinensi, nec sit nobis aliunde notum, aliud vero quod totum est exaratum aureis characteribus, superius jam edidimus, inter alia Stabulensium instrumenta. Unde & ea solum quæ hujus sunt loci, hic annotabimus.* Personam, *inquit*, domni ac venerabilis abbatis Wibaldi, qui eidem cœnobio regulariter præest, præcipuo amore ac familiaritate nostra dignam judicamus. Cujus fides & devotio circa stabilitatem & honorem imperii nostri in hac Italica expeditione satis enituit. Qui post multos labores & pericula, quæ pro nobis & nobiscum in administratione nostri imperii in Apulia fideliter pertulit, nobis redeuntibus in monasterio Cassinensi, a fratribus ejusdem loci & universo populo, violenta & admirabili prorsus electione, in abbatem raptus, & ad honorem & firmitatem nostri imperii remanens nostram celsitudinem petiit, ut Stabulense monasterium, cujus curam ipse non deposuerat, & res ad ipsum pertinentes, munire & confirmare dignaremur &c. *Subscripsere Albero Trevirensis, & Conradus Magdeburgensis archiepiscopi, Meingoldus Merseburgensis, Albero Basileensis, Albero Leodiensis, Andreas Trajectensis, Anselmus Havelbergensis, Henricus Tullensis episcopi. Conradus abbas Uldensis, Henricus dux Bavariæ & marchio Tusciæ, aliique multi optimates. Insignes prorsus testes, qui omnes imperatorem secuti, Wibaldum quotidie videbant, & alloquebantur.*

Eadem die qua sancti Mauritii memoria erat solemnior, sacra egit summus pontifex in basilica sancti Petri. Quibus peractis, Wibaldum imperator & ceteros quos modo nominavimus Cassinenses vocavit ad prandium. Aderant vero, ut quisque judicare facile potest, præsules superius memorati cum aliis optimatibus, Nec *enim* umquam *inquit Petrus diaconus*, ab episcoporum consortio Lotharius sequestrabatur. *Verum conversus ad Wibaldum, quæ certe magna est benignitas in summo imperatore, cujus nutu universus pene orbis movebatur*, puto ni fallor, *inquit*, quia comedendi & bibendi vobiscum hæc erit mihi ultima dies. *Præsentiebat pius princeps extremam exitus sui diem imminere. Ceteros deinde monachos Cassinenses intuitus studiose, in his Petrum diaconum tacitus destinavit abducere secum in Germaniam, eum judicans quam maxime dignum qui Wibaldi locum teneret. Hunc porro cum Raynaldo pseudoabbate ad conventum Melphiæ vocatum sæpius audierat monasterii sui jura strenuissime defendentem*, & logothetam, exceptorem, auditorem, cartularium ac capellanum *eodem in conventu instituerat. Finito igitur prandio seductum monuit imperator ut vestigio eodem temporis pararet se ad iter, imperialia semper servitia peracturus.*

Quæ cum audisset Wibaldus Lothario suppliciter exposuit se quasi exulem, pere-

grinum in loco remotiſſimo atque omni popularium ope deſtitutum Petri diaconi, cui maxime fidebat, opera carere nullo modo poſſe. Sineret potius ſe, abdicata Caſſinenſi abbatia, ad ſuos reverti Stabulenſes. Cui imperator: Quia, *inquit*, dicis te ſine illo non velle manere, hunc tuæ fidelitati ſummo ſtudio, ſummo mentis amore commendo, eo tenore, ut ſi qua meæ dilectionis, ſi qua amoris in tuo corde veſtigia ſunt, in iſto oſtendas, eumque pro noſtro amore loco cariſſimi & unici filii habe. *Et ſermonem ad epiſcopos & alios optimates conferens.* Noſtri a Deo conſervandi imperii majeſtas hunc quem videtis diſcipulum Henrici Ratisbonenſis epiſcopi & cancellarii, effecit logothetæ, exceptoris & auditoris officio remuneravit, ſeſſionem ad dextrum pedem indulſit. *Is* ſolus in gente Romana inventus eſt, qui contra Conſtantinopolitanos pro imperio ſe, & pontifice Romano opponeret. *Wibaldo itaque Petrum diaconum reliquit imperator, & facta utrique uti & ceteris fratribus poteſtate abeundi, ipſe die craſtina nono calendas Octobris movit, una cum Innocentio ſummo pontifice contendens Romam, & paucis interjectis diebus, pacata urbe relicta Tyburim deflexit. Ibi anxius præter ſolitum ſeu valetudine quæ ſenio quotidie deperibat, ſeu ipſa Vibaldi abſentia nimis conflictaretur, Petrum diaconum denuo inſtituit abducere ſecum in Germaniam, quaſi jam e memoria excidiſſent ea quæ non ita pridem coram omnibus Caſſinenſi abbati pollicitus fuerat. Aulici nihilominus omnes, adeo ſunt hujuſmodi proclives ad aſſentationem, imperatoris voluntati obſecuti, imo & plaudentes, auctores fuere ut Caſſino quantocius acciretur, ſcriptæque ſunt eam in rem litteræ ſequentes.*

Lotharius Dei gratia Romanorum imperator auguſtus, dilectiſſimo fideli ſuo Guibaldo Caſſinenſi Ierarchæ, & Romani imperii archicancellario, & magiſtro capellano ac principi pacis, gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Tuæ fidelitati per imperialia ſcripta mandamus, ut noſtræ a Deo conſervandæ majeſtati Petrum Caſſinenſem diaconum, qui a noſtra imperiali ſerenitate logotheta Italicus exceptor, cartularius & capellanus imperii conſtitutus eſt, tranſmittere ſtudeas, recepturus pro ſuæ fidelitatis ſervitio, dignæ retributionis præmium. Indubitanter enim noveritis noſtram majeſtatem & collaterales imperii, propter antiquitates & rerum geſtarum relationes ejus minime frui abſentia velle. Mitte etiam per eum omnia præcepta anteceſſorum noſtrorum, quæ ei ad Aquas-penſiles olim nos cuſtodienda dedimus. Data apud Suburbium Tyburtinum pridie calendas Decembris.

Hic obiter notandum his in litteris multos dignitatis titulos Wibaldo attribui, qui nuſquam leguntur, eaſque ex Montis-Caſſini archivis Mabillonium noſtrum exſcripſiſſe.

Eum vero qui litteras ferebant, in extrema rerum anguſtia invenere, parantem acerrime bellum adverſus Raynaldum Tuſcum, qui ſanctum montem undique circumſidebat. Amicum porro perfidus ille, & merentem de ſe ſic aggrediebatur. Depulſus enim ab abbatia & exauctoratus, uti ſupra expoſuimus, ſummi pontificis & imperatoris nutu, cum timeret ne exul transferretur in Germaniam, præpoſituram S. Magni, quæ prope urbem Fundas ſita eſt, implorata Wibaldi ope, impetraverat, ut illic tutus eſſet ab ira cæſaris. Verum qui impiis facit bene, eos ſæpius facit deteriores. Cum debuiſſet eo ſe conferre, arcem Caſtrum-cœli dictam, quam tenebant conſanguinei ejus, ſubierat, jam tum de recuperanda abbatia ſollicitus. Sed nuntiato diſceſſu imperatoris, apertius rem gerens, collectis undique copiis, vaſtitatem paſſim inferebat.

Interea Rogerius rex torrentis inſtar in Apuliam rapide irrumpens, amiſſas paucorum menſium intervallo urbes & provincias celerius recuperabat, jamque Pharum tranſiiſſe nuntiabatur, Capuanum principatum eodem modo recepturus. Recreatus nihilominus Caſſinenſis abbas litteris imperatoris, ſperans, diſperſa rebellionis fama, brevi futurum ſibi ab ipſo auxilium, prolixiores litteras quarta die reſcripſit, quibus exponebat acerbius ea quæ jam, ex quo pedem moverat, a ſchiſmaticis fuiſſent attentata,

quid

quid interminatum, quid-ve ſibi diſcriminis immineret. Quanta, inquit, & qualia per impiiſſimas gentes Langobardorum Normannorum & Sarracenorum ego & Caſſinenſis eccleſia pro fidelitate Romani imperii & apoſtolicæ ſedis ſuſtineamus, ſtilus ſcribere non ſufficit.... Nihil enim aliud Caſſinenſi eccleſiæ niſi tribulationem inenarrabilem reliquerunt. Et ecce, proh dolor! rege Normannorum Rogerio cum ſuo exercitu gratulante, ſolus fidelium cœtus magna mœſtitudine conſumitur, chriſtianorum ſanguis effunditur, monachi in carceris vincula vinciuntur, devotus Deo populus continua ſtrage vaſtatur: &c. *Et infra.* Ergo, præcellentiſſime Cæſarum,.... niſi manu veſtræ defenſionis nos adjuvetis, ſpe vivendi chriſtianos ſublata, aut ipſis paganis ſubjiciemur, aut.... ab eorum multitudine victi ad omne chriſtianitatis diſpendium pereamus, *ut vero Petrum diaconum petenti faceret ſatis, addit.* Sed quia tanto imperatori pauca ſufficiunt.... ex verbis filii noſtri Petri, hujus epiſtolæ dictatoris, ac Romani imperii per omnia fidelis, quem in Alemanniam, Saxoniam, Daciam, Sueviam ac Lotharingiam mittere decrevimus cognoſcetis. Epiſt. 1.

Litteris imperator, nulla ſubſidii data ſpe, reſpondit, vires poſſe comprimi omnes Rogerii & Rainaldi ſola comitum Aquinenſium & principum aliorum opera, qui principes fidem ipſi paucos ante dies ultro promiſerant. At vero defecerant illi omnes ad unum & cives ipſi ſancti Germani, Caſſinenſium excubiæ, ut ita loquar, nimis vacillabant; qui tandem aliquanto poſt dedere ſe hoſti Caſſinum montem cum eo expugnaturi. Hic paucis expendere libeat admirabilem rerum humanarum inconſtantiam. Quem modo victorem, quem imperatoris invictiſſimi familiarem & amicum, quem præfectum claſſi, atque Italiæ imo imperii fere arbitrum contemplabamur, jam detinetur captivus, & tantam fortuna varietatem pauci dies attulere. Hæc porro miſerabiliter deſcribit, ſecundis Lotharii litteris reſpondens. Epiſt. 2. quæ Richiſæ ſereniſſimæ auguſtæ æque ac Lothario inſcribitur.

Interim ferre non valens civium ſancti Germani perduellionem, collectis viribus, quæ erant valde tenues, Landulphum de ſancto Johanne virum fortem in urbem miſit. Is unus e multis adverſus Rogerium perſeverans, Rainaldum pſeudo-abbatem crebris excurſionibus multos dies attriverat, planeque debellaſſet, ſi pauxillum quid ſubſidii tuliſſet imperator. Certe hac vice vir ille tanta vi erupit, ut diſſipato prædicti Rainaldi numeroſo exercitu, traditores urbis, urbe incenſa, aut ceperit aut interemerit. Chronic. Caſſin. lib. IV. c. 127.

Sed finito vix prælio, fortunam hanc non modice obſcuravit diffuſa conſtans fama Rogerium, Capua recepta, circumjectam regionem occupaſſe, brevique Rainaldo cum ingenti exercitu adfuturum. Ad eas enim anguſtias, adducebantur Caſſinenſium res, ut excluſa ſpe omni ſubſidii, vel dederent ſe omniaque ſua in ditionem victoris, vel ſe ſinerent ſub Caſſini ruinis obrui, quod utrumque miſerrimum idem & deſperatiſſimum Wibaldo videbatur. Ne tamen aliquid tanto in diſcrimine crederetur prætermiſiſſe, convocatos in capitulo monachos omnes admonuit, Rogerium & hominem eſſe & principem. Poſſe, uti fert hominum natura, mitigari obſequiis, proclive vero eſſe ad miſericordiam principis ingenium. Caſſinenſem eccleſiam, quam paulo ante Lotharii adventum muneribus & privilegiis decoraſſet, eumdem diligere & venerari. Pacem denique ſi ſuppliciter deprecarentur, forte & veterem amicitiam eſſe recuperaturos. Miſſi igitur e fratribus nonnulli Capuam, & fortaſſis inter eos Petrus diaconus, qui vulgo cum ob celebritatem nominis, tum ob miram dicendi facultatem ejuſmodi munia obire ſolebat. Procedentes illi medios in hoſtes, ſtupebant paſſim inferri vaſtitatem, neque ipſis ædibus ſacris abſtineri, jamque verebantur in periculum ſalutis veniſſe. Is autem legationis exitus fuit. Rogerius rabie tumens in Wibaldum, quem ſciebat ab ipſo belli exordio in ſui perniciem incubuiſſe, atque Innocentio æque atque imperatori eſſe addictiſſimum, advenientes primum dure adorſus, deinde aſpernatus, inauditos dimiſit, malam Wibaldo crucem minans. Chronic. Caſſin. lib. IV. c. 127.

Quæ dum viro referrentur, ſecure & conſtanti animo perculſos fratres hortabatur, bene ſperarent, ſe ſolum peti, ſibi uni, & ex privato odio, non Caſſinenſibus indici bellum, vitam ſi opus ſit, religionis atque ipſorum cauſa ultro ſe eße amiſſurum, ſin minus eumdem ſe ſibi conſulere poſſe. Acceptis interea ab Odone decano quindecim marcis, meditabatur ſerio, quo tandem pacto tutum in locum evaderet. In conſilii ſocietatem admiſſus
Ibid. *eſt unus Landulphus de ſancto Johanne, cujus maxime opera indigebat, commiſſaque ipſi Caſſini defenſione, noctu, inſciis omnibus, eodem adjutore evaſit, quarto nonas Novembris, magnum ſui deſiderium Rogerio relinquens. Ubi primum tutus ab ejus ſævitia fuit, Caſſinenſes fecit de fugæ hujus inſtituto certiores, litteris ſignificans ſe magis ipſis, qui ſua cauſa premebantur, conſuluiſſe, quam ſibi; ſed nec eſſe amplius reverſurum, cum*
Epiſt. 3. *fuiſſet hactenus in Dei agro arbor inutilis, & ideo ſuccidenda.* Quapropter præcipio vobis, inquit, in virtute ſanctæ obedientiæ, ut poſt poſitis partium ſtudiis, remota omni ambitione & venalitate, abſque gratia vel odio, aut acceptione cujuſquam perſonæ, ſecundum regulam ſancti Benedicti perſonam catholicam & regularem de corpore veſtræ congregationis, ... in abbatem vobis... ſine mora eligatis. Statutum ſiquidem nobis eſt, ut ſi hanc formam in eligendo vobis abbate ſervaveritis, ut nos, remiſſis vobis eccleſiæ veſtræ inſignibus, vos ab obedientia & ſubjectione noſtra omnes pariter abſolvamus, & vos ad promotionem futuri abbatis liberos a nobis efficiamus.

Inſignia hæc quæ ſecum detulerat, ſigillum & anulus erant quæ Caſſinenſi abbati in ipſa inauguratione tradebantur. Acceptis vero illis mandatis, Caſſinenſes paruere, certiſſimi Wibaldum propoſiti ſui eße tenacem; & Rainaldum Tuſcum, electione interdicta, abs Rogerio principe poſſe reſtitui; electuſque eſt legitime die duodecima ex quo Wibaldus abſceſſerat, Rainaldus Colmentanus, vir utique habitu, *ut Petri diaconi verbis utar,* inceſſu & moribus honeſtiſſimus, & divina humanaque ſcientia clarus. *Ipſe eſt quem ſupra, mortuo Seniorecto, contendiſſe diximus cum Rainaldo Tuſco. Lætus hoc nuntio Wibaldus, inſignia cum promiſſa abdicatione electo miſit, congratulans*
Epiſt. 4. *his verbis, quæ modeſtiam viri mire exprimunt.* Electum nos communi fratrum conniventia, & in eccleſia Caſſinenſi regulariter ordinatum audientes gaudio gaviſi ſumus..... Eapropter vos in nomine Domini per præſentia ſcripta ab obedientia quam nobis promiſiſtis abſolvimus. Et qui vobis aliquando indigne præfuimus, *veſtri* ſubditi & ſervi eſſe & dici non erubeſcimus. *Commendatis deinde eidem electo chariſſimo ſuo Odone decano, & ceteris fratribus, cum* hominibus de ſancto Petro, *qui perſeveraverant in fide, ſubdit.* Remittimus vobis anulum unum & ſigillum quondam noſtrum, per quæ plenam refutationem de abbatia Caſſinenſi facientes, numquam tamen conſilium & auxilium noſtrum eidem eccleſiæ ſubtrahemus. *Odoni vero in eumdem fere modum*
Epiſt. 5. *ſcribens, & rerum quarumdam mobilium quæ ſuo tempore diſtractæ fuerant rationem reddit.*

Hic forte fuſius quam par erat, ea ſumus executi quæ Caſſini ſub Wibaldo geſta ſunt, at nuſquam fere niſi forte Corbeiæ, uti infra patebit, virtutes ejus omnes adeo enituere, modeſtia in primis, præcipua a dignitatibus averſatio, conſtantia in adverſis, & pietas ſingularis in oves ſibi commiſſas. Et ſi quis erit qui hic objiciat, derelictas ab eo eſſe, quo tempore opera ejus magis indigebant. Huic reſpondemus auctorem hactenus neminem hanc infamiæ notam ipſi inuſſiſſe, neque Petrum diaconum ingenuum ſane ſcriptorem, neque ſcriptores alios Caſſinenſes, qui viro externo pepercisſent numquam, ſed ſuis ſaltem ſcriptis ejus memoriam labefactaſſent. Præfuit Caſſinenſibus dies quatuor ſuper quadraginta, uti diſerte ſcribit anonymus Caſſinenſis. Anno 1137. indictione 15... obiit Seniorectus abbas. Rainaldus Tuſcus fit abbas. Rainaldus hujus loci electus, deponitur. GUIBALDUS ordinatur, qui quadraginta quatuor dies recedit.

Probabile eſt autem eum depoſito præfecturæ Caſſinenſis onere migraſſe ad impera-

torem, qui positus in extremis, paucis post diebus in vilissima casa secundum Othonem Frisingensem, dervixit die 3. Decembris, anno regni xiij. imperii v. susceptumque esse abs serenissima augusta ut principem pacis, qui dissensiones quæ tum prævidebantur consiliis suis removere posset. Agebatur enim de creando novo rege, & duo erant contendentes iidem potentissimi, & rerum gloria spectatissimi. Henricus Bavariæ & Saxoniæ dux Lotharii gener, & Conradus Suevia dux Henrici V. sororius. Divitiis ille & potentia eminebat, sed fastu & tumore insolens, unde & superbo nomen inditum, proceribus æque ac plebi minus erat acceptus. Hic vero lenitate inprimis & clementia quæ præsertim dotes in rege spectantur, omnium fere animos sibi devinxerat. Electionis seriem quique sunt exinde secuti bellorum motus exponere hic nostrum non est, tametsi minime dubitamus quin ubique effulserit Wibaldi prudentia & æquitas. Ea solum afferemus quæ de ipso scriptis traduntur. Henrico præpositus est Conradus in conventu circa mediam quadragesimam habito in oppido confluentia, studio inprimis Adalberonis Trevirensis archiepiscopi & Wibaldi abbatis, Theoduino episcopo & cardinali sanctæ Romanæ ecclesiæ legato præsente. Qui Conradus mox Aquas veniens a prædicto cardinali, cooperantibus Colonienſi & Treverenſi archiepiſcopis cum ceteris epiſcopis in regem ungitur, *uti scribit Otto Frisingensis. Ex quo corrigendus auctor annalium Paderbornensium, qui hic lapsus memoria, Conradum scripsit Confluentiæ esse inunctum.*

Eo tempore Wibaldus Stabulenses suos nimis expectatus invisit, sperans cum illis optato secessu fruiturum, & paucos qui supererant vitæ annos acturum quietius, idque unum abs rege de quo erat optime meritus, avebat sibi concedi. Verum prius conficienda erant quæ ante expeditionem inchoaverat monasterii negotia, & quod valde arduum videbatur, comprimendæ ministerialium continuæ vexationes. Hinc celebrato cum fratribus sancto pascha, atque hic discussis quæ magis urgebant, Coloniam, ubi Conradus solemnem curiam habebat proficiscitur. Ibi primum conquestus est in celebri procerum conventu villam Turnines, *quæ præcipuum erat ecclesiæ Stabulensis prædium, abs comite Namurcensi injuste detineri. Petiit deinde eas leges quas prædicto castello & vico Longia posuerat, nundinas ibidem recens constitutas, & comparata bona, cum possessionibus aliis monasterii Stabulensis sibi confirmari. Annuit postulatis Conradus, insigni diplomate, adjudicata primum ex consilii sententia prædicta villa* Turnines. *Quæ tamen villa, Eustachio* Leodiensi advocato contradicente, ante annum sequentem recipi non potuit, quamvis ipse Conradus, suscepta Wibaldi causa, in conventu Leodiensi eodem fere tempore habito, Adalberoni episcopo præciperet vehementius, ut vexationem illam fratris sui, erat quippe Eustachius Adalberonis germanus frater, cohibere non differret. Quia vero conventus hujus nusquam quoad sciamus memorati, mentio incidit, adjiciemus, & Wibaldum sententiam ex eo tulisse adversus monasterii Stabulensis villicos, qui villicationes sibi commissas & judiciaria munera beneficii loco habere, & jure quasi hereditario tenere enitebantur, cum prius nonnisi abbatis nutu solerent exerceri. Sententiamque illam Conradum novo diplomate confirmasse in alio conventu habito Wormatiæ anno* 1140.

Vid. supra instr. Conr. pag. 103. Item pag. 107. c. p. 109. b.

Pag. 109. b.

Pag. 110 d. c. 111, 112.

Pag. 110. & seq.

Eodem anno instrumenta duo in plena synodo Colonienſi impetrata sunt Wibaldi maxima opera, quorum altero potestas summa declaratur Stabulensis abbatis in Malmundarienses, & decimæ novalium altero conceduntur in villa Bullinge, *quæ ditionis erat monasterii Malmundarienſis.*

Pag. 114. c.

Pag. 113. a.

Neque hic stetit optimi abbatis summum in filios studium, quisquis ea instrumenta evolvet, quæ præmisimus, hinc litteras reperiet summorum pontificum ab ipso impetratas, quibus omnia bona & privilegia diserte confirmantur, inde videbit partorum bonorum instrumenta varia. Jam vero quantas his gerendis curas ponebat & sollicitudines, quot itinera suscepit! ut alias omittamus molitiones. Modo Conradum regem adire oportebat, modo Colonienſem præsulem, modo Leodiensem. In plerisque comitiis

imperii, in ſynodis epiſcoporum ſemper novi aliquid de Stabulenſi monaſterio tractabatur. Improbitas ſola miniſterialium, quæ omnino comprimi debuerat poſt Leodienſe, Wormacienſe, & multa alia judicia ſemper recrudeſcens, infinitas ipſi curas impoſuit. Legenda eſt præclara illa epiſtola, quam ad epiſcopum Hildesheimenſem ſcripſit circa

Epiſt. 131. *annum* 1149. Villici, *inquit*, volebant hereditarie poſſidere ſanctuarium Dei, & ipſa villicationis officia ex ſucceſſione paterna & avita capientes, dominabantur in rebus, noſtraque & præpoſitorum ſtatuta reſcindentes, & colonos indebitis & aſſiduis exactionibus opprimebant, & juſtas penſiones monaſterio nequaquam inferebant. Ita miſerabili & importuno clamore populi, cujus terra jam fere vaſtata & deſolata erat, nec non inedia monachorum, ac ruina ordinis, propter alimentorum defectum, ſæpe & nimis exacerbati cœpimus iniquo tempore tyrannis reſiſtere, certi quantum de futuris fieri poterat, quod aut circa ſalutem noſtram periclitaremur, vel ad ſalutarem effectum cauſam tam neceſſariam perducere non poſſemus. Etenim, quod cum dolore & gemitu dicimus, jura omnia interierunt, leges occubuerunt, morum diſciplina extincta eſt, conſuetudo vetuſtatis abolita eſt, regis & principum virtus & poteſtas abolevit, licet unicuique quod libet & quod ſtatuit, vim legis obtinet.

Coactus fuit tandem, ut ibidem ſcribit ad ipſum apoſtolicum pergere, auxilium ipſius imploraturus. Certe eo anno quo Innocentius ſecundus obiit, Romæ agebat, impetravitque ab ejus ſucceſſore cum privilegii litteris, litteras alias ad Alberonem

Pag. 119. *Leodienſem epiſcopum, quibus hortatur eum ſummus pontifex, ut Stabulenſium partes ſuſcipiens, ipſos in villicos & miniſteriales gladio ſpiritali animadvertat ſi opus erit. Addit vero, quod notandum eſt, ut Henricum de Rupe militem, qui domum Erheberti Wibaldi fratris deſtruxerat, quo tempore minime licebat hoſtilitates exercere, ad reſtituendum compelleret ea, quæ de bonis abbatiæ abſtuliſſet. ex quo conſtat quod initio diximus, Erheberti domum ſeu caſtellum Stabulenſibus fuiſſe vicinum. Edita eſt epiſtola inter inſtrumenta, pag. 119.*

Reverſus ab Italia Wibaldus cum Cæleſtini litteris ſperatam diu quietem quaſi a longe venientem videbat, melioratis aliquantum Stabulenſium rebus, atque unum aut alterum annum egit ſatis placide.

Prodente quidem virum magna ſui nominis fama, exultatæ viciniores eccleſiæ eum in paſtorem ſubinde votis depoſcebant, petentes id ſibi non denegari quod Caſſinenſibus monachis, externis & minime notis aliquandiu conceſſerat. Verum illud eis propheticum

Epiſt. 131. reſponſum dabat. *Non ſum medicus, non eſt in domo veſtimentum, nolite me conſtituere principem populi.* atque ita, *inquiebat*, abſque avaritiæ moribus, contentique præſentibus, ei monaſterio cui aſcripti eramus, etſi non bene vivendi exemplo, vel fideliter adminiſtrandi ſtudio deſerviebamus. *immotumque videntes amplius non urgebant.*

Habita fuit interim circa finem Auguſti anno 1144. *ſolemnis curia in per celebri Corbeiæ monaſterio, quod in extremis Weſtphaliæ finibus in Viſurgis ripa ſitum eſt, ad quam Wibaldus cum aliis abbatibus accitus eſt, ut de Henrico loci ejuſdem abbate ferretur judicium. Is porro Henricus de multis accuſabatur, quæ fuſius proſequuntur Corbeienſes epiſtolæ ad Bernardum Hildesheimenſem, ſed præſertim de violenta intruſione ad dignitatem abbatialem, de inobedientia, de ſimonia, de peſſima adminiſtratione. Cumque adeſſent una accuſatores ejus omnes, & quos ſibi qua mercede qua minis conduxerat fratres non pauci, quidam nobiles & præſertim monaſterii miniſteriales, in factiones enim quaſi duas miſerrime diſtrahebatur nobilis Corbeia, quæ ſe viciſſim lacerabant.*

Epiſt. 131. *Wibaldus honorem attendens loci, obtinuit, rege ſuppliciter* exorato, ne adverſus reum lite conteſtata accuſatorum actio & ordo judicii procederet. *Sicque & miſerum pudore ingenti exemit, & maledicis obſtruxit os, qui laſcivientes in monachos,*

nachos, ut vulgo fit, Corbeiensibus exprobrare potuissent, olim aliquem eorum principem solemni in curia damnatum, eumdem & ejectum fuisse. Hujus beneficii Henricus immemor prorsus fuit, neque Wibaldus inimicum expertus est umquam ullum infensiorem. At Corbeienses Stabulensem abbatem primo hoc congressu dilexere. mire capiebantur ejus humanitate & singulari modestia, & pretiosam illam margaritam, *ut eorum verba usurpem, Stabulensibus invidebant. Illos cum redditibus non admodum magnis advertebant florere, magna quotidie moliri, pietate ornatos, & litterarum studiis; se vero longe opulentiores omnibus destitui, & esse omnibus ludibrio, otio torpentes, sibi invicem maledicentes: revocabant in memoriam pristinos Corbeiæ annos, qualis fuisset tempore Adalardi, Paschasii; atque etiam ante annos quinquaginta, ex quo, ut ipsi scribunt ad Eugenium papam,* res monasterii & dignitas tam intus quam foris ultra quam credi posset imminuebantur. Epist. 15.

Conventus alter principum habitus fuit Corbeiæ sub finem anni sequentis, ubi adhuc magis Wibaldus potuit innotescere. Aderant vero cum illo Theoduinus S. Rufinæ episcopus, & Thomas presbyter, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, & sedis apostolicæ legati, Bernardus Paderbornensis episcopus, Rodolphus Halberstadensis, Bernardus Hildenesheimensis, Philippus Osnabrugensis, Henricus Mindensis, Fridericus Magdeburgensis, Thietmarus Ferdensis, Anselmus Havelbergensis, Henricus Olomucensis episcopi & ceteri imperii optimates. Ibi restitutum Corbeiensibus jus piscationis apud Houcvvar, *sed de Henrico abbate nihil quod sciamus est actum. Verum non multo post Thomas presbyter cardinalis, convocatis in capitulo fratribus, interrogatum convicit de simonia in deditione ecclesiæ de* Linvert *perpetrata, ac tandem Paderbornæ duodecimo calendas Aprilis, coram multis Westphaliæ & Saxoniæ abbatibus, deposuit anno* 1146. Annal. Paderb. lib. 8. ad an. 1143.

Tum Wibaldus acceptis a rege mandatis in solemni curia Aquisgrani, Romam proficiscitur nono calendas Aprilis, legationem obiturus. Ingressus vero iter Lucium summum pontificem quem jampridem impensius diligebat, accepit esse mortuum. Et quamvis idem nuntius afferret Bernardum monasterii S. Anastasii abbatem ejus æque amicum, suffectum esse ei, nihilominus, opinamur, conceptus eo dolor una cum itineris molestia, vix dum soluta hyeme, eum adduxere in summum mortis discrimen. Febri, *certe,* Romana *uti scribit ad episcopum Hildenesheimensem,* quinque hebdomadibus apud Viterbium *decubuit,* & vi naturalis caloris, cute & omnibus pilis amissis, fauces mortis vix *evasit.* Epist. 131.

Reversus vj. nonas Augusti, vix recepta valetudine, lætus accepit novum tandem Corbeiensibus creatum esse abbatem, Henricum monasterii præpositum. At gaudium illud quam breve fuit, & quam cito est summos versum in luctus. Vexatus nimis Henricus ab his fratribus, qui decessoris sui partes tuebantur, & mœrore contabescens, uti plane insinuant Corbeiæ annales mſ. eodem anno consumtus est viij. idus Octobris. Hic mirari subit Nicolao Schaten *annalium Paderbornensium auctori, penes quem erant Corbeiæ monumenta omnia, abbatem illum excidisse.* Annal. Paderb. lib. 8. ad an. 1146. pag. 767.

Orbata pastore Corbeiensis ecclesia, novis atteritur calamitatibus, dum Henricus gestiens restitui, hinc per emissarios discordias inter fratres alit, illinc sævit crudeliter quasi in hostili regione, monasterii prædia cum fratre SIFFRIDO *comite armatus invadens. Cumque die electioni præstituta convenissent omnes in capitulum,* nulla inveniri poterat persona, quæ sufficere posset ad alligandas illas attritiones, & ut filii Dei & ecclesiæ, qui dispersi erant, aggregarentur in unum. *His necessitatibus coacti, undecimo calendas Novembris,* invocata spiritus sancti gratia, & adhibito religiosorum & sapientium virorum consilio, communi omnium desiderio, sine ullius personæ magnæ vel parvæ contradictione, immo favorabili omnium assensu, præsente & consulente venerabili BERNHARDO Patherbrunnensi episcopo, elegere sibi in patrem & pastorem animarum suarum, in abbatem scilicet & dominum suum, Stabulensem abbatem dominum WICBOLDUM, cujus religione & providentia Corbeiense monasterium Wibaldus eligitur abbas Corbeiæ. Epist. 15.

ad priſtinum dignitatis ſuæ ſtatum poſſet reformari. *Et ne forte difficilius abduci ſe ſineret a ſuis, auctoritatem adhibent cæſaris, miſſis continuo fratribus Herbipolim, uti opinamur, (huc enim eodem temporis Conradus videtur acceſſiſſe) qui im-*

Epiſt. 131. *petratis ad electum litteris cum regis tum principum*, quibus officioſe & ſuppliciter ad tantæ rei regimen invitabatur, *Stabuletum contendunt, ferentes una electionis ſcriptum. Quo die appulere, Wibaldus a ſynodo redux hyemali ſacri Leodienſis ordinis, diverterat Malmundarium, ſolemnem ſanctorum omnium memoriam ſequenti die celebraturus; ſed nuntiato legatorum adventu, ad eos illico properavit. Significata fuit itaque ipſi pridie calendas Novembris Corbeienſium unanimis de ejus electione conſenſus, non vero xv. calendas Decembris, uti ſcribit Fiſenius in ſua SANCTALEGIA ad annum Chriſti* 1145. *Cognita autem ex legatis ardentiſſima omnium & regis ipſius voluntate, ſequentem in diem reſponſum diſtulit, incertus animi quid eſſet acturus, pareretne, an ſuo more pertinacius obluctaretur. Hinc verebatur ne oblatum declinans onus vitæ ſtudio quietioris, ſibi magis conſuleret quam Dei optimi voluntati, quam ſatis evidenter referebat conſenſus ille omnium. Illinc moleſtiæ Caſſinenſis memor, imbecillitatem cauſabatur ſuam ac tenuitatem virium. Dum ſenſim hæc & alia meditans, noctis pars elabitur, præſtitutum nocturnis horis tempus venit, & excitatis fratribus, proceſſit in ædem. Quid tum magnus ille vir ſit expertus, & quo tandem modo totus in Deum effuſus definierit aliquid, pluribus verbis epiſtola jam citata ad Bernardum Hildesheimenſem exponit, quæ cum primorum eccleſiæ temporum pietatem ferant, & candorem animi vel minimam metuentis noxam, inſerenda hic duxi-*

Epiſt. 131. *mus*. In hac itaque ancipiti meditatione, in qua jam exarſerat ignis deſiderii volentis quæ potiora ſunt eligere, proceſſimus ad eccleſiam, aliquid pſalmorum lingua proferentes, cum tamen animus ab eorum intellectu ſalutari longius eſſet evagatus. Venientes ante altare illud, ubi benedictionem epiſcopalem in nomen & officium abbatis ſuſcepimus, commovit nos repente quidam familiaris & intimus amor, quem ad patronum ejuſdem loci ſanctiſſimum Remaclum ejuſdem cœnobii fundatorem habemus, & concuſſit animæ noſtræ interiora quodam affectuoſo timore, ex eo videlicet, quod in mente noſtra volvebamus, utrum ipſius monaſterium ſic relinquere pergeremus. Clamavit itaque anima noſtra ad Deum, & ad ipſum clamore vehementi, in verbo interiori, in verbo non diffidentis ſpei, abſque ſono oris corporei: FIAT DOMINE VOLUNTAS TUA, JAM DE CETERO NEQUE AMICORUM NOSTRORUM SEQUI CONSILIUM STATUIMUS, SED TUAM VOLUNTATEM ET TE, QUI ES VIA, VERITAS, ET VITA, IN HOC PRÆSENTI NEGOTIO SECTARI DESIDERAMUS. Sed qualiter tuam voluntatem cognoſcemus, qui præſens es majeſtate, ſed nos in regione longinqua diſſimilitudinis porcos paſcentes, a te receſſimus. Temerarium eſt ut certam voluntatem tuam ſuper hoc verbo, quam nobis indicare digneris, ſive per angelum, ſive per aliquam ſubjectam tibi creaturam tuam, ſive per viſionem, ſive per oraculum expetere præſumamus. Per eos itaque, in quibus habitas, ſcrutari tuæ voluntatis arcanum impium & præſumtuoſum non eſt; atque ideo fratrum & filiorum noſtrorum ſententiam ſequendam voto tali tibi obligati arbitramur, ut quidquid ipſi dixerint tenendum ſit, quorum animas nobis ſervandas tradidiſti, cum ſimus ipſi animæ noſtræ mali cuſtodes. *His ita conceptis, & peractis laudibus matutinis, atque hora ſolita vocatis ad capitulum fratribus, allatas epiſtolas cum electionis ſcripto juſſit legi: quibus perlectis, in hæc verba prorupit.*

Epiſt. 131. Ex quo fratres mei divinæ providentiæ, quæ diſponit omnia ſuaviter, placuit nos omnium vitæ merito & ſapientiæ doctrina extremos, per unanimis conſenſus veſtri miniſterium ad hujus eccleſiæ regimen provehere, mei & animi & corporis poteſtas mea deſiit eſſe, & totum quod nobis a Deo in utriuſque hominis ſubſtantia collatum eſt, veſtræ ditioni ac poteſtati

quasi quodam jure proprietario cessit & vindicatum est. Nos vestri sumus, nec vos aut monasterium vestrum deserere volumus, unde & vestrum consilium tamquam divinum responsum interrogantes expectamus. Nulla vero vos formido, nulla vos suspicio terreat, quin inspirante Deo quod opportunum videbitur loquamini, quoniam cum Deo nostro tale voti & sponsionis fœdus inivimus, ut a vestri consilii verbo recedere nequaquam valeamus. Neque enim si grata nobis esset hujus dignitatis oblatio, si Corbeinsi ecclesiæ præesse juxta suam electionem appeteremus, hoc sub incerto multitudinis consensu tractaremus, sequentes videlicet nostri desiderii propositum. Nunc vero, Deo adjutore, nostri cordis intentionem ita firmavimus, ut ea nobis consilii portio pergrata sit, quæ donante Spiritu-sancto nobis a vestra fraternitate intimata fuerit. Hoc tantum vestram prudentiam admonere nequaquam dubitamus, ut quantum per Dei providentiam corda hominum moventis, & in eorum cordibus operantis, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, vestræ discretioni licitum est, hoc provideatis, hoc consulatis, hoc suadeatis, quod animabus & corporibus nostris atque monasterio vestro utile & tutum maxime judicabitis. *Attoniti fratres rei novitate & suspensi legatos, egrediente* WIBALDO, *admisere, petentes instantius electionis seriem sibi denuo explicari. His vero supra modum efferentibus & dignitatem & divitias, ceteraque Corbeiensis loci commoda, amor filiorum in patrem adeo commotus est, ut privatæ rei penitus obliti, fere una voce consulerent, ut ne tantis tamque insperatis bonis sui causa fraudaretur, cum præsertim finis apud se sperareturnullus laborum & molestiæ. Sed eorum nonnullis metuentibus ne forte sibi imponerent legati, incredibilia enim videbantur quæ afferebant, provide præcavere, ut prius accuratior fieret de omnibus inquisitio, missusque est eam in rem Corbeiam magister Henricus decanus*, vir utique excellentis ingenii & prudentiæ, ac singulari constantia præditus. *At Corbeienses tantillam hanc moram molestius ferentes, optatis suis interponi, nova abs rege mandata retulere, quibus* WIBALDO *significabat, uti tandem Francofurti adesset, octavo idus Decembris.* Susceпturus, *inquit*, de manu mea, ea quæ ad donum regiæ dignitatis spectant, ut ecclesiæ Corbeiensi, quæ grave damnum tui absentia sustinet, tamquam pater spiritualis & prudens dispensator in posterum provideas. Epist. 71

Parere igitur coactus, sub initium Decembris, valetudine vix recepta, itineri se commisit. Accedens autem Francofurtum, v. idus ejusdem mensis, quo die CONRADUS *Laureshamum diverterat, monachos Corbeiæ non paucos cum ministerialibus obviam habuit, magnæ præbentes lætitiæ signa, quasi jam monasterii sui regimen lubens susceпisset. Verum, ut vulgo est imprudens effusior lætitia, dissimulare non potuere diu ea quæ Corbeiæ machinabantur, cognovitque eadem die, plurimas sibi cum Henrico fore contentiones, eumdem Romæ restitutum, & triumphantem regredi, hæc quippe ferebat fama, quæ certe legatorum dictis erant omnino contraria. Quibus cognitis, seque & suos ita deludi, magno primum mœrore correptus, remeare Stabuletum deliberavit, & die sequenti, solutum sese arbitratus fratrum votis & religione omni, salutato nemine, regem convenit, qui in villa* Vincheim *curiam habebat, deprecaturus ipsum & principes, ut ne vis alla sibi inferretur.* Quærebamus, *inquit epistola jam citata*, in domo regia interсessores, qui antea pro multis etiam damnatis sæpe interveneramus, & sollicitabamus amicos nostros, quasi de eorum fide dubitantes, Anselmum videlicet Havelbergensem venerabilem episcopum, & Arnoldum majoris ecclesiæ præpositum, regiæ curiæ cancellarium, quos a juventute nostra summa dilectione sumus amplexi, & diligenti studio, cum quotidiano caritatis incremento venerati, atque ut nobis assisterent, & animum principis ab hac intentione revocarent, magna precum instantia rogabamus. *Sed surdis, ut vulgo dicitur, cantabat, instanti* Epist. 131.

præsertim Corbeiensibus monachis, qui regis animum occupaverant. Confirmata igitur electione in frequenti curia, incredibili omnium applausu, regalibus decoratur pridie idus Decembris.

Tum vero, quod satis mirari non possumus, Wibaldus tanta in conspiratione Dei optimi voluntatem & nutum sancte ac pie veneratus, onus impositum, quod adeo perseveranter recusarat, tanta suscepit alacritate, ut eodem temporis adversus Henricum statueret quodvis adire discrimen, rebellesque omnes fautores ejus insectari, ne minimo quidem perturbationis aut tristitiæ vestigio in vultu ejus apparente. Atque hoc armatus proposito, dimissus est, adjunctis abs rege ad Corbeiense monasterium Kemnada & Wisbecha, abbatiis duabus virginum, quæ a multis temporibus flagitiosissime viventes, ad meliorem frugem adduci nullo modo potuerant, neque de cetero spem dabant ullam feliciorem.

Corbeiam ingressus est xv. calend. Januarii, exultantibus præ gaudio fratribus, qui adventum ejus ardentissime expetebant, nec mora recuperare satagens ea quæ Henricus improbe alienaverat, Goslariam sub initium Januarii contendit, atque hinc inde petragrata terra, præter spem & nullo repugnante, omnia fere paucis diebus recepit. In Cropenstedem *xx. mansos, in Nortlandia curtem unam integram* Loningen, *curtem integram* Buochuru, *in curte* VVisbick *duos mansos, in curte* Loten *unum mansum, & multa alia quæ enumerare longum est. Sed & Henrici familiares prima viri fama consternati, clementiæ ejus sese ultro commisere.*

Ortho Frising. l. 1. c. 40.

Interea Conradus exemplo motus Ludovici Francorum regis, & frequenti hortatione impulsus S. Bernardi abbatis Clarævallis, accepto Ratisbonæ vivificæ crucis signo mense Februario, celebriorem habuit conventum Francofurti, ubi ordinato belli sacri apparatu, bellum aliud, efflagitantibus Saxonum proceribus, queis jam Wibaldum accensemus, indictum est adversus Lutitios & Obotritos, gentem Sclavorum crudelem, & idolorum cultui deditam, quæ Christianos regionis Transalbianæ, & Daniæ miserrime vexabat. Provisum deinde reipublicæ, ne absente rege turbaretur, admissus denique uno consensu Henricus filius ejus adhuc puer in regni solium, dato ipsi tutore Henrico præsule Moguntino, cui ex antiquo sedis suæ privilegio regni custodia & procuratio sub principis absentia debebatur. Aderant porro huic conventui inter plurimos ecclesiæ proceres, ALBERO Trevirensis archiepiscopus, BUCO Wormatiensis, ANSELMUS Havelbergensis, HENRICUS Leodiensis episcopi. SIFRIDUS Wirzeburgensis electus, BERNARDUS abbas Clarævallis, & WIBALDUS noster, qui duo insignia retulit instrumenta, quorum altero monasteria duo prædicta Kaminata & Wisbeka Corbeiæ confirmata, de integro asserta altero monasterii ejusdem privilegia, & jus in primis patronatus & procurationis in moniales Herivordenses. Ducum vero, comitum, marchionum, & nobilium infinitus erat numerus, quorum pars magna militiæ Christi nomen dederat.

Vid. infra in append. ad epist. VVibaldi.

Soluto conventu, Eugenio summo pontifici, qui tum ex Italia in Gallias excedebat, missus obviam WIBALDUS, una cum Bucone Wormatiensi & Anselmo Havelbergensi episcopis. Litteras vero ferebant regis, quibus primo significabat ea quæ in conventu fuerant statuta. Excusabat deinde se, quod ipso inconsulto crucis tesseram accepisset, & notanda sunt regis verba. Ad querelas illas, quod dicitis, *inquit*, nos rem tantam, scilicet de signo vivificæ crucis, & de tantæ tamque longæ expeditionis proposito, absque vestra conscientia assumsisse, de magno veræ dilectionis affectu processit, sed Spiritus-sanctus qui ubi vult spirat, qui repente venire consuevit, nullas in captando vestro vel alicujus consilio moras nos habere permisit, sed mox ut cor nostrum mirabili digito tetigit, ad sequendum se, sine ullo moræ intervenientis spatio, totam animi nostri intentionem impulit. *Tum eisdem litteris instanter petebat rex abs summo pontifice, ut ad Rheni oram paululum deflectens, Argentinam feria sexta post pascha vellet accedere, ad colloquium de ecclesiarum tranquillitate habendum. Legatos denique*

Epist. 20.

ipsos

ipſos expreſſis nominibus commendat, viros, *inquit*, utique prudentes & diſcretos, ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ regnique amatores ac nobis chariſſimos. *Progreſſi tres illi ſpectatiſſimi viri magnis itineribus, Divioni iij. calendas Aprilis occurrere Eugenio, qui nuntiato Wibaldi adventu mire recreatus, eos continuo excepit benigne. Ac lectis regis litteris, cum advertiſſet nomen ipſi attribui abbatis Corbeiæ, miratus eſt virum Romano pontifici ad illud tempus addictiſſimum, dignitatem hanc ſe inconſulto acceptaſſe, exiſtimabat quippe, ut abbas vel quivis eccleſiæ alicujus rector* Epiſt. 131.
eccleſiæ pariter alterius adminiſtrationem ſuſciperet, ad ſuæ pertinere moderationis gubernacula. *& nonnihil commotus, petiit exhiberi ſibi certa Corbeienſium teſtimonia, quibus teſtimoniis appareret liberrimam fuiſſe ejus electionem, neque hanc ut* Epiſt. 14.
prius confirmaret, induci illo modo potuit, quin immo, litteras alias petenti pro Corbeia, Epiſt. 131.
cum adverſus Henricum, tum ad confirmandas abbatias Kaminatam & Wiſbeckam, omnino renuit. Ita ſanctus ille pontifex, patris ſui Bernardi Claræ-vallenſis æmulus, cum de patrimonio agebatur Chriſti, nullius rationem habebat, nec amicorum, nec principum, nec ipſius cæſaris, quos certe negotium hoc promoviſſe ſatis noverat. Verum- Epiſt. 130.
tamen his auditis, quæ modo diximus, de bello Slavico, utque Saxones cum epiſcopis provinciæ ad illud ſeſe accingerent, Wibaldo ex auctoritate a Deo ſibi conceſſa præcepit, uti negotio huic operam omnem navaret. Admonens rem agi ſuam, cum propaganda his in locis eſſet fides, ubi olim a primis Corbeiæ ſuæ monachis plantata fuerat. Eo enim fine bellum hoc inſtituebatur, ut virtute magis evangelicæ veritatis quam ferri acie ſubigerentur barbari, & proprium expeditioni inſigne ipſi impoſuit. Crux erat, Lib. 1. c. 40.
ait Otto Friſingenſis, non quidem veſtibus ſimpliciter aſſuta, *qualem ferebant expeditionis Orientalis milites*, ſed a rota ſubter poſita protendens in altum.

Juſſis pontificiis Wibaldus eo lubentius annuit, quo ardentius avebat miſeros ab idolorum fæce eripi. Sed & propria inſuper Corbeiæ cauſa urgebatur. Inſulam Rugiam, Epiſt. 131.
quam Lotharius imperator Corbeiæ conceſſit anno 846. ob inſignem victoriam beati Diplo imp. vid. annal. Paderborn lib. 2. ad hunc ann.
Viti meritis reportatam de Abotritis, ubi & cæſus eſt Geſtimulus eorum rex, impiiſſimi barbari ex longo jam tempore invaſerant, Chriſtiano nomine penitus deleto. Spes erat, ſuccedente expeditione, fore ut recuperari omnino, aut ſaltem fidei priſtinæ poſſet reſtitui. Sed virum prudentem una hæc cogitatio morabatur, belli hujus apparatum, quod ad ſe ſpectaret, nonniſi maximis ſumptibus inſtrui poſſe, quas forte expenſas prius abs ſe exigi quam Corbeienſis abbas confirmaretur, minus licebat.

Attamen cum deliberandi tempus nullum daretur, inſtante Aprili, quo fere menſe exercitum moveri oportebat, profectus eſt una cum Guidone cardinali & cancellario;
qui regi mittebatur legatus abs ſummo pontifice, admonitis prius Corbeiæ fratribus, Epiſt. 14.
uti quam primum Eugenio atque ejus legato petita conventus teſtimonia intimarent. Ac primum accelerato itinere, Herbipolim conceſſere feriis paſchalibus, hinc Bambergam, ubi Conradus ſanctum paſcha celebraverat, qui Guidone admiſſo & expedito, Henricum filium ſuum, puerum regem Wibaldi fidei pluribus verbis commendavit, atque hoc ultimum chariſſimo abbati benevolentiæ pignus Conradus dedit, priuſquam diſcederent ab ſeſe. Exquo affirmare certiſſime poſſumus, Moguntinum præſulem pro eccleſiæ ſuæ jure nomen quidem tutoris habuiſſe & dignitatem, tutelæ onus ſubiiſſe Wibaldum: idque fateatur neceſſe eſt quiſquis epiſtolas legerit 30. 31. 89. aliaſque paſſim, ſi ſit æquus rerum æſtimator. Tum vero progrediente rege Francofurtum, hinc Norimbergam, inde Ratisbonam, uti tradunt ſcriptores antiqui, Corbeiam Wibaldus ſeceſſit, ſuam in ſede Corbeienſi confirmationem expectaturus. Duos enim e ſuis Corbeienſes monachi deputaverant, Walterum monaſterii priorem & Reinherum præpoſitum de Creſburch, probati teſtimoni viros & honneſtæ converſationis, *qui Eugenium prope Pariſios in monaſterio ſancti Dionyſii convenere, ſed negotiis adeo circumventum, ut Meldis decimo poſt die abſolvi vix potuerint. Legationis hujus ſeriem ingenue admodum exponit Henricus Stabulenſis monachus qui Wibaldi juſſu ob miram*

oris facundiam, tertius his adjunctus fuerat. Sic enim in epistola ad eumdem Wibaldum,

Epist. 25. Tertia feria pentecostes, *inquit*, apud sanctum Dionysium ad dominum papam pervenimus, ubi Domino cancellario nos tantum præsentavimus, propter tumultum maximum, qui in exitu domini regis circa dominum papam aderat. In crastino autem antequam dominus papa, qui Meldas transire disposuerat, egrederetur, Domino papæ per cancellarium præsentati sumus, & littera: quas deportaveramus, dedimus. Inde Meldas in quinta feria pervenimus. In sexta vero feria in præsentia domini papæ & episcoporum & cardinalium tantum evocati sumus. Præmuniti tamen a domino Florentino, quid loqueremur, vel quis loqueretur, unus scilicet Corbeiensis, quorum causa agebatur. Sed cum alter eorum impeditioris linguæ, ut melius nostis, esset, & alter eorum saris infirmaretur; ego qui Corbeiensibus jussu vestro aderam, quasi Corbeiensis, una cum ipsis ad dominum papam accessi. Ubi cum in præsentia omnium illorum qui affuere, in personam vestram facta, esset agendum, ego, qui me Corbeiensem modo esse necessitate quam prædixi confitebar, totum ordinem electionis quem bene noveram, domino papæ sicut oportebat enarravi. Papa itaque, auditis omnibus necessitatibus quare vos elegerant, compertis etiam utilitatibus, quas non tacueramus, quæ electionem subsecutæ sunt, dixit se communicaturum consilium cum fratribus, & ex ipsorum consilio se nobis responsurum. In hac autem suspensione detenti sumus decem diebus. *Et paucis interpositis subdit.* Quid tandem? decima die post auditam causam electionis vestræ vocati sumus, & post multam commendationem personæ vestræ, sapientiæ quoque & facundiæ in præsentia episcoporum & omnium cardinalium adjudicavit & concessit ratam esse electionem in vos factam, & hoc magis ex dispensatione, sicut ipse testabatur, Romanæ ecclesiæ, quam aliqua auctoritate. *hæc ille.*

Dum autem tamdiu detinebantur boni illi fratres in pontificis curia, tempus expeditioni constitutum sensim effluxit, & vix quidquam poterat Corbeia sumtibus & apparatui suppeditare, attritis omnino frequenti infectatione Henrici quondam abbatis, monasterii opulenti facultatibus. Quid tum Wibaldus? Rem certe egregiam, & pristinis Ecclesiæ moribus plane congruentem aggressus est, vereque comprobavit eo adductus angustiæ, rebus adversis animum constantem æque ut ac prosperis. Nonnullam pecuniæ vim Corbeienses monachi e quotidianis fidelium donis jam diu coacervabant in sacra æde, cum ædis ipsius refectioni, tum urgentibus monasterii negotiis pie destinatam. Vivis templis ille ad cultum veri Dei instaurandis, & evertendis idolis gazam hanc, imo ipsa altaris vasa consecravit, convocatisque fratribus, atque expositis quos modo retulimus expeditionis moribus, utque sibi abs Eugenio imposita crux esset, extractæ sunt ex altaribus sancti Stephani & sancti Viti marcæ auri triginta, cum calice aureo marcarum sex, proviso nihilominus sanctissimo decreto, atque etiam omnibus sacramento obstrictis, ut thesaurus ille quam celerrime posset resarciretur. Decretum illud ex historia Corbeiensi manuscripta, quæ sereniſſimi principis jussu nobiscum fuit quam humanissime communicata, exhibemus hic insigni futurum exemplo posteritati.

Fratres Corbeienses in eodem monasterio in Domino congregati pusilli & magni, universis ad quos istæ pervenerint pacem, & dilectionem. Notum esse volumus omnibus ecclesiæ nostræ fidelibus, tam præsentibus quam posteris, quod de communi consilio capituli nostri & laicorum nostrorum ministerialium, videlicet Corbeiensis ecclesiæ, ex consensu domini & reverendi patris WICBOLDI Corbeiensis abbatis, quædam de thesauris sumsimus propter quasdam publicas & communes utilitates monasterii nostri, in quibus eosdem thesauros expendimus. Hæc autem sunt quæ

abſtulimus, de altari ſancti Stephani xxiv. marcas auri, de altari ſancti Viti vj. marcas auri, calicem aureum appendentem vj. marcas auri & dimidium plenarium optimum, quod duci Saxoniæ poſitum eſt in pignore pro lx. marcis argenti: Et quoniam a majoribus noſtris piis utique religioſis viris, hi theſauri in eccleſiâ noſtra tam ad decorem domus Dei, quam ad ſublevandas neceſſitates eccleſiæ, ſi quando opus eſſet, inſtrumentario repoſiti fuerant, & de labore patrum noſtrorum, & de eleemoſyna piorum eccleſiam noſtram his theſauris ditatam atque ornatam, in noſtro tempore invenimus. Cupientes imitari exempla anteceſſorum noſtrorum de communi conſilio capituli noſtri, atque ex conſenſu reverendi domini & patris noſtri prænominati abbatis, cum ipſo domino noſtro abbate ordinavimus atque conſtituimus, ut nos de præbenda noſtra ſive ſit de vino, ſive de pelliciis, ſive de caritatibus undequaque ſumamus xij. marcas argenti per ſingulos annos, ad reſarciendos theſauros quos ſumſimus, in eccleſia conferamus. Dominus quoque abbas ad idem opus, quouſque totum reficiatur, totos reditus curtis ſuæ *Huldeſſen*, & præterea tantum ut xij. marcæ impleantur, annuatim ſe daturum promiſit. Sed & laici noſtri miniſteriales, qui conſilio intererant, ut theſauri de eccleſia ſumerentur ad reficiendos eoſdem theſauros bona, ſua ſingulis annis ſe daturos, donec opus conſummaretur devoverunt, aliquis dimidium talentum, aliquis quinque ſolidos, unuſquiſque pro captu ſuo quibus inſpiret Deus, ut reddant quæ Deo & ſanctis ejus voverunt. Nos autem cum domino abbate ad ſacratiſſimos patronos noſtros Stephanum & Vitum, circa quorum ſanctas ac venerabiles reliquias aurum abſumſimus, ita nos hæc vota adſtrinximus, ut eamdem quantitatem argenti quam promiſimus, annuatim devote perſolvamus. Etſi forte ſterilitas terræ, vel alia neceſſitas talis ingruerit, ut anno aut in duobus, ſupradicta pecunia a domino abbate & a nobis perſolvi non poſſit, proximo ſequenti anno, cum perſolvere poterimus, defectus totus ille, tam a domino abbate, quam a nobis, cum bona voluntate ſuppleatur, & hoc uſque ad reſtaurationem theſaurorum quos ſumſimus de eccleſia pie & fideliter per annos ſingulos perſolvatur. Hoc ergo pium & fidele ſtudium noſtrum, ſicut a patribus noſtris accepimus, ita etiam poſteris noſtris volentes relinquere in exemplum, hanc ipſam ſponſionem noſtram ſcripto commendavimus, & ut habeat in ſe inviolabilem firmitatem, ſigillo ſancti Viti ſacratiſſimi patroni noſtri, & præterea ſigillo Domini noſtri abbatis eam conſignavimus. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione domini MCXLVIII. indictione X. a conſtitutione novæ Corbeiæ anno 324. anno ſecundo Domino Wicboldi abbatis in Corbeienſi eccleſia. Hi autem ſunt laici, qui auxilium ſuum per ſingulos annos donec opus conſummaretur, promiſerunt: Conradus de *Fralin*... ſingulis annis dimidium talentum, Hereboldus de ..... & filius ejus Conradus v. ſolidos, Thiedericus Groſſus & filius Erenfridus v. ſolidos, Thiederícus comes de *Huxere* v. ſolidos, Helmewigus de *Godolumen* iij. ſolidos, Reinerus de Potta v. ſolidos, Adelbertus de *Bodeleveſſen* dimidium talentum, Elverinus de..... v. ſolidos, Thiedericus frater ejus v. ſolidos, Carolus de Nova-eccleſia iij. ſolidos, Rabanus v. ſolidos, Bruno v. ſolidos, Goſwinus de *Weten* v. ſolidos, Reinmarus iij. ſolidos. Leg. 1147.

Sacra gaza auctus hoc modo Wibaldus, ſub finem Maii cum ceteris Saxoniæ proceribus movit, expectata aliquamdiu ſummi pontificis confirmatione, quæ certe, ut videtur, nimis diu pro dignitate viri protracta fuit. Tantus vere Chriſtianorum exercitus erat, ut tranſmiſſo Albi, tota terra a facie eorum contremuerit. *Et ſpe nulla in ipſo*

ingreſſu ducibus affulgente Slavicæ feritatis edomandæ, verſo in rabiem, ut ita dicam, rege Nicloto fere per iij. menſes, *uti ſcribit auctor antiquus*, omnia vaſtarunt civitates & oppida igni ſuccenderunt, fanum etiam cum idolis, quod erat ante civitatem Malchon cum ipſa civitate concremarunt. *Verum plurima utrimque ſtrage edita, cum belli cardo in expugnatione* Dimin *&* Dubin *munitiſſimarum arcium verteretur, & jam bipartito exercitu arcem utramque eodem tempore circumventam & obſeſſam urgerent acrius, orta inter duces diſſenſione*, grandis illa expeditio cum modico emolumento ſoluta eſt.

Helmod. lib. 1. c. 66. Otthо Friſing. lib. 1. c. 44.

Obſidioni caſtri Dimin *Wibaldus aderat ſub finem Junii, uti ſcribit ad Bernhardum Hildesheimenſem, ſed ibi quid egerit neque ipſe pro more modeſtiſſimus, neque Helmodus aut quivis alius ſcriptor memoriæ tradidit. ceterum bello hoc omnia in ſe inferorum monſtra videtur conciaſſe. Neque enim nobis veriſſimile ſit, homines quantumvis crudeles & iniquos, ea omnia in perniciem inſontis viri potuiſſe excogitare, quæ adverſus eum, exquo Albim tranſmiſit, impie fuere & indigne attentata. Nihil prorſus ſeu Corbeiæ ſeu Stabuleti ſartum & tectum ab iniquorum vi fuit, ſpoliata prædia, occupatæ pinguiores villæ, in ipſos denique monaſterii utriuſque fratres & ſubditos indignis modis ſævitum. Hic Godefridus Namurcenſis comes, fractis induciis quas anno præterito ad calendas uſque Octobris hujus anni, cum advocato monaſterii pepigerat, omnia igni & ferro in tractu Leodienſi, in Hasbania, in Conduſtrio devaſtat, & denuo occupatur ejus conſenſu abs Euſtachio Leodienſi advocato villa* Turnines. *Illic monaſterium nobile manus ſceleſta, Henrico duce, invadunt, fratrum conſtantiam modo tentantes minis, modo blanditiis allicientes, ut egregium hunc ducem, hominem certe & perfidia & iniquitate monachi, immo ſacerdotis & abbatis nomine prorſus indignum, rejecto Wibaldo reciperent. Stetit tum temporis inconcuſſa Corbeienſium fides, &* monaſterium *omnes ad unum* propugnaculis & armis muniere, vim vi repellere jure gentium molientes. *At ſi libebit in ſequentes annos vel leviter excurrere, alios videbimus ejuſdem loci fratres & ſubditos, tumultus incentore eodem Henrico, apertamque rebellionem in monaſterio excitaſſe, partes ejus palam ſequentes, alios eoſque audaciores, abbati paraſſe inſidias. Sed quod deterius eſt, viri integritas, omnibus adhanc diem ſpectatiſſima, falſis lacerata criminationibus, proborum etiam ſuſpicioni patuit. Nondum pedem moverat ad ineundam expeditionem, cum jam diffundebatur ubique rumor, Corbeienſem abbatem, immiſſis in ſacram ſuppellectilem impiis manibus, opes divino cultui mancipatas, regi temere diſpertitum eſſe. Rumorem quidem illum fratres duo, quos diximus ſuperius fuiſſe ad ſummum pontificem delegatos, aliquantum compreſſerant in Romana curia, uti Henricus Stabulenſis monachus, epiſtola ibidem citata teſtatur. At diſcedentibus eiſdem, velut erumpens e cinere flamma, adeo recruduit, ut legatum ſummus pontifex, conſternatis Wibaldi amicis, atque in primis Stabulenſibus monachis Corbeiam duxerit deſtinandum menſe Decembri ejuſdem anni, qui rem diligentius exploraret. His porro anno ſequenti litteras conſolatorias ſcripſere Corbeienſes fratres, quibus ſatis declaratur viri innocentia. Quamquam miramur, ut nihil diſſimulemus, expeditionis adverſus Obotritos, cujus occaſione orta erat procella hæc, neque hic neque in decreto ſuperius edito mentionem ullam fieri.* Audivimus, *inquiunt*, conturbatam eſſe unanimitatem veſtram de verbo quodam quod magiſter G. pro ſublatis in eccleſia noſtra theſauris, nobiſcum anno præterito contulit, ... venit igitur ad nos... anno præterito circa feſtum ſancti Thomæ ... erat tum domi præpoſitus major eccleſiæ noſtræ... ab ipſo ſciſcitatus eſt quamobrem ſanctuarium noſtrum ſpoliatum eſſet theſauris ſuis?... Non eſt, inquit præpoſitus, ſpoliatum ſanctuarium noſtrum, quia quicquid inde ſumtum eſt, in utilitatem eccleſiæ noſtræ expenſum eſt. *Et quibuſdam interpoſitis.* Propter communem neceſſitatem eccleſiæ quamdam partem theſaurorum in eccleſia, ex communi conſenſu capituli noſtri tulimus, & quaſdam poſſeſ-

Epiſt. 131

Epiſt. 25.

ſitatem accepimus, reparare & reſtituere quantocius poterimus, Deo annuente propoſuimus. *Hæc illi. Ex quibus colligere poſſumus, non ſemel hoc anno e ſacra æde receptam eſſe pecuniam, neque eam quæ expeditionis occaſione recepta eſt, in ſumtus ſolum expeditionis ejuſdem eſſe omnem impenſam, uti inſinuat hiſtoria Corbeienſis manuſcripta, ſed & aliquam ejus partem regi fortaſſis adverſus infideles properanti; & urgentioribus monaſterii negotiis deſtinatam fuiſſe, quod æque Wibaldum ab omni criminis nota expurgat. Sed ne ulterius procedamus. Reverſus ab expeditione Slavica ſub initium Septembris, monaſterium obſidione exemit, ſedatiſque mirabili humanitate & clementia turbulentis motibus, quos modo diximus, ad ſui contumeliam & offenſionem eſſe concitatos, Stabuletum altero menſe vix elapſo migravit, opem laturus gregi bellis continuis oppreſſo GODEFRIDI Namurcenſis comitis, VINANDI de* Lymborg, *EUSTHACHII Leodienſis advocati, aliorumque nobilium Lotharingiæ. Et qui dum laniaretur ipſe invidorum morſibus agni naturam induerat, tunc magis de ſuorum damnis ſollicitus; animum induit leonis, ipſos etiam in mortuos ſæviens, vivis ut metum incuteret. Idque ex eo maxime inſtrumento, quod* Pag. 113 *ſuperius edidimus innoteſcet. Neque ſic componendis Stabulenſium rebus adeo diſtinebatur, ut ipſa imperii negotia, abſente Conrado, intermitteret. Trevirenſi concilio ſub initium anni* 1148 *nomine Henrici regis junioris adfuit, deinde Rhemenſi, ubi multa propoſuit, quæ jam alias diſcuſſimus. Hinc vocatus ad comitia Winisbergæ habita calendis Septembris, tum Francofurtum, ut regi* ad informandum regni ſtatum Epiſt. 89. & pacem firmandam conſilio & auxilio aſſiſteret. *Atque interim Lotharingiæ Moſellanæ patriæ ſuæ, quæ tota fervebat bellorum motibus, conſulens indefeſſe, alios quidem pactis induciis continuit, alios ipſam in amicitiam & ſocietatem adduxit. Id quod diſerte ſcribit Corbeiæ fratribus, qui abſentiam ejus moleſtius ferebant.* Ut autem ſciat fraternitas veſtra, *inquit*, tempus otioſum nobis non præteriiſſe, Epiſt. 84. inter comitem Namurcenſem & comitem de *Los*, & comitem de *Daſburg*, quorum diſcordia totam terram lacerabat, pacem Deo auctore uſque in feſto ſancti Remigii fecimus, atque inter comitem de Rupe, qui noſter advocatus eſt, & comitem de Monteacuto, qui multorum incitamentis maxima inter ſe bella movebant, finitivam & toti terræ ſalutarem concordiam reformavimus. *His intentum curis Wibaldum & Stabuleti agentem redux e Palæſtina Conradus anno* 1149. *conventu indicto Francofurti ad diem feſtum aſſumtionis* Epiſt. 169. *accivi præcepit, ante alios imperii principes, ea ſeorſim communicaturus, quæ palam erant in conventu exponenda. Negotia duo majoris momenti rex moliebatur, expedi-* Epiſt. 149. *tionem Italicam, & Ladiſlai Poloniæ ducis profugi reſtitutionem, quæ duo poſt amiſſum in Oriente florentiſſimum exercitum, æque ardua conficere non potuit, quamvis ſæpius tres fere annos quos ſuperſtes egit, variis in comitiis agitata ſint, miſſis non ſemel legatis cum ad ſummum pontificem tum ad Polonos. Atque his fere conventibus invitatus abs rege Wibaldus adfuit. Ac primum Francofurti hoc anno* 1149. *deinde* Epiſt. 181. *Bambergæ, ubi hebdomadas novem & eo amplius regiis expenſis detentu fuit, brevi* Epiſt. 217. 261. *mittendus Romam cum Arnoldo Colonienſi præpoſito & regni cancellario, niſi graviſſima interveniſſent reipublicæ negotia. Hinc Spiræ ſub initium Februarii, tum* Epiſt. 217. 284. *Fuldæ tertio nonas aprilis; atque adeo regis lateri menſes omnino quinque adhæſit, quo fere tempore, Romanis rebellibus, qui regis gratiam adverſus Eugenium ſummum pontificem freqventibus litteris aucupabantur, aſſidue obſtitit; ſuſceptis pro virili eccleſiæ partibus.* Venimus *inquit eidem pontifici ſcribens (Bambergam)* ad curiam glo- Epiſt. 211. 212. rioſi filii veſtri Conradi Romanorum regis, in vigilia nativitatis Domini, & Epiſt. 218. permanſimus in ea continue uſque ad feriam quintam hebdomadæ paſchatis, ſub ea expectatione, ut nos & cancellarium ſuum ad veſtræ ſublimitatis præſentiam, ſicut jam dudum condixerat, ut veſtræ quoque magnitudini ſignificaverat, tranſmitteret: in quo temporis ſpatio die ac nocte id efficere ſtudioſe ſategimus, ut animum ipſius ad dilectionem & reverentiam veſtræ

perſonæ, ad defenſionem ſacro-ſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ, & omnium eccleſiarum, fortiter accenderemus . . . . ſed intervenientibus quibuſdam magnis regni negotiis, neque perſona noſtra neque cancellario ſuo carere voluit. *Attamen decreta anno ſequenti cum Ratiſbonæ tum Herbipoli expeditione Italica, delegati uterque fuere ad ſummum pontificem, & ad Romanos, eam ut in Italia conſiliis & prudentia promoverent, ſed legatione vix exacta, mortuo Conrado, eamdem expeditionem Fredericus ejus ſucceſſor ad aliud tempus diſtulit.*

Epiſt. 320. 323. 324.

Jam vero Wibaldi auctoritas ſumma & gratia cum rege, ut vulgo accidit, minime diſperiit. Charior adhuc Frederico, qui canam ejus ſapientiam fidemque, uti omnes, ſumme venerabatur, factus eſt, ſublato è vivis Conrado, conſiliorum ejus omnium arbiter, atque unus, ut ita dicam, primis ejus & regni & imperii annis univerſam imperii molem prudentia ſua ſuſtentavit, idque advertat neceſſe eſt quiſquis epiſtolas, quas ex eo tempore quo aſſumtus in regni ſocium eſt Fredericus aut ſcripſit aut recepit, attentius leget. Et felicem fortunatumque hunc, ſi talem ſibi miniſtrum fortuna ſervaſſet diu!

Annos tantum modo quinque Wibaldus Conrado ſuperſtes fuit, ſed qui, ſi expendentur accuratius, ſuperiorem ejus ætatem videntur rerum geſtarum gloria exæquare. Et primus quidem inſignis fuit Frederici promotione ad regnum, cui haud parum adlaboraſſe Wibaldum Fredericus ipſe in comitiis generalibus anno 1153. *habitis Merſeburgi diplomate teſtatus eſt litteris aureis exarato.*

Hic vero annus Chriſti 1153. *quam glorioſus fuit VVibaldo mutuo cum MANUELE imperatore commercio litterarum, queis de connubio tractabatur Frederici regis cum imperatoris ejuſdem filia. Et Wibaldus ipſe qui connubium illud ſic proſequebatur, Frederico auctor fuerat, ut futurus ipſe imperator, affinitate ſe cum imperatore conjungeret. Id porro teſtatur epiſtola* 90. *ad Manuelem his verbis.* Inſtanter non ceſſavi, quatenus inclytus atque victor dominus meus Fredericus imperator; cum conſtantiſſimo veſtro imperio fœdus amicitiæ iniret, & de ſanguine veſtro uxorem duceret, quod etiam veſtra ſapientia complere indubitanter maturabit.

Vid. infra in append. ad epiſt. VVibaldi.

Jam de ſequentibus annis quid afferemus, etenim breuitatis ſtudio eligendum. Expeditionem in Italiam ſub finem anni 1154 *movit Fridericus VVibaldi nutu, atque ejus conſiliis anno ſequenti poſt inſignes triumphos coronatur Longobardorum rex; tum ulterius progrediens, eodem comite Wibaldo Romam ingreſſus, ab Adriano pontifice* 14. *cal. Junii coronatur imperator. Anxius quidem ſummus pontifex de regis adventu hoſtiſne an amicus accederet neſciens, legatos obviam præmiſerat: ſed pontifici præſente Wibaldo quid metuendum? id vero poſt modum Adrianus impenſe agnovit, gratuſque erga abbatem noſtrum, ob egregiam operam in placido hoc congreſſu imperatoris, Stabuleti & Corbeiæ monaſteriorum jura privilegiaque novis diplomatibus inſtauravit. Nec dum lætiſſimus ille annus exierat, cum ad imperatorem Conſtantinopolitanum* qui Paleologum nobiliſſimum Græcorum, *uti ſcribit Otto Friſingenſis,* regaliſque ſanguinis procerem, & Marodocum egregium virum imperatori miſerat, munera non parva deferentes, *deſtinatur. Exacta vero hac legatione anno* 1156. *& paucis interjectis menſibus, abs Friderico, qui tum in Polonos movebat, ut Ladiſlaum profugum ducem reſtitueret, invitatur ad ineundam anno ſequenti expeditionem in Mediolanenſes, ſed heu, Deus optimus, cujus nutu omnia adminiſtrantur, quam aliter providebat. Reverſus enim Fridericus e Polonia victor, dum ſecundam ad Manuelem legationem inſtituit, Wibaldus denuo mittitur, qui altero demum anno rediens, Butelliæ in Paphlagonia potionatus, uti ſuſpicio eſt, occubuit.* 14. *cal. auguſti. Quam ob cauſam, ut ſcribit ex Radevvico annalium Paderbornenſium auctor eruditus Nicolaus* Schaten, *legati Græcorum imperatoris, qui anno* 1519 *ad Fridericum miſſi aderant, refugere comitia principum intrare, niſi publica primum*

Vid. ſupra paſſ. 129. & infra in append ad epiſt. VVibald. Lib. 2. c. 23.

Epiſt. 423.

Epiſt. 434.

Hiſt. mſſ. abbat. Stabul

Annal. Paderb. lib. 8. ad ann. 1157.

fide principum data, ſecuri eſſent, quod ob tanti viri acceleratam veneno mortem aut ſuſpecti aut inviſi haberentur. Radev. I. 2. c. 22.

Atqui hic VVibaldi abbatis finis fuit, Viri, ſi mores ſpectabuntur, primorum eccleſiæ temporum digniſſimi. Si felicitas ingenii, ſi prudentia, ſi ceteræ animidotes, vix ulli ſui ævi, quod ſane inſigniorum virorum ferax fuit, ſecundi.

Ad mores quod attinet eæ preſertim in VVibaldo enituere virtutes quæ ſunt ab aulis principum remotiſſimæ. Spectata integritas, & candor omnis expers doli, caritas in omnes vere chriſtiana, quæ nullis injuriis reſtingui umquam potuit, & magnus ſui deſpectus.

Sæpe mirati ſumus tot epiſtolis & monumentis quæ hic exhibentur, ne unum quidem ipſi verbum de familia, de parentibus, de paternis facultatibus excidiſſe, niſi forte epiſtola 79. ubi fratrem ſuum ſcribit eſſe regi a cancellis, idque ſemel & ſorori. Sed & de ſe ſolebat adeo tenuiter & abjecte loqui, ut nobilitatem generis omnem a ſe non ſemel removiſſe videatur; ſic epiſtola 148. ubi Harvico Bremenſi electo conquerenti, quod mortuo Adalberone, ſedem ambiiſſet Bremenſem, in ipſum enim cleri vota potiorem partem convenerant, ita modeſte reſpondet. Indignamini nobis, quod cum de electione Bremenſis archiepiſcopi vacante tunc ſede ageretur, in noſtram perſonam omnium fere vota ſe inclinarent. Nos in tálem diſceptationis aleam non libenter incidimus, ubi tam de natalibus quam de moribus ſubtiliſſime diſputatur, & frequentiſſime erratur, atque infirmitatis noſtræ & humilitatis bene conſcii, ad tantam rem & tam reverendam opportune agendam nequaquam accedere præſumeremus. *Et epiſtola 86.* Si nos, *inquit*, Stabulenſis eccleſia non educaſſet, ſi nos egenos de pulvere non ſuſcitaſſet, & de ſtercore erexiſſet pauperes, ut ſedeamus cum principibus.

Jam vidimus quam alieno fuerit ab omni dignitate animo. Raptus eſt ad ſedem Caſſinenſem violenter, eâque non multo poſt dimiſsâ quam lubentiſſime, & multis aliis adminiſtrationibus repudiatis, quas non deſignavit, æque coactus ad Corbeienſes ac- Epiſt. 131.
ceſſit; tum Bremenſes inſulas ſibi quodammodo oblatas, deinde Colonienſes, non qui- Epiſt. 148.
dem aperte, quod ſine faſtu fieri vix poteſt, ſed diſſimulatim, & quaſi aliud agens 210.
effugit, indignum ſe honore omni reputans. Si quid adverſi monachis ſuis continge- Epiſt. 41.
ret, id ſibi attribuebat, ſi quid ipſe ſtrenue & utiliter ageret, totum Deo, qui vili 86.
& exiguo inſtrumento uteretur. Hinc ſe omnium etiam viliſſimorum memoria indi- Epiſt. 41.
gnum fatebatur. Conſcientia noſtra, *inquit ad Fredericum abbatem primum S. Go-* Epiſt. 117.
dehardi, qui merita ejus aliquantum prædicaverat, graviter nos impugnat & accuſat: neque nos non dicam veſtra, ſed nec cujuſquam quidem infimi hominis commendatione ſe dignam arbitratur.

Inimicos ubique & ſemper expertus eſt infenſiſſimos, nihilque in epiſtolis ejus occurret frequentius Stabulenſium ſeu Corbeienſium querelis adverſus hujuſmodi homines, qui modo prædis, modo incendiis, odia ſua exercebant. Quid abs Rainaldo Tuſco in monaſterio Caſſinenſi non eſt perpeſſus, quid Corbeiæ ab Henrico illo flagitioſo abbate, qui auctoritate apoſtolica exauctoratus, eo numquam adduci potuit, ut decreto ſummi pontificis obſequeretur? Quid ab Harvvico Bremenſi archiepiſcopo, quid a Mindenſi Henrico, quid ab Oſnaburgenſi atque aliis imperii optimatibus, quid ab Juditha Kaminatenſi abbatiſſa, quid denique a ſuis? Frequenter, *inquit*, horribilibus Epiſt. 315.
periculis jactati ſumus, & præcipue periculis in falſis fratribus. *Qui omnes vel ſolo nutu potuiſſet opprimere, ſibi ſtudebat beneficiis demereri, Rainaldo Tuſco tutum ab ira cæſaris effugium præſtitit, Henricum Corbeienſem, ejus* Epiſt. 131.
conſanguineos, atque alios æque perfidos, bonis affecit quæ nec ſperaſſent amici. Hos omnes uti divinæ juſtitiæ ſacra inſtrumenta, quodammodo reverebatur. Qui nos perſequebantur, *inquiebat*, divinæ juſtitiæ cultores, & quamvis Epiſt. 35.
pro mala intentione ſempiternum væ mererentur, tamen juſtiſſimi Dei noſtri virga erant, & baculus furoris ejus, ipſi autem neſcierunt. *Hinc Frederico ab-*

Epist. 117. *bati S. Godehardi petenti enixe, ut Henricum pœnitentem reciperet in gratiam, his verbis quæ plane essent aureis caracteribus insculpenda, respondet:* Super hoc quod nobis reconciliari desiderat, plurima nobis sollicitudo imminet, quis sensus quæve sententia sub verbo reconciliationis contineatur. Quoniam testis est nobis conscientia nostra, quod nihil in eum peccavimus. Si vero ipse in nos deliquit, totum ei ex corde perfecto ob divini respectum amoris indulgemus, & tam in anima quam in corpore vera ei bona provenire exoptamus. Nec invidens ei, si salva pace nostra & monasterii cautela, fecundior ei quies aliqua concedatur, siquidem & homines sumus & cum hominibus flagellati, & humani aliquid alienum a nobis non sentimus.

Jam si lubebit ad eas descendere virtutes, quæ magis ei fuere a naturâ ingenitæ, eum utique oportuit consummata prudentia esse ornatum, qui tot inter adversarios nullas in aula varietates annos amplius triginta expertus sit. Anno enim 1122. *nondum abbas, nec forte monachus Stabulensis, sed ne vix quidem id ætatis quæ muneribus obeundis censetur legitima, notus Romæ erat, & præcipuis sacri collegii cardinalibus familiaris. Paucis abhinc annis Stabulensis constituitur princeps, Lotharii deinde archicancellarius, in expeditione Italica classis maximæ præfectus, & denique abbas Cassinensis, ut reformato monasterio, Campaniam omnem & schismaticos rebelles contineret. Mortuo Lothario, ea apud Conradum gratia valuit & auctoritate, ut semper in ipso plusquam paternæ pietatis viscera persentiret. Frederico in deliciis fuit. Atque his imperatoribus majoris momenti nihil inconsulto eo actum est. In maximis quibusque imperii negotiis, in gravissimis legationibus assiduè versabatur, & eam ubique dexteritatem adhibebat, ut principum quibuscum tractasset animos & voluntates eo quo maxime vellet inclinasse videretur. Hæc porro eloquentiæ ejus, quam Reinhardus abbas Reinhusensis Tullianam fuisse dicebat, adscribantur, per nos licet. At quod imperio, dum vixit, nulla cum Romana sede fuerit contentio, hoc magis censemus peritiæ ejus & rerum usui esse attribuendum. Negotia enim Romana præter reliquam imperii administrationem Wibaldum unum procurasse satis constat ex dictis. His autem curis si Stabuleti & Corbeiæ molestias, si privata amicorum negotia adjungamus, de omnibus quippe meritus est quoad potuit, vastissimum homini ingenium fuisse nullus dubitabit, qui tot ac tantis, tam variis, tam continuis occupationibus sufficere unus potuerit. Atqui nec ita distinebatur quin subsciſivis operis subinde indulgeret.*

Epist. 50. 393. &c.

Epist. 340.

Epist. 34.

Epist. 147.

Litteras perpetuo coluit, & certis quotidie horis & temporibus novi semper aliquid addiscebat, Poëtis, fatemur, cum Græcis tum Latinis, Philosophisque antiquis & oratoribus, ac præcipue Ciceroni, cujus opera undique conquisita ex scribi curavit, plus æquò videtur impendisse, nisi forte excusandus sit ille vir, qui fatigatum gravioribus curis animum blandissimis scriptorum hujusmodi amœnitatibus magis remitteret, quam alio quovis minus utili laxamento. Tum & dicebat satis appositè; transire se in castra aliena, non tamquam desertorem & transfugam, sed sicut exploratorem & spoliorum cupidum, si forte Madianitem rapere posset, quam pilis erasis & unguibus desectis legitimo valeret sibi copulare matrimonio: *sed procedente ætate totum se ad sacrarum litterarum studium convertit. Et judicium illud gravissimum quod epistola* 147. *de summis ecclesiæ patribus tulit, de Cypriano, de Lactantio, de Hilario Pictaviensi, de Ambrosio, de Hieronymo, de Augustino, de Leone magno, hos demonstrat fuisse sibi valde familiares & notos. Sed & Bedam, Haimonem, Ambrosium Atpertum, Rabanum-Maurum, Joannem Scotum, multosque alios mediæ ætatis scriptores pios legisse se testatur eadem epistola. Tantam vero sacri juris peritiam comparavit, ut interdum consuleretur. Legenda est epistola* 357. *qua Arnoldo Colonienſi archiepiscopo, a quo fuerat interrogatus utrum velari in Pentecoste sanctimoniales possent, respondet. Hinc præposito Hildesheimensi a quo, Philippicas & epistolas Ciceronis cum ejusdem orationibus de lege Agraria postulaverat, durius forte admonenti, recordaretur se Christianum esse non Ciceronianum, ita*

Epist. 147.

Epist. 356.

Epist. 105.

blande

blande ſuo more ſcribit: Recte meminiſti, frater, quod quamvis libros Ciceronis habeamus, nos tamen Chriſtianos eſſe recordemur . . . . . fercula Ciceronis nec inter præcipua, nec in prima menſa jam habemus: ſed ſi aliquando meliori cibo ſatiatis aliquid libet, ſic ea ſumimus, ſicut ſecundis menſis apponi ſolent bellaria, &c. Epiſt. 106.

Utrum tractatus aliquos emiſerit incompertum eſt: ſed amicos & fratres ſeu filios ſæpius eſt cohortatus ad ſcribendum. Sic Anſelmum epiſcopum Havelbergenſem epiſtola 142. *Henricum Stabulenſem monachum epiſtola* 106. *ſexta vero Theodoricum Walciodorenſem abbatem. Et veteres Corbeienſis eccleſiæ ritus, qui in bibliotheca etiamnum ſervantur, ejus juſſu eſſe inſtauratos & ordine diſpoſitos ipſa ſuadet operis ſublimitas, & codicis caracteres antiqui. Ingentis ſane librorum ſuppellectilis, quam laboribus immenſis collegerat, pretioſæ reliquiæ.*

Hunc igitur virum Galliæ noſtræ decus, lumen imperii, Eccleſiæ Romanæ difficillimis temporibus in Germania columen, Butelliæ in Paphlagonia, uti tradunt breviores Stabulenſium annales, Græcorum perfidia ſuſtulit 14. *cal. Auguſti anno* 1158. *Oſſa ejus in baſilica civitatis depoſita, Stabuletum, agente Erleboldo fratre & ſucceſſore, honorificentiſſime tranſlata ſunt anno ſequenti, & celebrante exequias Henrico Leodienſi epiſcopo, in medio chori ſeptimo calendas Auguſti condita ſuêre. Epitaphium hic ſubjicimus, quod annales Corbeiæ habent ex Chronico Huxariæ, tametſi Stabulenſium opinio eſt, monumento ejus inciſum eſſe nihil præter nomen* WIBALDI *& mortis diem.*

WICBALDUS DEO ET ECCLESIÆ.

Qui vixit dum vixit inter mortales omnium abbatum feliciſſimus,
Summo * Pontifici, Impetatori, & principibus cariſſimus,
Exuvias corporis ſui hic depoſuit,
Univerſæ poſteritati ob pietatem, diligentiam & ſingularem zelum
Maxime & perpetuo commendandus,
Tu qui poſt eum ſedebis, fac idem & vives.

* Imitio pontificibus ſaltem quinque & imperatoribus quatuor.

FUSIUS hactenus res geſtas Wibaldi abbatis digeſſimus, tanti viri memoriam moleſtius ferentes penitus obliterari. Pauca jam de epiſtolis ejus ſubjicere juvat. Ex antiquo codice Stabulenſi prodeunt omnes, exceptis ſolum modo undecim, quæ jure antiquitatis primum hic locum occupabunt. Is autem codex plurimas autographi notas habet, quas, ne lectores ulterius moremur, expendere non libet. Sed integer non eſt, avulſis in ipſo initio foliis quatuordecim, quæ procul dubio ſcriptum continebant electionis Wibaldi in Corbeienſem abbatem, & nonnullas Conradi imperatoris ac principum litteras, quibus ad tantæ rei regimen *invitabatur. Quæ enim ſequuntur omnes ex eo ſolum tempore ſcriptæ ſunt. Unde conjicimus Wibaldi epiſtolas duos ſaltem in tomos fuiſſe diſtributas, quorum prior exciderit. Quantum hæc jactura litterariæ reipublicæ damnum importet, ex poſteriori parte judicabitur. Hac ſane Conradi imperatoris, Henrici filii ejus, Fredericique actus præcipui enarrantur ſigillatim. Colonienſis, Moguntinæ, Bremenſis, Mindenſis, atque aliarum nobilium Germaniæ eccleſiarum hiſtoria mire illuſtratur. Acta reſtituuntur nonnulla quæ hactenus exciderant, conciliorum Treverenſis & Rhemenſis anni* 1148. *Diſciplina denique cum eccleſiaſtica tum monaſtica multis in locis elucidatur, uti jam diſcuſſimus in præfatione generali.*

Theſaurum hunc debemus Reverendiſſimo patri domino domino Priori majori

imperialis ecclesiæ Stabulensis, qui codicem ms. non solum communicavit, sed & exscriptum cum instrumentis monasterii dedit. Epistolas etiam quinque nobis transmisit,
Epist. 7. 8. 9. 10. 11. *reverendissimus dominus dominus Anscharius* de Graff, *liberæ & imperialis ecclesiæ Corbeiensis capitularis & prior, celsissimi ac reverendissimi S. R. I. principis & abbatis vicarius in spiritualibus generalis, & archidiaconus, ac tandem unam cum præcipuis monasterii sui instrumentis dedit illustrissimus dominus abbas Walciodorensis, quas epistolas sex cum aliis quinque, è schedis partim Mabillonianis, partim è Chronico Cassinensi a nobis excerptis, initio præmisimus.*

Et ne quid quod ad nos attinet, de Wibaldo desideraretur, ea instrumenta & litteras privilegiorum, quæ Corbiensis abbas & princeps confecit ipse aut impetravit, adjecimus in fine, ad instar appendicis, tametsi hæc jam in annalibus Paderbornensibus, cum aliis Corbeiæ monumentis aliqua ex parte evulgata sunt.

INCIPIT EPISTOLA PRIMA GUIBALDI ABBATIS CASINENSIS AD LOTHARIUM IMPERATOREM A PETRO DIACONO COMPOSITA.

Exponit ei Casinensis monasterii calamitates, auxiliumque ac protectionem ejus implorat.

Anno 1137. *Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.*

OTHARIO Dei gratia Romanorum invictissimo cæsari, imperatori augusto, ac triumphatori perpetuo, GUIBALDUS Dei gratia Casinensis cœnobii minister indignus debitæ fidelitatis obsequium.

POST innumeras sollicitudines, quibus nimirum oneratur Romanum imperatoris fastigium, laudabile clementiæ vestræ cognoscimus, christianissime imperator ac triumphator invicte, esse propositum, per quod submotis omnibus discordiarum ac querimoniarum seminibus, quæ in agro dominico humani generis inimicus aspersérat, sanctæ catholicæ Casinensi ecclesiæ piissimo B mentis affectu consulere voluistis: in quo scilicet animi voto ac desiderio, quantum rebus humanis favere providentia divina dignetur, sollicitudo clementiæ vestræ spiritu Dei incitata demonstrat, quæ more Romanorum imperatorum benigna circa omnes existit, ideo & quasi Deo contemplante, populum Domini sibi commissum felici regat semper & gubernet intuitu, nec amplius patiatur eos aliquibus sæculi hujus procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti: quatenus post hoc vitæ præsentis imperium regnum cœleste adipisci, & in æternum cum Domino retinere valeatis. Hinc itaque pro tanta devotione animique vestri sinceritate, quam non solum verbis sed lucifluis etiam operibus circa Casinensem ecclesiam & nostram parvitatem ostendistis, obnixe petimus, ut vestro potenti solatio sanctam Casinensem ecclesiam Romani imperii specialem ac singularem cameram in hoc periculoso tempore in omnibus adjuvare defendereque non dedignetur: Quatenus ex hoc vestra imperialis gloria beatissimi P. nostri Benedicti suffragantibus meritis, per cunctas orbis Romani partes magis ac magis in dies semper accrescat, & apud omnipotentem Dominum dignam retributionem percipiat. Quanta autem & qualia per impiissimas gentes Longobardorum Nortmannorum (a) & Saracenorum [a] ego & Casinensis ecclesia pro fidelitate Romani imperii & apostolicæ sedis sustineamus stilus scribere non sufficit, cum omnia ligna silvarum herbæque camporum, undæ maris, ac arenæ littorum si vertantur in linguas, enarrare non valeant. Nihil enim aliud Casinensi ecclesiæ nisi tribulationem inenarrabilem reliquerunt, & ecce proh dolor! rege Nortmannorum ROGERIO cum suo exercitu gratulante, solus fidelium cœtus magna mœstitudine consumitur, christianorum sanguis effunditur, monachi in carceris vincula vinciuntur, devotus Deo populus continua strage vastatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, C captivus trahitur, venundatur, & exul perpetuo constituitur; en civitates, castra, ecclesiæ, ac monasteria destituta habitatori-

(a) Normannos hic eos vocat, qui sub Guiscardo principe ex Neustria venientes, Apuliam, Calabriam, ac demum Siciliam armis subjugarunt.

bus diſperierunt, & præpoſiti ac monachi hac illacque diſperſi, ſola illis B. Benedicti limina derelicta ſunt in refugium, cum monaſteria eorum in feratum redacta ſint cubilia: & ipſi vagi & ſine tectis inventi, non jam eis liceat prædicare nomen Domini, ſed mendicare. Ecce, imperator invicte, pervenit gladius uſque ad animam: ecce dies in qua clamamus: Beatæ ſteriles quæ non genuerunt, & beata ubera quæ non lactaverunt. Ecce illa periculoſa tempora Pauli voce prædicta. Libet ergo cum Hieremia clamare: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, ut plangam tantam ac tantam miſeriam, tale ac tantum excidium patriæ?* Sedet in triſtitia, quin potius in ruina Caſinenſis eccleſia caput omnium monaſteriorum, mater omnium cœnobiorum, conſolatio triſtium, portus periclitantium. Ecce, inquam, revera dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Præterito quippe anno homines B. Benedicti ſeminaverunt, ſed propter militias veſtri invicti imperii non recollegerunt: hoc vero anno quia non ſeminant, nec eſt recolligendi fiducia. Quid vero de exercitu Siciliæ dicam, cum comites Aquinenſes & homines terræ B. Benedicti, & omnes circumcirca manentes, contra ſacramentum quod vobis & Romano imperio & Caſinenſi eccleſiæ fecerunt, nil melius operentur? *Reſiduum enim locuſtæ comedit brucus*, ut ait propheta. Quid enim Nortmanni faciunt, & comites Aquinenſes pejora non faciunt? Illi terram occupant, iſti nihil ex civitatibus vel ex rure dimittunt; illi occidunt gladio, iſti ablatis omnibus fame trucidant; illi in captivitatem ducunt, iſti ſibi in ſervitutem redigunt; & cum queritur quis adverſus hoſtes dimicet, inveniuntur nulli, cum ſcilicet eorum oppreſſione retenti, ad mandatum noſtrum occurrere prorſus inveniantur. Sed cum undique anguſtiati clamamus, non eſt qui audiat, non eſt qui reſpondeat, non eſt qui adjuvet, non eſt qui ſalvum faciat, non eſt qui protegat. & quid dicam vel quid loquar, cum pervenerit gladius uſque ad animam, & ſanguis omnium interfectorum de terra clamet ad Deum? omnis namque populus diverſi ſexus & ætatis intra mœnia cœnobii Caſinenſis congregatus conſiſtit, & omnibus forinſecus devaſtatis, ac in ſolitudinem redactis, nihil jam reſtat, niſi, quod Deus avertat, ipſius eccleſiæ Caſinenſis excidium. Illud autem quod habere videmur ſolo nomine utimur ut vel ad defenſionem cœnobii, vel ad aliquam utilitatem ejuſdem eccleſiæ quorumlibet ſolatia numquam inveniamus. Præcipue autem mihi quem veſtra ibi præfecit majeſtas, non ſolum nulla ſolatia conferunt, verumetiam quidquid reſiduum eſt ab hoſtibus inpretermiſſæ ſubtrahunt, & omnem noſtram diſpoſitionem in terra B. Benedicti ſuis violentiis calcant: adeo ut nec victualia, nec ulla quadrupedia in omnibus noſtris remaneant. Nec ullus qui nobis compatiatur, vel noſtros ſingultus, vel gemitus doleat, oculus noſtet aſpiciat. Sed quia tanto imperatori tanto auguſto pauca ſufficiunt, ex iſtis jam, triumphator invicte, quæ nos præ gemitu & afflictione cordis loqui non poſſumus, & ex verbis filii noſtri Petri hujus epiſtolæ dictatoris, ac Romani imperii per omnia fidelis: quem in Alemaniam, Saxoniam, Daciam, Sueviam, ac Lotharingiam mittere decrevimus, cognoſcetis. Hiſtoriam vero occidentalium imperatorum, quam eidem Petro dictate præcepiſtis, noveritis adhuc non expleſſe. Variis enim tribulationibus & anguſtiis preſſus, plus ei flere, quam ſcribere libuit. Ergo præcellentiſſime Cæſarum, jam jam noſtræ calamitati ſuccurrite, cœnobii Caſinenſis miſerias relevate, jam veſtræ potentiæ manum porrigite, & eamdem eccleſiam, quæ ſpecialis ac ſingularis Romani imperii camera ſemper fuit & eſt, ne ſi perdita fuerit & Romanum vileſcat imperium, & toto orbi Romano noſcatur diſpendium: quia cum juxta precipitium conſiſtamus, niſi manu veſtræ defenſionis nos adjuvaveris, ſpe vivendi per Chriſtianos ſublata, aut ipſis paganis ſubiciemur, aut, quod avertat divina potentia, ab eorum multitudine victi, ad omne chriſtianitatis diſpendium crudeli nece peream-mus, ac per hoc & Chriſti nomen in gentibus blaſphemabitur & veſtræ opinionis anteacta ſtudia oblivioni tradentur. Et ideo ſolotenus humo proſtrati veſtram auguſtalem clementiam poſcimus, & per futurum judicium ac per omnia divina & humana myſteria quæ in cœlis & in terra ſunt adjuramus, atque cum tota Caſinenſi eccleſia, cui me divina dignatio præficere voluit, veſtro divinitus protecto imperio totis viribus ſuggerimus, votiſque ſupplicibus preces multas effundimus, ut contritæ, devaſtatæ, deſolatæ, & omni humano ſolatio deſtitutæ ſanctæ Caſinenſi eccleſiæ defenſionem debitamque tuitionem cunctis remotis occaſionibus, cunctiſque omiſſis dilationibus, in quantum valetis auxilii omnimodis præbeatis, quatenus qui innumeris tribulationibus quatimur, ac æſtuamus, ac pro monachis nobis commiſſis miſeriis cruciamur, veſtris conſolationibus refecti lætemur, & per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, ſicut decet, per tam benignum ac ſanctum imperatorem conſequi mereamur. Nam vobis qui in agone contenditis, ut ad bravium ſupernæ vocationis, ut ad capeſcendam coronam incorruptam perveniatis, ab omnibus aliis abſtinendum eſt; & legitime pro Caſinenſi eccleſia, quæ ſingularis Romani imperii camera eſt, decer-

tandum. Quid autem magis legitimum, quam ut præ omnibus & ante omnia cameræ vestræ curam habeatis, quæ cunctorum monasteriorum caput & mater est, quæ vestro in tempore, tantis ac tam immanibus succumbit sine cessatione periculis? Denique si Casinensis ecclesia, quæ cunctorum monasteriorum caput est, viget, cetera cœnobia, quæ membra ejus sunt, quamvis languida, recuperandi fiduciam non amittunt. Quæ nimirum omni robore carerent, si contingat solum caput forte languere, quanto potius (quod meritis sanctissimi patris Benedicti avertat omnipotens Deus) si contingat extingui, etiam Benedictus ac Maurus cum sibi commissis ovibus merguntur. Erigite ergo illos a fluctibus, imperator invicte, si vos pater Benedictus ab excessuum alluvionibus erigat, & vobis cœlestis atria regni intercessionum suarum precibus referet, ut vitæ æternæ pascua invenienda inter angelos & archangelos sine termino tribuat, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Imperii vestri magnificentiam Christus Dominus feliciter conservet, tueatur & defendat in annis. Bene valete.

INCIPIT EPISTOLA SECUNDA ad Lotharium imperatorem & Richizam ejus conjugem.

Recenset depræda tiones factas Casinensi monasterio a Sarracenis, Normannis, & Langobardis.

Anno 1137. *Ex ms. Casinensi edit Mabillonius.*

DOmino piissimo & serenissimo imperatori augusto LOTHARIO cæsari ac triumphatori perpetuo, ejusque uxori RICHIZÆ, a Deo protectæ Romanorum imperatrici, victorias certaminum, perennis vitæ bravium, subjectiones gentium, atque substratis hostibus pacis ubique bonum, GUIBALDUS sancti Casinensis monasterii minister indignus.

In variis, multiplicibus, ac diversis tribulationibus constitutus, vestrum de die in dies venturum sperabam auxilium; sed, ut video, fefellit me spes mea. Quantum enim relationibus vestræ piissimæ tranquillitatis ad nos in Casino venientium didicimus, vos jam fere Aquilegiæ propinquasse, etiam ipso auditu nimis noster contristatus ac dejectus est animus, & tanto jaculo mœroris cor nostrum infixit, ut linguæ humanæ nullus sufficiat explicare sermo. Quia nimirum magis nobis mœstitia de vestro ab Italia recessu nunc orta est, quam dudum mœror affecit, cum vestro imperiali jussu onera Casinensis cœnobii ferenda suscepi. De venerandis vero sermonibus vestris, quos nobis per nuntios vestros misistis, de sacramentis Normannorum ac Langobardorum, utinam non illis imputetur. Melius enim fuerat illis non jurare, quam jurare & perjurium committere, omnes enim qui in istis partibus habitant, apostatantes ad satan conversi sunt, & nihil vel dicunt vel faciunt, nisi quod digitus diaboli in corda eorum scribit. Nam quicquid nequitiæ, quicquid malitiæ, quicquid perversitatis, quicquid tortitudinis vel dici vel cogitari potest, in operibus ipsorum cernimus. Quantas autem calamitates, quantas tribulationes, vel quantas persecutiones ab ipsis sustineam, per dilectissimum filium meum PETRUM vobis notificare decreveram: sed quia itineris id longitudo & conclusio prohibuit, paucis aperiam. Post vestrum namque discessum Saraceni, Normanni, atque Langobardi, invenientes quietam terram, quaquaversum tendunt, devastando depopulantur, incendio atque homicidiis totum exterminantes; sed nec arbustis fructiferis omnino parcunt, ne forte quos antea montium aut prærupta terrarum vel secluſa quæque occultant, illis pabulis nutriantur. Et sic eadem atque iterum tali crudelitate furentes, ab eorum contagione nullus lætus remansit, & nullus locus ab eorum infestatione est relictus immunis, præsertim in possessionibus sacratissimi monasterii Casinensis, necnon & in aliis ecclesiis, basilicisque sanctorum, monasteriisque sceleratius sæviunt, ut majoribus incendiis domus orationis, quam urbes, cunctaque oppida comburant. Impletum est nunc in ecclesiis, quod vir sanctus ad Dominum declamat dicens: *Ubi laudaverunt te patres nostri, facta est exustio ignis.* Nunc jam venit hora, ut omnes qui nostram terram deprædantur, incendunt, devastant, & ruricolas, ac monachos in nervo vinciunt, compedibus ac manicis gravant, occidunt, vendunt, cruciant & persequuntur, arbitrentur se obsequium præstare Deo. Ubi autem venerabilis aulæ clausas inveniunt portas, certatim retibus dextralium aditus referant, ut recte dicatur: *Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi & ascia dejecerunt eas, incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Quanti nunc ab eis pontifices, presbyteri, diaconi, monachi, nobiles, ignobiles, diversi sexus vel ætatis interficiuntur? quanti cruciantur, ut tradant si quid auri vel argenti proprium vel ecclesiasticum habeant? & dum quæ habent urgentibus pœnis facilius dant, iterum crudelibus tormentis oblatores urgent, autumantes quamdam partem, non totum oblatum: & quanto plus dant, tanto amplius quempiam habere credunt. Non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reverentia sacerdotalis, non monastici habitus stemma crudelissimas mentes eorum mitigat, quin imo ibi exaggerantur ira furoris,

roris, ubi honorem conſpiciunt dignitatis. Senilis maturitas atque veneranda canities, quæ ceſariem capitis ut lanam candidam dealbat, nullam ſibi ab hoſtibus miſericordiam vindicat: parvulos etiam ab uberibus maternis rapiens barbarus furor inſontem infantiam elidit ad terram. Impletum eſt nunc quod olim Judæi canebant: *Dicit inimicus, incendere meos fines & parvulos meos eliſurum ad terras.* In ædificiis autem magnarum eccleſiarum, domorum, civitatum, ubi ingenium deſtructionis per ignem facere non poſſunt, parietes ſolo æquant, ut nunc antiqua illa ſpecioſitas ædificiorum nec quid fuerit prorſus appareat. Quod ſi quis dictis fidem derogaverit, teſtis eſt civitas Puteolana, Aliphana, ac Teleſina, quæ nihil aliud niſi quia olim fuere demonſtrant. Sed & aliæ urbes quamplurimæ aut raris aut nullis habitatoribus incoluntur. Nam & hodie ſi qua ſuperſunt ſubinde deſolantur: ſicut & de civitate Capuana, quæ olim poſt urbem Romanam totius Campaniæ & caput & gloria extitit, fecerunt. Nam poſtquam eam hominibus deleverunt, auro & argento ſpoliaverunt, ne vel ad horam locus impietati cederet, illam incendio cremaverunt, & antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in ſervitutem redegerunt, præcipuoſque in captivitatem duxerunt, ac aurum, argentum, gemmas, ac veſtes, & quicquid pretioſum, quicquid carum invenerunt, aſportarunt. Quia vero quoſdam aulicos veſtri triumphalis imperii latet, & incredibile illis videtur iſtud quod deſcribimus, huc ſi placet properantes, invenient verum eſſe quod ſcripſimus. Quanta autem & qualia intulerunt ipſi & dux illorum Caſinenſi cœnobio, & poſt veſtrum & ante veſtrum adventum, referre quis valeat? ſed ne videamur hoc intentatum relinquere, aliquanta hac ex parte deſcribam, ut liquido veſtra invicta imperialis clementia noſcat, quantum nunc pro Romani imperii odio Caſinenſem infeſtent eccleſiam, cum tam immaniter, tam impiiſſime, tam graviſſime illam perſecuti ſunt. Capta namque civitate Capuana SENIORECTUS, qui ante nos veſtræ cameræ regimen tenuit, ab eo evocatus, & contra canonum decreta, contra Domini noſtri JESU-CHRISTI & omnium apoſtolorum ac patris Benedicti præcepta ſacramento conſtrictus eſt. Sed cum adhuc iſta ejus in ejuſdem regis animo non ſufficerent, abſtulit de monaſterio aureos .... poſtquam verò hæc omnia pro ſuo velle explevit, deſtinat cancellarium ſuum, qui monaſterium ad caſtrum exinde faciendum caperent, monachos inde ejicerent, & univerſum monaſterii theſaurum cunctamque ſupellectilem cum corpore beati Benedicti ſibi in Siciliam tranſmitterent. Quod monachi perſentientes rebellare, & magis mori, quam ſanctum locum dare decernunt. A Audiens autem quod veſtra triumphalis clementia duo millia Alemannos cum ANNONE abbate cœnobii Luneburgenſis ad monaſterium defendendum tranſmittere diſpoſuiſſet, abbatem ac fratres ſeducens, utroſque ad ſuam fidelitatem ſacramento conſtringit, abbatem ad evangelia, monachos autem per ordinem ſuum. Abbate igitur vita decedente, dum adhuc ejus feretrum in eccleſia eſſet, deſtinati ſunt a CAROLINO, qui tunc in partibus iſtis ROGERII vices agebat, ut nullus, eo abſente, de abbatis electione tractare præſumeret. B Dilatum itaque eſt, & contradicentibus ac mœrentibus monachis, uſque ad ipſius adventum protelatum. Cumque illuc adveniſſet, cum ei oſtenderentur de electione abbatis patris Benedicti juſſio, & privilegiorum ac præceptorum conſtitutio; reſpondit quod nil ad præſens iſtiuſmodi valeret oſtenſio, ſed differre electionem uſque ad domini mei notitiam; ſin autem tradite arcem Bantrenſem (a) & eligite quem vultis, ita tamen ut prius fidelitatem domino meo faciat. Quod cum fratres ſe non implere dixiſſent, ille exercitum congregans C univerſa cœnobii caſtra ab ejus ditione ſubduxit. Ecce bona quæ ante veſtrum adventum Caſinenſi fecerunt eccleſiæ, & adhuc deteriora in dies ſingulos faciunt. Ob quam rem rogamus, imperator invicte, ut veſtræ cameræ afflictæ, deſtitutæ ac deſolatæ ſubveniatis; ne quando dicant Sarraceni, Nortmanni ac Langobardi, ubi eſt imperator illius? Erigite igitur, erigite veſtros invictos, & a Deo conſervandos lacertos, & Caſinenſem eccleſiam, cunctorum cœnobiorum matrem, de impiorum manibus liberate. Nam ſicut inter omnia ſidera ſolem conſtat in cœleſtibus gerere principa- D tum, ita nimirum in mundanis potentatibus Romanum cunctis præpollet imperium. Licet autem per ſe ſit magnificum, patet tamen, quia tunc ſplendet auguſtius, cum a probo & illuſtri viro regitur: & ideo veſtra probitas Caſinenſi ſuccurrat eccleſiæ, ne rutilans cœli gemma, id eſt Caſinenſis eccleſia, de capite cunctorum cœnobiorum auferatur, & ad terram eliſa, pedibus Saracenorum qui ignorant Deum conculcetur. Petrus vero noſter filius vobiſque percuncta fidelis, ſacratiſſimo veſtro imperio vobis ſe oppido commendat. Deus autem E omnis gratiæ ſic tempora veſtra dignetur diſponere, ut per præſentis vitæ felicitatem æterni regni ſitis coheredes.

(a) Nunc dicitur Rocca. Vantra in proſpectu Caſini.

EPISTOLA III. VVIBALDI ABBATIS ad monachos Casinenses.

Liberam eis alterius abbatis eligendi facultatem tribuit, cujus electio si canonica fuerit, promittit eos se ab obedientia sibi promissa absoluturum.

Anno 1137. GUIBALDUS Dei gratia sancti Casinensis Cœnobii minister indignus, dilectis in Christo filiis & fratribus in eadem ecclesia Deo militantibus spiritu consilii & fortitudinis abundare.

Hactenus in agro Dominicæ culturæ, id est in vestræ fraternitatis prælatione, arbor umbram non fructum faciens, terram occupavi, non sine timore vocem audiens Domini dicentis: Succide eam quæ & ex se fructum non reddit, & sibi suppositam terram fructificare impedit. Quoniam igitur securis ad radicem posita est, ut omnis arbor, quæ fructum non faciat, succidatur; nos consilium propheticum diutius dissimulare non potuimus, sed quia propter me periculosa & plena desperationis tempestas orta est, nautis cessantibus, ipse me in C mare mittere non refugi. Itaque quia sic a vobis recessi, Deo teste, non metu mortis, sed quod mors mea nihil vobis emolumenti, quin potius multum periculi afferre poterat, ut ultra ad vos non reverti disposuerim: præcipio vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut postpositis partium studiis, remota omni ambitione & venalitate, absque gratia vel odio, aut acceptione alicujus personæ, secundum regulam S. Benedicti, personam catholicam & regularem de corpore vestræ congregationis, invocata sancti spiritus gratia, in abbatem vobis & pastorem animarum vestrarum, servata Casinensis cœnobii libertate, sine mora eligatis. Statutum siquidem nobis est, ut si hanc formam in eligendo vobis abbate servaveritis, [a] ut nos remissis vobis ecclesiæ vestræ (a) insignibus, vos ab obedientia & subjectione nostra omnes pariter absolvamus, & vos ad promotionem futuri abbatis liberos a nobis efficiamus. Quod si, quod absit, apud vos diabolicæ & contentiosæ illæ conjurationes & conspirationes in hac aliqui causa tentare & pervertere præsumserint, & aliquis tali factione sese intrudi permiserit, sciatis nos plenam de vobis auctoritatem & curam retenturos, & in talem, tamquam in intrusum, & invasorem, & supplantatorem nos in omnibus conciliis & curiis, & viva A voce & scriptis semper acturos. De rebus autem monasterii vobis dicimus, ne forte aliquis ex nobis, aut propter nos occasionem mali accipiat, quod quindecim tantum marcas argenti ad tanti expensas itineris nobis domnus decanus & fratres nostri præbuerunt. Cetera vero omnia, & ipsi de thesauro acceperunt, & per se in tam multis & magnis necessitatibus expenderunt. Servate nostram, id est vestram & meam in remunerandis hominibus, qui nobis servierunt, famam. Servate mihi Gualterium meum, qui apud vos infirmus remansit. De B Rainaldo (b) invasore & perjuro monacho, [b] nec mentio umquam apud vos fiat. Deus pacis & dilectionis sit semper cum omnibus vobis. Valete.

(a) Anulo scilicet & sigillo & forte quibusdam aliis jocalibus.

(b) Duo tunc in Casinensi monasterio erant Raynaldi, unus Colementanus, alter Etruscus, qui Rogerio Siciliæ regi favens, perturbato ordine a quibusdam fratribus, contradicentibus aliis, abbas electus est, cujus electionem Innocentius papa irritam declaravit.

(c) Raynaldo Colementano, quem senior fratrum pars post obitum Seniorecti eligendum sibi proponebat.

EPISTOLA IV. VVIBALDI ABBATIS ad R. Casinensis monasterii abbatem.

Gratulatur ei de sua electione, absolvit eum a promissa sibi obedientia, anulum & sigillum suum in signum resignationis abbatiæ ei remittit.

C REverendo patri R. (c) sancti Casinen- Apr. 1139. sis cœnobii venerabili abbati frater [c] GUIBALDUS Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus benedictionem & vitam usque in sæculum.

Electum vos communi fratrum conniventia, & in ecclesia Casinensi regulariter ordinatum audientes, gaudio gavisi sumus, quippe qui licet officio eidem ecclesiæ administrare desierimus, affectu tamen & sollicitudine non alteratum animum gerimus. Ea propter vos in nomine Domini per præ- D sentia scripta ab obedientia quam nobis promisistis, omnino absolvimus, & qui vobis aliquando indigne præfuimus, vestri subditi & servi & esse & dici non erubescimus. Commendamus autem caritati vestræ carissimum nostrum domnum decanum O & reliquos fratres nostros, & homines de S. Petro, qui fideliter nobiscum in tribulatione nostra perseverarunt. Remittimus vobis anulum unum & sigillum quondam nostrum, per quæ plenam refutationem de abbatia Casinensi facientes, numquam tamen consilium & auxilium nostrum eidem E ecclesiæ subtrahemus. Valete & nuncium nostrum per vos transeuntem, pro nostra caritate bene habetote, & si per vos redierit, litteris rerum statum vestrarum nobis significate.

EPISTOLA V. VVIBALDI ABBATIS ad Odonem decanum Casinensem.

Absolvit eum aliosque Casinenses fratres a promissa obedientia, rationemque reddit de nonnullis a monasterio detractis.

Anno 1137. FRater GUIBALDUS Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus carissimo fratri & amico suo O.° Casinensi decano salutem & benedictionem.

Quantum vestris calamitatibus commoveat, quantum vestris vexationibus compatiar, novit inspector cordium Deus. Licet enim personaliter vobis nec adesse nec præesse valeam, non dispari tamen sollicitudine Casinensem ecclesiam & amamus & semper amabimus. Verumtamen quia sic divina præordinatio disposuit, & temporis qualitas nostris meritis concordans exigit, ne vos sponsionis vestræ prævaricata obligatio, nos vero suscepti regiminis neglecta administratio perpetuarum pœnarum obnoxios faciat, vos & omnes fratres Casinensis ecclesiæ ob obedientia, quam nobis promisistis, plenarie absolvimus. Similiter & laïcos, qui nobis juraverunt, liberos a sacramentis suis esse concedimus. Ne autem ullius æstimatio, nobis detrahendo peccare possit, sicut vobis & plerisque fratribus notum est, cum a vobis exivimus, hæc quæ subscripta sunt, distracta erant. Landulfus habebat in pignore pro lxxxv. libris calicem unum aureum, duas cruces aureas cum lapidibus, duo candelabra argentea. Apud S. Germanum candelabrum unum argenteum pro tribus libris, thuribulum unum pro xxx. solidis, quæ omnia per manus fratris Raynaldi Theod. & fratris Bertoldi susceptа & erogata sunt. Porro pueri nostri, qui nos præcesserunt, crucem unam parvam auream & anulum unum, & iconam ligni Domini perdiderunt. Pluviale & camisiam quam nobis dedistis conservavimus, expectantes secundum promissionem vestram, ut reliquum quod ad capellam pertinet, nobis compleatis. Sigillum & anulum domno abbati remisimus, valete.

EPISTOLA VI. VVIBALDI ABBATIS ad Theodericum abbatem VValciodorensem.

Miracula sancti Forannani a Roberto monacho scriptis consignata approbat.

Circa 140. *Communi. cum reverendissimo abbati VValciodo-*

FRater VVIBALDUS Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus domno THEODERICO venerabili VValciodorensis ecclesiæ

(a) Is, ni me mea fallit conjectura, est Robertus, qui post Theodericum abbas fuit Walciodorensis.

(b) S. Forannanus natione Scotus, episcopus & abbas primus VValciodorensis monasterii extitit, atque ibidem sepultus, hactenus eodem in loco summa cum veneratione servatur.

A abbati & reverendo fratrum conventui divinis semper invigilare studiis & provehi muneribus.

Gratias agimus, dilectissimi, conditoris omnium inæstimabili gratiæ, qui universalis ecclesiæ suæ pulchritudinem certis temporibus miro ordine, magnis auctoribus, ipse idem novus semperque perfectus artifex, condecorare non definit, ut unaquæque per orbem ecclesia quæ maris undas interdum patitur, litoris tamen firmitate aliquando gaudeat, discipulis in navicula Christum dormientem excitantibus, & Christo fluctibus imperante, Christum utique fratres & vos apostolico exemplo in vestra navicula excitatis, dum vestris quibus ecclesia vestra regitur patronis honorem & devotionem exhibetis, dum ea quæ in eis ipse operatur miracula, ad multorum notitiam & ædificationem perducere desideratis. Scripsistis nobis per fratrem nostrum & filium vestrum (a) Robertum, vitam & miracula B. confessoris pontificis & abbatis (b) FORANNANI ipsius non parvipendendo studio composita, ea ut nobis ipse retulit, intentione, ut si qua minus viderentur composita & superflua, nostra parvitas elimaret aut detraheret, & totius corpusculum operis nostra cooperatio roboraret, quod operi si necessarium inspiceremus fore quæ injunxit & vos injungitis, aggredi non recusarem plane. Sed quia per omnia probatur laudabile, de cetero præceptis vestris cupio obtemperare, si labores nostri pro ecclesia, si regni quibus obligamur negotia prosperos habeant exitus, & nobis aliquot sepositis curis aliquando indulgeant otium. Vos interim eo quo cœpistis studio B. confessoris miracula amplectimini, & memoriæ tradere curate, quia si vestra perseveret devotio, si studium non lacescat, si religio accrescat, glorificationem sacri Corporis videre corporeis merebuntur oculis, quibus tantum manifesta datum est videre miracula, cujus temporis felicitati nostra utinam interesse mereatur præsentia, nostra subservire parvitas, & sacrorum cinerum glorificatio sit nostræ fidei de spe resurrectionis confirmatio, sit in præsenti tempore de tribulationibus nostris consolatio, de exilio ad patriam, de morte ad vitam translatio.

[a] [b]

EPISTOLA VII. CONRADI REGIS ad VVibaldum abbatem.

Mandat ut Francofurtum accedat regalia abbatiæ Corbeiensis de manu sua recepturus.

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Stabulensi abbati gratiam suam cum dilectione. Anno 1146. *Ex ms. Corbeiens.*

Postquam ecclesia Corbeiensis abbate suo orbata fuit, statim divina inspiratione commonita, dominum & patrem spiritualem te sibi canonica electione ascivit, postea vero tam in temporalibus quam in spiritualibus, propter absentiam tui turbata & destructa, grave damnum sustinuit. Mandando igitur rogo dilectionem tuam, quatenus in festo S. Nicolai *Frankenevve* præsentiam nostram adeas, & quæ ad donum regiæ dignitatis spectant, ibidem de manu nostra suscipiens, ecclesiæ Corbeiensis, tamquam pater spiritualis, & prudens dispensator imposterum provideas. Valete.

Hæc apud *VVirzenbrog* scripta & data, & iij. calendarum Decembris in Stabulensi ecclesia abbati sunt præsentata.

EPISTOLA VIII. VVIBALDI abbatis ad Conradum regem.

Respondet ad precedentem, examinandam esse Corbeiensium de se electionem, excusatque se quod ad ipsius curiam non venerit.

Anno 1141. *Ex ms. Corbeiens.* Inclyto triumphatori ac serenissimo domino suo CONRADO Dei gratia Romanorum imperatori augusto frater VVIBALDUS divina majestate Stabulensis ecclesiæ servus salutem in eo, qui dat salutem regibus.

Pietatis vestræ litteras, quas nobis per Brunonem præpositum vestra magnificentia transmittere dignata est, recepimus, quæ sicut plurimum gaudii & exultationis nobis contulerunt, ex eo quod in conspectu majestatis vestræ gratiam eximiam nos invenisse, certis experimentorum indiciis cognovimus: ita multum sollicitudinis & anxietatis de causa, quam continebant, nostræ parvitati præbuerunt. Siquidem magnitudini vestræ placuit significare nobis, quod Corbeiensis ecclesia pastore suo viduata, nos pari desiderio, & unanimi consensu in patrem sibi, ac pastorem animarum elegerit: ad quod onus subeundum nos hortari, & divinæ vocationis præceptum sequi vestra benignitas, cum regiæ jussionis auctoritate maturatur, verum quoniam de monachis, ad quos id opus sicut inchoare, ita & consummare majori ex parte pertinet, nullus ad nos venerat, rem totam religiosorum consilio differendam esse credidimus, donec Corbeiensis ecclesia coram majestatis vestræ præsentia & principum conveniat, & quid quove ordine id quod asseritur fecerit, sicut canonicum & competens est, exponat; Præterea mansuetudo vestra non moveatur, quod ad præsentem curiam secundum jussionis vestræ bene placitum non venimus, quoniam festo B. Nicolai, quando Corbeiensis ecclesia curiam vestram adire disposuit, Deo ducente veniemus, si quid ergo apud vestram excellentiam nostra valet exigua sed fidelis devotio, locum nobis circa *VVerzenborg* in festo B. Nicolai assignare dignemini, quo vobiscum his, qui venturi sunt commode occurrere valeamus.

EPISTOLA IX. CONRADI REGIS ad fratres Stabulenses.

Illos hortatur, ut absentiam abbatis sui æquanimiter ferant, & de gratia sua plurimum confidant.

Anno Ex ms. Corbeiens. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex Ruperto Stabulensi decano, & ceteris fratribus, ministerialibus quoque, ac toti familiæ ejusdem ecclesiæ gratiam suam & omne bonum.

Sicut divina ordinavit providentia, juxta fidelium nostrorum consilium, ad petitionem Corbeiensis ecclesiæ fidelem nostrum VVIBALDUM abbatem vestrum, retenta vestra provisione & cura, quam prius habuerat, monasterio Corbeiensi præfecimus, & quia ex hoc, ut speramus, & volumus, maxima ecclesiæ utilitas provenire potest, universitatem vestram per præsentia scripta attente monendo rogamus, quatenus absentiam ejus regno quidem necessariam & nobis non inutilem patienter supportetis, & in ecclesiæ vestræ opportunitatibus, si qua graviora emerserint, piæ sollicitudinis operam studiose impendatis, quod si in aliquibus nostrum adjutorium vobis fuerit necessarium, sicut hactenus semper vobis fuimus propitii, ita nunc maxime nos semper clementes habebitis.

EPISTOLA X. CORBEIENSIUM ad Stabulenses.

Gratias agunt quod VVibaldum sibi non invideriut abbatem, hortanturque ut ejus absentiam æquanimiter ferant.

Anno Ex ms. Curiens. CORbeienses Stabulensibus decano & præposito, ceterisque dilectissimis dominis & fratribus sanctæ Stabulensis ecclesiæ VValterus prior, Adelbertus præpositus, totusque conventus Corbeiensis ecclesiæ, officiosum munus fraternæ dilectionis, & si quid præterea valet obsequii & devotionis.

Cum quidem Deus non immemor beneficiorum suorum, quæ à sæculo sunt, delegavit ecclesiæ nostræ dominum & patrem, prius quidem vestrum, nunc autem & vestrum & nostrum, qui unius patris filii sumus, vinculo utique germanæ caritatis, mediante Deo, jam non ignobiliter connecti incipimus; in primis ergo vestræ dilectioni quam maximas, & quam devotas gratiarum actiones nostra exsolvit ecclesia, quia tales

talem ac tantæ auctoritatis virum, cujus industria, sicut in curia regis celebris habetur, sic in Romana ecclesia non ignoratur, quia hunc, inquam, virum nostræ indigentiæ necessarium non invidit nobis vestra fraternitas, non tantum ad præsens gratulamur, sed iterum & sæpius quo gratius est nobis quod factum est, tanto devotius vestræ benevolentiæ gratulabimur: hoc quoque non minus obnixè precamur, ut hujus tanti patris absentiam æquanimiter sufferatis, cumque ecclesiæ nostræ, prout tempus monet, prospicere congaudeatis, siquidem & hoc futurum non desperamus, ut utriusque ecclesiæ nostræ scilicet & vestræ profectus ab alterutris æqualiter desideretur, & quia horum duorum gregum unus est pastor, eó mediante in unum consocientur, & hoc modo efficiatur unum ovile & unus pastor. Valete.

EPISTOLA XI. STABULENSIUM ad Corbeienses.

Gratulantur eis de VVibaldi electione, quem illis commendant.

Anno 1146. Ex ms. Corbeiensi.

REverendissimis in Christo patribus suis & dominis, VVALTHERO Corbeiensi venerabili priori, Adelberto præposito omnique ejusdem ecclesiæ sancto conventui frater R. Stabulensis ecclesiæ decanus, Simon præpositus, humilisque eodem in loco grex Christo militans, totius devotionis & orationum promtissimum munus.

Acceptis & perlectis litteris, quas parvitati nostræ per fratres nostros vestra transmisit pietas, spirituali gaudio admodum gavisi sumus, in hoc potissimum, quod margarita illa cœlesti munere peroptima, quæ de thesauris ecclesiæ nostræ hactenus vix ulli negotiatori fuerat exposita, vobis tandem fulgoris sui radiis pretiosissima comparuit, qui nitor illius, cujus aspectus est salubris & jucundissimus, vestris etiam condigne innotuit & complacuit obtutibus, sive quia Deo ordinante, de propria communis, de nostra jam vestra & nostra facta est, quam studiose foveri, quam diligenter haberi & teneri debeat, vestra melius novit eruditio, & licet de benignitatis vestræ mansuetudine ac suavitatis dulcedine non modicum confidamus, tamen quia multum ei debemus, quem sincere & pure diligimus, per Deum, quo nihil sublimius, per caritatem fraternam, qua nihil hoc in mundo est altius, supplicamus, ut eum, qui nostris utilitatibus propter vos ad horam subtractus est, & vestræ fidei commissus, condigno habeatis honore, quatenus erga curam suscepti regiminis eo libentius desudet, quo vos ad sustentandas manus Moysi humeros supposueritis liberius, in hoc cum Amalechite facile superari poterunt hostes utriusque ecclesiæ, vestræ scilicet & nostræ.

(a) Reinardi primi abbatis Reinehusensis, qui opusculum scripsit de primordiis ecclesiæ suæ, editum tomo 2. Script. Rer. Brunsvic. pag. 703. Monachum fuisse Helvvardishusensem annotavit ex Henrico Hofmanno cl. vir Godefridus *Libnits*, in introduct. ad hunc tom. art. XLIII. Attamen scholas videtur rexisse Stabulensis monasterii sub initium 12. seculi, quo tempore traditi sunt monachis erudiendi VVibaldus & Henricus, qui decanus ejusdem loci fuit. Vide infra epist. 34. & in Append. instrumentum Conradi pro monasterio Reinehusensi.

(b) Molestias illas fusius describit in prædicto opusculo de monasterii sui primordiis.

EPISTOLA XII. * VVIBALDI abbatis magistri (a) ad eumdem VVibaldum.

* Reinardi. [a]

Gratulatur ei de sua electione, gaudium timore miscens pro exaltatione.

.... * tationis atque lectionis hoc minus operis instantia perseverantiam suam jugiter exercuit. Quia tamen nimis frequentes tempestates mentis meæ naviculam crebrius inter undosas & procellosas molestias (b) [b] jactitabant, & desiderabilem tranquillitatem in silvis vehementer contrahebant, usus consilio, sicut mihi * v.... non inutili, remisi fratribus meis omnes monasterii reditus, ut ipsi per officiales suos omnia recipiant, nec ad manus meas.... talium respiciant, ad opus vero meum tantum decem solidos ex his reditibus excepi, superadditis paucis in quadam solitudine agris, quos egomet elaborare feci, *malo enim minus habere potestatis*, vel quæ videtur utilitatis, ut amplius possidere possim tranquillitatis. Sed jam revertamur ad te, confiderantes mirabilia Domini, quæ multipliciter operatus est circa te. Enimvero cum sæpe tacitus ea mecum revolvo, stupens gaudeo, & gaudens stupeo, nec tamen in ipso gaudio timore careo. Gratulans equidem pro amicitiæ debito super tuæ personæ tam multiplici, & ut verum fatear, quia modo non abbati sed VVIBALDO meo loquor, nimis inopinata aliquando sublimatione, sed metuo, quod humanum est, tuus animus nonnulla sublevetur elatione. Sed tu mi doctus a propheta quid rettribuas Domino pro omnibus quæ rettribuit tibi? calicem salutaris accipe, & nomen Domini invocato, quantoque magnus es, quantum res patitur, humilia te in omnibus: nomen, inquam, Domini invoca, togitans & supplicans ut illorum numero non aseribaris, de quibus terribiliter scriptum est: *dejecisti eos dum allevarentur*. Timendum tibi, dilectissime, videtur, ne, quod absit, bona recipias in vita tua. Itaque terribilem in consiliis super filios hominum Deum semper attende, & ut ejus consilium tibi fiat salutiferum, quibuscumque studiis valeas, ip-

Anno 1146. * Meditationis.

* videbatur.

sius gratiam tibi conciliare jugiter intende. Sed quid agimus anima? cui loquimur? docto an indocto? Illi quidem loquimur, quem aliquando docuimus, sed unde valde gratulamur, in nonnullis eum nos præcessisse cognovimus, quem discipulum aliquando habuimus. Vehementia tamen affectus nos aliquatenus insipientes reddidit, qui tales admonitiunculas velut ad minus sapientem, quasi plus superemus edidit. Non sic utique quis æstimet quod docere velim doctiorem, quasi minus doctum; sed celare non possum cordis affectum. Jam nunc tamen ista sufficiant, donec videamus quatenus ipsa proficiant; quia enim Deus omnipotens judicio suo quod ipse novit, tuam viciniam mihi præstitit, nunc litteris, nunc ipsa corporali præsentia, si tamen tibi placuerit, sæpius te visitare non pigritabor: quin tua jocunditate qua jam diutissime fraudatus fui & jocundabor. Valè.

EPISTOLA XIII. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

VVibaldi absentis & renitentis electionem in abbatem Corbeiensem, atque unionem Keminadæ & Visbikæ ad Corbeiense monasterium confirmari petit.

Anno 1146. Dilectissimo in Christo patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici CONRADUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus; filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Sanctitati vestræ notum esse volumus, quod post depositionem HEINRICI quondam Corbeiensis abbatis, qui eidem ecclesiæ nimis inutilis fuit, fratres prædicti monasterii elegerunt sibi in abbatem quemdam HEINRICUM ejusdem ecclesiæ præpositum. Quo non longo post tempore defuncto, tota Corbeiensis ecclesia spirituali patre orbata, pari voto & unanimi consensu, elegit sibi in patrem & pastorem animarum WIBALDUM Stabulensem abbatem, quatinus per ipsius industriam & nostrum adjutorium nobilis illa ecclesia; quæ plurimum a sua magnitudine per negligentiam præcedentium abbatum deciderat, Dei præeunte misericordia, aliquatenus reformaretur. Et quoniam prædictus fidelis noster Stabulensis abbas, cum hæc de ipso fierent, non solum absens, sed etiam longe remotus erat, nos eum auctoritate regia diu renitentem ac reclamantem evocavimus, & ad petitionem totius Corbeiensis ecclesiæ, onus ad quod vocabatur, omnino invitum subire coegimus, quatenus in Corbeiensi monasterio & divini cultus religio per ipsum reformetur, & debitum regni servitium ad defensionem sanctæ Dei ecclesiæ exinde paratius & auctius exhibeatur. Erant in propinquo duæ abbatiolæ feminarum, quæ nullum regno & nobis vel in militia vel in alio servitio præbebant supplementum, quæ adeo confusæ & inordinatæ erant, ut de conversatione & moribus habitantium melius sit silere quam loqui. Multiplici ergo exhortatione vestra super talibus locis corrigendis diu admoniti, contulimus ad ecclesiam Corbeiensem jure proprietario eadem duo loca, videlicet (a) *Keminade* & *Visbike*, ut & divina religio inibi reformetur, & Corbeiensis abbatia in temporibus hujus abbatis honore & divitiis per nos augeatur. Super quo sinceritatem vestram, de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus, ut quod eidem abbati & Corbeiensi monasterio de duabus præfatis cellis legitima donatione per præcepti paginam confirmavimus, vos vestri privilegii scripto roborare non abnuatis, & abbati in suis opportunitatibus benignam exauditionis aurem inclinetis. Dignum siquidem est, ut quos nos in gratia nostra clementiore vinculo recepimus, vos propitia benevolentia dilectionis ulnis amplectamini, & quos e converso fovere & protegere disponitis, nos contra omnes incursus defensare studeamus, & honorare condigne debeamus.

[a]

EPISTOLA XIV. VVIBALDI abbatis ad Corbeienses.

Ut de sua in Corbeiensem abbatem electione summo pontifici testimonium perhibeant.

Anno 1146. Frater VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ famulus VV. venerabili priori, & A. præposito ac ceteris carissimis filiis & fratribus ejusdem monasterii monachis benedictionem & vitam usque in sæculum sæculi.

Venientes ad dominum nostrum papam benigne & honorifice suscepti sumus, tum propter reverentiam domini nostri regis, tum propter antiquæ notitiæ familiaritatem, qua nos hactenus fovere dignatus est. Cumque in litteris domini nostri regis, ubi nomina legatorum (b) inscripta erant, [b] nostrum nomen in titulo Corbeiensis ecclesiæ legisset, quæsivit a nobis, ut super nostra apud vos electione vestrum ei testimonium præsentaremus. Universitatem ergo vestram monemus, ut sicut vestra electio circa no-

(a) Keminadensis Parthenonis ad Visurgim fluvium fundationem ab Imma comitissa & Gerone comite edidimus in tom. I. ex autographo in archivis Corbeiensis monasterii a nobis reperto. Visbikense vero, seu ut loquitur chronicon Saxonicum a nobis edendum VVisbikense puellarum monasterium originem suam debet Adelaidæ imperatrici, ejusque filiæ Mathildi abbatissæ, a quibus *constructum est circa 992.*

(b) Buconis scilicet VVormacienſis, Anselmi Havelbergensis episcoporum & VVibaldi abbatis Corbeiensis, *ex XX. epistola.*

stram personam processit, domino papæ veracitèr intimetis; & quantos de fratribus prioribus nostris in hac subitatione rerum apparare & expedire poteritis, ad nos *VVirceburch* in octavis instantis paschæ pervenire facietis, ibi enim tunc nos invenietis, & cancellarium domini papæ, virum venerabilem nomine GUIDONEM, cui etiam facto vestro de nobis proprias & singulares litteras transmittetis. Valete & Deus pacis sit semper cum omnibus vobis.

Si hæc expectata non fuissent, privilegia nostra de KAMINATE & VISBIKE confirmata essent.

EPISTOLA XV. VV. PRIORIS & fratrum Corbeiensis monasterii ad Eugenium papam III.

Petunt confirmari electionem VVibaldi abbatis & duorum puellarum monasteriorum ad Corbeiense unionem.

Anno 1146 REverendissimo in Christo patri suo & domino, EUGENIO divina gratia summo & universali pontifici, VV. licet indigaus, Corbeiensis ecclesiæ prior, & ceteri fratres universi, qui in Corbeiensi monasterio Deo militant, devotam obedientiam & exiguas orationes in Domino.

Sanctitati vestræ suggerimus, quod post depositionem HEINRICI quondam abbatis nostri, qui a venerabili legato vestro, scilicet magistro THOMA, pro manifestis culpis suis canonice ad totius monasterii nostri salutem, quod ipse multis modis vastabat, destitutus est, convenimus in personam cujusdam fratris nostri HEINRICI, qui officium præposituræ administrabat, & elegimus eum, quibusdam de fratribus nostris non assentientibus, & multis ex laico ordine reclamantibus, qui partibus depositi illius pertinacius favebant. Qui post suam promotionem paucis mensibus vivens, vita decessit, & nos plenos mœrore ac sollicitudine non sine aliqua discordia reliquit. Et quoniam per abbatum nostrorum negligentiam per annos fere quinquaginta res monasterii nostri & dignitas tam intus quam foris, ultra quam credi possit, imminutæ essent, & nos penitus concordes non essemus, nulla tunc in ecclesia nostra persona inveniri potuit, quæ sufficere posset ad alligandas contritiones nostras, prout filii Dei & ecclesiæ nostræ, qui dispersi erant, congregarentur in unum. His necessitatibus coacti, invocata Sancti Spiritus gratia, & adhibito religiosorum & sapientium virorum consilio, communi omnium desiderio, sine ullius personæ magnæ vel parvæ contradictione; immo favorabili omnium assensu, præsente & consulente nobis in idipsum venerabili filio vestro B. (*a*) Patherbrunnensi episcopo, elegimus nobis in capitulo nostro in patrem & pastorem Corbeiæ animarum nostrarum, in abbatem scilicet & dominum Stabulensem abbatem domnum VVIBALDUM, cujus religione & prudentia Corbeiense monasterium ad pristinum suæ dignitatis statum reformari possit. Quod cum facere, & electioni nostræ assentire multis diebus renuisset, & per nostros legatos abstrahi ad consulendum nobis a suo monasterio nequaquam valeret, tandem auctoritate regia ad curiam est evocatus, & cogente ipsum domino nostro CONRADO imperatore Romanorum rege, fratres nostros & laicos nostros, qui illuc frequentes convenerant, sequi & ad nos venire compulsus est. Et gratias Deo omnipotenti referimus, quod non sumus fraudati a desiderio nostro, & a spe, quam de ipso patre nostro conceperamus: quoniam mirabili industria omnes dissensiones nostras ad pacem & concordiam revocavit, & possessiones non parvas, quas depositus ille alienaverat, magna cum prudentia & efficacia ad usum monasterii recolligit. Præterea sunt in vicinia nostra duo (*b*) monasteria feminarum, quæ suæ enormitatis pertinacia, nostros & omnium religiosorum oculos & aures sæpissime offenderunt. Ad quod eliminandum cum quidam ex nostris abbatibus laborare cœpissent, quatinus & possessio ecclesiæ nostræ conferretur, & divina inibi religio reformaretur, obtinere non potuerunt. Sed domnus abbas noster VVIRADUS multis suis obsequiis inclinatum habens animum principis, a domno rege nostro impetravit eadem loca cum omnibus suis appendiciis monasterio nostro conferri, & per auctoritatis regiæ privilegium legitimam traditionem confirmari. Dilectam itaque nobis misericordiam vestram flexis ad vos genibus cordis humiliter imploramus, ut quoniam jam sæpedictus pater noster quinque talenta quæ acceperat, sollicite duplicavit, Christum imitantes verum & bonum patremfamilias, super decem civitates eum constituatis, juxta illud: *omni habenti dabitur*. Et eum vestra benedictione apostolica munitum, ut nobis & præesse & prodesse valeat, ad nos cum gaudio remittatis, & donationem quam domnus noster rex de prædictis duabus cellis nostro monasterio fecit, vestri privilegii pagina confirmare dignemini.

(*a*) Bernardo, qui anno 1128. electus, episcopatum Patherbornensem magna cum laude per annos 32. administravit.

(*b*) Keminada scilicet & Visbika seu VValbika, de quibus supra.

EPISTOLA XVI. CORBEIENSIUM monachorum ad Guidonem cardinalem.

De electione VVibaldi abbatis & unione duorum puellarum monasteriorum ad Corbeiense.

Anno 1146. DOmino & venerabili GUIDONI summæ sedis apostolicæ cancellario universi fratres Corbeienſis ecclesiæ exiguas orationes in Domino.

Quoniam multorum religiosorum & sanctorum virorum indicio miræ & inæstimabilis compassionis circa afflictos & variis calamitatum miseriis oppressos vos esse comperimus, aures pietatis vestræ pro ecclesiæ nostræ diversa perturbatione litteris exiguitatis nostræ studuimus interpellare, ut quoniam nuntios nostros ad dominum papam pro causis ecclesiæ agendis transmisimus, vestra opitulatione facilius inde expediamur. Igitur vestræ magnanimitati suggerimus, quoniam dominus HEINRICUS, qui hujus ecclesiæ abbas extitit, apud dominum THOMAM sedis apostolicæ legatum, cum esset in loco nostro pro quibusdam capitulis accusatus, & testibus inductis indefensus, insuper & suimet confessione reus manifestatus, digna sententia suæ depositionis mulctatus est; & in locum ejus dominus HEINRICUS præpositus est assumtus. Cujus electioni cum gravis reclamatio & quorumdam fratrum nostrorum & etiam laicorum nostrorum fieret, & gravi discordia ecclesia perturbaretur, Deus universorum saluti solita pietate consulens, eum exemit de medio. Nam vix quatuor mensibus præfuit. Quo absumto, dominus VVIBALDUS abbas Stabulensis unanimi consensu monachorum simul & laicorum cum magna concordia omnium, præsentibus B. Patherburnensi episcopo, HERMANNO comite ecclesiæ nostræ advocato, & in laudem electionis ejus acclamantibus, magna cum devotione eligitur. Qui cum de monasterio suo pro honore prælationis erui non posset, ex præcepto regis ad curiam est evocatus, ubi quamvis primo multum resisteret, tandem regiæ indulgentiæ, omnium precibus evictus, cum reniti non posset, licet invitus acquievit. Eo igitur ad nos adventante, nihil, Deo propitio, in morum honestate & in doctrinæ eminentia, & in consultatione & provisione divinarum & humanarum rerum in eo reperimus, nisi quod in spirituali patre reperire semper optavimus. Reditus ecclesiæ nostræ, quos dominus HEINRICUS depositus, utpote plus militaribus deditus quam monasticæ institutioni intentus, in beneficium laicis tradiderat, consilio sagacissimi ingenii sui maxima ex parte requisivit. Præterea duas cellas sanctimonialium feminarum, quæ pro enormitate sui sceleris omnem canonicam institutionem in Saxonia apud aures vulgi fœtere & vilere fecerant, regia donatione loco nostro acquisivit; & inibi divinæ servitutis famulatum de monasterio nostro instauravit. Pro qua causa domnum apostolicum adiit, impetraturus, ut suæ auctoritatis privilegio firmata hæc rata & inconvulsa permaneant. His ergo, & si qua alia sunt nobis cum domno papa gerenda, quoniam multa sunt, vos misericorditer adstipulari unico solatio monachorum precum nostrarum scilicet commendatione admoneri rogamus, ut tandem aliquando decussis diversarum perturbationum angoribus optatæ pacis unitati redonemur.

EPISTOLA XVII. HERIMANNI comitis ad Eugenium papam III.

Testimonium perhibet de electione VVibaldi in abbatem Corbeiensem.

DOmino & patri suo EUGENIO gratia Dei universalis ecclesiæ pontifici H. (*a*) comes devoti servitii obedientiam. [a]

Relatio fratrum Corbeiæ ad nos devenit, denuntians vos testimonium electionis domni mei VVIBALDI abbatis Corbeiensis exquisisse. Quapropter testimonium perhibemus sibi electioni suæ domnum Patherbornensem episcopum * & me simul affuisse, & unanimitati electionis suæ nullum reclamasse, sed sicut tunc ipsi vidimus, & alii fideles testes sunt, qui affuerunt, idonea electione intronizatus est, ut in nullo canonica institutio suæ observationis detrimentum passa fuerit. Præterea a religiosis ejusdem ecclesiæ monachis audivimus, quod postquam eo pervenit, ita se & in morum conversatione & in diligenti rerum ecclesiæ provisione inimitabilem reddidit, ut eum omnes sibi de cœlis divinitus missum asserant. Qua propter & a vobis gratiarum actiones sibi referri & vestra benedictione ampliari optamus.

* Bertoldum scilicet

EPISTOLA XVIII. CONRADI imperatoris ad H. ducem Saxoniæ.

Commendat ei VVibaldum abbatem Corbeiensem.

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex H. duci Saxoniæ gratiam suam & omne bonum.

Sicut divina ordinavit providentia juxta fidelium nostrorum consilium, ad petitionem Corbeiensis ecclesiæ fidelem nostrum VVIBALDUM Stabulensem monasterio

(*a*) Herimanni comitis advocati Corbeiensis monasterii ex præcedenti epistola.

Corbeiensi præfecimus. Proinde industriam tuam attente monendo rogamus, ut & personam ipsius honorifice in omnibus custodias, & ad recolligendas & ordinandas possessiones Corbeiensis ecclesiæ consilium ei & auxilium præbeas; quod nobis gratissimum fore nullo modo dubitaveris. De rebus autem suis, quas apud *Gruininge* homo tuus Poppo de *Blanchenburg* & filii ejus per violentiam eidem abbati abstulerunt, experientiæ tuæ mandamus, & sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, ut omnia in integrum ei restitui facias.

EPISTOLA XIX. BREMENSIS ecclesiæ & Buccensis congregationis ad VVibaldum abbatem Corbeiensem.

Eum causæ suæ arbitrum cum episcopo Verdensi eligunt.

ano 1147. VEnerabili sanctæ Corbeiensis ecclesiæ domno abbati VVIBALDO omnes fratres Bremensis ecclesiæ majoris sive minoris, necnon & Buccensis ecclesiæ congregatio precum impensas cum voluntario servitutis obsequio.

Totius causæ nostræ examen & consilium vestræ sanctitatis nos integre commisisse consilio sive arbitrio, quam affectuose gaudemus; tum quia ab æmulis nostris credi poterat, nos per omnia tam justitiæ quam pacis recalcitrare operibus, tum quia hujus notæ scrupulum tam vestræ auctoritatis, quam & domni Verdensis, qui nihilominus nostræ causæ discussionem ex legatione domini papæ ingressus est, testimonio delendum, confidimus. Placeat ergo vestræ paternitatis excellentiæ pro humili nostræ parvitatis famulatu, cum viso & vero domni Verdensis testimonio vestræ nihilominus auctoritatis nobis scriptum concedere, nostræque causæ angustias, prout de tanto patre confidimus, misericordi defensione respicere.

EPISTOLA XX. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Significat ei Heinricum filium suum communi principum acclamatione in regem Romanorum electum, seque assumta cruce accingere ad expeditionem Hierosolymitanam.

ano 1147. DIlectissimo in Christo patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici CUONRADUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Litteras sanctitatis vestræ per legatum vestrum virum utique nobis cum omni dilectione & honore nominandum T. (a) [a] sanctæ Rufinæ episcopum missas gratissime accepimus, & quæ in ipsis continebantur; filiali & intima caritate ad effectum perduximus. Siquidem de ordinatione regni nobis a Deo concessi, super qua nos paterna sollicitudine monere & exhortari curastis, magna cum attentione & diligentia in frequenti principum conventu apud *Frankenevort*, ubi generalem curiam habuimus studiose & efficaciter, Deo præstante; tractavimus, ordinataque & firmata communi per omnes regni nostri partes solida pace, filium nostrum Heinricum in regem & sceptri nostri successorem unanimi principum convenientia, & alacri totius regni acclamatione electum, mediante hac quadragesima in palatio Aquisgrani (b) coronare divina præeunte misericordia decrevimus. Sane quod dicitis, nos rem tantam scilicet de signo vivificæ crucis, & de tantæ tamque longæ expeditionis proposito absque vestra conscientia assumsisse, de magno veræ dilectionis affectu processit. Sed Spiritus-sanctus, qui ubi vult spirat, qui repente venire consuevit, nullas in captando vestro vel alicujus consilio moras nos habere permisit. Sed mox ut cor nostrum mirabili digito tetigit, ad sequendum se sine ullo moræ intervenientis spatio totam animi nostri intentionem impulit. Et quoniam vos ad partes Galliæ tam per litteras vestras, quam per legatum vestrum venire cognovimus, venerabilem paternitatem vestram ut ad Rhenum accedere velitis; summa cum dilectione attente monendo invitamus, quatinus simul positi, ea Deo miserante pariter tractare ac disponere valeamus, per quæ pax ecclesiarum, & Christianæ religionis ordo congruis provectibus augeatur, & regni nobis a Deo concessi status cum nostri honoris incremento opportunis decretis firmetur. Et quoniam in articulo profectionis nostræ nulla nobis prolixitas temporis suppetit, in sexta feria, quæ in paschalem hebdomadam habetur, desideratam faciem vestram apud Argentinam videre optamus. Legatos nostros viros utique prudentes & discretos, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ regnique amatores ac nobis carissimos BUCONEM videlicet VVormatiensem episcopum, ANSELMUM Havelbergensem episcopum, VVIBALDUM Corbeiensem abbatem vestræ sinceritati

(a) Theodevinum Germanum cardinalem ab Innocentio II. creatum atque ab eo in Germaniam legatum missum, qui, teste Ottone Frisingensi, Conradum ipsum Aquisgrani imperiali diademate decoravit, archiepiscopo Coloniensi, ad quem id munus de jure spectat, recenter electo necdum pallio donato.

(b) Id. factum fuisse anno 1147. scribit monachus Gemblacensis apud Miræum, ne post discessum imperatoris regnum absque principe remaneret.

commendamus, ut ea, quæ vobis dixerint, A tamquam ab ore noſtro audiatis, & in rebus ſanctæ Romanæ eccleſiæ & regni cum eis formaliter tractare ac diſponere non abnuatis.

EPISTOLA XXI. ANNONIS ad VVibaldum abbatem.

De quodam Ebroino, cui hortante VVibaldo benefecerat.

Anno 1147. [a] DOmno & amico ſuo VVIBALDO B Stabulenſi abbati (a) Anno eadem gratia id quod eſt, ſalutem & benedictionem.

Noverit primum caritas veſtra, quia de veſtris, utpote domini & amici noſtri ſucceſſibus præcipue congaudemus, & ſuper his Deo gratias hilariter rependimus. Suggerimus quoque diſcretioni veſtræ, quod domnus Ebroinus pro impenſa ſibi dudum a nobis caritate nos frequenter ſollicitat. Quam ſane licet conſilio veſtro & amore tenendæ pacis & quietis eccleſiæ hanc ei fecerimus, tamen quidam ſiniſtro nomine ſimoniæ ſcilicet hoc factum improbant: C nec tamen propter hoc, ſed pro importunitatibus nobis & vobis illatis ei ad tempus ſubtraximus. Dicitur quoque vobiſcum pacem mediante domino Prumienſi noviter compoſuiſſe. Ea propter a vobis ſummopere requirimus, ſi veſtræ voluntatis eſt, & abſque cavillatione ſiniſtra eſſe potuerit, condictam caritatem in poſterum illi perſolvendam. De cetero etiam perſcrutari volumus de negotiis domini papæ, cujus vos conſcium in parte credimus, utrum ſcilicet ad nos acceſſurus ſit, vel concilium in partibus noſtris habiturus. Valete.

EPISTOLA XXII. VVIBALDI abbatis ad Annonem abbatem Indenſem.

Ut Ebroina ex Indenſi & Stabulenſi monaſterio ejecta nihil detur.

Anno 1147. REverendo patri ſuo ANNONI Indenſis eccleſiæ abbati frater VVIBALDUS Stabulenſis abbas ſalutem & benedictionem.

De noſtra proſperitate, ſiqua eſt, veſtram ſinceritatem animo congaudere non dubitamus; & recte ſane, pari enim dilectionis affectu erga vos ferimur. Non eſt conſilii noſtri, ut Ebroino illi, quem dominus papa EUGENIUS a veſtro & noſtro monaſterio ſcripta ſententia in perpetuum exterminavit, quicquam detis. Hoc eſſet veneficis venenum procurare, rebellibus arma dare, inſanis clavam porrigere. Dum in monaſterio veſtro frater eſſe videbatur, ſub ſpecie & nomine præbendæ, propter bonum pacis potuiſtis rerum veſtrarum diſpendio obſtruere os loquentium iniqua. Nunc vero poſtquam frater eſſe, & habere præbendam deſiit, a domno papa condemnatus, donare ei, unde vobis noceat, non ſolum turpis ſimonia, ſed etiam aperta inſania eſt. Nos de pace cum ipſo habenda nec ipſum domnum papam audire potuimus, nedum Prumienſem.

(a) Hic Anno Indenſis monaſterii duabus ab Aquiſgrano leucis diſſiti abbas exiit ex ſequenti epiſtola.

(b) Id quod Henricus Leo Brunſvvinci præſtitit anno MCXLVII, indictione X. Conradi Romanorum regis ſecundi anno X. *Hoc autem*, ait, *de beneficio noſtro fuisse propter humilem petitionem domni noſtri regis non abnuimus, ea maxime de cauſa, quod pradictus venerabilis abbas ne-*

EPISTOLA XXIII. CONRADI imperatoris ad H. ducem Saxoniæ.

De jure advocationis in Kaminadam & Visbikum, quas Corbeienſi monaſterio univerat.

CONRADUS Dei gratia Romanorum Anno 1142. rex H. * duci Saxoniæ gratiam ſuam & omne bonum.

Novit tua dilectio, quod fideliſſimum & cariſſimum noſtrum VVIBALDUM Stabulenſem abbatem propter unanimem electionem & petitionem Corbeienſis eccleſiæ eidem monaſterio præfecimus. Cujus ob inſigne meritum, quod fideli ſervitio de regno meruit, ſecundum petitionem prædeceſſoris ſui, & obſecrationem Corbeienſis eccleſiæ, duo monaſteria feminarum, in quibus monaſtica religio jam defecerat, *Kaminade* ſcilicet & *Visbike*, ad reformandam in eis divini cultus religionem, ex judicio principum, ſibi & Corbeienſi eccleſiæ jure proprietario in perpetuam poſſeſſionem contulimus, ſalvo jure tuæ advocationis, quod habes in eiſdem locis. Volumus autem atque mandamus dilectioni tuæ, ut ſi inter te & eum convenerit, jus advocationis ad eadem loca ei vice noſtra, quemadmodum nobis debueras, reſignes, itemque ab eo & a Corbeienſi eccleſia advocatiam recipias. (b) Quod ſi de hoc inter vos non convene- [b] ric, donationem, quam eccleſiæ fecimus, ut contra omnes infeſtationes, tueris, & advocatiam, quam de nobis ſuper eadem D loca tenes, fideliter ac ſtrenue & ad firmamentum noſtræ donationis adminiſtrare ſtudeas, in præſenti pagina per obtentum gratiæ noſtræ tibi mandando præcipimus.

biſque cariſſimus VVibaldus, glorioſiſſimo avo noſtro imperatori Lothario diu multumque ac fideliter ſervivit, & in adminiſtratione Romani Imperii ſingulari conſtantia uſque ad mortem adhæſit, dignumque eſt, ut ſicut poſſeſſionum heredes eidem imperatori ſucceſſimus, ita retributionis circa gratos ac fideles ipſius non degeneres ſucceſſores exiſtamus. Vide integrum diploma infra in Append.

EPISTOLA XXIV. CONRADI ad J. abbatissam de Herevord.

VVibaldoabbati injunxisse se ut facta inquisitione monasterii Herevordensis defectus emendet.

anno 1148. CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex I. (a) venerabili abbatissæ de Herevord (b) gratiam suam & omne bonum.

Sicut divinæ ordinationi placuit, & Corbeiensis ecclesiæ unanimis & concors electio postulavit virum venerabilem, & pro sua fide studiis nobis regnoque nostro carum VVIBALDUM Stabulensem abbatem licet invitum ac diu multumque renitentem monasterio Corbeiensi præfecimus. Et quoniam ab ipso abbate & privilegiis Corbeiensis ecclesiæ didicimus specialem caritatem inter utrumque locum vestrum & ipsorum prælatos extitisse; atque ad abbatis curam pertinere, quidquid a te corrigi non valet, ideirco dilecto fideli nostro eidem abbati injunximus, ut defectus monasterii tui tam intus quam foris diligenter a te & a tuis inquirat, & nostro fretus adjutorio, consilii & auxilii manum fideliter tibi in cunctis opportunitatibus tuis porrigat. Quidquid vero tibi ex nostra parte dixerit, & incunctanter credas, & sicut de te confidimus, opere adimplere studeas.

EPISTOLA XXV. HENRICI monachi ad VVibaldum abbatem.

Rationem reddit de his quæ cum papa egerat ad sua electionis in abbatem Corbeiensem confirmationem.

anno 1147. REverendissimo patri suo & domino VVIBALDO Stabulensi abbati HENRICUS omnium suorum minimus, quidquid patri devotus filius.

Litteras, pater carissime, sinceritati vestræ transmisi, quatinus ea, quæ apud domnum papam a nobis audita vel acta sunt, vobis significarem attentius, non quod alia vel altiora intellexerim, vel quod plus laborayerim, quam hi qui ad vos revertuntur, qui toti vestri sunt; sed ut illis pro se coram vobis assistentibus, non deesset nostræ erga vos devotionis affectus. Tertia feria Pentecostes apud sanctum Dionysium ad domnum papam pervenimus, ubi domno cancellario nos tantum præsentavimus, propter tumultum maximum, qui in exitu domni regis circa domnum papam aderat. In crastino autem antequam domnus papa, A qui Meldas transire disposuerat, egrederetur, domno papæ per cancellarium præsentati sumus, & litteras quas deportaveramus dedimus. Inde Meldas in quinta feria pervenimus. In sexta vero feria in præsentia domni papæ & episcoporum & cardinalium tantum evocati sumus, præmuniti tamen a domno Florentino, quid loqueremur, vel quis loqueretur, unus scilicet Corbeiensis, quorum causa agebatur. Sed cum alter eorum impedritioris linguæ, ut melius nostis, esset, & alter eorum satis infirmaretur, ego qui cum Corbeiensibus jussu vestro aderam, B quasi Corbeiensis una cum ipsis ad domnum papam accessi: ubi cum in præsentia omnium illorum qui affuere, de electione in personam vestram facta esset agendum, ego qui me Corbeiensem modo esse necessitate quam prædixi confitebar, totum ordinem electionis, quem bene noveram, domno papæ sicut oportebat enarravi. Papa itaque auditis omnibus necessitatibus, quare vos elegerant, compertis etiam utilitatibus, quas non tacueramus, quæ electionem subsecutæ sunt, dixit se communicaturum consilium cum fratribus, & ex ipsorum consilio C se nobis responsurum. In hac autem suspensione detenti sumus decem diebus, aliquando observantes per dimidium diem januam domni papæ, qui raro egrediebatur, aliquando ante portam cancellarii jugiter agentes, & aliquando præ nimio tædio usque ad noctem fere cum multis aliis dormitantes. Agebamus etiam interim apud omnes cardinales singulos & singulos in domibus suis, quia alias conveniri neque respondere volebant, ut tam super hoc, quam super privilegio de *Keminade & Visbike* benignum haberemus responsum, qui omnes, D præter paucos quosdam, dulci colloquio suo nos consolabantur, & omnia nostra prospera, etsi tardius agebantur quam vellemus, futura esse.... etiam, interim vetis & certis rationibus, ea, quæ ante adventum nostrum, paucos dies nescio qui vel a quo missi disseminaverant mendacia, scilicet vos totum thesaurum ecclesiæ domno regi dedisse. Benedictus per omnia Deus, quia sicut constabat eos falsa prædicare, ita constitit eos mox in adventu nostro disparuisse, & commentorum suorum nulli fidem reliquisse. Quid tandem? decima die post auE ditam causam electionis vestræ vocati sumus, & post multam commendationem personæ vestræ, sapientiæ quoque & facundiæ in præsentia episcoporum & omnium cardinalium adjudicavit & concessit ratam esse electionem in vos factam, & hoc magis ex dispensatione, sicut ipse testabatur, Romanæ ecclesiæ, quam aliqua auctoritate. Et præcepit priori & nobis, qui præsentes adera-

(a) Judithæ cui Adrianus papa privilegium concessit an. 1154.
(b) Herevordense seu Herivordense celebre virginum monasterium in diœcesi Patherbornensi anno 825. a VVala gero comiti Herivordensi fundatum est, accessitis eo e Suessionensi B. Mariæ Patthenone sanctimonialibus, quæ successu temporis canonicarum nomen sibi assumserunt.

mus, & per nos omnibus, qui ſpectant ad A Corbeienſem eccleſiam, ut de cetero vobis obedientes eſſemus, & ſicut ferventes fueramus ad hoc, ut vos in patrem haberemus, ita ſtudioſi eſſemus circa perſonæ veſtræ reverentiam, nec tunc primum inciperet diſplicere, quando agere vellet de ordinis reformatione. Ceterum de privilegio nobis reſponſum eſt, quod res litigioſa erat, nulla ratione ſe poſſe vel velle concedere, ut hoc tempore id quod factum erat, auctoritate apoſtolica confirmaretur: maxime cum querimonia ſanctimonialium ſcriptis penes ipſum eſſet repoſita. Cum amplius B inſtare vellemus, omnes uno ore, ut hoc tempore nil amplius quæreremus, hortati ſunt, ſufficere nobis dicentes, & hoc eſſe ex magna domni papæ gratia, quod nobis non interdicebat ipſa loca, quod ſicut non confirmabat, ſic nec, quod factum fuerat, infirmabat. Cum tandem habere non poteramus, quod voluimus, oportuit nos velle id quod conſequi potuimus. Ventum eſt ad petitiones, in quibus omnibus duas tantum obtinuimus, quarum exemplar vobis tranſmiſſum eſt. Cetera, ſiqua deſunt, ab his C qui ad vos tranſeunt, ſcire poteritis. Paternitatem veſtram ad honorem eccleſiæ ſuæ Deus incolumem cuſtodiat.

EPISTOLA XXVI. GUIDONIS cardinalis ad VVibaldum abbatem.

Quod poſſit tranſire a Stabulenſi ad Corbeienſem abbatiam.

Anno 1147. GUIDO ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis & cancellarius cariſſimo fratri & ſpeciali amico VVIBALDO D Corbeienſi abbati ſalutem.

Certum eſt, quia verus amor otioſus eſſe non poteſt. Nuntios ſiquidem cum litteris tuis termino condicto recepimus, & ut in his, pro quibus venerant, efficaciam reportarent, & ipſi nobiſcum, & nos cum eis inſtanter & fideliter operati ſumus. De Stabulo itaque non dicam noſtro, neſcimus, tametſi veſtro, verſus Corbeiam vexillis patentibus nunc primum, Deo gratias, facie libera exire poteſtis. Si quid autem vel in confirmatione illarum duarum eccleſiarum E per apoſtolicum privilegium vel in quibuslibet aliis minus factum eſt, nec propter nuntiorum tuorum incuriam, quia pro viribus laborarunt, neque pro ignaviæ noſtræ tepore id noveris accidiſſe. Si vero nacta opportunitate pro commodo tuo iterum officioſi eſſe poterimus, nequaquam, auctore Domino, negligemus.

EPISTOLA XXVII. VVIBALDI abbatis ad Guidonem cardinalem.

De ſuo ad cardinalem adventu & de captivis Romanæ eccleſiæ quos redemerat.

DIlecto patri & amico ſuo GUIDONI Ampliſſ. ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali diacono apoſtolicæ ſedis cancellario VVIBALDUS Dei gratia minimum quod eſt, ſeipſum & ſua.

Scripſit nobis eruditio veſtra, & verum eſt, quod verus amor otioſus eſſe non poteſt. Illud etiam æque certum eſt, quod idem verus amor nec ſuſpectus nec ſuſpicioſus, nec accipiens nec contemnens perſonam. Inde eſt, quod menſuram noſtræ parvitatis excedentes veſtræ celſitudini cum quadam fiducia plane & quaſi coæqualiter loqui & ſcribere conſuevimus, non attendentes cui ſcribimus, ſed quantum diligimus. De adventu noſtro ad vos ſic ordinabitis, ut veſtram excellentiam deceat, & noſtræ imbecillitati conveniat. Miſimus vobis antidotum contra frigus hyemale. Sit C hoc diacalamus, quod licet exiguo præſtet pretio, æque tamen potens eſt, ut inops Arduenna afferit, ſicut diamargariton. Obſequium quod domno papæ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ in liberandis captivis impendimus, & attente commendabitis & eleganter ornabitis, quod ex litteris, quas domno papæ miſimus, & ex legatorum noſtrorum voce plenius intelligetis.

EPISTOLA XXVIII. EUGENII papæ III. ad epiſcopum Havelbergenſem.

Ut uſurpata a ſuis prædia Corbeienſium reſtitui curet.

EUGENIUS epiſcopus ſervorum Dei ve- Annus nerabili fratri A. Havelbergenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilectus filius noſter VVIBALDUS abbas & monachi Corbeienſes nobis conqueſti ſunt, quod Poppo de *Blanchenburch* & filius ejus C. atque R. canonicus tuus reditus omnes, quos habuerunt in *Cropenſteden* & *Gruningue* ſibi violenter abſtulerint, & injuſte detineant. Quia igitur ex officii noſtri debito eorum juſtitiæ deeſſe nec volumus nec debemus, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus ſi eorum querimonia veritate innitur, ipſos invaſores diſtricte commoneas, ut ablata cum integritate reſtituant. Alioquin infra duos menſes, poſtquam præſentia ſcripta ſuſceperis, de ipſis canonicam juſtitiam facias.

EPISTOLA

EPISTOLA XXIX. EUGENII papæ III. ad Reinherium canonicum Havelbergensem.

Ut viginti mansos quos Corbeiensi monasterio abstulerat restituat.

Anno 1147. EUGENIUS episcopus servorum Dei Reinhero Halverbergensi canonico salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri VVIBALDI & monachorum Corbeiensium querelam accepimus, quod in villa *Cropensteden* viginti mansos sibi injuste & violenter abstuleris. Quia igitur ecclesiasticorum bonorum persuasores quanta sint animadversione cogendi, tibi non credimus esse incognitum, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatinus & prædictos mansos, quos invasisti, & alia exinde ablata cum integritate restituas. Quod si contemtor extiteris, scire te volumus, quia sine gravi vindicta non præteribimus, si iteratus clamor ad nos super injuria prædicta pervenerit.

EPISTOLA XXX. HENRICI Romanorum regis ad VVibaldum, abbatem.

Ipsius in regni administratione & pace firmanda consilium laudat & desiderat.

Anno 1147. HEINRICUS Dei gratia Romanorum rex VVIBALDO abbati Corbeiensi gratiæ suæ plenitudinem.

Certi sumus, quod tam nos, quam patrem nostrum eodem sinceritatis affectu complectaris, & magna fidei constantia honorem utriusque tueri & promovere satagas. Proinde discretionis tuæ consilium de administratione regni, de pace firmanda, de principibus recipiendis & honorandis tota animi alacritate amplectimur, & tam in his quam in aliis prudentiæ tuæ familiarem doctrinam imitari desideramus. Ambulatorem vero a tua liberalitate nobis transmissum in memoriam & signum tuæ dilectionis ad sellam nostram detinebimus.

EPISTOLA XXXI. CONRADI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

Ipsius se commendat precibus, oratque ut filium suum gubernare non desinat.

Anno 1147. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO venerabili Corbeiensi abbati gratiam suam & omne bonum.

Ut processus itineris nostri ad prosperitatem totius ecclesiæ & honorem regni nostri tendat, suffragio orationum tuarum plurimum adjuvari speramus & petimus. De statu igitur incolumitatis nostræ, in quo adhuc fuimus, dilectioni tuæ significamus: Sani, Deo gratias, & integri sumus. Per Hungariam descendentes in Græciam usque pervenimus, ubi a rege Græcorum nobis honorifice servitur. Præterea fidelitati tuæ dilectum filium nostrum attentius commendamus, rogantes quatenus pueritiam ejus gubernare & regere tua non desinat prudentia.

EPISTOLA XXXII. A ABBATIS Fuldensis ad VVibaldum.

Ipsius apud summum pontificem intercessionem deprecatur.

Anno 1147. WIBALDO, venerabili in Christo Corbeiensi abbati (a) A. humilis provisor Fuldensis cœnobii debitum fraternæ dilectionis & orationis. [a]

Quanta benignitate dolori nostro condescendisse tis, actus declarat. Cum enim primo causam nostram concepistis, litteris vestris nos consolari voluistis, quæ tanto majori remedio fuerunt, quo a tanto viro mitti potuerunt. Gratia itaque vestra parturiens nobis magnam confidentiam, dat a vobis inquirendi consilii & auxilii singularem materiam, ut a religionis amatore & disciplinæ regularis doctore. Jam quæ mala per subditos nobis succrescant intelligitis, & quia detrimentum sit omni proposito nostro scitis. Ad cujus rei sublevationem testimonio vestro domno apostolico dirigendo nobis sitis in consolationem, si ad terminum nostræ vocationis venire non possitis. Quomodocumque se res habeat, nos sequenti die post festum omnium sanctorum exire dilectio vestra sciat, quem nobis adesse ibidem fidelis conventus noster diligentius nobiscum optat.

EPISTOLA XXXIII. VVIBALDI abbatis ad Guidonem cardinalem.

Commendat ipsi causam Fuldensis abbatis & Reinardi etiam abbatis sui olim præceptoris.

Anno 1147. REverendo patri suo & domno GUIDONI sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali & cancellario VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica seipsum cum suis omnibus.

Audierunt multi ex fratribus nostris, quod

(a) Ascholfus, qui ob asperam in monachos gubernationem ab Eugenio papa III. exauctoratus dicitur. Vide *Vet. Script. & Mon. ampl. coll. Tom. II.* infra VVibaldi abbatis epistolam ad Eugenium papam, in qua anno 1149 informat eum de statu Fuldensis monasterii.

invenimus gratiam in conspectu vestro, & idcirco expetunt, quatinus eos vestræ clementiæ attentius commendare debeamus. Nos etsi verecunde hoc facimus, timentes onerare mentem vestram, quæ totius mundi sollicitudine plena est, tamen ea nobis gratissima est occasio, quæ nobis vestram dulcedinem visitandi & salutandi materiam præstat. Vestræ itaque bonitati commendamus fratrem nostrum Fuldensem abbatem, ut pro nostræ petitionis intuitu causam ipsius protegere digneminl. Siquidem, quod de ipso nobis compertum est, vir maturus & gravis est, & in recolligendis possessionibus, & ædificatione sui monasterii constans & utilis. De adversariis suis certum est, quod contra propositum suum veniunt, qui relicta professionis suæ observantia contra regulam sacram, quam manuscripto & viva voce se observaturos spoponderunt, litibus vacant propter ambitionem, & propria possident, ex quibus expensas itinerum partiuntur. Lator præsentium vir venerabilis RHEINARDUS abba, nostræ adolescentiæ magister ac præceptor, & in divinis obsequiis institutor, privilegia ecclesiæ suæ, cui primus præest, confirmari petit, vir pauper rebus sed meritis dives, qui in lege Dei meditatur die ac nocte, & voluntas ejus in ea scrutando & scribendo, vir utique magnæ abstinentiæ & carni suæ inimicus. Quem pro Dei dilectione & nostra commendatione clementer exaudietis.

EPISTOLA XXXIV. AMICI ad VVibaldum.

Gratulatur ei quod suos superaverit adversarios, laudatque Robertum Stabulensem decanum.

Anno 1147. (a) DIlecto dilectus (a) quidquid expetit devotionis affectus.

Lectis & relictis mi VVIBALDE virorum dilectissime, litteris a te, & ad te, & pro te factis & directis, multipliciter sum, fateor, affectus, & lacrymosus per ipsas affectiones effectus. Considerans enim quantis miseriis, calamitatibus, pressuris, laboribus & angoribus ex longo mihi dilectissimus homo subjacuerit, quanta passus fuerit ab his, quos minime decuerit; non potui, quamvis præteritis ac si de præsentibus malis & ærumnis debiti compassione non moveri, non potui zelo justitiæ contra tantas iniquitates & præsumtiones non morderi. Rursus e regione contemplans quam benigne, quam opportune, quam potenter & clementer eum divina miseratio protexerit, confortaverit, & quam gloriose de bellantibus in eum triumphare concesserit, gaudio meo terminum facile non inveni. Non solum autem, sed & quia probitatis, sagacitatis, virtutis & industriæ tuæ præconia tam in litteris a fratribus nostris Stabulensibus ad eminentes in ecclesia & in regno pro te personas directis, nihilominus ab episcopis, abbatibus, congregationibus, conventibus testimonium in idipsum perhibentibus, & vicissim ab ipsis maximis personis tibi faventibus, pro te scribentibus, te fovendibus, quia, inquam, in epistolis talia lego, quantum cor meum tripudiare, quantum sibimet applaudere super his, quia qualecumque fundamentum videbar in homine tali posuisse, in quo tanta celsitudo laudandæ probitatis surrexisset, & excrevisset, scripto vel dicto nullatenus exprimere valeo. Taceo de Tulliana eloquentia tam tua quam fratris Roberti Stabulensis decani, qui nos aliquando nihilominus aliquantisper audivit, quam in eisdem sum litteris admiratus, cui certe stylo paucorum vel antiquorum, non dico modernorum, stilus meo judicio videtur esse prælatus. Hæc, inquam, omnia & cetera multa, de quibus supersedeo pluta scribere, ne quis forte plus immoderato favori, quem in dilectissimum amicum habeam, quam veritati velit adscribere, faciunt me collætari, faciunt anxietates, paupertatem laboresque meos levius tolerare, dum & illum considero de tantis malis divinitus apud suos erutum, & sicut auspicor ad meum speciale solatium divinæ providentia pietatis juxta me constitutum, sed in omnibus tu, bone JESU SALVATOR & amator hominum, dexteram super nos tuæ propitiationis extende, contraque multiformes adversarii nos insidias tua munitione defende. Non prospera nos elevent, non adversa prosternant, non pars Marthæ partem Mariæ nobis auferat, & ut compendio concludamus, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

(a) Is fuit haud dubium Reinardus abbas Reinehusanus VVibbaldi quondam magister, ut patet ex sequenti epistola, qua VVibaldus ad illam respondet. Obiit porro hic abbas anno 1150. non sine magna opinione sanctitatis. Vide ejus epitaphium tomo 2. script. rer. Brunsvic. in Introduct. clariss. Godefridi *Libnii*.

EPISTOLA XXXV. VVIBALDI abbatis ad Reinardum Reinehusensem abbatem.

Respondet ad præcedentem.

Anno 1147. REverendo patri ac præceptori REINARDO Reinehusensi abbati suus auditor VVIBALDUS, quidquid est in ecclesia Catholica per adeptam cordis munditiam videre Deum deorum in Sion.

Quanto caritatis studio actionum nostrarum litteras videlicet quarumdam molestarum, omnium vero laboriosarum perlegistis,

tenor epistolæ vestræ declarat, in qua comprehensis breviter omnium rerum capitulis, & de adversitatibus paterna compassione indoluistis, & ad commendationem nostræ personæ cum aliis nos defendentibus vestræ quoque laudationis titulum apposuistis. Sed ut vestræ sinceritati verum simpliciter confiteamur, Deo sic res humanas moderante, qui nos persequebantur, divinæ justitiæ cultores erant, & quamvis pro mala intentione sempiternum væ mererentur, tamen justissimi Dei nostri virga erant, & baculus furoris ejus, ipsi autem nescierunt, & miro perversitatis modo adversum nos certatum est. Deficientibus siquidem adversariis in causa & omni veritatis firmamento destitutis, unum erat conceptæ dolositatis refugium, ut nos convitiis & opprobriis (a) lacerarent, quos ratione superare non poterant, & malignis verbis famam nostram contaminando prius auditorum animos contra nos exacerbabant, quam in eorum cordibus rerum veritas posset convalescere. Sed porrexit Christus pro se laboranti clementissimam dexteram, & dedit cum tentatione proventum, ut possemus sustinere. Hi vero, qui nos tuebantur, æquitate causæ delectati, in nostra conversatione & moribus fallebantur, credentes tam necessarium tam arduum negotium a persona exili & contractæ vitæ non potuisse assumi. Sed columbina simplicitate nobis congratulamini, quod labores nostri in Catholica ecclesia geminati sunt, & ultra virium nostrarum facultatem aucti, & quod ad gentem, quam ignorabamus, venimus, ubi orationum vestrarum tantum egemus præsidio, quantum & sollicitudinis anxietas est cumulatior, & temporis ac morum qualitas periculosior. Cum occupationibus nostris explicandis tota dies non sufficiat, hæc vestræ sinceritati una post matutinas vigilias lucubratiuncula propria manu exaravimus, multum supplicantes, ut sicut de vestra pietate confidimus, orare pro nobis dignemini. Valete.

(a) Hic forte innuit calumnias, quibus apud summum pontificem insimulatus est, ecclesiæ suæ thesaurum regi de-

tuum nullatenus eas requirere. Verumtamen parturitio cordis mei nequaquam patitur de interiori conceptione foras nihil erumpere. Quid tamen dicere possum, nisi quia tu, sicut quidam dicit, alter idem mihi; facis quod facere debes. Hujus enim sententiæ veritate considerata, quodammodo viscera tua largiter in me foves; & mihi quicquid impertiri videris, procul dubio tibi metipsi proportionaliter impendere cognosceris. Bene legis & intelligis illud divinæ mandatum legis; quodcumque vultis ut faciant vobis homines, hoc & vos facite. Id est siquidem si tuæ vitæ status sic esset ordinatus, ut tu in egestate positus amicum superiorem te divitiis & opibus haberes, licet non exigeres, si tamen illius voluntaria benivolentia te reciperet, fortasse non abnueres. si..... nec memoriæ excidit illa Tulliani dialogi sententia de amicitia, qua sic..... *Amare nihil est aliud nisi eum ipsum diligere, quem amas, nulla indigentia, nulla utilitate quæsita, quæ tamen utilitas ipsa efflorescit ex amicitia, etsi tu eam minus secutus sis.* Nam & ego te dilexi sicut ipse nosti, cum nec ego ulla arctarer indigentia, utpote mihi sufficiens in his quæ dabantur, nec tuus status in eo rerum genere consisteret, ut animus meus tale quid ex te sibi proponere vel expetere posset. Nunc autem aliorum cura gravatus, & sicut Domino placuit, necessariorum tenuitate aliquantisper anxiatus, id ipsum divinæ consolationi indubitanter ascribo, si cujus cor ipse Deus tetigerit, quamvis præter te fere nullus hoc tempore sic circa me sit affectus, ut oculos suos super me aperiat, & ipsius copia de nostri auctoris munere accepta meam inopiam, quam propter alios sustineo, fraterna compassione suppleat. Nam mihimet soli facile sufficerent vel parva, quia quantum res patitur, non valde requiro superflua. Sed quid diutius occupatos oculos vel aures tuas talibus memorans teneo? Quamvis jocundum mihi sit ac delectabile cum dilectissimo meo sæpe diuque fabulari. Modus itaque jam nunc sit interim dictionis, cum non sit modus dilectionis. Vale.

EPISTOLA XXXVI. RAINARDI ad VVibaldum abbatem.

De mutua inter eos dilectione.

Anno 1147. DOmno WIBALDO REINARDUS qualiscumque, fidelissimus tamen, quicquid dulcius.

In multis & magnis beneficiis tuis, hominum dilectissime, mutas tibi litteras, si tamen mutas, mittere curavi, & ipsis quidem beneficiis tuis qualescumque grates vellem rependere, nisi scirem gratuitum bonum

EPISTOLA XXXVII. STABULENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Congratulantur ei de suo reditu, conqueruntur que de Godefrido comite, qui pactas ab eo inducias fregerat; & de invasione villa de Tornines.

REverendissimo in Christo patri suo & domino VVIBALDO venerabili Sta- Anno 1147.

disse, uti infra videre est in epistola Henrici monachi ad VVibaldum abbatem.

bulensi abbati humilis ejusdem ecclesiæ congregatio filialem dilectionem & debitam subjectionem.

Quantum jucunditatis, pater carissime, de [a] vestro vestrorumque prospero reditu (a) nobis collatum sit, facile vestra animadvertere poterit eruditio, quæ & nostram erga vos sinceritatem & animi nostri circa vestros successus semper agnovit puritatem. Benedictus igitur per omnia Deus, qui in vestra, sicut comperimus, sospitate fidelibus suis ostendere dignatus est, quoniam prope est Dominus omnibus invocantibus eum. Paternitati vestræ his litteris unanimiter occurrentes, vos reversum, imo adhuc revertentem excipimus, excipiendo salutamus, salutando amplectimur, obsecrantes ut secundum promissionis vestræ institutum terminum ad nos venire non abnuatis, quatinus facie ad faciem vestra frui & jocundari possimus præsentia, vestroque plenius recreari alloquio, cujus sæpe & multotiens roborati sumus consilio. Veniat ergo ad nos, id est, ad dilectos filios suos pater carissimus per necessarius hoc tempore, non solum nobis, qui intus tenemur, sed & his qui foris sunt. Nam treugæ sive induciæ, quæ fide data ab advocato nostro & comite GODEFRIDO & suis, usque ad festum Remigii servari & teneri debuerant, mox in exitu vestro violatæ sunt, & nostra pene omnia ex utraque parte prædis, rapinis, incendiis sunt distracta, adeo usque, ut in nos tantum & nostra totius malitiæ summa recideret, sicque fit, ut quidquid delirant reges, plectantur Achivi. Ad cumulum quoque miseriarum nostrarum accessit, quod Eustachius villam nostram *Tornines* ex consensu comitis Namurcensis iterum violenter occupaverit, pro qua re quantum laboraverimus, quantum Leodiensi episcopo, ut canonicam de invasore justitiam exequeretur, institerimus, & quid solum restet faciendum, ex rescriptis litterarum, quæ vobis transmissa sunt, vestra plenius perpendere poterit prudentia. Interim autem ad humiliandum Deo animas nostras, reliquias seu corpora sanctorum omnium, quæ apud nos habentur, cum salvatoris nostri imagi- [b] ne in terra (b) deposuimus, summæ divinitatis clementiam, quantum valemus attentius exorantes, ut eos qui in sua feritate confidunt, dextra virtutis suæ prosternat, nosque ab ipsorum oppressionibus eripiat, qui solus laborem & dolorem humilium considerat.

(a) Reditus ille de quo loquuntur Stabulenses est procul dubio reditus ab expeditione Slavica, cujus mentio fit epistola 41. & 131. uti attendenti patet.

(b) Qui atrocem olim persecutionem patiebantur monachi, hi sacras reliquias, cruces & imagines in terram deponere, altaria cilicio & spinis operire solebant, qua de re vide si lubet quæ scripsimus lib. 3. de Antiquis ecclesiæ ritibus cap. 3.

EPISTOLA XXXVIII. ROBERTI decani Stabulensis ad VVibaldum abbatem.

Congratulatur ei de ipsius reditu.

REverendissimo in Christo domino patri suo Stabulensi abbati VVIBALDO frater Robertus orationum & subjectionis, obedientiæ & dilectionis continuam devotionem. Annotat.

Benedicimus Dominum cœli de vestro vestrorumque reditu & sospitate: gratias agimus patri misericordiarum de redita nobis de vobis lætitiæ & gaudii integritate. De mora autem vestra non possumus non gravari, quia consolatione præsentiæ vestræ refoveri volumus, qui multis non tam curis quam pressuris concutimur, ac proinde magis præsentiam vestram quam rescripta desideramus. Habitum terræ nostræ tam scriptis quam viva voce geruli hujus intelligetis.

EPISTOLA XXXIX. BOVONIS præpositi ad VVibaldum abbatem.

De damnis præposituræ illatis a comite Namurcensi & aliis.

DOmino suo VVIBALDO venerabili Stabulensi abbati frater Bovo quidquid patri filius. Annotat.

In magna angustia & importabili damno post discessum vestrum positi, desiderabiliter vestrum expectamus adventum, quia non solum ab extraneis affligimur, sed etiam a nostris immisericorditer interius & extetius opprimimur. In rebus vestris, quæ circa nos sunt, quantum fidelius possum elaboro. In præpositura autem, de qua vices vestras ago, nihil fructus me agere posse sciatis, quia non solum a Rad & Machario in Conductrio, sed & a comite Namurcensi & suis adversariis in Hasbania præda & incendio vastamur.

EPISTOLA XL. VVIBALDI abbatis ad Henricum Leodiensem episcopum.

Ut Eustachium parrochianum suum, qui villam de Tornines *invaserat, compescat.*

REverendo patri suo & domno HENRICO sanctæ Leodiensis ecclesiæ Annotat.

venerabili episcopo frater VVIBALDUS A Dei gratia Stabulensi, ecclesiæ servus devotas orationes, & devotum servitium.

Fratres nostri & filii Stabulenses monachi vestræ sanctitatis servi detulerunt ad nos gravem querimoniam pro eo, quod Eustachius homo vester & parrochianus villam *Tornines*, quæ ad quotidianam præbendam fratrum pertinet, invasit, & ejusdem villæ reditus, qui in mensa fratrum quotidie serviunt, violenter abstulit. Notum autem vobis esse non dubitamus, qualiter eamdem villam judicio & justitia dictante recepimus, & eam per multa jam tempora in libera possessione nostra tenuimus, & quiete B ordinavimus, & adusus fratrum nostrorum, prout monasterii opportunitas poscebat, reditus universos aptavimus. Sed & decimationem & alia, quæ hinc inde distracta erant, cum magno labore recolligimus, & eramus possidentes tunc, quando domnus papa signum sanctæ crucis nobis imposuit, ut super paganos trans Albim expeditionem moveremus, ac personam nostram & nostra omnia sub protectionem B. Petri & suam suscepit, intra, quod tempus prædictam villam non absque sacrilegio idem Eustachius invasit. Unde animo provoluti ad pedes C vestræ magnitudinis, discretionem vestram obnixè rogamus, ut prædictum Eustachium, qui vester specialis & tamquam domesticus & familiaris homo est, ab hac temeritate compescatis: & finite ut hanc gratiam vobis potius quam domno papæ debeamus, qui ad partes Lotharingiæ in proximo venturus est. Multa mala sunt in episcopatu vestro, quæ tam generaliter a diebus antiquis ibi audita non sunt, sed hoc malum de facili potestis comprimere, nec patiamini in tempore vestri sacerdotii confundi fasque nefasque. Mementote, quod inter D priores matris nostræ Leodiensis ecclesiæ apparere & annumerari debemus, tam per ordinationis nostræ tempus & locum, quam per ætatem, & eidem matri nostræ in omni opportunitate sua humiliter ac fideliter servivimus, & hoc ipsum usque in finem facere parati sumus & desideramus. Mementote etiam, quod pro justitia *de Tornines* facienda domnus papa HONORIUS episcopo ALEXANDRO scripsit: quod domnus papa INNOCENTIUS domno ALBERONI voce præcepit, semel apud Oliventum juxta Melphim civitatem, secundo E Romæ in concilio, tertio per litteras suas, quas nos ei in plena synodo Leodii præsentavimus, nec ipse carni & sanguini parcere potuit, cum tamen de negligentia tantam a Deo pœnam susceperit, ut postea in episcopatu suo & honore numquam in pace & quiete vixerit.

EPISTOLA XLI. VVIBALDI abbatis ad suos Stabulenses.

Condolet eorum calamitatibus, quas ea absente pertulerunt.

FRater VVIBALDUS Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus Roberto decano & ceteris Stabulensibus fratribus spiritu consilii & fortitudinis abundare. Anno 1148.

Sinceritatis vestræ litteras accepimus, in principio quidem sui plenas gratiæ, plenas caritatis, plenas filialis affectus, plenas singularis desiderii, plenas gaudii, plenas dulcedinis & bonæ spei, quæ uno & eodem momento & cor nostrum abundantiore lætitia & oculos nostros uberibus ex vestra pietate lacrymis impleverunt. Credite nobis dulce fuit ac jocundum animæ nostræ vivere, dulce ac jocundum inter tot pericula, quæ diu noctuque in expeditione super paganos trans Albim in sylva Ercinia pertulimus, vitam & sospitatem servasse; ut videlicet tantis beneficiis, quæ de vestra salutatione & visitatione suscepimus hilariter frueremur. Verum cum intento ad meliora animo tanti boni participatione perfuncti paginam vestram percurrimus, subito exhorruit animus, expalluit facies, & versus est in luctum chorus noster, cum in illas miserabiles querimonias vestras impegimus, quæ cœlum possent penetrare, si peccatis nostris promerentibus ænetum non esset factum, ne transeat oratio: possent, inquam, commovere terram, si non offenso auctore nobis elementa rebellarent. Ingressi itaque in penetralia cordis nostri & in arcanos animæ nostræ recessus, diuque ac multum questi, cum nostra conscientia disceptavimus, disquirentes & judicantes nobisne an vobis universis imputari jure debeat, quod per longam absentiam nostram Stabulense monasterium tam lacrymabilibus modis laceratur? vosne in culpa sitis, qui omnifariam nostri potestatem habentes, ad regimen Corbeiensis ecclesiæ nos emisistis, vel saltem dimisistis? an nos rei sumus, qui ad vestram voluntatem, ne dicamus jussionem, tantis nos sollicitudinibus & offensionibus, relicta, imo, ut veremur, deserta matre nostra educatrice ac nutrice nostra Stabulensi ecclesia, implicuimus? Etsi magni, Deo id per vestram adhortationem agente, simus juxta nomen magnorum, qui sunt in terra, scire tamen potestis, quod quanto altius conscendisse cernimur, tanto magis de vario ruinæ casu pertimescere debemus; & quanto amplius crescunt dona honorum, tanto magis augentur rationes donorum. Certe, ut cetera incommoda fileamus, nobis senescere non licet, imo senescimus quotidie, sed quies, quæ senibus & emeritis paratur, nobis

Corbeiæ negatur. Novi labores, nova induſtria, nova eloquentia, novæ largitates, nova magnificentia a nobis quotidie expectuntur, cum jam diu fatigati aliquam laborum noſtrorum metam proſpiceremus, aliquam fatigationum requiem ſperaremus. Aut peccandum eſt in rempublicam, aut offenſiones hominum tolerandæ. Tum præterea noſtra ætate omnis pudor abſceſſit, omnis reverentia extincta eſt, fides interiit, & honeſtas mortua eſt; quid igitur placuit vobis duplicare labores noſtros? Quantum in reformanda & obſervanda religione fructum facere valeamus, veſtri defectus, veſtri labores, qui ex pravorum improbitate vobis quotidie accreſcunt, docere vos perfacile poſſunt. Porro divitiæ quid proſunt inquietis? colligitis itaque, quod neque in ſpiritualibus neque in..... ſolidum gaudium habere poſſumus. Sed ſpes noſtra Deus, honor noſter, genus noſtrum, ſublimitas noſtra, exultatio noſtra, in adminiſtratione ſuæ reipublicæ noſtra parvitate tamquam ſuo inſtrumento, licet vili & exiguo, utitur, noſque per quos vult graduum provectus, tamquam per munuſcula quædam ad ſui nominis amorem clementer allicit, & noſtræ fragilitatis exceſſus quotidianis imo aſſiduis laboribus velut quibuſdam flagellis & amaritudinibus, ne ab ipſo recedamus, comprimere dignatur. De *Tornines* tantum dolemus, quantum verbis exprimere non poſſumus, ſicut in litterarum exemplo, quod vobis tranſmiſimus videre poteſtis. Si dominus papa, ut fertur, Treverim venturus eſt, nos ipſos ad hanc cauſam peragendam expectabitis; ſin autem minus, ut rumor eſt, fratrem Henricum noſtrum dilectum filium & Erlebaldum fratrem ad domnum papam mature mittetis, ferentes ſecum omnia inſtrumenta, quæ de *Tornines* bene ſalva per nos habetis, & præcipue litteras bullatas Innocentii papæ, quas ſuper eodem negotio Leodienſi epiſcopo Alberoni tranſmiſit. Ad veniendum autem ad vos in proximo nos modis omnibus expedimus, & jamjam quaſi farcinas noſtras colligamus. Orate pro nobis.

EPISTOLA XLII. HENRICI epiſcopi Leodienſis ad VVibaldum abbatem.

Optat ejus frui præſentia ad corrigendos morum defectus.

Anno 1148. HENRICUS Dei gratia Leodienſium epiſcopus venerabili abbati Stabulenſi VVIBALDO in ſummo ſalutari ſalutem.

Intolerantiam malorum epiſcopatui noſtro incumbentium tanto experientius quam vos didici, quanto præſtat experimentum relatui. Et quoniam peccatis noſtris exigentibus mala de die in diem multiplicantur, non ambigitur apud diſcretionis veſtræ examen, nos eo amplius veſtri conſilii & auxilii amminiculo indigere, quo exquiſitior & ferventior ceteris conceſſa eſt vobis divinitus gratia in utroque. Ex noſtris tamen occupationibus, veſtras quoque metientes abſentiam veſtram licet nobis & his, qui ad vos ſpecialius ſpectant, admodum incommodam patienter ſuſtinemus, obnixe & confidenter monentes dilectionem veſtram, ut propenſius data opera exoccupationi noſtræ venire maturetis. Neceſſe eſt enim, ut communicato utriuſque anniſu, & veſtrorum hominum exceſſus & inſolentiæ vobis præſentibus corrigantur, & noſtræ partis malitia Deo propitiante aliquantulum mitigetur.

EPISTOLA XLIII. VVIBALDI ad Leodienſem epiſcopum.

Ejus optat frui præſentia.

DOmino ſubditus, patri filius dilecti ſalutem. Anno 1148.

Gravibus curis, & crebris expenſis, aſſiduis preſſuris moleſtati, aporiamur quidem ſed non deſtituimur, veſtrum neceſſarium tam nobis quam terræ præſtolantes adventum, æſtimantes tunc, etſi non ad plenum pacem cordis, ſaltem quietem corporis nos habituros. Unde & oramus, ut non tardetis venire ad diligentes vos. Litteras, quas nobis pro ſynodo miſiſtis poſt ſynodum accepimus, cum tamen & in ſynodo & a Kalendis auguſti in conſpectu eccleſiæ Leodienſis de *Turnines* verbum fecerimus. De malis terræ noſtræ nihil ſcribimus, inopes nos copia fecit.

EPISTOLA XLIV. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

Quod legatos hominum de Erveta a quodam miniſteriali Stabulenſi captos liberos abire permiſerit.

REverendiſſimo patri ſuo & domino EUGENIO tertio & univerſali pontifici frater VVIBALDUS Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia Catholica devotionem filii & obedientiam ſervi. Anno 1148.

Audito veſtro adventu ad partes Lotharingiæ, feſtinavimus res Corbeienſis eccleſiæ ordinare & veſtræ ſanctitati celerius occurrere, quatinus tam de perſona, quam de rebus nobis a Deo & a veſtra bonitate commiſſis veſtræ ſanctitati tam devotum quam debitum exhiberemus famulatum. Et agente divina miſericordia, piam ac fidelem intentionem ſubſecuta eſt maturior efficacia. Nam legatos hominum de Erveta, qui ad veſtram ſublimitatem pro quibuſdam eccleſiaſticis cauſis miſſi tendebant, captos

inveninus in quodam caſtello, cujuſdam A miniſterialis Stabulenſis eccleſiæ, & ſub momento introitus noſtri antequam panem guſtaremus, ad honorem perſonæ veſtræ, & defenſionem eccleſiaſticæ juſtitiæ eamdem munitionem obſedimus, & cum labore ac ſumtu & gravibus inimicitiis, de carcere, in quo erant eduximus, & eos ad ſanctitatis veſtræ genua liberos tranſmiſimus, cum tamen jam prius pactionem feciſſent, ut pro redemptione ſua L. fere marcas puri argenti dare deberent. Res eorum, quas amiſerant, recipere non potuimus, quia non ab his ſervabantur, a quibus capti fuerunt. B Sed propter honorem veſtrum duas eis equitaturas & viaticum largiti ſumus.

EPISTOLA XLV. CORBEIENSIUM monachorum ad Stabulenſes.

Gratias agunt quod ſibi Wibaldum abbatem conceſſerint, quam egregie apud eos in ſpiritualibus & temporalibus ſe geſſerit enarrant, & de mutua ſocietate.

Anno 1148. DIlectis & ſemper diligendis dominis & C fratribus ſanctæ Stabulenſis eccleſiæ filiis fratres Corbeienſes intimam dilectionem veræ fraternitatis, & devotiſſimum munus aſſiduæ orationis.

In hoc cognovimus, reverendi patres & domini, quod caritas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt vobis: quia fratres & proximos veſtros, nos ſcilicet in tantum dilexiſtis, in tantum laboribus & tribulationibus noſtris compaſſi eſtis, ut quod carius inter vos & melius habuiſtis, nobiſcum participaveritis, & eum, qui noverat inter vos ſanare con- D tritos corde, & alligare contritiones eorum, in tempore tribulationis veſtræ, ut & noſtris calamitatibus ſubveniret, ad nos multo deſiderio adventum ejus expectantes, miſeritis. Unde immenſas gratiarum actiones veſtræ bonitati referimus, & eumdem dilectiſſimum patrem & dominum noſtrum ſtrenue pro eccleſia noſtra laborare, & multos in ea labores induſtria ſua, ſicut fortis armatus, qui cuſtodit atrium ſuum, jam eviciſſe; plures adhuc, ſi vixerit, evicturum, vobis jocunde & memoriter cum gratiarum actione enarramus. Siquidem conventum noſtrum, qui jam a multis E retro temporibus diſſenſione non parva laboraverat, atque in multis locis, eadem agente diſcordia, diſperſus erat, in fraternam pacem atque in clauſtrum, ſicut pius paſtor, revocavit, & quæ in ordine noſtro dilapſa erant, attento ſtudio reformavit, ut jam illud antiquum decus, illam ſolidam noſtræ religionis obſervantiam refloreſcere videamus, & noſtram Corbeiam in vera ſua imagine recognoſcamus. Præterea poſſeſſiones, quas HENRICUS ille, quem venerabilis legatus apoſtolicæ ſedis domnus THOMAS cardinalis judicio Spiritus-ſancti canonice depoſuit, alienaverat, quæ centum fere manſos bonæ ac fertilis terræ excedebant, ad integrum recollegit, & utilitatibus monaſterii reſtituit. Pro hujuſmodi beneficiis & aliis ſimilibus vel majoribus, quæ adhuc ab eo ſperamus, Deo & vobis tanti patris largitoribus gratias referimus, quem in tempore electionis ſuæ propter ſpem bonam dileximus, nunc autem propter rem & collata in nos beneficia, ut virum omni dilectione dignum, unanimi & intima dilectione diligimus. Audivimus a dilecto fratre noſtro Henrico præſentium latore, & a domno W. tunc temporis noſtro priore, & a præpoſito fratre R. quod eos per aliquot dies morantes apud veſtros, benigne & honeſte tractaveritis, & eis inter alias humanitates fraternitatem & ſocietatem inter vos, quemadmodum uni de vobis conceſſeritis. Super his quoque gratias veſtræ benignitati referimus. Verbum vero de quo & nos vobis ſcripſimus, & ipſi vobiſcum tractaverunt, verbum, inquam, C ejuſdem fraternitatis & ſocietatis, ut ſcilicet veſtra & noſtra ſit una in Chriſto eccleſia, inter nos unanimiter convenimus, & quatenus idipſum veſtræ unanimitati placeat, obnixe rogamus. Hanc unitionem duarum eccleſiarum per dilectum dominum & patrem noſtrum fieri exoptamus. Vobiſque per eum debita fraternitatis ſecundum noſtram conſuetudinem promittimus, ita ut nos viciſſim a vobis debita fraternitatis ſecundum veſtram conſuetudinem recipiamus, & ſi quis præterea fratrum de alterutra eccleſiæ propter vitia ſua ejectus fuerit, D uſque ad reconciliationem ſuam ab alterutra eccleſia materne confoveatur & conſervetur.

EPISTOLA XLVI. CORBEIENSIUM monachorum ad Stabulenſes.

Quomodo ſe geſſerint cum papæ legato, quando ab eis quæſivit quid de theſauris eccleſiæ feciſſent?

REverendiſſimis atque dilectiſſimis in Anno 1148. Chriſto fratribus ſuis Roberto venerabili decano & ceteris ſanctæ Stabulenſis fratribus, F. VV. prior eccleſiæ Corbeienſis ceteriſque ejuſdem monaſterii fratres jugiter vacare & videre quam ſuavis eſt Dominus.

Audivimus conturbatam eſſe unanimitatem veſtram de verbo quodam, quod magiſter G. pro ſublatis in eccleſia noſtra theſauris nobiſcum anno præterito contulit. Quod quia non vera relatione ad vos perveniſſe exiſtimamus, propterea que apud vos ſcandalum genuiſſe, ordinem rei ex

integro vobis pandere dignum duximus. A Venit igitur ad nos idem magister G. tunc apostolicæ sed legatus anno præterito, circa festum S. Thomæ, cum in vestris partibus domnus abbas moraretur, atque hospitio exceptus est apud nos, humane tractatus est, & cum omni diligentia ac devotione, quemadmodum decuit legatum domini papæ a nobis observatus est, & de rebus monasterii nostri honorifice procuratus. Erat tunc domi præpositus major ecclesiæ nostræ, qui cum satageret sollicitius circa ministerium ipsius & aliquando cum ipso colloquendi gratia consederet, inter alia quæ dicebantur, etiam ab ipso scisitatus est, quamobrem B sanctuarium nostrum spoliatum esset thesauris suis, vel quid utilitatis contractum fuerit ex eis ecclesiæ nostræ? Non est, inquit præpositus, spoliatum sanctuarium nostrum, quia quidquid inde sumtum est, in utilitatibus ecclesiæ nostræ expensum est, quippe quæ in possessionibus suis per singulos annos non ad minus quam ad centum mansos ampliata est. Cum vero in crastinum diluculo profecturus esset idem legatus domini papæ, jussit præposito, ut eodem vespere omnem congregationem in unum congregaret, quatenus ad nos ex mandato domini papæ sermonem haberet. Jam hora C diei tardior processerat, nec conventus noster ex instituto ad colloquium convenire debebat. Hanc igitur impossibilitatem cum præpositus noster legato insinuasset, colloquio in crastinum dilato, cum primum mane illuxisset, iterum accito præposito denuo præcepit, ut capitulum fieret, in quo cum fratribus verbum faceret. Non est, inquit præpositus, nostri ordinis tam matutina hora capitulum convenire; sed cum ille recedere festinaret, nec horam capituli expectare posset, tandem in conventu ante horam tertiam, nobis ex consuetudine lectioni vacantibus, adductus est idem apostolicæ D sedis legatus, & sedens inter nos inter alia quæ commonuit, diligenter inquisivit, cur dissipatus esset thesaurus ecclesiæ nostræ? Cui per priorem & præpositum nostrum hoc ordine respondimus. Propter communem necessitatem ecclesiæ quamdam partem thesaurorum in ecclesia ex communi consensu capituli nostri tulimus, & quasdam possessiones ecclesiæ nostræ valde utiles ex eis conquisivimus, reliqua omnia integra in ecclesia conservata sunt, ea vero, quæ nunc propter necessitatem accepimus, reparare & restituere quantocius poterimus, Deo E annuente, proposuimus. His auditis acquievit, nec super hoc verbo quicquam amplius interrogavit. Valete.

EPISTOLA XLVII. GUIDONIS cardinalis ad VVibaldum abbatem.

Quod ipsius scriptum papæ ostenderit, & ut pontifici præsentiam suam exhibeat.

GUIDO sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis & cancellarius, carissimo amico Corbeiensi abbati salutem. Anno 1144.

Dilectionis sinceritas, quam erga te habere incepimus, non minuitur, sed suscipit incrementum. Scriptum, quod per Germanum (a) vestrum nobis misistis, domino papæ ostendimus. Ut autem brevi utamur eloquio, amicis nostris malumus parum promittere, & amplius operari. Satis dictum est sapienti. Bonum videtur nobis si domino papæ propter molestias detrectantium vestram obtulissetis præsentiam. [a]

EPISTOLA XLVIII. VVIBALDI ad Guidonem cardinalem.

Suos ei commendat Stabulenses.

REverendo patri suo & domno GUIDONI sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali diacono, apostolicæ sedis cancellario frater VVIBALDUS Dei gratia modicum id quod est seipsum. Anno 1144.

Sicut nobis significastis, nec hoc temere dictum est, plus enim nutu a vobis accipimus, quam audimus. De servitio procurationis domini papæ ita solliciti fuimus, ut & primi in devotione essemus, & inter remurmurantes nullo modo inveniremur. Stabulensis ecclesia, cujus vos abbas estis, sui abbatis patrocinio hoc est vestro summopere indiget, cui, sicut patrem decet promte & clementer subvenietis. Cujus querimoniam frater noster, noster, inquam, non ex consuetudine locutionis monachorum, sed vester & noster proprius & specialis vestræ celsitudini plenius intimabit.

EPISTOLA XLIX. WIBALDI abbatis ad Jordanum cardinalem.

Quid pro procurando papæ Leodii egerit.

REverendo suo domno JORDANO sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali presbytero frater VVIBALDUS Dei gratia modicum id quod est, se ipsum. Anno 1145.

Fecimus quod jussistis. De servitio enim procurationis domini papæ, quod in episcopatu Leodiensi ordinatum est, non solum

(a) Etlebaldum haud dubium monachum Leodiensem, qui eo defuncto factus est abbas Stabulensis.

solliciti,

solliciti, sed etiam studiosi fuimus, ut plusquam portionem, quæ Stabulense monasterium contingere æstimata est exhiberemus, nec murmurantium numerum ullo modo augeremus. Dilectam nobis paternitatem vestram attente monendo rogamus, ut devotionem nostram benigno sermone commendetis, & querelam Stabulensis monasterii, quæ per fratres nostros pietati vestræ manifestabitur, in sinum apostolicæ misericordiæ fideliter recondatis.

EPISTOLA L. VVIBALDI ABBATIS ad Johannem cardinalem.

Petit ipsius protectionem.

Anno 1148. REverendo patri & domino JOHANNI sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali presbytero frater VVIBALDUS Dei gratia, id quod est, seipsum & sua.

Habetis reum confitentem, date quæso veniam, non equidem erroris, non negligentiæ, quæ remota sunt a sapientia, quam etsi non habemus, eam tamen diligimus; sed date veniam ignorantiæ; quæ in hac mortalitate purgatissimis etiam animis longinqua esse non potest. Et hic quidem propinquior ad misericordiam purgationis modus est. Sed quid laboramus, cum propitium judicem habeamus; quem sane non timemus, pro eo quod ex officio sedis suæ Catholicæ ecclesiæ custodiam & canonicæ litis arbitrium habet, sed pro eo diligimus, quod nepos est summi quondam pontificis papæ LUCII, qui nos ante supremum provectionis gradum unice dilexit, & in apostolatus culmine constitutus, ecclesiam nostram & nos magnifice honoravit, qui vivens a nobis demeruit, si homines sumus, ut non solum carnem ipsius & sanguinem & quemcumque dilexit ipse, diligamus; verum aliquas forte reliquias vel monumenta de suis arctissima caritate amplectamur. Estis itaque noster propria quadam & speciali possessionis justitia. Recipite in fidem vestrum hereditario jure clientem, familiæ vestræ cultorem, provehite personam, defendite causas, quæ Dei nos protegente gratia, non de criminibus, sed de incrementis ecclesiæ nostræ oriuntur. Tueatur nepos, quem avunculus dilexit; protegat ab ipso ordinatus, quem ille provexit, fervet presbyter cardinalis judicium summi pontificis, ut nullis concussionibus eum fatigari permittat, quem ille dignum honore judicavit. O quanta veræ dilectionis fiducia in ipso incundæ familiaritatis imo notitiæ primordio! ita vobiscum secure & liberaliter loquimur, sicut cum illo, illo, inquam, avunculo vestro sermocinari consueveramus, cujus intima amicitiæ gratia viginti & eo amplius annis sine offensione usi, & ut A minus usitate, sed verius dictum sit, fruiti sumus. Verum in clausula dicimus vobis, non amamus vos quia tanti, sed quia de tanto estis.

EPISTOLA LI. JOHANNIS cardinalis ad VVibaldum abbatem.

Promittit causarum ipsius curam maximam se habiturum.

REverendissimo Christo patri VVIBALDO Dei gratia Corbeiensi & Stabulensi venerabili abbati JOHANNES eadem gratia, sanctæ Mariæ novæ diaconus cardinalis salutem cum sinceritatis affectu. Anno 1148.

Ex litteris vestris percepimus, vos instanter veniam postulare, quod solicitius & maturius ad notitiam nostræ humilitatis non propinquius accessistis, personam ..... quam dominus meus papa LUCIUS tanto affectu dilexit & tamdiu fovit, & cui usque ad finem vitæ suæ, sicut nos ipsi vidimus & vos scribitis, in nullo defuit. Huic accedit, quod dominus GUIDO Florentinus in discessu suo a nobis ex singulari & præcipua caritate, quam nobiscum & vobiscum intimo affectu gerit, vos causasque vestras nobis præcipue commendavit. Inde fuit, quod a vobis non rogatus, non sollicitatus, causas vestras tamquam proprias hucusque protexímus, defendimus, sustulimus, & ubi nullæ preces porrectæ sunt, nos porreximus. Denique si nulla alia causa esset, in vobis tamen est, Deo concedente, tanta prudentia, ut ex vobis teneri & stricte amplecti debeatis, quod ecclesiæ Romanæ sapienter & efficaciter semper astitistis. Concessa igitur, quam postulatis, venia, gratiam vestram & singularem dilectionem, quam offertis, utriusque ulnis amplectimur, & præsentiam nostram pro vestra, etsi plus possumus, vobis per omnia promittimus, & sicut eam specialiter vendicatis.

EPISTOLA LII. EUGENII PAPÆ III. ad Corbeienses monachos.

Hortatur ut VVibaldo abbati humilem reverentiam exhibeant.

EUGENIUS episcopus servorum Dei dilectis filiis Corbeiensibus monachis salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1148.

Memores sumus, quod per alia vobis scripta mandavimus, ut dilecto filio nostro VVIBALDO tamquam abbati humilitate debita pareretis. Quem utique nuper ad nos venientem paterna benignitate recepimus, & in his, quæ ad reparandam in monasterio vestro religionem pertinent, atque servandam diligenti eum studio commonui-

mus. Ipsum itaque ad vos cum gratia sedis A apostolicæ & litterarum nostrarum prosecutionibus remittentes, universitati vestræ mandamus, monemus & exhortamur in Domino, quatinus eum tamquam boni & humiles filii diligatis & honoretis, atque ut pastori vestro condignam ei reverentiam impendatis, sibique ad recuperandas & retinendas possessiones & bona Corbeiensis monasterii viriliter & fideliter assistatis. Nos siquidem eumdem abbatem paterno affectu diligimus, & in quibus secundum Deum possumus, volumus exaudire. B

EPISTOLA LIII. EUGENII papæ III. ad Henricum Leodiensem episcopum.

Ut compescat raptores bonorum Stabulensis monasterii.

Anno 1148. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri HENRICO Leodiensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Ecclesiasticorum bonorum pervasores C quanta sint animadversione plectendi tuam prudentiam non credimus ignorare. Stabulensis autem ecclesiæ fratrum ad nos querela pervenit, quod Eustachius parochianus tuus eorum bona in prædio *Turnines* violenter abstulerit, & ab eorum infestatione nullatenus conquieverit. Macharius quoque de Suingeis & quidam alii incendiarii & raptores coadjutores ipsius eamdem ecclesiam prædis & aliis modis vexare non pertimescunt. Quia vero præcipiti audaciæ raptorum spirituali gladio est fortius resistendum, præsentium tibi auctoritate manda- D mus, quatenus tam præfatum Eustachium, quam alios raptores ablata reddere, & de cetero ab eorum infestatione desistere stricte coercas. Quod si contemtores extiterint, infra quadraginta dies, postquam præsentia scripta susceperis, frustratoria dilatione remota, canonicam de ipsis iustitiam facias.

EPISTOLA LIV. HENRICI regis Romanorum ad Eugenium papam III.

Papæ patrocinium deprecatur.

Anno 1148. REverendo in Christo patri suo & domino EUGENIO summo & universali pontifici HENRICUS Dei gratia Romanorum rex debitæ dilectionis & obsequii sinceritatem.

Benedictus Deus, qui sinceritatis vestræ discretionem in officium & dispensationem summi pontificatus assumere dignatus est. Justitiam enim & veritatem sicut religiosi de vobis sentiunt diligitis, & quæ ad decorem domus Dei spectant, sollicite pertractatis, unde nimirum vestræ sinceritati in hoc obedire parati sumus, ut materialis cum spirituali gladio in ecclesia nostris temporibus concorditer operando fructificent. Pater enim noster devotissimus filius vester, qui pro dilatatione ecclesiæ crucem Christi circumfert, novissime a nobis recedens, iterando præcepit, ut justitiæ innitamur, religionis formam amplectamur, ecclesiæ dignitatem, regni honorem summa diligentia tueamur. Sub obtentu igitur patris nostri, qui Romani imperii dignitatem per extera regna traducit, & pro dilatanda ecclesia seipsum periculis omnibus usque ad effusionem sanguinis exponendo perpetuum fœdus cum ecclesia pepigit, patrocinium vestrum, qui specialis pater ecclesiæ estis, confidenter requirimus, quia secundum Deum & patris nostri præceptum paternitati vestræ in omnibus obedire parati sumus.

EPISTOLA LV. EUGENII PAPÆ III. ad Henricum juniorem Romanorum regem.

Laudat ejus pro ecclesia zelum, prosperaque ei omnia exoptat.

EUGENIUS episcopus servus servorum Anno 1148. Dei filio in Christo dilecto HENRICO juniori Romanorum regi, regis illustris CONRADI filio, salutem & apostolicam benedictionem.

Genitoris tui devotionem erga beatum Petrum & sanctam Romanam ecclesiam attendentes, & quod divina inspiratione compunctus, assumto vitæ signaculo, ad hostes fidei subjugandos, & Catholicam ecclesiam D dilatandam se viriliter & potenter accinxerit, præ oculis cordis habentes, tamquam viscera sua speciali te affectione complectimur, & de illius absentia quodammodo tamquam suam in te cernentes imaginem consolamur. Propterea nuntios & litteras tuas paterna benignitate recepimus, & quod in annis tenerioribus constitutus, te promtum esse ad exhibendam ecclesiæ Romanæ ac nobis obedientiam tuis apicibus intimasti, gratum habuimus ac habemus, sperantes ut E cum ætatis tuæ incremento firma devotionis & obsequii tui sinceritas erga sedem apostolicam propensius augeatur. Unde omnipotentis Dei supernam exoramus clementiam, ut dies & actus tuos de bono in melius sua ineffabili pietate promoveat, & per continuæ salutis augmentum personam tuam feliciter prosperari faciat. Nos etenim, quod ex nobis est, in quibus cum honore Dei & ecclesiæ suæ poterimus, opem tibi & consilium exhibere tamquam filio dilectissimo satagemus.

EPISTOLA LVI. HENRICI Romanorum regis ad Eugenium papam III.

Ut Henricum Moguntinum archipræſulem & alios ad papam tranſeuntes benigne ſuſcipiat, ducissam Poloniæ ab excommunicatione ſolvat, & VVibaldum abbatem habeat ſibi commendatum.

Anno 1148. DIlectiſſimo in Chriſto patri EUGENIO ſummo & univerſali pontifici HENRICUS Dei gratia Romanorum rex filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Sinceritati veſtræ totis animi viribus multas gratiarum actiones referimus, quod legatos noſtros & litteras affectione paterna ſuſcepiſtis, & dulciſſimis reſponſis veſtris noſtram ætatem ad divinæ religionis cultum, ſanctæ eccleſiæ amorem benigne informaſtis, & de abſentia incliti patris noſtri, veſtri utique devotiſſimi filii, piam & efficacem conſolationem exhibuiſtis. Veſtris ergo apud Deum intervenientibus meritis, quantum per ipſius gratiam ætate & induſtria proficere poſſumus, tantumdem in veſtræ perſonæ & ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ dilectionem, ac totius Catholicæ eccleſiæ defenſionem creſcimus. Siquidem pater noſter a nobis ſub vexillo ſanctæ crucis recedens, hæc nobis ſuprema & multotiens repetita mandata reliquit, ut vos ſicut ipſum filiali & intimo affectu diligeremus, ut a vobis tamquam a fideliſſimo ætatis noſtræ tutore verum conſilium, & competens adjutorium in omni oppottunitate noſtra ſperaremus. In quo traditæ nobis ab ipſo diſciplinæ propoſito conſtanter permanentes, reverendam nobis paternitatem veſtram pio ſtudio ſalutamus, orantes ut petitiones noſtras, quæ in ſubjectis habentur, intra efficaciam exauditionis admittatis. Primum quidem ut cariſſimum nobis patrem ac præceptorem atque adjutorem noſtrum (*a*) HENRIGUM venerabilem Moguntinum archiepiſcopum, necnon alios archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, præpoſitos ſeu ceteras perſonas, quæ de regno patris noſtri ſunt, ad cujus ſucceſſionem Dei miſericordia ordinati ſumus, & ad veſtram præſentiam tranſeunt, clementi bonitate ſuſcipiatis, eoſque admonitione ſedula, quod patienter & fortiter abſentiam patris noſtri ferant, & noſtram indolem educare ſtudeant, exhortari non abnuatis, quatenus & ipſi cum gaudio in proprio dignitatis ſuæ ſtatu ad ſua revertentes, reditum patris noſtri cum jucunditate expectent & noſtris atque regni opportunitatibus debitum fidei & conſilii effectum accommodent. Duciſſa quoque Poloniæ noſtra amita, tum per ſententiam excommunicationis, quæ a vobis in ipſam promulgata fuit, tum propter abſentiam patris noſtri, ſui utique domini & fratris, vim patitur, & de terra ſua & de honore ducatus ſui exulare cogitur. Super qua re veſtra diſcretio bene meminiſſe debet, quod pater noſter eamdem ſororem ſuam cancellario veſtro, viro utique ſapienti & honeſto nobiſque cariſſimo, in manum commiſit, & per eum veſtræ celſitudini ipſam attente commendavit, ut videlicet ad ejus reſtitutionem clementem operam adhibere dignemini. Corbeienſem quoque abbatem VVIBALDUM noſtrum utique & regni noſtri fidelem, pari diligentia & ſimili ſtudio in manum prædicti cancellarii veſtri, per manum incliti patris noſtri præſentialiter commiſſum veſtræ manſuetudini nos quoque commendamus, ut eum in omni neceſſitate ſua clementer protegatis, & præcipue in duabus abbatiolis obtinendis, videlicet Kaminata & Visbike, quæ quia fere collapſæ & deſtructæ erant tam in religione quam in poſſeſſionibus, manſuetiſſimus pater noſter eas Corbeienſi monaſterio & præfato abbati jure proprietario contulit, quatenus per ipſius induſtriam divinus ibidem ordo reformetur, & poſſeſſionibus recollectis, quæ diſperſæ ſunt, atque conſervatis, loca penitus, ut cœperant, non deſtruantur.

(*a*) Ex præpoſito anno 1141. creatus eſt archiepiſcopus Moguntinus & anno 1151. juſſu Eugenii papæ III. depoſitus fuit. Exat ad eum S. Bernardi epiſtola 323. De eo Annaliſta Patherbornenſis ad annum 1153. *Dejectus eſt*, inquit, HENRICUS *Moguntinus archiepiſcopus de metropolitanus noſter, vetus an innocens, non convenit inter ſcriptores. Vir cætera bonus, & ſimplicior, quam politicorum calliditas ferret. Cujus ob id patrocinium ſuſceperat divus Bernardus. Sed clavi, quem formare aggreſſus, odio & accuſationibus prævalentibus; Embekam in Brunſvicenſi ducatu digreſſus; exul hoc anno obiit, ubi & humatus quieſcit. Dictum ejus familiare erat.* Fui dives canonicus, pauper præpoſitus & mendicus epiſcopus.

EPISTOLA LVII. B. EPISCOPI Hildesheimenſis ad Eugenium papam III.

VVibaldi abbatis merita prædicat, oratque ut pontifex ratam habeat Kaminadæ unionem ad Corbeienſe monaſterium.

REverendo patri ac domino ſuo ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici EUGENIO B. (*b*) Dei gratia Hildeneshemenſis eccleſiæ humilis miniſter, tam devotam quam debitam patri obedientiam. Anno 1148. [b]

Commendamus ſerenitati veſtræ dilectum fratrem noſtrum VVIBALDUM eccleſiæ Corbeienſis abbatem, virum boni apud nos teſtimonii, & in eccleſia Catholica bene nominatum, quem ad partes noſtras acceſ-

(*b*) Bertardus comes a *Rottenburg* ad Tubarum, qui apud Hildeſium magnificum S. Gotthardo templum & cœnobium ordinis S. Benedicti erexit, eumque miraculis clarum in ſanctorum numerum referri impetravit.

siſſe admodum gaudemus, utpote de cujus prudentia & induſtria plurimum confidimus. Obſecramus ergo paternitatem veſtram, quatenus eum in ſuis petitionibus clementer exaudiatis, & præcipue pro eccleſia Kaminatenſi, in qua & divinæ religionis cultum, cujus in eadem eccleſia multa negligentia fuerat, tamquam vir religioſus & prudens reformavit, & reditus ac poſſeſſiones, quas ejuſdem monaſterii abbatiſſa non boni apud nos teſtimonii, poſt ſui depoſitionem cum vanis & ſuperfluis hominibus diſſipaverat, & militibus in beneficio conceſſerat, tamquam vir ſtrenuus fere ad integrum recollegit, & utilitatibus monaſterii reſtituit. Huic ergo homini habenti zelum Dei, tamquam pius & clemens pater aſſiſtite, & labores quos fecit in eccleſia Dei, veſtra auctoritate corroborate, hoc procul dubio ſcientes, quod mutatio, quæ in præfato monaſterio facta eſt, omnibus religioſis terræ noſtræ placet, his autem, qui ibidem cauſa irreligioſitatis fuerant diſplicet.

EPISTOLA LVIII. HENRICI ducis Saxoniæ ad Eugenium papam III.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1148. SAcro ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici EUGENIO HENRICUS dux Saxoniæ, promtæ & officioſæ ſervitutis devotionem.

Commendamus paternitati veſtræ dilectum dominum meum venerabilem Corbeienſis eccleſiæ abbatem WIBALDUM, quem pro cauſis eccleſiæ ſuæ ad veſtræ majeſtatis præſentiam veniſſe cognoſcimus, quem etſi in conſpecta veſtro gratiam inveniſſe non ambigimus, pro affectu tamen, quo eum diligimus, noſtra quoque commendatione eum proſequimur. Obſecramus ergo paternitatem veſtram, quatinus eum in ſuis petitionibus clementer exaudiatis, & præcipue pro eccleſia Kaminatenſi, in qua & religionis divinæ cultum tamquam vir religioſus ac timens Deum reformavit, & ipſius eccleſiæ prædia ac poſſeſſiones, quæ

(a) De diſtractis a Juditha abbatiſſa poſtquam fuit depoſita, hæc reperimus in quadam ſchedula Stabulenſis monaſterii: *Domna Judithaabbatiſſa, hæc dedit de prædiis Kaminatenſis eccleſiæ poſtquam depoſita fuit. De curia An. manſum unum in* Cadenbere *cum ſex mancipiis, Odiloni advocato. Item de eadem curia Thiedero duos manſos. Item Reinhero unum manſum & xij. ſolidos. Item uxori Sigeharde tres manſos. Item Helpradо. vi. ſol. avenæ & v. ſol. denariorum. De curia* Cokelbike *dedit Odiloni advocato unum manſum & mancipium unum nomine Badonem. Item eidem feminam nomine Sebuigem cum tribus filiis ſuis. Item Hermanno manſum unum & mancipium Radulfum. Item Odoni manſum unum & mancipium Borgolonam. Item Rikberto advocato manſum unum cum mancipio Mave. Item eidem manſum unum cum Henikone mancipio. Item eidem manſum unum cum Reinolfo mancipio. Item eidem mancipia ix. quæ Teutonice vocantur.* Enlope. *Item Waldingo v. mancipia. Item Henrico de* Botvvide *dedit v. manſos cum mancipiis ſuis q. ſi ſunt beneficium Helpradi dapiferi noſtri. Item eidem iv. manſos quorum unus de beneficio Tankeradi iij. de beneficio Brunonis. Item Arnoldo manſum unum qui nobis pertinet. De curia in* Heppenſide *dedit Henrico advocato duos manſos, Odiloni advocato unum manſum, Epponi j. manſum. De curia* Invvidele *dedit Odiloni advocato duos manſos Ricberto advocato iv. manſos, Herimanno advocato unum manſum, Heigrico advocato iij. manſos qui ſunt beneficium Helpradi dapiferi mei, Tezzoni unum manſum qui eſt beneficium Heinrici clerici. Item Rikberto advocato xxiv. mancipia qui Teutonice vocantur* Enlope. *Et hæ omnia fere ad prebendam congregationis pertinent. Apud* Bordenvvich *dedit in beneficio iij. marchas. In curia* Vvichmannesburg *dedit in beneficio xxix. manſos, & de indominicata terra xij. manſos cum tribus domibus & curtibus earum, dedit inſuper xx. villas Slavicas ad eandem curiam pertinentes. Inter* Bodenhuſen *&* Sutherburg *dedit xxv. manſos & de indominicata terra viij. manſos cum duabus domibus & curtibus earum & villas Slavicas xiij. & unam dimidiam. Item Walahardo ſub advocato iij. manſos. Item Gerardo ij. manſos.*

EPISTOLA LIX. HERIMANNI comitis VVindenburgenſis ad Eugenium papam III.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1148. SAnctiſſimo patri ac domino ſuo EUGENIO ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici HERIMANNUS comes de *VVindenburch* advocatus eccleſiæ Corbeienſis obſequii ſui intimam devotionem.

Commendamus, venerande pater, ſocietati veſtræ dominum meum cariſſimum WIBALDUM venerabilem Corbeienſem abbatem, virum utique religioſum, & in omni apud nos honeſtate ac prudentia ſpectatum. Commendamus vobis labores, quos in eccleſia Corbeienſi a die promotionis ſuæ fideliter & infatigabiliter ſuſtinuit, tum in reformanda religione in eodem monaſterio & in recolligendis poſſeſſionibus ipſius: tum in pio & laudabili ſtudio, quo in duobus monaſteriis in Kaminata videlicet & Visbike, quæ a domino meo rege accepit, ſtudioſe pro reparanda in eis divina religione laboravit. Hujus enim laboratoris in terra noſtra multum indiguimus, maxime in duobus monaſteriis, ubi multum divina religio deperierat, quam vir iſte prudenter & honeſte reformare laborat. Rogamus ergo excellentiam veſtram, quatinus ſecundum petitionem domini mei regis hanc donationem ejus veſtra auctoritate confirmetis, & in reparanda divina ſervitute dominum

meum abbatem adjuvetis, nobisque exemplum in adjuvandis ecclesiis præstetis.

EPISTOLA LX. H. ABBATIS B. Mariæ in *Flechtorp* ad Eugenium papam III.

Ejusdem argumenti.

Anno 1148. SAnctissimo patri ac domino suo EUGENIO summo pontifici H. Dei gratia humilis minister ecclesiæ B. Mariæ in *Flechtorp* [a] (*a*) devotas orationes & debitam obedientiam.

Cognovimus, venerande pater, venisse ad excellentiam vestram dilectissimum patrem nostrum & dominum VVIBALDUM ecclesiæ Corbeiensis abbatem, virum quem multum diligimus, & in quo plurimum spei in terra nostra in adventu ipsius accepimus, quem & paternitati vestræ commendatum esse rogamus. Laboravit enim in regione nostra sicut vir præliator suscitans zelum pro reparanda divina religione, tum in suo monasterio, tum in monasteriis, quæ ex dono domni regis accepit, Kaminata videlicet & Visbike, ubi non divina servitia, sed lupanarium ludibria potius exercebantur, in tantum ut Kaminatensis abbatissa femina & conversatione & ætate juvencula amatoribus suis post sui depositionem de reditibus ecclesiæ illius plusquam ad centum mansos in beneficio concesserit, cum ante depositionem suam pessima conversatione & irreligiosa promotione, qua ad diversas abbatias promota, & pro culpis suis amota fuerat, omnes religiosos viros terræ nostræ contra se excitaverit. Unde paternitatem vestram obsecramus, quatenus præfatum abbatem, qui hujusmodi turpitudines submovere incœpit, venientem ad vos benigne exaudiatis, & tam regalem munificentiam, quam labores suos, quos in restauranda divina religione impendit, vestra auctoritate confirmetis, & studium ei circa cultum ecclesiæ vestra benevolentia adaugeatis.

EPISTOLA LXI. VV. ABBATIS S. Blasii ad Eugenium papam III.

Ejusdem argumenti.

Anno 1148. REverendissimo patri ac domino EUGENIO summo & universali pontifici VV. Dei gratia id quod est, ecclesiæ (*b*) B. [b] Blasii humilis minister, quidquid valet debita obedientia & devotissima orationis instantia.

Quod dilectum patrem nostrum VVIBALDUM ecclesiæ Corbeiensis abbatem venientem ad paternitatem vestram benigne soletis recipere, & in petitionibus suis clementer exaudire admodum exultamus, & ut deinceps idipsum faciatis excellentiam vestram diligenter rogamus. Siquidem vir iste in terra nostra tamquam jubar cœlestis sideris effulsit; cui & gratias pro vigilanti studio, quo in ecclesia Dei laborat, agetis, & ut diligenter in eodem labore & fideliter perseveret, fiduciam vestra admonitione præstabitis. Nam postquam de manu domni regis duo monasteria feminarum accepit; Kaminata scilicet & Visbike, divinæ religionis servitutem, quæ prorsus ibi deperierat, reparare & reformare tamquam fidelis servus & prudens multum studuit, & in recolligendis possessionibus, quas abbatissa Kaminatensis femina usquequaque reprehensibilis inter amatores suos dispersserat, plurimum hoc anno laboravit, & adjutorio Dei ad integrum fere omnia, quæ illa distraxerat, requisivit, & usibus servientium Deo restituit. Hujus igitur hominis labores & studia, quibus ecclesia in nostris partibus plurimum indiguit, vestræ sanctitati nos sicut & ceteri confratres nostri & omnes terræ nostræ religiosi commendamus, & ut eos vestra auctoritate ad provectum ecclesiæ Dei confirmare digneamini; supplicter exoramus.

EPISTOLA LXII. C. ABBATIS B. M. in *Grevenkerken* ad Eugenium papam III.

Ejusdem argumenti.

UNiversalis ecclesiæ summo pontifici Anno 1148.
Eugenio C. humilis minister ecclesiæ sanctæ Mariæ in *Grevenkerken* debitam patri obedientiam.

Exultamus in Domino, quod dilectissimum patrem ac dominum nostrum VVIBALDUM venerabilem Corbeiensis ecclesiæ abbatem in conspectu vestro gratiam inveniisse cognovimus, virum utique de cujus adventu multum terra nostra illustrata est, & de cujus industria ecclesiam Dei in partibus nostris satis jam profeciisse, & ampliorem deinceps profectum habituram videmus. Est etenim vir tam in sua conversatione religiosus, quam, ut in aliis religio divina amplificetur, studiosus, quod mani-

(*a*) Monasterium Flectorpiense anno Christi MCI. fundatum a nobili viro Erpone Padbergensi comite, in diœcesi Patherbornensi, in honorem S. Mariæ virginis, reliquiis S. Landelini insignitum est. Perstitit vero cœnobium illud ad hæresis tempora, quibus ultimus abbas Balthasar ducta uxore & exuto habita, hæresi nomen dedit. Vide plura Annal. Patherborn. lib. VII. ad annum MCI. & de S. Landelini reliquiis.

(*b*) S. Blasii abbatia olim in monte VVederonis sita propter aëris intemperiem Mindam a Raiavverdo epitcopo translata est anno 1104.

feste apparuit tum in aliis, tum præcipue in duobus monasteriis feminarum, Kaminata scilicet & Visbike, quæ domnus rex Corbeiensi ecclesiæ dedit, in quibus divinæ religionis jam pene nulla mentio remanserat: gratia autem Dei nunc ibi Deus colitur, ubi paulo ante spurcitiæ turpes colebantur. Hæc autem justitiæ zelo & amore Dei & clamore ecclesiæ impulsum præfatum virum fecisse novimus; honestæque conversationis & probatæ vitæ & laudabilis studii circa prænominatas ecclesias testimonium in audientia paternitatis vestræ damus, & ut petitionem ejus, quam secundum Deum esse credimus, exaudire dignemini, obsecramus.

EPISTOLA LXIII. B. MARIÆ in Hamulungesburnen ad Eugenium papam III.

Ejusdem argumenti.

Anno 1148. REverendo patri ac domino suo sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici EUGENIO, Dei gratia Abbas ecclesiæ Dei genitricis in (a) *Hamulungesburnen* debitam & devotam patri dilecto obedientiam.

Commendamus paternitati vestræ dilectum domnum & patrem nostrum VVIBALDUM ecclesiæ Corbeiensis abbatem virum boni apud nos testimonii & dilectorem Romanæ ecclesiæ, quem ad partes nostras accessisse omnino gaudemus, utpote de cujus prudentia & industria plurimum confidimus. Obsecramus ergo paternitatem vestram, quatinus eum in suis petitionibus clementer exaudiatis, & præcipue pro ecclesia Kaminatensi, in qua & divinæ religionis cultum, qui in eadem ecclesia multum neglectus fuerat, tamquam vir prudens ac religiosus reformavit, & reditus ac possessiones, quas ejusdem monasterii abbatissa femina mali testimonii apud nos post sui depositionem cum vanis & superfluis hominibus dissipaverat, & militibus atque amatoribus suis in beneficio concesserat, tamquam vir strenuus & industrius fere ad integrum recolligit, & utilitatibus monasterii restituit. Huic igitur homini habenti zelum Dei, tamquam pius & clemens pater assistite, & labores, quos fecit in ecclesia Dei, vestra auctoritate corroborate; hoc procul scientes, quod mutatio, quæ in præfato monasterio facta est, omnibus religiosis terræ nostræ ac timentibus Deum placet, his autem, qui ibidem exiterant causa irreligiositatis displicet.

(a) Forte idem quod Amelinsburgense ad Visurgim cœnobium fundatum anno 1133. de quo Brischius Cent. 1.

EPISTOLA LXIV. EUGENII papæ III. ad Henricum juniorem regem.

Amitæ ipsius provisurum se promittit.

EUGENIUS episcopus servus servorum Anno 1148. Dei dilecto in Christo filio HENRICO juniori Romanorum regi illustri imperatoris CONRADI filio salutem & apostolicam benedictionem.

Litteras & nuntios tuos debita benignitate suscepimus, & eorum preces diligenter attendimus. Personam siquidem tuam vera in Domino caritate diligimus, & in quibus secundum Deum possumus, paternæ devotionis memores, volumus honorare. Ideoque tuæ amitæ, pro qua rogasti, consueta apostolicæ sedis clementia per nuntium nostrum, quem ad partes illas duximus destinandum, auctore Domino quantum pro honestate nostra poterimus, providere curabimus. Ceterum in puerili ætate constitutus ita bonis & honestis actibus incumbere studeas, ut de tuis successibus mater tua sancta Romana ecclesia gratuletur. Data Remis kalendas Aprilis.

EPISTOLA LXV. EUGENII papæ III. ad Teutonicos prælatos.

Ut juniori regi Henrico assistant, suisque consiliis & operibus eum adjuvent.

EUGENIUS episcopus servus servorum Anno 1148. Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis abbatibus per Teutonicum regnum constitutis salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut manifeste vestra prudentia recognoscit, carissimus filius noster CUNRADUS Romanorum rex divini amoris fervoribus excitatus, vivificæ crucis signo suscepto, ad debellandam idololatrarum insaniam, & ad cultum Christiani nominis propagandum sese viriliter ac potenter accinxit. Cum itaque omnibus ex nostro simus officio debitores, pro ipso tamen magis debemus & propensius volumus esse solliciti. Unde fraternitatem vestram præsentibus exhortamur epistolis, & exhortando mandamus, quatenus carissimo filio nostro HENRICO juniori regi, Romanorum regis illustris CUNRADI filio diligenter & fideliter assistatis, & in his, quæ ad patris sui honorem & regni statum pertinere noscuntur, ut pax per omnipotentis Dei gratiam in populis sibi subjectis integra conservetur, opem ei & consilium, quando vestrum auxilium postulaverit, impendatis. Nolumus siquidem, ut sub protectione beati

Petri in patris sui absentia aliquatenus honoris sui detrimentum vel defectum incurrat. Data Remis kalendas Aprilis.

EPISTOLA LXVI. EUGENII PAPÆ III. ad A. Bremensem, H. Mindensem & T. Ferdensem antistites.

Ut prædia Kaminatæ monasterii a variis usurpata curent restituit.

Anno 1148. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus A. (a) Bremensi archiepiscopo, He. (b) Mindensi, T. (c) Ferdensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem.

Possessiones ecclesiarum patrimonia pauperum & pretia peccatorum esse noscuntur, ideoque si quis præsumit ea contra justitiam detinere, sacrilegium præfecto committit. Significatum nobis est, quod parochiani tui, frater archiepiscope, Odico, Ricimbertus, Thedericus, Rainerus, Hermannus & quidam alii possessiones Kaminatensis ecclesiæ de manu JUDITH quondam abbatissæ, postquam deposita fuit, recipere præsumserunt, & eas eidem monasterio reddere suæ salutis immemores contradicant. Hugoldus, VValtardus, Gerardus, & quidam alii parochiani tui, frater Ferdensis, beneficia quædam, ut nobis suggestum est, de manu ejusdem nihilominus, postquam deposita fuit, receperunt. Quia igitur præfata JUDITH postquam per sententiam venerabilis fratris nostri bonæ memoriæ THOMÆ presbyteri cardinalis tunc apostolicæ sedis legati a regimine Kaminatensis ecclesiæ deposita fuit, nullam alienandi vel impignorandi bona ipsius ecclesiæ habuit potestatem, per præsentia vobis scripta mandamus, quatinus eos districtius moneatis, ut bona prædictæ ecclesiæ, quæ contra animarum salutem detinere præsumunt, ei cum integritate restituant, & ab ipsius infestatione desistant, quod si infra quadraginta dies, postquam a vobis commoniti fuerint, facere contemserint, canonicam de ipsis justitiam faciatis. Nihilominus, frater Mindensis, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus Walderum, qui ejusdem monasterii prædia, clericalis officii consideratione postposita, ab eadem, quæ potestatem dandi non habuit, dicitur recepisse; districte commoneas, ut male acquisita restituat, & eamdem ecclesiam in pace possidere permittat, quod si facere contemserit, canonica eum censura coercas. Data Rhemis nonis Aprilis.

(a) Adalberoni.
(b) Henrico.
(c) Thiethmaro.

EPISTOLA LXVII. EUGENII papæ III. ad Corbeienses monachos.

Confirmat depositionem Henrici abbatis.

Anno 1148. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Corbeiensibus monachis, liberis ac ministerialibus salutem & apostolicam benedictionem.

Quantum sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum utilitate sollicite cogitare, ante actum officium, quod in abbatiæ regimine gessimus nos informat. Ideoque paci & tranquillitati Corbeiensis ecclesiæ providentes, sententiam, quam venerabilis frater noster bonæ memoriæ THOMAS presbyter cardinalis & apostolicæ sedis legatus, in HENRICUM quondam ejusdem monasterii abbatem dedit, confirmantes statuimus, quod si idem HENRICUS pacem monasterii Corbeiensis perturbare præsumserit, & bis tertiove commonitus non resipuerit, non solum ibi ulterius prælationis non habeat officium, sed nec postmodum ibi inter subditos maneat, prohibemus. Datum Remis nonis Aprilis.

EPISTOLA LXVIII. EUGENII papæ III. ad Fuldenses.

Contra suum mandatum factam ab eis electionem declarat irritam, mandatque ut præsentibus quibusdam quos nominat abbatibus ex altero claustro eligant sibi abbatem.

Anno 1148. EUGENIUS episcopus servus servorum dilectis filiis monachis, liberis & ministerialibus Fuldensis monasterii salutem & apostolicam benedictionem.

Si ad regenda rationabiliter membra discretio capitis intenta non fuerit, corporis compages dissoluta nutabit. Postquam igitur Fuldensis ecclesia primo nudata fuit pastore, curæ nobis fuit fratribus qui præsentes erant, viva voce præcipere, ut de alio claustro uno eodemque consensu talem sibi præficiendum abbatem eligerent, per quem in Fuldensi monasterio, quod pastoris incuria tam in spiritualibus quam in temporalibus fuerat diminutum, grata Deo veræ religionis cultura posset, auctore Domino, restaurari. Vos vero contra formam nostri mandati de vestro claustro abbatem eligere præsumsistis, qui etiam pro membrorum deformitate ad sacerdotium non poterat promoveri. Ideoque quod super ejus electione factum est, auctoritate apostolica in irritum deducentes, monachos clericos ab obedientia, & laicos a fidelitate, quam ei feciſſe noscuntur, absolvimus.

Qua propter per præsentia vobis scripta A mandamus atque præcipimus, quatenus de alio claustro consilio dilectorum filiorum [a] nostrorum *A D Æ (a) Ebracensis, Eberbrachcensis, Hersfeldensis, & Corbeiensis abbatum personam religiosam, discretam, litteratam in abbatem vobis invocata divina gratia eligatis, per quam in vestro claustro religionis fervor, qui peccatis exigentibus inibi tepuisse dinoscitur, valeat reparari, & verbo ejus ac bonæ conversationis exemplo possit futuris temporibus custodiri. Data Remis VI. idus Aprilis.

Igitur nos fratres Fuldenses obsecramus B sinceritatem vestram domne abba VVIBALDE, quatenus ea, quæ frater noster Hermannus camerarius præsentium lator viva voce vobis suggesserit, implere non dedignemini.

EPISTOLA LXIX. EUGENII papæ III. ad Ebracensem, Everbacensem, Hersfeldensem & Corbeiensem abbates.

Ut Fuldam accedentes abbatem ex altero C claustro eligi curent.

Anno 1148. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Ebracensi, Everbacensi, Hersfeldensi, & Corbeiensi abbatibus salutem & apostolicam benedictionem.

In apostolicæ sedis specula disponente Deo constituti, omnibus mundi ecclesiis tam vicinis quam longe positis exacta diligentia providere compellimur. Quia vero fratres Fuldensis monasterii contra prohibitionem nostram personam de claustro proprio elegerunt, & præpediente deformitate D corporis ad sacerdotium ascendere non debebat, quod de eo factum fuerat, in irritum duximus. Ne igitur eadem ecclesia pro pastoris absentia tam in spiritualibus quam in temporalibus gravia detrimenta sustineat, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus ad memoratam ecclesiam accedatis, ut fratres ejusdem loci de alieno claustro talem sibi vestro consilio eligant Domino auctore pastorem, per quem grata Deo veræ religionis cultura, quæ inibi deperisse dinoscitur, valeat reformari. Data E Remis VI. idus Aprilis.

(a) Is est Adam qui ex monacho Majoris-monasterii transiit ad Cistercienses, arctiorem disciplinam professus in Morimundensi cœnobio, unde assumtus fuit ad regimen abbatiæ Ebracensis. Extat ad eum sancti Bernardi epist. 7.

EPISTOLA LXX. A. PRÆPOSITI Corbeiensis ad VVibaldum abbatem.

Camerarium Fuldensem ejus desiderare præsentiam in abbatis electione, uti & Corbeienses pro rerum suarum restauratione.

DIlectissimo patri ac domino suo VVIBALDO venerabili abbati Corbeiensis ecclesiæ præpositus, quidquid patri filius, domino servus. Anno 1148.

Ante paucos dies nobiscum habuimus Fuldensem camerarium, videlicet Hermannum, & alium quemdam e fratribus, qui venerant, ut vos ad se in tempore electionis invitarent, qui redierunt multum contristati, quod vos non invenerint. Misimus Fuldensibus per eosdem litteras ex persona vestra, quarum etiam nunc vobis copiam transmisimus. Misimus etiam ad vos litteras domni papæ, quas sigillatas sigillo ad nos Fuldenses detulerant. Certi etiam sumtis quod idem Hermannus in brevi ad vos veniet, cui commendatitias litteras secundum petionem suam ad vos scripsimus. Electus eorum, si nondum audistis, de medio eorum evanuit. De cetero reditus vester ad nos magno desiderio omnium amicorum vestrorum expectatur, tum pro aliis necessariis causis, tum pro eo maxime timore, quia omnibus vestris incumbit, ne comes Hermannus montem *Brunesberch* occupet & muniat, quod pro vero & indubitato nobis relatum est, unde & a vobis hoc celare noluimus, sicut nec aliquam rem, quæ tacita honori vestro officere posset.

EPISTOLA LXXI. VVIBALDI abbatis ad Fuldenses.

Excusat se quod ad eos nequeat accedere, eosque consolari conatur, hortaturque ut cito ad electionem procedant.

DEcano, præposito, & ceteris in Christo Anno 1148.
dilectis fratribus, liberis ac ministerialibus Fuldensis ecclesiæ VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ famulus benedictionem & vitam usque in sæculum.

Quantum doloris, quantum timoris, quantum sollicitudinis geramus pro diurna fatigatione & frequenti jactura vestræ tam nominatæ, tam famosæ, & aliquando tam honestæ ecclesiæ mallemus præsentes, si temporis articulus permitteret, & apud vos deplorare, quam absentes scriptis significare. Quoniam vero jam ex antiquo omnium vestrum honestatem plurimum semper dileximus, in tribulatione quam in præsentiarum vobis incumbere perspeximus nostram

ſtram quoque conſolationem, ſi qua poteſt eſſe, & commonitorium, quod vobis præſentes dare nequimus, per apices noſtros veſtræ dilectioni devote ſubminiſtramus. Summa igitur commonitionis noſtræ hæc eſt: ut ſi, quemadmodum intelleximus adhuc conſtituti apud domnum papam, electum veſtrum habere non poteſtis, ad concordiam & unanimitatem quantocius redeatis, & ſicut diligitis honorem veſtrum & pacem eccleſiæ veſtræ, concordes redeatis, ſcientes, quod non mentitur qui dixit: omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur. Et ſiquidem habere poteſtis inter vos quem eligatis, non differatis, ſi autem aliunde, & hoc acceleretis, ſub dilatione enim aliquæ importunitates ſuboriri poterunt. Nos autem de conſilio noſtro vobis imparati non erimus.

EPISTOLA LXXII. HENRICI comitis Namurcenſis ad Eugenium papam III.

Se paratum eſſe ea obſervare, quæ Treveris in curia papæ ordinata fuerant, de cauſa quæ ipſum inter & archidiaconum Virdunenſem vertebatur.

Anno 1148. REverendo patri & domino ſuo EUGENIO ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici HENRICUS comes de Namuco & *de Lutzelemburch*, devotionem filii cum fideli ſervitio.

Sicut inter me & Richardum archidiaconum Virdunenſem in curia veſtra Trevi-
[a] ris, mediante Clarevallenſe (*a*) abbate, ordinatum fuit, & in veſtræ ſocietatis præſentia confirmatum, ita die conſtituta obſervare & adimplere modis omnibus poſtmo-
[b] dum volui ſub teſtimonio Virdunenſis (*b*) epiſcopi & Corbeienſis abbatis. Sed ipſe Richardus archidiaconus valde ingenioſe cœpit occaſiones quærere, qualiter a propoſitis conditionibus receederet; & Anſelmum quemdam liberum hominem meum, atque alios quoſdam ſtudioſe ſollicitavit, ne homines ſui fierent, & ne beneficia, quæ a me habent, ab ipſius manu reciperent. Ego pro reverentia veſtri apoſtolatus in prædictis conditionibus & placito permanere abſque dolo & ſine fraude volo, cum tamen, ſi in gratia veſtra fieri . . . , ut me de hac cauſa coram meo judice pulſaret, & in foro, cui hæc juriſdictio pertinet, ſuper litigare vellet, paratum me modis inveniret. Ea propter paternitatem veſtram humili ſupplicatione deprecor, ne in me vobis obedientem, & ea quæ præſcripta ſunt obſervare cupientem ſententiam mittatis, vel

(*a*) S. Bernardo qui tunc Trevitis cum Eugenio verſabatur.

(*b*) Alberonis epiſcopi ſcilicet & VVibaldi abbatis.

A terram meam ſub aliquo interdicto ponatis; quatenus veſtræ perſonæ excellentiam tanto plus diligere valeam, & ad defenſionem eccleſiæ Dei eſſe devotior.

EPISTOLA LXXIII. VVIBALDI abbatis ad Henricum Romanorum regem.

De electo Fuldenſi, de parendo decretis papæ, &c.

B GLorioſo ac ſereniſſimo domino ſuo a Deo coronato Romanorum regi HENRICO, filio victoris & incliti CUNRADI Romanorum imperatoris auguſti F. VVIBALDUS Dei gratia Corbeienſis abbas ſalutem in eo qui dat ſalutem regibus. Anno 1148.

Qua devotionis inſtantia in concilio Remenſi fuerimus pro ſtabilitate regni a Deo vobis collati, & pro incremento veſtri honoris, arbitramur ſatis excellentiæ veſtræ eſſe notificatum ab his, qui rebus interfuere. Siquidem de fide noſtra & ſtudio circa veſtræ perſonæ & regni veſtri provectus ſublimitati veſtræ nullatenus erit dubitandum. Cauſa, cur ad veſtram celſitudinem poſt multa verba, quæ cum magiſtro Henrico, veſtræ curiæ notario de ſalute & incolumitate veſtra, de proviſione & ordinatione atque gubernatione regni veſtri ſollicite nuper habuimus, hæc eſt, quod Fuldenſis electus in abbatis nomen benedici detrectat, & præterea inutilis a pleriſque prædicatur. Si ergo amotus fuerit, de quo quidem non dubitavimus, cum a Remis exiremus, nunc imminebit veſtræ indoli plurima ſollicitudo, ne aliquis novitatum motus in monaſterio Fuldenſi oboriatur, ſed ſicut proxime, Deo inſpirante, ſapienter & ſtrenue ad honorem ſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ & veſtræ dignitatis cuncta ibidem perfeciſtis, ita & nunc magnifice omnia in augmentum veſtri honoris ſub veſtra præſentia cum magna quiete & diſciplina peragi faciatis. Etenim, cariſſime, nobis dignitate quidem & ordinatione Domine, ſed affectu fili, hoc veſtræ intelligentiæ ſummo ſtudio ſuggerimus & ſuademus, ut patrem veſtrum papam EUGENIUM, qui vos benigniſſime honoravit, toto animo diligatis, nec decretis ipſius ac ſacro ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ promulgationibus alicujus inſtinctu obvietis, ut ſi pro principibus & aliis fidelibus veſtris intercedendum erit, hoc ſub tanto diſcretionis moderamine faciatis, ut & clementiæ veſtræ ſtudium circa veſtros laudem mereatur, & importunitas offenſam non incurrat. Timemus namque ne in Romanam eccleſiam aliquorum ſuggeſtione impingatis, quod vobis eſſe poſſet lapis offenſionis & petra ſcandali. Et hoc ad

vestram admonitionem putavimus esse adjiciendum, ne vel in Sueviam, vel in Saxoniam, vel in Lotharingiam exeatis, nisi vocatus a principibus ob aliquam rem præcipuam & notam sub brevi tempore terminandam. Expectatur enim adhuc pater veA ster regni Dominus & patefis, *(d)* ac de facili possetis in aliquam reprehensionem incidere, præsertim ab his, qui debita regno servitia inviti & quasi coacti præstare consueverunt. Et melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.

EPISTOLA LXXIV. PRIORIS Corbeiensis ad S. abbatem.

Mediante VVibaldo abbate indulget ipsi quidquid in Corbeienses commiserat.

Anno 1148. REverendo in Christo & fratri carissimo S. abbati frater E. prior & ceteri fratres Corbeienses fraternam dilectionem.

Petitionem vestram, quam mediante carissimo patre & domino nostro VVIBALDO abbate nostræ parvitati obtulistis, debita reverentia suscepimus, & quidquid in nos scienter vel ignoranter deliquistis absque simulatione remisimus, & nostræ societati C arctius incorporatum diligere & honorare, & exiguis orationibus nostris participare vos & desideramus & concedimus. In adventu enim prædicti patris nostri ad nos, omnia inimicitiarum semina penitus extincta sunt; quoniam inter illos, quos dissensionis procella disjecerat, ipse se medium, tamquam bonus angularis lapis veræ caritatis & discretæ humilitatis glutino interposuit, & filios Dei, qui in longinqua regione discordiæ adeo remoti & alienati erant, in unum intimæ dilectionis corpus congregavit. Cui pro utilitate & reformatione nostri monasterii indefesso studio laboranti vestra industria pro nostræ dilectionis & petitionis intuitu singulari, ut vestram prudentiam decet, constantiæ & officii amore assistetis.

EPISTOLA LXXV. VVIBALDI abbatis ad magistrum Baldricum.

Ut suum exerceat ingenium.

Anno 1148. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod E est in Catholica ecclesia dilecto fratri & amico suo Baldrico magistro benedictionem & vitam usque in sæculum.

Expediti tandem ab his occupationibus maximis, quæ nos, ut ipse nosti, ultro citroque implicitos diu tenuerunt, posse cæpimus aliquando amicos nostros salutare, & aliquid tenerioris affectus depulso omni angore exhibere. Salutantes igitur tuam industriam paterno & intimo affectu rogamus & exhortamur in Domino, ut illud tuum nobile & acutissimum ingenium, quod tibi præstante Deo a natura insitum est, & optimis artibus in juventute tua sublimiter excultum, torpere per otium non sinas, ne honos qui tibi quasi quidam laboris fructus ob scientiæ olatitudinem collatus est, optimis disciplinis tuis quemdam obscuritatis situm inferre prævaleat. Sano & acumen ingenii & facundiæ gloriam, & adeptas dignitates humilitate quasi quodam gemmarum splendore ornabis, & memineris honores eisdem artibus esse servandos, quibus eos es assecutus. Fortunatum enim, ut sæculariter dicamus, esse potuit, quod ascendisti, sed regere te in ipsum in alto, equidem industriæ est. Præsentia tua tuis auditoribus disciplina fit, rato siquidem castigabis, si assiduus fueris. Plus habet locus tuus quam docendi officium, nam & censoriam debes exhibere severitatem, quoniam & corrigendis moribus præfectum te esse noveris, quæ disciplina & exercitatio omnibus est subtilior, & in fructu cunctis C propensior. Scienti pauca sufficiant, non ut doctorem doceamus, sed ne officium prætereamus.

EPISTOLA LXXVI. MONACHORUM Corbeiensium ad VVibaldum abbatem.

Ut absens pro sua ecclesia laborare non desinat, & ut suo privilegio confirmet duorum monasteriorum unionem.

Anno [illegible] DIlecto patri ac domino suo VVIBALDO Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati E. prior totaque congregatio filiorum suorum, Deo in eodem monasterio sub ejus regimine famulantium, quidquid valet sedula oratio, & debita tam dilecto patri dilectio.

Multum quidem ægre sustinemus tam diuturnam vestri absentiam, nisi quod pro incremento ecclesiæ nostræ vos scimus in hac absentia laborare, ad quem etiam laborem viriliter sufferendum, vos in quantum præsumimus exhortamur, & commonemus, & ut bono fine terminetur misericordiam Dei jugiter exoramus. Ceterum gratias agimus paternitati vestræ, quod inter duos parietes, ut eos in unam societatem conjungeretis, tamquam prudens imitator veri illius angularis lapidis medius sedistis, & diu desideratam nobis carissimorum fratrum communionem & optabilem in

(a) Ejus reditum ad annum 1149. collocat Auctuarium Affligemiense apud Miræum, ubi sic habet: *Imperator Conradus & rex Francia Ludovicus sine ullo effectu procinctum solvunt, & ab itinere Hierosolymorum revertuntur, nunquam audita tanta infelicitate tanti exercitus.*

[a] Christo adunationem (a) ad effectum perduxistis. Consummato ergo operi extremam manum adhuc imponetis, ut videlicet vestro privilegio, quæ in hac memorabili duarum ecclesiarum conjunctione vestra permissione utrimque scripta vel facta sunt, ad perpetuam successorum nostrorum memoriam confirmetis, & hoc testimonium in utraque ecclesia diligenter, sicut rem dignam memoria, conservari præcipiatis. Nihilominus quoque rogamus, ut quoniam ad laudem Dei & ad remedium animarum nostrarum hanc conjunctionem fieri postulavimus, sanctis etiam patronis utriusque ecclesiæ alterutrum dignos honores impendi constituatis, quatinus qui in utraque ecclesia oramus pro invicem ut salvemur, junctis utrimque patrociniis ad consequendam salutem, quam quærimus, adjuvemur. Placeat ergo vobis, ut ob recordationem posteritatis signum aliquod & memoriale in [b] festivitate utriusque patroni (b) de possessionibus utriusque ecclesiæ statuatis, & hoc studio pietatis tam vestram quam patronorum memoriam apud subditos vestros perpetuam faciatis.

EPISTOLA LXXVII. CORBEIENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Exponunt quanta de ejus absentia patiantur, hortantur ut cito redeat.

Ann. 1148. CArissimo patri & domino venerabili Corbeiensi abbati VVIBALDO E. prior, A. præpositus ceteriique fratres & ministeriales Corbeiensis ecclesiæ, quidquid patri dilecto filii, & domino fideles servi.

Quam ægre, & quam graviter, & quam intolerabiliter sustineamus tam diuturnam vestri absentiam, neque possumus, neque audemus ad perfectum vobis insinuare, ne forte nimietas & importunitas nostra æquanimitatem vestram debeat perturbare. Verumtamen noveritis, quod ecclesia nostra, quam tuendam & regendam in tempore tribulationis suæ suscepistis, & quam per misericordiam Dei de multis laboribus sublevastis, & per multos labores vestros honestis incrementis a die promotionis vestræ indesinenter provehere studuistis, hæc in absentia vestra multum jam tribulatur. Siquidem dominus Folcuinus, in quo spem vestram magna ex parte ad tuendas & defendendas res vestras apud nos posueratis, plus omnibus homines vestros de *Huxere* rebus suis non minus quam ad centum quinquaginta marcas violenter spoliaverit. Villicum vestrum de *Immenhusen* homines ipsius invaserant, & occidissent, si vix manus eorum non evasisset, pro quodam beneficio quod de annona fratrum eis concesserat; solet enim de præbenda fratrum homines suos inbeneficiare. Alii præterea multi & præbendam fratrum dissipant, & homines vestros lacerant, de quibus plusquam satis audietis, cum primum ad nos Deo propitio redieritis. Pro his & hujusmodi pluribus causis, quas & patimur & passuros nos formidamus, fratres, ministeriales, omnisque multitudo hominum & fidelium ecclesiæ vestræ deprecatorias litteras misimus ad vos diligenter, & cum omni qua possumus devotione obsecrantes, quatinus reditum vestrum ad nos quantocius acceleretis, & pressuras nostras tam præsentes, quam eas quas futuras timemus, dum adhuc potestis, sublevare festinetis. Comes quoque HERMANNUS reditum vestrum omnimodis desiderat, multumque tam vobis quam ecclesiæ vestræ offuturum, si cito non redieritis, affirmant.

EPISTOLA LXXVIII. VVIBALDI abbatis ad suos Corbeienses.

Suam præsentiam Stabulensibus maxime necessariam fuisse, seque negotiis expeditis, cito citius Corbeiam convolaturum.

FRater VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ servus dilectis in Christo filiis & fratribus suis E. venerabili priori A., præposito & ceteris fratribus, necnon ministerialibus Corbeiensis monasterii, spiritu consilii & fortitudinis abundare. Ann. 1148.

Quod ecclesia Corbeiensis, quam regendam Deo auctore suscepimus, ullis in absentia nostra curarum sive laborum fatigatur molestiis, tantum dolemus, quantum ipsam ecclesiam, quæ parvitati nostræ credita est, Dei præ oculis timore proposito diligimus. Et vos quidem paucarum rerum amaritudine degustata, de futuris anxie timetis. Sed Stabulensis ecclesia, quæ nos lacteo pietatis alimento nutrivit, & delicta juventutis nostræ & ignorantias nostras non reminiscens, nos, si qua in prælatione existimatur dignitas, ad summum sui regiminis gradum provexit, interim dum vobis militamus, multiplicibus ac miserabilibus modis in præda, in incendiis, in quotidiana rapina, in cædibus lacerata est, ad quas contritiones sanandas, ex quo a domino papa recessimus, Deo propitio nobis, ad preces fratrum nostrorum in adjutorium nostrum intendentes, non inuciliter laboravimus; & circumdante nos scuto divinæ gratiæ, inimicos ecclesiæ sua prosperitate inebriatos, & rebus pauperum nostrorum ditatos sub-

(a) Hic agitur de societate inter Stabuletum & Corbeiam.

(c) Id quod fecit Corbeiæ anno 1151. Montem S. Michaelis & ecclesiam cum omnibus pertinentiis ad anniversariam S. Remacli memoriam solemniter celebrandam deputando. Vide in Appendice instrumentum.

jugum ecclesiasticæ disciplinæ humiliatos A vidimus, & quærentes reconciliari ecclesiæ, quam offenderant. Sed quoniam causa difficilis est, & in hac perturbatione multi tam in personis quam in rebus suis graviter offensi sunt, opus plenæ reconciliationis procedere de facili non potuit, cujus finem adeo de gratia Dei confidentes propinquum speramus, ut rebus compositis & pacatis, expediti ad vos & absoluti absque prolixiore mora redire valeamus. Etenim transire nunc ad vos non esset vobis consulere, sed Stabulensem ecclesiam turpiter & cum nota fugitivi deserere. Nec ideo tardamus, quod post multos labores & sollicitudines, B quibus jam longo tempore impliciti sumus, requiem nobis & curationem provideamus, quoniam a primordio nostræ promotionis numquam tam assiduas & animi & corporis fatigationes pertulimus. Caveat prudentia vestra ne rumor, qui de monte vestro *Brunesberch* agitatur, ab his alatur & augeatur, qui nos ejusdem montis ædificio non absque magno labore & impensa involvi desiderant. Super damno, quod civibus & [a] ministerialibus nostris de (a) Huxera contigit, valde dolentes domino papæ querimoniam sub celeritate transmisimus, orantes, ut secundum formam decreti a se in concilio Remensi recenter constituti, dominum nostrum Patherbornensem episcopum diligenter commoneat, quatenus Fulcuinum pacis constitutæ in sacra possessione dominica violatorem cuncta restituere & satisfacere cómmoneat, vel sub pœna excommunicationis compellat.

EPISTOLA LXXIX. VVIBALDI abbatis ad Hadvvidem sororem suam.

Excusat se quod eam jam diu non visitaverit, narrat quanta pro regno, pro suis, & pro amicis fecerit.

Anno 1148. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica dilectæ sorori [b] suæ HADVVIDI (b) benedictionem & vitam usque in sæculum.

Reprehendit nos fortassis & arguit dilectio tua, quod tamquam immemores pristini affectus & sinceræ dilectionis, atque fraterni amoris, quo nos invicem tenere diximus, visitare te & consolari hoc tempore distulimus, quando abest germanus tuus regiæ curiæ cancellarius, sui generis flos & ornamentum, amicorum suorum columen & tutela. Peregrinatur ille quidem & bajulat crucem suam & sequitur Christum suum Jerosolymam petens in comitatu & obsequio carissimi domini sui & nostri Romanorum regis CUNRADI. Dicet ergo nunc cogitatio: Homo ille carissimus & in numero fratrum carnalium susceptus & adscriptus, præsente illo sublimi & humanissimo fratre nostro, domum nostram colebat, & nos assiduis visitabat affatibus; nulla nobis modo mittit alloquia. Itaque aut tunc non fuerit verus amicus, aut nunc est negligens vel oblivioſus; sed verus amor negligentiam seu oblivionem non recipit, restat igitur, ut simulatus & non amicus fuerit. Ceterum, soror carissima, si ad temporis hujus qualitatem & res, in quibus versamur, diligenter inspicias, hæc accusatio tua tam subtilis tamque probabilis facile conquiescit. Nam ex quo dominus papa EUGENIUS in partes Lotharingiæ pervenit, cura nobis & sollicitudo maxima incubuit, ut res Stabulensis monasterii necnon & Corbeiensis, quæ nobis Dei præordinante clementia commissæ sunt, quæ assidue apostolico egent præsidio, modis congruentibus proveheremus, atque ut dominis rerum, nostris utique regibus tam patri quam filio debita fidelitate serviremus, tum etiam ut amicis ac necessariis nostris studio & opera in suis opportunitatibus assisteremus; in quo difficilium rerum proposito divinæ pietatis gratia nos comitari dignata est, ut in nulla suscepti negotii vacui reverteremur. Etenim ecclesiæ nostræ non parvis incrementis auctæ sunt, & apostolicis privilegiis roboratæ. Porro & in rebus regni dedit nobis divina majestas proventum. Siquidem juniorem dominum regem nostrum quædam non exiles personæ ad hæc dedita opera impellebant, ut in quibusdam dominum papam offenderet, & canonicis decretis contrairet, quod ne fieret Dei largissima bonitate & nostro studio prævertum est, & in D meliorem statum omnia commutata. Nam & filius rex dominum papam & ejus decreta vigilanti solertia honoravit, & e converso dominus papa ipsum & regem Romanorum appellavit & scripsit, quod rare extra Urbem actidit, & universis principibus cum omni benevolentia & affectione paterna monendo scripsit, quatenus eidem speciali suo & beati Petri filio fidelitatem exhibeant, & in administratione regni sibi a Deo ex successione paterna collati, consilium & auxilium ferant. Sane in amicorum nostrorum causis quantum profecerimus, malumus ut ab ipsis quam a nobis cognoscatur. Tum vero in Stabulensi ecclesia magna turbatio ante adventum nostrum erat, ad quam sedandam & componendam nulla nobis dies aut nox expers laboris fuit, & operante divinæ pietatis gratia, spem meliorem habemus, quod in brevi tempore ad salutarem & optatum finem cuncta per-

(a) Huxeri villam regiam (nunc Hoxaria est) Ludovicus Pius dedit Corbeiensibus anno imperii sui x. Diploma donationis editum est lib. 2. Annal. Patherbornensium.

(b) In monasterio *Gerigesheim*, f. *Gerisheim* sanctimoniali, cui præfecta est anno 1150. Vid. infra epist. 220.

ducamus. Hæ igitur & aliæ multiplices occupationes noſtram intentionem gravibus curis implicitam detinuerunt, & ab officio ſalutandi nos hactenus retardaverunt. Salutantes itaque nunc in Domino excellentiam tuam rogamus & hortamur, ut ſi qua in tuendis & curandis rebus fratris noſtri abſentis difficultas emerſerit, noſtros ubi opportunum fuerit, amminiculo utaris, & de nobis tamquam de vero & conſtanti amico confidas.

EPISTOLA LXXX. CONRADI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

Narrat ea quæ ſibi ſacra in expeditione contigerunt.

Anno 1148. CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex venerabili VVIBALDO Corbeienſium & Stabulenſium abbati, gratiam ſuam & omne bonum.

Quia fidelitatem tuam ſæpe numero circa nos & regnum noſtrum probatam multis experimentis cognovimus, ſi de proſperitate noſtri ſtatus audieris, multum te gaudere non ambigimus. Mandamus itaque fidelitati tuæ, quod cum Nycæam integro & compoſito exercitu perveniſſemus, mature expeditionem conſummare volentes, per compendium, notis viæ ducibus hoc oſtendentibus, verſus Iconium proficiſci cœpimus, illuc uſque neceſſaria portantes, quantum valuimus. Et ecce decem dierum itinere jam peracto, toridem adhuc nobis reſiduo, victualia omnibus fere, equitaturis maxime, defecerant, cum Turci pedeſtre vulgus, quod exercitum ſequi nequibat, invadere & cædere non ceſſabant. Nos vicem populi deficientis & tam morte ſua quam ſagittis hoſtium pereuntis dolentes, rogatu principum omnium & baronum ad mare de terra illa deſerta exercitum, ut refocillaretur, reduximus, malentes incolumem ad majora ſervare, quam tam cruenta victoria de ſagittariis triumphare. Cum vero ad mare veniſſemus & caſtra metati fuiſſemus, in maxima tempeſtate non expectans ſerenitatem, præ gaudio rex Francorum ad tentoria noſtra, nobis neſcientibus, ſupervenit, dolens quidem exercitum noſtrum fame & labore attritum; de ſocietate autem noſtra non parvum habens gaudium. Ipſe ſiquidem & omnes principes ſui fideliter ac devote obſequium ſuum nobis obtulerunt, pecunias inſuper ſuas & quæcumque habebant, voluntati noſtræ expone bant. Conjuncti ergo cum copiis noſtris & principibus, quorum quidam cum nobis remanſerant, quidam infirmi & præ penuria pecuniæ ſequi non valebant, & ob id ab exercitu recedebant, uſque ad ſanctum Johannem, ubi ſepulchrum ejus & manna ſcaturire cernitur, abſque omni difficultate celebraturi illuc nativitatem Domini pervenimus, ubi per aliquos dies repauſantes, quia & nos infirmitas & multos noſtrorum invaſerat, recuperata ſanitate procedere volebamus, ſed invaleſcente ægritudine nequaquam ire valuimus. Rex igitur cum exercitu dolenter profectus, quantum potuit nos præſtolatus eſt, ſed diutina infirmitas nos tenuit Quod cum frater noſter Græcorum imperator audiret, vehementer indoluit, & cum filia noſtra dilectiſſima imperatrice, ſua videlicet conjuge, ad nos præpropere deſcendit, liberaliter nobis & principibus noſtris ſua & neceſſaria ad iter noſtrum largiens, quatenus a medicis ſuis citius curaremur, quaſi vi Conſtantinopolim in palatium ſuum reduxit, tantum illic nobis honoris exhibens, quantum ulli umquam prædeceſſori noſtro exhibitum eſſe audivimus. Inde Jeroſolymam Dominica *Reminiſcere* proficiſci ſtatuimus, Deo auctore novum exercitum ibi in paſcha colecturi, & Rohas proceſſuri. Ut autem illud iter noſtrum Deus proſperum facere dignetur, ut ipſe ores, & fratres tuos orare facias, & omnibus fidelibus nos committas, & commendaturi fidei tuæ filium noſtrum habeas poſtulamus.

EPISTOLA LXXXI. CORBEIENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Congratulantur ei de proſpere geſtis, & promtum ejus ad ſe optant reditum.

Anno 1148. DIlecto in Chriſto patri & domino ſuo VVIBALDO venerabili Corbeienſi abbati, fratres Corbeienſis eccleſiæ, debitam patri obedientiam & devotam orationum inſtantiam.

Congratulamur paternitati veſtræ, quod proſperum eventum habuiſtis in componendis his, qui inter homines veſtros diſſidebant, tum propter vos, tum propter fratres noſtros Stabulenſes, tum etiam propter nos, qui multo deſiderio præſentiam veſtram expectamus. Quia etenim vos ut patrem diligimus, ſemper præſentem habere vellemus, ſed quoniam providentia veſtra ad multorum procurationem ſpectat, & ideo ſolis nobis intendere nequaquam poteſt, obſecramus paternitatem veſtram, ut ſaltem poſt multos dies, quibus præſentia veſtra ægre caruimus, redire ad nos non abnuatis, ſcientes procul dubio, quod præſentia veſtra non minus quam fratres noſtri Stabulenſes jam indigemus; non eis quidem præſentiam veſtram invidemus, ſed nobis de abſentia veſtra multum condolemus. Quia igitur aliquantulum vos de cœptis laboribus expeditum audimus, iterum rogamus, quatenus mox ut hunc nuntium veſtrum receperitis, de reditu veſtro ad nos

ordinetis, nec filios vestros ulterius de absentia vestra affligi permittatis. Omnes pene in regione nostra prophetant, vos ultra non rediturum.

EPISTOLA LXXXII. A. PRÆPOSITI Corbeiensis ad VVibaldum abbatem.

Promtum ipsius ad Corbeienses optat reditum.

Anno 1148. DOmino suo venerabili Corbeiensi abbati, frater A. præpositus Corbeiensis tam devotam quam debitam patri obedientiam.

Non videatur vobis durum, si solito attentius vos revocamus, quia quod honori vestro timemus, quod ecclesiæ vestræ detrimentum formidamus, ex dilectione est, qua vos diligimus ex fide quam ecclesiæ debemus. Multa siquidem apud nos geruntur, pro quibus vestri præsentiam valde necessariam habemus, de quibus ipse præsens abundantius videbitis, quam nos absenti scriptis insinuare possimus, præter illa, quæ adhuc si moram feceritis, propter absentiam vestram futura esse formidamus. Una est enim vox, eadem sententia omnium qui diligunt vos, utile esse, quod absque dilatione redeatis, & ne qua inconvenientia apud nos oriantur, quæ postmodum cum difficultate reprimi oporteat, præcaveatis. Licet enim non ignoremus, quod si inpræsentiarum redieritis, annonam omnem pretio comparere debeatis, non tamen videtur nobis tutum, quod propterea diutius remaneatis, sed statim post acceptas litteras has de reditu vestro disponatis, quia utique laudabilius est & nobis carius, quod argentum vestrum quam honorem perdatis. Scimus etiam quod cum veneritis, multa quæ camerarius vester. neque nos possumus, per vos acquiretis, quia vos per misericordiam Dei talem esse scimus, qui & vobis & nobis esse solatio possitis. Non moveat vos, quod domum ad habitandum non habetis apud nos, quia apud sacrum martyrem habitaculum valde commodum & secretum usque ad consummationem domus vestræ vobis providimus, ubi cum devotione libenter ipsi vobis serviemus, tantum præsentem vos habeamus. Annonam fratrum a villicis nostris aut vix aut nullo modo extorquere jam possumus. Fuldenses nihilominus præsentiam vestram multo desiderio expectant, quia ecclesia eorum, quæ sine pastore est, ubique colliditur, ubique distrahitur, ubique dissipatur. Unde & abbas Hersveldensis litteras domini papæ, quas vobis & aliis abbatibus direxerat, ad nos transmisit, multumque etiam ipse propter injunctum sibi & vobis negotium, ut redeatis, jam diu desideravit.

EPISTOLA LXXXIII. VVALTERII Camerarii Corbeiensis ad VVibaldum abbatem.

Rationem reddit de ædificiis construendis, optatque ut quam cito redeat Corbeiam.

REverendo patri ac domino suo WIBALDO venerabili abbati Corbeiensi frater VValterus camerarius suus debitam patri obedientiam. Anno

In perficiendis ædificiis vestris omni conanime insistimus, quæ utique antequam perficiantur, non modica expensa indigebunt. Non autem vos hoc latere volumus, quod a multis jam diebus omnes expensas ejusdem operis mutuo accepimus, & quod in mutuando usque ad quindecim marcas jam progressi sumus, exceptis his, quæ adhuc ad residuum operis habituri sumus. Magno quidem desiderio præsentiam vestram expectantus multis de causis, quas intus & foris quotidie apud nos videmus & audimus, pro quibus præsentia vestra nobis & ecclesiæ multum esset necessaria, multumque timetur ab omnibus, qui vos & honorem vestrum diligunt, quod si diutius moram feceritis, aliquas novitates, quæ multum requiem vestram perturbare possint, apud nos invenire debeatis, de quibus quidem aliquid a puero vestro Ludovico audire potestis. Nisi esset timor, placeret nobis quod usque ad novas fruges reditum vestrum protraheretis, quia si ante redieritis, non invenietis de annona vestra, quod vel una die manducetis, aut quod bibatis, nisi pretio comparetis. Sed videtur nobis tolerabilius, quod annonam apud nos aliquanto tempore ematis, quam aliqua inconvenientia, quæ vos ex insperato laborare faciant, apud nos oriri permittatis. Multum itaque volumus, ut omnes mor[illegible] rumpatis, & recepto hoc præsenti nuntio vestro ad nos redire festinetis. Ex fidelitate & devotione nostra est, quod ad reditum vos tam instanter cohortamur.

EPISTOLA LXXXIV. VVIBALDI abbatis ad suos Corbeienses.

Jam proxime ad eos reversurus, narrat quam multa bona apud Stabulenses positus egerit.

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, dilectis in Christo filiis & fratribus suis E. venerabili priori & ceteris Corbeiensis ecclesiæ filiis, benedictionem & vitam usque in sæculum. Annotat

Ratio consilii & instituti nostri poscebat, [illegible] apud Stabulaus moram longiorem faceremus, non solum pro removendis importu-

nitatibus, quæ Stabulenſem eccleſiam & totam terræ Lotharingiæ fatigabant, verum etiam quia ordo quidam & rerum neceſſitas paucis conſiderata poſtulare videbatur, ut uſque ad caput hyemis abeſſe a vobis deberemus. Ceterum nos, qui etiam in re prævisa & a nobis ſingulariter ordinata multorum communem ſententiam ſequi conſuevimus, totiens vocati a vobis jam non venire non audemus, magis volentes veſtro judicio, ſi ita opus eſt, errare, quam in noſtræ deliberationis propoſito, licet rectum & conſequens videatur, permanere. Ut autem ſciat veſtra fraternitas, tempus otioſum nobis non præteriiſſe, inter comitem Namurconſem & comitem *de Lon* & comitem *de Dasburch*, quorum diſcordia totam terram lacerabat, pacem Deo auctore uſque in feſto ſancti Remigii fecimus, atque inter comitem de Rupe, qui noſter advocatus eſt, & comitem de Monte acuto, qui multorum incitamentis maxima inter ſe bella movebant, finitivam & toti terræ ſalutarem concordiam reformavimus. Adverſarios noſtros, qui bona eccleſiæ noſtræ diripuerant, divina potentia ſubegimus, ut nobis noſtra cum ingenti ſatisfactione reſtituant. Ad ſedandam vero ipſam diſcordiam, quæ eſt inter ipſos & miniſteriales noſtros, cum diu multumque laboraverimus, pauxillum temporis aſſumſimus, in quo omnia Dei adjuvante clementia ad perfectum perducere valeamus, & in vigilia Aſſumtionis ſanctæ Mariæ ad vos cum caritatis gaudio perveniemus.

EPIST. LXXXV. CORBEIENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Urgent ipſius Corbeiam reditum.

Anno 1148. CArissimo domino & patri ſuo VVibaldo venerabili Corbeienſi abbati, E. prior, A. præpoſitus, VV. camerarius debitam obedientiam.

In quantum fas eſt, prudentiam veſtram arguimus, quod cum paternitati veſtræ anxietates noſtras per nuntium veſtrum & litteras noſtras inſinuavimus, necdum aliquid nobis certitudinis de reditu veſtro ſignificaſtis, præſertim cum in omnibus litteris, quibus redirum veſtrum hac vice maturari rogavimus, hoc ad ſummam cum omni diligentia adjunxerimus, ut ſtatim poſt acceptas litteras abſque omni dilatione de reditu veſtro ad nos ordinaretis. Et ecce jam fere ad tres ſeptimanas nuntium veſtrum ſuſpenſi expectamus, multoque deſiderio ſub hac expectatione afficimur, nec quicquam conſolationis a vobis accipimus. Quid ergo tandem faciemus? neque enim ſine cauſa reditum veſtrum tantopere maturari poſtulavimus: foris pugnæ, intus labores, ut de omnibus aliis ſileamus, fere mortificamur tota die de opinione immo concertatione hominum, qui contendunt vos ultra non rediturum, qui modo cum improperio inſultant nobis, poſtquam ad ſperatam diem nuntius noſter non rediit, affirmantes quod in vanum ſpem noſtram conſumimus. Denique niſi quod conſtantiam veſtram tam fixam & immobilem optime novimus, tot opinionibus & tot clamoribus hominum flecti ad deſperationem debuimus. Comes quoque Hermannus tam diutinam veſtri abſentiam multum incuſat. Omni ergo devotione, omni ſtudio, paternitatem veſtram rogamus, ut vel hac vice ſtatim poſt accepta litteras noſtras redire nullatenus differatis, procul dubio ſcientes, quod ſi modo ulterius moram feceritis, amicos veſtros in deſperationem non modicam adducetis.

EPISTOLA LXXXVI. VVIBALDI abbatis ad ſuos Corbeienſes.

Increpat eos quod ejus reditum tot iteratis vicibus urgeant.

FRater VVibaldus Dei gratia Corbeienſis abbas, dilectis in Chriſto fratribus E. priori, A. præpoſito, VV. camerario ſalutem & benedictionem. Anno 1148.

Lex ſacra præcipit, ut in ſacrificio ſal offeratur. Et Apoſtolus dicit: *ſit ſermo veſter ſale conditus*. Quæcumque condita non ſunt ſale, inſipida ſunt, & ad humanæ refectionis profectum minime accommoda, Virtus nulla eſt, quam diſcretio deſerit, hæc eſt ſal & condimentum rerum, quæ inter bonas annumerantur. Virtutes in meditullio poſitæ ſunt inter nimietatem & paucitatem. Hæc eſt via regia, in qua ſuperbi abſcondunt laqueos nobis, in qua ita eſt ambulandum, ut neque ad dexteram declinemus per inconſideratum zeli proniotis ardorem, neque ad ſiniſtram deviemus per diſſolutæ remiſſionis torporem. Quorſum hæc? quia videlicet in eo, quod nos tam frequenter, tam inſtantes revocatis, modum, qui eſt diſcretionis comes, excedere videmini. Cum enim ſancta & venerabilis mater noſtra Stabulenſis eccleſia multis attrita fuerit preſſuris, occaſionem rapientibus improbis ex eo, quod divinam vocationem & veſtrani unanimem electionem ſecuti, ad vos tranſivimus, impium erat & omni beſtia furente crudelius, eam in anguſtiis & jam impendente ruina deſerere. Intravimus in eamdem eccleſiam per oſtium, quod de vita & moribus noſtris dicere nequaquam præſumimus, ſed de tota ordinatione & proviſectibus noſtris plane affirmare non formidamus. Videbamus itaque non lupum unum venientem, niſi forte totam dæmonum

phalangem unum lupum intelligimus, sed multorum luporum innumerabiles exercitus, qui ad devorandam Stabulensem ecclesiam & magnam partem Lotharingiæ efferata rabie inhiaverant. Sed misit Deus Spiritum sanctum de cœlo, & conclusit ora leonum, atque, imperante JESU, qui propter peccata nostra dormierat, ventis & mari, facta est tranquillitas, suspecta quidem & plena dolis & insidiis, & qualem nostra ætas dare consuevit, verumtamen aliqua. Vester igitur affectus in revocando laudabilis est, & nobis gratissimus, revocationis vero tempus & causa laudis titulum non meretur. Tempus quidem, quia importunum est. Causa vero tam puerilis est, ne dicamus stulta, ut digna non fuerit tantis conatibus. Hæc enim est maxima festinatæ revocationis causa, quod, ut verbis utamur vestris, fere mortificamini tota die de opinione, immo de concertatione hominum, qui contendunt nos ultra Corbeiam non redituros: & ne vos in tantæ levitatis dictione ineptos reputaremus, scripserat nobis conventus vester contra gravitatem tanti cœtus, contra severitatem suam, quæ debuit esse castigatior, hæc verba dicens: omnes pene in regione nostra prophetant, vos ultra non rediturum. O homines prudentes! o homines fortes! qui anilibus intenti fabulis & sese perturbant & nos seriis rebus intentos fatigare non desinunt. Mulierculæ, quæ muros atrii vestri obsederunt, & quæ substantiam domus nostræ vorare solent, metiuntur digitis suis, & post detestabilem atque ridiculam sortem sternutantes dicunt jurando, per omnes Christianas animas, verum est, non revertetur. Propheta dicit: *Væ qui prophetant de cordibus suis, egressus est Spiritus a facie furoris Domini, & factus est Spiritus mendax in ore omnium prophetarum.* Hæ sunt angustiæ, hæc sunt bella, hæc incendia, hæ cædes, hæ rapinæ, quæ Corbeiensem circumvallaverunt ecclesiam. Verum hæc & cetera mala divina protectio ab ipsa procul amoveat. Sed dicite nobis de prophetis vestris, qui viderunt vobis stulta & falsa, & vos non attendistis vero prophetæ dicenti: *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas:* ea, quæ prophetant, aut vera prophetant, aut falsa vaticinantur: si vera prophetant, cur nos totiens & tam studiose revocatis, cum constet, quod vera prædictio falli vel concuti non possit? si vero de spiritu mendacii falsa loquuntur, cur vos ipsos commovetis & tam vana & tam inepta narratione sollicitatis? Revertemur certe ad vos, si Deus permiserit, & nos vixerimus. Nec enim inter vos ita conversati sumus, ut videre vos erubescamus, neque vos tales erga nos exhibuistis, quos cernere formidemus. Veniemus certe tempore & die præfixo in litteris nostris, quas per Ludovicum puerum nostrum vobis direximus. Licet Stabulensis ecclesia propter certas & impendentes & periculosas rationes, nostram ægre ferat absentiam. Si Stabulensis ecclesia nos non educasset, si nos de gregibus ovium non sustulisset, si nos de post fœtantes non accepisset, ut pasceremus Jacob, & Jacob hæreditatem Dei; si nos egenos de pulvere non suscitasset, & de stercore erexisset pauperes, ut sedeamus cum principibus, dignum tamen fraterna caritate fuit, ut si in Corbeiensi ecclesia medicus foret, in cujus domo vestimentum esset, non negaretis sorori vestræ Stabulensi ecclesiæ aliquam vestræ consolationis participationem. Ceterum nos hæc missa facimus, vos vero curate, ut in novo tabernaculo nostro mansionem venientes habeamus.

EPISTOLA LXXXVII. WIBALDI abbatis ad Henricum Romanorum regem.

De causa Everardi & Cuononis.

Amorui. GLorioso domino H. inclyto Romanorum regi, magni ac victoris CONRADI Romanorum imperatoris augusti filio W. Dei gratia id quod est in Catholica ecclesia, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Ab exitu nostro a synodo Remensi, remorati sumus in Stabulensi monasterio propter multas & varias dissensiones & pressuras, quæ sunt in terra, ac Domino cooperante nostrosque conatus confirmante, in omnibus fere locis circumjacentibus quantulamcumque pacem composuimus, versus Corbeiam in proximo transire cupientes. Nunc majestatem vestram obnixe rogamus, ut de causa pro qua ad vestram clementiam direximus, nos exaudire dignemini. In beneficiis Stabulensis monasterii hæreditant feminæ, ubi masculi non supersunt. Quidam VVidricus noster ministerialis cum haberet unicam filiam, defunctus est, cujus possessiones filius sororis ipsius Cuono occupavit. Postea quidam Everardus filiam præfatam prædicti VVidrici duxit uxorem, & secundum morem tertæ omne beneficium quod puellæ a patre competebat a nobis accepit. Verum prænominatus Cuono eumdem Everardum de possessione expulit: pro qua re a nobis legitime vocatus, & super hoc in causam ductus, cum ab eodem E. impeteretur, quod eum beneficio suo per violentiam spoliasset, respondit Cuono prætaxatam villam suum allodium esse, & ad sese jure proprietario pertinere, & quod avunculus suus pater puellæ quæ nupserat, ipsam novam villam non in beneficio, sed in proprio allodio tenuerat, sibique dimidiam

diam partem pro dote matris suæ in hæreditatem dederat. Econtra E. asserebat sæpe dictam Novam-villam ab avo uxoris suæ Stabulensi ecclesiæ, in jus proprietatis pro censu quatuor denariorum fuisse contraditam, & tam ab ipso quam a ceteris successoribus ejus in beneficio de manu abbatis esse susceptam, quod & nos verum fatebamur, & per legalia instrumenta secundum indubitati juris rationem, hoc probare parati eramus. Uterque Cuono videlicet & E. super allegatione proposita idoneam probationem offerebat, & judicialem sententiam super hoc proferri postulabat. Interrogati cum admiratione debita ministeriales nostri adjudicaverunt E. probationem incumbere, qui titulum legalis beneficii suo litigatori opposuerat, miscentes nimirum æquitatem cum jure, & veritatem cum judicio. Primus in dicenda judicii sententia fuit Franco lator præsentium, ceteris in idipsum consentientibus, & concorditer idipsum profitentibus. E contrario respondit C. Franconem fuisse mentitum, & tam ipsum quam alios falsum dixisse judicium. Erant autem numero XXI. Super hoc vestræ majestatis præsentiam appellavit. Nos audito cæsaris nomine & appellantis voce, nullam nobis reputantes factam injuriam procedere in actione cessavimus. Bene de culmine regiæ majestatis confidentes, quod si uterque ad vestram curiam venerit, juxta legalium institutionum normam vel absolutionem vel condemnationem debitam accipiet. Sin autem appellator venire neglexerit, non eum vestra censura impunitum relinquet, nec de frustratoria provocatione lucrabitur dilationem pœnæ, ut omnes subditi vestri timeant vos, videntes sapientiam Dei esse in vobis ad faciendum judicium. Quicquid veto super hoc vestra curia judicaverit, nobis & domino H. Leodiensi episcopo, & H. comiti Namurcensi, & H. comiti de Rupe advocato Stabulensi per vestras litteras significare dignemini.

EPISTOLA LXXXVIII. HENRICI regis Romanorum ad VVibaldum abbatem Stabulensem.

Confirmat Franconis sententiam in gratiam Everardi prolatam.

Anno 1148. HENRICUS Dei gratia Romanorum rex, venerabili Corbeiensi & Stabulensi abbati gratiam suam & omne bonum.

Causam quam ad nos industria tua scriptam transmiserat, diligenter inspeximus & examinavimus, & tam consilio quam judicio curiæ nostræ & præcipue ministerialium nostrorum sententiam judicii quam Franco protulit ratam esse censuimus, & tam ipsum Franconem, quam eos qui ipsum secuti sunt recte judicasse auctoritate regia confirmavimus. Ea propter condemnamus tibi Cuononem ministerialem tuum in decem libris denariorum probatæ monetæ, & singulis quibuscumque comparibus & comministerialibus suis in tribus libris de banno regio, non solum pro frustratoria appellatione, sed etiam pro petulantiori convitio, quo ipsorum opinionem laceravit. Tu ergo de nostra gratia & protectione confisus dilige justitiam, & judicium a nobis confirmatum effectui mancipare non differas, atque ut Everardus quiete possideat modis omnibus efficere satagas.

EPISTOLA LXXXIX. HENRICI regis Romanorum ad VVibaldum abbatem.

Gratias agit VVibaldo propter servitium sibi & patri suo exhibitum, optans illius præsentiam in aliis agendis.

HENRICUS Dei gratia Romanorum rex VIBALDO venerabili Corbeiensi abbati, gratiæ & dilectionis suæ plenitudinem. Anno 1148.

Gratiarum actiones tuæ discretioni referimus, qui fidelitatis & dilectionis constantiam quam domino & patri nostro deferre consuevisti, post discessum ejus memor qua familiaritate dilectionis ei junctus fueris etiam nobis ad nostri honoris incrementum tum apud regni principes, tum apud dominum papam devotissime exhibuisti, unde nimirum voluntati tuæ obsequi deinceps erimus parati. Verumtamen quia communicato principum consilio, in nativitate S. Mariæ *Frankenevort* curiam celebrare statuimus, rogamus dilectionem tuam, ut eidem curiæ interesse non renuas, & ad informandum regni statum, & pacem firmandam consilio & auxilio nobis assistas. Et quoniam omnia negotia nostra tam privata quam publica per te ordinari desideramus, & ut in eadem curia nos & negotia nostra manuteneas expetimus, calendis Septembris in *Nurembercb* nobis occurras, volumus. Cetera nuntius, de statu vero domini & patris nostri sicut in litteris suis nobis mandavit scribere curamus.

EPISTOLA XC. CAPITULI Leodiensis ad VVibaldum abbatem.

In rebus arduis ipsius petit consilium.

DOmno VVIBALDO Dei gratia dilectissimo ac reverendissimo Stabulensi abbati, humilis sanctæ Mariæ sanctique Lamberti conventus salutem & dulcissimæ matris suæ debitam compassionem. Anno 1149.

Paucis prudentiæ & discretioni vestræ præsenti scripto loquemur. Paucis quidem vocum quantitate, sed multis & magnis significatione. Novum immo vipereum quiddam diu apud nos ex adipe iniquitatis & radice elationis conceptum, nunc oriri nititur, tempus sibi putans occurrisse opportunum. Opportunum quidem erit, si non sit qui resistat, qui adjuvet, quod absit. Super quo pia & semper in bonum omnibus omnia facta mater Leodiensis ecclesia speciale consilium vestrum non solum jure communi requirit, sed exigit quodam quasi speciali debito dilectionis fiduciæ & familiaritatis. Unanimiter ergo rogamus vos, quatenus tertia feria proximæ imminentis hebdomadæ Leodio capitulo nostro interesse dignemini. Valete.

EPISTOLA XCI. VVIBALDI abbatis ad capitulum Leodiense.

Excusat se quod eorum interesse capitulo non possit, scriptoque significat, quæ præsens, si licuisset, consuluisset.

Anno 1148. REverendissimis in Christo patribus & dominis ac venerabili majoris ecclesiæ præposito, necnon archidiaconis, atque H. decano, & omnibus ecclesiæ S. Mariæ sanctique Lamberti canonicis, frater VVIBALDUS Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus spiritu consilii & fortitudinis abundare.

Quod juxta vocationem vestram ad collegium vestrum non venimus, gravis nos occupatio detinuit, videlicet propter reformandam pacem inter homines terræ nostræ, quorum discordia multiplicibus & maximis detrimentis nostram ecclesiam, ut vobis bene notum est, jam diu conquassavit. Verumtamen etsi corpore absentes, venimus tamen spiritu, venimus mente tamquam devoti & obedientes filii matris nostræ Leodiensis ecclesiæ, Dei omnipotentiam exorantes, ut ipse conterat sathanam sub pedibus vestris, & liberet vos ab importunis & malis hominibus, qui superfluis & vanis novitatibus primatum & gloriam suæ matris scindere & evertere nituntur. Hæc sunt genimina viperarum; quæ matrem extinguunt, dum eas ad vitam producit, quæ reddunt malum pro bono; populus, inquam, qui incrassatus recalcitravit, & per nimiam ingratitudinem oblitus est benefactoris sui. Siquidem cathedralis ecclesia, in qua vos & priores & canonici estis, ceteras in urbe præposituras ad suæ dignitatis augmentum, ad suæ magnitudinis ornamentum, tamquam speciosa luminaria extruxit, & amplificavit, ac de propriis bonis episcopii prima fundamenta jecit, ac deinceps provehendo canonica stipendia & cultum ecclesiasticum ordinavit, ut videlicet clerus Deo serviens & merito & numero in suis conventibus augeretur, atque iidem fuere rectores qui conditores usque ad nostra infelicia tempora, in quibus jam venit discessio, ut reveletur ille filius perditionis qui extollitur super omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur. Discessit quippe omnis homo ab homine, ita ut vix duo consentiant de omni re, atque adeo Deus pater non exaudit nos orantes: discessit, inquam, homo ab homine, quoniam discessit a caritate, discessit ab obedientia, discessit a pudore, discessit a reverentia, & sunt homines seipsos amantes, coacervantes magistros prurientes auribus, verumtamen nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. Ascendite ex adverso, opponite murum pro domo Israel. Eruditio vestra reducat ad memoriam quanta sit Esau ignominia cauteriatus, pro eo quod primogenita sua vendidit pro ventris ingluvie & lentis edulio. Dominus in propheta dicit: *Ego gloriam meam alteri non dabo.* Si, inquit, sum Dominus; ubi timor meus? Si pater, ubi honor meus? Si opponitur vobis sanctissimum atque gravissimum nomen electionis, quæ quidem sacrorum canonum auctoritate constituta est ad pacem ecclesiæ & unanimitatem continendam; verum de hoc bono principio ex hominum abusione mala multa progressa sunt: ita ut electionis licentia usque ad cellarii & coquinæ claves & villicationes ordinandas extendatur. Pontificis Romani; archiepiscoporum, episcoporum electiones sacra decretorum auctoritas demonstat. Monachi sanctæ regulæ scriptura docentur, qualiter & qualem eligere debeant abbatem, œconomorum & eorum qui nullam in regimine suscipiunt curam animarum electio quo sit authenticæ scripturæ informata judicio, necdum addicere potuimus. B. Benedictus cum de ordinandis decanis atque præpositis præceptum daret, ad postremum, videat, inquit, abbas in quem securus partiatur onera sua, ei videlicet summam consilii attribuens, cui imminet reddendæ rationis periculum. Et hæc quidem & alia hujusmodi pro nostro captu atque facultate. Si venerabili vestro conventui adesse licuisset, prolixius atque instantius diceremus, supplicando fratribus nostris, quatenus aperto mentis intuitu, diligenter inspicerent, quod fere non est domus, in qua non sit mortuus, darentque operam plus ad reformationem religionis, quam ad suscitandam materiam contentionis, & non transgredientes terminos, quos posuerunt eis patres sui, tales in locum provisionis suæ adoptarent personas, quæ & merito vitæ suæ, & loci sui sublimitate majoribus suffragiis juvarentur, & de cetero Deus pacis & dilectionis sit semper cum omnibus vobis.

EPISTOLA XCII. VVIBALDI abbatis ad Henricum Leodienſem epiſcopum.

De vi illata in homines Stabulenſis monaſterii a Theoderico de Salcevivo.

Anno 1148. REverendo patri ſuo & domino H. venerabili ſanctæ Leodienſis eccleſiæ epiſcopo, frater VIBALDUS Dei gratia Stabulenſis eccleſiæ ſervus, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Theodericus de Salcevivo miniſterialis veſter de Bullione venit in terram Stabulenſis eccleſiæ, ad villam nomine *Daverdeus*, atque ibi prædatus eſt non pauca animalia. Orto clamore in terra, ſecuti ſunt homines noſtri tam de *VVellin*, quam de aliis locis, ut ea, quæ nobis fuerant ablata reciperent, & longius prædatores perſecuti ſunt. Illi congregata de caſtello veſtro & de terra majore multitudine, invaſerant noſtros, & captis ſeptem viris, duodecim ex hominibus eccleſiæ noſtræ occiderunt, & multos crudeliſſime vulnerarunt. Audivimus vero, quod eccleſiam noſtram in *VVellin* velitis interdicere pro eo, quod interfecti illi in cæmiterio ejuſdem eccleſiæ ſepulti ſunt, quod nos credere nequaquam potuimus. Novit enim diſcretio veſtra, quod etiam jure gentium licet vi vim repellere, & quod ſuper terram homines ſint excommunicandi, dicente ſcriptura, quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo. Sicut itaque juxta auctoritatem Leonis & Gelaſii, quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare poſſumus, ſic econverſo, quos eccleſia vivos non devitavit, mortuos abjicere non debet. Dignetur itaque veſtra prudentia providere, ne ad grave malum atque damnum, quod per injuriam accepimus, aliquod gravamen per inimicorum noſtrorum delationem ſuſtineamus. De Theoderico vero de Turri tam frequentem & tam importunam & tam longam querimoniam ſine fructu fecimus, etiam eccleſiam noſtram pudet, nos vero tædet.

EPISTOLA XCIII. HENRICI regis Romanorum ad VVibaldum abbatem.

Ut ſibi VVinisberch occurrat.

Anno 1148. HENRICUS Dei gratia Romanorum rex VVIBALDO abbati Corbeienſi & Stabulenſi intimæ dilectionis ſuæ plenitudinem.

Diſcordia, quæ nuper in Suevia ſuborta eſt, a propoſito noſtro in parte nos declinare compellit. Cum enim *Nuremberch* moram facere propoſuerimus, ad componendos tumultus Suevorum divertere compellimur. Unde dilectionem tuam quamintime rogamus, ut eodem termino quem *Nuremberch* tibi præfiximus, *VVinisberch* nobis occurrere non graveris. Quod ſi fieri non poteſt, omni occaſione poſtpoſita, curiam *Frankenevort* indictam nobiſcum celebres. Cætera nuntius.

EPISTOLA XCIV. FULDENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Deſignato tempore ipſi occurrere promittunt.

WIBALDO venerabili Corbeienſis eccleſiæ abbati congregatio Fuldenſis devotum munus orationis & dilectionis. Anno 1148.

Licet mille preſſuris & incommodis in articulo hujus temporis ſimus conquaſſati, litterarum tamen veſtrarum viſitatione plurimum ſumus conſolati, unde ex integro cordis affectu gratias agimus vobis. Tempore enim litteris veſtris nobis deſignato libenti animo vobis occurrere ſumus parati, & a Deo vobis tradita prudentia conſilium & auxilium quærendo nobis ſubvenire non dedignemini; nos etenim quæque paterna de ſinceritate veſtra ſperamus.

EPISTOLA XCV. BERNARDI epiſcopi Patherbornenſis ad VVibaldum abbatem.

Orat ut Corbeiam revertendo apud ipſum declinet colloquium ſecum habiturus.

B. divina providentia Patherburnenſium proviſor humilis, dilecto in Chriſto fratri VVIBALDO Corbeienſi abbati, orando, ſerviendo quidquid devotius, quidquid poteſt fidelius: Anno 1148.

Reditum veſtrum ad nos gratanti animo ſuſcipimus, quippe cujus abſentiam tam diutinam propter plurima nobis negotia communia ſatis ægre tulimus. Rogamus itaque & iterum rogamus, quatinus nulla interveniente occaſione, hoſpitalitatis cauſa ad nos declinetis, omnibuſque, quæ in domo noſtra ſunt, non tantum ad neceſſitatem, verum etiam ad voluntatem tamquam propriis utamini. Habeamus etiam libertatem de ſingulis colloquendi præſentes, quorum plurima nec meminiſſe nec loqui poſſumus abſentes. Huic petitioni ſi contradixeritis, de veſtra amicitia nos diffidere cogetis.

EPISTOLA XCVI. VVIBALDI ad Guidonem cardinalem.

Commendat ei abbatem Brunvillarensem.

Anno 1148. REverendo patri & domino GUIDONI sanctæ Romanæ ecclesiæ venerabili cardinali diacono, apostolicæ sedis cancellario, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, devotas orationes & seipsum.

Divinæ largitatis similitudinem gerit hoc, quod in nobis vestra exhibere non cessat clementia. Siquidem nullis nostris extantibus meritis, tanta in nos beneficiorum vestrorum abundat liberalitas, ut non immerito cum admirationis magnitudine protestari cogamur: *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sub tanta itaque indefessæ pietatis vestræ fiducia nostræ parvitati confidentia crescit, ut etiam pro amicis nostris intercedere præsumamus, cum nobis posset sufficere & arduum reputari, quod vestræ dilectionis dulcedinem aliqua ex parte degustamus. Commendamus igitur vobis virum venerabilem abbatem (*a*) Brunvilerensem, qui sicut certum est, infirmitate corporali detentus ad synodum Rhemensem venire non potuit, & sicut ab ipso plenius audietis, de hoc, quod sibi ab æmulis impositum est, omnem in modum innocens fuit. Vos igitur pro nostræ petitionis intuitu ipsius & pater & patronus eritis.

EPISTOLA XCVII. CAPITULI S. Liborii ad VVibaldum abbatem.

Conqueruntur de Folquini vexationibus, orantque ut episcopum conveniens, hortetur ipsum ut sibi subveniat.

Anno 1148. DOmno VVIBALDO omni veneratione dignissimo sanctæ Corbeiensis ecclesiæ abbati VV. præpositus, A. decanus, reliquusque (*b*) sancti Liborii pusillus grex, orationis & servitutis suæ fidelem exhibitionem.

Quia post dominum nostrum episcopum in episcopatu nostro primum vos divina promovit ordinatio, idcirco in angustiis nostris ad vos confugimus potissimum, sperantes a vestra prudentia nostris malis adhiberi medelam & consilium. Dominus Folquinus gravis hospes pauperibus nostris colonis frequenter incumbens, pecuniamque ab ipsis assidue sed modo insolentius extorquens, tantum eos attenuavit, ut non a modo debita sua nequeant persolvere, sed & malint ubivis gentium mendicare, quam tantis pressuris deinceps subjacere. Ego quoque VV. præpositus, cum sim præter præposituram satis ecclesiæ auctus beneficiis, de meo annuos præbendæ supplendo defectus plusquam tribus mensibus, adeo rebus sum imminutus, ut nec fratribus a modo servire, nec propriis valeam necessitatibus subvenire. Unde cum primum video faciem domini mei episcopi, tam honore quam nomine præpositi cupio carere & exui. Nam quantum ego inopiæ pauperum parcendo indulgeo, tantum præfatus dominus Fulcuinus diversis exactionibus instat atterendo. Unanimi igitur affectu pietati vestræ, sancte pater, valido clamore supplicamus, quatenus dominum nostrum episcopum conveniatis, & sicut scitis & de vobis confidimus, commoneatis, ut ecclesiæ suæ in extremo laboranti subveniat, ne & nos necessario, sine quo militare nequimus, privemur subsidio, & domus Dei, deficientibus vel dispersis ministris, divino careat servitio.

EPISTOLA XCVIII. VVIBALDI abbatis ad canonicos Patherbornenses.

Respondet ad præcedentem.

Aprilis. REverendis in Christo patribus & dominis suis VV. venerabili Patherburnensis ecclesiæ majori præposito, & ceteris ejusdem ecclesiæ canonicis, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, magni consilii angelum.

Litteras universitatis vestræ accepimus plenas anxii doloris, plenas sollicitæ mœstitiæ, plenas gravis querelæ, ex eo videlicet, quod, sicut scripsistis, familia ecclesiæ vestræ indebitis exactionibus affligitur, & tam ad Deum quam ad vos clamare compellitur, quatenus eis auxiliatorem & protectorem provideatis. Magna utique calamitas, intolerabilis miseria, carere in obsequiis divinis necessario & constituto stipendio, & tacite pati, ut familia ecclesiæ opprimatur. Sed vestra constantia diligenti consideratione præcavebit, ne in illud propheticæ exprobrationis elogium incidatis, quo dicitur, *canes muti non valentes latrare*: item *non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, nec stetistis in prælio in die Domini.* Et nos quidem filiali & fraterno affectu vestris angustiis compatientes, omne incommodum vestrum domino & patri nostro episcopo suggessimus, supplicantes & hortantes eum, ut quoniam divina largitas multa in eo pretiosa mu-

(*a*) Brunvillarense monasterium ordinis S. Benedicti celeberrimum, duabus a Colonia Agrippina distitum leucis, cujus fundationis confirmationem aliaque acta non spernenda retulimus tom. 1.

(*b*) Id est ecclesiæ cathedralis Patherbornensis, quæ S. Liborium episcopum Cenomanensem agnoscit patronum.

nera contulit, quæ ad defensionem & decorem domus Dei possunt proficere, tota animi intentione ad repellendam hanc injuriam & protegendam ecclesiam suam assurgeret, non defuturo ei nostræ parvitatis consilio & auxilio. Vobis quoque & toti sanctæ matri nostræ Patherburnensi ecclesiæ nostram facultatem, quantulacumque est, ingenii & rerum fideliter & devote offerimus in hac tribulatione & in omni, quæ vexare tentaverit, vobiscum participanda. Cæterum, pater & dominus noster episcopus ad suggestionem nostram benigne & clementer respondit, & plurimum vestris calamitatibus ex animo condoluit, promittens se totum & suas res pro vestra liberatione & pauperum vestrorum, si opus fuerit, positurum, & ex vestro potissimum consilio rem omnem tractaturum.

EPISTOLA XCIX. HENRICI Romanorum regis ad Eugenium papam III.

Archiepiscopum Moguntinum excusat, quod concilio Rhemensi non interfuerit, eumque ad pontificem proficiscentem commendat.

Anno 1148. Dilectissimo in Christo patri EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, HENRICUS Dei gratia junior Romanorum rex, filius magni CUNRADI inclyti triumphatoris Romanorum regis & semper augusti, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Carissimus pater noster Catholicæ fidei cultor a nobis & a regno suo discedens, nobis hæc suprema & memoriæ arctius impressa mandata dedit, ut personam vestram summo dilectionis affectu amplecteremur, ut sacro-sanctam matrem nostram Romanam ecclesiam præcipua diligentia coleremus, & res ipsius tueri ac defensare, ubicumque se opportunitas offerret, non negligeremus. Quæ piissima religiosi genitoris nostri monita non surda aure, nec pigra cordis intentione suscipientes, ad effectum ea perducere sollicita devotione curavimus, sic de cetero intenti, ut crescente in nobis per divinam indulgentiam ætate & sapientia, cuncta in melius augere & complere studeamus. Morem regni nobis a Deo collati vestram prudentiam ignorare non credimus, in eo videlicet, quod Monguntinus archiepiscopus ex antiquo suæ ecclesiæ & dignitatis privilegio, sub absentia principis custos regni & procurator esse dinoscitur, quæ priscorum instituta regum gloriosus genitor noster, ut in ceteris secutus, nostram ætatem & regni gubernationem reverendo patri nostro HENRICO Moguntino archiepiscopo, omnium principum favente conniventia, magna cum attentione commisit. Quantum vero ejusdem venerabilis archiepiscopi absentia toti regno & personæ nostræ incommoda sit, optime novit intelligentia vestra, cui mores Galliæ Belgicæ, quæ sceptris nostris ex majori parte subdita est, & totius Germaniæ ignoti non sunt. Inde factum est, ut tempore synodi vestræ, quam in Rhemensi civitate divina favente clementia ad totius sanctæ ecclesiæ incrementum celebrastis, ad vestræ sanctitatis præsentiam venire idem archiepiscopus non posset, quoniam alterius regni fines tutus ingredi non potuit, & nostras res, quæ quanto sunt per Dei misericordiam majores, tanto sunt ad regendum difficiliores, relinquere, nobis cum consilio multorum principum renitentibus, salva fide & honestate sua, non valuit. Verum, quoniam frequenti vocatione vestra commonitus, ad vestræ celsitudinis præsentiam transire nunc festinabat, nos in præterita nativitate beatæ Mariæ curiam Deo auctore in oppido *Franckenevort* celebravimus, ubi congregata principum nostrorum frequentia, tam de ipsius archiepiscopi absentia, quam de securo ad vos transitu sub prolixa deliberationis mora tractavimus. Eum itaque ad vestræ sublimitatis præsentiam contra nostram & totius regni utilitatem inpræsentiarum proficiscentem, filiali & affectuosa commendatione prosequimur, orantes intime pissimam & in bonis expertam nobis paternitatem vestram, quatenus cum benigne suscipiatis & honeste petitionis nostræ intuitu habitum, ad nos cum gaudio ipsum vestra benedictionis gratia communitum in brevi remittatis.

EPISTOLA C. VVIBALDI abbatis ad G. aurificem.

Ut quæ illi facienda commisit, operibus instanter incumbat.

Anno 1148. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica dilecto filio suo G. aurifici salutem & benedictionem.

Solent homines artis tuæ frequentius non observare promissa, dum plura ad operandum recipiunt, quam perficere possint. Radix malorum omnium cupiditas. Sed tuum nobile ingenium, tuæ claræres & illustres manus omnem falsæ sponsionis notam effugient. Artem tuam fides commender, opus tuum veritas comitetur, sponsio tua effectum obtineat, promissio tua tempori respondeat. Et hæc de promissi tui obligatione admonenda putavimus, quoniam de dolo & falsitate nulla suspicio est in tam elegantis ingenii domicilio. Quorsum hæc? videlicet ut operibus nostris, quæ tibi facienda injunximus, studiose insistas, nec aliqua in-

terim assumas, quæ perfectionem nostrorum invideant. Scis nos esse currentis & celeris desiderii, & id quod volumus, statim volumus. Seneca de beneficiis: *Bis dat qui cito dat.* Posthac tibi prolixius scribere intendimus de cura & provisione domus tuæ, de regimine & ordinatione familiæ tuæ, de observatione & disciplina uxoris tuæ. Valete.

EPISTOLA CI. G. AURIFICIS ad VVibaldum abbatem.

Respondet ad præcedentem.

Anno 1148. DOmno VVIBALDO Dei gratia Stabulensium & Corbeiensium abbati suus G. salutem & debitum servitium.

Monita tua ex benevolentia & sapientiæ thesauro prolata tum jocunde tum disciplinate suscepi, quæ nimirum acceptabilia tam rerum utilis gravitas, quam mittentis fecit auctoritas. Igitur memoriæ mandavi & quasi sub fera reposui artem meam fide commendare, opus meum prosequi veritate, sponsionibus meis effectum adhibere. Atqui non semper est in promittente promissa complere: plerumque enim in causa estis, cui promittitur, cum per eum evacuatur vel differtur promissio. Igitur, si, ut dicis, currentis es desiderii, & quod vis statim vis, accelera ut ego in opere tuo curram. Nam curro & curram, nisi moram necessitas afferat. Marsupia enim nostra exhausta sunt, nemo eorum, quibus inservivi, intulit quidquam. Is etiam de quo pollicitus es mihi luminaria uxori meæ daturum, pene tenebras ingessit, dum expectatione beneficii beneficium suspendit. Igitur quia humana necessitas post exinanitionem gaudet repletione, consule necessitati, adhibe remedium, da cito ut bis des, & me fidum, constantem, postremo devotum tuo operi reperies, valete. Considera tecum, quantum temporis sit a capite maij usque ad festum sanctæ Margaretæ, & eo tunc usque ad festum sancti Lamberti. Sapienti sat dictum est.

Venit ad nos Corbeiam frater vester Othvvinus, nulla nobis perferens communium litterarum indicia, obnixe tamen universitatis vestræ petens alloquio, ut ad XII. Kal. Novembris Fuldam ad vos veniremus, interfuturi collegio vestro, ubi de electione futuri abbatis tractare Deo auctore instituistis. Nos itaque, fratres carissimi, licet animo essemus promtissimi ea exequi, quæ vestris jussionibus & communi utilitati essent accommoda, tamen magnis ac multiplicibus nostri monasterii detenti occupationibus, transire ad vos nequaquam potuimus, sed pro vobis ad divinam clementiam vota fundentes, nostri cœnobii præpositum causa visitationis & consolationis ad vestrum conventum direximus. Quidquid vero nostra parvitas præsens excellentiæ vestræ in hac causa posset suggerere, brevi sermone absentes explicamus: ut videlicet remotis partium studiis, omnes in concordiam unanimem Spiritu-sancto redeatis, omnes in Christo idipsum sapiatis, omnes non necessitate, sed etiam voluntate jussionibus domini papæ cum omni obedientia obtemperetis. Durum est contra stimulum calcitrare, non est qui se abscondat a calore ejus. Summus pontifex est, & præterea vester specialis. Fuldense monasterium beati Petri ac sanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ singularis possessio est. Domestica vos exempla sufficienter erudire possunt, quoniam concordia res parvæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur. Dum in monasterio vestro pax & religio vigeret, Deo propitio res humanas moderante, crevit in immensum dignitas vestra & possessio vestra. Quid vero tunc contumeliam & egestatem ac ruinam operetur, ex meliorum collatione veraciter intelligentia vestra poterit colligere. Deponite nunc odia, rejicite contentiones, Deum præ oculis habete. Siquidem maledictus homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum. Estote filii pacis & viri consilii, memores verborum sancti Leonis papæ: *difficile est*, inquit, *ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Valete, & in hac tam difficili causa Sancti Spiritus adsit vobis gratia.

EPISTOLA CII. VVIBALDI abbatis ad Fuldenses monachos.

Excusat se quominus Fuldam proficiscatur, interim salutaria eis dat monita pro futura abbatis electione.

Anno 1148. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, reverendis in Christo patribus & fratribus suis B. venerabili decano, T. præposito, & ceteris Fuldensis ecclesiæ prioribus ac filiis, magni consilii angelum.

EPISTOLA CIII. STABULENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Consilium petunt super quibusdam negotiis temporalibus.

Anno 1148. REverendo in Christo patri & domino VVIBALDO Stabulensis ecclesiæ venerabili abbati, humilis ejusdem ecclesiæ congregatio fidelem dilectionem & debitam per omnia subjectionem.

Memores, pater amantissime, piæ benignitatis vestræ, qua assidue jucundamur,

& præ oculis quotidie habentes paternæ A sollicitudinis vestræ certos fructus, & semper valitura monimenta, quod solum possumus, calicem salutis accipiendo & nomen Dòmini invocando, pro vestra incolumitate vestrisque successibus jugiter Dei misericordiam supplices exoramus. Inde est, quod paternitatis vestræ præsentiam continue desideramus, inde est, quod absentem semper diligimus & veneramur, timemus & amplectimur. Salutantes itaque etiam nunc unanimiter dulcedinis vestræ ubertatem, ad unicum protectionis vestræ refugium confugimus, significantes vòbis, B quod dilecta nobis conjux quondam Anselmi Villici in articulo mortis constituta, ceteris rebus suis ordinatis, Fornagia, quæ ex vestro beneficio in villa nostra Stabulaus tenebat, in manibus ecclesiæ pro remedio animæ suæ & salute piæ memoriæ Anselmi Villici contulit, ita videlicet, ut si vestris patrociniis fulti donatione sua frui possimus, rata quidem haberetur; sin autem, pro decem libris denariorum in pignore constitutum suum teneremus. Nos itaque dum adhuc eadem vivit matrona, consilii vestri solitam clementiam super hoc pie invocamus, genibusque vestris humiliter provo- C luti inrime petimus, ut vestris adjutoriis & defensionibus non fraudetur ecclesia a desiderio, quod tanto tempore desideraverat. Nam soror ejusdem Odiliæ Margarita, & vir ejus Anselmus atque Villicus Malmundarienſis multis minis ad hoc, ut donationem vice vestra susceptam rejiciamus nos deterrere conantur; modo filio VValteri *de Rulant* idem beneficium se daturos promittentes, modo à domino Lamberto Villico vestro *de Baldou* decem libras denariorum pro ipso beneficio se accepturos minitantes. Super his itaque omnibus consilii vestri opportunitatem per dignationis vestræ rescripta imploramus, quibus si fruimur, minas occursantium nobis parvipendimus. Ceterum si huc usque in aliquibus defectibus constituti fuimus, deinceps per Dei misericordiam meliora speramus. Paternitatem vestram semper nobis utilem Deus & incolumem custodiat.

subministrat, ut vestræ universitati scribere immo vero tamquam cum præsentibus colloqui, & affectum depromere valeamus, & ea nobis materia illustrior est & acceptior, quo detersо animi nostri angore, serenum quiddam atque tranquillum menti nostræ copiosius infundit, quod utique uberiore gratia totiens fit, quotiens statum vestrum tam in personis quam in rebus absque ullius jacturæ graviori detrimento procedere intelligimus. Consuetam circa nos animorum vestrorum sinceritatem, & quotidianis incrementis sese transcendentem benevolentiam, in litterarum vestrarum tenore accepimus, & licet tantis laudum præconiis judicemur indigni, & nostra merita circa ecclesiæ vestræ augmenta & utilitatem nequaquam recognoscere præsumamus; tamen divinæ gratiæ, cui totum quod sumus adscribimus, toto cordis affectu & vocis ministerio gratias referre non cessamus, quod mentis vestræ desiderium erga personæ nostræ, licet vilis & exiguæ, amorem abundantiùs accendit, nec ex diuturnitate fastidium, neque ex assiduitate contemtus, neque ex occasione novitas in vestrum collegium subintravit, sed propensiore caritatis vinculo & vosmetipsos invicem, & nos omnes & singuli & honorando diligitis, & diligendo honoratis: in quo sanctissimæ unitatis glutino solidius conjuncti, & adversa mundi hujus, quæ vos & vestra crebris & validissimis ictibus quatiunt, fortiter toleratis, & incommodis rerum defectibus indesinenter molestati, augere tamen & provehere domus Dei decorem non cessatis. Quod si inter vos aliquis discordiæ nævus appareret, & vos aliqua novitatum ambitiosa macula sordidaret, non dicimus crescere, sed ne stare quidem possetis. Cete- D rum quod de utilitate communi nostrum consilium & mandatum expectatis, non arbitramur factum esse ex diffidentia impetrandi, sed potius ex alacritate obediendi. Siquidem animus noster jam a longo tempore vobis est notissimus; quod promta & facili voluntate, quidquid a laicis extorquere potuimus, vestris & pauperum usibus, habito præ oculis divini respectu judicii, coaptavimus. Confidentes igitur de protectione divina & de nostræ parvitatis subsidio, possessionem illam de Fornagiis ab illa matrona Odilia sive defuncta sive adhuc vi- E vente, ad usum monasterii revocate, & maxime ad sustentationem pauperum, in quibus Christus præsentialiter recipitur & alitur. Etenim tam apud Deum major merces & copiosa retributio pro vobis exhibebitur, quam apud homines facilior excusatio, & suffragium devotius, & defensio robustior obtinebitur. Nos quod vobis cordi est; in tantum valemus, in quantum vos valere cognoscimus, & esse vobiscum omni tempore, si fieri apte posset desideraremus. Minæ ho-

EPISTOLA CIV. VVIBALDI abbatis ad suos Stabulenses.

Respondet ad præcedentem.

Anno 1148. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, Roberto venerabili decano & ceteris in Christo dilectis filiis & fratribus, qui sunt in congregatione Stabulensi, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Grata nobis valde est & jucunda ea rerum opportunitas, quæ nobis facultatem

minum venti sunt, jure gentium licet vim vi repellere. In animo vestro & in manibus vestris reposita est. Misimus vobis in majore scedula quasdam quæstiones, quæ nuper apud nos Corbeiæ exortæ fuerunt.

EPISTOLA CV. VVIBALDI abbatis ad suos Stabulenses.

Enarrat quosdam tumultus, qui in Corbeiensi monasterio contigerant, vetatque ne rebelles apud se recipiant.

Anno 1148. FRater VVIBALDUS Dei gratia quod id est in ecclesia Catholica, Roberto venerabili decano & ceteris in Christo dilectis filiis & fratribus Stabulensis cœnobii monachis, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Licet modis omnibus justum sit, ut pro filiali affectione, qua nostræ parvitati arctiore vinculo copulamini, omnia nostra vestræ conscientiæ debeant esse nuda & aperta, tamen aliquantulum erubescimus, infirmiora Corbeiensis monasterii vobis detegere, nisi quod vestra interest omnium rerum nostrarum notitiam, & nos contra obloquentium detractiones famam nostram tueri & conservare studemus. Etenim juxta S. Augustinum, *crudelis est, qui famam negligit.* Et gentilis ille doctissimus Cicero dicit, *famam esse non mediocre telum ad res gerendas.* Ob hoc etiam vestræ notitiæ ista non esse subtrahenda sumus arbitrati, quod quidam de fratribus Corbeiensibus exierunt a nobis, sed non erant ex nobis, & propter institutæ fraternitatis formulam inter Stabulenses & Corbeiense monasterium, vel apud vos licitam & tutam mansionem habere, vel per intercessionis vestræ gratiam regressum ad fratres suos, obtinere se posse existimant. Longam itaque actionis seriem compendiosa vobis narratione pandemus. Cum anniversaria dies prædecessoris nostri abbatis HENRICI a nobis Corbeiæ christiano more celebraretur, tres ex juvenibus fratribus nostris a conventu nostro & exequiis, quas defuncto abbati impendebamus, sese ex deliberatione & condicto subduxerunt. Interrogati a nobis, cur ita fecissent? responderunt se tute non posse orare pro excommunicato, cujus cadaver contra justitiam canonicam esset humatum intra ecclesiam. Quæsivimus a reliquis fratribus, omnes enim aderant, senes cum junioribus, an huic sermoni consensum præberent? negatum est ab omnibus tale & tam inauditum verbum ex sua conniventia processisse, præcipue cum idem abbas HENRICUS, quem numquam fuisse abbatem tres illi temeraria præsumtione affirmabant, nequaquam, dum adviveret, de crimine aliquo fuisset convictus vel confessus, sed ne pulsatus quidem ordine judiciario. Erant enim pernitiosi illi tres in congregatione discordes, elati, & ad omnem ordinis ruinam & claustralem disciplinam destruendam audacter promtissimi, & ex longo tempore jam propter bonum pacis, multorum reclamante consilio, longanimiter a nobis tolerati. Conversi etiam nunc ad patientiam & paternum induentes animum, cœpimus eos manifeste & instanter admonere, ne ambularent in magnis & in mirabilibus super se, deponerent odia veternosa, quæ in æternum trahunt interitum, cessarent persequi cineres mortui hominis, desisterent scandalum facere nobis & fratribus suis. Invenimus, inquam, hic electi & vocati ac venire ex obedientia jussi, ecclesiam hanc absque ullius contradictione divina celebrantem officia, & jam per biennium, ex quo ille vita decessit, nullas a prælatis nostris accepimus litteras vel mandata, in quibus de excommunicatione personæ illius, vel de ejectione corporis ipsius contineretur. Dominus dicit in Evangelio beato Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quod solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Super terram, inquit, non sub terra, quoniam viventes, & non mortui debent excommunicari vel absolvi. Et Salomon ait: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quod Ezechiel propheta multis verbis ac sententiis explanat, ut in ipsius volumine invenietis, finem vitæ in cunctis asserens potius judicandum, quam vivendi principia. Beati Leonis papæ & B. Gelasii papæ sententia est: *Quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare possumus*: proinde nostræ parvitati consequens videtur, ut quos vivos a communione christiana non alienavimus, nec mortuos excommunicemus. Multæ paleæ sunt in area, quibus necdum accessit ventilabrum. Verum in his & hujusmodi exhortationibus, tres illi more aspidis surdæ & obturantis aures suas, non audiebant vocem incantantis, sed orabant enixius, ne ipsis violentiam inferremus; asserentes dominum illum non esse abbatem nominandum, nec in numero abbatum reputandum, pro eo quod dominum suum deposuerit, & in sede sua sederit contra canones. Etenim carissimi fratres, quod inviti loquimur, apud eosdem fratres, sicut in plerisque claustris, quæ regiæ ditioni & ordinationi subjecta sunt, nullus de regula sermo, nulla de consuetudine Casinensi vel Cluniacensi seu antiquorum monasteriorum mentio, sed canones, decreta, appellationes, concilia, jura, leges, condemnationes, taliones, argumenta, probationes, infamationes, assidue loquuntur, quotidie novos abbates, novos priores habere desiderant. Nullus præpositus, nullus cellarius placere

placere poteſt. Panis, cerviſia, pulmentum ſemper in culpa eſt; Villicationes, beneficia principum & miniſterialium ordinant. Hæc prima in capitulo dicendi initia, in his diem conſumunt, de moribus, de religione, de patientia & humilitate, de obedientia & caritate nullum umquam verbum, de veſtitu moderato, de tonſura & inceſſu prorſus extincta memoria eſt. Et cum omnia die ac nocte pervertant, tamquam cenſores & homines caſtigatiſſimi omnia primi reprehendunt, ne ipſi reprehenſibiles reprehendantur. Poſtquam in admonendo longam fruſtra operam conſumſeramus, tandem ne auctoritas capituli ludibrio haberetur, quia, inquam, medicinam non recipitis, ſed potius in amentiam converſi in medium inſanitis, jam incumbit veſtris cœptis, ut fratres veſtros aliena communione pollutos comprobetis. Nos enim innocentes erimus pro eo, quod vitium hoc in congregatione nunc primum cognovimus, vos autem non ſolum inobedientes ac rebelles, quin etiam profani & ſacrilegi apparebitis, in eo quod mortuos iniquo odio perſequimini, cum Salomon doceat, ne lætandam quidem in morte inimicorum. Quid igitur commiſit HENRICUS ille abbas, aut in quo chriſtianæ C profeſſionis propoſitum, aut canonicæ inſtitutionis tramitem exceſſit, ut excommunicationis laqueum incideret? ad hæc illi teſtabantur, quod beatæ memoriæ dominus cardinalis THOMAS apoſtolicæ ſedis legatus inſtituiſſet judicare de illo HENRICO, qui ab ipſo depoſitus aliquando Corbeienſi præfuit monaſterio, cum accuſatio eſſet ordinata, & lis coram ipſo conteſtata, cum ipſe judex præſideret, ad tuendam innocentiam ſuam ſub ſtola ſua coram omnibus excommunicavit, ne quis pro eadem cauſa pecuniam daret vel acciperet. Ceterum idem D HENRICUS, de quo agitur, poſtmodum publice confeſſus eſt, quod pro eodem negotio ſex marcas argenti, prædicto domino cardinali dediſſet. Ergo, inquam, blaſphemia veſtra grandior eſt & horribiliter, quia lingua veſtra non ſolum tranſit in terra ad eruendos cineres in pace Eccleſiæ defuncti ſacerdotis, ſed etiam poſuiſtis in cœlum os veſtrum ſanctam matrem noſtram Romanam eccleſiam in crimen hæreſis trahendo. Sciſcitato itaque fratrum noſtrorum conſilio, juſſimus eos in infirmariam ſecedere, quatinus ex majori morai deliberationis, quid agendum eſſet, providere poſſimus. Quod cum facere renuerent, interdiximus fratribus in virtute obedientiæ, ne illis præſentibus divina celebrarent officia; unde compulſi a fratribus manſionem ſibi deputatam erecta fronte introierunt. In qua domo cum obedientiam non ſervarent, ſed potius cachinnis & irriſionibus vacarent, & huc illucque vagabundi diſcurſitarent, ex ſententia priorum non eſſe bonum judicavi-

A mus ſumere panem filiorum & mittere canibus, atque ita impœnitentes immo aperte rebelles de congregatione & clauſtro non ſine dolore & lacrymis emiſimus. Ceterum, ut noverit veſtra diſcretio, cujus opinionis, cujuſve ſanctitatis eſſent hi graves & ſeveri homines, qui mortuorum meritis inquinari ſe arbitrabantur, primus eorum nomine Evernandus, a juventute ſua diſcors, & evirati geſtus atque inceſſus, tempore HENRICI junioris, qui tunc Corbeienſe monaſterium tenebat, libro uno furtim ſublato, ſacrilegium perpetravit, pro quo pœB næ addictus, ſub manu præfecti nullo pro eo intercedente, ſed tamen pleriſque propter ordinis infamiam erubeſcentibus, fugere permiſſus eſt. Quem nos omnem correctionem cum omni inſtantia promittentem pro ſuprema miſericordia, ne periret, in clauſtro recepimus. Secundus ex tribus nomine Adelbertus, en altera vice levavit calcaneum ſuum adverſus decreta & opus ſacroſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ, adhærendo illi HENRICO, quem dominus THOMAS cardinalis apoſtolicæ ſedis tunc legatus de ſimonia convictum & confeſſum depoſuerat, & ſententiæ non parentem, quin immo rebellem & rerum eccleſiaſticarum pervaſorem, judicio Sancti Spiritus excommunicaverat. Pro qua re idem Adelbertus poſtmodum publice pœnitens, & ab excommunicatione, qua maculatus erat, abſolutus a prædeceſſore noſtro, quem ipſe nunc exſepelire moliebatur, vix poſt longam humilitatis ſpeciem in communione fratrum & congregatione eſt receptus. Tertius eorum Godeſcalcus a ſuis coætaneis cellarius monaſterii contra ſeniorum conſilium, antequam regimen ipſius monaſterii ſuſcepimus, ſatis irrationabiliter inſtitutus, conſumſit ſubſtantiam male vivendo, de cujus vita & moribus tacere quam loqui honeſtius eſt. Hos tres ſi ad vos forte venerint, indignos veſtra humanitate judicabitis, nec veſtræ cum Corbeienſibus ſodalitatis conſtitutio in tantum extenditur, ut tales fovere, vel nobis ac monaſterio quondam ſuo reconciliare ullo modo conſentiatis.

EPISTOLA CVI. VVIBALDI abbatis ad H. monachum.

E *Ejus prædicat virtutes, oratque ut ſibi ſcribat.*

FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt, cariſſimo in Chriſto filio ſuo H. benedictionem. Anno 1148.

Scribimus tibi en altera vice, & ſtudium tuum excitamus, & reſponſionem ſollicitamus, & viciſſitudinem flagitamus. Verum quod nec calami nec atramenti reſponſione nunc uteris, ratio ſilentii tui nos edocere

æstimatur, quod actu & ipsa re magis loqui nobis contendis, quam articularibus & vocalibus instrumentis, juxta illud Johannis apostoli: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Si quid in domo Domini ad salutem animarum, ad refrigerium & valitudinem corporum, ædificare inchoavimus, tu perficis, imperfecta consummas, neglecta ornas, dissipata resarcis, dispersa congregas, & congregata conservas, benedictus tu filiorum a Domino, qui patrem tuum honoras, qui præceptorem tuum diligis, qui eruditorem tuum foves, nutritorem amplecteris. Legem implesti, monasterium tuum auxisti, ecclesiam Dei ornasti. Scribe tamen nobis stilo hominis cum calamo operis. Molles auriculas habent domini, divites adulatione capiuntur, sed sicut illa a sanctis tuis moribus exulat & prorsus extranea est, ita nos non eam amplectimur, sed amicorum nostrorum visitatio & scripturæ dulcis confabulatio pro patria nobis est, consolatio nobis est, munimentum nobis est. Scribe igitur, ut præteritæ cessationis veniam capias, ut laus tua numquam deficiat ob ore nostro, ut respondeamus etsi non diserte, tamen affectuose. Provocet te nostrum exemplum, incitet imitatio, accendat sollicitudo. Tantis & tam amaris occupationibus distracti animum colligimus, manu propria scribimus, & tu juvenis & expeditus cessas. Sed in opere quod tibi scribendum & etiam dictandum injunximus, volumus te intentam dare operam, ut de ingenio tuo perennem fructum capiamus, sicut in opere manuum non mediocriter gaudemus.

quia post Deum maxime in vobis confidimus, paternitatem vestram iterum atque iterum humiliter imploramus, ut ad supra dictum terminum ad nos venire non pigritemini, & nobis consulendo & auxiliando subvenire non dedignemini.

EPISTOLA CVIII. FULDENSIUM monachorum ad Corbeienses.

Ut VVibaldus abbas electioni Fuldensis abbatis velit interesse.

VEnerabilibus dominis & confratribus nostris sanctæ Corbeiensis ecclesiæ, Fuldensis congregatio sinceritatem fraternæ dilectionis in Christo. Anno 1148.

Fraternis consolationibus vestris, quæ plene lætificaverunt animas nostras, condignas grates referre nequimus, quia miseria & afflictione inebriati jam experimento didicimus, quod longe est a peccatoribus salus. Attamen si pater misericordiarum & Deus totius consolationis per divitias gloriæ suæ nos aliquando dignatur consolari, pro nimia in nos fide vestra ac devotione, memoriale vestrum apud nos per amplius & perfectius erit in benedictione. Oramus ergo beatitudinem vestram, ut dominum abbatem tempore sibi a nobis designato ad nos venire absque ulla occasione rogare curetis, quatenus ejus consilio & auxilio cor contritorum vivificetur, & spiritus mœrentium relevetur. Nos enim quæque fraterna & amicabilia de vobis speramus.

EPISTOLA CVII. FULDENSIUM monachorum ad Wibaldum abbatem.

Orant ut futuræ Fuldensis abbatis electioni velit interesse.

WIBALDO sanctæ Corbeiensis ecclesiæ religioso abbati, exigua Fuldensis congregatio, G. advocatus cum omni familia sancti Bonifacii devotissimæ servitutis & orationis obsequia. Anno 1148.

Quoniam in tribulationibus & angustiis, quæ invenerunt nos nimis, his diebus paternum affectum vestrum diversis beneficiis sumus experti, de abundantia vestræ pietatis non possumus esse incerti. Quapropter solita erga nos usus gratia, pii patris ostendite caritatem, & nobis ex merito iniquitatis nostræ tribulatis, pridie nonas Novemb. ad nos veniendo succurrere non differatis. Sumus enim parati præceptis domini papæ in eligendo abbatem obedire, ideirco vos aliosque religiosos abbates a domino papa ad eamdem electionem prædestinatos, litteris nostris vocare ratum duximus. Sed

EPISTOLA CIX. STEPHANI monachi ad VVibaldum abbatem.

Optat maxime reverti ad Stabulense monasterium, scribitque villicationem Godino imponere nequivisse.

DOmino & patri suo carissimo VVIBALDO venerabili Stabulensi & Corbeiensi abbati, frater Stephanus Dei & sua misericordia id quod est, subjectionem, dilectionis devotionem, orationum participationem, & ut breviter dictum sit, se ipsum cum suis omnibus. Anno 1148.

Litteræ humilitati meæ nuper a vestra magnitudine directæ tantam mihi vim & audaciam contulerunt, ut securius ambulem, noverimque procul dubio ex tunc res mihi prosperius cedere: pro quibus gratias vestræ celsitudini referens, hoc solum Deum omnipotentem supplex deposco, ut talem me facere dignetur, qui vestro contubernio & tam dulci exhortatione diu perfrui merear. Verum quanto fervore vestram requiram præsentiam, adventum desiderem, non

credo vestram ignorare scientiam, quippe cujus & sustentor auxilio & delector consilio. De eo autem quod mihi injunxistis, ut Godinum de *Barsiez* villicationi in Lemgum imponerem, præceptum quidem vestrum rusticis annuntiavi, sed minime obtinere potui, ut eumdem Godinum reciperent usque ad vestræ præsentiæ discussionem. Cum vero instarem, ut jussio vestra impleretur, advocatum adierunt, & sic omnia non tamen sine magno rerum nostrarum damno dilata sunt, & contentiose relicta usque ad vestram præsentiam. Quidquid tamen vel scripto vel verbo mihi mandaveritis, ego adimplere pro posse & nosse meo paratus sum. De cetero de pasnagiis pro quibus mihi scripsistis, ut exigerem & comportarem, pauca quidem sunt, sed eadem non solum devote & sollicite exigam, sed etiam fideliter congregabo. Paternitatem vestram nobis & ecclesiæ nostræ utilem multis annis incolumem Deus conservare dignetur. Amen.

EPISTOLA CX. O ABBATIS S. Remigii ad VVibaldum abbatem.

Significat ei obitum Stephani monachi Stabulensis.

Anno 1148. REverendo patri & amico VVIBALDO Dei gratia sancti Remacli venerabili abbati, & ejusdem ecclesiæ priori omniquè conventui, frater (a) O. eadem gratia beati Remigii humilis minister, sicut cedrum libani multiplicari in domo Domini.

Cum nobis sit insolitum maxime fratribus & amicis nostris aliquid sinistrum insinuare vel mandare, tamen quoniam terminos Dei nullius est terminare, mandamus fratrem Stephanum nostrum monachum & vestrum hominem exisse, quatinus ei sicut & nos obsequium persolvatis, & domui vestræ, quæ nunc caret provisore, de cetero provideatis. Depositum vero illius, quod ipso dictante supra pectus ejus scriptum est, vestris plicatum litteris vobis transmittimus. Valete.

EPISTOLA CXI. HENRICI monachi ad VVibaldum abbatem.

Gratias agit pro benevolentia, spondetque ei de sua semper servituram, &c.

Anno 1148. REverendissimo suo & domino VVIBALDO venerabili Stabulensis ecclesiæ abbati, exiguus HENRICUS, quidquid tanto & tam dilecto patri humilis debet monachus & devotus filius.

Lectis, amantissime pater, sinceritatis vestræ monitis, quibus imperitiam meam instruere; desidiam redarguere, stultitiam reprehendere dignatus estis, multò repletus sum gaudio, quippe qui nihil me esse fateor, nisi quamdiu a vestra magnitudine diligi, foveri, sustentari mereor. Quia igitur parvas immo nullas aliquando vestris multis beneficiis recompensare potero vices, in hoc saltem meam circa vestram celsitudinem experiemini benevolentiam, quod vobis, quamdiu superero, artis meæ obsequio, etsi minus celeriter, devote tamen & infatigabiliter serviam. Aliud enim in persona mea nescio, quod vestræ placeat celsitudini. De cetero juxta admonitionis vestræ diligentiam, otii vitium populi, fabulis, si quando vacavi, jam non interfum, vagationibus finem dedi. Et e contrario intendo scripturæ, chorum frequento, scholæ petitione fratrum sub magistro meo Henrico deservio, qui nuper ædificia infirmariæ mirifice consummavit. Denique hoc solum restat, quod vestra præsentia careo, qua habita, nihil mihi deesse arbitror, & ut ea cito perfruar Dei omnipotentiam exoro. Melotam tum pro vestra dilectione, tum pro sui utilitate non modicum diligo. Valeat paternitas vestra in Domino.

EPISTOLA CXII. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

De electione abbatis Fuldensis.

Anno 1148. REverendissimo patri suo & domino EUGENIO uni & universali pontifici, frater VVIBALDUS Dei gratia & vestra, id quod est in ecclesia Catholica, dilectionem ut patri, obedientiam & servitium ut Domino.

Non sumus immemores multitudinis misericordiæ, quam nostræ parvitati in synodo Rhemensi exhibere dignatus estis, & præcipue in causa Fuldensium, quam pro maxima humilitate, qua sacrum pectus vestrum Deo inspirante præditum est, consilio nobiscum communicare placuit. Et nos siquidem, sicut cum vestra celsitudine condiximus, solliciti fuimus, ne aliquis propter jussionem vestram motus fieret, usque adeo, ut cum de facienda electione Fuldensi præceptum vestrum VI. idus Aprilis Remis datum sit, Dominus noster junior rex litteras in castro *Nuremberch*, quod est in Bavaria XVII. kal. Maij acceperit. In quibus quam sollicite quam instanter eum præmunierimus ac præmonuerimus in exemplo litterarum sibi missarum, quod vestræ discretioni transcriptum direximus, animadvertere poteritis. Dulcissime pater, neminem

(a) Odo ex monacho Mauriniacensi prope Stampas factus abbas Suessionensis S. Crispini, deinde Remensis S. Remigii, qui monasterii sui expensis Carthusiam Montis-Dei erexit; animam suam Deo consignavit anno 1151.

apud veſtram cenſuram accuſare voluimus, A nec veſtram manſuetudinem ad iracundiam provocare, ſed tam veraciter quam breviter pietati veſtræ ſuggerimus, quod hi, a quibus puer rex regi debuit, huic cauſæ obſtiterint, ſummopere laborantes, ut aliquid in Fuldenſi eccleſia fieret, quod veſtram auctoritatem aliquatenus offenderet. Nos autem longe poſiti eramus, & quandoque præſentes pluribus & majoribus noſtris reniti non valebamus. Petitionibus noſtris quæ ſubter annexæ ſunt, aurem veſtram clementer accommodate, ut ſub umbra alarum veſtrarum ſecurius viventes, veſtræ magni- B tudini devotius & uberius ſervire valeamus. Pro recuperata ſanitate veſtra, Deo gratias referimus orantes, ut ipſe ad regimen eccleſiæ Catholicæ diu veſtram ſanctitatem ſervare incolumem dignetur.

EPISTOLA CXIII. VVIBALDI abbatis ad Guidonem cardinalem.

Commendat ei Bremenſem electum, & præpoſitum Hartvicum.

Anno 1148. REverendo patri ſuo & domino GUIDONI ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali diacono apoſtolicæ ſedis cancellario, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia Catholica ſeipſum.

Non absre hanc poſſeſſionem ſublimitati veſtræ offerimus, quam ita memoriter & affectuoſe tenetis, ut licet vos orbis terrarum cura ſollicitet, & reſponſa eccleſiæ Catholicæ detineant, non tamen exguitatis noſtræ ſitis immemores; quod binæ epiſtolæ ad epiſcopum (*a*) ANSELMUM a D

[*a*] vobis miſſæ ſatis patefecerunt, in quibus ſubſcriptam ſalutationem ad noſtram perſonam piæ recordationis affectu ſubjunxiſtis. Accepimus litteras veſtras, quas nobis per puerum noſtrum Ludovicum tranſmiſiſtis, plurimum ex eis gaviſi, quod dominus papa & vos nobis tamquam fideli ſervo ſuo aliquid imponere voluiſtis, in quo ſtudium ac devotio noſtra circa Romanæ eccleſiæ obſequium appareat. Cauſam Bremenſis electi, quem eidem eccleſiæ plurimum poſſe proficere non diffidimus, veſtræ clementiæ ſuppliciter commendamus. La- E tor præſentium præpoſitus Hartvicus vir prudens & litteratus, & in terra ſua ſublimiter natus, noſtræ parvitati a longo tempore notus & dilectus eſt, quem dignum credimus, ut ei gratiam veſtram cum benevolentia exhibeatis, & in ſuis petitionibus eum miſericorditer exaudiatis.

(*a*) Halvelbergenſem, uti conjicimus, cujus libros tres dialogorum habes Spicilegii tom. 13.

(*b*) Hunc Roggerium ſeu Ruggerum interfuiſſe concilio Remenſi ſcribunt Sammartani, ac divinis rebus vacaturum ſeceſſiſſe in montem Virginis; verum ex plurium VVibaldi litterarum contextu conſtat eum ab Eugenio papa III. ob proprios defectus in ordinem redactum, ipſius reſciſſa electione, nec tantum fuiſſe tunc Fuldenſium fervorem, apud quos regularis diſciplina ita defecerat, ut abbatem alieno in clauſtro quærere juſſi fuerint.

EPISTOLA CXIV. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

De actis in electione abbatis Fuldenſis.

REdditurі rationem villicationis noſtræ, Anno 1148. quam veſtra celſitudo noſtræ parvitati commiſit, opus habemus brevitate, ne mentem veſtram, quam omnium mundi eccleſiarum cura ſollicitat, prolixa relatio diutius detineat. Poſtquam diſcretio veſtra juſto Spiritus-ſancti judicio ROGGERIUM (*b*) Fuldenſis monaſterii electum ab ejuſ- [*b*] dem eccleſiæ regimine ob canonicam notam removit, fratribus præfati cœnobii per dignationis veſtræ apices præcipiendo mandaſtis, ne perſonam de ſua congregatione eligerent, ſed ad viſitandam eccleſiam ſuam reverendos fratres Eberacenſem, Everbacenſem, Heresfeldenſem abbates & nos ipſos omnium minimos ad ſeſe convocarent, quorum mediante conſilio, talem Deo auctore perſonam de alieno clauſtro ſtuderent C eligere, per quam ruina Fuldenſis monaſterii tam in religione quam in poſſeſſionibus poſſet, Domino adjuvante, fulciri. Miſiſtis etiam prædictis quatuor perſonis juſſionis veſtræ litteras, quatenus auctoritate veſtra ad Fuldenſe monaſterium accederent, & juxta præcepti veſtri formam in electione facienda conſilium præſtarent. Quas litteras nos tertia die poſt feſtum Nativitatis beatæ MARIÆ primo accepimus. Siquidem fratres Fuldenſes pro obtinendo electo ſuo, quem duobus decretis canonica ratione ſubnixis notaveratis, ad veſtram cle- D mentiam remiſerunt, ſed cum Petro petram invenerunt. Redeuntes igitur legati eorum abſque mandatis & epiſtolis veſtris, noſtram parvitatem adierunt, rogantes ut electioni eorum, quam XII. Kal. Novembris facere diſponebant, intereſſemus. Nos vero conſiderantes immutatum fuiſſe ſtatum cauſæ, & nullum de novo a veſtræ ſanctitatis celſitudine nobis manaſſe imperium, venire quidem dubitavimus, quoniam frequens rumor inſonuerat, venturum fore legatum veſtrum, qui Fuldenſe monaſterium per ſemetipſum ordinaret. Direximus tamen eis per duos fratres litteras noſtras, quarum exemplum veſtræ cenſuræ cum præſentibus mittere curavimus. Verum parvo tempore interjecto venit ad nos camerarius Fuldenſis cum altero quodam fratre, & cum literis conventus ſui tam ad nos, quam noſtrum conventum, quatenus ob reverentiam nominis veſtri Fuldam abſ-

que dilationis impedimento veniremus, futuris ibi tribus prænominatis abbatibus, & electione ad mandatum vestrum celebranda, si per absentiam *nostram non impediretur*. Allegabant præterea defectum monasterii sui in rebus vitæ necessariis, quoniam quidem omnia diripiebant, qui prætergrediuntur viam. Diu multumque dubitantes timuimus ne vel agendo vel cessando vestram paternitatem offenderemus. Sed tandem de consilio religiosorum, quos venturos audieramus, sperantes, Fuldam cum Heresfeldense abbate IX. Novemb. pervenimus. Sed cum Eberacensis & Everbacensis abbates non venissent, alter, quia mandatum vestrum super hoc, ut ipse per nuntium fatebatur, non acceperat; Eberacensis vero, quia sese apud vestram clementiam, ut postmodum per epistolam ejus cognovimus, de non veniendo excusaverat, turbati corde & inopes consilii fuimus, plurimum verentes nè imprudentia nostra vestram offensam mereremur. In hoc itaque nostri cum Heresfeldense consilii summa proposita est, firmata fuit, ut quoniam hi duo aberant, qui nobis doctiores & meliores longe exstabant, nullum in electionis actione assensum præberemus, sed suspensis atque incertis omnibus, vestra iterum jussio & legati vestri auctoritas exspectaretur. Demum vocati a fratribus capitolium ipsorum uterque intravimus, jussique verbum exhortationis ad ipsos facere, prout Spiritus-sanctus in articulo temporis dedit, de caritate, de obedientia, de humilitate sermonem habuimus. Quo terminato, majoris monasterii præpositus surgens egredi volebat ad LOTHEVVICUM comitem regionarium, & ad alios quosdam laicos, sed retentus est a nobis multum suadentibus & petentibus, ut cum fratribus suis, qui in tempore discordiæ de monasterio egressi vel ejecti fuerant, in concordiam redirent, ut si de electione agendum esset, is ab omnibus communiter eligeretur, qui omnibus præesse deberet. Dissimulabamus enim, quod causam differre vellemus, donec in ipsorum verbis vel re aliquid aptum & commodum invenire possemus, quo absque invidia & odio, infecto negotio, discederemus. Itaque nobis duobus & fratribus, qui nobiscum venerant remotis, prolixa consultatione rem in tempus traxerunt, revocatisque nobis in armarium (a) librorum, & adhibitis suorum fratrum paucis, responderunt, se cum eisdem fratribus, pro quibus intercedere volebamus reconciliari non posse, nisi ordinato prius abbate, qui eos monere & cogere auctoritatis jure posset. Et quid, inquam, laici vobiscum de instanti negotio contulerunt? nullam, inquiunt, personam obligatam & in alio monasterio ordinatam ut assumamus, hortantur. Recte, inquam, & canonice, ac de sacræ regulæ sententia vos admonent. Cum enim hujus monasterii possessio pariter & sacra domino nostro pontifici Romano pertineat, is vobis eligendus erit, cui secundum vetustam cœnobii vestri dignitatem manum imponere possit. Si enim ordinatum abbatem eligitis, optandum potius quam impetrandum vobis erit, quoniam canonico & directo electionis jure cum ipso agere non poteritis, sed multo labore ac precibus insinuandum erit, quæ vos necessitas a sanctarum tramite regularum deviare compulerit. Præterea domino papæ, quem jamdiu laborare fecistis, de vobis persuasum est a multis, quod postposito Dei timore, omnes quæ vestra sunt, quæratis, non quæ JESU CHRISTI, neque tutum vobis est, ut eum de cetero inconsiderate agentes ad iracundiam provocare non timeatis. Hæc verba nostra dominus Heresfeldensis cum maximo favore prosequebatur, materna lingua sententiam amplificans & ornans. Dum hæc aguntur, intromissus est ad nos comes GODEFRIDUS & advocatus ejusdem ecclesiæ, orans tam sua quam laicorum unanimi voce, ne adversus libertatem electionis canonicæ, pro qua parentes ipsorum sanguinem suum multis præliis fudissent, aliquid statuere vellemus; nihil actum esse quod regibus per vim electionis potestas esset ademta, quod ecclesiis in arcu & gladio laicorum libertas electionis esset asserta; si papa pro suo arbitratu ecclesias vellet ordinare, & personas in ipsis provehere, satius fuisse regiam vim quam pontificalem sustinere, modis omnibus velle & consulere, ut de ipsa Fuldensi congregatione frater aliquis ad regimen omnium assumeretur, nisi forte, quod fieri non posset, nullus in ea dignus ad præsidendum inveniretur. Nos vero cuncta hæc suavi & blando mitigare volentes alloquio, & opportunitatis locum reperire cupientes, quo ab eorum actione sub aliquo rei honestæ titulo possemus discedere, postulavimus, ut a nobis tantisper egrederentur, donec collatis omnium sententiis pari atque consono verbo respondere possemus. At illi regressi quidem mox plures numero redierunt, transacto brevissimi temporis spatio, petentes instantius, ut eis privilegia Fuldensis ecclesiæ super electione abbatum panderentur, nefas esse protestantes illa violari: sese pro dignitate monasterii stare usque ad mortem esse paratos: quæ si hoc continerent, ut de monasterio nullus eligeretur, sequendum esse ac tenendum; sin autem contra, ruinam esse & omnium interitum, si ab his aliquatenus recedatur. Hortabamur impense fratres, ne contra mandatum vestrum novum, quod urgente necessitate & poscente utilitate factum fuerat, privilegii alicujus auctos

(a) Armarium librorum in omnibus antiquis monasteriis esse solebat prope capitulum, ut fratres qui lectioni in claustro incumbebant, libros in promtu haberent.

ritatem prætenderent, ne inter eos, quorum ea minime intereſt, diſſenſionis materiam ſeminarent, ſed juxta præcepti veſtri formam ad eccleſiæ ſuæ ſalutarem proviſionem ſeſe unanimiter coaptarent, ſciturí quod ſi aliter præſumtum foret, quoniam manus Moyſi graves ſunt. Præterea jam non cum ratione honeſtatis amplius diſſimulandum eſſe judicantes reſpondimus illis aſſertoribus libertatis, nihil a veſtra ſublimitate factum eſſe in hac cauſa violentum, nihil inſolitum, nihil contra juſtitiam & libertatem univerſalis eccleſiæ, nihil contra privilegia & dignitatem Fuldenſis monaſterii. Quia, inquam, quod à domino papa prohibitum eſt, ne de Fuldenſi congregatione in præſenti articulo ad regimen aliquis aſſumeretur, de ſacro fonte regulæ ſancti Benedicti manavit, quæ præcipit, ut ſi concors in malis congregatio perſonam vitiis ſuis conſentientem eligere voluerit, epiſcopus ad cujus dioceſim locus pertinere videtur, non ſinat pravorum prævalere conſenſum. Electio vero veſtra, quæ proxime auctoritate apoſtolica fuit caſſata, qualis fuerit, dominum noſtrum papam, qui veſter ſpecialis dominus eſt & epiſcopus, tota regione clamante, & ipſo electo annuntiante, non latuit. Ipſe vero electus veſter qualis foret in longum futurus, in principiis ſuis, quæ valde nociva fuere, patenter edocuit, qui conſilio advocati & laicorum ad diſpergendum non ad recolligendum utebatur: & ſacri canones loquuntur, quod privilegium meretur amittere, qui privilegii abutitur libertate. Non igitur veſtra libertas ſubverſa eſt ſed correcta; quia nec eſſe poteſt honor legitimus, qui fuerit de prævaricatione collatus. Prohibitio hæc tamquam medicina contra vehementem morbum ad tempus indulta eſt, non valitura diutius, niſi quamdiu neceſſitas duraverit. Licuit ſemperque licebit Romano pontifici, pro rerum qualitate & temporum varietate, rigorem canonum intendere & remittere, & nova remedia novis morbis adhibere. Porro quod ad electionis veſtræ ſinceritatem procurandam viſitatores a ſede apoſtolica tranſmiſſi ſunt, veneranda ſacrorum canonum auctoritas canonicum eſſe plurimis ſcripturæ paginis demonſtrat: nec abhorrere vel aſpernari debuiſtis duos illos abbates, viros utique religioſos & ſapientes, quibus viſitandi cura, & præcipua conſulendi facultas eſt attributa, ſine quorum præſentia & nutu nos duo nec conſilium nec conſenſum præbere poſſumus. Quod vero ſacro-ſanctum & dulcem libertatis titulum tanto pondere opponitis, pace omnium dictum ſit, velamen potius eſt malitiæ, quam aſſertio juſtitiæ: quoniam alius caſtellum in faucibus monaſterii ædificat, alius penſiones, quæ monaſterio inferri ſolent, uſurpat, alius incendiis vaſtat, alius prædis & A & rapinis infeſtat. Fratres in clauſtro inediam, ſitim, nuditatem patiuntur, ut ne nobis quidem fratribus ſuis, domini papæ famulis, officia hoſpitalitatis & humanitatis poſſint impendere. Ordinate pacem eccleſiæ, ſolvantur fratribus neceſſaria & debita ſtipendia, revocentur ad diem aliam non ſolum Eberacenſis & Everbacenſis, ſed etiam plures alii virii prudentes ac Deum timentes, quorum conſilio & opera talis Spiritu-ſancto præſtante eligi poſſit in abbatem, cujus converſatione & ſtudio tam ſpiritualia quam temporalia correctionis effectum valeant recipere. Minime indignabantur laici ad verba B hæc, veritate ſeipſam tuente, quæ ipſos recognoſcere & fateri cogebat, quod ea, quæ dicta fuerant, virtute rationis non carebant. Cœperunt itaque conſultare inter ſe, atque conferre bini ſimul vel terni aut quaterni: & cum ſermonem nobiſcum nemo haberet, dieſque jam uſque ad octavam horam proceſſiſſet, egreſſi inde dormitorium intravimus, atque mox parvulo temporis interveniente ſpatio revertentes, quoſdam priores cum aliquibus fratribus obviam habuimus, qui pedibus noſtris advoluti obnixe C & cum lacrymis petebant, quatenus eis adjutorium in neceſſitate impenderemus, ut dominus Heresfeldenſis abbas prælationis illius ſarcinam ſuſciperet, & adjunxit unus ex eis, quoniam, inquit, noſter monachus & frater fuit, antequam in abbatem promoveretur. Ad hæc a nobis ſic reſponſum eſt: nos fratres cariſſimi, quod de alicujus abbatis electione domino noſtro papæ credidimus beneplacitum, quod eccleſiæ veſtræ ſalutare, quod perſonis veſtris tutum, palam ac ſimpliciter proteſtati ſumus, nec ſententiæ noſtræ prævaricatores eſſe valemus. D Præterea non credimus abbatem, qui ſit compos diſcretionis canonicæ, hoc onus regiminis abſque domini papæ juſſione recipere, quod longi temporis, & grandis expenſæ, & infiniti laboris, & eventus incerti opus eſt. Si dominus Heresfeldenſis de propriis viribus confidit, ſi de gratia & conſenſu domini papæ ſperat, ſua potius deliberatione, quam noſtro conſilio nitatur. Quibus auditis, fratres rogabant tamen, quod abbatem, quem cum ipſis paululum reliqueramus, detinentes, a cognitione hujus verbi E ſubduceremus, donec capitolii ædem communiter ingreſſi ſuper perſona illius eligenda cunctorum aſſenſum requirerent. Introierunt illi, nos remanſimus, & aſſumto abbate ſeorſum, quid fratres Fuldenſes nobiſcum egiſſent ei annuntiavimus. Dubitantem & quærentem ſuper hoc conſilium noſtrum ad cor ſuum & conſcientiam remiſimus, & cum ſe conſentire nullatenus aſſereret, ſuggeſſimus ei, ut ſicut nos, ita & ipſe ab eis recederet, ne opus, quod illi nobis abſentibus & diſſuadentibus faciebant, ad noſtrum conſenſum ſpectare [illegible] abiit, nos

in mensa refecturi corpora nostra consedimus. Post cœnam salutavimus abbatem, salutavimus & fratres Fuldenses, significantes eis, quod facto mane vellemus discedere. Precabantur fratres, ut manere vellemus, quandoquidem ipsi abbatem elegissent, sed dilatio a laicis usque in crastinum esset interposita, ut eorum electioni consentirent. Nos vero petitioni eorum nequaquam acquiescentes, summo diluculo recessimus. Hæc sunt, carissime pater, quæ Fuldæ præsentes cognovimus, quæ vero post exitum nostrum acta sunt ex litteris, quas quidam frater Fuldensis nobis non in membrana scriptas sed in tabella, transmisit, cognoscere poteritis, quas ad vestræ sanctitatis pedes transcriptas direximus. Enimvero apud vos est manna, apud vos virga, apud vos canonum dispensatio, apud vos decretorum interpretatio, apud vos regulæ moderatio, apud vos vinum, apud vos oleum, novit dextera vestra parcere subjectis & debellare superbos. Cuncta discretioni vestræ per ordinem intimare studuimus, ut pia & perspicax anima vestra, cui discretio spirituum a Deo collata est, plura legendo intelligat, quam nos videndo & agendo. Si-B cubi armante pietatis zelo decreta vestra & C jussiones insipienter defendimus, & quasi cœlum sustinere humeris tentavimus, etsi effectus laudem non meretur, devotio tamen veniam a vestra clementia impetrabit.

EPISTOLA CXV. H. MONACHI, ut videtur, Fuldensis VVibaldo abbati.

Scibit ei electum assensum præbuisse electioni suæ.

Anno 1148. DOmino suo reverendissimo, H. ille suus seipsum. D

Quoniam, pater carissime, vos ut dominum amplector & vereor, in omnibus sequi præcepta vestra non dubito. Notifico igitur sanctitati vestræ, quod post recessum vestrum, fratres nostri cum quibusdam laicis in electione convenerunt, multi autem eorum recessum vestrum audientes, interesse contemserunt. Illi autem qui convenerant, ipsum electum, ut onus regiminis susciperet, rogaverunt; sed ille repugnabat tamquam qui vincere nollet, tandem itaque adquievit. Quidam etiam ex laicis & monachis hoc vos velle, ut præpositus vester eligeretur, E vobis imposuerunt, & me in hoc assensum præbere affirmabant. Post recessum tamen electi in hoc convenimus, ut usque ad festum sancti Nicolai vos & alios duos abbates vocare debeamus. Legatus vester apud nos portarium non invenit. Valeat sanctitas vestra.

EPISTOLA CXVI. WIBALDI abbatis seu Diploma.

De locatione cujusdam possessionis.

IN nomine domini WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas notum sit omnibus, quod in possessione monasterii nostri, quæ est in Meretha, locavimus Cunrado de Orio in pacto pro quatuor marcis probati argenti, quas per singulos annos in die festo sancti Jacobi apostoli solvet apud *Koiforde* in domo, quam nunc habet mulier quædam nomine *Sigardis*, camerario monasterii vel certo nuntio ipsius. Quod si solvere neglexerit, possessione & pacto postmodum carebit. Si filius ejus hereditare voluerit, in investitura pro recognitione quatuor marcas abbati dabit. De tota possessione illa nihil a nobis vel a prædecessoribus nostris venditione vel commutatione alienatum est. Actum est apud *Anlon*. Anno Domini M. C X L V I I I. in præsentia domini HARIBERTI Trajectensis episcopi & multorum aliorum. Anno 1148.

EPISTOLA CXVII. F. ABBATIS sancti Godehardi ad VVibaldum abbatem.

Hortatur ut Henrico abbati deposito reconciliari velit.

DOmino suo venerabili Corbeiensi abbati WIBALDO (*a*) F. beati (*b*). Godehardi qualiscumque servulus, quod spes non confundens promittit Deum diligentibus. Anno 1148. [a] [b]

Ex quo notitiam vestri, brevi licet temporis articulo, nuper accepi, ita vobis cordetenus adhæsi, ut si fieri posset, lateri vestro famulus indivisus adhærere vellem. Sed hoc quod fieri posse non video, litteris & præsentia quoque corporali, cum opportunum fuerit, vos frequentius visitabo. Ceterum de domno HENRICO exabbate, quem in conventu vestro causatus estis vobis scandalo esse pro posse suo, noveritis, quod postquam a vobis redii, continuo per præpositum Richenbergensem, circa quem tunc morabatur, pro hac causa eum objurgavi & monui. Ille vero non quidem per omnia se in hac causa insontem, ut mihi videtur, recolens, hoc solum respondit, quod si quid, licet minimum, verbis in vos

(*a*) Fredericus primus abbas a S. Bernardo institutus. Hunc alii Corbeiensem, alii Fuldensem dicunt, quod certius videtur ex Chronico S. Godh. tom. 2. script. Brunsvic pag. 407.

(*b*) S. Godehardi insignis abbatia ordinis S. Benedicti in civitate Hildesheimensi a Bernardo episcopo fundata, qui S. Godehardum sanctorum albo inscribi curavit.

excesserit, dolore depressionis suæ egerit: de cetero gratiæ vestræ ita reconciliari desideret, ut amplius sui culpa nullatenus a vobis elongetur. Pro hac compositione litteris semel & secundo; deinde viva voce frequenter me interpellarunt ipse & præpositus, cum vos regulum novum adissetis, ut me interponerem mediatorem, obtestantes hoc per eum, qui vera pax est, Christum, & intuitu præmii, quod in Evangelio beatis pacificis ille promisit. Itaque cum illo & pro illo genibus vestræ paternitatis procumbens, obsecro, ut ei reconciliemini, & quod facile vobis est, ei assistatis in causa, quam per bajulum litterarum secretius vobis mandavi. De hoc responsum vestrum expecto, & litteras, si vobis ita placet, ad marchionem, quarum rescriptum ego videam. Confido enim vobis in hac parte licere quod vultis. De conventu abbatum quid egerimus, nostis, sed quidam nostrorum abbatem Hinsbergensem expectandum aiunt, qui cito, ut speramus, a domino papa redibit. Audio, quia Fuldæ fuistis, ubi quid agatur vel agendum sit de abbate loci, si placet, nobis renuntiabitis. Valeat in Domino dilectissima mihi sancta paternitas vestra.

EPISTOLA CXVIII. VVIBALDI abbatis ad * F. S. Godehardi abbatem.

* Fredericum.

Rejectis oblatis sibi laudibus, respondet se Henrico Corbeiensi abbati depositio omnes injurias ex animo remittere, inflictas vero in eum censuras a sede apostolica, solum papam remittere posse.

Anno 1148. REverendo in Christo patri F. ecclesiæ beati Godehardi venerabili abbati, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, orationem cum vera dilectione.

Sinceritatis vestræ apices plenos jocundæ consolationis, plenos gratiæ accepimus, in quibus quasi quodam cœlesti munere & divinæ pietatis dono exhilarari fuimus. Nam laudatio vestra plenos nos bonæ spei effecit, quoniam caritas Dei, quæ diffusa est in corde vestro per Spiritum sanctum, qui habitat in vobis, falli non potuit usquequaque, quin aut præsentia aut procul dubio futura bona prædicanda in nobis æstimaretis. Sane conscientia nostra graviter nos impugnat & accusat, neque nos non dicam vestra, sed nec cujusquam quidem infimi hominis commendatione se dignam arbitratur. Verumtamen quoniam sic de nostra parvitate sentire visum est, enitemur id esse, quod vos affirmatis; studebimus conformes fieri gratiæ, quam vos prædicatis. Ceterum de domno illo HENRICO, qui aliquando præfuit Corbeiensi monasterio, cui nunc nos Deo auctore deservimus, vestræ benignitati respondemus, quod cum in multis accusaretur tam de violenta intrusione sua, quam de aliis quibusdam capitulis, nos non solum absentes, verum etiam omnium istarum rerum ignari, & longe positi in curia domini papæ eramus, & post sex fere mensium spatium sæpe vocati & venire jussi, & ex parte non modica coacti, ad regimen Corbeiensis ecclesiæ non absque cura & sollicitudine & gravi timore accessimus, cum tamen inter ipsius depositionem & nostram ordinationem medius quidam unanimi & concordi fratrum electione fuerit promotus. Nostram itaque innocentiam, qui ei antea, dum frequenti accusatione pulsaretur, studiose astitimus, ipse fatigavit, & inobediens Romanæ ecclesiæ, & ipsius decretis minime obtemperans, ore in cœlum posito, scandala inter fratres nostros seminavit, & quantum in ipso fuit, materiam modis omnibus dedit, quominus regularis disciplina & ordo monasticus debito & canonico tramite in monasterio nostro procederet. Et illis quidem reconciliatus est, qui erant ei, dum præsideret, in præsentia blandi, in absentia mordaces, qui eum cogebant quasi consilio salutari illa facere, quæ ipsi mox reprehendentes accusabant, & cum essent malorum auctores; eum in jus tamquam nocentem trahebant. Nobis vero infestus est, qui eum numquam ne verbo quidem scientes offendimus, & quod si fieri posset, salva religione & honestate nostra, mallemus abesse, quam in tempore tantæ perturbationis præesse. Super hoc vero, quod sicut in vestris litteris habetur, nobis reconciliari desiderat, plurima nobis sollicitudo imminet, quis sensus quæve sententia sub verbo reconciliationis contineatur? quoniam testis est nobis conscientia nostra, quod nihil in eum peccavimus: si vero ipse in nos deliquit, totum ei ex corde perfecto ob divini respectum amoris indulgemus, & tam in anima quam in corpore vera ei bona provenire exoptamus; nec invidemus ei, si salva pace nostra & monasterii nostri cautela, fœcundior ei quies aliqua concedatur, siquidem & homines sumus, & cum hominibus flagellati, & humani aliquid alienum a nobis non sentimus. Sed de litteris marchioni ADELBERTO super ipsius negotio mittendis, non facilis nobis ad consilium via fuit, pro eo quod idem marchio vir sane prudens, totius honestatis & disciplinæ speculum, nos nequaquam super eodem verbo consuluit, cum tamen sit nobis intima fide & familiaritate conjunctus. Porro ecclesia Romana hoc præ cunctis mortalibus privilegium in terris post Deum obtinuit, ut sola cum ipso dicere possit: *Ego occidam & ego vivere faciam, percutiam & ego sanabo.* Quæ igitur est fortitudo nostra aut virtus, ut erigere possimus, quem manus elisit omnipotentissima? Et ipse quidem dominus HENRICUS, cum fuerit ab apostolicæ

apostolicæ sedis legato excommunicatus, & ab omni tam abbatiæ dignitate quam ecclesiastico officio depositus, nullas reconciliationis suæ litteras a Romanæ ecclesiæ clementia retulit, fortassis quia secundum morem & instituta sedis apostolicæ, jurare tactis sacro-sanctis evangeliis noluit, quod de cetero Corbeiensem ecclesiam nec per se, nec per submissam personam vexaret. Tum vero in synodo Rhemensi, quæ proxime celebrata est, dominus papa tam verbo quam scriptis confirmavit sententiam legati sui magistri THOMÆ, quam in prædictum HENRICUM dictaverat, sed ipse, ut dictum est, & a gradu & ab ordine ecclesiastico eum deposuit, & tamquam inobedientem, immo vero aperte rebellem anathematis sententia perculit. Quantum vero piaculum sit illud recipere, quod Romana ecclesia respuit, sacrorum canonum paginæ vestram eruditionem manifeste docuerunt. His nimirum & aliis rerum difficultatibus perterriti, quid vestræ sapientiæ respondere debeamus, aut in quo ecclesiæ nobis commissæ ac nostræ quieti consulamus, ex imbecillitate mentis nostræ non facile disquirere potuimus. Sed considerabit & animadvertet & eliget discretio vestra, quid sancta mater nostra Romana ecclesia in hac causa velit admittere, quid Corbeiensis ecclesiæ paci conveniat, quid nostræ quieti proficiat, quid tandem ecclesia de *Adesleve* & amicus noster Marchio in hoc negotio tute recipere valeat. Nam verbum de *Adesleve*, quod nobis per nuntium vestrum non litteris tamquam rem secretam mandastis, jam apud nos vulgatum erat. Siquidem ille idem bonus vir solita levitate non amicis, sed depositoribus suis; non familiaribus, sed post depositionem suam in fama hæc eadem propalaverat, & eosdem, ut ad diem quo nos & ipse conventuri eramus, venirent, rogaverat, cum nos de hac conventione prorsus ignoraremus, atque immo reconciliationis colloquium prius fuit nobis suspectum, quam cognitum.

Ideo venio per litteras & spiritum, eo vestram dilectionem salutans affectu, quem vos ex longo probasse non dubito. Causam vero, quæ me hoc tempore præter visitationis vestræ desiderium venire voluerat; probatissimæ discretioni simulque pietati vestræ committo, quatinus apud eam non minus pro ea mea scripta, quam vivæ vocis verba valeant, & hi qui me huic interesse causæ desideraverant, familiaritatem meam apud vos aliquid posse cognoscant. Est autem domini H. aliquando Corbeiensis abbatis dicti, super quem vos oculos paternæ pietatis ponere decet, ut ipse pietatis effectus eum non frustra aliquid solatii sperasse laudabili veritate comprobet. Utriusque hominis vestri salutem bonus ille Samaritanus, qui vulneratum collegit, providere & custodire dignetur, abbatum carissime.

EPISTOLA CXIX. R. ABBATIS ad VVibaldum abbatem.

Orat ut Henrici quondam Corbeiensis abbatis misereatur.

Anno 1148. [a] DOmino VVIBALDO venerabili Corbeiensi abbati frater R. *(a)* in abbatum numero minimus, quidquid devotissimus ac fidelissimus animus.

Dilectionis vestræ præsentiæ, virorum carissime, proposueram me corporaliter exhibere, sed ne id fieret, equitare * defectus prohibuit, quem mihi cujusdam vani & perfidi hominis fraus & deceptio fecit.

(a) Forte Reinardus abbas Rheinhusensis.

* Equitare.

EPISTOLA CXX. EUGENII papæ III. ad VVibaldum abbatem & fratres Corbeienses.

Ut nullum apud eos locum Henricus depositus inveniat.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio VVIBALDO abbati & capitulo Corbeiensi salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1148.

Quantum sit necessarium religiosorum monachorum quieti prospicere, & de ipsorum utilitate sollicite cogitare, anteactum officium, quod in abbatiæ regimine gessimus, nos informat, & creator omnium Deus per hoc quod Mariæ causam contra Martham assumsit, evidentius patefecit. Inde est, quod tranquillitati vestræ, in quantum possumus, comitante justitia, prospicere cupientes, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis & aliis ecclesiarum prælatis per regnum Teutonicum constitutis, per apostolica scripta mandavimus, quod quamdiu HENRICUS quondam Corbeiensis abbas, quem dilectus filius noster THOMAS bonæ memoriæ presbyter cardinalis deposuit, in suæ pravitatis proposito perduraverit, in suis ecclesiis nequaquam recipiant, & ipsi adversus vos & monasterium vestrum nullum solatium, nullum sustentamentum impendant. Tua itaque, dilecte in domino fili VVIBALDE abbas, interest, ut sollicitudinem tuam exerceas, & ita commissos tibi oratione & cura providenti custodias, ut leo quærens quem devoret, nullam eos dilaniandi occasionem inveniat, quatenus dum religione & honestate decoros, quorum suscepisti curam, reddideris, & præmia laboris tui Dei & hominum mediator, assueta pietate concedat, & in æterna requie cum suis sanctis faciat gratulari. Vobis autem universis, qui de Corbeiensi collegio estis, per

per præsentia scripta mandamus, ut ejus fi- A lii nostri VVibaldi abbatis vestri monita suscipiatis humiliter & servetis, ut in ejus persona Christum videamini, cujus minister est, honorare. Datum Viterbii kal. Januarii.

EPISTOLA CXXI. HENRICI archiepiscopi Moguntini ad VVibaldum.

Rationem eorum reddit quæ egerat in concilio Erfordensi.

Anno 1149. HDei gratia Moguntinæ sedis humilis B minister VVibaldo speciali amico suo Corbeiensis ecclesiæ venerabili abbati, dilectionis & benignitatis ad omnia devotam & promtam exhibitionem.

Fideli admonitioni & piæ devotioni vestræ, quam in profectione nostra ad dominum papam nobis exhibuistis, non solum gratias referimus, verum etiam suo loco & tempore condigna operis exhibitione respondere parati sumus. Juxta autem petitionem legati vestri actionem quorundam negotiorum, quæ ex præcepto domini papæ præsentibus suffraganeis nostris Erfordiæ tractavimus & terminavimus, vobis innotescere curamus. Primum capitu- C [a] lum erat de quodam abbate de *(a) Burgilin*, qui querimoniam habebat adversus comitem Sizonem, quod quædam bona ecclesiæ suæ violenter tulisset & pertinaciter teneret, quam a domino papa nobis injunctam consilio & auxilio fratrum nostrorum utrimque facta pace & concordia terminavimus. Secundum erat de comite H. qui uxorem suam dimiserat, & aliam superduxerat. Hujus negotii talis erat actio. Dominus Hildeneshemensis episcopus asserebat, quod D inter ipsum & priorem, quam pro uxore habebat, propter cognationem canonica facta erat separatio, sed quod de incestu, quem cum nepte sua commiserat, pœnitentiam susceptisset vel peregisset non affirmabat. Unde fratribus nostris decernentibus, quod ante peractam pœnitentiam matrimonium contrahere nec posset nec deberet, Maguntiam ad synodum nostram in feria secunda post Ascensionem Domini ad satisfactionem eum vocavimus. Præterea Hereveldensem abbatem, quia inconsulta ecclesia nostra & absque verbo nostro Fuldensem suscipiens abbatiam, ab obedientia nostra se alie- E navit, fratribus nostris sanctientibus vocavimus. Post hæc multa erant, quæ singula longum esset enumerare, sed hæc vos magis scire conjecimus desiderare.

(a) Ordinis S. Benedicti, quod monasterium anno 1510. Congregationi Bursfeldensi unitum est.

(b) Ingrannus, ex monacho Corbeiensi factus abbas Marchianensis, mortuo vero Galterio Suessionensi abbate S. Medardi anno 1148. successit ex brevi Chronico S. Med. Spicilegii tom. 2. cessit autem anno 1177. successorem sortitus Gaufridum.

EPISTOLA CXXII. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

Scribit in gratiam abbatis S. Medardi adversus Balduinum canonicum Leodiensem.

REverendo patri suo & domino Eugenio uni & universali pontifici, frater VVibaldus Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, dilectionem filii & devotionem servi. Anno 1148.

Venerabilis frater noster J. (b) abbas ec- [b] clesiæ sancti Medardi, quæ vestræ devotioni & defensioni specialiter pertinet, a nostra parvitate expetiit, ut actionem suam quam adversus magistrum Balduinum ecclesiæ Leodiensis canonicum nobis præsentibus habuit, sublimitati vestræ intimaremus, quæ in quantum recordari possumus, sic se habet. Monasterium sancti Medardi habet in parochia Leodiensi prædium nomine *Hanzines*, a quo non longe remotum est aliud prædium nomine *Hanzineles*, quod canonicis ecclesiæ beati Lamberti pertinet, cujus prædii curator & præpositus pro aliis concanonicis suis est prædictus magister Balduinus. In *Hanzineles* est capella, quæ synodali & canonico jure subest matrici ecclesiæ, quæ est in *Hanzines*, cum tota decimatione, quæ a colonis prædicti prædii solvitur. Volebat magister Balduinus ab abbate sancti Medardi habere calicem argenteum ad prænominatam capellam, & omnia tam altaris quam missæ instrumenta. Super quo verbo cum neque abbatem neque monachos ipsius ordine judiciario interpellasset, totam decimationem de *Hanzineles*, Monachis sancti Medardi negavit, & ex consensu & jussu canonicorum Leodiensium detinuit. Fratres sancti Medardi hoc in synodo Leodiensis episcopi sibi factum querebantur, nulla canonica actione, nulla judiciali sententia præcedente, & petebant, ut ablata sibi restituerentur, responsuri postmodum secundum juris rationem. Negabat episcopus, negabat archidiaconus, quod, eis scientibus vel consentientibus, prædicta decimatio a magistro Balduino vel canonicis esset detenta, unde & juxta legum tramitem idem magister Balduinus in integrum restituere cogebatur. Quod quia ignominiosum videbatur cathedrali ecclesiæ, ut rapinæ palam argueretur, & ecclesia beati Medardi nostro & multorum studiis pro vestræ dominationis reverentia juvabatur, petiit magister Balduinus ex consensu canonicorum, ut causa differretur usque ad abso-

lutionem conventus, qui tunc frequens convenerat, futurus postea in potestate & consilio Lobiensis (a) abbatis & aliorum virorum religiosorum. Quod & ita simpliciter factum est. Postquam vero clericorum frequentia recessit, dominus abbas Lobiensis, adhibitis secum viris religiosis & prudentibus, dedit magistro Balduino & canonicis consilium, ut ablata restituerent, & ab exactione calicis & aliarum rerum cessarent, quoniam nulla capella hæc a matrice sua jure solet exigere, quia hi qui capellas construxerunt, propter laboris compendium, ne ad matricem ecclesiam longe laborarent, ex suis propriis collatis ad omnem opportunitatem capellæ providere promiserunt. Cui sententiæ cum magister Balduinus non acquiesceret, & monachi sancti Medardi videntes se dilatione esse frustratos, & neque per jus aut concordiam sua posse recipere, vestræ celsitudinis præsentiam appellaverunt, & magistrum Balduinum vestris adesse tribunalibus in octava sancti Martini nobis & multis audientibus indixerunt.

[a]

EPISTOLA CXXIII. VVIBALDI abbatis ad ômnes fideles parrochiæ *Lienvvart*.

De negligentia quatuor presbyterorum.

Anno 1149. WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas omnibus fidelibus christianis, qui sunt in parochia *Lienvvard*, salutem & benedictionem.

Notum facimus vobis, quod nullus illorum quatuor, qui in ecclesia vestra præbendas habent, ad nos adhuc venit, nec possessionem ecclesiæ nostræ a nobis accepit, cum nos jam duobus annis abbatiam Corbeiensem tenuerimus. Insuper ex ipsorum negligentia nobis labor & detrimentum accidit, pro eo quod donum altaris non acceperunt, pro qua re tota ecclesia nostra in jus & potestatem episcopi adjudicata fuit. Sed per Dei misericordiam & ipsius episcopi gratiam cum integritate ecclesiam, sicut prius habueramus, nunc recepimus: Et illis quatuor qui ecclesiam tenent, diem ponimus, ut in proximo festo Purificationis sanctæ Mariæ, præsentiam suam nobis Corbeiæ exhibeant, ostensuri nobis quam justitiam in nostra possessione habeant. Quod si tunc non venerint, sciant pro certo, quod nos justitiam nostram usque ad extremum prosequemur, nec eis quidquam de jure nostro remittemus.

(a) Lamberti qui obiit anno 1149. ex Chronico brevi tom. 3. Anecd.

(b) Gesexense virginum monasterium anno 946. fundatum est in VVestphalia ab Aholdo comite Anholtensi; sub invocatione B. Mariæ & S. Kyriaci, cujus fundationem anno 952. confirmavit Otto imperator.

EPISTOLA CXXIV. THIEBOLDI ad VVibaldum abbatem.

De abbatissa Gesekensi.

VEnerabili fratri & amico VVIBALDO Corbeiensi abbati Thieboldus Dei gratia si quid est, cum servitio intimam dilectionem. Anno 1149.

Exhibitæ dilectionis vestræ memoriam non amisimus, & quamvis gratias, sicut decuit, minime egerimus, tamen ingrati non fuimus, nec umquam erimus. Novit, domine mi, dilectio vestra valde indecens nobis fore, quod cum abbatissa de (b) *Gesekę* negotium suum in nostrum consilium posuit, per nos & causam & compositionem perdat. Quamobrem vestram dilectionem diligenter commonemus, quatenus verbum vestrum, quod super hac re mecum habuistis, vestrum faciatis & dictam compositionem provenire sinatis, atque hujus rei qualitatem in brevi nobis rescribatis. [b]

EPISTOLA CXXV. VVIBALDI abbatis ad Thieboldum præpositum.

De abbatissa Gesekensi.

FRater VVIBALDUS Dei misericordia id quod est in ecclesia Catholica, dilecto fratri & amico suo Thieboldo venerabili præposito, dilectionem & benedictionem. Anno 1149.

Gratum nobis valde est, quod memoria vestra firmiter tenet, quam sincero affectu vos a longis retro temporibus dileximus, quanto fidei studio ad vestri honoris incrementum gavisi fuerimus, & quod de his certa promissione vestra dignam remunerationem expectamus. Recordari autem debet vestra prudentia, quod anno præterito, cum dominus papa Trevirim esset venturus, & fama referente didicissemus, quia intendebatis abbatissam *de Gisęke* ad præsentiam domini papæ perducere, & causam ipsius adversum nos agere, monuimus vos tamquam virum discretum & intime familiarem, ne adversus innocentem & amicum studium vestrum in negotio parum honesto & debili procederet. Siquidem abbatissa eadem novem fere mensibus antequam ad regimen Corbeiensis ecclesiæ accederemus, deposita fuit, & remota a Kaminatensi abbatia per dominum THOMAM cardinalem presbyterum, atque cum per vim contra canones obtinere conaretur, ab advocato ejusdem ecclesiæ non sine contumelia fuit expulsa. Ea remota, electæ sunt per contentionem duæ & de

tertia disputatum est. Cum omnia tam in A spiritualibus quam in temporalibus in deterius ruerent, dominus noster rex ad cujus ordinationem locus pertinebat, ex consilio & admonitione domini papæ delegavit Corbeiensi ecclesiæ & nobis præfatæ abbatiæ ordinationem. His ita se habentibus, dignum duximus, ut prædictum est, vestræ discretioni suggerere, ne adversus decreta Romani pontificis, & contra præcepta domini regis in defensionem personæ illius stare videremini. Rescripsistis nobis, si bene recolimus, quod membro Colonienſis ecclesiæ deesse non posſetis. Venit tamen illa Trevirim ad B præsentiam domini papæ sine vobis, & quantum potuit in nos egit, veritatem tacens & mendacium loquens. Sed dominus papa per litteras nostras veritate comperta, præfixit nobis & ipsi diem audientiæ in concilio Rhemensi. Nos venimus, illa non venit. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Dominus papa depositionem suam decreto confirmavit, & possessiones, quas illa alienaverat, monasterio sub anathematis interminatione restituit. Nos, carissime frater, memores non sumus, quid vobiscum pro ea postquam a Treviri recessit, sivè per verbum C sive per litteras spoponderimus, cum nostra promissa memoriter observare valeamus.

EPISTOLA CXXVI. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum Colonienſem archiepiscopum.

De quibusdam ministerialibus qui conspiraverant in eum.

Anno 1149. REverendo patri suo & domino ARNOLDO sanctæ Colonienſis ecclesiæ D venerabili archiepiscopo frater VVIBALDUS id quod est in ecclesia Catholica, exiguas orationes & devotum obsequium.

Quia post Deum & dominum regem caput omnium principum in hac terra estis, & ad vos potissimum respicit status pacis terræ, vobis conquerimur tamquam patri & domino, quod quidam ministeriales Corbeiensis monasterii, qui erant in convictu nostro assidue, quadam nocte cum cœnaremus, a mensa nostra egredientes, equos nostros effracto stabulo furati sunt, & quosdam, quos abducere non potuerunt, gladiis interfecerunt. Facto clamore ad arma, ut mos terræ E est, convenerunt alii ministeriales ecclesiæ plures numero, & pro sua fide conservanda, & pro honore omnium suorum parium vocaverunt quosdam ad duellum, quorum consilio tantum facinus fuit perpetratum, cum eis pugnaturi in octava Epiphaniæ. Siquidem consilium eorum & machinatio fuit, ut nos illi ipsi latrones interficerent, vel membris truncarent, ut postmodum veraciter didicimus, quod cum ad effectum per ducere non potuissent, nocturno furto equos nostros invaserunt. Proinde advoluti animo ad pedes celsitudinis vestræ, & omnium principum sive nobilium, & ceterorum qui in curia vestra sunt, humiliter auxilium vestrum imploramus, quatenus respectu divinæ pietatis & pro reverentia domini regis & omnium principum, & pro statu tam divini quam humani juris, scutum vestræ protectionis tantæ audaciæ opponatis, & ne malefactores illi in terra vestra refugium habeant, sicut magnitudinem vestram decet, provideatis, & ad præfatum diei tempus nobis in adjutorium aliquos de vestris transmittatis. Valete.

EPISTOLA CXXVII. CONRADI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

Quæ ipsi Damascum obsidenti contigerint.

CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex Anno 1148. augustus venerabili VVIBALDO Corbeiensi abbati gratiam suam & omne bonum.

Quod maxime de nobis te desiderare cognovimus, de prosperitate videlicet status nostri, hoc primitus significare opportunum duximus. Sani siquidem Dei misericordia sumus, naves redituri in festo beatæ Mariæ in Septembre, intravimus, peractis omnibus quæ in partibus illis vel Deus voluit vel populi terræ permiserunt. De hominibus enim dicimus, cum Damascum communi consilio venissemus, & castra ante portam civitatis cum magno nostrorum discrimine locassemus, etiam prope esset, ut sine ambiguitate civitas caperetur, traditio, a quibus minime cavimus, in hunc modum facta est, quod ipsi eo in loco civitatem inexpugnabilem esse asserebant, & ex industria in aliam partem, ubi nec aqua exercitui supperebat, nec accessus alicui patebat, nos ducebant; & ita omnes in indignationem pariter & in dolorem conversi infecto negotio redierunt. Expeditionem tamen ibidem versus Ascaloniam unanimiter se moturos spoponderunt, locum & diem præfixerunt: illic ex condicto venientes neminem fere invenimus: ibi universitatem octo frustra diebus præstolati, secundo ab eis delusi, ad propria tendimus. In brevi igitur Deo annuente ad te venturi, grates tibi debitas referimus, quod filium nostrum manutenuisti, & fidelitatem omnem nobis exhibuisti, & ut de cetero id facere te non pigeat, rogamus, omnem tuam benevolentiam digne remuneraturi.

EPISTOLA CXXVIII. HENRICI episcopi Mindensis ad VVibaldum abbatem.

Optat uti consilio Patherbornensis & Monasteriensis episcoporum super lite quæ eos inter versabatur.

Anno 1149. VEnerabili domino sanctæ Corbeiensis ecclesiæ abbati VVIBALDO HENRICUS (a) per misericordiam Dei id quod est in ecclesia Mindensi, orationum & fidelis obsequii, quantum permittit, devotam exhibitionem.

(a) Ex monacho Bursfeldensi & abbate S. Mauritii factus episcopus Mindensis.

Legatos & litteras vestras sæpius audivimus, offerentes nobis fraternam satisfactionem super omni injuria & molestia qua ex parte vestra læsi tenemur. Quod vero usque modo vobis respondere distulimus, non fuit ex contemtu vestræ personæ, vel ex aliqua animi nostri elatione, sed propter hoc, quod desiderando expectavimus, ut venerabiles domini, Patherburnensis videlicet episcopus & Monasterienſis, negotio per suam præsentiam adjutores assisterent, & ex eorundem prudentia & consilio ea, quæ inter nos aguntur, fraterne componerent. Sed licet præfati domini nostri & amici contra suum promissum, sicut Rhemis audieratis, moras faciant, & propriis impedimentis occupati huic nostræ causæ non subveniant; nos tamen in Deo curam nostram jactantes, adhuc eorum consolationem & consilium attendere disposuimus, quorum mecum conscientiæ determinabitur judicio, quod de vobis querimoniam non habuerim immerito.

EPISTOLA CXXIX. BERNARDI episcopi Hildenesheimensis ad VVibaldum abbatem.

Intercedit pro Henrico quondam Corbeiensi abbate, ut in professionis suæ claustro recipiatur.

Anno 1149. BERNARDUS Dei gratia Hildenesheimensis ecclesiæ minister humilis, venerabili fratri VVIBALDO Corbeiensi abbati, sinceræ in domino fraternitatis ac dilectionis affectum.

Luctuosus ac varius humanarum calamitatum eventus nos admonet afflictis compati, & in aliorum pressura dolorem nostrum vel laborem considerantes, contritos corde pro posse nostro consilio atque auxilio sublevare. Frater itaque HENRICUS quondam abbas Corbeiæ, nunc autem manu Domini humiliatus, ad nos confugiens, obsecrat, ut nostro interventu misericordiam apud vos inveniat, videlicet ut in claustrum professionis suæ benigne illum recipiatis, & paterna consolatione contritionem ejus sublevando foveatis. Et quia forte suspicioni vobis est, ne controversiam pietati vestræ apud aliquos vestratum interiores vel exteriores generet, quamcumque dignam judicaveritis de hac causa certitudinem, & perseverantem obedientiæ subjectionem ab eo recipietis. Peto igitur, ut quod per nos obtinere se posse confidit, dilectionis vestræ benevolentia consequatur. Valete.

EPISTOLA CXXX. BERNARDI episcopi Hildenesheimensis ad Corbeienses.

Ejusdem argumenti.

Anno 1149. BERNARDUS Dei gratia Hildenesheimensis dispensator humilis, dilectis fratribus Corbeiensibus, ire de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion.

Sicut in detrimento gregis sancti religiosorum mentibus gravis oritur mœstitudo, sic in recollectione dispersorum lætitia generatur & gratiarum actio. Frater igitur HENRICUS quondam loci hujus abbas, modo vero judicio domini depressus, ad vos redire desiderans, nostra intercessione apud vos commendari flagitat, ut & ipsi fraterna compassione nostræ dilectionis respectu eum recipiatis, & domini abbatis affectum pietatis mediatores illi concilietis. Si quem vero vestrum fortasse sua culpa in aliquo contristaverit, & ipse pro posse satisfaciet, & vestra caritas ejus, quam passus est, calamitati compatiens pie remittet. Valeant itaque apud fraternitatis vestræ dilectionem pietatis & justitiæ preces, ut quod per nos obtinere nititur, effectu desiderato consequatur. Deus pacis sanctificet vos per omnia.

EPISTOLA CXXXI. VVIBALDI ad Bernardum Hildenesheimensem episcopum.

Fuse enarrat totam seriem suæ in abbatem Corbeiensem electionis, & quæ eam secuta sunt.

Anno 1149. REverendo patri suo & domino BERNARDO sanctæ Hildenesheimensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, exiguas orationes & fidele servitium.

Litteris prudentiæ vestræ, quas nobis dignatio vestra per venerabilem confratrem nostrum abbatem ecclesiæ sancti Godehardi

transmisit, respondere distulimus, non ex oblivione vel ex negligentia, sed tantis post a curis & laboribus agendo & itinerando fuimus occupati, ut rescribendi opportunitas nulla nobis posset accedere. Reddentes itaque nunc vestræ sublimitati devotum salutationis obsequium, breviter si fieri posset, ad vestram petitionem, quæ apud nos jussionis pondus obtinet, respondere vellemus, nisi quod tanta est rerum series, ut per brevitatem narrationis cognitio veritatis excludatur. Ac primo discretionem vestram scire volumus, quod in causa fratris illius HENRICI, quem reconciliare Corbeiensi ecclesiæ vestra celsitudo conatur, nos depositoribus ipsius neque consilium neque auxilium impendimus, quin potius in curia, quæ Corbeiæ anno MCXLIV. in festo sancti Bartholomæi apostoli a domino rege CUNRADO celebrata est, pro prædicto fratre regimen tunc ejusdem monasterii tenente stetimus non solum constanter, sed etiam efficaciter, quoniam a clementia domini regis multa precum instantia obtinuimus, ne adversus eum lite contestata accusatorum actio & ordo judicii procederet. Quando vero in præsentia & jurisdictione felicis memoriæ domini THOMÆ cardinalis presbyteri apostolicæ sedis legati de simonia in venditione ecclesiæ de *Linvvert* perpetrata convictus Corbeiæ in capitulo & confessus fuit; nos earum rerum prorsus ignari eramus in Stabulensi monasterio, quod a Corbeiensi distat itinere sex dierum. Quando etiam duodecimo calendas Aprilis a prænominato judice suo apud civitatem Patherburnam, ubi venire se absentaverat, in solemni religiosorum conventu depositus fuit; nos eramus Stabulaus præparati & succincti causa regiæ legationis Romam proficisci, quod & fecimus, mox inde moventes nono kal. Aprilis. Depositus itaque ibidem tam ab officio sacerdotali, quam a dignitate abbatiæ, atque insuper excommunicatus, si personas vel res monasterii ullo modo vexaret vel disturbaret, non recognovit manum domini super se, nec adquievit sententiæ judicantis, sed in rebellionem & in apertam violentiam conversus, res abbatiæ ubicumque locorum potuit, nimis immoderate diripuit, & in proximo pascha in monasterio *Hasunge* (a) infulis abbatiæ ornatus incessit, & publice divinum officium celebravit. Quasdam integras curtes abbatiæ infeodavit, & multos mansos tam impignorando quam præstando alienavit, quibus peractis, regiæ præsentiæ in curia, quæ apud Kuina XVIII. kal. Maij habita est, sese obtulit, opinatus regiam æquitatem posse inflecti, ut per violentiam obtineret abbatiam, quam ordine judiciario perdiderat. Sed quia honor regis judicium diligit, non potuit etiam oblata pecunia distorquere virgam directionis incliti regnatoris, quin a Cæsare firmaretur, quod a Petro processerat. Interea dum sic minis, muneribus, pollicitatione monasterium vexat & invadit, reverendus pater noster BERNARDUS Patherburnensis episcopus ad ecclesiam Corbeiensem vocatus, eumdem HENRICUM in pulpito sub generali conventu pronuntiavit auctoritate apostolica excommunicatum, & omnes fautores atque adjutores illius; unde etiam plurima hominum pars metu divino territa ab ejus factione dilapsa est. Urgebat interim multis decretis jussio apostolica Corbeiensem ecclesiam, quatenus mediante Spiritu-sancto talem personam in abbatem eligerent, quæ ruinas Corbeiensis ecclesiæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus resarcire idonea esset, sed partibus in sua studia nimium adhuc fervent ibus, canonica & concors electio fieri non potuit, usque ad nonas Maij, quo die nos eramus apud Sutrium civitatem Tusciæ in curia domini papæ EUGENII III. Tum denique vix tandem unum sapientes elegerunt virum integræ famæ & laudatæ conversationis, HENRICUM præpositum ejusdem monasterii, qui a domino rege institutus est VI. non. Augusti. Quo tempore eramus in Stabulensi monasterio, vix recepta non ad plenum valetudine, quoniam febre Romana quinque hebdomadibus apud Viterbium decuberamus, & vi non naturalis caloris cute & omnibus pilis amissis, fauces mortis vix evaseramus. Sedit itaque ordinatus prædecessor noster usque VIII. idus Octobris & viam universæ carnis ingressus est. Orbata ergo item Corbeiensis ecclesia suo pastore nos absentes & procul positos unanimi prorsus connivencia in patrem & pastorem animarum suarum voluntarie adoptavit & elegit, in capitolio Corbeiæ XI. kal. Novembris. Stabulaus pervenerunt nostram imbecillitatem ad regimen tantæ rei tam per litteras suas, quam etiam per epistolam domini regis ac domini Patherburnensis episcopi & aliorum quorundam principum, necnon præsenti nuntiorum alloquio officiose & suppliciter invitaverunt. Nos tunc eramus in synodo Leodiensis ecclesiæ, quam venerabilis pater noster HENRICUS hujus nominis secundus Leodiensis episcopus ex more celebrabat. Unde cum reverteremur, ad monasterium Malmundariense festum omnium sanctorum celebraturi diverteramus, atque cum ad vespertinam synaxim jam ingredi essemus parati, venit Stabulensis nuntius significans nobis, quod legati regiæ curiæ nostrum apud Stabulaus præstolarentur adventum, nullo modo inde recessuri,

(a) Hassungense splendidum ordinis S. Benedicti monasterium ab Aribone Moguntino archiepiscopo in honorem SS. apostolorum Petri & Pauli atque S. Heimeradi confessoris inceptum, atque a Sigefrido itidem archiepiscopo perfectum est.

vel alias ſuæ legationis verba expoſituri, niſi in eccleſia Stabulenſi coram poſitis ejuſdem monaſterii fratribus. Nos vero pro reverentia domini noſtri regis continuo aſcenſis equis ad Stabulenſe monaſterium tranſire feſtinavimus. Ubi jam ſero facto, mandata domini noſtri regis & principum, necnon eccleſiæ Corbeienſis petitionem tum per ſcripta tum per miſſorum verba ſuſcepimus. Inſpectis omnibus & auditis, rem omnem uſque in craſtinum ad reſponſa præmeditanda diſtulimus. Jam venerande pater, ad eum locum narrando pervenimus, ubi nec tacere audeamus, propter ſanandas ac muniendas conſcientias fratrum noſtorum Chriſti ſanguine redemtorum, nec loqui tute valeamus propter irriſiones eorum, qui ſuperbia inflantur, & ambitione flammantur, & propter ſecreti noſtri bonum, quod evacuari formidamus. Sed accipiant homines, ut volunt, & judicent, nos quoniam in innocentia ingreſſi ſumus, verum teſte Deo referemus. Cum ad matutinam ſynaxim ſono canonico excitati fuimus, talis cogitatio nobis ſuborta eſt, ut peracto matutinali officio fideles noſtros tam de fratribus quam etiam de laicis convocare deberemus, ut de verbo quod acceperamus moroſa & diligenti deliberatione tractantes, ex conſilio reſpondere poſſemus. Quod autem in alterutram partem dubitavimus, nec oblatum nobis honoris locum debita humilitatis * fortitudine reſpuimus, quædam præteritarum rerum recordatio ſuadebat. Siquidem & ante ea nonnullæ eccleſiæ nos ad locum regiminis vocaverant, quodam popularis judicii deceptæ præconio; ſed nos propriæ fragilitatis & ignorantiæ conſcii, plena & veraci libertate, illud eis propheticum reſpondebamus. Non ſum medicus, non eſt in domo mea veſtimentum, nolite me conſtituere principem populi. Atque ita formatis abſque avaritia moribus, contentique præſentibus, ei monaſterio cui aſcripti eramus, etſi non bene videndi exemplo vel fideliter adminiſtrandi ſtudio deſerviebamus. Orta eſt interim inſtigante omnium bonorum æmulo, inter nos & quoſdam villicos Stabulenſis monaſterii, viros utique genere, clientela, & opibus potentes, gravis & in longum agitata diſſenſio, pro eo quod ipſi villici volebant hæreditarie poſſidere ſanctuarium Dei, & ipſa villicationis officia ex ſucceſſione paterna & avita capientes, dominabantur in rebus, noſtraque & præpoſitorum noſtrorum ſtatuta contumaciter reſcindentes, & colonos indebitis & aſſiduis exactionibus opprimebant, & juſtas penſiones monaſterio nequaquam inferebant. Ita miſerabili & importuno clamore populi, cujus terra jam fere vaſtata & deſolata erat, necnon inedia monachorum ac ruina ordinis propter alimentorum defectum ſæpe & nimis exacerbati, cœpimus iniquo tempore tyrannis reſiſtere, certi quantum de futuris fieri poterat, quod aut circa ſalutem noſtram periclitaremur, vel ad ſalutarem effectum cauſam tam neceſſariam perducere non poſſemus. Etenim, quod cum dolore & gemitu dicimus, jura omnia interierunt, leges occubuerunt, morum diſciplina extincta eſt, conſuetudo vetuſtatis abolita eſt, regis & principum virtus & poteſtas obſolevit, licet unicuique quod libet; & quod ſtatuit vim legis obtinet. Cum igitur in ea perturbatione labores infinitos & expenſas tolleraremus, cum apud Romanam eccleſiam in urbe, cujus clementia & defenſione plurimum præmuniti fuimus, tum in curia ſereniſſimi & inclíti triumphatoris domini noſtri regis Romanorum CUNRADI II. cujus potiſſimum favore & munificentia illas mirabiles elationes maris per mirabilem in altis dominum mirabiliter enavigavimus, inter peregrinationis & quaſi cujuſdam exilii moleſtias, inter itinerandi & agendi fatigationes, inter periculorum aculeos, quædam infirmitatis noſtræ cogitationes adverſus nos murmurabant, & vellicabant amarius autem cordis noſtri dicentes: merito hæc pateris, quoniam Deus tuus, refugium & virtus & adjutor in tribulationibus quæ invenerunt te nimis, in ſemetipſo & per ſemetipſum jam aliquotiens tibi refugium obtulit, qui has miſerias vel prorſus evitare vel ſecurius tolerare potuiſſes. Et licet, venerande pater, jam de præfatis tempeſtatibus in aliquem quietis portum introiſſemus, tamen de futuris incerti, & ſimilia vel acerbiora metuentes, in ambiguo, ut dictum eſt, fuimus, utrum oblatam gratiam recipere vel recuſare deberemus, cum antea in animum induxiſſemus, nec duabus abbatiis ſimul præeſſe, nec ad aliam ſive majorem ſive ditiorem ullo modo transferri ſuſtinere. In hac itaque ancipiti meditatione, in qua jam exarſerat ignis deſiderii volentis quæ potiora ſunt, eligere, proceſſimus ad eccleſiam, aliquid pſalmorum lingua proferentes, cum tamen animus ab eorum intellectu ſalutari longius eſſet evagatus. Venientes ante altare illud, ubi benedictionem epiſcopalem in nomen & officium abbatis ſuſcepimus, commovit nos repente quidam familiaris & intimus amor, quem ad patronum ejuſdem loci, ſanctiſſimum videlicet confeſſorem atque pontificem Chriſti Remaclum, ejuſdem cœnobii fundatorem habemus, & concuſſit animæ noſtræ interiora quodam affectuoſo timore, ex eo videlicet, quod in mente noſtra volvebamus, utrum ipſius monaſterium ſic relinquere pergeremus. Clamavit itaque anima noſtra ad Deum, & ad ipſum clamore vehementi in verbo interiori, in verbo non diffidentis ſpei abſque ſono oris corporei: fiat Domine voluntas tua, jam de cetero neque deliberationem noſtram, neque amicorum noſtrorum ſequi conſilium ſtatuimus,

* f. formidine.

ſed tuam voluntatem & te, qui es via veritas & vita, in hoc præſenti negotio ſectari deſideramus. Sed qualiter tuam voluntatem cognoſcemus, qui præſens es majeſtate, ſed nos in regione longinqua diſſimilitudinis porcos paſcentes a te receſſimus? Temerarium eſt, ut certam voluntatem tuam ſuper hoc verbo, quam nobis indicare digneris ſive per angelum, ſive per aliquam ſubjectam tibi creaturam tuam, ſive per viſionem, ſive per oraculum expetere præſumamus. Per eos itaque in quibus habitas ſcrutari tuæ voluntatis arcanum, impium & præſumtuoſum non eſt; atque ideo fratrum & filiorum noſtrorum ſententiam ſequendam voto tali tibi obligati arbitramur, ut quidquid ipſi dixerint, tenendum ſit, quorum animas nobis ſervandas tradidiſti, cum ſimus ipſi animæ noſtræ mali cuſtodes. Sic omni dubietate remota, ac ratiocinandi & judicandi cura depoſita, mente placida, ſedatiſque ac compoſitis cogitationibus, matutinas laudes cum fratribus peregimus. Hora regulari quando fratres capitolium ingreſſi ſunt, nos pariter introivimus, atque poſt exhortationis verbum, poſt diſciplinam clauſtralem, juſſimus afferri litteras cum ſigillis domini regis & principum atque Corbeienſis eccleſiæ. Quibus perlectis, fratres attoniti rerum novitate, noſtræ voluntatis & reſponſionis modum intenti præſtolabantur. Ad hæc, inquam, fratres mei, ex quo divinæ providentiæ, quæ diſponit omnia ſuaviter, placuit nos omnium vitæ merito & ſapientiæ doctrina extremos, per unanimis conſenſus veſtri miniſterium ad hujus eccleſiæ regimen provehere, mei & animi & corporis poteſtas mea deſiit eſſe, & totum quod nobis a Deo in utriuſque hominis ſubſtantia collatum eſt, veſtræ ditioni ac poteſtati quaſi quodam jure proprietario ceſſit & vindicatum eſt. Nos veſtri ſumus, nec vos aut monaſterium veſtrum deſerere volumus, unde & veſtrum conſilium tamquam divinum reſponſum interrogantes expectamus. Nulla vero vos formido, nulla vos ſuſpicio terreat, quin inſpirante Deo, quod opportunum videbitur loquamini, quoniam cum Deo noſtro tale voti & ſponſionis foedus inivimus, ut a veſtri conſilii verbo recedere nequaquam valeamus. Neque enim ſi grata nobis eſſet hujus dignitatis oblatio, ſi Corbeienſi eccleſiæ præeſſe juxta ſuam electionem appeteremus, hoc ſub incerto multitudinis conſenſu tractaremus, ſequentes videlicet noſtri deſiderii propoſitum. Nunc vero Deo adjutore noſtri cordis intentionem ita firmavimus, ut ea nobis conſilii portio pergrata ſit, quæ donante Spiritu-ſancto nobis a veſtra fraternitate intimata fuerit. Hoc tantum veſtram prudentiam admonere nequaquam dubitamus, ut quantum per Dei providentiam corda hominum moventis, & in eorum cordibus operantis, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, veſtræ diſcretioni licitum eſt, hoc provideatis, hoc conſulatis, hoc ſuadeatis, quod animabus & corporibus noſtris atque monaſterio veſtro utile & tutum maxime judicabitis. Tanto pondere ſibi impoſito fratres primum exterriti fuerunt, ſedulo petentes, ut fratrum ſuorum, qui aberant, & miniſterialium eccleſiæ præſentiam expectare valerent, cum quibus communicato conſilio, quid optimum factu videretur, pariter ordinarent. Nos econtra inſtantiam legatorum jam regredi deſiderantium opponebamus, & præcipue voti noſtri ac ſponſionis vinculum, quo ſic obligati eramus, ut ſub eadem hora ab his, qui præſentes erant, ſolvi in alterutram partem oporteret. Itaque emiſſis nobis a capitolio, fratres plurimum anxii ac mœrentes cauſæ hujus utrumque latus ſollicite pertractantes, diuque ac multum inter utrumque cunctati, legatos tandem admiſerunt, totius rei geſtæ ordinem plenius addiſcere cupientes. Bruno præpoſitus novæ eccleſiæ, qui inter miſſos erat honoratior, loquebatur quædam grandia, videlicet Corbeienſem eccleſiam jus liberum electionis habere, quo nunc eſſet uſa & concorditer & abſque ulla vel minimi verbi diſſenſione, futurum ut prius tria millia marcarum argenti expenderet quam ab obtinendo electo ſuo deſiſteret. Corbeiæ maximas & pacatas divitias eſſe, fratres religionem tenere, & ut augeatur deſiderare ac petere: miniſteriales valde locupletes eſſe, nullum inter eos verbum ſeu litigium de villicationibus jure obtinendis extitiſſe. Omne feodum vel beneficium liberum vel abſolutum fore, ubi mares non ſuccederent patribus: ſervitium regis tam in expeditione, quam in curia adeunda & in hoſpitiis procurandis exuberare, fratrem illum HENRICUM, de quo nunc agitur, judicium Dei & ſuæ depoſitionis ſententiam patienter ſuſtinere, ipſum quoque deſideranter electi adventum expectare, gaudentem, quod nullus eorum, qui ei adverſati fuerant, ſuccederet, Stabulenſis monaſterii defectum de plenitudine Corbeienſis poſſe ſubmoveri. Locus quidem invidiæ videbatur, patrem ac proviſorem tantis & tam inſperatis bonis velle fraudari, cum in facultate Stabulenſis eccleſiæ nihil aliud niſi labor & dolor haberetur. Incredibilia tamen hæc videbantur, atque ideo nobis ad ſuum colloquium revocatis, conſilium ſubeundi ſarcinam prælationis ſub tali moderatione dederunt, ſi videlicet, quemadmodum acceperant, rerum ſtatus apud Corbeienſes inveniretur. Multum itaque renitentibus legatis, unum de Stabulenſibus monachis, fratrem ſcilicet HENRICUM, virum utique excellentis ingenii & prudentiæ, ac ſingulari conſtantia præditum, cum litterarum noſtrarum atteſtatione Corbeiam direximus, qui

qui ſubtili inquiſitione diligenter inveſtigaret de toto electionis ordine, & univerſa rerum Corbeienſis cœnobii qualitate. Veniens igitur Corbeiam, ſuſceptus eſt ab omnibus officioſe, & cum gaudio, ex eo tamen dolentibus, quod adventus noſter aliquo modo tardabatur: atque cum in communi fratrum cœtu admiſſus eſſet, nullam invenit in tota electionis actione diſſonantiam, ſed excluſo præcipitis ac temerarii verbi vel actionis vitio, omnium pariter vota concordabant. Obſervatum eſt ſumma cautela, ne intelligeret illum dominum HENRICUM jam fuiſſe Romam profectum, ad reparandam cauſam ſuam, & ad repetendam abbatiam, quia jam ex legatis pro certo compererant, quod ad res etiam totas non libenti animo migraremus, nec certamen pro aliqua prælatione obtinenda ſubire vellemus. Remiſſus eſt ad nos frater noſter prædictus cum litteris eccleſiæ, quæ de omnium deſiderio & conniventia circa noſtram perſonam plenius continebant, quæ nos ad regimen ipſorum favorabili affectu invitabant. At vero dominus noſter rex frequenti juſſione nos ad curiam ſuam vocabat, graviter ſuccenſens, quod eccleſia Corbeienſis, non modicum videlicet regni ſui membrum, noſtra vel negligentia vel tarditate collaberetur. Venimus itaque ad oppidum *Frankenevort* v. idus Decembris, credentes dominum regem ibidem eſſe, ſicut ipſe nobis per nuntios & litteras ſignificaverat, & invenimus ibi Corbeienſes monachos, clericos & laïcos non paucos, qui pro ſua electione obtinenda omnium reliquorum mandato & teſtimonio advenerant. Didicimus tunc quodam caſu, cum hoc nollent Corbeienſes, dominum illum HENRICUM adiiſſe domini papæ pro ſua reſtitutione præſentiam. Quanto metu ac dolore affecti fuerimus, nequaquam explicare verbis poſſumus. Tenebamur obligatione divini præcepti, quod per os fratrum Stabulenſium acceperamus, quatenus ad vocationem Corbeienſium cœpto itinere procederemus, reſiſtebat nobis ratio noſtra, & deterrebat nos non improbabilis conjectura, quod impingere poſſemus in Romanam eccleſiam, & graviter ſub potenti manu collidi, ſi cauſam Corbeienſium retractare dominus papa inſiſteret. Doluimus & flevimus, & male nobis erat. Ad primum igitur pullorum cantum, cum dormirent Corbeienſes, nos clam receſſimus, ſperan-
[a] tes quod in monaſterio (a) Lauriſamenſi dominum noſtrum regem, ſicut ab ipſo per nuntium acceperamus, invenire poſſemus, & aliquo modo apud ipſum ſatagere, ſi forte voluntas Dei eſſet, ut Corbeiam non perveniremus. Sequebantur nos Corbeienſes mane facto indignati, ac diſponente Deo, dominum regem antequam ad nos perveniret, in via obvium habuerunt, & totis ingenii viribus apud ipſius manſuetudinem egerunt, ne ipſos ſpe ſua & electione vacuos & ſub ancipiti periculo conſtitutos in ſe confidentes dimitteret. Conſolatus eſt eos benigne, & plenos bonæ promiſſionis fecit hoſpitari ſecum in villa *VVinheim* nominata. Die inſecuta nos non ſolum vocati, ſed etiam per fidem & ſacramentum adjurati venimus, plus cogente Dei ordinationis articulo, quæ in ore ſervorum ſuorum ſonuerat, quam impellente regiæ majeſtatis & offenſæ formidine. Conſumta eſt dies illa in utriuſque partis allegationibus, & quærebamus in domo regia interceſſores, qui antea pro multis etiam damnatis ſæpe interveneramus, & ſollicitabamus amicos noſtros, quaſi de eorum fide dubitantes, ANSELMUM videlicet Havelbergenſem venerabilem epiſcopum & ARNOLDUM majoris eccleſiæ in Colonia præpoſitum, regiæ curiæ cancellarium, quos a juventute noſtra ſumma dilectione ſumus amplexi, & diligenti ſtudio cum quotidiano caritatis incremento venerati, atque ut nobis aſſiſterent, & animum principis ab hac intentione revocarent, magna precum inſtantia rogabamus. Siquidem diſputandi & refragandi auſum ultra voti noſtri & reſponſi accepti ſtabilitatem nobis illud exhibebat, quod fratres noſtri ſub quodam interpoſitæ conditionis pendulo conſilium dederant, ut tunc ſequeremur rationem, ſi nullum vitium ſive dolus in actione vel narratione ſubeſſet. Quid multis moramur? cum univerſa, quæ dicta ſunt, nec temporis, nec epiſtolæ brevitas poſſit comprehendere. Turbati ergo & inopes facti totius conſilii, cum maxima lacrymarum & ſingultuum interruptione defenſionem cauſæ noſtræ reliquimus, domini regis arbitrio rei ſummam & terminum committentes, ea tamen prudentiæ ratione conſiderata, ut tunc regia manſuetudo cogeretur a propoſito declinare, cum nos & honorem noſtrum ac famam ſuæ fidei tradidiſſemus. Verum ipſe in ſui promiſſi ſtabilitate perſeverans, & tamquam de ſuæ voluntatis proceſſu adepto triumphans, vocatis Corbeienſibus, nobiſque tacentibus, nos more ſolemni publice de abbatia Corbeienſi
E inveſtivit. Induimus ibidem quamdam animi firmioris conſtantiam, perſonam prius & rem omnem jacturæ ſubjicere ſtatuentes, quam Corbeienſem eccleſiam noſtro conſilio & auxilio contra prædicti HENRICI impetus nudare. Dimiſſi ergo a regia curia pervenimus Corbeiam XV. kal. Januarii, ubi

(a) Laureshamenſe ordinis S. Benedicti inſigne cœnobium in inſula diœceſis Moguntini *Aldenmunſter* poſtmodum appellata, circa annum 764. fundatum eſt a Cancore illuſtri Rhenenſis pagi comite & religioſa ejus matre VVillisvvinda, ſub patrocinio SS. Petri & Pauli, quibus S. Nazarius non multo poſt additus eſt patronus, ob tranſlatas eo ejuſdem ſancti reliquias.

mirabili omnium favore ſuſcepti fuimus. Nuntiatum eſt nobis Goſlariæ nonas Januarii, quod idem HENRICUS ab urbe eſſet reverſus, confecto negotio. Nos tamen Spiritu-ſancto roborante proceſſimus ad res eccleſiæ obtinendas, & contra ſpem humani judicii tam perſonas, quæ illi fidelius adhæſerant, quam poſſeſſiones, quas ipſe alienaverat, abſque majoris difficultatis obſtaculo recepimus. Hæ vero ſunt poſſeſſiones, quas liberali manu poſt depoſitionem ſuam donaverat. In *Cropenſtedem* viginti manſus, in Nortlandia curtem integram *Loningen*, curtem integram *Buocborn*. In curte *Vtsbich* duos manſus. In curte *Loten* unum manſum, in curte *VVerletem* unum manſum, in curte *Mettesdorp* unum manſum & alia quædam, quæ univerſa Deo propitio recuperavimus. Sed rumor, quem acceperamus de illius reſtitutione, vanus fuit, quoniam uſque adeo nihil egit, ut a ſede apoſtolica abſque formata epiſtola redierit, nec litteras commendatitias, nec recepti ſacerdotalis officii & abſolutionis ſuæ ab excommunicationis vinculo teſtimonium referret. Quid vero de epiſtolis a domino papa accipiendis, præcipue ab his, qui ad ipſum venientes negotium habent, ſacra canonum auctoritas decernat, veſtra melius eruditio novit. Cunctis itaque diſſenſionibus Corbeienſis eccleſiæ tam intus quam foris per Dei miſericordiam ſopitis, omnibuſque difficultatibus complanatis, miſſi fuimus a domino rege cum VVormatienſi & Havelbergenſi epiſcopis obviam domino papæ EUGENIO ingredienti Galliam Comatam, cui occurrimus in oppido Divionis tertio kal. Aprilis anno Domini MCXLVII. cui cum ſuggeſtum eſſet, quod nos eccleſia Corbeienſis in abbatem elegiſſet, diſcretione apoſtolica & providentiæ ſingularis cauſa edoctus, nullas Corbeienſi eccleſiæ ſive in privilegiis ſive in epiſtolis ſub nomine noſtro litteras dirigere voluit, niſi prius de tota electionis ſeriæ & ſinceritate plenius cognoviſſet: arbitratus etiam perſonarum tranſlationem de eccleſia ad eccleſiam, vel quod una perſona in altera eccleſia paſtoris, in altera viſitatoris officium obtineat ad ſuæ moderationis gubernacula pertinere. Fuimus tamen ab ipſo liberaliter & honorifice habiti, non ſolum pro reverentia regiæ majeſtatis, cujus legatione fungebamur, ſed etiam pro privatæ dilectionis gratia, qua nos jam pridem cognitos pic amplexari dignatus fuerat. Tunc etiam injunxit nobis in virtute obedientiæ, & in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ut ad debellandos Chriſtiani nominis hoſtes, ac Dei eccleſiæ vaſtatores trans Albim ſuper paganos militaremus, cum tamen ſciret hoc nequaquam a nobis poſſe fieri, niſi ex Corbeienſis eccleſiæ expenſa & militia. Miſit ergo Corbeienſis eccleſia communi conſilio & noſtro aſſenſu duos ex fratribus ſuis, VValterum ſicet monaſterii priorem, & Reinherum præpoſitum de *Cresburch* viros ſane probati teſtimonii & honeſtæ converſationis, ſed neque profundi ſermonis neque diſcretionis, armatos quidem non arte, ſed veritate; non facundia, ſed innocentia. Hi numquam curiam Romanam prius intraverant, & perverunt ad dominum papam apud ſanctum Dionyſium in territorio Pariſienſi. Decima poſtmodum die abſoluti ſunt in civitate Meldis, confirmata prius in celebri conventu noſtra in Corbeienſi eccleſia electione & ordinatione ſub die x. kal. Julii. Siquidem reverendus ac pius pater noſtram parvitatem publica laudatione proſequi dignatus eſt, noſque ampliſſimis verbis apud ignotos commendavit, mandans legatis, & per ipſos omnibus, ut nos tamquam patrem & dominum diligerent atque honorarent, atque cum ipſis tanto ſtudio & labore experiri tantopere placuiſſemus, ne tunc diſplicere inciperemus, cum de religione reformanda & poſſeſſionibus recolligendis agere tentaremus, ſed tam ad ordinis reparationem, quam ad fundorum reſtaurationem communi conſilio & auxilio fulciremur. Intellexerat namque vir ſubtilis ingenii, nos neque in obtinenda neque in conſervanda hujus prælationis dignitate cum aliquo ambitionis nævo laborare, ſed ſtetiſſe pro innocentia & fama noſtra, & pro quibuſdam rebus noſtris, quod ad incrementum cœnobii Corbeienſis non modico ſumtu inchoaveramus. Nondum reverſis legatis, intraveramus cum armata militia & exercitu Chriſtianorum principum terram Leuticiorum, tranſmiſſo Albi flumine, & eramus in obſidione caſtri *Dünin* * ſub vexillo Crucifixi, cum ecce jam ſæpe dictus HENRICUS parvo quidem armatorum numero, ſed multum armato animo Corbeiam acceſſit, miſſiſque legatis ſuis, eccleſiam de fide & juramento ſuo admonuit, & ut ipſum tamquam proprium dominum reciperent, poſtulavit. Verum illi veræ fidei & jurisjurandi non immemores, monaſterium armis & propugnaculis, quæ uſque hodie exſtant, muniunt, & vim vi repellere jure gentium moliuntur. Fecerat & antea ſimile quid in monaſterio de *Aldeſleve*, ubi ab HILLINO ejuſdem monaſterii abbate, qui de Corbeienſi congregatione illic aſſumtus fuerat, quia multis vir diſcretus & litteratus putabatur, hoſpitio poſt reditum ab urbe receptus, ipſo annuente, in ſtationibus feſtis cum virga paſtorali inſignitus proceſſit. Cujus prævaricationis præmium præſumtori conſiliario transgreſſor ipſe reddidit, in eo videlicet, quod eodem abbate abſente ſedem ſuam & abbatiam in capitulo invaſit, ſed a FRITHERICO ejuſdem loci advocato paulo poſt circumſeptus, fuga & pedibus pœnam evaſit. Prædictus abbas contemtor ſane canonum & apoſtolicæ ſedis, relicta monaſterii

* l. Dünin

& fratrum ſuorum cura, Jeroſolymam profectus eſt, armatam militiam ſequens, ubi & in mari ſubmerſus eſt, cujus obitu nuntiato, præfatus HENRICUS abbatiam ſine canonica electione obtinere voluit, atque ut per nos a marchione ADELBERTO induceretur, efficere laboravit. Exſtat epi- [a] ſtola, (a) in qua perſuaſioni ejus & quorundam virorum non obſcuri nominis reſpondimus. Reverſi ab expeditione Sclavica in nativitate beatæ Mariæ, quam etſi peccatis exigentibus non efficaciter, ſed tamen obedienter complevimus, ad quam nos traxerat & Chriſtianæ ſalutis intuitus & ſpecialis monaſterii noſtri cauſa, pro recipienda videlicet regione quadam, quæ a Teutonicis Ruiana, a Sclavis autem Rana dicitur, quæ Corbeienſi monaſterio imperiali dono collata eſt a LOTHARIO cæſare, invenimus eccleſiam aſſultu prædicti hominis turbatam, plus dolentes ac metuentes de fraude ac pertinacia eorum, qui conſilium & adjutorium illi impenderant, quam de ipſius temeritate. Anno præterito fuimus Treviri in curia domini papæ, unde cum gratia & apoſtolicæ benedictionis roboratione revertentes, accepimus litteras ad Corbeienſem eccleſiam plenas favoris & bonæ ſpei, in quibus continetur, ut Corbeienſes nos tamquam boni & humiles filii diligerent & honorarent, atque ut paſtori ſuo condignam nobis reverentiam & obedientiam impendentes, ad recuperandas & retinendas poſſeſſiones & bona Corbeienſis eccleſiæ viriliter aſſiſterent. Non profuit tam frequens ſua depoſitio, tam crebra noſtra confirmatio, tam perſeverans apoſtolicæ auctoritatis juſſio, ſeminatur terra mendaciis, ſeminatur ſcandalis, & ut mos eſt gentis, prius hominem falſa delatione ſuffocant, quam ipſe ſeſe appeti intelligat. Venimus ad ſynodum Rhemenſem, quæ celebrata eſt mediante quadrageſima, ubi dominus papa paci & tranquillitati Corbeienſis eccleſiæ providere volens, ſententiam, quam venerabilis pater noſter bonæ memoriæ THOMAS preſbyter cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus in HENRICUM quondam monaſterii ejuſdem abbatem verbo dederat, verbo & ſcripto confirmavit. Sententia vero prædicti cardinalis & legati, quam apud nos ſcriptam & imagine ipſius obſignatam habemus, hæc fuit. Nos, inquit, communicato conſilio epiſcopi Patherburnenſis & aliorum, qui præſentes aderant, pro inutilitate perſonæ & confeſſione ſimoniæ, & inobedientia & ceteris, cum de abbatia & ſacerdotio depoſuimus, monachos ab obedientia, & omnes, qui juraverant ſibi fidelitatem, a debito juramenti abſolventes. Quod ſi viſis aut auditis his litteris in abbatia conſiſtere pertinaciter voluerit, & eccleſiam in perſonis vel bonis ſuis per ſe vel per aliquam ſubmiſſam perſonam læ- A dere molitus fuerit, a proxima Dominica palmarum eum excommunicamus. Viderit de abſolutione ſua, viderit de reſtitutione ſacerdotalis officii. Hæc in eum prolata in judicio & ſcripta ſub ſigillo fuerunt. Sed videte qualiter toties tam acerbe admonitus reſipuerit. Venit in menſe Junio *Giſele* in domum ſororis ſuæ abbatiſſæ, quæ nec ſacrum virginis velamen per conſecrationem epiſcopi ſuſcepit, nec benedictionem ad abbatiæ regimen a pontifice accepit, cum tamen jam antea duas abbatias, videlicet *Eskenevvege* & Kaminata per violentiam occupaverit, præter illam, quam modo tenet, & habuit conſilium cum miniſterialibus noſtris numero quatuor, qui ſoli de omnibus laicis ad depoſitionem ipſius maxime ſunt adniſi. Reconciliatus eſt eis in oſculo pacis, utinam propter eum, qui eſt Caritas. Sed inventus eſt dolus in ore ipſorum, quoniam eorum quidam ſpe cujuſdam temporalis commercii & ipſum vocavit, & ipſe illuc venit, cujus rei relatione nec aures veſtras ſanctiſſimas decet gravari, nec noſtram profeſſionem, nec ſtilum contaminari. Radicem conveniendi & arborem conſilii nos de fructibus plane cognovimus. Recedentes enim ab eodem colloquio, cœperunt paulatim & occulte per extremæ conditionis & fortunæ perſonas in vulgus ſpargere, quod nequaquam eſſemus ultra redituri, dominum illum, cui reconciliati fuerant, abbatiam ſive jure ſive injuria recepturum, atque interim maledicta & incredibilia probra de perſona & converſatione noſtra in populum ſpargebant. Procedebat eorum audacia, & incipiebant graſſari in ſuos compares, ac projecta nominis noſtri ac poteſtatis reverentia, prædis eos & rapinis inceſſebant. Induxerunt præterea intra muros atrii monaſterii noſtri genus hominum deſperatorum, prædones videlicet & latrones, & quoſdam proſcriptos, de quibus publica querimonia clamabat, quod vias & itinera obſiderent, & latrociniis omnia permiſcerent. Commovebant clandeſtinis conſiliis corda quorumdam fratrum in ordine ſuo diſſolutorum, quod malum uſque adeo invaluit, ut poſt reditum noſtrum, quem hac neceſſitate ante præfinitum & opportunum tempus acceleravimus, tres de junioribus fratribus in anniverſario die obitus prædeceſſoris noſtri abbatis HENRICI pro eo nobiſcum orare multotiens admoniti derrectarent, eo quod dominum ſuum depoſuiſſet & in ſede ejus ſediſſet contra canones. Pro qua rebellione & contemtu tamquam inobedientes & temerarii de monaſterio communi omnium judicio ſunt ejecti. Quæ actio aliis ſingularibus litteris tota (b) [b] conſcripta eſt. Hoc venenum de conflatorio

(a) Epiſtola 117. ad F. S. Godehardi abbatem.

(b) Supra in epiſtola ejuſdem VVibaldi ad ſuos Stabulenſes.

prædicti conventiculi fluxisse non dubitatur. Crevit quotidie simultas, & nocivis augmentis in tantum provecta est, ut illi ipsi, de quibus dictum est, nos per submissos latrones trucidare tentaverint IV. Kal. Januarii. Quo nequitiæ conatu frustrati, effracto stabulo nostro, quatuor equos abduxerunt, tres gladiis confoderunt. Hoc factum in ore omnium, cum maledictione versatur, & nos anxietate ac sollicitudine implevit. Perpendat nunc, reverende pater, ac judicet vestra prudentia de vestra petitione super illius fratris in claustrum nostrum receptione, qui tam mobilis & convertibilis animi est, qui consuevit pravorum magis quam prudentium acquiescere consiliis; hoc est ignem in sinu recondere. Audistis nunc, quæ mala nobis fecerit, intelligite nunc, quæ nos ei bona contulimus. Fuerat in obsequio suo juvenis quidam filius fratris sui nomine Cunradus, qui ad nos reversus est nondum deterso sudore itineris Romani. Eum nos non solum clementer, verum etiam familiariter atque in cibo & potu & somno tamquam custodem corporis habuimus, quem etiam honore, possessione, & honesto matrimonio sublimavimus. Puerum quemdam reliquerat Corbeiæ filium sororis suæ, illo nativitatis ordine genitum, de quo leges & patrum instituta decernunt, ut in ergastulis monasteriorum sic concepti retrudantur, quem ipse in monasterio collocare nequierat: sed nos eum intuitu divinæ retributionis tonsuratum & vestimentis regulæ indutum collegio fratrum aggregavimus. Quidam ex eis, quibus nuper reconciliatus est, cui frequenter legatos dirigit, gravi eum ignominiæ cauterio adusserat, quasdam ædes prope monasterium destruendo, & inhabitantes in eis ingressu monasterii arcendo, quam notam nos humanitatis verecundia suadente abolere festinavimus. Hunc locum erubescentes atque cunctantes attingimus propter illud Apostoli: *considerans te ipsum, ne & tu tenteris, & qui stat videat, ne cadat.* Illud verum, quod licet munus fuerit, non tamen a nobis beneficium reputatur, prætereundum putamus, videlicet quod a nobis fuerit vestitus cunctis duplicibus eadem die, qua a submissis latronibus vitam fere cum caballis amisimus. Propterea detestanda est ambitio, quæ mentis oculum cæcat, quæ religionis intuitum tenebrat, quæ Dei timorem & hominum reverentiam annullat. O altitudo divini consilii! O profundum justissimum providentiæ! O investigabiles viæ Dei! Dum honorem conscii fragilitatis rejicimus, consilio divino capimur; cum ad quietem diu defideratam & corpore & animo tendimus, æternæ providentiæ judicio labores inextricabiles & anxios incidimus, & in hac via Domini cum amamus, odium recipimus, cum miseremur, affligimur. Accusatores quidam & testes atque cooperatores depositionis hominis illius elisum recolligunt, odia incendunt, arrhant iras, præsumtionem roborant, non quia eum diligunt, sed quia ipsi inquieti sunt. Quod autem vestra eruditio scripsit, ut jam sæpe nominatum fratrem in claustrum professionis suæ benigne recipiamus, & paterna consolatione contritionem ejus sublevando foveamus, quamdam juris fationem prætendere videtur: sed imbecillitati nostræ nequaquam justum sive legitimum aut regulare creditur, ut ad tutelam redeat, de qua fuit semel emancipatus. Emancipationem vero intelligimus abbatis promotionem, quia capite diminutus non potest fieri legitime tutor. Sicut ergo a prælatione alicujus dignitatis depositus, jure cogi non potest, ut ibi nolens habitet, ubi præfuit, sic nobis videtur, ecclesiam cogi non posse, ut depositum suum, non dicimus alat, sed in suæ habitationis penetralia cum formidine futuri scandali recipiat, nisi forte quis suæ depositionis sententiam patienter ferat, & reversus cum adversariis in concordiam in electionis assensu illum arroget, quem postea patrem & tutorem absque contradictionis obstaculo habere valeat. Ille vir duabus electionibus, quæ post depositionem suam canonicæ institutionis ordine celebratæ sunt, nec interfuit, nec acquievit, sed potius contradixit, & usque hodie clamare non cessat se fuisse circumventum & vi oppressum, cum tamen & confessio ejus, & accusatorum attestatio, & operis ipsius irrefragabilis evidentia juste damnatum manifeste ostendant. Non est ei tutum, non est ei honestum, non est ei pacificum in domo una inter personas esse, quæ agente Dei judicio sua accusatione & testificatione eum deposuerunt, nisi forte in animo ipsius soliditate humilitatis fundato, mundanæ altitudinis desiderium penitus excoctum sit. Præterea excellentiam vestram latere nolumus, quod in litteris, quas dominus papa EUGENIUS depositionem illius confirmans scripsit, statuisse dinoscitur, ut si idem HENRICUS pacem monasterii Corbeiensis perturbare præsumserit, & bis tertioque commonitus non resipuerit, non solum ibi ulterius non habebit prælationis officium, sed ne postmodum ibi inter subditos maneat, prohibuisse. Cum a conventu illo malignantium, qui apud *Gysecke*, ut supra dictum est, fuit habitus, reverteretur, habuit hospitium præ foribus monasterii, in domo cujusdam laici sibi antea familiaris, ubi a quibusdam juvenibus nova cupientibus visitatus fuit, & antelucanis horis in ecclesiam vocatus & salutatus fuit. Unde egrediens mane invenit operarios in muro novarum ædium, quas erigere inchoavimus, hortatusque eos ad studium operis, promisit a seipso condignam retributionem accepturos, ipsum

quoque camerarium noſtrum, cui hanc ſollicitudinem injunxeramus. Verba hæc inepti hominis: ſed ut ſcitis, populus cœpit ea exaggerare, & ſuſcipione ac metu omnia implere, ita ut etiam viri, quos majoris opportuit eſſe conſilii, in offenſionem ſint adducti. Pro qua re admonuimus eum per venerabiles patres & coabbates noſtros, per abbatem videlicet de *Reinehuſen*, per abbatem de *Northeim*, per abbatem de ſancto Godehardo, per abbatem de *Gravenkirch*, per abbatem de *Flietorp*, per præpoſitum de *Richenberch*. Sic firmatam credimus ſententiam domini papæ, ne idem dominus de cetero ſit habitator vel dominus Corbeienſis monaſterii. Hæc, pater amantiſſime, vobis ſcribere dignum judicavimus, prolixiora fortaſſe, quam veſtris occupationibus ſeu valetudini conveniat, ſed eo animo factum eſt, ut totus rerum ordo vobis plenius innoteſcat, & noſtra parvitas apud veſtram diſcretionem in eo, quod petitionem veſtram tanta neceſſitas exaudiri non patitur, placidam excuſationem inveniat. Quod vero plurali numero ſcribimus, non venit ex elatione cordis & pompa verborum, neque ut ex tumida dictione oratio fiat craſſior, aut ex producta poſitione numeroſior, ſed ex noſtra, id eſt monachorum conſuetudine, hoc facimus, qui nihil ſingulare aut proprium niſi: *mea culpa peccavi*. Superfluam fortaſſe, ſed tamen officioſam operam aſſumimus, videlicet Minervam docere artes, in ſilvam ferre ligna, mittere aquas in flumina, juvare lumen ſolis facibus accenſis. Non doleatis, cariſſime patet, quod hoc non habetis, quod habent cymices & vermiculi, (a) quoniam habetis quod multi homines non habent: non inquam triſtemini, quod non habetis illud, ex quo nemo Deum vidit umquam, quoniam illud habetis, ex quo beati ſunt, qui Deum videbunt. *Judicia Dei abyſſus multa!* &, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus!* Tyrannis & eccleſiarum ſubverſoribus dat incolumitatem & rerum omnium affluentiam, religioſis & eruditis epiſcopis ſubtrahit viſionem oculorum, ne gregem ſuum oculis carnis videant & officium altaris implere valeant. Patitur & Apoſtolus aliquid, quod non vult, propter quod ter Dominum deprecatur. Sed dicitur ei: *ſufficit tibi gratia mea*. Et ad revelationum humiliandam ſuperbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur, in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru comes retro adhærebat per ſingulas acclamationes civium dicens: Hominem te memento. Valete.

(a) Oculos ſcilicet, quibus Bernhardus privatus fuit annis novem antequam ex hac vita migraret. Idcirco aſſumſit in coadjutorem Brunonem decanum ſum..i collegii ex Chronic. epiſc. Hildesh. edit. tom. 2. ſcript. Brunſvvic. p. 292.

EPIST. CXXXII. CORBEIENSIUM monachorum ad Bernardum epiſcopum Hildenesheimenſem.

Exponunt tres rationes, quæ ipſos deterrent a recipiendo Henrico quondam abbate depoſito.

DOmino & patri ſanctiſſimo BERNARDO venerabili epiſcopo ſanctæ Hildenesheimenſis eccleſiæ, conventus eccleſiæ Corbeienſis devotæ orationis inſtantiam & debitam caritatis perſeverantiam. Anno 1142.

Venit ad nos venerabilis abbas ſancti Godehardi (b) homo in noſtro monaſterio ex longo jam tempore dilectus, & familiaris afferens parvitati noſtræ litteras veſtræ ſanctitatis, quæ hoc deprecabantur, ut dominum HENRICUM quondam eccleſiæ noſtræ abbatem ad nos reconciliaremus, & volentem converſari inter nos non repelleremus. Quod vero tunc in præſentiarum veſtræ paternitati reſpondere diſtulimus, cauſa erat, quod in hoc verbo magna anxietate tenebamur, nec in re tam difficili, quæ ſcandalum eccleſiæ noſtræ gignere poterat, inconſultis univerſis, qui tunc plerique aberant, quicquam ſtatuere incongruum arbitrabamur. Quid autem nunc inconſilio invenerimus veſtræ celſitudini per unanimitatis noſtræ litteras aperimus, hoc in principio poſtulantes, ne indigneturnobis dominus noſter, quod petitioni veſtræ ſatisfacere non poſſumus. Homo enim iſte, pro quo interpellaris, magnam eccleſiæ noſtræ afflictionem intulit. Primo quidem cum a fratre ſuo comite SIFRIDO ad dignitatem abbatiæ violenter eſt intruſus: deinde cum in prælatione poſitus eccleſiæ inutilis fuit & damnoſus: poſtmodum etiam cum ex Dei judicio depoſitus, eccleſiam noſtram multis & magnis injuriis, in quantum potuit, eſt perſecutus. Siquidem ut apud excellentiam veſtram excuſabiles eſſe valeamus, violentam intruſionem ejus in abbatiam paucis verbis exponemus, in quibus tam vera loquemur, quam viſa & experta dolemus. Cum dominus noſter piæ memoriæ ADELBERO abbas viam univerſæ carnis ingreſſus eſſet, idem domnus HENRICUS erat apud nos adhuc in annis adoleſcentiæ, & nuper abſolutus de ſub jugo clauſtralis cuſtodiæ. Hic aſpiravit ad dignitatem abbatiæ, quam etiam adeptus eſt fratre ſuo SIFRIDO cooperante. Miſit namque idem comes ipſo articulo temporis, quo abbas ſenior deceſſerat, ſecretos nuntios ad Moguntinum archiepiſcopum, & cum hoc ignoraremus, callide egit, ut electionem, quam de conſuetudine monaſterii eadem die cele-

(b) Fredericus procul dubio, de quo ſupra, Corbeienſibus ex longo tempore dilectus & familiaris, & idea a quibuſdam dictus Corbeienſis; tametſi magis conſtat ex popularibus chronicis, Fuldenſem fuiſſe.

brare debueramus, per triduum differremus. Peracto triduo, venerunt legati domini Moguntini cum litteris ipsius missis ad nos. Litteræ autem continebant petitionem & suasionem archiepiscopi de eligendo in abbatem fratre comitis, postremo etiam comminationem quamdam si petitioni ejus in eamdem personam non præberemus assensum. Si, inquit, cum non elegeritis, & siniſtri aliquid provenerit, neque iniquitas mea neque peccatum meum. Legati præterea ipsius quædam immania loquebantur, comminantes, si alius electus foret, dominum suum archiepiscopum, ne consecraretur, prohibiturum, denique in conspectu domini papæ eum nobis adversaturum. Venit ergo dies, cum facta secundum consuetudinem ecclesiæ solemni invocatione Spiritus-sancti, ad eligendum patrem & pastorem animarum nostrarum in capitulo consedimus. Comes vero supranominatus de promovendo fratre suo sollicitus erat. Unde & ambiendo singulatim omnes, qui desiderium suum promovere poterant, per se & per secretos nuntios conveniebat, & alium quidem suasionibus, alium blandimentis, alium terroribus ad electionem sollicitabat. Nam & præposito nostro per familiares nuntios sub diligenti interminatione ita pollicitus est, quod si electionem fratris sui in aliquo impediret, omni honore eum in ecclesia nostra prorsus nudaret. Cum igitur de voluntate comitis in publicum dictum fuisset, & quidam de fratribus repleti Spiritu Dei resisterent, & causas contradictionis suæ multas & convenientes redderent, sive quod prædictus HENRICUS, quem eligere cogebantur, infra annos esset, sive quod pene illitteratus hujus dignitatis officium verbo & doctrina minime administrare sufficeret, sive quod inops consilii & totius prudentiæ neque se ipsum, neque rem tam grandem gubernare vel regere prævaleret, sive quia libertas & ordo regularis electionis per eum cassata videretur, qui propter timorem fratris magis quam respectu Dei & communis utilitatis assumeretur: cum tales, inquam, excusationis causæ exponerentur, comes qui cum armata manu nobiscum in capitulo sedebat, adversus eos, qui hujusmodi loquebantur, multo furore & ira magna efferebatur; quibus & postmodum satis innotuit, quid tunc in eos moliebatur. Novissime cum in electione consensus fieri nullatenus potuisset, gravis sententia nobis proposita est, quod si hanc denominatam personam non eligeremus, corpus venerandi patris nostri ADELBERONIS abbatis, beati utique senis, & cujus memoria in pace est apud nos, ejici ex ecclesia ad contumeliam nostram cito aspiceremus. Pollicebatur nihilominus idem comes, si frater eligeretur, multo adjutorio se ecclesiæ affuturum, & tam in persona sua quam in rebus se fideliter & devote serviturum. Quod qualiter expleverit, rerum exitus comprobavit, cum facto abbate eodem fratre suo, assidue cum uxore sua & maxima multitudine super eum & ecclesiam incumbebat, nec prius eum deserebat, quam annonam, de qua toto anno victurus erat, sic prorsus consumserat, quod nec mensæ panem residuum ei dimittebat. Non itaque tam inducti his promissionibus, quippe quas vanas ac falsas suspicabamur, quam superati terroribus ac minis, quem solum principem & dominum super nos aspiciebamus, maxime ne contumelia ecclesiæ fieret in defuncto patre nostro, ita coacti fratrem ejus elegimus, non ausi dimittere, quod voluntatis ejus esse perspeximus, non tamen communiter, quia prædicti fratres in contradictione sua perstiterunt, & cum a domino rege multum etiam invito ac fratris precibus constricto investitus de Fulda rediret, illi susceptioni ejus se subduxerunt, quod electioni ejus, quæ secundum Deum facta non erat, consentire noluerunt. Unde & eosdem, qui erant numero quatuor, nobis inconsultis, comes & novus abbas exiliaverunt, cum quidam ex eis satis eruditi & honeste apud nos conversati, multum a nobis fuerint dilecti, nec sine magno dolore sint a conventu nostro subtracti. Quemdam vero ex eis, qui præsentiam domini papæ interpellaverat, postmodum idem domnus HENRICUS cepit, & in vincula conjecit, & fame ac siti, frigore ac nuditate intolerabiliter afflixit, & per tres menses carceri mancipavit. Talem introitum habuit in abbatiam. Quam inutilis autem fuerit in ecclesia tempore prælationis suæ, & quam stulte omnia egerit, uno exemplo demonstrari sufficiet. Quod cum fratris sui beneficium liberum ad ecclesiam rediisset, de quo multum res nostræ augmentari poterant, absque omni & sua & nostra utilitate de manu ejus excidit, & hanc honestam opportunitatem benefaciendi, quam quasi dormienti Deus obtulerat, prorsus neglexit, & ne aliquis successorum suorum utilitatem inde consequatur, variarum rerum intricatione effecit. Qualiter denique per dominum THOMAM cardinalem presbyterum apostolicæ sedis legatum depositus sit, accusatus & convictus de simonia, de violenta intrusione, de inutilitate personæ, de inobedientia, quia vestræ discretioni incognitum esse non credimus, ob fastidium prolixitatis hic inserere supersedemus. Quoniam igitur per misericordiam Dei de persona ejus ecclesia nostra liberata est, gratias agimus Deo, & quod de cetero neque dominus, neque habitator loci nostri sit sponsione in perpetuum valitura firmavimus. Neque enim propterea depositioni ejus consentientes fuimus, quod eum denuo nobis præponere voluerimus. Scimus autem, quod nisi affecta-

ret reſtitutionem dignitatis ſuæ, nequaquam tantopere quæreret ibi ſubeſſe, ubi aliquando præfuit, præcipue cum in principio ſedi apoſtolicæ rebellaverit, & tot conatuum ſuorum amputatis capitibus, quotidie trigeminis aſſultibus reſurgere attentaverit. Non ergo inter nos eum eſſe volumus, qui ſi opportunitas accederit, iterum nobis dominari concupiſcat. Litteras etiam domini papæ confirmantes depoſitionem ejus præſenti anno habuimus, in quibus hoc demandavit, quod ſi Corbeienſem eccleſiam fatigare præſumſerit, & ſemel ac bis tertiove monitus non reſipuerit, non ſolum prælationis dignitatem, de qua depoſitus eſt, in Corbeienſi monaſterio non habebit, ſed nec inter ſubditos poſtmodum habitabit. Fatigantem igitur eccleſiam noſtram per venerabiles & religioſas perſonas dominus noſter abbas ex communi conſilio capituli noſtri jam pluſquam tertio commonuit, nec tamen de fatigatione noſtra poſt commonitionem ceſſavit. Ex mandato igitur domini papæ aſtricti, eum in conſortio noſtro recipere non præſumimus, quoniam incidere in manus domini papæ, & ſimiles inobedienti exiſtere per noſtram inobedientiam formidamus. Obſecramus itaque paternitatem veſtram, ne dure accipiatis, quod in receptione ejus veſtræ petitioni annuere non valemus, quia cauſas impoſſibilitatis noſtræ, quanto potuimus brevius veſtræ diſcretioni oſtendimus, quas ſecundum inſitam vobis prudentiam conſiderando in gratia veſtra nos excuſatos habeatis, quoniam excepta hac petitione, quam nulli mortalium concedimus, nos ad veſtram omnem pro poſſe noſtro promtos & devotos famulos invenietis. Valete in Domino.

Hæ litteræ in communi fratrum conventu recitatæ ſunt & omnium teſtimonio approbatæ. Hi autem fratres præſentes aderant. Waltherus prior, Erminoldus, Ingrammus, Engelgerus, Thidericus, Heremannus, Adelbertus præpoſitus, Adolfus, Cunradus, Elvingus, Metfridus, Yſico, Thegenhardus, Henricus, Bruno, Abraham, Marquardus, Bruningus, Eico, Luidolfus, Lampertus, Erkebardus, Henricus, Adelbertus, VVerncherus, Othelricus, Arnoldus, Reimarus, Fridericus, Unarchus, VVernherus, Ruopertus, Hartmannus, Saxo, Adelbertus, Reinherus.

A eccleſiæ abbas omnibus præſentibus & futuris in perpetuum.

Officium prælationis noſtræ exigere videtur, ut circa res eccleſiaſticas & perſonas, quas Deo ordinante regendas & procurandas ſuſcepimus, circumſpecta providentia invigilemus, ne vel in rebus ſuis eccleſia nobis commiſſa detrimentum patiatur, neve ſubditi noſtri propter res eccleſiæ ex aliqua ſchiſmatis occaſione, ut plerumque fieri ſolet, diſturbentur, quia profecto ſicut iram Dei meretur, qui ſeminat inter fratres diſcordiam, ſic nos gratiam a Deo accepturos ſperamus, cum ſeminamus inter B fratres concordiam. Noverit igitur univerſitas fidelium noſtrorum, qualiter dilectum filium noſtrum REINHERUM præpoſitum *de Eresburg*, & miniſterialem noſtrum ELVIRUM comitem *de Horhuſen* ad pacem & concordiam revocavimus, pro pacto decimarum *de Nien* & *Heflike* quæ pertinent ad cuſtodiam Corbeienſis eccleſiæ. Has ſiquidem decimas cum omni tempore cuſtos Corbeienſis libere habuiſſet in manu ſua, & venderet vel exponeret, cui volebat: ELVERICUS tempore domini ſenioris HENRICI prædeceſſoris noſtri hoc obti- C nuit, ut eaſdem decimas dimidias uno tantum anno redimeret. Quo conceſſo, ſequenti anno multis precibus a nobis & a cuſtode iterum redemtionem earumdem decimarum impetravit, nec de pacto quicquam adhuc quæſivit. Tertio nihilominus anno in pacto redemtionis eas ſe a domino HENRICO prædeceſſore noſtro recepiſſe affirmabat. Cui cum contradiceremus & pactum eſſe negaremus, nobis reclamantibus, judiciario ordine ex jure comparium ſuorum pactum ſuum in eiſdem decimis aſſerere volebat, ſed quia hoc fieri prohibuimus, D quaſi juſtitiam ſuam ei auferremus, diu multumque nobis moleſtus erat. Denique cum in determinanda hac cauſa nullam viam invenire poſſemus, ut pax & concordia inter eum & præpoſitum *de Eresburch* haberetur, hujuſmodi tandem conſilio litem diremimus. Ex conſilio fidelium noſtrorum redemtionem earumdem decimarum inter ipſos diviſimus, ut medietatem unam præpoſitus *de Eresburch*, alteram medietatem ELVERICUS annuatim uſque ad finem tantum vitæ ſuæ redimat, hac conditione, ut in vigilia ſancti Jacobi uterque eorum E cuſtodi Corbeienſi triginta ſolidos pro decimis, per proprios nuntios tranſmittant. Poſt finem vero vitæ ELVERICI medietas decimarum ad manum cuſtodis Corbeienſis libera redeat. Ut autem hæc conſtitutio tam Elverico quam præpoſito Eresburgenſi atque cuſtodi Corbeienſi rata & inviolabilis permaneat, cartam hanc in teſtimonium facta rei conſcribi, & ſigillo beati Viti præcepimus ſignari.

CXXXIII. WIBALDI ABBATIS litteræ.

De concordia inter Reinherum præpoſitum & Elvirum comitem.

Anno 1149. IN nomine ſanctæ & inviduæ Trinitatis. WIBALDUS Dei gratia Corbeienſis

EPISTOLA CXXXIV. WIBALDI abbatis ad B. præpositum.

Discrimen inter mentiri & mendacium dicere.

Anno 1149. FRater WIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica dilecto fratri & amico suo B. præposito salutem & benedictionem.

Cujusdam sapientis verba sunt hæc: inter mendacium dicere & mentiri distat. Qui mentitur, ipse non fallitur, alterum fallere conatur Qui mendacium dicit, ipse fallitur. Item hoc addidit: qui mentitur, inquit, fallit quantum in se est; at qui mendacium dicit, non fallit quantum in se est. Item hoc quoque super eadem re dicit. Vir bonus, inquit, præstare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. Et nos, frater carissime, nequaquam mentiti sumus, sed mendacium dicere, coegit nos non imprudentia, sed necessitas. Itaque longiores adhuc inducias petimus, ut neque mentiti fuisse, neque mendacium dixisse comprobemur.

EPISTOLA CXXXV. THEOTVINI & Guidonis cardinalium ad Henricum Mindensem episcopum.

Arguunt eum quod in Kaminatensi ecclesia divina officia celebrare prohibuerit.

Anno 1149. THEOTVINUS sanctæ Rufinæ episcopus & G. sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis & cancellarius venerabili fratri HENRICO Mindensi episcopo salutem.

Fratres Corbeiensis monasterii nobis conquesti sunt, quod cum apud dominum papam perrexissent, & apud eum aliquamdiu moram fecissent, in Kaminatensi ecclesia in qua ipsi religionem reformare cœperunt, divina prohibueris officia celebrari. Quia igitur officio tuo nequaquam expedit, ut servos Dei & in bono proposito perdurantes contra justitiam debeas molestare, dilectioni tuæ mandamus, quatenus cum prædictis fratribus ita componas ut non habeant, unde apud sedem apostolicam juste conqueri valeant.

EPISTOLA CXXXVI. VVIBALDI abbatis ad suos Stabulenses.

Luget fratrum suorum mortem, de quorum felici obitu gratulatur; sed maxime dolet de transitu E. apud quem plura tenacitatis vitio reperta sunt quam expediret.

Anno 1149. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica Roberto venerabili decano & ceteris in Christo dilectis fratribus Stabulensis ecclesiæ filiis benedictionem & vitam usque in sæculum.

Luctuosas jam a longo tempore litteras a vestra parte accepimus, non equidem vitio vestro, qui semper & optare nobis & annuntiare prospera consuevistis, & quæcumque fuerint acerbiora usque in extremum necessitatis articulum celare, sed quod manus Dei supra monasterium nostrum est extenta, evocando ad se & subtrahendo nobis fratres nostros rebus utique divinis maxime utiles ac necessarios; nos tristamur, fratres, atque lugemus illos nobis esse ademtos, qui orabant pro populo & pro civitate nostra, intenti jugiter corde & voce ad sui conditoris amorem & laudem, sectantes humiliter omnem obedientiam, diligentes veraciter nostram personam, sed lætatur in cœlis Christus cum angelis, factos eos esse ex ipsius gratiæ dono glorioſæ civitatis suæ municipes. Domine Jesu ignosce nobis, quia ploramus eos, quos tu recipis: non tibi invidemus quod habes, sed de acie nostra fortissimos bellatores subtractos dolemus, licet apud te jam nos familiarius adjuvent de se nunc securi, sed de nobis solliciti. Flevisti & tu, Domine, Lazarum, sed quia fortassis resuscitabas iterum hujus vitæ passurum ærumnas, qui mortuus fuerat ad quietem. Lacrymatus es tamen ex humano & amico affectu quocumque, & fundimus lacrymas non desperationis sed dilectionis, non odii sed desiderii, non quia ad te transierunt, sed quia a nobis recesserunt. Verum sicut quatuor illi fratres G. S. A. VV. sancto & catholico fine decedentes, spei & fiduciæ plenos ad sequendum se nos provocaverunt, ita hic extremus frater E. vir quidem castigatæ vitæ, & totus in lege Dei sui die ac nocte, in quadam parte minus cautus suo improviso transitu nos non absque gravis offendiculi scrupulo conturbavit. Siquidem, ut nostis, partem quamdam administrationis ei comminiseramus, de qua monasterii præstationibus servire deberet, in qua tenacitatis culpa seductus est, ut plura relinqueret, quam ejus saluti expediret, de quibus omnibus vobis in commune mandando præcipimus, ne quis vestrum eas tamquam proprias seu communes, vel quasi ex testamento delegatas vendicare præsumat, sed salva & integra omnia ad nutum decani serventur, donec vobis divina opitulante gratia redditi, quid de his agendum sit sollicite una vobiscum inquiramus. Recordetur eruditio vestra de præda Jericho anathemati & ignibus devota, & de periculo Achar, qui de eodem anathemate furtim subduxerat, non quod creatura Dei inanimata & insensibilis & ad usum hominis instituta præmium mereatur vel pœnam, sed quod earum excidio hominum sit inobedientia vindicanda & avaritia cohibenda. Rumor de nobis nuper acceptus,

qui vos de salute nostra sollicitos conturbavit, ex parte falsus est, & ex parte verus. Damno enim aliquanto & ingenti injuria affecti sumus, Deo propitio rerum humanarum vicem dispensante, & tumorem superbia, qui de munerum suorum mirabili collatione nasci poterat, quadam interjectæ amaritudinis temperantia reprimente, ut veraciter illud cantici canticorum possimus dicere: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Verum quod a paucis latronibus desperatis commissum est, tanto ulciscendi studio a ceteris omnibus, qui fidem suam & devotionem servare desiderant, expiatur, ut valde divinam offensam reformidemus, nullum interim honoris vel salutis periculum sustinentes. Potens est autem Deus de his omnibus nos clementer eripere, & ad vos tempore accepto reducere.

EPISTOLA CXXXVII. VVIBALDI abbatis ad Bernardum episcopum Patherbornensem.

Quamdam causam suam ejus judicio diffiniendam relinquit.

Anno 1149. REverendo patri suo & domino BERNARDO sanctæ Patherburnensis ecclesiæ venerabili episcopo frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia Catholica, dilectionem filii & obedientiam servi.

Multas debemus, & multas referimus sanctitati vestræ gratias, quod a longis retro temporibus nos paterno affectu diligere & honorare dignatus estis, quod maxime nunc experti sumus, quando acceptæ tam evidentis calumniæ amaritudo nos acerbius pulsavit. Siquidem & laborem & expensam non solum æquanimiter, sed etiam hilariter pertulistis, & in dando consilio tanta fuistis moderatione usus, ut cauta & circumspecta vestræ discretionis regula paucis possit esse imitabilis. Quamobrem de amico facti vobis amicissimi, finem rei nostræ vestro examini committendum judicavimus, ut eam partem consilii sine dubitationis angustia tenendam arbitremur, quæ nobis a vestræ pietatis & fidei solertia proponetur. THIDERICUS comes de Huxara vult se, ut verbis ejus utamur, in nostra misericordia dare, & ad nostram satisfactionem & reconciliationem sic accedere, quemadmodum dictaverint compares sui, videlicet ministeriales Corbeiensis ecclesiæ, qui a nobis ex nostra optione fuerint electi & ex nomine designati. Et quoniam turbati sumus & moti sicut ebrius, & si qua in nobis fuit sapientia, devorata est, cogitque nos rerum necessitas quædam dissimulare, quædam tolerare, ne forte frangatur vas, dum æruginem eradere cupimus, tamen nihil animo sequendum statuimus, nisi quod vestræ diligentiæ complacuisse senserimus. Propterea causam hanc distulimus tractare, ac de ipsa respondere usque ad proximam feriam secundam, quatinus vestræ discretionis consilio præmuniti, tutius ac melius quæ agenda erunt perficere possimus. Nec vero litterarum nostrarum bajulum verbum quod portat vel accipit, intelligere volumus quoniam ex illis est, sed per epistolam vestram de omnibus certificari volumus.

EPISTOLA CXXXVIII. BERNARDI episcopi Patherbornensis ad VVibaldum abbatem.

Respondet ad præcedentem.

BERNARDUS Dei misericordia Patherburnensium pusillus famulus, dilecto fratri VVIBALDO venerabili sanctæ Corbeiensis ecclesiæ abbati, cum omni caritatis obsequio orationes in Domino. Anno 1149.

Affectum dilectionis, quem, ex quo vos novimus, circa vos habere cœpimus, inviolatum conservare satagimus, ita ut nec personæ meæ nec rebus pro honore vestro conservando & voluntate promovenda parcamus, cupimusque vobis in omnibus proficere, si quid Deus annuit solerter nos deliberando providere. Unde in præsentis causæ compositione, hoc vestræ discretioni fideliter suggerimus, ne sine fidelium vestrorum tam amicorum quam hominum consilio quidquam faciatis, quatenus si forte, quod absit, tale quid posthac emerserit, ad assistendum vobis paratos inveniatis. Fatemur quidem quod multa tolerare vel dissimulare rerum cogit necessitas, sed sicut pro evitando vulnere graviori interdum sapientis est usque ad vivum putrida non resecare, ita nonnumquam si non ab imo plagæ sanitas exurgit, gravior tortura succedit. Et ut præmissum est, discretam sollicitudinem vestram præmuniendo cohortamur, ne sine gravis testimonii confirmatione ullam admittatis compositionem. Tutius enim esse putamus apertos habere inimicos, quam occultos læta fronte pacem mentientes. Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.

EPISTOLA CXXXIX. GUIDONIS cardinalis ad Anselmum episcopum Havelbergensem.

Scribit ei suam voluntatem per legatum Poloniæ.

CArissimo fratri & amico ANSELMO venerabili Havelbergensi episcopo, GUIDO sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis & cancellarius salutem. Anno 1149.

Cum tuam non poſſimus frequenter habere præſentiam, ſcripta tua tamquam perſonæ vicem gerentia læto corde ſuſcipimus. Per fratrem noſtrum G. cardinalem, qui ad partes Poloniæ mittitur, litteras voluntatem noſtram pro eo & de eo continentes tibi direximus. Breviter vobis cuncta complectimur, veſtri memoriam gerimus, & ut vobis proſpera cuncta ſuccedant optamus. Communem amicum noſtrum abbatem Corbeienſem noſtro nomine ſalutate.

EPISTOLA CXL. EJUSDEM ad eumdem.

Cupit informari de ipſius ſtatu.

Anno 1149. CAriſſimo fratri & ſpeciali amico ANSELMO Havelbergenſi epiſcopo, GUIDO ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & cancellarius ſalutem.

Attendentes ea, quæ de dulcedine cordis tui ſæpe guſtavimus, amicitiam inter nos per ſcripta præſentia innovamus: optantes ut ſtatum tuum, quem proſperum eſſe cupimus, nobis quantocius ſtudeas intimare. Communem amicum noſtrum Corbeienſem abbatem per vos in Domino ſalutamus

EPISTOLA CXLI. ANSELMI epiſcopi Havelbergenſis ad VVibaldum abbatem.

Cauſatur quod ſibi amico non ſcribat, ſignificatque proximum ſuum ad papam iter.

Anno 1149. CAriſſimo fratri & ſpeciali amico VVIBALDO abbati ANSELMUS pauper Chriſti ſe.

Quidam ſapiens dixit, breves rationes habendas eſſe cum amicis: ſed tu nec longas nec breves mecum jam dudum habuiſti, nec una ſaltem littera me ſalutaſti, præſertim cum tibi, non mihi ſit copia legatorum. Quid eſt hoc? ubi es? quo perveniſti? quid tibi & mihi? quare me dimiſiſti? VVilera curre retro, currat tamen Havala recte. Ego tamen tuam abſentiam ſemper habeo præſentem, ſive velis, ſive nolis. Quod ſi velis, mecum eſt voluntas tua: quod ſi nolis, conſequenter verum eſt, abſente tua abſentia, te ipſum præſentem eſſe, & itidem tua voluntas mecum. Ego ad dominum papam in proximo iturus ſum, ſi quid mandare volueris, per me tuum, ſicut per te ipſum facere poteris. In dominica *Eſto mihi* movebo. Cancellarius te plurimum diligit, quod ut certius ſcias, litteras quas nuper mihi miſit, tibi mitto, quas cum legeris, mihi remitte.

EPISTOLA CXLII. VVIBALDI abbatis ad Anſelmum epiſcopum Havelbergenſem.

Romam euntí quædam commendat negotia, præſertim in gratiam abbatis Herſefeldenſis.

REverendo patri ſuo ANSELMO pauperis civitatis & modici cleri *Havelsberch* venerabili epiſcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſeipſum. Annotat.

Arguiſtis noſtram, ut vos æſtimatis, negligentiam, verbis quidem de intimo caritatis ſacrario depromtis, eo quod vos tanto temporis emenſo ſpatio nec viderimus nec ſalutaverimus, præſertim cum nobis non deſit legatorum copia: ſed abſit a nobis, pater cariſſime, illa lethea oblivio, illa non puerilis, ſed ſtultiſſima negligentia, quæ ab animo noſtro avellat veſtri cum intima dilectione memoriam. Scriptum eſt: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Vos utique & pauciſſimi de perfectorum numero, quos divinæ largitatis bonitas nobis abſque ulla meritorum prærogativa, abſque ulla ſimilitudinis cohærentia dedit amicos, eſtis theſaurus noſter, de quo ſæpe haurimus & non minuitur, de quo fures nihil poſſunt excerpere, quem tinea & ærugo non poſſunt corrumpere. Credite mihi, epiſcope, ſi totum mundum haberemus, ac vos & veſtri ſimiles, qui pauciſſimi eſſe poſſunt, amicos non haberemus, pauperes eſſemus. Veſtri ergo memores, & per incrementa fortius in amorem accenſi, expectavimus temporis opportunitatem, quando deſiderata jam prius præſentia veſtra perfrui poſſemus, & longo colloquio effundere fluctus animæ noſtræ, quibus quotidie turbamur & movemur ſicut ebrius. Siquidem, pater amantiſſime, habebamus prius uxorem & lippam & infœcundam & præterea maeram; hæc vero poſterior, cujus matrimonio copulati ſumus, pinguior quidem eſt, ſed non minus lippa & ſterilis, & præterea contumacior, nova quærens, & ſua quiete dolens. Utinam, bone JESU, mihi dares illam Abacuc prophetæ tranſlationem, ut cum venerit ANSELMUS epiſcopus Romam ad illum noſtrum cancellarium tam bene noſtri memorem, poſſemus utrique animæ noſtræ arcana patefacere, & eorum conſilio & conſolatione ſolidari; nam utrobique diviſi, lupum tenemus per aures. Miſeramus Romam pro intimanda domino papæ Fuldenſi electione, cui ex ipſius mandato interfueramus. Reliquit nuncius noſter III. kal. Januarii dominum papam ſanum & incolumem apud Viterbium, & cancellarium noſtrum GUIDONEM plenum jucunditatis & bonæ

spei, qui nobis affectum, quem in noſtra parvitate concepit, & quem in litteris ſuis totiens cum deſiderio prodit, epiſtola prolixiore ſcripta manifeſtavit, quem nos tantum diligimus, quantum poſſumus & intelligimus, non quia nos adjuvat, ſed quia nos diligit; non quia potens eſt, ſed quia bonus. Dominus quoque papa ſua humanitate & clementia nos fecit veraciter ſuos, ita ut caritas foras miſerit timorem; quem ex noſtro nomine intime ſalutabitis, immenſas ei gratias pro univerſis beneficiis noſtræ parvitati collatis referentes. Dicite noſtro communi amico cancellario, quod ſi numquam de cetero Romanam eccleſiam & Urbem videremus, ſi remotiſſimam eremum habitaremus, ſui tamen quodam ſingulari modo eſſemus, & ea quæ nobis per litteras ſuas mandavit, uſque ad calcem diligenter obſervabimus. Miſimus ad pedes pietatis veſtræ abbatem Herſefeldenſem, qui quo-
[a] niam vim (*a*) patitur, reſpondete vos pro illo, quia neſcit quid dicat inimicis ſuis, tanta eſt hominum temeritas & veſania. Summa petitionis noſtræ pro hoc abbate hæc eſt, ut ei officium ſuum apud dominum papam recuperetis: quod ſi vultis, & poteſtis: deinde ut apud dominum Bremenſem, quod vobis facile eſt, obtineatis, ut eum in abbatia ſua reſtituat, & cauſam ſuam canonico jure terminet. Quidquid huic feceretis, mihi feceritis. Videte quam immemores veſtri ſimus, non eſt dictum, fuerimus, quod de præterito & futuro dicitur, ſed ſimus, quod eſt de præſenti, hoc eſt de æternitate. Meditati fueramus quæſtionem de creatione angelorum non ignobilem, quam eruditioni veſtræ ſcribere ſtatueramus, ut reſpondendi neceſſitate ſtudium veſtrum excitaremus; identidem inquiſitionem veſtram ſive ratiocinationes & argumenta de illa veſtra poſitiva juſtitia a vobis poſcere volebamus, ut nos quoque vel conferendo, vel opponendo, vel conſentiendo vigilaremus. Utinam liceat nobis vos ab Urbe revertentes ulnis veræ caritatis amplexatum deoſculari, ac de ſtatu ſacroſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ, necnon de regni totius habitudine, & de mundi totius qualitate ſecretius vobiſcum ac diutius conferre. Fere enim ſolus eſtis, aut inter pauciſſimos unus, qui de his aliquam meditandi viam ingredi & ambulare noveritis.

(*a*) Vide ſupra epiſtolam archiepiſcopi Moguntini ad Eugenium papam III.

EPISTOLA CXLIII. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

De ſtatu Fuldenſis monaſterii eum informat.

Anno 1149. REverendiſſimo patri ſuo & domino EUGENIO uni & univerſali pontifici, frater VVIBALDUS Dei gratia & veſtra id quod eſt in eccleſia catholica, dilectionem ut patri, obedientiam & ſervitium ut Domino.

Poſtquam ab æquitatis veſtræ cenſura A. (*b*) quondam Fuldenſis abbas apud Tre- [b]
virim depoſitus fuit; Fuldenſis eccleſia numquam in generalem concordiam rediit, quoniam hi qui cum abbate & pro abbate ſteterant, omnes fere de monaſterio expulſi ſunt; & maxime illi, qui alicujus adminiſtrationis officia a longis retro temporibus habere videbantur. Quod diſſenſionis malum in tantum crevit, ut lator præſentium frater Dudo cum litteras veſtræ juſſionis de facienda electione dediſſet, mox in porta monaſterii captus ſit. Nos quoque a veſtra celſitudine Fuldam venire juſſi, revocare ipſos ad pacem, & ut fratres ſuos in congregationem reciperent, ſtudioſe tentavimus, ſed facientibus peccatis nihil profecimus. Quia, igitur ad veſtram moderationem pertinet, ut inſtar divinæ potentiæ, quæ ſanat contritos corde & alligat contritiones eorum, omnium curam cum miſericordia habeatis. Providete ne aberrantes oves luporum morſibus lacerentur, & eccleſia Fuldenſis, quæ ampliſſima eſt & ſuis ſpatiis, & veſtra ſpeciali dominatione, & ordinatione per vos in pace ac religione reformata totius honeſtatis principatum obtineat.

(*b*) Aſcholfus, cujus vide ſupra epiſtolam ad VVibaldum abbatem.

EPISTOLA CXLIV. VVIBALDI abbatis ad Henricum abbatem Fuldenſem & Hereveldenſem.

Ut diſperſos filios benigne recipere velit.

Anno 1142. REverendiſſimo patri & amico ſuo H. venerabili Fuldenſi & Hersfeldenſi abbati, & omnibus Fuldenſis eccleſiæ filiis tam monachis quam laicis, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Filii & fratres veſtri Lampertus & Dudo, & alii quidam noſtram parvitatem vel per ſe vel per nuntios ſuos ſæpe numero adierunt, orantes attentius, ut ad pacem & reconciliationem veſtram, & ad regreſſum monaſterii ſui, de quo ſe injuſte pulſos conquerun-
E tur, veſtram per noſtræ petitionis interceſſionem aperiremus. Quod nos caritatis intuitu, licet inviti, tandem aſſumentes, omnium & ſingulorum pedibus animo advoluti, ſuppliciter deprecamur, ut miſereamini fratrum veſtrorum, & quia propriæ actionis vitio de eccleſia nec egreſſi nec ejecti ſunt, ſed quædam communis diſcordia, quam eſſe firmiter ſopitam oportet, de veſtro eos collegio proturbavit, ipſos

oum bona venia in congregationem recipiatis, & sicut filios & fratres vestros benigna caritate foveatis. Omnium fratrum nostrorum circa nos positorum sententia & petitio eadem est, timentium ne forte scandalum gravius aliquod inde valeat oboriri.

CXLV. NOTITIA DE DUELLO in juramentum commutato.

Anno 1149. ANno Domini MCXLIX. prælationis autem domni VVIBALDI abbatis in Gorbeiensi ecclesia III. THEODERICUS comes villæ Huxariæ a Reinhero de Porta interpellatus est de duello, qui hoc imponebat ei, quod ex consilio ejus equi domini sui abbatis sublati atque enecati fuerint, idque singulari certamine contra eum se asserturum proposuit. Cum ergo pro hujusmodi perfidiæ suspicione tam a domino abbate, quam ab omnibus pene comministerialibus suis THEODERICUS execrabilis & odiosus haberetur, volens se expurgare de imposita sibi perfidia, paratum se & promtum ad duellum contra Reinerum dicebat. Prudentiores vero condomestici eorum considerantes non absque communi turpitudine comparium suorum inter duos coæquales suos hujusmodi pugnam posse committi, dominum abbatem obnixis precibus rogabant, quatenus satisfactionem THEODERICI reciperet, qui ad gratiam ipsius redire & pro objecto sibi crimine, sive per justitiam, sive per misericordiam satisfacere paratus esset. Huic ergo petitioni dominus abbas non abnuens, elegit ex ministerialibus suis octo, videlicet Carolum senem, ELVERICUM comitem, Heinricum de *Ritch*, Henricum *de Liutem*, Godescalcum *de Godenleveſſe*, Brunonem, Udonem, Reinmarum, quos hujus reconciliationis consiliarios constituit, ut quidquid isti secundum honestatem ipsius & ecclesiæ in consilio invenirent, ipse sequeretur, hocque eis se facturum promisit. Exponens itaque eis causas, pro quibus in gratia sua THEODERICUS non esset, reliquit eis qualiter secundum honestatem suam & ecclesiæ, communicato inter se consilio, reconciliationem ordinarent, hoc præmonito, ut Reinherum de reconciliatione non exciperent. Prænominati igitur octo diu inter se consilio habito, in hoc tandem consenserunt, ut dominus abbas sua auctoritate & imperio duellum inter Reinherum & Theodericum eximeret, ac Theodericus in sacris reliquiis B. Viti juramento comprobaret se innocentem esse de his, quæ Reinherus ipsi objecerat, & pro quibus eum ad pugnam vocaverat, & hoc juramentum absque contradictione Reineri fieret. Sicque per dominum abbatem tam de hac causa quam de aliis, si quæ inter eos essent, in præsenti reconciliarentur. Juramentum deinde THEODERICUS in eisdem reliquiis præstaret, quod absque & voluntate atque conscientia sua dominus abbas equos suos perdidisset. Postmodum juraret, quod cum domno HENRICO post depositionem ejus reconciliationem nullam fecerit. Duodecim præterea obsides de propinquis suis domino abbati daret, quod numquam deinceps contra dominum abbatem vel facto vel consilio scienter ageret. Quod si hujus sponsionis prævaricator aliquando existeret, hos duodecim obsides æque ut dominum abbatem inimicos & adversarios haberet. Hoc ergo dominus abbas quemadmodum promiserat, secutus est. THEODERICUS primum juramentum explevit, quod ad Reinerum pertinuit. Secundum & tertium juramentum, quæ ad dominum abbatem pertinebant, per misericordiam abbas sponte etiam non rogatus ei remisit, pugnam utriusque interdixit, deinde ipsos ad invicem reconciliavit. Dedit consequenter THEODERICUS obsides fidei suæ duodecim ex propinquis suis, hos videlicet: Fritherium dapiferum, Bunonem, Godescalcum de *Godenleveſſe*, Reinmarum, Cunradum *Damet*, Liuddagum, Henricum fratres, Bertoldum, ELVERICUM comitem, Godefridum *de Munekhuſen*, & duos, qui præsentes non erant, quos in brevi se adducturos promisit, VVernonem *de Jeſikhe*, Helmvvigum *de Codolumen*. Decem igitur qui præsentes erant data fide & propria manu in manum abbatis singillatim una eademque sententia promiserunt, quod si Theodericus fidem suam circa eum violaret, se inimicos & adversarios, nisi gratiam ipsius sine ipsorum interventu reciperet, jugiter habiturus esset. His ergo fidejussoribus sub hac conditione receptis dominus abbas Theoderico gratiam suam reddidit, & in osculo pacis eum recepit. Acta sunt hæc Corbeiæ VI. idus Februarii, præsentibus fratribus nostris senioribus & præsentibus nobilibus pueris hominibus ecclesiæ, ADELBERTO comite *de Eveſtein*, VVidikindo *de Sualemberch*; erat etiam præsens FLORENTINUS filius comitis SIFRIDI DE ERTENEBURCH, & coram ministerialibus ecclesiæ multis.

EPISTOLA CXLVI. MANEGOLDI ad VVibaldum abbatem.

Laudat VVibaldum de scientia liberalium artium.

DOmino VVIBALDO venerabili Corbeiensium abbati, Manegoldus suus in omnibus negotiis utraque manu uti pro dextra. Anno 1149.

Quotiens Mercurii & philologiæ conju-

gium tanta cura virtutis & Apollinis quæ- A situm, & omni conventu deorum comprobatum considero, dum inter alia septem Nympharum adventum perpendo, & singularum proprietates attendo, amplexus tam desiderabilis conjugii non carnalibus brachiis exhibitos vobis attribuo, dum totius philosophiæ florem, dum & divinitatis & septem liberalium artium & omnium pedissequarum scientiam apud vos, & armarium studio invenio aptissimum. Præter hanc specialem industriam prædicatur de vobis accidens a vobis inseparabile & proprie proprium, scilicet morum excellens ingenuitas. Quos cum physici secundum qualitates complexionum probent diversificari, B facile probari potest, vos optima complexione temperari. Vos igitur qui non estis dealbatus in pariete, sed niger in corporis superficie, mira virtutum, scientiæ, & morum claritate fulgetis in pectore. Quorum omnium, si quantum scirem, probationes exequerer, favorali aura aures vestras liniendo de vitio adulationis & hyperbolæ notari timerem, & epistolaris compendii metam excederem. Si igitur aliquid perfectum natura in humanis adinventionibus expoliviſſet, vobis profecto plenaria non deesset perfectio, C cum tamen nihil emendatione dignum, vel in vobis, vel in domo, vel in familia, nihil omnino vel in contento, vel in continente, quod modo cum artificiosa surgit dispositione corrigendum invenerim, nisi quiddam contra ortographiam in superliminari australis januæ, quam non ex ignorantia, non ex negligentia, sed ex aliqua, quam nostis, factum est industria. Propter hæc omnia ultra quam dici vel credi potest, mihi desiderabilis est vestræ jocunditatis præsentia, non ideo tantum, quia multiplici ferculorum genere corpus meum nuper paviſtis, D sed quia gratioribus condimentis mansuetudine scilicet & hilaritate animum meum recreastis.

Multi de mundo docuerunt ore rotundo,
Ad quid sit factus, quo tempore factus & unde
Nobis auctorum scriptis aperitur ab
Et quorum num . . . .
Qui dicunt omnia v . . . . eris
Grata temperie primos ortus habu . . . isse
Ortus rebus eos aptos patet attribu . .
Rex veris t . . . . alis.
Veris complexio t . . . .
Dum constricta gelu nequit arida fructific are
Per calidum, sed & humectum solet anim E
Sic fit fœc . . . . undus.
Redivivo germine m . . .
Abbas, hæc in te complexio mira not atur
Illa per effectus in te regnare prob
Illa tuum fructus ad tam pulchros cor ar avit
Hæc in corde tuo virtutem fructific
Quæ pulchros m . . . . ores
Commendat & auget hon . . .

A Ergo tua quis miretur de prosperit . ate.
Virtus in tanta tibi cum faveat probit

EPISTOLA CXLVII. VVIBALDI abbatis ad Manegoldum scholæ magistrum.

Respondet ad præcedentem.

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ procurator, dilecto fratri & amico suo Manegoldo, majoris ecclesiæ in Patherburna canonico & scholæ magistro, legem ut intelligat, intelligere ut sapiat, sapere ut provideat, providere ut vivat. Anno 1149.

Delectatus sum, frater, litteris tuis, non quia me laudas, sed quia te studere intelligo: non quia me efferis præconiis, sed quia me diligis. Nulla enim laudatio sine amore fieri potest. Nam ironia & quidquid intorte vel oblique dicitur, laudatio non est: originem suam a fonte amoris laudatio habet; inde est, quod etiam vitiis amicorum plerumque delectamur. Discipuli magistrorum sententias tuentur, non quia veræ sunt, sed quia auctores amant. Schola adversus scholam debacchatur odio vel amore magistrorum, & clamore defendunt, quod ratione non possunt. Beatus Augustinus dicit: *Qui nos diligunt, quærunt quæ bona de nobis laudent: qui nos non diligunt, quærunt quæ mala de nobis loquantur.* Ita verum est, quod probatio dilectionis, exhibitio est operis, est enim laudatio quoddam opus. Non igitur quia a te laudatus sum præsertim in re falsa, quoniam laudis tuæ titulos in me nec sentio nec recognosco, rescribere indoli tuæ tentavi, sed ut dilectionem tuam fortius inflammarem, & studia in te accenderem, furatus sum publicis actionibus nocturnas horas, in quibus tibi responderem. Contra morem meum facio, ut singulari numero loquar, qui cum monachis nostris pluraliter dicere consuevimus. Sed scribo scholastico, & vias philosophiæ ingredienti, qui de ipsis studiorum suorum penetralibus laudationis meæ ornamenta depromsit. Sed quid loquar vel quid admonebo, cum nihil dici possit, quin jam dictum fuerit? Negat Cicero, si duplicetur sibi ætas habiturum se tempus, quo legat Liricos, eodem loco dialecticos. Putas fortassis dictum, quia vir gravis & serius & philosophiæ disciplinis explanandis deditus, hæc tamquam levia, & inepta projecerit? Sed libri ejus non solum sententiis, sed & verbis ipsorum referti sunt. Tanta ante ipsum conscripserant poetæ tragici, comici, lirici, dialectici ac sophistæ, ut taceam de philosophia & artium liberalium præceptoribus. Rusticas quoque res, agriculturam & architectonicam suo jam tempore non pauci in libris ediderant. Quanti

ſua ætate & poſt illum fuere philoſophi & poetæ? lege Tranquillum, lege Cornelium Nepotem, & alios quoſdam gentiles de viris illuſtribus, tanta eſſe ſcripta intelliges, quæ vix a quoquam ſtudioſiſſimo legi poſſint. Ad noſtros veniam Chriſtianæ legis philoſophos. Inſpice eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebii, & aliam eccleſiaſticam, quæ vocatur Tripartita. Revolve libros Hieronymi preſbyteri, Iſidori preſbyteri, Gennadii abbatis de viris illuſtribus, & videbis, quos duces habuerit eccleſia poſt apoſtolos, & intelliges, quod omnia, quæ dici poſſunt, ab illis ſummis philoſophis præoccupata ſunt, ut nihil jam dici poſſit novum: ne errandi quidem locus relictus eſt novus. Erratum eſt a multis, & errores ipſorum a melioribus redarguti ſunt & confutati. Illi ipſi, qui ob ignominioſam gloriam hæretici contendunt fieri, non nova inveniunt, ſed vetera replicant, & ſuperfluas verborum novitates, quas Apoſtolus devitandas præcipit, quæ multorum ſunt correctione antiquatæ, tamquam propria ratiocinatione inventas in contentionem adducunt. Quid loquar de ceteris viris doctiſſimis, qui poſt prædictos in eccleſia Dei ſcribendo & differendo præclara ingenii ſui monumenta reliquerunt? Bedam dico & Ambroſium, Heimonem, Autpertum, Rabanum, Johannem Scotum & multos præterea, quorum opera legimus: necnon illos quos vidimus, Anſelmum Laudunenſem, VVilhelmum Pariſienſem, Albericum Remenſem, Hugonem Pariſienſem, & alios plurimos, quorum doctrina & ſcriptis mundus impletus eſt, quos nos deſidiæ & avaritiæ dediti, ſub cœca oblivionis nocte latere ſinimus, nullo ipſos vel eorum opera illuſtrantes eloquio. Num igitur ad te ſcribens nova poſſum cudere? Nequaquam, erit tamen aliquid, quoniam ſi de veterum fuerint decerpta pomeriis, nova videbuntur alibi inſita, & in eo nova erunt, quod tibi ſcripta ſunt, cui antea ſcripta non ſunt. Nunc itaque ad litterarum tuarum lineas reſponſurus, primo gratum habeo & laudo, quod de arte tua meæ laudationis ſumſiſti exordium, juxta illud Flacci: quod medicorum eſt promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sed vide, ne erraverit judicium tuum, quod in me ſcientiam & facundiam prædicaſti, quæ illo Martiani Capellæ multiplici & ænigmatico epithalamio fingantur. Artes quæ dicuntur liberales & cetera quæ de medicina vel agricultura ſcribuntur, ab optimis præceptoribus accepi, divinarum expoſitionem litterarum a catholicis & doctiſſimis viris, minus quam deceret, ſtudioſe audivi, multorum tractatus & commentarios tam in divina quam in ſæculari litteratura perlegi, ſed vaga & multiplex lectio quantum adfert voluptatis, tantum aufert utilitatis. Phyſico loquor. A Cacoſtomacha ſunt plura & diverſa fercula, & onerant valetudinem potius quam reficiunt. Ad conſuetos & ſimplices cibos remittuntur, qui peregrinis & variis ægrotare cœperunt. Prodigus filius cupiebat ventrem ſuum implere de ſiliquis, quas porci comedebant, quia juxta pſalmiſtam oblitus erat comedere panem ſuum. Multiplex lectio & ſummis labiis deguſtata mulcet animum, non paſcit; delectat, non inſtruit. Eſt quædam avaritia in ſcientia, unde & primi parentes tentati ſunt. Eritis, inquit, ſicut dii ſcientes bonum & malum. Multa diſcuntur non propter ſtudium, ſed propter curioſitatem; non ut ſimus meliores, ſed ſuperbiores. Scientia enim inflat, charitas ædificat. Legitime igitur utendum ea, quæ juxta Apoſtolum deſtruetur, ut illam teneamus, quæ numquam excidet. Neque hoc dico, ut te a ſtudio legendi, meditandi, ſcribendi ac declamandi deterream, in quorum curriculo nunc maxime verſor, illud aſſequi ſummopere deſiderans, ut ea quæ lego memoriæ tenaciori commendem; & in hoc me exercere ſoleo, ut poſt lectum aliquod cujuſpiam nodoſæ quæſtionis volumen, locos & argumenta, & diſputandi vias & concluſionum laqueos amoto libro memoriter replicem. Ad induſtriæ & ſtudii exempla ſequenda proponuntur, nobis, Cato, qui ſextum & octogeſimum agens annum ab inimicis capitali crimine accuſatus cauſam ſuam egit, neque aut memoriam ejus quiſquam tardiorem, aut firmitatem lateris ulla ex parte quaſſatam, aut os hæſitatione impeditum animadvertit, græcas litteras in ſenectute didicit. Terentius Varro, Publius, Craſſus, Marcus Cicero, Julius Cæſar inter ſtudioſos latinorum tenuerunt principatum. De Græcis vero Demoſthenes inter oratores maximus, Pythagoras philoſophus, Plato patriam Athenas præceptorem Socratem ſortitus eſt, & locum & hominem doctrinæ fertiliſſimum, Democritus phyſicus, Carneades laborioſus & diuturnus ſapientiæ miles, qui cum Chryſippo diſputaturus elleboro ſe ante purgabat, Anaxagoras qui cum e diutina peregrinatione ſtudiorum patriam repetiſſet, poſſeſſioneſque deſertas vidiſſet, non eſſem ego, inquit, ſalvus, niſi iſtæ periiſſent. Socrates, cujus ſupra meminimus, qui ætate provectus, fidibus tractandis cœpit operam dare, Sophocles & Simonides poetæ. Imperatores vero induſtrii Themiſtocles, qui omnium civium ſuorum nomina memoria comprehendit, Cyrus qui cunctorum ſuorum militum nomina, Mitridates qui duarum & viginti gentium, quæ ſub regno ejus erant linguas ediſcendo, ille ut ſine monitore exercitum ſalutaret, hic ut eos, quibus imperabat, ſine interprete alloqui poſſet. Longa ſeries annotare de ſingulis memorabilia, & texere illuſtrium virorum operum in-

diceem. Sed ne forte reprehendere & argue-
re incipias me monachum & jam canescere
incipientem, talia vel lectitare vel cogitare,
scias, quod ego hæc castra ingredior non
tamquam desertor & transfuga, sed sicut
explorator & spoliorum cupidus, si forte
Madianitem rapere possim, quam pilis era-
sis & unguibus dissectis legitimo mihi va-
leam copulare matrimonio. Sed veniam ad
nostros, quorum ingenia & studia mirari
& laudare possumus, æquare & imitari
non possumus. Cyprianus martyr & pon-
tifex, Lactantius, Hilarius Pictaviensis,
Ambrosius Mediolanensis, Hieronymus Ef-
frateus, Augustinus Hipponensis, Leo
magnus urbis Romanæ episcopus & alii
quamplures præcipui & clari viri, inge-
nio facili, copioso, suavi, & quæ sermo-
nis maxima est virtus, aperto, ut dis-
cernere nequeas utrumne ornatiores in
eloquendo, an feliciores in explicando,
an potentiores in persuadendo fuerint.
Hi tamen cum in una & eadem fidei
catholicæ regula formati fuerint, quæ-
dam scripserunt non solum diversa, sed
etiam repugnantia, sicut Lactantius, qui Ju-
daicam secutus novitatem, mille annorum
fabulam introduxit, in quibus post resurre-
ctionem ait Dominum in carne cum sanctis
regnaturum. Cyprianus contraria sentit de
rebaptizandis his, qui baptizati sunt ab
hæreticis; sed errorem suum sanguine ex-
piavit. Ambrosius & Hieronymus de diga-
mia sacerdotis opposita loquuntur, & suam
quisque sententiam fortissima atque inso-
lubili scripturarum auctoritate tuetur. Au-
gustinus & Hieronymus de eo quod Paulus
Petro in faciem restitit, variis & dissonan-
tibus scriptis longa contentione dissense-
runt. Non ergo mirum si philosophi gen-
tium doctrina litterarum mirabiles, cogitan-
do ac disputando veritatis inquisitores, sed
tamen inveniendi effectum minime asse-
quentes; inter se & contra se discorda-
verint, si physici contra logicos & logici
contra ethicos digladiati sunt, sed in phy-
sicis ac logicis disceptationibus & contra-
rietatibus venia concedi poterat, quia sive
aliquid dicebant, nihil proderant; sive de-
lirabant, nihil nocebant. In moralibus vero
nullus dissidio, nullus errori locus est, unum
sentire omnes oportet, ipsamque philoso-
phiam uno quasi ore præcipere, quia si quid
fuerit erratum, vita omnis everticur. In illa
priori parte ut periculi minus, ita plus dif-
ficultatis est, quod obscura rerum ratio co-
git diversa & varia cogitare. In hac sicut
plus periculi, ita minus difficultatis, quod
usus ipse rerum & quotidiana experientia
possunt docere, quid sit melius & verius.
Conclamant igitur adversum se scholæ, Epi-
curus contra Stoicam, Stoicus contra Peri-
patheticum, Peripateticus adversus Academi-
cum, & pro magistrorum acumine & inven-
tis tota discipulorum turba decertat, &
suis quisque munimentis præceptorum sen-
sa & acta tuetur, & multiplicat. Atque in
uno, quod est summum & principale, in quo
totius sapientiæ cardo versatur, quantum
dissenserint, adverte. Epicurus summum
bonum in voluptate animi esse censet.
Aristippus in voluptate corporis. Callipho
& Inomachus Cyrenaici honestatem cum
voluptate junxerunt. Diodorus in privatio-
ne doloris summum bonum ponit. Hiero-
nymus in non dolendo. Peripatetici autem
in bonis animi & corporis & fortunæ sum-
mum bonum fatentur, Hebilli summum
bonum est scientia. Zenonis cum natura
congruenter vivere. Quorundam Stoico-
rum virtutem sequi. Hæ sunt fere omnes
omnium sententiæ. In tanta diversitate
quem sequeremur? cui crederemus? cum
par esset omnium auctoritas, nisi veniisset
ille qui dixit: *Ego sum via, veritas & vi-
ta?* &, *creditis in Deum, & in me credite.*
Hæc tam longo ambitu ad hoc dicta sunt,
ut recte scribere, distincte legere, aperte
pronuntiare, prædicamenta & sedes argu-
menti nosse, persuadere dictione, nume-
rorum vim & naturam intelligere, armo-
niam & intervalla discernere, abacho &
gnomone & astralabio præcellere, comple-
xiones & graduum connexiones judicare, pa-
rum vel nihil valere scias, si non cognoscа-
tur, si non ametur Deus: quem si cognoveri-
mus, si amando secuti fuerimus, & sequendo
ad ipsum pervenerimus, cum omnia sciente
omnia sciemus. Ibi rusticus & illitteratus &
acute inveniet, & subtiliter judicabit, & co-
piose differet. Et hæc est vera discendi via,
quæ ad esse ducit, quoniam quidem omne
animal non esse formidat. Te igitur moneo,
te hortor, ut legas, & non negligas; legas
libros, & non negligas mores. *Intellectus
bonus omnibus facientibus eum, servus
sciens voluntatem Domini sui & non faciens
plagis vapulabit multis, potentes potenter
tormenta patientur.* Argutias & sophisticas
conclusiunculas, quas gualidicas, a quodam
Gualone vocant, nec exercebis superbe,
nec contemnes penitus. Hæc hujusmodi
sunt: Quod non perdidisti habes, cornua au-
tem non perdidisti, cornua ergo habes. Item.
Mus syllaba est, syllaba autem caseum
non rodit, ergo mus caseum non rodit.
Mirabatur dominus noster CONRADUS
rex ea, quæ a litteratis vafre dicebantur,
& probari non posse hominem esse asinum
ajebat. Jucundi eramus in convivio & ple-
rique nobiscum non illitterati. Dicebam ei
hoc in rerum natura non posse fieri, sed
ex concessione indeterminata nascens a ve-
ro mendacium falsa conclusione adstringi.
Cum non intelligeret ridiculo eum sophis-
mate adorsus sum. Unum, inquam, habe-
tis oculum? quod cum dedisset, duos, in-
quiam, oculos habetis? quod cum absolute

annuisset; unus, inquam, & duo tres sunt, A ergo tres oculos habetis. Captus verbi cavillatione jurabat se tantum duos habere, multis tamen & his similibus determinare doctus, jocundam vitam dicebat habere litteratos. Cetetum fac ut hæc exsolvere non possimus, quod periculum aut quod incommodum nobis imminet? de justitia, de pietate, de frugalitate, de pudicitia utraque, & illa cui alieni corporis abstinentia est, & hac, cui sui cura est, disputatio neglecta dispendium parit, non auræ popularis amisso disputationis præconio, sed vitæ potius atque morum detrimento. Porro quod B eloquentiæ mihi portionem aliquam tribuisti, judicium tuum amore illectum est ac deceptum. Est enim res nec parvi temporis, nec exigui studii; nec modicæ exercitationis, scire vim & naturam animorum, excitare pigros, sistere currentes, & tamquam habenis potentibus circumflectere. Licet enim natura sit habilis & ad recipiendas quascumque formas mollis atque tractabilis, quamvis eruditor diligenter & copiose tradat, tamen si frequentis usus actio desit, quæ longe a claustris monachorum C secluса est, lumen a tenebris suffocatur, ignis a cinere non alitur, sed extinguitur. Oportet oratorem & vinci & vincere, ut noverit se & suos & scuto protegere & gladio ferire Lege Quintilianum de institutione oratoria, qui ab utero matris susceptum infantem limare incipit & formare in oratoris perfecti substantiam. Hæc vis atque potentia longius a nostra ætate recessit: quoniam omnis jurisdictio aut est ecclesiastica vel sæcularis. Et in foro quidem jus dicunt laici illitterati, optima interdum natura prædi ti, sed tamen in populo Germa- D niæ rara declamandi consuetudo: breviter & quasi per quædam puncta significandi potius quam explanandi usum fecit. Altera juris pars, quæ canonica vocatur, a viris litterarum doctissimis administratur, quibus in ore est lex Dei, ex qua audiunt: Nolite judicare, ut non judicemini, per quam discunt, quod apud Christianos miser est, non qui patitur, sed qui facit injuriam. In illo summi Legislatoris edicto legunt: sit sermo vester, est est, non non, quod autem his amplius est, a malo est. Et unus eximiæ illius curiæ orator dicit: *amputa opprobrium,* E *quod suspicatus sum.* Si ergo nec suspicione, nec conjectura, nec occasione aliquid vel ad probandum, vel ad non probandum assumitur, restat simplex constitutio causæ. Feciſti? feci vel non feci. Ipsi gentilium diserti in suis diffinitionibus statuerunt, quod aliter censor loqui debet, aliter rhetor. Rhetori concessum est, sententiis uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si verisimiles modo sint, & possunt ad medendos animos hominum qualicumque astu irrepere. Præterea turpe esse putant rhetori, si quid in mala causa destitutum atque impugnatum relinquat. Non ergo decet sanctum virum fide & gravitate præditum apud Christianorum aures tale quid dicere, quod verum non esse sibi atque omnibus videatur. Qui in causa canonica diserte agit, suæ potius gloriæ quam ipsius rei utilitati deservire putatur. Ariopagitæ castigatissimi Græciæ & Athenarum judices neque proœmiis, neque epilogis quemquam uti permittebant, sed simplici & minime colorata narratione: sic omnia pene rhetorices fundamenta quassabantur. Est tamen interdum in ecclesia quædam rerum opportunitas, in qua dicendi artificium irreprehensibiliter exercetur, & maxime in prædicandi officio. In cujus gratiæ principatu, meo quidem judicio, ponitur vir nostrorum temporum valde illustris BERNARDUS Clarevallensis abbas. S. Bernardi elogium. Oratorem eum non immerito dixerim, qui a rhetoribus definitur: vir bonus dicendi peritus. Siquidem vir ille bonus longo eremi squalore & jejuniis ac pallore confectus, & in quamdam spiritualis formæ tenuitatem redactus, prius persuadet visus quam auditus. Optima ei a Deo concessa est natura, eruditio summa, industria incomparabilis, exercitium ingens, pronuntiatio aperta, gestus corporis ad omnem dicendi modum accommodatus. Non igitur mirum, si potenti tantarum rerum virtute excitat dormientes, immo, ut plus dicam, mortuos, & Domino cooperante & sermonem confirmante alterat homines, & ad jugum Dei trahit captivos qui fuerant in curribus Pharaonis. Hunc tu vere dixisses eloquentem, qui non destruit opere, quod prædicat ore, qui non est intus Nero, foris Cato. Quem si videas, doceris: si audias, instrueris; si sequare, perficeris. Et tu si gloria dicendi tangeris, elige unum quem sequaris, cujus eloquentia tuus animus permulceatur. Maximorum oratorum concors sententia est, ornatius & copiosius dici posse imitando eloquentes, quam artis præcepta sectando. Sed de his hactenus, ut scias, quod nesciam. Laudasti mores meos non veritatis, sed benevolentiæ ductus testimonio; sed si in cordis mei, quod parvum est & inscrutabile, domicilia fuisses introductus, & audires in judicio mentis meæ, quando pro tribunali sedet ratio, cogitationum inter se accusantium gravissimos clamores & acerbas quæstiones, ubi nec tonsura, nec habitus, nec pallor, nec macies potest ferre suffragium, videres animal horrible, & omni monstro deformius. Ibi accusator tam forti quam veraci argumentatione intendit, ibi defensor aut nullus est, aut confitetur. Sed caye dixeris mores recta a natura profectos; quia omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum. Licet enim ætate conceptus, vere natus fuerim, quæ tempora

secundum

secundum physicos tuos optimæ sunt complexionis, tamen gratia Dei sum id quod sum, & quotidie ipso adjuvante contendo fieri melior. Non est igitur geneſis meæ & parentum meorum derivationis qualiter vivam, sed divinæ gratiæ, quæ prævenit & adjuvat, cui vocanti, quin immo trahenti, recalcitrare & reniti quasi ingratus non debeo. Uterinos certe habeo, in quibus Deus tantam suæ bonitatis non est dignatus exercere potentiam. Effers domum nostram præconiis, quæ quidem multo melior, quam dignus sim, sed inordinatior quam velim. Tanta est enim hujus temporis contumacia, tanta disciplinæ profligatio, ut non accipere, nedum sentire castigationem velit ulla familia, & fallit sæpe tanto tempore laudata sententia, ut paterfamilias, ita & domus ejus. Ceterum familia nostra arctior non est familia primi parentis Adæ, in qua frater fratris sanguine parricidali terram inebriavit, nec angustior familia Noe in Arca, in qua fuit filius, qui derisa postmodum nuditate patris, filiorum propaginem in ipsa stirpe maledicto subjugavit; neque numerosior familia Salomonis, in qua fuit Adath Idumeus sui Domini persecutor. Nonne in domo illius, a quo omnis sapientia est, fuit inter duodecim apostolos unus Judas proditor? nos vero interdum ut homines erramus, aliquando negligimus, aut victi rerum necessitate tacemus. Erant habitacula Corbeiensis abbatis angusta & ruinosa, nos ereximus nova & fortia, quæ suam multitudinem possint capere, Tullianum illud præ foribus & præ oculis habentes: non domo Dominus, sed Domino domus honestanda est. Inscriptum est nomen meum in superliminari australis januæ cum numero quotus sim in catalogo abbatum, quod feci, non ut evacuarem spem, quæ reposita est in sinu meo, sed ut docerem posteros, ne essent avari, sive profusi vel otiosi. Scriptum est ibi græcis litteris illud de templo Apollinis: Scito te ipsum. Causaris quod in principio nominis mei tres vocales contra recte scribendi rationem conjunctæ sint, quarum duæ insertæ pro consonantibus ponuntur & nomen trisyllabum efficiunt. Tu putas id regulariter non posse fieri, & postulas, ut prima nominis littera U vel separata vim vocalis, vel juncta sequenti & eidem vim consonantis obtineat, & nomen tetrasyllabum fiat. Verum scholastice: si possunt in nomine proprio sive appellatorio duæ consonantes ante vocalem jungi, sicut gnato, gnevis, spiro, flores, fructus, cur duæ vocales loco consonantium positæ conglutinari & conflari non possint? sed ut me tua quæstione liberem, & vel iratus, vel placatus a me recedas, latinis litteris barbara nomina stringi non possunt, & nos A Germanici sumus non Galli Comati, qui in talibus nominibus (a) G. pro U. anteriori [a] ponunt. Hæc, frater dilectissime, pro tuæ amicitiæ intuitu, & pro accendendis fortius studiis tuis contra rigorem instituti nostri jucundius ad te scripta sunt: Non timeo reprehensores, quia caritas benigna est, patiens est, omnia credit, omnia sustinet: Habui in memoria, dum hæc scriberem, quiddam, quod in libris eorum, qui facta vel dicta memorabilia conscripserunt, invenitur. Augusto Cæsari procedenti e Palatio, Græculus quidam importune solebat occurrere, porrigens ei laudum suarum quædam epigrammata. Offensus imperator hominis frequenti adulatione & intempestiva, ut erat litterarum amator & græce sciens, aliquando prævenit Græcum, & epigramma, quid ipse in laudem ejus conscripserat, ad legendum ipsi porrexit. Quo decurso, Græcus exclamat, ingenium Domini laudibus effert, demissaque in peram manu; assem, quem solum habebat, tulit, tene, inquiens, imperator, non secundum tuam, sed secundum meam fortunam. Qua volubilitate ingenii exhilaratus princeps, largiori eum munere ditavit. Ego exemplum sequens pro binis laudationum tuarum schedulis plenam epistolam tibi remitto inter curas & multiplices labores duarum noctium lucubratiunculis effusam.

(a) Non modo Galli sed & Itali etiam in hujusmodi nominibus litteram G. usurpant, unde & in epistolis quas ut abbas Casinensis dedit, Guibaldum non VVibaldum se inscribit.

EPISTOLA CXLVIII. VVIBALDI abbatis ad Hartvvicum Bremensem archiepiscopum.

Hartvvicum archiepiscopum sibi iratum, eo quod in electione Bremensis antistitis electorum vota in VVibaldum conspirare visa sunt, sibi reconciliare conatur.

REverendo domino H. venerabili Bremensis ecclesiæ archiepiscopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium. Anno 1149.

Clericus noster Henricus de Kaminata quasdam petitiones nostras ad vestram sublimitatem a nobis missus pertulit, inde reversus narravit, quod adversus nos graviter essetis commotus, & coram multis gravem de nobis querimoniam fecissetis, insuper & minas in nos & nostros intentassetis. Quod nos credere nequaquam potuimus, quoniam conscientia nostra nobis veraciter attestatur, quod nec in verbo, nec in opere, contra personam & dignitatem vestram scienter quidquam egerimus. Et quia lex nostra non judicat quemquam, nisi prius audiatur, ex eo discretio vestra providere debuit, ut quoniam non exiguo ami-

citiæ vinculo devincti eramus, prius interrogaretis, & postmodum judicaretis. Siquidem, ut industria vestra bene recordatur, duo pacta inter nos contracta sunt, alterum divinum & alterum humanum. Et humanum quidem secundum jura & institutiones humanas solvi & immutari potest, ut videlicet qui hactenus noster homo & tamquam miles per hominagium fuistis, nunc dominus & pater noster fieri incipiatis. At vero contractus divini conventio valet in æternum, propter illum, qui in lege sua mandavit, ne assumamus nomen ejus in vanum, propter illum, qui juravit & non pœnitebit eum. Unde & David: *Juravi*, inquit, *& statui custodire*. Recordamini quod priusquam ad archiepiscopatus culmen ascendistis, litteras prudentiæ vestræ transmisimus, in quibus vos intimo affectu de quibusdam prænonere ac præmunire studuimus, in quibus si audire consilium nostrum placuisset, hodie Bremensis ecclesia & vos pace meliori potiremini. Sed indignamini nobis, ut fertur, quod cum de electione Bremensis archiepiscopi, vacante tunc sede, ageretur, in nostram personam omnium fere vota se [a] inclinarent. (a) Nos in ecclesia Bremensi nullum novimus præter personam vestram, & æquivocum vestrum, Hartvvicum præpositum, & Erfonem præpositum, & Albertum canonicum. Ceterum nomina & facies ignoramus. Civitatem ipsam numquam, nisi semel intravimus, & sero inclinata jam die venimus, & mane facto egressi sumus. Quando prædecessor vester bonæ memoriæ ALBERO archiepiscopus obiit, & vos ei successistis, eramus in Stabulensi monasterio, quod a Brema itinere dierum septem distat, omnium rerum, quæ ibi agebantur, ignari. A nobis nulla persona sollicitata est, nulla submissa. Nos in talem disceptationis aleam non libenter incidimus, ubi tam de natalibus quam de moribus subtilissime disputatur & frequentissime erratur. Atque infirmitatis nostræ & humilitatis bene conscii ad tantam rem & tam reverendam opportune gerendam nequaquam accedere præsumeremus, præcipue cum eadem ecclesia prius domina gentium & princeps provinciarum tamquam vidua facta sit sub tributo, ad cujus contritiones sanandas, si vestra eruditio, prudentia, nobilitas & fortitudo non sufficiunt, desperandum potius ei erit, quam de alicujus hominis adjutorio confidendum. Abjecto itaque a vestri pectoris sinceritate totius suspicionis rancore, & depulsa omni detractorum fallacia, nos, qui in veritate vos diligimus, redamate, quoniam in eo, qui est veritas, vobis loquimur, quod contra vos in ecclesia Romana nec litteras, nec sermonem aliquem direximus, immo ad vestræ dignitatis provectum omnibus modis subvenire parati sumus. Vestram vero discretionem intime rogamus, ut sicut dominus papa vestro prædecessori scripsit, nobis de parrochianis & ministerialibus vestris, qui bona Kaminatensis ecclesiæ invaserunt, justitiam faciatis, quibus nihil prorsus dedimus, vel concessimus, vel datum recognoscimus. Commendamus vestræ pietati latorem præsentium.

(a) Quam injusta sit ista criminatio constat ex epistola VVibaldi supra ad Guidonem, cardinalem, in qua commendat ipsi electum Bremensem.

EPISTOLA CXLIX. VVIBALDI abbatis ad H. episcopum Mindensem.

Petit ut designet sibi tempus & locum quibus invicem convenire possint, res suas amice composituri.

Anno 1150.

REverendo patri suo & domino H. venerabili episcopo Mindensis ecclesiæ frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica exiguas orationes & devotum servitium.

Gratias referimus vestræ celsitudini, quod per dilectum fratrem nostrum magistrum C. & per litteras vestræ dilectionis exiguitatem nostram visitastis. Quia enim de verbo, quod est inter nos, solliciti fuimus, & finceram inter nos esse dilectionem, quam alicujus discordiæ nævum præoptaremus, proxime, sicut paternitas vestra recordatur per fratrem nostrum C. litteras sinceritati vestræ direximus, in quibus hoc vestræ excellentiæ obtulimus, ut quoniam domini vestri episcopi Patherburnensis & Monasteriensis majoribus forsitan causis impediti, ad causæ nostræ compositionem venire distulerunt, nos vobis absque eis loco & tempore, quo vestræ dignationi complaceret, occurreremus. In hac petitione perseveramus, & ut diem & locum, quo vobis opportune & tute possimus occurrere, nobis designetis instanter postulamus. Parati enim sumus, sicut a principio vestræ commonitionis loqui consuevimus, innocentiam nostram in facto nostro vobis ostendere, quam sicubi minus valemus demonstrare, tam vobis quam ecclesiæ vestræ ad omnem justitiam volumus satisfacere: diem & locum quo apte & secure possimus venire in vestra ordinatione ponimus. Nam necessitatem & quas patimur angustias & partem periculorum nostrorum legatus vester oculata fide satis intellexit.

EPISTOLA CL. VVIBALDI abbatis ad abbatem S. Godehardi.

Excuſat ſe quod abbatum Saxoniæ conventui interesſe non poſſit, horatur que ut in eo cauſa abbatis Herſeveldenſis ventiletur.

Anno 1149. * Friderico.

REverendo patri ſuo * F. venerabili abbati eccleſiæ beati Godehardi frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Lætati ſumus in his, quæ dicta ſunt nobis, quod cariſſimi patres & domini noſtri abbates, videlicet Saxoniæ convenire pariter (a) diſponunt, & de his rebus preſſius & ſtudioſius tractare & ordinare, quæ ad vitæ noſtræ correctionem & monaſteriorum noſtrorum diſciplinam pertinere noſcuntur. Cui ſancto conventui nos omnium extremi famuli gratanti animo intereſſe deſideraremus, & eorum aſpectu atque colloquio diu deſiderato perfrui, niſi quod quibuſdam curis interpellantibus verſus partes Lotharingiæ nunc avocamur. Aderit vobis Spiritus-ſanctus, & nos vobiſcum mente conſiſtentes ad effectum perducere curabimus, quæcumque ad decorem domus Dei eodem mediatore & autore ordinaveritis. Inter cetera illi malo fortius occurrendum erit, quod Herſefeldenſes monachi fratrem noſtrum abbatem ſuum de clauſtro & de abbatia ſua expulerint, & nullo in eum judiciariæ actionis ordine celebrato, prius exſulare & mendicare compellitur, quam delictum vel crimen ſuum cognoſcere. Et quoniam vos miſericordem eſſe non ignoramus, eo fiducialius benignitatem veſtram rogamus, ut eum noſtra & omnium confratrum noſtrorum vice domino Bremenſis archiepiſcopo præſentetis, quatenus cum eo aut miſericordiam agat, aut judicium juxta canonum tramitem exerceat. Orate pro nobis & commendate nos attente fratribus veſtris.

[a] Gratulamur plurimum & eccleſiæ veſtræ & perſonæ; eccleſiæ cui Deus ſalutare proviſionis amminiculum præſtare dignatus eſt; perſonæ quod eam præordinatio congruis honorum provectibus ſublimavit: quoniam & inhabili perſona loci ſublimitate dehonneſtatur, & eccleſia perſonæ humilitate non gravatur. Sed cum hæc perſona illuſtrat eccleſiam, & eccleſia ornat perſonam, dulcis armonia eſt & ſalutaris utique rei ſimphonia. Veſtræ familiaritati artius inhærere deſideramus, & totum ſtudioſe perficere quicquid veſtræ bonitati de nobis complacuerit.

EPISTOLA CLII. VVIBALDI abbatis ad H. Bremenſem electum.

Scribit in gratiam abbatis Herſeveldenſis, quem ſui monachi ejecerant.

Anno 1149. * Hattvico.

REverendiſſimo patri ſuo & domino * H. ſanctæ Bremenſis eccleſiæ venerabili archiepiſcopo electo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica unguento ungi quod de capite deſcendit in barbam barbam Aaron.

Veniens ad nos venerabilis frater noſter A. Herſeveldenſis abbas multis fratribus & coabbatibus noſtris, qui Corbeiæ convenerant, lacrymabiliter conqueſtus eſt, quod a monachis ſuis multis ſit injuriis affectus, & tandem de monaſterio ſuo per ipſorum violentiam expulſus, quod monaſterium nunc a laico & illitterato, qui abbati ſuo hanc invidiam conflavit, contra ſacræ regulæ auctoritatem regatur. Quam querimoniam cum ad pedes veſtræ celſitudinis jam frequenter retulerit, non ſolum non eſt in ſua neceſſitate adjutus, ſed etiam adverſarii tanto ſunt præſumtionis ſpiritu animati, ut de ipſo ad vicinas eccleſias quædam convitia & probra conſcribant contemtores regulæ, quæ præcipit honorari abbates a monachis, etiamſi ipſi, quod abſit, aliter agant; nec abſque ipſorum conſenſu & voluntate epiſtolas dare vel accipere: atque ignari canonum, qui hujuſmodi ſcripturas ſub magna diſtrictione interdicunt, & auctoribus earum graviſſimæ animadverſionis pœnas imponunt. Vacant otio & ideo vociferantur, videntes feſtucam in oculo abbatis ſui, & trabem in ſuo non conſiderantes. Reprehendunt abbatem, quod inſolentiam & temerariam loquacitatem monachi ſui una alapa repreſſerit, quod & nos laudandum non putamus, cum potuerit hæc præſumtio vehementius hora & diſciplina regulari ad multorum correctionem vindicari. Sed ab-

EPISTOLA CLI. VVIBALDI abbatis ad B. abbatem S. Michaelis.

Gratulatur ei & eccleſiæ de ſua electione.

Anno 1149. * Borchardo.

REverendo patri B. * venerabili abbati eccleſiæ (b) S. MICHAELIS, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

[b]

(a) Hic prima mentio congregationum ſeu capitulorum generalium abbatum ordinis S. Benedicti in Saxonia occurrit, qui eodem ſæculo tempore Innocentii papæ II. ea celebrare cœperant in Gallia, de quibus vide ſi lubet præfationem noſtram ad tom. 4. Anecd.

(b) Hildesheimenſis ordinis S. Benedicti a S. Godehardo epiſcopo circa annum 1026. fundatæ, præter quam extat & alia apud Hildesheim abbatia ejuſdem ordinis S. Godehardi nomine inſignita, ut ſupra obſervavimus.

bâtis intemperantiam tanto accusationis pondere exaggerant ipsi patientiæ & humilitatis atque obedientiæ immemores, & in quo ipsum reprehendunt, seipsos judicant, non reducentes ad memoriam, quod omnium monachorum pater & dux BENEDICTUS inquietum monachum virga percusserit, nec sequentes Libertini monachi exemplum, de quo in primo dialogorum B. Gregorii legitur, quod cum ab abbate suo per gravem iracundiam scabello suppedaneo esset percussus, tumentemque ac lividam faciem haberet, non solum patienter tulit, sed & quærentibus unde sibi accidisset, tanta verborum moderatione respondit, ut nec patris proderet vitium, nec falsitatis incurreret peccatum. Proinde nos ac per nos omnes fere Saxoniæ abbates vestram clementiam humiliter imploramus, ut quia scandalum hoc in principio vestræ ad regimen ecclesiasticum promotionis pullulare & erumpere præsumsit, tanto id discretionis zelo corrigatis, ut ecclesia Dei gaudeat se de vestra scientia, nobilitate, ac potentia invenisse solatium, & in diebus vestri sacerdotii omnis præsumtio conculcetur, & justitia & veritas accipiat incrementum. Scienti legem loquor. Expulsi aut exspoliati rebus suis vocari ad causam nec judicari possunt, quoniam non est privilegium, quo exspoliari possint jam nudati. Cuncta vero quæ eis ablata sunt potestati eorum legibus redintegrentur, & postmodum non sub angusti temporis spatio ad causam dicendam vocentur, sed tantum temporis spatium eis plenam omnium rerum suarum potestatem habentibus indulgeatur, quantum exspoliati vel expulsi esse videntur. Quod vero dicitur, quod propter bonum pacis sit amotus, ne forte vehementius in eum sævirent monachi: avertat Deus hanc pacem, & hoc bonum ab ecclesia sua, ut prælati propter hoc fugiant, ne subditi insaniant. Quin potius illi projiciendi sunt, & longe extra fines relegandi, qui abjecta propriæ professionis regula & sacrorum canonum institutis contra patres armantur, & dum de uno ipsius excessu conqueruntur, scandalis mundum implere non verentur. Mittite Corbeiam illos fortissimos viros, qui adversus abbates suos prius agunt fustibus, quam rationibus; ante pugnis, quam verbis; & tunc primum infamare per scripta incipiunt, cum de tota congregatione & abbatia expulerunt, ut sciant prophetam esse in Israel. Vestra igitur discretio, vestra pietas, quod per canones factura est, faciet per misericordiam, ac restituto abbate in rerum ac possessionis suæ integritate, ad pacem, si fieri potest, cuncta revocabit, vel certe judicum examine universa pensabit. Benedictus Deus qui dedit vobis in partibus illis omnia posse, quæcumque inspiraverit vobis velle, atque ideo bonum est ut subveniatis oppresso, ne forte desertus a misericordia & justitia supremi judicis clementiam cogatur implorare. De rebus vero Kaminatensis ecclesiæ vestram benignitatem iterum atque iterum rogamus, ut quod vestro prædecessori ALBERONI bonæ memoriæ archiepiscopo a domino papa tam verbis quam litteris injunctum est, vos in parrochianos vestros, qui etiam vestri ministeriales & homines sunt, prosequi non dedigneminí. Scripsimus pro causa vestra domino cancellario petente præposito vestro Hartvvico, in quibus litteris nostræ circa vos devotionis affectus satis apparuit.

EPISTOLA CLIII. CORBEIENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

De quodam puero apud Kaminatam casu defuncto.

CArissimo domino suo & patri VVIBALDO Corbeiensi abbati, fratres Corbeienses debitam obedientiam & devotam orationum perseverantiam. Anno 148.

Quod de aliquo tristis rei casu vestram paternitatem conturbare debemus, supra modum ipsi dolemus, sed quia congruum est, ut omnia vestræ scientiæ nuda & aperta sint, non absque magno cordis gemitu, quod pro peccatis *nostris* nuper apud Kaminatam accidit ex permissione Dei, vestræ prudentiæ notum faciamus. Duodecimo kal. Maij quidam de pueris nostris scholaribus Herimannus, cognatus fratris nostri H. senioris, cum alio puerulo super tectum ecclesiæ Kaminatensis, quod noviter tegitur, ascenderat, fratribus nostris nescientibus, & accidente casu de supremo fastigio tecti per laqueär in pavimentum decidit, & statim ibidem exspiravit, & mortuus elatus est. Locus autem ruinæ in Aquilonari absíde fuit juxta altare sancti Dionysii, ubi cum diligenter quæsitum esset, inveniri non potuit, quod ecclesia sanguine illius polluta sit. Corpus defuncti ad novale apud sanctam Mariam sepultum est. Fratres Kaminatenses postea divinum officium in ecclesiæ non celebraverunt. Super hac re mandatum vestrum exspectamus. Nec hoc lateat discretionem vestram, quod apud Kaminatam in turri (a) singularis ecclesiæ dedicatio est, [a] ubi, si liceat divina celebrari, prudentia vestra discernat.

(a) Olim in turribus solebant patres nostri altare aliquod erigere, illudque S. Michaeli tamquam monasterii tutelari consecrare, ut multis exemplis demonstrari potest.

A

EPISTOLA CLIV. VVIBALDI abbatis ad ſuos Corbeienſes.

Conſolatur eos de obitu fratris apud Kaminatam defuncti.

Anno 1149. WIBALDUS Dei gratia Corbeienſis abbas, dilectis in Chriſto fratribus & filiis Corbeienſibus benedictionem & vitam uſque in ſæculum.

Mœſtos vos eſſe & afflictos animo ſuper interitu pueri veſtri & fratris H. litteræ B veſtræ ad nos tranſmiſſæ patefecerunt. Sed ſi recordemini, quod ipſum caput noſtrum ipſum Creatorem & Redemtorem noſtrum, ipſum mundi totius & omnium rerum dominum princeps invidiæ diabolus de pinnaculo templi præcipitare noxia perſuaſione voluit; ſi ſcriptum recolitis, quod omnes qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem patiuntur; ſi memoria tenetis, quod cum immundus ſpiritus a ſua fuerit habitatione expulſus, revertitur aſſumtis ſecum ſeptem nequioribus ſe, facile contemnere poteritis oblatrantis vulgi vana judicia; & ſolidata in Deum ſpe certiſſima ad emun- C dationem & reſtaurationem Kaminatenſis eccleſiæ ſtudioſius intendere. Succurrere debuit dolori veſtro & animi moleſtias detergere, quod de ſacratiſſimo patre noſtro Benedicto legitur, quod cum in arce Caſinenſis caſtri idolum Apollinis contriviſſet, & ara ſubverſa, luciſque ſucciſſis, oratoria beatorum Johannis & Martini conſtruxiſſet, dæmon ejuſdem loci habitator, cœpit in virum ſanctum horrendis vocibus infremere, & fratres ipſius tum ſaxi pondere, tum phantaſtico coquinæ incendio, multis fatigationibus illudere, tum etiam pueruli D monachi contritione, necnon ſenioris cujuſdam, in quem ingreſſus erat, vexatione, eos a loci purgatione, & a ſancta ibidem converſatione deteſtalibi artis ſuæ ludibrio deterrere. Non itaque vos deterreant aniles fabulæ, ſed confidentes de miſericordia Dei & ipſius protectione, firmate in Kaminatenſi eccleſia religionem, quæ ante noſtrum ibi adventum prorſus deperierat, purgate & locum & animas a dæmonum contubernio, & obſervate diligenter ipſorum verſutias. E Sane ſumtis litteris noſtris, quas ad vos deſtinavimus, præſenciam domini & patris noſtri Mindenſis epiſcopi adibitis, & ſuper reconciliatione ejuſdem eccleſiæ, quam pollutam fratris noſtri caſu & morte judicat, miſericordiam ipſius implorate. Ad quam legationem peragendam nos præpoſitum A. & camerarium R. deſignamus. Quod ſi turris Kaminatenſis eccleſiæ ſeorſum a cetero corpore templi alia Kalendarum die dedicata fuerit, fratres noſtri ſecure poterunt in ea divina celebrare myſteria.

EPISTOLA CLV. VVIBALDI abbatis ad epiſcopum Mindenſem.

Ut eccleſiam Kaminatenſem reconciliare dignetur.

REverendo patri ſuo & domino H. ve- Anno 1149. nerabili Mindenſis eccleſiæ epiſcopo, VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Fratres noſtri dum juxta mandatum domini papæ, & domini regis ad reſtaurationem Kaminatenſis eccleſiæ laborant, ab inimico totius ſalutis tentati & exacerbati fuerunt. nam quidam puer monachus de culmine templi, cui tunc retegendo inſiſtebant, lapſus in pavimento eccleſiæ colliſus expiravit, nullo tamen cruore effuſo. Unde advoluti animo pedibus veſtræ ſinceritatis rogamus, ut pro reverentia domini papæ, & pro honore domini regis & regni, juxta diſcretionem vobis a Deo conceſſam provideatis, ne locus ille divinis pro hoc officiis privetur. Dolemus valde, quod deſiderato & totiens expetito colloquio veſtro frui non potuimus, cum vobis in veritate ſervire & vos honorare parati ſumus.

EPISTOLA CLVI. WIBALDI abbatis ad ſuos Malmundarienſes.

De quodam fratre inordinato, qui abjecto monachali habitu exiverat.

FRater VVIBALDUS Dei gratia Sta- Anno 1149. bulenſis eccleſiæ ſervus, dilectis in Chriſto fratribus & filiis Malmundarienſibus monachis, benedictionem & vitam uſque in ſæculum.

Venientem ad nos fratrem noſtrum quondam Liebertum benigne, prout licuit, ſuſcepimus. Quem cum coram fratribus & his quibus nos & eccleſiam ſæpius offenderat, paterne ſatis pro tempore & re increpaviſſemus, injunximus ei pro pœna, ſi tamen pœna dici poſſit, ut nobiſcum apud Stabulaus more fraterno maneret, donec inſpecta ejus humilitate, quid agendum eſſet, Deo auE ctore videremus. Non ſolum non acquievit, ſed in furiam, & in eam, qua arreptitii feruntur, veſaniam converſus, cultellos & arma, quibus ſe & nos interimeret, quærere, deſperationis verba ore ſacrilego promere, ſymbolo, id eſt, *credo in Deum*, derogare, & quod numquam amplius Deum invocaret, ſæviens & ſeipſum dilanians dicere incepit. Hujus igitur deſperati hominis & ante altare beati Remacli propter eccleſiam violandam ſe occidere attentantis, incendiumque monaſterio minitantis infa-

niam non ferentes fratres noſtri, nos, qui A data ſententia conventum exieramus, adierunt, noſtrum ſuper tam deteſtabili homine conſilium non ſine dolore & lacrymis flagitantes. Nos capto cum prioribus noſtris conſilio, facto tabulæ ſonitu, quippe jam miſſa major cantata erat, capitulum intravimus. Quæſivimus ab eo, utrum poſt rebellionis ejus acceptam injuriam, obediens nobis & ſanctæ regulæ vellet eſſe; cum perſiſteret dicendo ſe perſonam ſuam velle omnibus modis a nobis alienare, nos etiam optionem propoſuimus, ut aut juxta monachorum inſtituta nobis obediret, aut depoſito religionis habitu a nobis & a monaſterio ſuo numquam reverſurus recederet. Et hoc quidem fecimus ſecundum duritiam cordis ejus, metuentes ne forte in profundum deſperationis & in ſuæ necis appetitum mergeretur, malentes eum utcunque vivere, quam vitam impœnitenti animo finire. Ipſe vero nihil cunctatus, ſed quaſi gaudens, quippe quem nequam ſpiritus jam mente invaſerat, abjecto monachali habitu, hilaris & ridens exivit, cum nos in maximo timore pro ipſius animæ interitu dimitteret. Et nos quidem de noſtris peccatis iram Dei plurimum metuentes, & nihil in hoc mundo temere judicantes, pio tamen & catholico ſenſu nos intelligere credimus, quod ob blaſphemiam, quam in Deum ſemper habuit, & ob invidiam & maledicta atque probra quibus ſereniſſimum confeſſorem Chriſti atque pontificem Remacium inſectatus eſt, & propter fraternum odium & ſemina ſcandali, quæ inter duo loca Stabulaus videlicet & Malmundarium ſingulari caritatis glutino conjuncta ſpargere non ceſſavit, in hanc mentis cœcitatem & pertinaciæ laqueum prolapſus eſt, ſicut de Juda Traditore legimus, qui poſt venditum Dominum abiens laqueo ſe ſuſpendit. De quo univerſitati veſtræ mandamus, & in virtute Sancti Spiritus per verbum ſacræ obedientiæ præcipimus, ut eum neque colloquio, neque conſilio, neque auxilio intus ſive foris foveatis, ſed ipſum tamquam Chriſtianæ communionis extorrem & totius obedientiæ ac religionis everſorem devitare ac perſequi cum omni veritate & inſtantia ſtudeatis.

EPISTOLA CLVII. VVIBALDI abbatis ad VValterium monachum.

VValterium monachum improbum de multis arguit criminibus.

Anno 1149. WIBALDUS Dei gratia Corbeienſis abbas, fratri VValterio concipere ſpiritum timoris Domini, parturire humilitatem, parere obedientiam.

Multa ſæpe & gravia de tua converſatione ad nos referuntur, tam a fratribus, cum quibus habitas, quam a laicis honeſtis, qui dolent nomen Dei propter te blaſphemari inter ſæculares, noſtramque perſonam lædi & Corbeienſe monaſterium infamari, & totum monachorum ordinem pro te vilem fieri. Super quo frequenter a nobis affectione paterna commonitus, reſipiſcere nequaquam voluiſti, ſed retribuens mala pro bonis, ſterilitatem animæ noſtræ, maledicta & execrationes tuis correctoribus rependis. Audivimus enim de te rem B inſaniæ junctam, immo vero ſacrilegio & deteſtatione plenam, quod videlicet quotidiano deſperationis furore accenſus miſſam de ſancta Trinitate ſine intermiſſione celebres, ſub hoc cœcatæ mentis propoſito, ut tam noſtra perſona quam tuus præpoſitus per hoc tam in temporali proſperitate, quam in corporum noſtrorum valetudine acerbius lædamur. O hominem omni lacrymarum imbre deflendum! qui de fide perfidiam facit, de pietate ſacrilegium, de religione idololatriam. Summa illa & glorioſa atque ineffabilis Trinitas, a quibus digne & laudabiliter invocatur, ad ſeipſam obtinendam C & habendam invocatur, ut ejus viſione perfruantur, qui invocant nomen ejus, & ab illa inter mundi hujus adverſa & proſpera gubernentur, a qua ſe recognoſcunt conditos, & a morte ſempiterna per Jeſum Chriſtum liberatos. Hoc nomen invocetur ſuper nos, quod non perdit innoxios, nec ſalvat nocentes; invocetur, inquam, non obdurati cordis & infidelis oris alloquio, ſed innocentiæ & puritatis obſequio. Præterea non diſſimilem impietatis errorem incurriſſe argueris, in eo ſcilicet, quod mercatorem quemdam ſæcularibus & tibi prohibitis D commerciis ſocium & amicum anathematiſaveris. Soles enim tractatis recenter vivificis ſacramentis extra eccleſiam in cimiterium fratrum exire, ut inde poſſis oppidum *Horenhuſen*, quod in valle ſitum eſt, deſpicere, & contemplata domo tui ſodalis, ipſum & uxorem & liberos excommunicare. Quis te conſtituit principem populi? cum ad preſbyterii gradum aſcendiſti, poteſtatem accepiſti conſecrandi corpus & ſanguinem Dei, non poteſtatem ligandi atque ſolvendi. Hanc poteſtatem accepit ecE cleſia catholica cum beato Petro, ſed non eſt diffuſa in omnes, qui ſacerdotali officio funguntur, ſed eis tantum collata, qui ad curæ ſpiritualis adminiſtrationem eliguntur. Nonne cum talia agis Balaam prophetæ recordaris, qui ad maledicendum populo Dei aſcendit in montem, & cœcatus avaritiæ tenebris totiens prohibitus, dum pertinaciter maledicere deſiderat, copioſæ benedictionis munus cum gratia propheticæ contulit? ſic benedicitis cum maledicere putatis, & convertitur in vos maledictio, & tranſit ad proximum benedictio. Vidimus

in quibusdam illud Psalmistæ adimpletum: Priusquam humiliarer ego deliqui, & quos lascivientis lubricum carnis evertebat, facti subjectiores & ad omnem obsequii & patientiæ cultum promtiores recompensabant modeste serviendo & mores aliorum sustinendo, quidquid dispendii lapsu carnis commiserant. Tu non audis David dicentem: *nolite fieri sicut equus & mulus.* Sed peccatum tuum sicut Sodoma prædicas & non abscondis, & quod pessimum est, mentiendo, jurando, & detestando fratrum animos offendis. Diceris etiam quosdam caracteres habere, & illos ad quædam præstigia & diabolicas incantationes atque usus improbos conscribere, quibus ne gentilium quidem ullus doctus & honestus fidem accommodare voluit. Cum ad cognoscendum hæc & alia quædam, super quibus in te & nos tota clamat provincia, secundum priorem monasterii nostri fratrem videlicet Isiconem *Ersborch* misissemus, fratres omnes tam illitterati quam litterati, sorores Deo dicatæ & reliqua cellæ familia concors contra te tulerunt testimonium; sed tu impudentia, qua omnes vincis, cunctis resistebas, non vera dicendo, sed cunctis convitiando. Et nunc quoniam clamor tuus quotidie ascendit; per verbum sanctæ obedientiæ, tibi præcipimus, ut ab altaris & missæ officio abstineas, & ut de quatuor parietibus claustri passum pedis non exeas, & cum laicis & sæcularibus personis colloquium per te vel per submissam personam non habeas, donec obedientia & humilitate tua cognita, quid agendum sit, Deo auctore, provideamus. Quod si nostri mandati quod ex communi fratrum sententia injungimus, contemtor & prævaricator exstiteris, scias pro certo omnem cellæ illius habitationem & redituni ad nos vel monasterii nostri domicilia penitus interdici.

A cordiæ dediderunt. Qua humilitate & insolito eusium spectaculo, necnon labore longioris viæ super ipsos miserando permoti, Stabulenses nostri tam fratres, qui omnes in ecclesia præsentes aderant, quam ministeriales ecclesiæ nostræ, quorum maxima pars alia de causa ad nos ea die convenerat, cum ingenti precum instantia apud nos licet invitos & renitentes effecerunt, ut eos in gratiam reciperemus, & tam de eorum peccato quam de pœna & satisfactione ex consilio & sententia vestra & ministerialium Corbeiensis ecclesiæ diffiniremus. Ea propter scripsimus domino nostro Patherburnensi, ut eos ab excommunicationis vinculo, quo innodati erant, sub prædictæ conditionis firmitate absolvat, & usque ad reditum nostrum ad vos pacem in terra habere permittat.

EPISTOLA CLVIII. VVIBALDI abbatis ad suos Corbeienses.

De H. & A. ministerialibus Corbeiensis monasterii in ejus gratiam receptis.

Anno 149. FRater WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas dilectis in Christo fratribus & filiis Corbeiensibus monachis benedictionem & vitam usque in sæculum.

Venientes ad nos Stabulaus ministeriales Corbeiensis ecclesiæ H. & A. qui, ut nostis, equos nostros apud Corbeiam furati fuerunt, se more gentis suæ evaginatis gladiis in maximo populi conventu nostræ miseri-

(a) Supra observavat VVibaldus Gallos nomen suum incipere a littera G. econtrario Germanos a littera W.

(b) Geraldus de Tenazzo, qui anno 1137. interfuit funeri Eustorgii episcopi Lemovicensis, vixitque usque ad tempora Anastasii papæ IV. a quo privilegium obtinuit.

EPISTOLA CLIX. G. ABBATIS Solemniacensis ad VVibaldum abbatem.

Ut pro Solemniacensibus gratias agant S. Remaclo qui eos a tribulationibus eripuit.

CArissimo nostro & cum omni reverentia nominando (a) GUIBALDO domino abbati sancti Remacli de Arduenna & G. (b) suus abbas sancti Petri Solemniaci (c) ire de virtute in virtutem & videre Deum deorum in Sion. Anno 1149. [b] [b] [c]

Ante omnia carissimi petimus, quatenus communi patri nostro sancto Remaclo gratias agere & preces pariter fundere ut filii domestici pro nobis fratribus vestris dignemini. Gratias, inquam, quia nos opitulante Deo de magnis tribulationibus pius pater erutos in magna pace ad præsens constituit, preces etiam nihilominus fundere, quatenus sicut hactenus bene consuevit, patrocinari nobis usque in æternum non desinat. De vestris autem necessitatibus scire volumus, quomodo erga vos pius pater & patronus oporetur & opitulerur. Valete fratres & Domini.

EPISTOLA CLX. VVIBALDI abbatis ad Solemniacensis.

Respondet ad præcedentem.

REverendo patri suo & domino G. sanctæ Solemniacensis ecclesiæ venerabili abbati & fratribus ibidem Deo militantibus

(c) Solemniacense monasterium olim insigne a S. Eligio fundatum duabus infra Lemovicas leucis situm, cujus primus abbas extitit S. Remaclus, qui postea Stabulensis & Malmundariensis monasteriorum fundamenta jecit.

frater GUIBALDUS Dei gratia ecclesiæ beati Remacli servus, quæ est in Stabulaus, salutem in eo qui mandat salutes Jacob.

Litteræ vestræ ad nos per pueros perlatæ vestræ prosperitatis & sospitatis indices fuerunt, quæ tanto propensiore gaudio repleverunt, quanto per ipsas fuimus certiores, quod fides vestra, quæ per dilectionem operatur, firmissime tenet & nullatenus dubitat, omne datum optimum & omne donum perfectum desursum esse & a patre luminum descendere. Levastis si quidem oculos vestros in montes, unde venit auxilium vobis, quando religiose de communis patris & patroni nostri sanctissimi videlicet confessoris Christi Remacli meritis cogitantes, ejus patrocinio estis assecuti quod communia peccata præpedire videbantur. Et licet eruditio vestra & devotio abunde intelligat eisdem studiis conservandam prosperitatem, quibus eam adepti estis, tamen vestra sollicitudo non arbitratur esse otiosum, si & vos filiali & intimo affectu commoneamus, & vos in idipsum supplicibus votis adjuvemus. Nam vestra prosperitas nostra est, & in tantum sunt nobis omnia vobiscum communia, ut nihil alienum, nihil segregatum judicemus, nisi quantum intervallis locorum, quibus valde invidemus, spatio longiore distamus. Et quoniam de rerum nostrarum habitudine pia vos animi anxietas permovet, sciat vestra sinceritas, quod in labore hominum sumus, & cum hominibus flagellamur, quia tantarum & tam remotarum rerum procuratores numquam vel raro absque vexatione tempus præterire possumus. Ceterum res nostras Deo propitio per merita & intercessionem venerandi pastoris & patroni nostri Remacli moderante, summa rerum salva est, licet de partibus aliquantulum depereat. Nosque in persona sani & incolumes sumus, & vestri in veritate amatores. Remittetis nobis circa tempus autumnale cœcum vestrum latorem præsentium, cui etiam ductorem viæ præbebitis, & per ipsum nobis quatuor cuniculos, duos videlicet mares & duas fœminas mitteris.

EPISTOLA CLXI. VVIBALDI abbatis ad H. Trajectensem episcopum.

De providendo pastori ecclesiæ de Lienvvard.

Anno 1149. [a] REvetendo patri suo & domino H. (a) venerabili sanctæ Trajectensis ecclesiæ episcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium.

Sicut vestræ celsitudini jam ante suggessimus, clericis qui ecclesiam *de Lienvvard* tenuerunt, & præbendam & beneficium abjudicari fecimus propter tria capitula, quorum singula poterant esse peremtoria. Primo quod donum altaris & curam animarum a vobis suscipere neglexerunt, unde eadem ecclesia, quæ est Corbeiensis ecclesiæ possessio, in jus vobis proprietarium adjudicata est, sed per gratiam & misericordiam vestram nobis & monasterio nostro omni cum integritate restituta est. Secundo quod censum ex antiquo jure debitum jam per biennium solvere neglexerunt. Tertio quod decurso jam nostræ prælationis apud Corbeiam trium fere annorum spatio neque ad nos venerunt, nec debitam reverentiam & honorem exhibuerunt. Quæ cum ita sint, misimus ad pedes vestræ sanctitatis Corbeiensis ecclesiæ camerarium, sub tali discretæ moderationis mandato, ut quoniam personam vobis exhibere, quæ curam ejusdem ecclesiæ susciperet, præcepistis, si favor vester circa aliquam personam inclinatur, eam vobis ex nostra, salvo jure nostro & censu ecclesiæ, præsentare debeat, quæ quidem persona licet sola curam accipiat, tamen in quarta parte præbendæ a vobis ordinabitur. Quod si etiam de tribus reliquis præbendis vestræ discretioni placuerit, ut aliqua persona vobis grata investiatur, etiam in hoc vestræ voluntati libenter obtemperabimus. Si vero nulla de amicis vestris ordinandis vobis voluntas exstat, personam, quam ei ex nomine designavimus, vobis præsentabit. Ad cumulandum quoque beneficium, quod nobis liberaliter impendistis, & ad promerendum cumulatius nostræ serviturus augmentum, quod bono inchoastis principio, fine optimo terminetis & nos de amico vobis amicissimum faciatis.

(a) Heriberto seu Ardeberto dicto *de Beren* ex loco originis in Frisia, qui Andreæ *de Cuick* episcopo Trajectensi ad Rhenum successit.

EPISTOLA CLXII. CONRADI imperatoris ad VVibaldum.

Laudat ejus fidelitatem, significatque se in octava pentecostes perveniſſe Ratisbonam.

CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex augustus, VV. dilecto suo venerabili Chorbegensis ecclesiæ abbati, gratiam E suam & omne bonum. Anno 1148.

Quia inter universos regni nostri principes nullus est repertus, qui fidelius vel nobis vel filio nostro pro posse suo post discessum nostrum astiterit, specialiter fidelitati tuæ tam factis quam verbis grates referre intendimus. Scire itaque te volumus, sanos & bene valentes in octava pentecostes Ratisbonam perveniſſe, quia id maxime te desiderare cognovimus.

EPISTOLA

EPISTOLA CLXIII. VVIBALDI ad Conradum imperatorem.

Congratulatur ei de reditu e sacra expeditione, hortatur ut injuste oppressos adjuvet, & conqueritur de episcopo Mindensi.

Anno 1149. INclyto triumphatori a Deo coronato & exaltato sereniſſimo domino ſuo CUNRADO Romanorum imperatori auguſto, F. VVIBALDUS Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſalutem in eo qui dat ſalutem regibus.

Sicut infidelium mentes de inſperato adventu veſtro nimium conſternatæ ſunt, ita fidelium veſtrorum animi tanto cœleſtis muneris beneficio plurimum ſunt exhilarati. In quorum numero noſtra parvitas non immerito aggregata tanto exultat gaudio, ut cum propheta Jacob dicere poſſimus: *ſufficit mihi, vadam & videbo dominum meum.* Et nos quidem qui ſemper animo & oratione atque fide vobiſcum fuimus, jam in ipſo imperii veſtri ingreſſu corporali præſentia vobis occurriſſemus, niſi rapinæ & incendia quotidianis preſſuris Lotharingiam & præcipue miſeram Arduennam afflictarent, in qua miſeriarum dimicatione, tamquam in acie ſuccinctos acerba neceſſitas nos ſtare compellit. Et quoniam deſideranti vos & jam fere labenti patriæ divina pietas ſanum & incolumem reſtituit, porrigite ſalutarem dexteram oppreſſis, ſublevate pupillos, defendite viduas, ſubvenite catholicæ eccleſiæ, quod tanto nunc potentius atque efficacius complere poteritis, quanto excellentiam veſtram cœleſtis majeſtas mirabilibus & inopinatis triumphis per incredibiles labores & extrema pericula ſua clementi protectione provexit. Virtus veſtra & induſtria per Dei potentiam alte terribibilem vos inimicis effecerunt, unde & mora abjicienda eſt, & dum cuncta pavent, utendum eſt ratione temporis, & curvanda ſunt quæ jam flecti cœperunt & ante corda rebellium percellenda, quam convaleſcere a metu incipiant. Conquerimur autem ſerenitati veſtræ, quod Mindenſis epiſcopus plurimum nos gravat, & hactenus impedivit de his rebus, quas Corbeienſi eccleſiæ attribuiſtis, Kaminatam videlicet & *Visbick*, & in Kaminata quidem, ubi fratres noſtros juſſu veſtro ordinavimus, divinum officium celebrari prohibuit, de cujus poſſeſſione mediam fere partem amiſimus. In loco vero *Visbick* numquam intravimus, nec paſſum pedis de tota poſſeſſione ibi pertinente adhuc obtinuimus, prohibente hoc Mindenſi epiſcopo & comite ADULPHO de *Scovvenborch*, ubi etiam ipſe Mindenſis epiſcopus res monaſterii per fratres Cappenbergenſes ordinavit. Pro qua re Corbeienſes, qui vobis de pecunia juraverant, ſolvere, tota eccleſia reclamante, non potuerunt. Quantas vero adverſitates & quantas expenſas pro eiſdem locis ſuſtinuerimus, plenius ſuo tempore veſtræ clementiæ genibus affuſi referemus. Et nunc quantum veſtra majeſtas dignabitur, & quantum noſtra mediocritas ſuſtinere valet, de ſtatu veſtro & regni nobis fidelibus veſtris ſignificare non abnuatis. Victorem vos & incolumem conſervet omnipotens Deus.

EPISTOLA CLXIV. EUGENII papæ III. ad Conradum imperatorem.

Conſolatur de infelici expeditionis Hieroſolymitanæ exitu, mittitque ad eum nuncios, cupiens de ipſius ſtatu informari.

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio CUNRADO illuſtri Romanorum regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1149.

Cum in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, ſicut nec proſperis elevari, ita nec frangi adverſis, confidentes de divina miſeratione, debemus, quia Dei & hominum mediator admiranda diſpenſatione conſuevit omnem, quem recipit, adverſitatibus flagellare, ut dum ipſum per amorem ad æterna præmia vocat, præſens mundus ejus animam per tribulationes, quas ingerit, a ſe ipſo repellat, tantoque facilius ab hujus ſæculi amore recedat, quanto magis impellitur, dum vocatur. Quod in Iſraelitico populo Moyſe vocante & Pharaone ſignatur. Moyſes namque tunc ad vocandum miſſus eſt, cum Pharao duris eum operibus perurgebat, quatenus alter vocando pertraheret, alter impelleret ſæviendo, ut plebs in ſervitio turpiter fixa vel provocata bonis vel impulſa moleſtiis moveretur. Hoc itaque rationis debito incitati, diſcretionem tuam commonemus & exhortamur in Domino, quatenus tribulationes, quas tibi & exercitui tuo omnipotens Deus irrogavit, patienter ſupportes, & in eo ſpem tuam conſtituas, qui quem vult permittit affligi, & confidentes in ſe miſericorditer liberare conſuevit. Si enim patientiam & humilitatem in adverſis perfecte tenueris, per deſertum hujus vitæ ſub protectione columnæ nubis & ignis, id eſt patientiæ ſolatio & charitatis ardore intrepidus perduceris. Quia vero perſonam tuam vera in Domino caritate diligimus, & de te valde confidimus, ſi poſt tuum reditum de his ſtatim, quæ ad honorem ſanctæ eccleſiæ & regni ſpectare noſcuntur, tecum mutuis potuiſſemus tractare colloquiis, nobis utique gratum fuiſſet. Verum quia id nobis temporis qualitas denegavit, & de tua ſumus ſalute

solliciti, quosdam de fratribus nostris, post- quam te ad Lombardiæ partes, auctore Domino, incolumem perveniſſe accepimus, ſicut per venerabiles fratres noſtros AR. Bremenſem & A. Havelbergenſem epiſcopum tibi ſignificavimus, ad tuam ſerenitatem duximus deſtinandos, ut affectum & benevolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, & quod de te audire cupimus, ipſorum relatione noſceremus. Quibus dedimus in mandatis, ut tibi tamquam cariſſimo filio noſtro & catholico principi atque ſpeciali ſanctæ Romanæ eccleſiæ defenſori, ipſius eccleſiæ ſtatum & noſtrum exponerent. Qui ſiquidem uſque in Tuſciam profecti, ex quo te ad partes Teutonicas pertranſiſſe noverunt, longitudinem viæ & difficultatem itineris propter æſtatis intemperiem metuentes, ad noſtram præſentiam redierunt. Ceterum quia ſtatum tuum & dilecti filii noſtri HENRICI junioris regis, quem poſt diſceſſum tuum paterno affectu dileximus, & in poſterum actiones ejus proſperari in Domino peroptamus, cognoſcere cupimus, cum fratres noſtri, propter æſtatis fervorem, laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem noſtrum F. latorem præſentium & apoſtolica ſcripta tuam excellentiam viſitantes, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatenus ea quæ circa te & ipſum geruntur, & ſtatum regni per eumdem F. ſtudeas intimare, & hoc tempore devotionem, quam erga matrem tuam ſanctam Romanam eccleſiam geris, oſtendas, ut noſtro reſpondere affectui congrue videaris; & beati Petri apoſtolorum principis interceſſionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris noſtri largiores debeas gratias promereri. Datum Tuſculani IX. kal. Julii.

EPISTOLA CLXV. G. CARDINALIS ad VVibaldum abbatem.

Mandat ut ad ſe veniat ipſius conſilio uſurum.

Anno 1149. [a] G. (a) Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus, venerabili fratri VVIBALDO abbati Stabulenſi, ſalutem & dilectionem.

Fraternitati veſtræ præſentibus ſcriptis notificare decrevimus, quod peracta legatione domini papæ in Polonia ad partes Saxoniæ devenimus, ibique pro complenda legatione ejuſdem domini noſtri de conſtitutione epiſcoporum in Leuticia, ſeu etiam pro negotio ducis Lor. quod vobis non exſtat incognitum, moram neceſſario facimus. Quia vero in utroque negotio veſtro auxilio ſeu conſilio ſummopere indigemus, fraternitatem veſtram attente rogamus, atque ex parte domini papæ & domini cancellarii vobis mandamus, quatenus his ſuſceptis litteris, omni occaſione ac dilatione poſtpoſita, ad nos veniatis, ut in prædictis negotiis, ſicut oportet, & dominus papa confidit, aſſiſtere valeatis.

(a) Forte Gregorius diaconus cardinalis ab Eugenio III. creatus, atque ab eo in Germaniam legatus miſſus.

EPISTOLA CLXVI. VVIBALDI abbatis ad G. cardinalem.

Reſpondet ad præcedentem.

Anno 1149. REverendo patri ſuo & domino G. venerabili ſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono cardinali apoſtolicæ ſedis legato, F. VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Poſtquam de tranſitu veſtro in Poloniam vera relatione comperimus, longo tempore apud Corbeiam in ea expectatione ſolliciti atque ſuſpenſi fuimus, ut in reditu veſtro competenter vobis occurrere poſſemus, & tam devotum quam debitum tum in perſona tum in rebus obſequium pro reverentia domini papæ & domini cancellarii, & pro veſtræ perſonæ honorificentia, cum omni fide & ſinceritate exhiberemus. Sed quoniam crebra mala, quæ Lotharingiam & præcipue Arduennam noſtram aſſiduis prædis atque rapinis & incendiis affligunt, nos illac tranſire compulerint, & nos quotidianis preſſuris tamquam in acie dimicantes implicitos tenent, multum ex animo dolemus, quod ad veſtræ juſſionis mandatum veſtræ ſublimitati occurrere tam longe poſiti non valemus; præcipue cum veſtris ſollicitudinibus deſit cooperator epiſcopus ANSELMUS, in cujus prudentia & fideli conſilio plurimum poſſet inniti veſtra diſcretio. Præterea dominus noſter rex Romanorum CUNRADUS Ratiſbonam in octava pentecoſtes perveniens, miſit nobis legatos cum litteris, præcipiens ut in martyrio apoſtolorum Petri & Pauli ſibi abſque ullo dilationis impedimento præſentiam noſtram exhiberemus. Miſimus vero ad veſtræ excellentiæ pedes procuratores noſtros, quibus confidenter imperabitis, ut juxta beneplacitum veſtrum de rebus noſtris veſtris opportunitatibus ſubveniant. Veſtra vero bonitas, ſicut de vobis & de tota Romana eccleſia confidimus, neceſſarium eis patrocinium non denegabit.

EPISTOLA CLXVII. CONRADI imperatoris ad H. Mindenſem epiſcopum.

Arguit eum quod fratres Corbeienſes vexet.

Anno 1149. CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. venerabili Mindenſi epiſcopo, gratiam ſuam & omne bonum.

Perlata eſt ad nos querela fidelis noſtri Corbeienſis abbatis, quod de duobus monaſteriis in epiſcopatu tuo ſitis, Kaminata videlicet & *Visbich*, quæ nos Corbeienſi monaſterio tam conſilio quam judicio principum contulimus, magnum impedimentum attuleris, & ſæpe multumque rogatus eccleſiam, quæ ruina cujuſdam pueri monachi polluta dicitur, reconciliare negleXeris. In quo diſcretio tua diligenter debet perpendere, quid ſacerdotalis officii ſollicitudo in hujuſmodi caſu debuit exhibere. Debuit enim diſcretio tua intelligere; quod de regalibus noſtris ſicut tua eccleſia ſublimata & dotata eſt, ita & Corbeienſem C eccleſiam de regni proprietate potuimus honorare. Proinde diſcretioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, ut de cetero a vexatione prædicti Corbeienſis abbatis & rerum monaſterii ipſius omnino, ſicut nos diligis, abſtineas, & prædictam eccleſiam reconciliare non differas. Nos enim divinæ religionis intuitu, & monitu ac petitione reverendi patris noſtri papæ EUGENII, prædicta loca divinis obſequiis mancipare ſtuduimus; de quorum turpi & infamiſſima converſatione non ſolum eadem provincia, ſed D etiam regnum noſtrum offendebatur: in qua facta ordinis reformatione tuam plurimum decet cooperari moderationem.

EPISTOLA CLXVIII. VVIBALDI abbatis ad H. Mindenſem epiſcopum.

Cauſatur de eo quod Kaminatenſem eccleſiam non reconciliaverit.

Anno 1149. REverendo patri ſuo & domino H. venerabili ſanctæ Mindenſis eccleſiæ E epiſcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Frequenter excellentiam veſtram per litteras & per nuntios rogavimus, ut eccleſiæ de Kaminata reconciliationis officium, quo indigere dicitur, impenderetis, ſed peccatis noſtris facientibus, non ſolum impetrare rogata non potuimus, ſed etiam gravioribus reſponſis, ut accepimus, moleſtati fuimus. Nunc vero ad noſtræ petitionis munimentum etiam domini noſtri regis CUNRADI interceſſionem adjunximus, cum tamen noſtris meritis potius, quam majori patrocinio vellemus apud veſtram celſitudinem niti. Volumus autem veſtram ſinceritatem non latere, quod Corbeienſis eccleſia per privilegia Romanorum pontificum hanc dignitatis prærogativam obtinuit, ut ſi dioceſanus epiſcopus, quod ſui officii eſt, implere negaverit, ab alio catholico epiſcopo obtinere & libere uti poſſit. Nos vobis debitam reverentiam exhibuimus, & de cetero ſervire parati ſumus.

B

EPISTOLA CLXIX. CONRADI imperatoris ad Wibaldum abbatem.

Redux e ſacra peregrinatione invitat eum ad curiam.

Anno 1149. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Corbeienſi & Stabulenſi abbati, gratiam ſuam & omne bonum.

Certi ſumus quod de numero fidelium noſtrorum præcipuus inopinatum reditum C noſtrum ſumina cordis alacritate ſuſcipias, & proſperitati noſtræ tamquam ſpecialis regni & noſter amicus plurimum congaudeas. Quod autem in adventu noſtro eccleſia & regnum in reformatione proficiat, orationibus ſanctæ eccleſiæ, & tam conſilio quam auxilio fidelium regni obtinere deſideramus. Induſtriæ igitur tuæ mandando committimus, quatinus omni occaſione poſtpoſita ad curiam, quam in aſſumtione ſanctæ Mariæ *Frankenevort* celebraturi ſumus, venire non differas, ubi tam de privatis quam de publicis negotiis noſtris familiari tecum- D conſilio convenire intendimus. Quæ Corbeienſi eccleſiæ pro tua dilectione in abbatiis Kaminata & *Viſebacho* contulimus, ad uſus ejus Deo annuente conſervabimus, certi, quod Corbeienſes pecuniam, quam juramenti aſſertione promiſerant, indubitanter nobis perſolvant.

EPISTOLA CXLXX. H. WIBALDO abbatis.

Quod rex ejus indigeat conſilio.

DOmino ſuo VVIBALDO Corbeienſi & Anno 1149. Stabulenſi abbati H. (a) ſuus ſervi- [a] tium ſervi.

Sicut dignatio veſtra mihi præcepit, litteras veſtras domino regi tranſmiſſas de verbo ad verbum ei fideliter interpretatus ſum. Occaſionem vero remanendi apud Stabulaus, etſi a domino rege impetrare po-

(a) H. hic deſignatus non alius nobis videtur quam Henricus imperatoris notarius.

tuissem, tentare nolui; propterea quod considerata negotiorum multiplicitate tam regi quam vobis hoc damnosum esse animadverti, secretum est quod dico. Dominus rex legationem tam ad Romanos, quam ad dominum papam consilio fidelium suorum ordinare intendit. In hoc consilio discretio vestra domino regi necessaria erit. De expeditione quoque in Italiam promovenda, & sorore sua ducissa Poloniæ restituenda rex consilium vestrum habere debet. Pro pace restauranda & confirmanda studiose rex & efficaciter laborat. Omnis homo debitum suum ita persolvat, ut nihil omnino debiti sui existat.

EPISTOLA CLXXI. VVIBALDI abbatis ad Petrum abbatem Cluniacensem.

De lite quæ inter ecclesiam de Nameka & ecclesiam de Marcha vertebatur.

Anno 1149. REverendo patri & domino PETRO venerabili sanctæ Cluniacensis ecclesiæ abbati, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, salutem in eo qui mandat salutes Jacob.

Recognoscentes in omnibus nos filios vestros esse & servos, tam personis monasterii vestri quam rebus in omni negotio assistere consuevimus, & tamquam una de Cluniacensibus personis cum veritate & justitia res Cluniacenses pro nostra facultate defensare. Sed de lite quæ fuit inter ecclesiam de Nameka & ecclesiam de Marcha aliter, quam se rei veritas habet, ad vos perlatum fuisse intelleximus; propter quod verum ordinem vobis per nos breviter esse intimandum credimus, ne vestræ religionis splendor ignotæ & minus constantis causæ defensione aliquod nubilum patiatur. Præpositus canonicorum ecclesiæ beati Bartholomæi apostoli conquestus est in synodo Leodii, quemdam liberum hominem nomine Berengerum in possessionem sui juris irruisse, videlicet in partem quamdam decimationis ecclesiæ de Marcha. Respondit ille, se per vim nihil fecisse, sed quoniam advocatus esset ecclesiæ de Namecha, & eadem decimatio ad terminum ipsius ecclesiæ pertineret, se jure defensionis decimationem tulisse. Econtra præpositus asseverabat, quod prædicta decimatio ad terminos ecclesiæ de Marcha posslideret, & eam quiete possedisset, donec a prædicto viro absque ullo juris ordine interruptio esset illata, unde & restitui sibi cuncta in integrum postulabat. Auditis utrimque allegationibus, sententiam judicii episcopus pro more ecclesiæ suæ assessores interrogavit. Diu inter eos disputatum est, utrum restitui oporteret, sed nos plurimum æquitatem cum jure considerantes, & veritatem cum judicio diligentes, hortabamur, ut omisso restitutionis titulo, a circummanentibus de terminis & possessoribus cum quiete expresse quæreretur. Probata est ab omnibus prolata sententia, quæ agendi cavillationem penitus excludebat. Venerunt itaque ab utraque parte circummanentes natu majores, & præstitis de veritate dicenda sacramentis, per certos limites de utraque possessione cœperunt discernere. Fundus curtis de Namecha extenditur usque prope villam Marcham, & ideo advocatus ecclesiæ de Namecha asseverabat decimationem ejusdem, terræ præfatæ & ecclesiæ jure antiquo pertinere, sed quemdam presbyterum de Namecha antiquis temporibus cuidam de Marcha tradidisse pro eo, quod quorumdam parrochianorum suorum, qui ei viciniores erant curam gereret. Econtrario illi de Marcha asserebant, quod eamdem decimationem inconcusse sine controversia bona fide possedissent, non jure mutui, neque commodati, sed proprietario & perseveranti longe ultra spatium triginta & unius annorum, quod idoneis testibus se probaturos promittebant. Relata est controversia ad synodum, & absque ullius personæ reclamatione concordi sententia judicatum est, quod si præpositus sancti Bartholomæi, qui possessor ab utraque parte cognoscebatur, licet ab altera malæ fidei possessor diceretur, legitimis testibus, qui per ætatem & intelligentiam de præscriptione temporis certum ferrent judicium, probare posset, se quiete & canonice possedisse, magis ei probatio incumberet, quam ei qui recenter in eamdem possessionem irruisse non dubitabatur. Et sententia plus illis de Namecha, quam in illis de Marcha, complacuit. Hæc sunt, quæ super hac causa & vidimus & audivimus, & ideo non possumus ea non loqui.

EPISTOLA CLXXII. GONRADI imperatoris ad H. episcopum Mindensem.

Arguit ipsum quod Kaminatensem ecclesiam non reconciliaverit, nec ipsius jussa adimplere curaverit.

GUNRADUS Dei gratia rex Romanorum H. Mindensi episcopo gratiam suam & omne bonum. Anno 146.

Meminimus quod per alia scripta pontificalem sollicitudinem tuam admonuimus, ut Kaminatensem ecclesiam, quam pollutam judicasti, pro casu & morte pueri monachi in resarciendo tecto laborantis, reconciliare ac purgare non differres. Et miramur te non solum mandata nostra, sed officium tuum non implere. Satis diu patrocinatus es enor-

mitati mulierum, quæ ibidem habitaverant, & nimium contradixisti, ne divini cultus religio per nos ac nostros ibidem firmaretur. Tua etiam prudentia intelligat & judicet, utrum abbatiam *Visbicke* demutare & aliquibus personis absque nostro jussu attribuere debueris. Pro his igitur & aliis, in quibus nos offendere nequaquam dubitasti, per præsentia tibi scripta mandamus, & sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, ut in proxima nativitate Domini præsentiam tuam apud Aquisgrani nobis exhibeas, responsurus nobis judicio principum de his, quæ circa nos & mandata nostra neglexisse visus fueris. Ceterum si reconciliationem ecclesiæ, de qua supra diximus, amplius differre tentaveris, quoniam privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate, nos ejus purgationem ulterius dissimulare nequaquam valebimus.

EPIST. CLXXIII. G. CARDINALIS legati ad Henricum Mindensem episcopum.

Mandat ut ecclesiam Kaminatensem reconciliet.

Anno 1149. G. Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis diaconus apostolicæ sedis legatus HENRICO Mindensi episcopo salutem & dilectionem.

Venerabilis ac dilectus frater noster Corbeiensis abbas significavit nobis ecclesiam Kaminatensem pro eo quod quidam puer monachus de tecto in pavimentum corruens exspiravit pollutam esse, vosque ejus reconciliationem, licet sæpius interpellaverit, usque modo distulisse. Quia igitur eidem fratri nostro in petitionibus suis cogente nos probitate sua tamquam nobis assistere debemus, fraternitati vestræ attente rogando mandamus, quatenus purgationem seu reconciliationem prædictæ ecclesiæ ulterius nullatenus differatis.

EPISTOLA CLXXIV. B. EPISCOPI Patherburnensis & VVibaldi abbatis ad Eugenium III.

De lite quæ inter Z. præpositum & episcopum Spirensem vertebatur.

Anno 1149. REverendo patri suo & domino EUGENIO sanctæ universalis ecclesiæ summo & universali pontifici BERNARDUS Dei gratia Patherburnensis ecclesiæ humilis minister, & frater VVIBALDUS eadem gratia & & vestra id quod est in ecclesia catholica, perseverantem cum omni devotione & obedientia famulatum.

Cum venissemus in oppidum *Frankene-*

vort in assumtione beatæ Mariæ ad curiam inclyti triumphatoris filii vestri CUNRADI serenissimi Romanorum regis, Z. præpositus Spirensis filius vester querelam suam exposuit, præsente Moguntina & VVormatiensi ecclesia, nobis quoque audientibus, & habuit testimonium ab omnibus, quod cum a vestra sanctitate esset reversus, priusquam sudorem viæ detergeret, priusquam ad episcopum VVormatiensem & ad abbatem Eberacensem mandata vestra perferret, quibus controversiam, quæ in eum mota erat, audiendam determinandamque commiseratis, ab episcopo Spirensi & canonicis ejus in judicium actus est, & per verbum sanctæ obedientiæ jussus est fratribus reddere infra quindecim dierum spatium, quidquid de præbenda ipsorum eis defuerat interim, dum versus Romam peregrinaretur. In perficiendis itaque mandatis vestris cum prædictum tempus effluxisset, decimo quinto tandem die cœpit episcopus prædictum præpositum Z. de inobedientia incusare, & super hoc canonicam pene sententiam a clericis postulare. Cum vero præfatus præpositus sensisset se a canonicis iniquo odio prægravari, & omnia ecclesiastica beneficia sibi præter morem & ordinem abjudicari, metropolitanum Moguntinam archiepiscopum appellavit, & sic ante datam sententiam, quam adversarius ejus Gevehardus prima voce proferebat, se suaque omnia in vestram tutelam commendans ab eis exivit. Vocatus Spirensis a metropolitano suo cum clericis suis Moguntiam venit, ubi cum jam sæpedictus Z. præpositus neque misericordiam neque judicium invenire potuisset, vestram præsentiam appellavit. Hæc sunt, pater carissime, quæ veraciter audivimus, & quæ pro oppressione fratris nostri pietati vestræ intimare curavimus, scientes procul dubio quod in conspectu vestro misericordia superexaltat judicium, & quod in nullo violari sacrorum canonum decreta patiamini.

EPISTOLA CLXXV. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Ut præposituram Xantensem Thiebaldo capellano suo canonice electo conferre dignetur.

LItteris paternitatis vestræ plenis piissimi affectus, plenis lætitiæ & gratulationis, per aliam paginam & per alios nuntios plenius respondere decrevimus, & de nostro statu ac regni a Deo nobis commissi ordinatione pressius quædam magnitudini vestræ intimare. Sed fervente interim non fictæ circa vos caritatis igne, beatitudinem vestram filiali ac sincera dilectione salutantes, obnixe rogamus, ut prima post reditum nostrum petitio apud vestram sanctitatem

Anno 1149.

exauditionis aditum inveniat. Colonienſis archiepiſcopus (a) ab officio epiſcopali a veſtra æquitate ſuſpenſus eſt, atque ideo ad veſtræ manus ordinationem pertinere credimus, quidquid pontificalis & canonici juris in epiſcopio ſuo eſſe dinoſcitur. Et quoniam Xantenſes clerici poſt obitum præpoſiti ſui B. pari fere affectu & canonica voce filium veſtrum, noſtrum ſcilicet dilectum capellanum (b) Thiebaldum in præpoſitum ſibi elegerunt, exceptis pauciſſimis, quorum ætas & diſcretio in nullis habenda eſt, benignitatem veſtram attente monendo rogamus, ut prædictam præpoſituram pro noſtræ dilectionis intuitu prænominato clerico noſtro conferre non abnuatis, quem aliquando vacante tunc præpoſitura abſque ulla reclamatione elegerant Xantenſis eccleſiæ canonici. Eamdem præpoſituram obtinuit quondam H. præpoſitus præſtante ſibi bonæ memoriæ papa INNOCENTIO, cum defuncto HUGONE (c) archiepiſcopo Colonienſis cathedra vacaret, quod etiam ſimili forma veſtræ ſanctitati licere & convenire non dubitamus.

(a) Arnoldus, qui in concilio Remenſi cum Moguntino archiepiſcopo de ſimonia accuſatus, a ſummo pontifice depoſitus dicitur in Gallia Chriſtiana, tametſi ab officio ſuo tantum ſuſpenſus hic memoratur.

(b) Is erat archidiaconus Colonienſis, ut diſcimus ex VVibaldi ad eum epiſtola infra referenda.

(c) De quo Albericus in Chronico ad annum 1138. *Hugo poſt Brunonem electus Colonienſis archiepiſcopus, dum*

EPISTOLA CLXXVI. VVIBALDI abbatis ad Guidonem cardinalem & cancellarium.

Ut præpoſitura Xantenſis Thiebaldo capellano conferatur.

anno 1149 REverendo patri & domino GUIDONI ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali diacono apoſtolicæ ſedis cancellario, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſeipſum & ſua.

Brevis nunc ad vos nobis ſermo eſt, & hæc inſtantis propoſiti ſumma, ut petitio domini regis de præpoſitura Xantenſi domino Thiebaldo concedenda exaudiatur. Sic & principi ſatisfiet, & peccatum inobedientis pœna principali punietur. David Philiſtæum in fronte percuſſit. Idem in pſalmo dicit: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Nulla inde orietur commotio, ſed timor & tremor venient ſuper nos. Credimus quod faciem veſtram ante Purificationem ſanctæ Mariæ videamus.

EPISTOLA CLXXVII. EUGENII papæ III. ad Conradum regem.

Thiebaldo capellano ſuo confirmat præpoſituram Xantenſem, modo aliam præpoſituram, quam antea poſſidebat, remittat.

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio CUNRADO illuſtri Romanorum regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1149.

Litteras excellentiæ tuæ debita benignitate recepimus, in quibus devotionem & affectum, quem erga matrem tuam ſanctam Romanam eccleſiam & nos ipſos geris plene cognovimus. Quibus etiam inſpectis, plurimum lætificavit nos benignitatis tuæ plena ingenti devotione reſponſio. Nos ſiquidem te ſicut ſpecialem beati Petri filium & patronum caritatis brachiis amplexantes, perſonam tuam cupimus honorare, & quantum permittit juſtitia, petitiones tuas admittere. Inde eſt, quod majeſtatis tuæ precibus inclinati, electioni, quam Xantenſes clerici de dilecto filio noſtro Thiebaldo capellano tuo fecerunt, aſſenſum præbuimus. Sed quoniam ſacrorum canonum & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſanctionibus contraire non poſſumus nec debemus, oportet eum altera præpoſitura eſſe contentum, & alteram quam prius habebat dimittere. Tua ergo, cariſſime fili, intereſt, ita matris tuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ dilectioni & affectui reſpondere, & regnum tibi a Deo commiſſum æquitatis judicio gubernare, ut & ipſa ſperatum fructum tuæ devotionis ſe recepiſſe lætetur, & poſt temporale regnum mereatis recipere ſempiternum. Dilectum filium noſtrum HENRICUM juniorem in Domino ſalutamus, & ut ipſe ætate & ſapientia apud Deum & homines proficiat, ipſum, per quem reges regnant, exoramus. Data Tuſculani III. non. Octobris.

EPIST. CLXXVIII. A. ad VVIBALDUM abbatem.

Gratias agit pro obtenta Thiebaldo præpoſitura Xantenſi, petitque ipſius & imperatoris pro eo ad papam interceſſionem adverſus archiepiſcopum Colonienſem.

DIlectiſſimo domino ſuo VVIBALDO A. (d) ſuæ ſinceritatis devotus famulus ſe per omnia. Anno 1149. [d]

Romam iret conſecrandus, peregre eſt defunctus, intra duos menſes vitæ & ſacerdotii functus, in Apulia apud Melphiam quievit.

(d) Hujus epiſtolæ auctor ex prima duntaxat nominis ſui littera innoteſcit, quem Arnoldum Colonienſis eccleſiæ præpoſitum fuiſſe exiſtimamus, ad quem plures extant VVibaldi abbatis epiſtolæ.

Gratias Deo & domino meo & vestræ excellentiæ refert intimus & fidelis vester dominus Xantensis Thiebaldus, quem vestræ creavit industriæ perspicax effectus, & ego pro modulo meo pro ipso pedibus vestris cum multimoda gratiarum actione provolvor. Dabitis autem post irrigationem & incrementum, ne plantatio vestra eradicetur, si non fuerit fomentis necessariis adjuta. Dominus enim Colonensis Romam in proximo proficiscens cum fratre Bonnensis F. eum gravare intendit, & si ipse gratiæ domini papæ sua pecunia conciliari possit, quia alia ipsi desunt patrocinia, a præpositura Xantensi dominum Thiebaldum amovere disponit, & dominum F. eadem investire. Exoratam itaque dilectionem vestram, quæ numquam nos destituit, esse volumus, quatenus a domino meo rege vestra & nostra obtineat petitio, ut denuo nequaquam ruiturus confirmetur: Et si archiepiscopus, quod postulat, consecutus fuerit, ipsius protectioni auctoritate domini papæ commendetur, ita ut si alterius electio ecclesiæ eum vocaverit in præpositum, interventu domini mei a domino papa promotio talis ei non negetur. Has vero litteras, quia non est scriba doctior, ut vestra discretio dictare non dedignetur, humiliter deposco, & sigillum aureum per præsentium portitorem una cum litteris cum festinatione transmittatis. De cetero acephalas non audemus mittere, quod tamen non sine causa fecimus.

A nica electio & justa nos simul ad alia vocaverit. Valete.

EPISTOLA CLXXIX. THIEBALDI præpositi Xantensis ad Thiebaldum abbatem.

Ejusdem argumenti.

Anno 1149. Dilecto domino suo VVIBALDO venerabili Corbeiensis ecclesiæ abbati, Thiebaldus Dei gratia id quod est, Xantensis ecclesiæ præpositus & archidiaconus, cum oratione & servitio præcordialem & intimam dilectionem.

Primo loco absque omni ambiguitate scire vos volumus, quod usquequaque servitio vestro amice & fideliter expositi sumus & indesinenter erimus. Quid enim pro nobis feceritis, quem affectum erga nos habueritis, certis experimentis persensimus. Unde & semper nos esse debitores vobis omnino recognoscemus. De cetero vos latere nolumus, quod dominus noster archiepiscopus Romam ire disponit, & eorum, qui cum ipso vadunt, aliqui, quæcumque poterunt, æmuli nostri erunt. Unde humiliter & diligentissime rogamus, ut regiam majestatem faciatis ita scribere pro nobis expedite. In hunc etiam tenoris finem si dominus papa, ex petitione domini nostri regis una in parte nos sublimavit, indulgeat etiam, si cano-

EPISTOLA CLXXX. P. ESCULANI episcopi ad VVibaldum abbatem.

Ut pro ipso apud imperatorem intercedere dignetur.

WIBALDO religiosissimo ac sapientissimo Stabulensis monasterii abbati, P. Dei gratia Esculanus, licet indignus episcopus, participium in idipsum. Anno 1149.

Dei sapientia, quæ disponit omnia quando vult & quomodo vult, elegit te virum honestum, religiosum ac sapientem, ut sedeas cum principibus & solium gloriæ teneas, per quem ipsi omnium causas aut judiciali calculo dirimant, aut amicabili convenientia terminent, tanti principis gratiam abundantius tibi erogans, ut contristatos ab eo lætifices, desperatos ad spem vitæ quodam ingenio mirabili revoces. Te itaque, carissime domine, cui Deus hanc gratiam contulit, obnixe deprecor, quatenus amore Dei & servitii nostri apud regem & dominum meum pro me intercedere sinceritas vestra dignetur. Non enim compulsus, sed si audeo dicere, rogatus nono jam mense transacto ad eum veni, æstimans, quod cognita tribulatione, quam pro ejus fidelitate ab Siculo patior, citius me absolvere debuisset.

EPISTOLA CLXXXI. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Scribit in gratiam Thiebaldi præpositi Xantensis & Ottonis clerici.

Dilectissimo in Christo patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam. Anno 1149.

Gratum nobis valde est, & in secreto cordis nostri memori benevolentia collatum, quod dilectum capellanum nostrum Thiebaldum pro nostræ dilectionis & intercessionis respectu in Xantensi præpositura provexistis. Dignum enim & justum esse arbitramur, si prædecessorum vestrorum ac nostrorum, virorum utique sanctissimorum ac sapientissimorum instituta & jura servantes, illas personas diligere ac sublimare curemus, quæ a vestræ sanctitatis misericordia in sacrosanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ gremio benignius confoventur, sicut vestra benignitas eos, quos nostra clementia propensiori bonitate evehere dignatur, honorare & amplificare sollicita est. Et

quoniam non inchoasse sed perfecisse virtutis est, excellentiam vestram intime rogando monemus, quatenus eadem benedicta & larga manus vestra, quæ in prædicta persona gratiæ & honoris bona fundamenta jecit, ædificare ad perfectum non abnuat: videlicet si Colonienſis misericordiam vestram obtinuerit, & officii sui plenitudinem recuperaverit, non noceat præposito, qui a vestra manu tamquam a beati Petri manu investitus & promotus est. Ceterum quia vestra discretio, sicut nobis scripsistis, sacrorum canonum & sanctæ Romanæ ecclesiæ sanctionibus contraire non potest, nec debet, nos de talibus statuendis & firmandis vestram nolumus sollicitare prudentiam, sed tamen quod firmari non debet, tolerari potest, ut de dispensationis temperamento fructus multiplicetur in recompensationis incremento. Hoc propterea dicimus, quod incongruum esse credimus, ut aliquis in ecclesia Dei circa hanc personam, quam vos sublimastis, rigorem canonum quasi vestigia vestra sequendo teneat, in aliis vero personis, quas vos ignoratis, pro arbitrio suo remittat. Si ergo aliqua ecclesia pari voto & unanimi assensu eumdem virum, ut auferat opprobrium ejus, apprehendere voluerit, tanto debebit circa ipsum gratiæ dispensationis esse inclinatior, quanto certius cognoscitur vestræ sanctitati pro nostræ dilectionis interventu esse acceptior. Ceterum sicut proxime vestram sublimitatem rogavimus, quatenus quemdam liberum hominem nostrum Ottonem, qui apud vestram discretionem infamatus est, quod cujusdam clerici Virtzeburgensis, Conradi videlicet nasum truncaverit, ab excommunicatione, qua pro hoc innodatus est, absolvi facere-tis, quoniam ab eodem clerico super eadem re in nostra curia pulsatus, judicio gentis suæ & curiæ nostræ, quod innocens esset, juramento comprobavit, ita & in præsenti attente facimus: rogantes, ut per præsentem nuntium tam nobis quam Bavembergensi episcopo super eodem negotio rescribatis. Salutat dilectam paternitatem vestram dilectus vester in Christo filius HENRICUS junior rex Romanorum.

EPISTOLA CLXXXII. VVIBALDI abbatis ad suos successores.

De quibusdam rebus in sua administratione gestis.

Anno 1149. WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, successoribus suis in perpetuum. Sicut officii nostri est cum omni sollicitudine & timore Dei res nobis oreditas ordinare ac dispensare; ita nihilominus ad eamdem curam pertinet, quæcumque a nobis tempore administrationis nostræ geruntur, ad posterorum memoriam, ne per oblivionem aut per ignorantiam error aliquis obortatur, scripto transmittere. Quocirca omnium fidelium Christi & ecclesiæ nostræ prudentiæ notum esse volumus, quod dilectus filius noster Henricus præpositus monasterii nostri in Groninga inter gravamina, quæ sibi & ecclesiæ suæ ex communi malitia mundi incumbunt, hoc nobis conquerendo suggessit, quod quidam ministerialis noster Hezo nomine partem agri, qui juxta fluvium Bodam situs est, & usque ad nostra tempora solebat esse compascuus, absque ulla juris ratione occupavit, super qua re nos diligenter a sapientibus & seniotibus nostris veritate requisita comperimus, quod idem ager ad præbendam fratrum & ditionem præpositi absque ullo dubietatis scrupulo pertineat. Similiter de Molendino, quod VVunnerus juxta villam *Helmerikesdorp* reædificavit, quod etiam quidam Hoierus, nomine sine ullo juris suffragio, veraci relatione didicimus. Nihilominus de una curte, quæ fuit Henrici Rufi de Groninga indubitanter cognovimus. Quæ omnia sicuti veraciter ad præbendam congregationis & ad manum præpositi pertinere intelleximus, sic per præsentem paginam eis immobiliter confirmamus; obtestantes nostros successores, ne aliquando sub nomine beneficii alicui laico vel concedant vel recognoscant. Data Corbeiæ anno Domini M CLXIX. indictione XIII. Regnante domino nostro CUNRADO Romanorum rege II. anno IV. ordinationis nostræ in Corbeiam.

EPISTOLA CLXXXIII. EUGENII papæ III. ad Conradum imperatorem.

Ejus intuitu iterum confirmat electionem præpositi Xantensis, & depositionem archiepiscopi Colonienſis differt.

Anno 149. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio CUNRADO illustri Romanorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

Quantum affectum erga personam tuam & regnum tibi a Deo commissum habeamus plurimis experimentis tuam clementiam credimus agnovisse. In quo inflexibiliter permanentes, petitiones excellentiæ tuæ, quantum cum Deo possumus, admittimus, & cum ecclesiæ honestate regiæ tuæ voluntati gratanter præbemus assensum, sicut devoti beati Petri filii & specialis sanctæ Romanæ ecclesiæ defensoris. Inde est, quod magnitudinis tuæ preces in electione Xantensis præpositi paterno recipientes affectu, tibi tamquam carissimo filio nostro duximus annuendum, licet quidam postmodum penitus diversa ab his, quæ dilectionis tuæ litteris

teris significasti suggesserint. Causa vero fratris nostri Colouiensis archiepiscopi gravis sit, quoniam longum est enarrare, ab his, qui circa te sunt, poteris manifeste cognoscere. Si enim quanta circa officium suum per negligentiam & inobedientiam superbiendo commisetit, magnitudinis tuæ discretio cognovisset, nec etiam verbum, ut credimus, pro ipso moviſſet. Unde in concilio, quod Rhemis Deo Domino auctore celebravimus, excisionis sententiam pertulisset, nisi regiæ parcentes absentiæ, detrimentum aliquod regno, quod maxime nobis cavendum erat, eventurum exinde putavissemus. Et nunc post reditum tuum nobiscum firmiter statueramus, ipsum sententia digna suis excessibus fetiendum, nisi tuæ legatio majestatis prævenisset. Sed precibus tuis, quantum possumus, inclinati manum nostram in præsentiarum ab ipsius damnatione retraximus, & usque ad Dominicam, qua cantatur, *Ego sum pastor bonus*, inducias ei concessimus. Quia ergo excellentiæ tuæ preces absque gravi sanctæ ecclesiæ & disciplinæ ecclesiasticæ læsione in hoc ex toto audire nequivimus, regia æquanimiter clementia ferat, & his quæ sanctæ Romanæ ecclesiæ matri tuæ incumbunt, cujus omnipotens Deus te constituit defensorem, sicut de benignitate tua speramus, tamquam piissimus justitiæ amator intendas. Dilectum filium nostrum HENRICUM juniorem regem in Domino salutamus. Data Laterani iiij. kal. Decembris.

EPISTOLA CLXXXIV. VVIBALDI abbatis ad A. præpositum Colonienſem.

De victoria junioris regis in Guelfonem, de futuro apud Fuldam ad quod ipsum invitat colloquio, deque Romana legatione.

Anno 1150. Dilecto domino suo & amico A. venerabili sanctæ Colonienſis ecclesiæ præposito majori, regiæ curiæ cancellario, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, seipsum & sua universa.

Acephalas litteras a vobis accipere consuevimus, quas qui scribunt, similes sunt illis, qui prandent illotis manibus. Semel correptus de cetero emendabitis. Ad penultimas vestras inter prima nostra vobis respondemus, quod quando convenerimus, plura dilectioni vestræ referre habebimus, quæ ut litteris mandarentur, nec breve nec tutum fuit. Præterea multa nobis deposita sunt, ex eo videlicet, quod Deo de cœlis distillante misericordiam, GUELFO cum omnibus fere hominibus suis a juniore rege pugna superatus captus est. Et opinabile quidem est & veraci conjecturæ satis consentaneum, quod si hoc bonum divina clementia non fuisset largita magnos in regno, motus fuisse futuros, quos nunc ex facili posse comprimi & suffocari confidimus, quæ plenius a clerico vestro E. cognoscere poteritis. In quantum vero intelligere & dijudicare potest nostra capacitas, dominus noster rex omne studium & consilium suum convertit ad disponendas & regendas res publicas, nec modo tempus redimit, nec causas perfunctorio transitu eludit: inde est, quod ordinatis serio & rationabiliter rebus suis, quæ ex quadam necessaria serie quodammodo concatenatæ sunt, colloquium habere vult cum Saxonibus in Dominica qua cantatur *Judica me Deus*, apud Fuldam, ubi vos interesse modis omnibus mandat & præcipit. Mittere enim Romam cum gravitate magna & regni & personæ suæ honestate intendit, in quibus rebus vestro plurimum consilio innititur, & nos tamquam captivatos usque ad adventum vestrum tenet. Defixum plane & ratum est apud ipsum, quod si sororem suam absque armis in Poloniam reducere potuerit, mox expeditionem Italicam magnifico apparatu ordinabit; super quo nos dubitare jam non audemus, & maxime cum ad consilium, quod captaverat, hanc mirabilem & inopinatam opportunitatem propitia divinitas ei adjecerit. Cetera, cum veneritis, Deo præstante conferemus. *Quæ pueri didicimus, jam* senes experimur. Cœlum, non animam mutant, qui trans mare currunt. In aqua Jordanis peccata vestra abluere potuistis, sed mores vestros eluere non potuistis. Etenim non solum mores vestros, sed etiam morositatem inde retulistis.

EPISTOLA CLXXXV. H. EPISCOPI Constantiensis ad VVibaldum abbatem.

Ut Henricum consanguineum a VVelfone detentum imperatoris auctoritate libertate donari procuret.

WIBALDO Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati, H. (a) eadem gratia Constantiensis ecclesiæ humilis minister cum fideli obsequio, devotas orationes in Domino. Anno 1150. [a]

Pro eo quod domini regis curiæ ad præsens, sicut decens est, interestis non mediocriter gavisi sumus. Discretionem etenim vestram, licet in multis experti simus, ut videlicet in præsenti prosperitate sic vestro consilio dilectissimus dominus noster utatur, ut fidelibus regni nobisque præ ceteris quamplurimis honorem regni diligentibus gaudium augeatur, filiis autem perditis & perditionis terror incutiatur. De cetero fra-

(a) Hermannus de Arbona Constantiensis ad Rhenum episcopus circa 1140. ab Innocentio II. confirmatus, præfuit ad 1156.

rernitatem vestram, de qua nimirum confidimus, humiliter expoſcimus, ut dilectiſſimo domino noſtro ſuggeratis, ut a domno VVelfone ſuiſque miniſterialibus quemdam conſanguineum meum, & ipſius domini regis fidelem, HENRICUM nomine, ſine cauſa captivatum, primo, & ſicut de ipſo confidimus, requirat, & tam pro nobis quam pro Deo dimitti jubeat.

EPISTOLA CLXXXVI. VVIBALDI abbatis ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem.

Scribit, ſuaſiſſe ut reportata victoria, imperator hoſtes urgere pergeret, ſed contrariam prævaluiſſe ſententiam.

Anno 1150. REverendo patri ſuo & domino H. ſanctæ Conſtantienſis eccleſiæ venerabili epiſcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſalutem in eo qui mandat ſalutes Jacob.

Pro moderatione, qua prædita eſt dulcis anima veſtra, placuit benignitati veſtræ gratulari regiæ curiæ, quod noſtram ei nunc aſſidue exhibeamus præſentiam. Sed nos, venerande pater, non ſumus momenta rerum, nec publicis negotiis quidquam poſſumus emolumenti conferre, & ut noſtra fert opinio, nos numero ſumus & fruges conſumere nati. Siquidem poſt inſperatam & ab omni humano conſilio & opere ferme alienam & de cœlis traditam victoriam, voluimus, & quantum in re militari oportuit, ſuaſimus, ut dominus noſter rex, quem propitia divinitas miris & clementibus beneficiis conſervat & provehit, non ceſſaret ſucceſſus urgere ſuos, & hoſtes ſuos incomparabili damno affectos, metuque & angore animi perculſos invaderet, ac ſeſe aliquando ad faciendum judicium & juſtitiam, ad ſubveniendum matri ſuæ eccleſiæ, accepta tam mirabili opportunitate expediret. Contradicebat inveteratus ille Achitofel, qui vix ingentem diſſimulare triſtitiam poterat, & aſſumta ſanctionis amicitiæ perſona, de tempore & auris cauſabatur, & ſanctiſſimi jejunii religionem prædicabat & aſtruebat, oportere hominem, quem juſtus Dominus, qui juſtitias diligit, jam judicavit, legitimis judiciis & interpellationibus in jus vocari, pium eſſe & conveniens nullam captivis læſionem inferri, de quibus quidem nos officii noſtri innocentiam attendentes nihil cenſueramus: ſed ut patri & epiſcopo confiteamur, in mente noſtra erat, ut non ſolum unus homo, ſed etiam multi morerentur pro populo, & non tota gens periret. Popularis erat ſenis oratio, & ad hominum negligentiam, pigritiam, ac deſidiam accommoda. Nos tamen contra nitebamur & aſſerebamus fama conſtare bella, & res magnas celeritate adjuvari, dilationem ſemper nocuiſſe paratis, judiciorum quæ tanto pondere opponerentur, vocem intra pauciſſimos pagos poſſe audiri, opus bellicum cum aliquo ſplendore geſtum per majorem orbis partem diffundi. Inermem vicit oratio armati, cujus tamen arma effecerant, ne is, cui perſuadebat, ad perfectum viciſſet. Ita factum eſt, ut nec bella geramus, nec judicia exerceamus, ſed ſpe rerum inanium animos paſcimus. De captivo veſtro bene vobis ad integrum reſponſum eſt, nos inſtanter curabimus, ut verba effectus conſequatur. Valete.

EPIST. CLXXXVII. CONRADI imperatoris ad E. imperatorem Conſtantinopolitanum.

Excuſat ſe quod detentus infirmitate ſtare promiſſis nequiverit.

CUNRADUS Dei gratia Romanorum imperator auguſtus, cariſſimo fratri & unico amico ſuo E. eadem gratia Græcorum imperatori auguſto, ſublimi, Porphirogenito, felici, fraternam dilectionem & omne bonum. Anno 1150.

Quanta nos caritatis & devotionis inſtantia, quanto fidei & humilitatis ſtudio in ſacris ſedibus glorioſi imperii tui ſuſceperis, quanta humanitatis & liberalitatis gratia in lecto infirmitatis noſtræ non ſolum per tuos & tua, ſed etiam in propria perſona & propriis manibus miniſtraveris, tunc videlicet, quando manus omnipotentis Dei nos non ſolum in detrimento amiſſi exercitus, verum etiam in verbere corporalis ægrotationis percuſſerat, nulla poteſt rerum oblivio ab animæ noſtræ tenaci memoria evellere. Pari quoque & ſimili recordationis conſtantia fixum animo tenemus, quæ fuerit inter nos mutuæ pactionis obligatio, quid tuæ celſitudini ſpoponderimus, quid perficere promiſerimus. Sed cum a ſublimitatis tuæ regno corporaliter diſceſſiſſemus, in quo nos per fidem & benevolentiam habitare ſentimus, imperium, quod nobis a ſuperna majeſtate collatum eſt, invenimus in quibuſdam partibus ſuis ex occaſione longæ abſentiæ noſtræ turbatum: ad quos motus comprimendos, & pacem reformandam, dum tota cordis intentione accingimur, pater ille miſericors, quia flagellat omnem filium quem recipit, tendit manum in retribuendo, gravique tertiana febre maceratos nos prorſus imbecilles & fere inutiles per ſex menſium ſpatium detinuit. Si itaque Deo impediente propoſitum noſtrum ad tempus eſt retardatum, non tamen eſt omnino evacuatum, & promiſſionis noſtræ effectus magis eſt dilatus quam fruſtratus. Ad excuſandam itaque moræ noſtræ neceſſitatem, ad ſalutan-

dam tuæ ſoſpitatis nobilitatem mittere curavimus cum litteris præſentibus nuntium celerem & expeditum, qui de noſtra bona valitudine certum te & hilarem efficeret, & nos identidem de tua & filiæ noſtræ tuæ conjugis cariſſimæ imperiique conſortis ſoſpitate, & de rerum veſtrarum proſperitate lætificaret. Ceterum poſt celebratam, Deo auctore, curiam, quam kal. Maij cum principibus Saxoniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Leuticiæ, in civitate *Merſeburg*, habere decrevimus, nuntios noſtros viros utique principales & egregios ad tuam præſentiam cum tuo prudenti & honeſto legato, videlicet Michael Bardalia dirigemus, qui tuam magnificentiam de noſtris ſponſionibus ac promiſſionibus dubitare non ſinent. Salutat veſtram magnitudinem dilectus filius noſter HENRICUS junior Romanorum rex, & cariſſimam filiam noſtram ſuam utique materteram, cui quantam gloriam Deus in primis militiæ conductus ſui auſpiciis contulerit, lator præſentium viva voce declarabit.

EPIST. CLXXXVIII. CONRADI imperatoris ad imperatricem Græcorum.

Excuſat ſe quod febre correptus promiſſa imperatoris C P. implere nequiverit, notam facit de VVelfone victoriam, petitque neptem mariti ipſius filio ſuo Henrico uxorem.

Autore ſyncello. CONRADUS Dei gratia Romanorum imperator auguſtus, præcordialiter dilectæ filiæ E. a Deo coronatæ & exaltatæ Græcorum imperatrici, paternam dilectionem, & certum ac fidele in omni opportunitate auxilium.

Prius quidem præclaram indolem tuam tam ex vinculo cognationis, quam ex affectu adoptionis plurimum diligebamus, ſed tua fides, tua pietas, tua devotio, tua liberalitas, quam nobis officioſe exhibuiſti, tunc ſcilicet, quando manus Domini & infirmitate corporali & rerum incommodis nos multum afflixerat & humiliaverat, tantum ardorem ſanctæ caritatis in noſtra mente circa te auxerunt, ut eam nulla difficultas, nullum periculum, nulla rerum varietas poſſit extinguere. Ita igitur in animum noſtrum induximus, ita in corde noſtro omni ambiguitate remota firmavimus, ut etiamſi nulla fœderis, nulla arctioris amicitiæ religio inter nos & glorioſum & prædilectiſſimum fratrem noſtrum tuum utique maritum magnificum & excelſum Græcorum imperatorem aliquando interceſſiſſet, parati tamen & intenti eſſemus ſua omnia tamquam noſtra diligere, ſuis inimicis tamquam noſtris reſiſtere. Porro in conventione pacti, quæ inter nos & ipſum omni cum benevolentia firmata eſt, conditio neceſſaria impoſita fuit, quod ſcilicet ea, quæ prænominata & præſcripta fuerant, utique compleremus, niſi alter vel uterque noſtrum morte ſeu gravi infirmitate vel amittendi imperii periculo id perficere prohiberetur, atque tranſacta illa & tam non negligenda neceſſitate ad abſolvendi & implendi ſtudium denuo accingeremur. Nunc ergo tibi tamquam cariſſimæ filiæ noſtræ & imperii noſtri cognatæ cauſas familiariter & breviter aperimus, pro quibus in Longobardia, poſt exitum noſtrum a vobis, manere & promiſſa implere nequivimus, pro quibus ad partes Alemanniæ modis omnibus nos properare ordo quidam rerum & imperii noſtri clamor ad nos uſque perlatus non abſque gravioris conſilii ratione perſuaſit. Siquidem ut tua ſapientia perfecte novit, dominus ille VVELPHO vir magnæ nobilitatis & potentiæ in noſtro regno habetur, neque fide, qua eum in extrema neceſſitate adjuvimus, neque beneficiis quibus eum commode auximus, aliqua ratione commonitus, per Siciliæ tyrannum a Jeroſolymis reditum habuit, & accepta non parva ipſius infami pecunia, per ſacramenta & obſides ei firmavit, quod nos & noſtros & noſtrum imperium perturbare & infeſtare modis omnibus laboraret. Quod poſtquam ad propria rediit, adjunctis ſibi quibuſdam perfidis non parvi apud nos momenti & nominis, inſtanter facere cœpit, filios noſtros, tuos utique nepotes amantiſſimos & bonæ ſpei plenos invadendo, & in terra ipſorum, quæ illis patrimonii jure competit, inimica quædam caſtella ædificando. Hoc igitur tam atrocis rei nuntio accepto, cum fama, ut in talibus fieri ſolet, omnia in deterius multiplicaret, prævenire cuncta & comprimere maturavimus, atque ad partes Alemanniæ ſubito & improviſo adventu acceſſimus. Dum itaque in componendis & placandis omnibus diligentiam adhibemus, tanta nos infirmitas corporalis in fine Auguſti menſis invaſit, ut uſque ad paſcha Domini gravioribus negotiis vix utiles eſſe poſſemus. Intra quod temporis ſpatium cum eſſemus in civitate Spira ad juſtitias regni faciendas, & ad exercenda publica judicia, prænominatus VVEPLHO cum dulciſſimo noſtro, tuo nepote bonæ indolis jam adoleſcentulo, ad Romani imperii faſtigium Deo auctore per nos & principes noſtros coronato, prope caſtellum noſtrum *Flocperch* acie conſerta dimicavit, ubi nos divina protegente miſericordia, ſuorum multis tam cæde quam captione amiſſis, noctis beneficio adjutus vix evaſit. Quo munere cœleſtis miſericordiæ accepto, dum contra communis hoſtis noſtri Siculi videlicet tyranni temerariam inſolentiam nos expedire & accingere ſtudemus, nuntiatur nobis, quod omnis populus Francorum cum ipſo rege ſuo contra imperium præcellentiſſimi germani noſtri, tui ſcilicet glorio-

fissimi sponsi conspiraret, & arma movere, auctore & incentore Siciliæ tyranno, cum omni virtutis suæ conatu disponeret. Quam rem non facile spernendam vel omittendam ratum duximus, sed finem rerum exspectare, & aut tumultum reprimere, aut nos & imperium nostrum pro fratre nostro & rebus ipsius opponere decrevimus. Excusatos nos sufficienter credimus, veritatis existente constantia, tam de incursatis regni nostri finibus, quam de invaletudine corporali, & plane de divino adjutorio confidimus, quod in brevi promissa nostra fideliter complebimus, non solum quia spopondimus, verum etiam quia nos de invasore imperii nostri vindicare summopere desideramus. Et ut præcelsus vir tuus majorem de nobis amicitiæ certitudinem & adimplendi conventiones habeat, firmiorem inter nos affinitatem, sicuti cum præsentes essemus, inter nos tractatum & firmatum fuit, ad præsens fieri disponimus, ita videlicet ut glorioſus filius noster, qui imperii nostri successor & hæres est designatus & coronatus, neptem unam mariti tui sublimis Græcorum imperatoris uxorem præsenti tempore ducat, de duabus, scilicet alteram, quæ electio in tui pectoris sapientia constabit, ut illa nobis transmittatur, quæ moribus & forma noscetur a te, quæ eas educasti, præcellere. Cetera vero quæ ad eumdem contractum rite peragendum pertinere videntur, posuimus in ore comitis ALEXANDRI DE GRAVINA, qui utrique imperio perpetua fidelitate servire manifeste consuevit, & verbi hujus mediator & tractator ex præcepto utrorumque, cum apud vos essemus. Quem in rebus imperii vestri fideliter, ut semper solet laborantem a Venetia fecimus ad nos vocari, quatenus per ejus industriam secretum hoc, sicut in ceteris consuevimus, ad egregium valeat finem perduci. De cujus celeri reversione benignam intelligentiam tuam studiose admonemus, quia cum sublimis nepos tuus jam adultus sit, oportet ut tam personæ ipsius quam imperio nostro in contrahendo matrimonio sine mora provideamus. Scire possint inimici nostri, qui disseminando mendacia turbare nos & disjungere moliuntur, quod amicitiæ nostræ nexus indissolubilis permaneat.

EPISTOLA CLXXXIX. HENRICI regis junioris ad Emanuelem imperatorem CP.

Nunciat ipsi quam de VVelphone reportaverat victorium.

Anno 1150. INclyto, triumphatori, magnifico, ac sublimi avunculo suo E. Porphirogenito Græcorum imperatori, HENRICUS filius glorioſi ac sereniſſimi CUNRADI Romanorum imperatoris augusti, & ipse Dei gratia Romanorum rex filialis dilectionis indissolubilem gratiam, & firmissimum perpetuæ amicitiæ vinculum.

Sicut propitia divinitas & paternæ caritatis affectus me imperii & rerum patris mei successorem fecit & hæredem, sic mea intelligentia justum arbitratur, ut amicos confœderatos patris honorem & diligam, inimicos suos & suorum persequar & opprimam. Quocirca paternæ dilectionis gratia vos & imperium vestrum particeps, vosque tamquam avunculum nostrum carissimum & patrem piissimum integra & filiali dilectione amplectens, æquum esse arbitratus sum, vestræ celsitudini notificare quæ circa nos Dei præstante clementia prospera geruntur. Siquidem octava die mensis Februarii superbus ille & perfidus VVELPHO tot beneficiorum patris mei immemor, hostiliter invasit terram nostram, patre meo in rebus publicis longe posito agente, me autem cum parte militiæ in quodam castro nostro relicto. Castrum ad quod ille accessit, *Floeperch* dictum est, nos autem eramus in alio castro *Horbruc*, distante ab illo per spatium restæ (a) & dimidiæ. Accepto igitur tantæ contumeliæ nuntio, festinavi hostem persequi, & cum quinque magna milliaria post eum processissemus, præmissis equitibus expeditissimis, qui ejus tergo imminentes fugam ipsius retardarent, nos duabus consertis aciebus eum persequebamur. Cum itaque agminis extrema jam cæderemus, faciem convertere coactus est, sed vero Deo de cœlis pugnante pro nobis, tantam adepti fuimus victoriam, ut nisi per nocturnas tenebras delituissent, nullus omnino evadere potuisset. Capti sunt equites trecenti, & equorum numerus non parvus, exstinctus est partim lanceis confossus, partim gladiis cæsus. Pater meus generalem hunc expeditionem super eumdem VVELPHONEM indixit, & eum penitus exterminare aggreditur, ut de cetero ad communem imperii vestri hostem persequendum & delendum liber existat.

EPISTOLA CXC. HENRICI junioris regis ad imperatricem.

Nunciat ei victoriam a se de VVelphone reportatam.

CArissimæ matri ac materteræ suæ E. per divinam providentiam placidissimæ Græcorum imperatrici, HENRICUS filius glorioſi ac sereniſſimi CUNRADI Romanorum imperatoris augusti, & ipse Dei gratia Romanorum rex, filialis dilectionis indissolubilem gratiam. Anno 1150.

Certum est, & nullus prudentium dubitavit, quod illa, quæ a natura ortum & pro-

(a) Resta seu restis, teste Johanne Mariana lib. de Ponder. & mensuris, est mensura agraria *palmorum xxxij. ita ut octogiata restes lineam faciant.*

ceſſum habent, perenni fortitudine firmiora ſint, quam ea quæ humano comparata & connexa ſunt artificio. Quia igitur ſecundum conſanguinitatis & propinquitatis a matre mea carnali gradum naturaliter tenetis, nulla nos diſſociare & alienare poterit neceſſitas, quin in perpetuum manſura caritate jungamur & benevolentia. Quocirca quia de meis provectibus vos plurimum exultare & gloriari ſcio, æquum eſſe arbitratus ſum veſtræ celſitudini notificare, quæ circa nos, Dei præſtante clementia, proſpera geruntur. Siquidem octava die menſis Februarii ſuperbus ille & perfidus VVELPHO, tot beneficiorum patris mei immemor, hoſtiliter invaſit terram noſtram, patre meo in rebus publicis longe agente, me autem cum parte militiæ in quodam caſtro noſtro relicto. Caſtrum ad quod ille acceſſit *Flocperch* dictum eſt, nos autem eramus in alio caſtro *Horburc*, diſtante ab illo per ſpatium teſtæ & dimidiæ. Accepto igitur celeriter tantæ contumeliæ nuntio, feſtinavi hoſtem perſequi, & cum quinque magna milliaria poſt eum proceſſiſſemus, præmiſſis equitibus expeditiſſimis, qui tergo ejus imminentes, fugam ipſius retardarent, nos duabus conſortis aciebus abeuntem perſequebamur. Cum itaque agminis extrema jam cæderemus, faciem convertere coactus eſt, ſed vero Deo de cœlis pugnante tantam adepti ſumus victoriam, ut niſi per nocturnas tenebras delituiſſent, nullus omnino evadere potuiſſet. Capti ſunt equites trecenti, & equorum non parvus numerus exſtinctus eſt, partim lanceis confoſſus, partim gladiis cæſus. Pater meus generalem nunc expeditionem indixit, & cum penitus exterminare aggreditur, ut de cetero ad communem imperii veſtri hoſtem perſequendum & delendum expeditus & liber exiſtat. Sicut autem a proviſione paterna meam indolem recedere non decet, ita meæ intelligentiæ pergratum eſt, quod totius conſilii ſumma veſtræ ſublimi prudentiæ collata eſt.

EPISTOLA CXCI. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum præpoſitum majorem Colonienſis eccleſiæ.

Ut Fuldam ad imperatoris curiam ſe conferat, non decere ut rex duas a papa præpoſituras pro Thiebaldo poſtulet.

Anno 1150. CAriſſimo domino & amico ſuo ARNOLDO venerabili ſanctæ Colonienſis eccleſiæ majori præpoſito, regiæ curiæ cancellario, frater VVIBALDUS, id quod eſt in eccleſia catholica, ſeipſum & ſua univerſa.

Dominus noſter rex non dubitat, nec vos dubitare debetis, quin ad curiam quæ A Fuldis in Dominica, (a) *Judica me Deus*, futura eſt, veniatis, ne forte abſentiæ veſtræ imputetur, quidquid per difficultatem vel per negligentiam in gerendis rebus publicis omittetur. De cauſa communis amici noſtri Thiebaldi Xantenſis præpoſiti, in qua & pro qua vos effectum habuiſſe, & quaſi palmam obtinuiſſe, non mediocriter gaudemus, non minus operæ dedimus, ut ſtabilis perſeveret, quam ſi de noſtra perſona ageretur, quia enim perſonam veſtram & honorem veſtrum in veritate diligimus, omnia quæ vobis cordi ſunt, ad nos pertinere nequaquam dubitamus. Sed de capitulo litterarum veſtrarum in quo ſcripſiſtis, quod ſi alterius eccleſiæ electio eumdem amicum noſtrum vocaverit in præpoſitum, interventu domini noſtri regis a domino papa promotio talis ei non negetur; non viſum eſt nobis directam petitionem ex perſona domini noſtri regis ſcribere, pro eo quod principalem excellentiam non decet illa poſtulare, quæ ſibi jure negari valeant. Siquidem ſancta mater noſtra Romana eccleſia ſuper petram fundata leges a ſe conditas nequaquam deſtruit, nec repugnantia aliquo modo ſancit, licet decreta ſua pro temporum varietate, pro locorum opportunitate, pro rerum & perſonarum qualitate diſpenſare ac moderari, & quaſi detrimentum pati conſueverit. Non ergo mandabit neque confirmabit, ut in duabus dignitatibus una perſona ſublimetur, ſed cum fine querela factum fuerit, hoc ex paterna diſcretione diſſimulabit. Credere ſuper hoc nobis poteſtis, non pro notitia canonum, ſed pro ſenſu & efficacia experimentorum. Rhetoricati ſumus in litteris domini noſtri regis, quia negando affirmavimus & non rogando rogavimus, quas ideo vobis nondum conſignatas tranſmiſimus, ut poſſitis, ſi placuerit, de artificio noſtro quædam immutare, addere vel minuere. Vivite & valete. Adducite ad curiam vobiſcum modicum fratrem Erlebaldum.

EPISTOLA CXCII. WIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

Scribit in gratiam canonicorum collegiatæ S. Bartholomæi civitatis Leodienſis.

Anno 1150. REverendo patri ſuo & domino EUGENIO uni & univerſali papæ, frater VVIBALDUS Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia catholica, devotionem filii & obedientiam ſervi.

Cum eſſemus in domo inclyti & victorioſiſſimi filii veſtri CUNRADI Romanorum regis apud *Nuremberch* caſtrum ejus, petierunt a noſtra parvitate canonici eccleſiæ

(a) Id eſt Dominica in Paſſione Domini, in qua miſſæ introitus ab illis verbis incipit: *Judica me Deus.*

sancti Bartholomæi, quæ est in suburbio civitatis Leodiensis, ut sanctitati vestræ suggeremus causam quandam ecclesiæ suæ, quæ nobis præsentibus in synodo Leodiensi de ecclesia in Marcha & ecclesia in Nameka acta est, & usque ad debitum finem judicata. Quæ cum recenter tractata fuisset, misimus eam reverendo patri nostro abbati Cluniacensi, ad quem eadem ratio spectare videbatur, eamque scriptam in schedulis nostris inventam vestræ discretioni nunc mittere transcriptam curavimus. In quibus discretionem vestram non ausu præsumtionis, sed spiritu devotionis submonere curavimus, ut animadvertat celsitudo vestra, quod in hac actione non sit judex ante litem contestatam recusatus, quod a sententia non sit appellatum, immo plus illis de Nameka quam præposito sancti Bartholomæi complacuerit, & utrum a sententia non ab executione appellandum sit. Multa celsitudini vestræ & scriberemus & viva voce legatorum suggereremus, nisi quod quotidie exspectamus, ut legati majores filii vestri amantissimi nostri domini Romanorum regis invictissimi ad vestram præsentiam proficiscantur, ut tunc de omnibus, quæ scitu digna erunt, vobis suggereremus.

A

C

EPISTOLA CXCIII. VVIBALDI abbatis ad Stephanum priorem S. Jacobi Leodiensis.

Hortatur ad subeundum onus curæ pastoralis, ad quod canonice electus fuerat, & quod præ humilitate recusabat.

Anno 1150. FRater VVIBALDUS Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus, dilecto fratri & amico Stephano (a) ecclesiæ sancti Jacobi Leodii priori electo, confortari in Domino.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Audivimus, frater, & lætati sumus, quod fratres tui spirituali patre orbati, te in regimen & pastorem animarum suarum concordi & unanimi voto pariter elegerunt. Sed tu sanctæ humilitatis conscius, onus impositum ferre detrectas. Pia quidem & christianæ religionis plena intentio, quod elegisti abjectus esse in domo Dei tui magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Tibi quidem frater utile, sed propter alios non necessarium, & sicut æquitatis dictante justitia, ille repellendus qui desiderat, sic canonicæ rationis via ille cogendus est, qui recusat. Age igitur frater divinæ dispensationi gratias, quæ & tibi humilitatis & temperantiæ spiritum administravit, & te ad participium suæ potestatis & nominis clementer vocavit. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater Deus, abba pater homo canonice & regulariter in prælationem monasterii electus. Sequere nunc frater ducem regulam, juxta quam te victurum professus es, & licet de viribus tuis præ humilitate desperes, tamen de gratia Dei conscius, suscipias jubentis imperium, & humerum supponas ad ferendum. Domini sunt cardines terræ, hunc humiliat & hunc exaltat, ipse pauperem facit & ditat, & erigit de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat. Times sævitiam temporum, abhorres sævitiam tyrannorum, vereris duritiam subditorum, sed spera in Domino & fac bonum. Et utinam aperiat tibi Dominus spirituales oculos, ut videre possis, quod multo plures sunt nobiscum, quam cum illis, & recordare illius, qui de Saulo fecit Paulum. Præbe igitur cor tuum sapientiæ, & tene vocantem gratiam, precibusque nostris & admonitioni atque consilio efficaciter acquiescens, ale matrem tuam, quæ te lactavit; genetricem rege, quæ te educavit, servi fer curam. Petro dicit Christus, amas me? pasce oves meas. Si amas, pasce; si non pascis, non amas. Nemo te seducat inanibus verbis, veritas non mentitur, probatio dilectionis exhibitio est operis. Nostram exiguam orationem, nostrum devotum auxilium, nostrum fidele servitium ad solatium vocantis te ecclesiæ sinceritati tuæ & promittimus & offerimus.

B

D

E

(a) Stephanum reperio abbatem S. Jacobi Leodiensis Olberti anno 1135. defuncti successorem, alterum anno 1150. cedente Elberto lumine destituto, ordinatum, ad quem scripta videtur hæc epistola.

EPISTOLA CXCIV. VVIBALDI abbatis ad Theobaldum præpositum Xantensem.

Gaudet quod suus ipsi favor profecerit.

DIlecto in Christo fratri & amico suo Theobaldo, venerabili sanctæ Colonensis ecclesiæ archidiacono, Xantensi præposito, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, benedictionem & vitam usque in sæculum. Anno 1150.

Si nostræ parvitatis studium, si diligentis operæ nostræ effectus ad vestri honoris incrementum aliquid profecit, oppido gaudemus, quippe qui personam vestram & gloriam jam a longis retro temporibus vera caritate diligimus, & a vobis invicem dilecti sumus. Sed hoc prudentiam vestram latere nequaquam volumus, quod soli amicitiæ vestræ in hac causa non deservimus, sed illius potius favori hilariter annisi fuimus, quem pro amicis provehendis fideliter laborantem frangi, superari aut vinci nolumus, ex cujus benevolentia nos habere recognoscimus, quod in curia imperatoris Romani illa interdum loquimur & scribi-

nnis, quæ ecclesiæ catholicæ serviant, quæ imperialis celsitudo non abnuat, quæ prosint probis & obsint improbis. Ille, ille, inquam, vester, qui in exhibitione operis vim porbavit dilectionis, vestram promotionem plantavit, atque ut & alii & nos rigaremus, effecit, & benedictus per omnia Deus, qui incrementum dedit. Ipsi post divinam clementiam totum debetis quod estis vero & constanti amico, qui non consuevit suis amicis adulari, sed opitulari; non novit blandiri, sed largiri; nescit verborum delinimentis ornare, sed rerum efficacia honorare. Requirat Deus de manu vestra, & sint dies honoris vestri breves, si aliquando ab B ipsius honore defeceritis, & eis, qui vos fraudare & tantæ dignitatis exsortem esse voluerunt, contra eum aliquatenus adhæseritis. Causam cur domino papæ ex persona domini regis in hunc modum scribere voluerimus, ipsi cancellario, de quo loquimur, plenius innotescere curavimus. Ex abundanti credimus suggerendum esse nobilitati vestræ, ut labores Mannonis clerici vestri liberaliter attendatis.

EPISTOLA CXCV. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Ut Arnoldum Colonienſem archiepiſcopum benigne ſuſcipiat, ac ſuæ ſedi reſtitutum remittat.

Anno 1150. Dilectissimo in Christo patri EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Quam gratus sit sacræ menti vestræ honoris nostri status, ac nostræ personæ sos- D pitas, regnique nobis a superna majestate collati pax atque tranquillitas, vestræ magnitudinis affatus, quos post reditum nostrum a Hierosolymitana expeditione primos accepimus, evidenter patefecerunt, nos vero pari circa vos pietatis studio excitati, graviter & molestе ferimus, quidquid in venerabilem personam vestram & in res sacrosanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ, cujus nos a Deo defensores ordinati sumus, perperam agitur. Sed ad eosdem vestræ beatitudinis apices respondere distulimus, donec in proximo, præstante Domino, tales E ad vestram sublimitatem legatos dirigamus, qui & litteris nostris & viva voce sua de omni proposito nostro vestram debeant sanctitatem certificare. Ceterum ad præsens nostræ instantis & obnoxiæ petitionis summa hæc est, ut quia gremium suum redeuntibus numquam sancta mater claudit ecclesia, venientem ad vos ARNOLDUM venerabilem Colonienſis ecclesiæ archiepiscopum, paterna cum pietate suscipiatis, & eum cum integritate honoris sui pro nostræ dilectionis intuitu ad nos remittatis. (a) [a] Nec enim credi oportet, quod de contumacia vobis suam exhibere præsentiam recusaverit, sed cum sit & senio & assidua ægrotatione confectus, tantum laborem arripere non potuit, præsertim cum per absentiam ejus non parvi motus & implacabiles discordiæ oboriri potuerint, quæ & personæ nostræ importunos labores & regno nostro non modicas incommoditates ingerere valerent. Supereſt, ut nos toto pietatis affectu, ut facitis, diligatis, & a nostra parte religiosum boni filii consilium & auxilium exspectetis.

(a) Hæc epistola nullum habuit effectum; nam papa archiepiscopum ut dignitati suæ restitueret, nullatenus potuit persuaderi.

EPISTOLA CXCVI. VVIBALDI abbatis ad Guidonem cardinalem.

Injunctam esse sibi a rege ad papam legationem.

REverendo patri suo & domino GUIDONI sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali diacono, apostolicæ sedis cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, seipsum. Anno 1150.

Impleviſſemus manum vestram scedula majore, quæ de omni statu regni & de rebus quæ ad vos pertinent, plenius contineret, nisi quod a domino rege nobis injunctum est, ut legationem ejus ad dominum papam cum aliis quibusdam perferamus. Præsentes itaque ista tutius & jucundius tractabimus ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra. Sed ne prorsus nunc sileamus, alteratum recepimus principem nostrum & severitate gravem & justitiæ amatorem, & in faciendo judicio impigrum. Lator præsentium non indignus est, quem pro nostra petitione honeste recipiatis, & in suis propriis causis ac petitionibus benigne adjuvetis. Valete in Domino.

EPISTOLA CXCVII. CONRADI imperatoris ad Quindelinburgenſes moniales.

Nullam ſibi videri rationem ob quam a divinis ceſſent.

CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex, venerabili Quindelineburgensis Anno 1150. (b) ecclesiæ conventui, baronibus & mini- [b] stris ejusdem ecclesiæ, gratiam suam & omne bonum.

(b) Quindelinburgense celeberrimum virginum monasterium in diœcesi Halberstadensi a Mathilde regina circa 936. annum fundatum, in quo ipsa cum Henrico Aucupe rege ipsius viro condita jacet.

Quod divina in ecclesia vestra cessant & vos a sepultura christianorum prohibemini, inconveniens nobis videtur, præsertim cum sub disciplinæ regula ecclesiastice & canonice vivatis, ac communi refectorio & dormitorio contentæ sitis. Nolumus igitur ut pœna injuste & irregulariter viventium deinceps affligamini. Unde mandamus, ut divina in ecclesia Quindelineburgensi cum omnibus, quæ vobis debentur, canonice devote & solemniter celebrentur.

EPISTOLA CXCVIII. JOHANNIS abbatis Fritheselensis ad VVibaldum abbatem.

Scribit se ad regem iturum.

Anno 1150. DOmino VVIBALDO sanctæ Corbeiensis ecclesiæ venerabili abbati, frater JOHANNES cum universo *Frithesel* cœnobii collegio, siquid valet ex animo & corde devotius.

Sicut diutina absentia vestra tristitiam, sic in pace reditus vester omnibus nobis generavit lætitiam. Nunc vero ad regem me iturum vestra noverit excellentia, & si quod forte injungere mihi placuerit negotium, per aliquem fidelem vestrum directum ad me quantocius noverim nuntium. Sanctitatem vestram Deus omnipotens incolumem custodiat.

EPISTOLA CXCIX. VVIBALDI abbatis ad Johannem Fritheselensem.

Eunti ad regem commendat res monasterii sui Corbeiensis, præcipue circa unionem VVisbickensis parthenonis.

Anno 1150. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, dilecto fratri & amico suo JOHANNI & universo *Frithesel* ecclesiæ conventui, exiguas orationes & devotum servitium.

Memor esse debet dilectio tua, qualiter nos multum renitentes & amarissime flentes ad suscipiendum regimen Corbeiensis ecclesiæ instantissima persuasione compulisti, & post susceptionem antequam panem cum Corbeiensibus gustaremus, studiosissimo consilio nos induxisti, ut pro obtinendis ecclesiis de Kaminata & de *Visbick* & de *Hilduardenhusen* laborem & impensam assumeremus. Præsentasti etiam nobis tunc litteras amici nostri comitis HERMANNI, qui, ut hoc ipsum faceremus, intente admonebat. Te igitur omnium consiliorum tam in curia domini regis, quam etiam domi principe & auctore, simulque annitentibus cum maximo fervore Corbeiensibus, sententiæ vestræ cessimus contra judicium animi nostri, quippe qui rem tam arduam tam difficilem tam præsumtuosam aggredi formidabamus, non ignari nec inexperti, quanta impedimenta, quantæ mutationes talibus rebus possent accidere. Et credimus quod zelum Dei habueris, & in hoc opere promovendo pronus ac vehemens fueris, non solum pro delenda enormitate mulierum, quæ ibi habitabant, sed etiam pro augmento Corbeiensis ecclesiæ. Verum in quantas miserias, in quantas vexationes animi & corporis, in quanta rerum nostrarum detrimenta per hoc consilium inciderimus, non solum tua intelligentia, quæ rebus propinqua est, sed etiam tota regni Theutonici universitas clamore super nos famosissimo cognovit. Et nunc quoniam ad curiam domini nostri regis transire, & nostra negotia agere intendis, fidei ac bonitati tuæ intenta devotione committimus, ut sic agas, quemadmodum decet virum religiosum & honestum; quatinus nobis noxia cuncta, Deo præstante, submoveas, & ad omnia profutura diligentiam adhibeas. Nos de gratia & misericordia domini regis absque ullo dubitationis scrupulo confidimus, & ab ipso in curia sua *Frankenevort* cum magno honore habiti & cum magna hilaritate dimissi fuimus, jussi venire ad curiam, quæ futura est Aquisgrani in proxima Nativitate Domini, ut ibi de obtinenda ecclesia *de Visbick* mandatum ipsius accipiamus. Ceterum, carissime frater, nos laborem illum nequaquam assumere volumus, quia & thesauri ecclesiæ nostræ exhausti sunt, & tam Mindensis episcopus quam omnes clerici nobis in hoc amarissime contradicunt. Hoc quoque benignitati tuæ, sicut de te confidimus, intimatum atque injunctum esse volumus, ut rediens, Deo prosperante, ad nos nulli mortalium de causa nostra, nisi nobis, quidpiam patefacias. Quod propterea tuam prudentiam admonere putavimus, quod impudentissima illa de Gisera rumorem in populo sparsit, se id quod fecit auctoritate & jussu domini regis fecisse, quod nullus honestorum credere debet. Perduces vero tecum præsentium latorem, qui familiaribus nostris de curia scripta nostra perferat, & ad nos, quæcumque inveneris, fideliter referat.

EPISTOLA CC. VVIBALDI abbatis ad Conradum imperatorem.

De rebellione abbatissæ Kaminatensis, adversus quam imperatoris protectionem implorat.

Anno 1151. INclyto triumphatori a Deo coronato & exaltato, sereniissimo domino suo CONRADO Romanorum imperatori augusto, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia

ecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Postquam a vestra celsitudine mandatum accepimus, quatenus ordinatis rebus nostris ita expediti & parati essemus, ut legationem vestram ad dominum papam ad urbem Romanam cum cancellario vestro in brevi tempore perferremus, versus Stabulensem ecclesiam, quæ assiduis prædis & rapinis nimium ab improbis vexatur, properavimus, ut qualicumque pace composita, ad Corbeiensem ecclesiam securius transire possemus. In quo temporis intervallo, videlicet in vigilia Nativitatis sanctæ Mariæ, abbatissa illa de Giseka in Kaminatensem ecclesiam armata manu intravit, & ejectis inde violenter fratribus Corbeiensibus, quos ad serviendum Deo ex vestro mandato ibidem ordinaveramus, præpositum monasterii in flumen jactari præcepit, ac turrim ecclesiæ impositis armatis ac victualibus incastellavit. Econtra Corbeienses tam liberi quam ministeriales, cum nostra præsentia carerent, neque nostro consilio uti possent, super eosdem malefactores irruerunt, & vim vi repellentes eos de ecclesia & loco cum ignominia expulerunt & quosdam captos secum adduxerunt. Quod cum adhuc in Stabulensi monasterio positi cognovissemus, plurimum ex animo doluimus, maxime cum prædicta fœmina & ejus fautores per totam terram prædicassent, id quod factum erat vestra gestum fuisse voluntate, quod nos & omnes viri honesti nequaquam credere potuimus. Siquidem, clementissime Cæsar, jussu vestro ac judicio principum vestrorum magnorum utique & multorum virorum per privilegii vestri donationem, per auctoritatis vestræ litteras Kaminatam per proprium legatum vestrum transmissas, Kaminatensem ecclesiam introivimus, & juxta præcepti vestri tenorem divinam ibi religionem a multis impediti reformare inchoavimus. Illa vero quæ abbatissa dici nec potest nec debet, pro eo quod nec in sanctimonialem nec in abbatissam ab illo episcopo velata vel consecrata fuit, & professionis suæ habitum in nigrum & candidum mutat & abjicit, anno fere integro antequam prædictum locum intraremus, per legatum domini papæ deposita, & ab advocato & ministerialibus Kaminatensibus de loco turpiter projecta, cum nollet obedire, fuit. Quapropter genibus vestræ majestatis animo advoluti, clementiam vestram humiliter imploramus, ut memores parvi obsequii nostri & non parvæ fidei nostræ, quam vobis & regno vestro indefesso studio exhibuimus, nos ab his injuriis defensare ac protegere dignemini. Veniemus namque ad vos Aquisgrani in Nativitate Domini, & si quid omissum est a Corbeiensibus, totum in gratia vestra remanebit.

EPISTOLA CCI. VVIBALDI abbatis ad H. regiæ curiæ notarium.

Commendat ei apud imperatorem Corbeiensium causam de Kaminata & Visbick.

FRater VVibaldus Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, dilecto fratri & amico suo H. regiæ curiæ notario, benedictionem & vitam usque in sæculum. Anno 1150.

Eruditioni tuæ aliquotiens injunximus, ut litteras nostras domino nostro regi transmissas ad verbum exponeres, quod quidem hactenus fecimus ad voluptatem, sed nunc rogare cogimur per necessitatem. Etenim quantas contumelias & in persona nostra & in rebus sustineamus, litteræ, quas domino regi scripsimus, tuæ dilectioni patenter indicabunt. Sane hoc plurimum cor nostrum urit, & cogitationes nostras in dolorem accendit, quod ab æmulis nostris jactatur, mala, quæ nobis acciderunt, nutu ac voluntate domini nostri regis evenisse, ac fideles nostri super hoc conjecturam sumunt, quod absente domino nostro rege, cum regnum claudicare quodammodo putabatur, nihil tale præsumtum *fuit. Sed recordari* decet experientiam tuam, & ad memoriam reducere domino nostro regi, qualiter ad primas litteras nostras, cum in eis ipsi revertenti devotio nostra occurreret, ac de impedimentis, quæ nobis apud Kaminatam & *Visbick* acciderant, supplicem ei querelam obtulissemus, responsum dignatus sit, quæ verba hujusmodi sunt: quæ Corbeiensi ecclesiæ pro tua dilectione in abbatiis videlicet Kaminata & *Visbick* contulimus, ad *usus ejus Deo* annuente *conservabimus*, certi quod Corbeienses pecuniam, quam juramenti assertione promiserunt, indubitanter nobis persolvant. In eisdem litteris nobis mandatum fuit, quatenus in assumtione sanctæ Mariæ *Frankenevort* ad curiam veniremus, ubi tam de privatis quam de publicis regni negotiis regia celsitudo cum nostra parvitate familiari consilio convenire dignaretur. Intra quod temporis spatium curia celebrata est apud *VVertzeborch*, ubi principes Saxoniæ domino nostro regi occurrerunt. Ad eam curiam venit quidam presbyter ab abbatissa de Giseka mercede pro dimidia marca conductus, cui nihil de Kaminatensi re pertinebat, qui adversum nos, ut modo primum audivimus, multas querelas deposuit. Qui cum litteras domini nostri regis, nescimus quo interventu acceperit, quarum continentiam necdum cognoscere potuimus, disseminavit per totam Saxoniam se hoc in litteris accepisse, ut quæcumque per nos apud Kaminatam gesta erant, cassari & immutari a domino rege deberent. Tu vero cum familiari sermone

apud nos *Frankenevort* uteris, dixisti nobis, A ut recepta pecunia, quam dederamus, prædicta loca libera relinqueremus, quod verbum etiam in Saxonia fonuit, & nos & nostros in gravem suspicionem adduxit. Et ex parte fonuit in auribus nostris, quibus auctoribus, quibus pignoribus pecunia congregari posse promittitur. Ceterum tuam diligentiam per divinum judicium obtestamur, ut quoniam apud dominum nostrum regem & auctoritate & consilio vales, saluti ejus omnibus modis provideas, ne per consilium alicujus laici, qui nec Deum timet, nec hominem reveretur, in detrimenta & de- B structionem ecclesiarum assensum præbeat. Multum equidem confidimus de veritate, judicio ac perseverantia ipsius: sed opprobria exprobrantium nobis cadunt super nos dicentium invicem. Vidi quid contigit bene merito familiari ac domestico & in secretis consiliis semper admisso. Ceterum ut finem dicendi faciamus, nos in curia laici alicujus patrocinium numquam quæsivimus, sed per clericos nostra omnia disponere consuevimus. Et quoniam in ecclesia & in regno fides tua & discretio apprime innotuit, diligentiæ tuæ attenta prece com- C mittimus, quatenus negotium nostrum ita Domino favente & domini nostri regis clementia præstante tuearis, ut nos non solum Corbeiam deserere, verum etiam totum regnum domini nostri regis exire ac relinquere compellamur. Super quo tam ex tuis quam ex litteris domini nostri regis per præsentes nuntios certificari desideramus.

EPISTOLA CCII. HENRICI regiæ curiæ notarii ad VVibaldum abbatem.

Responsio ad præcedentem.

Anno 1150. DOmino suo VVIBALDO abbati Corbeiensi, HENRICUS suus.

Frater Johannes domino regi pericula, damna, incommoda vestra expresse detexit. Ego vero litteras vestras de verbo ad verbum ei exposui, & ad commodum causæ vestræ quædam pro parvitate mea loqui præsumsi. Intellexi vero & certus sum, quod dominus rex de injuria vobis illata multum dolet, & ad commodum causæ vestræ pro- E sequendum nuntium cum litteris suis ad vos destinavit. Quod enim Corbeiensi ecclesiæ pro vestra dilectione contulit, ratum habet, & omnimodis confirmare intendit.

EPISTOLA CCIII. VVIBALDI abbatis ad Conradum imperatorem.

Dolet quod nullum ab eo responsum acceperit de negotio Kaminatensis ecclesiæ.

INclyto triumphatori a Deo coronato, se- Anno 1150.
reniſſimo domino suo CUNRADO, glorioso Romanorum imperatori augusto, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, salutem in eo qui mandat salutes Jacob. B

Juxta beneplaciti vestri mandatum exspectavimus nuntium vestrum & litteras vestras, quorum decurso tempore cum accepissimus neutrum, gravi mœstitia & ingenti confusione animi affecti fuimus. Sed rediens ad nos a vestra curia frater Johannes, dolorem nostrum plurimum absterſit, & animam nostram valde exhilaravit, ex eo videlicet, quod vos de infirmitate vestra recte convaluisse nuntiavit. Verumtamen de negotio nostro nihil certum, nihil salutare renuntiavit. Et nunc graviter improperat nobis Corbeiensis ecclesia, quod cum boni spe a manſuetudine vestra inducta nostram parvitatem ad regimen suum pro beneplacito vestro elegerit, non solum gratiam & misericordiam consecuta non sit, sed etiam laborem suum & thesauros suos damnose amiserit. Et quoniam intelleximus vos quindecim diebus ante natale Domini velle apud *Bavemberch* cum principibus Saxoniæ colloquium habere, incerti quid agere debeamus, ad vestram celsitudinem mittere curavimus, quatenus pro respectu divinæ pietatis & pro augmento perpetuæ nostræ servitutis, nos ab his malis, quibus premimur, D expediatis. Nec enim minorem rationem cum Corbeiensibus de pecunia habere poteritis, priusquam nobis auxilii & protectionis dexteram porrexeritis, quam modo, cum omnia bona Kaminatensis ecclesiæ tamquam domino vacua ab advocatis sunt invasa. Nostri desiderii esset, ut ad res, quas circa partes Saxoniæ gerere disposuistis, nostrum laborem & expensas reservaretis; sed tamen quidquid vestræ majestati complacuerit, nostra parvitas etiam ultra facultatem suam adimplere studebit.

EPISTOLA CCIV. VVIBALDI abbatis ad Henricum curiæ regiæ notarium.

Commendat ei causas monasterii Corbeiensis.

FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod Anno 1150.
est in ecclesia catholica, dilecto fratri & amico suo H. regiæ curiæ notario, salutem & benedictionem.

Gratias referimus sollicitudini tuæ, quod pro incremento honoris nostri, & pro augendis utilitatibus nostris exacta diligentia invigilas, cum tamen nos hoc tempore, facientibus peccatis nostris, parum emolumenti super his capiamus. Siquidem mira fit rerum conversio, nam illi, de quorum fide a multis dubitatum fuit, immo ut verius dictum sit, quorum perfidia omnibus fere innotuit, honoribus ac divitiis sublimantur, nos vero, quorum fides etiam totius regni approbata est præconio, jam quasi alieni facti sumus. Etenim, carissime frater, contra morem regni factum est, quod cum proxime & litteras & nuntium ad curiam transmisissemus, nulla responsa impetrare valuimus, quod illis præcipue solet accidere, de quorum jam pœna, juxta legem Juliam de reis majestatis decernitur. Dicere possumus illud poeticum : Speravi melius, quia me meruisse putavi. Rogamus itaque experientiam tuam, ut commoda ad causam nostram responsa nobis nunc tua efficiente industria remittantur, & hoc summopere tua prudentia cavere debebit, ne de negotio nostro dominus noster rex cum aliquo principum Saxoniæ communicet in eo colloquio, quod cum eis habiturus est apud *Bavemberch*, nam hi loco triumphi ducerent, quod nos in ea curia nunc adjuvent, in qua nos eorum causas sæpe sustentavimus, quod ipsorum adjutorium non absque mercede vel prædii alicujus vel pecuniæ conducere possemus. Imperat dominus noster rex, ut de pecunia solvenda ei Corbeienses nostri observent, cum nos ab ipso concessa non solum non accipiamus, sed etiam occupata perdamus. Quamobrem a tua discretione diligenter admonitus, ita nobis obsecro litteras nostris necessitatibus commodas ad ducem Saxoniæ, ad episcopum Mindensem, ad comitem HERMANNUM transmittat, quarum tu nobis transcripta dirigere curabis, scirurus, quod omnem laborem tuum circa nos & ecclesiam Corbeiensem utiliter, Deo propitiante, collocabis. Hæc quoque per tuam suggestionem mitissimum augustum intelligere volumus, quod nisi sua protectio Kaminatensem ecclesiam in manu nostra erexerit, nulla ibidem de cetero congregatio, nullus divinæ religionis cultus instaurari poterit. Valete.

EPIST. CCV. R. AD VVIBALDUM abbatem.

Petit ab eo aliquos libros, eique alios promittit.

Anno 1150. DOmino suo venerabili Corbeiensi abbati, R. bene valere & felicem esse. Quamvis Tullii libros habere desideres, scio tamen te Christianum esse non Ciceronianum. Transis enim & in aliena castra non tamquam transfuga, sed tamquam explorator. Libros igitur qui apud nos sunt, Tullii de re agraria & Philippica & epistolas ejus vobis transmisissemus; sed non est consuetudinis apud nos, ut sine bonis monimentis aliqui alicui concedantur. Mittite igitur nobis A. Gellium Noctium Atticarum, & Origenem super cantica canticorum. Nostros autem, quos nunc adduximus de Francia, si qui vobis placent, vobis mittemus.

EPISTOLA CCVI. VVIBALDI abbatis ad R. præpositum Hildenesheimensem.

De suo in litteras humaniores studio.

FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, dilecto fratri & amico suo R. venerabili Hildenesheimensi præposito, benedictionem & vitam usque in sæculum. Anno 1150.

Recte meministi frater, quod quamvis libros Ciceronis habeamus, nos tamen Christianos esse recordemur, & ut scripsisti, & tuus Seneca de se dicit, transimus interdum in aliena castra, non tamquam desertores & transfugæ, sed sicut exploratores & spoliorum cupidi, si forte Madianitem rapere possimus, quam pilis erasis & unguibus desectis legitimo nobis valeamus copulare matrimonio. Et licet non in regione longinqua peregrinari, quin potius exulare debeamus, optamus tamen potius pane vivo, qui de cœlo descendit, saturari, quam ventrem nostrum implere de siliquis, quas porci manducant. Fercula Ciceronis nec inter præcipua, nec in prima mensa jam habemus, sed si quando meliori cibo satiatis aliquid libet, sic ea sumimus, sicut secundis mensis apponi solent bellaria. Est etiam nobis quædam voluptas non esse otiosos. Nec vero, ut cetera omittamus, pati possumus, quod illud nobile ingenium, illa splendida inventa, illa tanta rerum & verborum ornamenta oblivione & negligentia depereant, sed ipsius opera universa, quantacumque inveniri potuerint, in unum volumen confici volumus, nihil habentes cum illis commune, qui quanto ditiores sunt, tanto magis egent, & omissis liberalibus studiis circa transitoria solliciti sunt, & congregant ut dispergant, & dispergunt ut congregent. Ludum pilæ maxime imitantur, ubi ludentes & cum aviditate sumunt, & cum celeritate rejiciunt, ita neque in capiendo neque in remittendo modum habent. Quorum doctrinam, si nos diligis, licet ab improbis sæcularibus laudetur, tamquam venenum & mortem animæ devitabis. Misimus tibi pro monimentis librorum vestrorum Origenem in cantica canticorum, &

pro A. Gellio Noctium Atticarum, quem ad præſens habere nequaquam potuimus librum, quem græce Stratagematon vocant, quod militare eſt.

EPISTOLA CCVII. ANONYMI ad VVibaldum abbatem.

Gratitudinem teſtatur pro acceptis ab eo beneficiis, doletque quod eum aliqui a ſe avertere curent.

Anno 1150. DOmino ſuo dilectiſſimo VVIBALDO B ille ſuus quidquid dici, credi & eſſe poteſt felicius.

Salutat vos ille ſervus veſter ex intimo cordis affectu, quem egenum de pulvere erexiſtis, qui etiam ſæpius tempore neceſſitatis benevolentiam veſtram expertus, non immemor beneficiorum veſtrorum eſſe cupit, nec ingratus. Sunt enim quaſi ſtylo ferreo ſuper latitudinem cordis ejus exarata, ne umquam aboleantur aliqua vetuſtate aut rerum varie ſuccedentium vel temporum mutabilitate. Scit enim, quem fallere nemo poteſt, quantum vos habeam in viſceribus C JESU-CHRISTI, quam unice diligam, quam unice cupiam cuncta, quæ ad honorem veſtrum ſpectant, nec memoriam veſtri de cetero oblitterare poterit, vel temporum prolixitas vel locorum longinquitas. Recolit Domine mens mea, verſatur crebro in antro cordis mei, quoniam filii Belial filii iniquitatis, filii, quos deteſtatur anima, qui ſæpius inebriati ſunt ſanguine meo & ſatiati carnibus meis, niſi obſtitiſſent, niſi a me infelice vos magis invidioſe quam juſte avertiſſent, longiorem in conſpectu veſtræ gratiæ miſericordiam inveniſſem. Sed hæc D omnia in manu Dei viventis commendo, qui reddet unicuique juxta adinventionem viarum ſuarum. Obſecro autem profuſe ne graviter accipiatis quæ dico, quoniam anima mea turbata eſt valde, ſed pietas miſerationis veſtræ requieſcere modo me fecit non modicum, unde vitulos labiorum meorum immolo Deo & immolate non ceſſabo pro proſperitate veſtra, ut vivatis feliciter & valeatis, & cuncta quæ intenditis, a Deo proſpere dirigantur in manibus veſtris, E eſt in eccleſia catholica, ſeipſum & ſua omnia.

Succenſet nobis etiam nunc prudentia veſtra, quod nullas vobis vel raras mittamus litteras, in quo vitio vos quoque laborare & dolemus & reprehendimus. Salutantes itaque dilectam nobis in Domino paternitatem veſtram hoc abſque dubio, quantum de futuris poſſumus, profitemur, quod in ea caritatis gratia, quam Deus inter nos jam pridem glutinavit, permanere diſponimus, niſi forte ad perfectum aliquid augmenti poſſit accreſcere. Legimus litteras, quas pro excuſatione veſtra de offenſa domini noſtri regis noſtro communi amico miſeratis, ſed referente quodam, quem curiæ ſecreta non prorſus latent, didicimus quiddam occultioris veneni de quorumdam detractione in cauſa fuiſſe. Nos nec diuturniorem nec majorem gratiam exſpectamus. Veſtra ſiquidem culpa, ſi tamen culpa eſt, nobis quoque vobiſcum & quibuſdam epiſcopis communis eſt, quam vobis per ſcriptum indicare tutum nequaquam judicavimus. Curia futura eſt *Bavemberch*, non tamen frequens, ad quam familiariter venire juſſi ſumus, cum tamen nos gravis neceſſitas ad eam traheret pro rebus videlicet Kaminatenſis eccleſiæ, pro quibus multum laborem ſuſtinentes, parum adhuc patrocinii, unde ſperavimus, accepimus.

EPISTOLA CCVIII. VVIBALDI abbatis ad Anſelmum epiſcopum.

De regis in ſe offenſa.

Anno 1150. REverendo patri ſuo & domino ANSELMO, pauperis civitatis epiſcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod

EPISTOLA CCIX. R. PRÆPOSITI ad VVibaldum abbatem.

Rumorem ſpargi, ipſum in proximo eligendum archiepiſcopum Colonienſem.

DOmino ſuo VVIBALDO laudabili per Anno 1152. omnia abbati in Corbeia, R. humilis præpoſitus obſequium cum orationibus.

Reverſus de Colonia nuper nuntius meus, conſtantiſſime aſſeruit dominum archiepiſcopum (a) ſine contradictione ab epiſco- [a] pali cura & dignitate ceſſaturum. Addit præterea a familiaribus meis auditum & compertum vos ſucceſſorem annotari, quod vobis aperire dignum duxi. Quidquid itaque ſuper hac re veſtra elegerit diſcretio, mihi fideliſſimo veſtro relitterando inſinuet, & mea devotio veſtræ voluntati & beneplacito accuratiſſime ſatisfacere ſtudebit. In hac enim Nativitatis Domini ſolemnitate illuc tranſire diſpoſui, & ſi quid vel ſcriptis vel verbis ſimplicibus cuiquam fidelium veſtrorum mandare cogitatis, devotiſſime exequar. Valeat paternitas veſtra in Domino.

(a) Supra vidimus Arnoldum archiepiſcopum Colonienſem in concilio Remenſi dignitate ſua ſuſpenſum, Romam profectum fuiſſe ut eam recuperare tentaret, verum cum nihil a ſummo pontifice recti tenace obtinere potuiſſet, priores eccleſiæ Colonienſis ei auctores fuerunt, ſponte ut cederet.

EPISTOLA CCX. WIBALDI abbatis ad R. præpositum.

Respondet ad præcedentem.

Anno 1150. REverendo fratri & amico suo R. venerabili præposito, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Visis sinceritatis tuæ litteris, plurimum gavisi sumus, eo quod provectus nostros tanta fidei constantia diligis, & nobis in re necdum existente tam benevolo animo gratularis. Sed obnixe tuam sinceritatem exoramus, ne illud agas, quod etiamsi vires nostræ ferre possent, intempestivum est agi, & cum prodesse possit nihil, obsit plurimum: siquidem invidiæ, suspicionis, odii fomitem subministrare potest. Audieramus quidem dominum & patrem nostrum Colonien sem archiepiscopum a dominis & patribus nostris Colonien sis ecclesiæ prioribus diligenter commoneri, ut quoniam dignitatem ecclesiæ suæ & ordinis sui officium negligere videretur, & jam tam animo quam corpore deficiens labenti ecclesiæ minus posset sufficere, saluti suæ provideat, & quod urgente necessitate facturus creditur, sponte cedendo facere incipiat. Quod consilium tam ipse quam sui non facile recipere putantur. De illo autem rumore altero, qui nostram personam respicit, sicut nec concupivimus, nec speramus, atque immaturum omnino est, nec quidquam audivimus, nec fuisse motum arbitramur, tuæ benevolentiæ ac discretionis erit, ut sicut in omni sermone memoriam nostri jucunde & favorabiliter habere consuevisti, sic in isto caveas ea loqui, quæ nostræ integritati & famæ aliquomodo possint detrahere. Valete, & nos, ut facis, dilige.

EPISTOLA CCXI. SENATUS populique Romani ad Conradum imperatorem.

Hortantur imperatorem ut Romam veniat, se suaque omnia ei offerentes adversus papam & Siculum.

Anno 1150. EXcellentissimo atque præclaro Urbis & orbis totius domino CUNRADO, Dei gratia Romanorum regi semper augusto, senatus populusque Romanus, salutem & Romani imperii felicem & inclytam gubernationem.

Regali excellentiæ per plurima jam scripta, nostra facta & negotia diligenter exposuimus, quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra imperiali corona exaltanda & omnino augenda quotidie decertamus. Ad quæ quia regalis industria, ut postulavimus, referibere dignata non fuit; plane tamquam filii & fideles de domino & patre satis miramur. Nos enim quidquid agimus pro vestra fidelitate & honore facimus. Et quidem regnum & imperium Romanum vestro a Domino regimini concessum exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini & Justiniani, qui totum orbem vigore senatus & populi Romani suis tenuerunt manibus, reducere, senatu pro his omnibus Dei gratia restituto, & eis, qui vestro imperio semper rebelles erant, quique tantum honorem Romano imperio subripuerant, magna ex parte conculcatis, quatenus ea, quæ Cæsari & imperatori pertinent, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus atque studemus, & ob hujus rei effectum bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem & justitiam omnibus eam volentibus observamus, fortitudines, id est turres & domos potentum urbis, qui vestro imperio una cum Siculo & papa resistere parabant, cepimus, & quasdam in vestra fidelitate tenemus, & quasdam evertentes solo coæquavimus. Sed pro his omnibus, quæ pro vestræ dilectionis fidelitate facimus, papa, Frajapanes, & filii Petri Leonis, homines & amici Siculi, excepto (a) Jordano in vestra fidelitate vexillifero & adjutore, Tolomæus quoque & alii plures undique nos impugnant, ne libere, ut decet, imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor gravis est, licet inde plurima damna sustineamus, pro vestro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque nos a vobis proinde præmium sicut a patre accepturos, vosque in eos sicut & imperii hostes vindictam daturos. Cum tanta igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque pro vobis sustineamus, precamur, ne spes ista nobis deficiat, neve regia dignitas nos vestros fideles & filios despiciat, neque si regalibus auribus aura sinistra de senatu & nobis flaverit, in eam intendat aut respiciat, quia qui de nobis vestræ altitudini mala suggerunt, de vestra & nostra, quod absit, dissensione lætari volunt, & utrosque, ut soliti sunt, callide opprimere moliuntur. Sed circa hæc, ne fiant, regalis prudentia, ut decet, sollicita sit, & provida, reminiscaturque vestra solertia quæ & quanta mala papalis curia & dicti quondam cives nostri imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerunt, & nunc deteriora cum Siculo facere tentaverunt. Sed nos Christi gratia in vestra fidelitate viriliter eis resistimus, ac plures ex illis sicut pessimos hostes imperii, ut sunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis regiæ celsitudinis vigor, quo-

[a] (a) Hunc Jordanum, teste Ottone Frisigensi l. 7. c. 31. Eugenius excommunicavit.

niam quidquid vultis in urbe, obtinere poteritis, ac ut breviter ac succincte loquamur, potenter in Urbe, quæ caput est mundi, ut optamus, habitare, toti Italiæ ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius & melius quam omnes fere antecessores vestri dominari valebitis. Sine mora ergo, precamur, ut veniatis, & interim de statu vestro, quem semper desideramus salubrem & prosperum, & de his omnibus regalibus litteris aut nuntiis nos lætificare dignemini. Sumus enim per omnia vestræ voluntati obtemperare semper parati. Sciatis præterea, quod pontem Milvium extra Urbem parum longe per tempora multa pro imperatorum contrario destructum, nos, ut exercitus vester per eum transire queat, & ne Petri Leonis per castellum sancti Angeli vobis nocere possint, ut statuerant cum papa & Siculo, magno conamine restauramus, & in parvi temporis spatio muro fortissimo & silicibus, juvante Deo, complebitur. Concordiam autem inter Siculum & papam hujusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo virgam & annulum, dalmaticam, mitram atque sandalia, & ne ullum mittat in terram suam legatum, nisi quem Siculus petierit, & Siculus dedit multam pecuniam pro detrimento vestro & Romani imperii, quod Dei gratia vestrum existit. Hæc omnia vestra animadvertat, optime rex, prudentia,

Rex valeat, quidquid cupit, obtineat super hostes,
Imperium teneat, Romæ sedeat, regat orbem
Princeps terrarum; ceu fecit Justinianus;
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua præsul,
Ut Christus jussit Petro solvente tributum.

Nos de cetero legatos nostros precamur, ut benigne suscipiatis, & quod vobis dixerint, credatis, quia scribere nequivimus. Sunt enim nobiles viri Guido senator, Jacobus filius Sixti procuratoris & Nicolaus eorum socius.

EPIST. CCXII. SIXTI, NICOLAI & Guidonis consiliatorum curiæ Romanæ ad Conradum imperatorem.

Ejusdem argumenti.

Ann. 1150. EXcellentissimo & magnifico domino Urbis & orbis CUNRADO, Dei gratia Romanorum regi semper augusto, Sixtus, Nicolaus & Guido consiliatores curiæ, sacri senatus & communis salutis reipublicæ procuratores pro posse in omnibus fidelia servitia & Romani imperii restaurationem.

Ut jam per plures litteras regiæ significatum est majestati, videntes imperium Romanum temeraria usurpatione clericorum a suo vigore plurimum decidisse, ex quo populus Romanus multum dedecoratus erat, ad orbem vestris pedibus subdendum Christi auxilio cum summo studio senatum relevavimus, qui pacem in Urbe conservans & justitiam faciens, bonos exaltando, malos autem delendo ad adipiscendam imperii coronam, omni clericorum obstaculo remoto, vestræ dignitati ad urbem venienti congrue viam præparet. Quod jam tam senatus quam nos Christi gratia viriliter fecimus. Nam Cencium Franjapanum & filios Petri Leonis, quos cum papa & Siculo pro vestri minoratione imperii conspirasse cognovimus, ex Urbe ejecimus, & eorum plurima bona depopulavimus, ita quod vobis resistere nullo modo quibunt. Nil ergo aliud restat, si placet vobis, nisi ut celeriter appropinquetis, & populo vestro succurratis, quoniam quidquid desiderat Urbis cor imperiale, in ea procul dubio obtinere poterit. De cetero commendamus vobis hos nostros nuntios vestros fideles. Nam pro vestri amoris fidelitate illos ad vos misimus, litteris quoque vestris precamur, ut nos lætificare & honorare dignemini.

EPISTOLA CCXIII. CUJUSDAM senatoris ad Conradum imperatorem.

Ejusdem argumenti.

ILlustrissimo atque magnifico orbis, terrarum domino CUNRADO, Dei gratia Romanorum regi semper triumphatori augusto, quo melior nullus, cui nullus in orbe secundus, quidam fidelis senatus servorum regis fidelissimus; quidquid tanto domino tantillus servus. Ann. 1150.

Certum ac firmum sit regiæ majestati, me in senatu & quocumque potui ad vestri exaltationem imperii assiduam operam dedisse, & idcirco vobis, licet audacter, tamen confidenter scribo: utile consilium, domine, ne despice servi. Si licet itaque servo domino suo consilium dare, regali prudentiæ consulo, ut sine mora Romam veniatis, & medium vos inter populum & papam ponentes, senatum & populum in vestra defensione suscipiatis, quoniam castellum sancti Angeli cum Romanis poteritis capere, & ita facere, ut sine vestra jussione ac dispositione numquam de cetero apostolicus in Urbe ordinetur. Sic enim fuit tempore beati Gregorii, qui sine assensu imperatoris Mauritii papa esse nequivit, & sic usque ad tempus Gregorii septimi perduravit. Propter id utile esse affirmo, ne per sacerdotes bella fiant aut homicidia in mundo. Nam non eis licet ferre gladium & calicem, sed prædicare, prædicationem vero bonis operibus con-

firmare, nequaquam bella & lites in mundo committere. A

EPISTOLA CCXIV. GUIDONIS cardinalis ad Wibaldum abbatem.

Ut Conradum imperatorem avertat, ne quid mali adversus Romanam ecclesiam moliatur.

Anno 1150. CArissimo & speciali amico suo VVIBALDO Corbeiensi abbati, GUIDO sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis B & cancellarius, salutem & benedictionem.

Dubietatem, quæ de statu tuo in nostro pectore versabatur, & nuntius tuus & transmissæ nobis per eum litteræ abstulerunt. Optamus enim in Domino, ut cuncta semper tibi salubria, cuncta sint prospera, & ut superna clementia te in actionibus tuis cœlesti miserationis suæ auxilio tueatur ad peragenda ea, pro quibus hac vice rogasti, dominum papam circa te benevolum sentientes, secure operam dedimus, sicut ex ejus tibi litteris apparebit. Præterea tibi tamquam cauto & C prudenti viro & in dilectione probato eloquimur. Certum est, quod post discessum domini CUNRADI Romanorum regis, nisi dominus papa specialius & districte prohibuisset, adversus filium ejus juniorem regem guerra mota fuisset, & non modica orta turbatio. Nunc autem sicut domino papæ & nobis significatum est, & rumores etiam increverunt. Pater ipsius rex CUNRADUS mala pro bonis, quod Deus avertat, reddere nititur, & cum Constantinopolitano imperatore sanctam Romanam ecclesiam catholicorum omnium matrem graviter, si D potuerit, affligere & infestare disponit. Sicut ergo eadem mater nostra & nos ipsius alumni de tuo circa eam fideli obsequio & officiosa fidelitate confidimus, ita ex parte domini papæ ac nostra dilectionem tuam monemus, monendo rogamus, & attentius exhortamur, ut modis omnibus quibus poteris tamquam verus Christi athleta & in apostolorum principis fide fundatus efficere studeas, ne adversus apostolicam Romanam ecclesiam hujusmodi fluctus insurgant, vel si forte aliquorum pravitate insurgere cœperint, cum aliis ecclesiæ Dei fidelibus pro E viribus & prudentia tibi a Deo collata compescas. Nec ista ideo scribimus, quod dominus papa vel nos de præfati regis constantia dubitare debeamus, sed quia nostri desiderii est, ut affectum, quem tempore colloquii, quod cum eo habuimus, erga sedem apostolicam verbis ostendit, ita etiam abundantius operis exhibitione demonstret.

EPISTOLA CCXV. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Ratisbonensem episcopum Jerosolymam tendentem ipsi commendat.

DIlectissimo in Christo patri suo EUGE- Anno 1150.
NIO; sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus, filialem dilectionem & debitam in Christo reverentiam.

Fidelis noster vestræ sanctitatis filius Ratisbonensis episcopus, licet in rebus regni nostri plurimum nobis opportunus esset & commodus, detineri tamen nequaquam potuit, quin ob fidei ardorem & solvendi voti desiderium sub signo Crucifixi Jerosolymam tenderet. Quem ad vestræ celsitudinis præsentiam venientem, pro nostræ dilectionis interventu paterna benignitate suscipietis, & adjutum in his quæ sua necessitas poposcerit, tam per manus vestræ protectionem, quam per fidelium vestrorum suffragia, vestraque benedictione roboratum hilariter ad sui propositi complementum dimittetis. Implevit enim amaritudine animam illius verbum, super quo vestræ sanctitati suspectus effectus est. De quo nos ei veraciter testimonium perhibemus, quod ipse nec Christianum exercitum vendiderit, nec prodiderit, nec sacrosanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ dignitatem in aliquo minuerit.

EPISTOLA CCXVI. CONRADI imperatoris ad Emanuelem imperatorem Constantinopolitanum.

Commendat ei episcopum Ratisbonensem Hierosolymam proficiscentem.

CUNRADUS Dei gratia Romanorum Anno 1150.
imperator & semper augustus, dilectissimo in Christo fratri suo EMANUELI imperatori Græcorum præpotentissimo, indissolubilem fraternæ dilectionis affectum.

Fidelis noster episcopus Ratisbonensis tuæ nobilitati plurimum affinis, licet in rebus imperii nostri plurimum nobis opportunus esset & commodus, detineri tamen nequaquam potuit, quin ob fidei ardorem & exsolvendi voti desiderium sub signo Crucifixi Jerosolymam tenderet. Quem ad tuæ celsitudinis præsentiam venientem pro nostræ dilectionis interventu solita pietate suscipies, & adjutum in his, quæ sua necessitas poposcerit tam per manus tuæ protectionem, quam per principum tuorum suffragia hilarem ad sui propositi effectum dimittes.

EPISTOLA CCXVII. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

De collapſa omnino in Morbacenſi monaſterio diſciplina ope Eilulfi abbatis, cujus electionem confirmari petit, reſtauranda.

Anno 1150. REverendo patri ſuo & domino EUGENIO uni & univerſali pontifici, frater VVIBALDUS Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia catholica, dilectionem filii & obedientiam ſervi.

Poſt obitum confratris noſtri BERTHOLDI [a] abbatis de *Morbach* (a) fratres & familia ejuſdem monaſterii ex quadam parte convenerunt in perſonam cellerarii ſui, eumque adduxerunt ad curiam glorioſi filii veſtri noſtri domini CUNRADI Romanorum regis, quam in proxima tranſacta nativitate apud *Bavemberch* recuperata jam ſanitate celebravit. Pars vero tam de monachis quam de laicis eiſdem electoribus ſe oppoſuit, dicentes non eſſe electionem, ſed potius ſurreptionem, perſonam etiam eſſe minus idoneam ad tale onus ſuſtinendum, & ad ſanandas contritiones ejuſdem monaſterii. Intererat etiam eidem curiæ venerabilis filius veſter ORTHLEVUS Baſileenſis epiſcopus, qui inter diſceptationes litigantium requiſitus a domino rege de ſtatu prædicti monaſterii, quod in parrochia ejus ſitum eſt, reſpondit eoſdem fratres multum inordinabiliter & contra propoſitum & honeſtatem monachorum vivere, pro eo quod nec profeſſionem facere voluiſſent, & ſingulares domos & ſeorſum proprietates haberent, nec refectorium, nec dormitorium commune haberent. Aſſerebat etiam ſub clerici ſui & multorum tam abbatum quam monachorum religioſorum teſtimonio, quod præfatus abbas antequam vita decederet, ſibi conqueſtus fuerat, quod monachi ſui inobedientes ſibi & prorſus rebelles exiſterent, neque diſciplinam aut correctionem ullatenus recipere vellent. Hoc ipſum ſub multorum audientia idem abbas domino noſtro regi intimaverat. Nos quoque, cariſſime pater, oculis noſtris in eodem monaſterio poſiti vidimus, quod proprias domos haberent & præbendas more ſæculatium clericorum capiebant. Tunc quoque in conſpectu regni in tanta controverſia poſiti, neque tonſuram neque habitum monachi exhibeant, ſed ſemilaici quodammodo deridendos ſe oſtendebant. Allegabant præterea religioſi viri quod perſonam ſuis vitiis conſentientem ex induſtria elegiſſent. Collectis itaque in unum harum objectionum ſummis adjudicatum eſt, non potuiſſe non monachos abbatem eligere, eum præcipue, qui numquam monachus exſtitiſſet. Juſſi ſunt deinde tam monachi quam beneficiati & miniſteriales eccleſiæ, ad curiam quæ Spiræ in Purificatione B. M. celebrata eſt, convenire, ubi poſt multam monachorum pertinaciam tandem pari voto & unanimi conſenſu expetierunt ſibi dari in patrem & paſtorem animarum ſuarum virum nominatæ religionis veſtræ ſanctitatis filium videlicet abbatem Erliacenſem EILULPHUM. Dominus vero noſter rex communicato tam Baſileenſis epiſcopi quam aliorum religioſorum conſilio, prædicto conceſſit Morbacenſe monaſterium ſub ea ſpe & ſub tali mandato, ut præfatam eccleſiam in divino cultu & monaſtica religione reformaret. Super quo pedibus veſtræ celſitudinis humiliter advoluti devote clementiam veſtram imploramus, ut quod tam bene & tam bonorum ſuffragio inchoatum eſt, ad honorem Dei, vos veſtra benedictione & confirmatione perficiatis, neque pietatis aurem aliquibus pſeudomonachis his tam recte geſtis contradicere volentibus, inclinare dignemini.

(a) Morbacenſe monaſterium ordinis S. Benedicti inſigne & antiquum in dioceſi Baſileenſi, medios inter montes Voſagos ſitum, ab Eberhardo comite fundatum eſt circa annum 727.

EPISTOLA CCXVIII. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

Imperatorem adverſus eum nihil moliri & de victoria a juniore rege reportata in Guelfonem & Godebaldum.

REverendo patri ſuo & domino EUGENIO uni & univerſali pontifici, frater VVIBALDUS Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſeipſum & ſua univerſa. Anno 1150.

Apoſtolus Johannes dicit: *Non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* Nos illorum igitur imitantes diligentiam, qui pauca loqui, & multa facere conſueverunt, raro veſtræ celſitudini ſtudium ac devotionem noſtram circa vos & ſacroſanctam matrem noſtram Romanam eccleſiam prædicamus, cum tamen quotidiana & aſſidua inſtantia ſedulum ad beati Petri & veſtram fidelitatem ſervitium exhibere non ceſſemus, quod præſtante domino veſtræ beatitudini per alias excellentes perſonas notum fore non dubitamus. Si quid vero de rebus, quæ ad vos pertinent apud inclytum filium veſtrum dominum noſtrum regem Romanorum finaliter eſſet deliberatum, nos abſque moræ prolixioris interpoſitione ſeu per perſonam noſtram ſeu per ſcripta noſtra vobis intimare diligenter curaviſſemus, quod etiam, cum factum fuerit, perficere maturabimus. Certa etiam ſit veſtra beatitudo, quod in quantum valet noſtra mediocritas, & in quantum divina clementia nobis apud ſereniſſimum principem gratiæ & facultatis

indulſit,

indulſit, mentem ipſius, & verba & omne opus ad dilectionem & reverentiam veſtræ perſonæ & honorem ſanctæ matris ſuæ Romanæ eccleſiæ, cui a Deo defenſor ordinatus exiſtit, manſuefacere & inclinare non deſiſtimus. Cum hæc Spiræ in curia domini regis ſcriberemus, repente nuntiatum eſt nobis, quod GUELFO captus eſſet, & GODEBOLDUS & multi de militibus ejus in prælio cecidiſſent, dimicante contra eum inclyto filio veſtro juniore rege domini noſtri regis filio, per quod confidimus, complanatas eſſe omnes difficultates, quæ videbantur obſiſtere ad introitum domini regis in Italiam.

EPISTOLA CCXIX. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Mittit ad eum legatos, rogatque Eilulfum abbatem monaſterii Morbacenſis ab eo confirmari, & Ottonem clericum abſolvi.

Anno 1150. DIlectiſſimo in Chriſto patri ſuo EUGENIO, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex & ſemper auguſtus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Poſtquam, Deo propitio noſtram fragilitatem moderante, ab expeditione Jeroſolymitana reverſi fuimus, veſtram beatitudinem ſalutare & ſacroſanctam matrem noſtram Romanam eccleſiam viſitare per ſublimes legatos noſtros diſpoſuimus; ſed Deo extendente manum ſuam in retribuendo tam gravi & tam diutina corporis infirmitate afflicti ſumus, ut a rebus agendis ceſſare cogeremur. Verum recepta nunc per divinæ pietatis indulgentiam ſoſpitate, in ejuſdem voluntatis propoſito perſeverantes, eoſdem legatos ad veſtræ celſitudinis præſentiam deſtinare communicato principum conſilio ſtatuimus, ut tam de eccleſiæ quam de regni ſtatu & utilitatibus ea vobiſcum tractare & ordinare poſſimus, per quæ & populus Chriſtianus in pace ac timore Dei vivere, & imperium Romanum in priſtinæ dignitatis robur reformari Deo auctore valeat. Cauſam Morbacenſis monaſterii a latoribus præſentium viris utique religioſis ac prudentibus plenius intelligere poteſtis, quæ in conſpectu & præſentia Baſileenſis epiſcopi, in cujus parrochia idem monaſterium conſiſtit, necnon Conſtantienſis, Bavembergenſis, Eiſtadenſis, ac Spirenſis epiſcoporum, necnon abbatis Corbeienſis & aliorum multorum tam abbatum quam religioſorum atque litteratorum virorum diu tractata & diligenter diſcuſſa eſt, & ex ordine juris ac rationis ad hunc finem perducta, ut quia concors in malis præfati monaſterii congregatio, quibuſdam tamen eorum contradicentibus, perſonam vitiis ſuis conſentientem elegerat, nos auctoritate regulæ ſancti Benedicti edocti, adhibito epiſcoporum & abbatum ſuffragio, non ſivimus pravorum prævalere conſenſum. Ad reformandam itaque religionem & reſtaurandum regni noſtri honorem præfecimus eidem monaſterio virum venerabilem ac religioſum EILULFUM Erliacenſem abbatem, cujus annitente induſtria prædictum monaſterium ab antiquis ſpurcitiis emundetur. Quod factum, ut a veſtræ ſanctitatis benedictione roboretur, attente monendo rogamus, nec inclinetis aurem veſtram cenſoribus illis pſeudomonachis, qui epiſcopum Baſileenſem nihil de eodem negotio tractantem ad veſtram præſentiam appellaverunt. Etenim tam temeræ provocationes totam eccleſiaſticam diſciplinam ſubvertunt, & omnem juris ordinem confundunt. Præterea ſublimitatem veſtram intime rogamus, quatenus quemdam liberum hominum noſtrum Ottonem, qui apud veſtram diſcretionem infamatus eſt, quod cujuſdam clerici VVirceburgenſis, Conradi videlicet, naſum truncaverit, ab excommunicatione abſolvi faciatis, quoniam ab eodem clerico ſuper eadem re in noſtra curia pulſatus, judicio gentis ſuæ & noſtræ curiæ, quod innocens eſſet, comprobavit: cui actioni filius veſter, noſter utique amicus GUIDO cardinalis interfuit.

EPISTOLA CCXX. VVIBALDI abbatis ad H. ſororem ſuam.

Gratulatur ei de ſua in abbatiſſam Gerigesheimenſis Parthenonis electione.

FRater VVIBALDUS Dei gratia dictus abbas, dilectæ ſorori ſuæ H. abbatiſſæ de *Gerigesheim (a)* benedictionem & vitam uſque in ſæculum. Anno 1159.

Divinæ bonitati immenſas gratiarum actiones referimus, quod te ad eccleſiæ ſuæ regimen vocare dignatus eſt, & participium ſui nominis, in quo clamamus abba pater, tibi conferre, ut lucerna ſollicitudinis tuæ, quæ hactenus ſub modio privatæ vitæ latebat, ſuper candelabrum poſita ad multorum ſalutem luceat. Hactenus eras nobis ſoror, deinceps eris nobis & ſoror & ſponſa tanto familiarius, quanto per denominationem noſtro oneri acceſſiſti vicinius. Miſimus tibi anulum ſubarrationis, ut nullum præter Chriſtum amatorem admittas.

(a) F. *Gerisheim* nobilis Parthenon ordinis S. Benedicti in dioeceſi Colonienſi duobus circiter milliaribus a Duſſeltorpio diſtans, cujus monniales ad canonicarum ſæcularium ſtatum deflexere. De hoc Parthenone VVernerus *Rolevinck* Carthuſianus lib. 3. de Antiquorum Saxonum ſitu & moribus cap. 8. hæc tradit, *Gericus beatus vir & dux quieſcit in* Getisheim *cœnobio monialium, quod ipſe conſtrui fecerat.*

EPSTOLA CCXXI. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Petrum Capuanum archiepiscopum, cujus ope sanitatem recuperaverat, ei commendat.

Anno 1150. Dilectissimo in Christo patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus, filialem per omnia dilectionem, & debitam in Domino reverentiam.

Deo propitio res nostras moderante, & per adversa & prospera vitæ nostræ cursum dispensante, post reditum nostrum a Jerosolymitana expeditione, gravi & longa infirmitate decubuimus, sed eadem divinæ bonitatis gratia nostræ saluti consulens providerat nobis PETRUM (a) Capuanæ ecclesiæ quondam archiepiscopum, virum in arte medicinæ absque ulla dubitatione peritissimum. Divina itaque nobis opitulante misericordia, & cooperante prædicti viri studio ac diligentia, integram sospitatem nos recipere gaudemus, atque ad res imperii gerendas, quas intet veniente invalitudinis obstaculo intermiseramus, nos tota animi intentione viribus receptis accingimur. Paternitatem itaque vestram, quam vera caritate diligimus, & de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus, ut prænominato curatori nostro apud vestram celsitudinem tam in honore quam in utilitate assequenda valeat, quod ex arte sua nobis profuit, & ecclesiam suam, quam ei beatæ memoriæ papa INNOCENTIUS in urbe Roma tradidit, cum omnibus aliis rebus suis quiete & honeste possideat, nec ei aliquam molestiam in omnibus rebus sibi pertinentibus inferri patiamini.

[a]

EPISTOLA CCXXII. EUGENII papæ III. ad prælatos Poloniæ.

Arguit eos quod latam a G. nuntio suo interdicti sententiam non observent, atque ut resipiscant eamdem sententiam confirmat.

Anno 1150. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis & aliis ecclesiarum prælatis per Poloniam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Quod vos benedictionis alloquio salutamus, non ex vestris meritis fieri, sed ex apostolicæ sedis benignitate credatis. Sui enim debet honoris dolore prosterni, quisquis apostolicis contemnit obedire mandatis. Nos siquidem pro officii nostri debito de vestra & populi vobis commissi sollicici, dilectum filium nostrum G. sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconum cardinalem ad partes vestras olim direximus, ut & pacem inter VV. ducem & fratres ejus auxiliante Domino reformaret, & ecclesiastica negotia tamquam apostolicæ sedis legatus tractaret. Qui, sicut a nobis mandatum acceperat, partem quæ noluit ejus monitis obedire, & eos qui ejusdem ducis terram detinent, excommunicationis vinculo innodavit, & in terra divina prohibuit officia celebrari. Vos autem, sicut accepimus, quoniam hoc eum ex mandato nostro non feciſſe asseritis, sententiam ipsam minime observatis. Quia vero ipse hoc nostro fecit mandato, nos tam excommunicationis quam interdicti sententiam, sicut ab ipso data est, ratam habemus, & ut vos eam observetis & faciatis similiter observari præcipimus. Tu vero, frater archiepiscope, cui hoc ex debito tui officii potissimum imminet, ut inexcusabiles sint, omnibus suffraganeis tuis & aliis ecclesiarum prælatis denunties, & sententiam ipsam firmiter observes & facias observari, sciturus, quia si quis vestrum eamdem sententiam observare noluerit, beati Petri & sanctæ Romanæ ecclesiæ non effugiet ultionem. Datum Lat. x. Kal. Febr.

EPISTOLA CCXXIII G. DIACONI cardinalis ad Conradum imperatorem.

Cum multum in sua legatione pro duce Poloniæ laboraverit, orat ut ipse auxilium præstet.

Anno [illegible] CUNRADO Dei gratia glorioso Romanorum regi augusto, G. sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis, devotum servitium suum, & orationum perseverantiam.

Pro negotio nobilis & illustris viri ducis Poloniæ & conjugis suæ sororis vestræ, mandato domini papæ nos satis laborasse vobis non erat incognitum. Verum persistentibus in sua duritia adversariis, sicut a domino papa nobis injunctum fuerat, & exhortationis vestræ nobis monita suggesserunt, justitiam de eis facere non dubitavimus. Quia ergo negotium illud jam ad vos quodammodo spectare videtur, majestatis vestræ celsitudinem attente rogamus, ut ita manum auxilii vestri eidem duci & brachium fortitudinis vestræ porrigere studeatis, ut vigorem ecclesiastici officii in hac parte viriliter sublevetis, & de indulta pace duci & sorori vestræ laudem a Deo & hominibus consequi valeatis. Sententiam autem, quam contra adversarios ducis VV. & sororis vestræ pro-

(a) De hujus archiepiscopi pontificatu altum in Italia sacra silentium, ubi locum habere debet inter Gaufridum, qui anno 1138. devixisse videtur, & Alphanum qui sedisse dicitur ab anno 1163. ad 1183.

mulgavimus, dominus papa & Romana ecclesia firmaverunt, & usquequo resipiscant & ad pacem convertantur, eam sententiam nequaquam relaxabunt.

EPISTOLA CCXXIV. VVIBALDI abbatis ad E. imperatorem Constantinopolitanum.

Optat ut Deus victorem eum reddat de Tyranno Siciliæ, & ut initum cum Conrado imperatore olim fœdus renovet & firmet.

Anno 1150. GLorioso, sublimi, ac præcelso victori, magnifico, ac præpotentissimo E. Porphirogenito Græcorum imperatori excellentissimo, VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis & Stabulensis abbas, assiduas orationes & devotum servitium.

Quod ad gloriosam majestatem vestram, ad sanctum & terribile imperium vestrum scribere audeo ignotus vobis tam facie quam obsequio, persuasit mihi sacratissima fides vestra, caritas & benignitas, quam exhibuistis carissimo domino meo CUNRADO sereniss. Romanorum imperatori augusto in terra imperii vestri, & magnæ potestatis vestræ, quando in tali temporis & rerum articulo erat, ubi solet verus amicus probari. Et quoniam in veritate intellexi, quod ipse dominus meus vos & imperium vestrum diligit, & omnia quæ vobiscum per pactum & conventiones firmavit, implere intendit, ego quoque pro mea parvitate vestram celsitudinem plurimum diligo & honoro, & ut de communi hoste imperii vestri illustrem victoriam & gravem vindictam sumatis, Deum humili ac devota prece deposco. Sane ille idem Siciliæ tyrannus me ipsum de monasterio sancti Benedicti in monte Casino expulit & perimere voluit, cum fuissem ibi communi omnium voto & acclamatione ordinatus abbas, immo nolens tractus in tempore felicis memoriæ LOTHARII imperatoris, & gaudeo quod tales habeo adjutores, quin potius duces ac principes contra prædictum Dei inimicum. Siquidem malignus ille & alii quamplures homines contra magnificum & forte imperium vestrum multa mala moliuntur & quotidie machinantur; sed confido de omnipotentia Dei & de ipsius clementissima justitia, quod tantum ac tale imperium, in quo est divinæ religionis cultus, in quo est ordo legum & juris civilis ratio, in quo est fortitudo & disciplina militaris, in quo est infinita divitiarum copia, nullatenus ab improbis & perversis & absque pietate divina hominibus subrui possit & superari. De amplificando A vero & in melius firmando fœdere inter sanctum imperium vestrum & præcelsam domini mei majestatem suadeo magnificentiæ vestræ, ut voluntatem suam, quam vestræ sapientiæ in præsenti manifestat, adimplere non differatis. Si dignatur vestra sublimitas meam parvitatem inter notos habere, & per glorioso apices vestros salutare, de fideli fidelissimum me facietis.

EPISTOLA CCXXV. VVIBALDI abbatis ad G. cardinalem.

B *De fœdere Conradi imperatoris cum imperatore Constantinopolitano adversus regem Siciliæ, quod papam maxime tenebat anxium.*

REverendo patri suo & domino G. sanctæ Romanæ ecclesiæ diacono cardinali, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium. Anno 1150.

Si assiduitas familiaritatem, si familiaritas obsequium nobis apud vestram excellentiam dilectionis gratiam peperisset, auderemus celsitudini vestræ quædam turius scribere, & a vobis fortasse quædam reciperemus, quæ non essent in hoc temporis statu inutilia, quam fiduciam apud beatæ recordationis GUIDONEM (a) cancellarium viginti annorum notitia & quotidie accrescens inter nos caritas effecit, ita ut ei loqui & scribere tute possemus, quidquid in buccam veniisset. Sane cum idem vir beatus nobis proxime scripsit, familiariter parvitati nostræ intimare dignatus est, quod quidam rumor tam dominum papam quam curiam suam perturbasset, pro eo quod serenissimus dominus noster CUNRADUS Romanorum rex fœdus cum imperatore Græcorum firmasse dicebatur: ita ut sanctam Romanam ecclesiam catholicorum omnium matrem graviter, si posset, affligere & perturbare disponeret. Injunxit etiam parvitati nostræ ex parte domini papæ & sua, & attentius exhortatus est, ut modis omnibus quibus possemus, efficere studeremus, ne adversus apostolicam sedem hujusmodi fluctus insurgerent, vel si forte, aliquorum pravitate insurgere cœpissent, cum aliis ecclesiæ Dei fidelibus pro viribus nostris compesceremus. Fecimus quod jussit, & homini non fœdere contracto, sed & fastu & inobedientia Græcorum aliquantulum corrupto, longa cohabitatione & assidua collocutione humilitatis & obedientiæ bonum instillavimus, & aliquorum verba familiaritatis ausu severius interdum repressimus. Porro in ca-

C

D

E

[a] Anno 1150.

(a) Hic Guido ex comitibus Capronæ Pisanus diaconus cardinalis ab Innocentio II. anno 1130. creatus cum viginti annorum spatio familiaris fuerit VVibaldo, ad 1150. perveniisse & non ultra dicendus est, ut patet ex hac epistola, quæ eum beatæ recordationis cancellarium vocat, ac proinde emendari debet Ciaconius qui obitum ipsius anno 1153. confignat.

pite quadrageſimæ dominus abbas Clarevallenſis miſit domino regi litteras (a) per epiſcopum Friſingenſem, in quibus collaudabat dominum illum Siciliæ, eo quod in multis utilis & neceſſarius fuiſſet catholicæ eccleſiæ, futurus utilior, ſi non prohiberetur virtute & potentia noſtri principis, de quorum pace & concordia ſe libenter acturum promittebat, ſi ſciret domino noſtro non fore ingratum. Viſus eſt hoc ipſum innuere dominus T. (b) ſanctæ Rufinæ epiſcopus in litteris ſuis, quas poſt reditum ſuum a Jeroſolyma, cum per Siciliam tranſitum habuiſſet, domino noſtro ſcripſit. Ad cujus verbi aſſenſum, nos animum noſtrum & conſilium domini noſtri, quantum in nobis fuit, inclinare nequaquam voluimus, niſi prius quid ſuper hoc in beneplacito domini papæ eſſet, certius intelligeremus, nec tamen ſuper hæc ei ſcribere præſumſimus, ne videremur altiora nobis petere, & in ſecreta ipſius temeraria importunitate irruere: ſed quod ſi inſipientes apud vos facti ſumus, fides quam ad ſanctam Romanam eccleſiam habemus, & veſtra humilis & affabilis benignitas nos coegerunt. Quod ſi ſtudium noſtrum taciturnitas veſtra & propitia reſponſio adjuverint, erimus de cetero in hujuſmodi officiis promtiores. Scripſerunt ſenatores veſtri ad dominum noſtrum graves & duras adverſus dominum papam epiſtolas, (c) quæ ad ipſum menſe Januario allatæ ſunt, quarum exempla vobis attuliſſemus, ſi ad urbem, uti condictum fuerat, veniſſemus. Induſtriam veſtram, de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus, ut petitiones, quas ipſi domino papæ ſcripſimus, ad effectum perducere curetis. Cum hæc ſcripſimus eramus in Fuldenſi monaſterio, & a curia apud *VVirceburg* receſſeramus, ſic ordinatis rebus, ut magiſter HENRICUS regiæ curiæ notarius ad dominum papam in præſenti tranſire debeat.

[a] [b] [c]

EPISTOLA CCXXVI. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Mittit ad eum oratorem magiſtrum Henricum curiæ ſuæ notarium.

Anno 1150.

DIlectiſſimo in Chriſto patri EUGENIO, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, CUNRADUS Dei gratia Romanorum rex & ſemper auguſtus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Ex quo nos propitia divinitas a partibus Orientis poſt multa pericula terra marique ſuſcepta ſanos & incolumes ad propria reduxit, quia non licuit ſanctam ac venerabilem paternitatem veſtram facie ad faciem corporalibus oculis intueri, propoſueramus aliquos de magnatibus noſtris ad vos dirigere, ut tam de ſtatu ſacroſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ & aliarum eccleſiarum, quam de imperii Romani reformanda dignitate diſcretiſſimi conſilii veſtri ſententiam familiari & intima inquiſitione acciperemus. Sed primo detinuit nos gravis infirmitas, a Deo nobis ad correctionem data, quæ nos in tantum ſex fere menſibus afflixit, ut majoribus rebus gerendis pene eſſemus inutiles. Quæ occaſio aliquorum aluit audaciam, & quorumdam motuum excitavit ſeminaria, ad quæ ſopienda & comprimenda, cum ſoſpitatem munere cœleſti fuiſſemus adepti, tota nos animi vigilantia præcinximus. Et nunc de bonis principiis opportunum finem cum Dei gratia ſperantes, miſimus inpræſentiarum ad veſtram celſitudinem magiſtrum HENRICUM curiæ noſtræ notarium, virum utique prudentem & honeſtum, & nobis, ut ſciris, familiarem & acceptum, qui veſtræ diſcretioni extra præſentium litteratum ſeriem quædam de voluntate noſtra ac rebus noſtris viva voce intimabit, cui credere nullatenus dubitabitis.

EPISTOLA CCXXVII. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

Significat ei & petit ab eo confirmationem electionis Marcuardi abbatis Fuldenſis.

REverendo in Chriſto patri ſuo & domino EUGENIO uni & univerſali pontifici, frater VVIBALDUS Dei gratia & veſtra id quod eſt in eccleſia catholica, honorem ut patri, timorem ut Domino. Amore

Poſtquam glorioſus filius veſter noſter ſereniſſimus dominus Romanorum rex a Jeroſolymitana expeditione reverſus fuit, dilectus frater noſter H. Herfeldenſis abbas ab adminiſtratione Fuldenſis abbatiæ, quam ſuſceperat, ceſſit. Itaque dominus noſter rex tum pro innumeris vexationibus, quibus Fuldenſis eccleſia tam intus quam foris quotidie fatigabatur, tum pro partium ſtudiis, quæ de facili componi non poterant, ordinare ipſum monaſterium diſtulit, & ſicut in recolligendis poſſeſſionibus, quæ inordinate fuerant diſperſæ, potens & efficax eſſe poterat, ſic in curandis animabus,

(a) Duas habemus ſancti Bernardi ad Conradum epiſtolas, ſcilicet 183. & 244. quibus eum hortatur ad reverentiam ſedi apoſtolicæ exhibendam: verum in eis ne minimum quidem verbum de rege Siciliæ, quem tamen in quibuſdam aliis epiſtolis 207. 208. & 209. laudat, ipſius magnificentiam & eleemoſynas mire prædicans, verum in epiſtolis quas antea ad Innocentium II. nomine Adalberonis archiepiſcopi Trevirenſis ſcripſerat, vocat eum Tyrannum Siculum epiſt. 176. & 177. Porro laudatam hic a VVibaldo epiſtolam excidiſſe conſtat.

(b) Theodevinus Gerunanus ab Innocentio II. creatus cardinalis.

(c) Has epiſtolas ſuperius habes num. 21. 212. 213.

quæ eccleſiarum pretioſiſſima eſt ſubſtantia, invigilare & attendere non poterat. Super qua re a noſtra parvitate ſæpe commonitus & ab Ebracenſi abbate & aliis religioſis viris, tandem ſuggeſtioni adquieſcens, venit Fuldam III. nonas Aprilis. Cui curiæ interfuerunt venerabiles filii veſtri, Bremenſis archiepiſcopus, VVirceburgenſis & Halberſtadienſis epiſcopi, & alii de laicorum ordine principes & nobiles multi, a quibus inter cetera regni negotia quæſivit, qualiter Fuldenſe monaſterium ſic Deo auctore ordinaret, quatenus ibidem, quæ ſunt Dei Deo, & quæ cæſaris ſunt cæſari redderentur. Dubitatum eſt diu, ut in talibus negotiis ſolet, maxime propter multas in brevi tempore abbatum mutationes, & propter partium ſtudia & diſſenſiones, quæ in eodem monaſterio adhuc fervere noſcebantur. Suſpenſis ergo omnibus, dixit dominus rex, quamdam ſibi perſonam a viris religioſis eſſe oſtenſam boni teſtimonii & integræ famæ, quæ rem modicam religione poſſeſſionibus & ædificiis auxiſſet, de cujus pietate, fide & conſtantia nequaquam dubitarent, quin Fuldenſi eccleſiæ & præeſſe & prodeſſe poſſit: in cujus electione perſonæ ſi omnium vota concordarent, fore in brevi, ut cum ſuo clementiori & propenſiori patrocinio Fuldenſis eccleſia parrocinium priſtinum ſuæ dignitatis honorem reciperet. Placuit omnibus qui aderant tam pia regis devorio, tam religioſa ſententia, & perlatum eſt ipſius ad electores a prænominatis epiſcopis & ab Ebracenſi & Hateleſburnenſi abbatibus, a nobis etiam & ab aliis principibus, quem ſermonem tamquam divinitus miſſum pari conſenſu & unanimi voto omnes ſuſceperunt, nomenque viri, qui tanto laudis & principis ſuffragio juvaretur, ſibi exponi flagitabant. Ita celebri cunctorum conniventia elegerunt in abbatem & rectorem animarum ſuarum & dominum Fuldenſis eccleſiæ dominum MARCVVARDUM abbatem monaſterii de Teleĸeinge, qui fuerat nutritus & educatus a puero in monaſterio ſancti Michaelis in monte in civitate *Bamberg*, & ſine querela converſatus. Præfato autem monaſterio ſuo præfuerat annis octo, teſtimonium habens etiam ab his qui foris ſunt, & provexerat tam in divinis quam in humanis rebus. Qui quoniam ab his, qui eum intime noverant, plurimum laudatur, & non ſolum abſens ſed etiam ignorans electus eſt, & valde invitus & plurimum renitens hoc onus ſubire compulſus eſt, adhortante ſatis domino noſtro rege, & bona ſibi promittente, & quodammodo cogente. Noſtra quoque parvitas veſtram celſitudinem intime rogare auſu ſanctæ caritatis præſumit, ut ſanare dignemini contritos Fuldenſes, & alligare contritiones eorum, & per veſtræ benedictionis manum, quæ ſola medelam præſtare languoribus, opus quod A circa prædictam perſonam inchoatum eſt, confirmetis. Hoc quoque ſublimitati veſtræ indicare ſtuduimus, quod ea die apud Fuldam eramus, quando omnes Fuldenſes fratres regulariter & humiliter eidem electo ſuo ſubjectionem & obedientiam promiſerunt. Salvum vos & incolumem ad regimen catholicæ eccleſiæ Deus omnipotens cuſtodiat.

EPISTOLA CCXXVIII. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

B

Injunctam ſibi ad papam legationem explere prohibitus, aliquas ei mittit per ſubrogatum legatum petitiones pro Corbeienſi monaſterio.

DIlectiſſimo patri ſuo & domino EUGENIO uni & univerſali papæ, frater VVIBALDUS Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſeipſum & ſua univerſa. Anno 1150.

Venimus ad curiam glorioſi filii veſtri C CUNRADI Romanorum regis in vigilia Nativitatis Domini, & permanſimus in ea continue uſque ad feriam quintam hebdomadæ paſchalis, ſub ea exſpectatione, ut nos & cancellarium ſuum ad veſtræ ſublimitatis præſentiam, ſicut jam dudum condixerat, & veſtræ quoque maguitudini ſignificaverat, tranſmitteret. In quo temporis ſpatio die & nocte id efficere ſtudioſe ſategimus, ut animum ipſius ad dilectionem & reverentiam veſtræ perſonæ, ad defenſionem ſacroſanctæ matris noſtræ Romanæ D eccleſiæ & omnium eccleſiarum fortiter accenderemus. In quo ſtudii exercitio non ſolum conſcientiæ noſtræ teſtimonium habemus, ſed & fidelium veſtrorum & aliorum quorumdam, qui tempora libenter accuſantes bonis ſolent detrahere & diſcordias ſeminare. Sed intervenientibus quibuſdam magnis regni negotiis, neque perſona noſtra neque cancellario ſuo carere voluit, cum tamen nos ad monaſterium noſtrum uſque ad futuram autumni temperiem redire ægre permiſerit. Interim miſit magiſtrum HENRICUM curiæ ſuæ notarium, virum ſapien- E tem & probum, & vobis omnino fideliſſimum, quem ut honeſte ſuſcipiatis & efficaciter ac celeriter dimittatis, ex abundanti credimus eſſe, veſtram ſuper hoc prudentiam & benignitatem ſubmonere. Veniſſemus ad vos deſideranter non ſolum pro honore & utilitate Dei & imperii Romani, verum etiam ut faciem veſtram, quam ſicut vultum angeli intuemur, cernere mereremur, & humili ſermone quædam excellentiæ veſtræ ſuggereremus, quæ ſcriptis committere non præſumimus, tum propter varios & incertos eventus rerum, tum ne in arduas & arcanas res & in ſecreti veſtri pro-

fundum nos temere & importune ingerere A æſtimaremur. Petitiones noſtræ quæ in ſcriptis habentur, ut a clementia veſtra humiliter exaudiantur, humiliter imploramus, quoniam niſi ad labores Corbeienſis eccleſiæ tolerandos benedictam manum auxilii veſtri noſtræ puſillanimitati porrexeritis, avolare nos oportet & requieſcere a puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Sanctitatem veſtram ad regimen eccleſiæ catholicæ in longa tempora Dei miſericordia conſervare dignetur.

VVIBALDUS abbas Corbeienſis petit, ut dominus papa ſcribat H. Mindenſi epiſcopo, B quatenus ſine mora Kaminatenſem eccleſiam reconciliet, quam ideo pollutam eſſe judicavit, quod puer unus monachus, dum in reſarciendo tecto eccleſiæ architectis ſubminiſtrat, de culmine in pavimentum eccleſiæ collapſus eſt, & ita abſque ulla ſanguinis effuſione extinctus, quam per anni fere ſpatium reconciliare noluit. Et quod de parrochianis ſuis Thiderico de *Rekelinge* ac Reinberto & Thiderico filiis ejus, qui prædia Kaminatenſis eccleſiæ invaſerunt, juſtitiam faciat, ut ſi infra triginta dies poſt acceptas litteras poſſeſſiones non dimiſerint, & ablata in integrum non reſtituerint, ex- C communicationi eos ſubjiciat.

Item petit, ut domino A. Bremenſi archiepiſcopo ſcribatur, quatenus prædia Kaminatenſis eccleſiæ, quæ in terra ſua ſunt, abbatem retinere adjuvet, & eas præcipue poſſeſſiones, quas JUDITHA abbatiſſa poſt depoſitionem ſuam alienavit, & invaſores niſi infra triginta dies poſt acceptas litteras reſipiſcant, excommunicet. Item petit, ut in eumdem modum ſcribatur H. Ferdenſi epiſcopo. Item petit, ut duci Saxoniæ in eamdem ſententiam ſcribatur. Item petit, ut tam Colonienſi archiepiſco- D po, quam Colonienſi eccleſiæ diſtricte & dure ſcribatur, de JUDITH abbatiſſa de Jeſika, quæ abbatia eſt in fundo & parrochia Colonienſi, quæ non ſolum clauſa & correcta non eſt, ſed etiam per totam cum ſuis corruptoribus volitat, & bona Kaminatenſis eccleſiæ, a qua per bonæ memoriæ THOMAM cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum depoſita fuit, & ſententia depoſitionis a domino papa in ſynodo Remenſi confirmata, quæ niſi depoſita aut excommunicata fuerit, nullo modo ceſſatura E eſt.

EPISTOLA CCXXIX.
H. Moravienſium ad VVibaldum abbatem.

Optatum ad papam iter ei deprecatur.

Annotatio. WIBALDO ſereniſſimo domino & patri ſuo venerabili ſanctæ Corbeienſis eccleſiæ abbati H. Dei per patientiam Moravienſium id quod dicitur, ſervitutis cum devotione orationis mutuæ participationem.

Veſtræ litteras benignitatis veneratione debita ſuſcepimus, ex quibus deſiderio quod deſideravimus, vos videlicet, quia ſalvum eſſe percepimus, gratias divinæ pietati exſolvimus, non enim veſtram minus quam noſtram ſoſpitatem & proſperitatem deſideramus, & ab eo, hæc qui præſtare poteſt precibus, licet indignis, augeri & conſervari depoſcimus. Quod autem facietenus veſtra pietas videre nos tantum deſiderat, grates quidem agimus, ipſam tamen proinde quod nos videre non valuit, minime dolere rogamus, cujus præſentiam noſtri cordis a memoria nec locorum ſpatia nec tormenta infirmitatis continua amovere queunt. De cetero quoniam veſtræ ſublimitatis excellentia pro nobis uſque adeo humiliari non dedignatur, quod noſtræ verbula parvitatis domino noſtro papa ſeſe velle deferre promittat, ei humiliter inclinamus, & ut veſtrum iter angelus Dei comitetur, votis omnibus optamus. Et quoniam inpræſentiarum ad prædictum dominum noſtrum, quod deferamus, nihil aliud habemus, noſtras ei continuas mandari orationculas, infirmitatem quoque veſtræ relatione gratiæ inſinuari rogamus.

EPISTOLA CCXXX. D. EPISCOPI
Pragenſis ad VVibaldum abbatem.

Ad papam profecturo mittit munus, oratque ut ſui apud pontificem recordari velit.

WIBALDO domino & patri ſuo reve- Annotatio. rendiſſimo Corbeienſis & Stabulenſis eccleſiæ abbati, D. licet indignus Dei tamen gratia Pragenſium epiſcopus, cum ſinceritate ſervitii exiguas orationes.

Regalibus vos occupatum negotiis & regali aſſidentem lateri gratulamur. Hoc enim gratia veſtra ex antiquo apud parvitatem noſtram multis beneficiis obtinuit, ut profectui veſtro congaudeamus. Verumtamen quod litteras veſtras omni ſuavitate & mellita dulcedine plenas mittere dignatus eſtis, quantas inpræſentiarum valemus gratiarum actiones ſinceræ paternitati veſtræ referimus, & licet corpore disjunctos diverſitas locorum ſeparet, nunc tamen præſentia veſtra ſpiritu noſtro quotidie præ oculis habita per ſcripta veſtra eſt renovata. De cetero quia tantam gratiam humilitati noſtræ in oculis veſtris Dominus contulit, ut in curia quoque Romana noſtri memor eſſe velitis, & inde quidem vobis gratias agentes obnixe poſtulamus, quatenus immeritæ perſonæ noſtræ memoriam quantulamcumque dignabimini apud dominum apoſtolicum facere non abnuatis. Præterea quamdam par-

vulam caritatem sinceritati vestræ transmisimus, rogantes & in Domino obsecrantes, ut benevole eam suscipiatis, & ex ea saltem equum servientis vobis ferrare non abnuatis. Honestam ac Deo devotam ac dilectam familiam vestram ex obsequio parvitatis nostræ, dominum quoque cancellarium amicum nostrum salutare dignemini. Orantem pro nobis sinceritatem vestram nobis multum necessariam in pace & prosperitate Dominus Deus famam & incolumem conducat & reducat, & longævo tempore custodiat.

EPISTOLA CCXXI. EMELERI monachi ad VVibaldum abbatem.

Commendat ei A. præsentium litterarum portitorem.

Anno 1150. DOmino vere sancto & omni veneratione digno VV. Corbeiensi abbati, frater EMELERI ille humilis & qualecumque vas in domo magni patris familias cum fraternæ dilectionis obsequio, quidquid potest nostræ mentis affectio.

Si vivis & vales ac . . . . .
excitant viscera . . . . .
libenter volo & bene . . . . . sanctitatis tuæ personam amare, virorum optime, quia parvitatem meam, sicut ab ore tuo accipere potui, etiam absentem & corporali adhuc facie incognitam propter quædam quæ tibi ab amatoribus mei de me bona dicebantur dilectione tua dignum judicasti, & præsentem postea familiariusque cognitam in omni loco ubi nos duo convenire potuimus, supra vires & merita mea honorasti. Unde desideratissimæ fraternitati tuæ de mea fidelitate indubitanter constare volo, quod ubicumque possum, & boni nominis tui famam augere, & causam tueri libenter faciam & feci, & quotidie facio, quoniam similia a te expecto. Dominum A. præsentium portitorem litterarum hominem satis afflictum, & bonorum solatiis indigum, pietati vestræ attentius commendo, ut sicut misericorditer cum eo facere cœpistis ita usque in finem juxta quod ejus se causa habet cum eo facere perseveretis. Omnis enim boni principii & recti operis finis expetendus est. De cetero sit vobiscum Dominus & vester Spiritus nobiscum imploro.

EPISTOLA CCXXII. H. Hamenburgensis episcopi ad VVibaldum abbatem.

De abbate Resveldensi quem sui monachi expulerant.

Anno 1150. HSanctæ Hamenburgensis ecclesiæ divina solum misericordia si quid est dilecto ac venerabili fratri VVIBALDO Corbeiensium reverendo abbati, firmam in Christo dilectionem cum salute.

Litteras fraternitatis vestræ ornatu verborum & sententiarum pondere plenas in proximo diligentius perscrutantes, accepimus innotuisse vobis abbatem de *Resvelde* a sibi subjectis, præposito videlicet & ceteris loci illius fratribus sine ratione ac sine judicio loco & dignitate sua fuisse privatum & expulsum, unde provide quidem satis nobis suggessistis dignitate sua ac possessione eum reinvestiri debere. Sed legum capitula quæ induxistis vera quidem sunt, sed non hac in re locum habentia. Etenim vestræ legationi interenat venerabilis Havelbergensis ecclesiæ episcopus ANSELMUS cum universo ecclesiæ nostræ conventu, intererat abbas Mindensis & Sancinensis cum aliis pluribus abbatibus, & præpositis in quorum præsentia apertissime comprobatum est, multorum attestatione religiosorum, dictum jam abbatem nullam expulsionis passum violentiam. Non igitur loco suo inducta est lex quæ ait, expulsi aut expoliati rebus suis advocari ad causam nec judicari possunt, quoniam non est privilegium quo exspoliari possint jam nudati & cetera, quæ altera tantum parte audita intendistis. Sed ars elocutionum rhetorica vitiosum in causis asserit exordium, quod pars vendicare sibi potest adversa, ut cum dicunt, me qui justam causam habeo juveris, idem pars dicit adversa. Denique vestro interventu eorum deliberationi nos commisimus, qui a vobis & a dominis & fratribus nostris ad nos hac de causa missi fuerant, & sic petitioni vestræ & illorum satisfacientes, diem ei statuimus, quo in præsentia fratrum loci illius res ista vel justitiæ rigore vel misericordiæ tranquillitate, fine tandem pacis in Domino terminetur.

EPISTOLA CCXXXIII. CONRADI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

De H. duce Saxoniæ, qui ad curiam non venerat, sed ducatum Bavariæ invadere conatus fuerat.

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Corbeiensi abbati, gratiam suam & omne bonum. Anno 1150.

Sanctitati tuæ notum sit, quod nos ex consilio & petitione principum duci H. Saxoniæ ad expostulandam beneficialem justitiam curiam Ulmæ in octava Epiphaniæ indiximus. Ipse vero ad eamdem curiam non solum venire neglexit, verum etiam armata manu ducatum Bavariæ occupare conatus est. Nos itaque debitum regalis censuræ magis quam ejus facta attendentes, aliam curiam ex judicio principum in festo Barnabæ

apostoli Ratisbonæ ei præfiximus, queri- A moniæ ipsius Deo auctore satisfacturi. Cetera nuntius.

EPIST. CCXXXIV. STABULENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Orant ut Ji monacho Corbeiensi præteritas noxas indulgeat.

Annoiiji. REverendo in Christo patri suo & domino VVIBALDO Stabulensis atque Corbeiensis ecclesiæ venerabili abbati, frater Robertus Stabulensis ecclesiæ decanus, & humilis ejusdem loci congregatio, filialem dilectionem & debitam subjectionem. B

Cum de salutis vestræ valitudine incertos nos faciat nuntiorum vestrorum ad nos raritas, nihil est, carissime pater, quod in nostris causis aut solatium aut jucunditatem nobis conferre valeat. Inde est quod aliquando nostri memores Deo pro nostris oppressionibus placationis hostiam & precum sacrificia, ibi semper vestri memoriam habeamus, ubi descendentes & angeli omnipotenti Deo patri vota uniuscujusque re- C præsentant & munera. Per hoc enim & aspera plana fieri, & montes & colles credimus humiliari. Ceterum pater, de nostrarum rerum statu, ecclesiæ vestræ habitudine aliqua vobis scribere supersedemus, cum in proximo id est circa Purificationem beatæ Mariæ & adventus domini regis Lotharingiæ & vester ad nos reditus expectetur. Interim autem benignitatis vestræ mansuetudini humiliter significamus, quod propter caritatis unitatem & gratiam, quam ad Corbeiensem habemus ecclesiam, venientem ad nos fratrem vestrum J. Corbeiensis ecclesiæ filium debita compassione collegi- D mus, & aliquanto tempore nobiscum detinuimus, cui etsi minus impenderimus, quam ejus poposcerit necessitas, tamen fraterne ipsi contulimus, quod pati potuit rerum nostrarum exiguitas. Et quoniam orationis voto completo, ad locum professionis suæ, ad ecclesiam quæ eum nutrivit & aluit, redire disposuit, sanctitatis vestræ pietatem attente exoramus, quatenus petitionis nostræ interventu, & omnium nostrum pro eo humili satisfactione, ita omnem præteriti temporis noxam remittatis, ut absque gravioris pœnæ sententia fratrum suorum collegio eum pie restituatis. Sufficit ei namque, pater carissime ad omnium excessum suorum veniam hyemis gravis asperitas, & viæ longioris non parva difficultas. Quare iterum atque iterum supplicamus, ut ad misericordiam & requiem ei valeat nostræ petitionis interceſſio.

EPISTOLA CCXXXV. ANSELMI episcopi Havelbergensis ad VVibaldum abbatem.

Declarat se deinceps residere velle in ecclesia sua cum fratribus suis, quos laudat.

WIBALDUS venerabili abbati, carissi- Annoiiji. mo sibi ANSELMUS pauper Christi orationes quotidianas & obsequium quotidie paratum.

Carissime scripsisti mihi familiariter & breviter, sed mihi multa de te & de me scire volenti pauca non sufficiunt. Utinam per triduum saltem simul sederemus, & in medio nostrorum noster cancellarius sederet, ut mutua collocutione in omnium nostrum notitiam veniret, quod singuli intra se clausum tenerent. Ego quidem iterum jam in alveum cordis mei regressus sum, nec sponte mea de cetero adeo superefluere disposui, ut ad instar torrentis lutum colligam quo involvar, & cœnulentam turbationem, quam sæpe passus sum iterum patiar. Quid enim mihi inter molentes, licet alter interdum assumatur, ubi continuus & infinitus est circuitus? quid mihi in agro, ubi licet assumatur, tum vix umquam deest sol urens & æstus percutiens, seu alia quævis tentationis intemperies. Quin immo in lectulo conquiescam, ubi licet alter interdum relinquatur, tamen alter nequaquam tot tentationibus expositus frequentius assumitur. In præsepio meo *Havelberg* pauper Christi cum fratribus meis pauperibus Christi maneo, (a) ubi alii turrim for- [a] titudinis ædificant a facie inimici, alii sunt in excubiis ad defendendum contra insultus paganorum, alii divinis obsequiis mancipati quotidie martyrium exspectant, alii animas suas Deo reddendas jejuniis & orationibus purificant, alii lectionibus vacantes & sanctis meditationibus insistentes, & sanctorum vitam & exempla imitantes seipsos exercitant, at omnes nudi ac pauperes nudum ac pauperem Christum quantum possumus, sequimur. Satis lusimus, de reliquo res seria agatur. Christus in præsepio, Christus in prætorio, aliter ibi, aliter ibi. Ibi id est in præsepio jacenti, angeli laudantes concinuerunt, ibi id est in prætorio ante E principes stanti acclamaverunt Judæi, crucifigatur, crucifigatur. O sigillum divinæ scripturæ quis mihi aperiet? quis, inquam, nisi agnus qui occisus est ab origine mundi? crede mihi, frater carissime, melius & tutius est cum Christo jacere in præsepio, & vagire miserias conditionis humanæ stella nova desuper lucescente, angelis gloriam concinentibus, regibus diversa munerum

(a) Ex his quæ narrat hic de fratribus suis seu canonicis ecclesiæ Havelbergensis, non levis conjectura est eos fuisse regulares, & quidem, ut conjicio, ordinis S. Augustini.

exenia

exenia offerentibus, quam ſtare in prætorio irridentibus militibus, flagellantibus, conſpuentibus, alapis verborum cædentibus, coronam ſpineam, vere ſpineam, vere aridam, vere ſuceo æternæ vitæ carentem, vere ſpineam pungitivam, aculeos detractionis poſt laudes habentem plectentibus, ſole contemplationis divinæ obſcurato, terra corporis tremiſcente, petra fidei ſciſſa, velo templi diviſo. Crede mihi, frater cariſſime, tutius eſt in præſepio quam in prætorio. Ibi conſolationes, hic terrores. Suffieit: dum enim ſcribo & longiorem epiſtolam facere volo, nuntius Maguntini archiepiſcopi ſupervenit, & datis litteris, factaque verborum ſ[illegible]gatione, eadem hora diſceſſum paravit, & hanc epiſtolam ſuccidere me coegit, quia nuntium meum ſtatim cum illo mittere me oportuit. Dominum meum ac tuum auguſtum humillimum, dum circa ipſum es, diligenter cuſtodi, & quia Deus fidelem te & ſapientem fecit, fac quod potes & ſcis, quantum tibi permittitur. Saluta cancellarium noſtrum ex ANSELMO tuo & ſuo.

EPIST. CCXXXVI. R. MONACHI ad VVibaldum abbatem.

Reddit rationem de his quæ egerit ad monaſterii utilitatem, petitque ab eo præbendam pro conſanguineo ſuo novenni.

Anno 1151. DOmino & patri Stabulenſi venerabili abbati VVIBALDO, frater R. cum orationum devotione obedientiæ bonum.

Quoniam cognoſco me ſervum veſtræ ſanctitatis, paternitatis filium, dilectionis amicum, memoriam veſtri facio aſſidue in orationibus meis, ut vos Deus omnium, Deus miſerationum omnipotens regat ſemper & protegat, & gratiæ ſuæ rore irradiet, & quia probatio dilectionis exhibitio eſt operis, vobis in operibus veſtris voluntate condelector & opere. Unde in vacuando cœmiterio novo & aquæ ductu reſtruendo operam do; capella beati Nicolai, gradibus dormitorii ſuperioribus, introitu neceſſariorum communium, muris pomerii novi non neglectis, mulieris quæ in modico totum jactavit, in gazophilacium formam ſectans. Verumtamen lechitus olei, & hydria farinæ & caritatis & obedientiæ non imminuitur. Nunc quia non in modico reſtruxiſtis muros Stabulenſes, curandum ſummopere eſt, ut ædificentur muri Jeruſalem. De ſtatu veſtri loci, propter prolixitatem, fratri veſtro & noſtro præſentium latori ſecundum opportunitatem temporis digna relatu vobis indicanda reliqui. Cujus ſtudium in filio fratris ſui collaudans, ut voluntatem ejus ſuper hoc impleatis, oro, quia in hoc ordinat caritatem in eo, cujus ordinatione perſeverat dies: & cum tempus eſt, operandum eſt bonum ad omnes, maxime ad domeſticos, ut domeſtici fiant tam fidei quam ordinis, & ſortis JESU-CHRISTI. Unde ego gratias multiplices agens, vobis pro innumeris beneficiis veſtris, quoniam non unam benedictionem . . . . . & propinquiori cognato meo novenni præbendam & locum apud nos concedatis. Nam etſi non poſſum, Dei erit retribuere, ſi ei via & janua fueritis veniendi ad hoc, ut paſſionibus Chriſti in monaſterio ſub habitu monachico per patientiam participet. Frater veſter de cauſa hac fungetur pro me, veſtrum eſt ut reſpiciatis ſperantem in vobis, & manum clementiæ porrigatis cum fiducia ſupplicanti. Valete.

EPIST. CCXXXVII. STABULENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Orant ut, ſi fieri poſſit, ad eos redeat, & ut apud regem promoveat querimoniam de Hengebach.

REverendo in Chriſto patri ſuo & domino WIBALDO Stabulenſi venerabili abbati, humilis ſub eo eodem in loco grex Chriſto militans, debitæ ſubjectionis & dilectionis reverentiam. Anno 1151.

Licet pater hoc tempore ſolito rarius vobis noſtra ſcripſerit univerſitas, tamen non ideo minori caritatis ardore circa veſtri amorem accendimur, cum totiens vos nobis eſſe præſentem æſtimemus, quotiens pietatis veſtræ ſtudia circa nos & locum noſtrum conſideramus. Inde eſt, quod ſalutis veſtræ proſperitatem ſemper optamus, optando deſideramus, deſiderando exoramus. Salutantes itaque paternitatem veſtram, devotiſſime rogamus, ut ſi ſalva gratia domini noſtri regis obtineri poteſt, ad nos redire non abnuatis, quia tam in interiorum cura & ordinatione, quam in exteriorum providentia eccleſiæ veſtræ ac filiis veſtris neceſſaria & utilis præſentia veſtra eſſet. Interim autem ſupplicamus, ut querimoniam noſtram quam domino regi pro illis de *Hengebach* tranſmiſimus promovere dignemini: quia niſi diſtricte ſuper ea, quæ jam ſecundo adverſum vos & eccleſiam noſtram perpetraverunt, coerceantur; adhuc graviora committere non timebunt. Ceterum ne animum veſtrum majoribus forſitan negotiis intentum ſchedula longior aut prolixior epiſtola oneraret, fratri veſtro cuſtodi ſcilicet eccleſiæ, reliqua narranda commiſimus, a quo de ſtatu rerum noſtrarum & tam de his, quæ intus ſunt, quam de his quæ foris aguntur, ſi opportunum fuerit, plenius audire poteritis. Paternitatem veſtram ad honorem eccleſiæ ſuæ omnipotens Deus

incolumem custodiat. De *Vilippes*, si opportunitas acciderit, petimus, ut mentionem coram rege faciatis.

EPIST. CCXXXVIII. STABULENSIUM monachorum ad Conradum imperatorem.

Conqueruntur de Gosvvino de Hengebach *& Everardo ejus fratre.*

Anno 1151. GLoriosissimo atque invictissimo domino suo Romanorum imperatori augusto CUNRADO, humilis Stabulensis ecclesiæ congregatio, quidquid regiæ majestati tantillus debet ac potest conventus.

Si excellentiæ vestræ, serenissime domine, aliquomodo gratiarum actiones reddere nostra posset exiguitas, id tanto exequi curaremus attentius, quanto in colligendo patre nostro ecclesiæ vestræ, in qua positi sumus, misereri dignemini propensius. Inde est, quod continuis missarum celebrationibus ac vigiliis, assiduis precibus, & eleemosinis Deum pro statu regni vestri, pro utilitate vestra vestrorumque exoramus devotius postulantes, ut is, in cujus manu sunt omnium potestates, & jura regnorum, eos qui in sua veritate confidunt, per vos potenter comprimat, quo liberius paci & utilitati ecclesiarum Dei vestra clementia postmodum providere valeat. De cetero, mitissime Domine, quoniam specialius quodammodo protegere eas ecclesias vestra debet majestas, quæ ab inclytis prædecessoribus vestris imperatoribus sive regibus honestiori cultu & ampliori magnificentia sublimatæ existunt, speciali quadam confidentia ad vos accedere audemus, ubi clementiæ vestræ genibus provoluti, humiliter conquerimur de Gosvvino de *Hengebach* & fratre ejus Everardo, qui contra omnem justitiam in die pacis, in festo scilicet apostolorum Simonis & Judæ, sex carratas vini cum animalibus nobis violenter abstulerunt, & pauperes nostros, qui plaustra sequebantur, captos, gravissimis pœnis afflixerunt: super quo cum vestram parati essemus expetere justitiam, tandem causa domini cancellarii, qui damno nostro pie condescendebat, homines nostros pene nudos, & aliquam partem accepti vini atque animalium nobis reddiderunt, promittentes se in brevi tempore coram domino cancellario omnia reddituros. Hac itaque sponsione accepta, hucusque frustratoria spe seducti expectavimus, nunc demum post longam moram & graves expensas, certi quod nihil ab eis reciperemus, nisi ad hoc per efficacem nuntium vestra regia compellat auctoritas; quod ut facere respectu Dei dignemini, supplici-ter ecclesiæ vestræ deposcit universitas.

EPIST. CCXXXIX. JOHANNIS notarii ad R. principem & comitem Ric.

De fœdere Guelphi cum rege Siculo.

CArissimis dominis suis R. prin. & comiti R I c. Johannes notarius eorum fidelissimus, salutem & servitutis obsequia. Anno 1151.

Per omnia vobis fidelis existens, quæ scio vobis notifico, & in quibus possum servitium reddo. Sciatis itaque GUELPHUM domini regis CONRADI proditorem cum Siculo concordem esse, magnamque pecuniam ab eo accepisse, & clam ductu Cencii Frajapani & Gatagueti Romam transiit, homines tamen sui cum quatuor Saracenis & totidem dextrariis Romæ a senatoribus capti & dimissi fuere, qui litteras ex parte Siculi FRIDERICO duci Suaviæ, ENRICO duci Saxoniæ, BERTOLFO filio ducis Conradi, CONRADO duci de *Cebering* pro damno & guerra domini regis CONRADI deferebant, quibus commonebantur & rogabantur a Siculo, ut quæ illis Guelphus de suo proficuo diceret, facerent. Studeatis ergo filio regis & etiam domino regi CONRADO & fidelibus suis ista notificare, ut sint inde muniti, & illi capiantur, si fieri potest. Ceterum sciatis, quod Cencius Frajapane, quantum potest, vobis nocere studet, & papa ejus consilio, & hoc ita verum est, quod cardinales laudaverunt se coram C. Frajapane, & dixerunt se vos confudisse, & Græcos Venetiæ tamquam canes & massinos, ita ut nihil possitis nocere Siculo ex hac parte. Ipse papa nuntios misit ad Siculum pro vestro damno, si cum eo poterit quod vult perficere, & treugas cum eo habet usque ad quadrennium adhuc. Propterea in eo non confidatis, nec de vestris vos aut Græci ei tribuatis, quoniam totum illud amitteretis, & melius foret si sandalia pauperibus aut hominibus vestris dedissetis. Cum senatu igitur & populo Romano conveniatis, quoniam per illos, juvante Deo, vincere poteritis. Græci autem large distribuant sua, quoniam, dicente Salomone, *pecuniæ obediunt omnia.* Et Siculus in avaritia Græcorum confidit, idcirco tempore opportuno sua dispendit, ita & ipsi faciant, si vincere volunt.

EPISTOLA CCXL[illegible]ALDI abbatis ad Conradum [illegible].

Monet nihil ipsi esse vinrendum, & colloquium apud Cranaha *non esse prætermittendum, hostem denique esse persequendum.*

INclyto triumphatori, & magnifico domino suo CONRADO, Dei gratia Romano- Anno 1151.

rum imperatori augusto, frater VVIBALDUS eadem gratia id quod est in ecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Licet extra fines Saxonum longiuscule simus positi, & crebris eorum colloquiis interesse, non possimus, tamen cum omni studio & instantia sollicite inquirimus, ne forte adversus vestram quietem aliquid quoquomodo agatur. De quibus omnibus, licet capellanus vester Herebertus, qui nuper totam terram peragravit & universa subtiliter perquisivit, vestram possit plenius informare prudentiam: tamen vestræ celsitudini breviter suggerimus, quod nihil omnino sentire potuimus, quod vestram debeat magnanimitatem commovere. Non deerunt tamen aliqui, qui sub specie firmioris fidei, sub colore propensioris caritatis, quædam horribilia & grandia vestræ sapientiæ proponant, ut hoc tamquam piæ sollicitudinis & præmonitionis titulo emolumentum a vobis accipiant. Sed ingens illa prudentia, quæ ab omnium bonorum largitore vobis abundantius collata est, omnia probabit, & quod bonum est tenebit. Nulli vero assensum præbeat vestra majestas dehortanti, quod ad colloquium apud Cranaha non veniatis, quoniam principum vestrorum animi fatigarentur & quamdam argutæ conjecturæ materiam sumerent, quod eos suspectos haberetis, quos totiens vocatos videre non velletis. Veniatis autem sicut dominum & imperatorem decet, maxime cum colloquium breve futurum sit, & si cujus fides claudicare videtur, ita instaurabitis, ut si vobiscum in veritate non operatur, tamen ab inimicis vestris ei postmodum non facile credatur. Nullius autem suggestio, nullius blanditiæ, nullius etiam minæ vestram fortitudinem a proposito evertant, quin illum hostiliter invadatis & sub pedibus vestris conculcetis, qui totum imperium vestrum repletmendaciis, & in hoc non sapienter gloriatur, quod contra vos aliud velle vel posse agere existimatur. Per fratrem Johannem diligenter & fortiter admonebitis comitem HERIMANNUM, ut nobiscum efficacius agat, ne cogamur contra voluntatem nostram alia patrocinia quærere.

EPISTOLA CCXLI. WIBALDI abbatis ad H. archiepiscopum Bremensem.

Gratias agit quod suum visitaverit monasterium [illegible] ut longiorem apud fratres [illegible]iat, atque armarii codices [illegible]e futuro apud Mindam episcop[illegible]quio.

ANNO 1151. REverendo patri suo & domino H. sanctæ Bremensis ecclesiæ venerabili archiepiscopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devota servitia.

Gratum nobis valde est & dulce, quod monasterium nostrum intrare & fratres nostros visitare & consolari, nostrasque mansiones, quas pro hoc ipso cariores habemus, ingredi, ac nostrum studium laudare dignata est vestra sublimitas; sed hoc nobis gratissimum & omnino cordi est, quod ad easdem ædes venire, & longiorem inibi habitationem facere, atque armarii (a) nostri non [a] solum volumina, sed etiam schedulas evertere & perscrutari promisistis. Utinam vivamus, utinam videamus, utinam pace, quiete & otio frui valeamus, & in his studiis nos invicem exercere, exacuere, & aut doceri vel docere possimus, quæ vita tanto esset beatior, quanto esset ad videndum & promerendum propinquior, & ab hujus mundi cœnulenta voragine remotior. Venite igitur & pascite animam vestram, honorate sacerdotium, instruite clerum, firmate ordinem, propagate sacramentum. Sed hæc hactenus. De colloquio episcoporum, quod apud Mindam habere decreveratis, cui etiam nos propter privata negotia interesse vestra benignitate freti disposueramus, utrum futurum sit necne incerti sumus, pro eo quod dominum Patherburnensem & Monasteriensem non venturos illuc fore pro certo cognovimus. Causas equidem & intentionem conveniendi ex parte audivimus, & plurimum in CHRISTO lætamur, quod ignis, quem JESUS misit in terram, & voluit ut arderet in pectore vestro vehementer accensus est. Sed timemus & timendo dolemus, quod industriam vestram & animi fervorem præsentia tempora non ferant, pro eo quod Apostolus dicit: *omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ* JESU-CHRISTI. Quod si ignis, qui in corde vestro ardet, emicare cœperit, & splendorem ac scintillas emittere veremur, ne verius quam Elias dicere possitis, *relictus sum solus*. Proinde per præsentem nuntium & per litteras vestras de omni voluntate nostra super hac re certificari desideramus. De abbate Herseveldensi, qui apud nos est, vestrum beneplacitum intelligere optamus, quia non habere & tenere, sed nec etiam diligere aliquem volumus, qui vos & vestra ullo incommodi genere perturbet. Monete amicum vestrum comitem H. (b) diligenter & familiariter, ut [b] ipse ad depellendas injurias nostras, sicut a domino rege in mandatis accepit, efficacius intendat, quoniam & captivi nostri adhuc in vinculis tenentur, & malefactores nostri in suo castro morantur.

(a) Armarium in monasteriis erat locus in quo servabantur libri in claustro, prope capitulum, ut fratres qui lectioni in claustro vacare solebant, in promtu eos haberent.

(b) Hermannus Corbeiæ advocatum.

EPISTOLA CCXLII. VVIBALDI abbatis ad Henricum episcopum Mindensem.

Conqueritur de eo quod pacem oblatam & petitam accipere & dare noluerit.

Anno 1151. HENRICO Mindensi episcopo VVIBALDUS Corbeiensis abbas spiritu scientiæ & pietatis abundare.

Postquam a colloquio vestro ad monasterium nostrum regressi sumus, & tam fratribus nostris quam aliis fidelibus Corbeiensis ecclesiæ, quæ apud *Hamele* gesta sunt, intimavimus, valde mirati sunt & doluerunt, quod Corbeiensis ecclesia, quæ vos aliquanto tempore & educavit & erudivit, in nostra persona tantum sit a vobis despecta & tam indiscrete tractata. Siquidem mandaveratis nobis primo per præpositum ecclesiæ nostræ, deinde secundo per Henricum sacerdotem, quod ad pacificum colloquium nos vocaretis, & causam nostram, quæ inter vos & nos jam etiam anno fere quarto non absque fatigatione magna tractatur, benigno fine terminaretis. Hoc ipsum cum ad vos venissemus in conspectu totius multitudinis, sicut dignitatem vestram decuit, confessus fuistis, sed finis ostendit, quod non ita in opere sicut in sermone exhibuistis. Nam cum tam veraciter quam humiliter innocentiam nostram probavissemus, & de offensa vestra sive jure sive injuria concitata esset, vobis satisfactionem præberemus, non solum non recepistis, sed totum consilium & verbum vestrum in ore laicorum, cum de causa canonica ageretur, posuistis, eorum scilicet, qui personam nostram gravibus contumeliis affecerunt, & bona ecclesiæ nostræ violenter & per sacrilegium diripuerunt; quorum vos communionem immo familiare contubernium & colloquium atque consilium, sicut ecclesiastica docet disciplina, non devitastis. Nos qui scripseramus vobis, quod ad pacem veniremus, hoc habentes in corde quod habuimus in ore, pacem vobis obtulimus & opere & veritate, sed quia pax nostra non respondit vobis, poteramus jure nostro pro multis gravaminibus nostris appellasse, nihil verentes quod hoc nobis posset accidere, quod vestro abbati de insula in sua appellatione contigit. Solent enim laici vestri districtis gladiis de appellationibus, quæ ad dominum papam sunt, judicare, qui nunc in colloquio vestro duces verbi tui fuerunt, ut in nobis compleretur, quod per Moysen dictum est: *Et inimici nostri sunt judices.* Illi ipsi vestri homines, vestri parrochiani nobis ad vos pacifice tendentibus, & de vestro secreto conductu nobis firmiter promisso confidentibus, nocere tam in persona quam in rebus A voluerunt. Propterea non est consilium ecclesiæ nostræ, ut ad consilium vestrum, sicut condictum fuerat, veniamus, præcipue ne excusationem apud dominum regem habeatis, quod pro causa nostra ad curiam ipsius, ad quam jam tertio ex coæqualium vestrorum judicio vocatus estis, venire supersedeatis. De injuriis vero & damnis, quæ nobis ex vestro mandato a vestris inferuntur, videat Deus & judicet, & nos qui hactenus tacuimus & patientes fuimus, tum pro persona reverentiæ vestræ, tum pro honore ecclesiæ vestræ, quasi parturientes loquemur, & ea quæ pertulimus, vidimus & audivimus in ecclesia Romana annuntiare curabimus. Siquidem in verbo nostro nulla potuit inveniri tergiversatio, cum electorum judicum, a quibus appellare non licet, sententiam subire vellemus, domini videlicet & patris nostri carissimi Patherburnensis episcopi, nec non reverendi Monasteriensis episcopi, atque dilectissimi nostri Osnabrugensis episcopi.

EPISTOLA CCXLIII. VVIBALDI abbatis ad H. archiepiscopum Moguntinum.

Folcuinum de Sualemberch de ipso & episcopo Patherburnensi conquerentem ac tandem obedientem orat ut absolvat.

Anno 1151. REverendissimo in Christo patri suo & domino H. (a) venerabili sanctæ Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium. [a]

Multiplices gratiarum actiones vestræ dignationi referimus, quod nos & liberaliter hospitio recipere, & per vestros humanissime honorare non abnuistis. Nos quoque pro facultate nostra nec immemores nec ingrati fuimus, sed cum omni studio ac diligentia ad completionem vestræ voluntatis & amicorum vestrorum provectum assurreximus & institimus. Cujus laboris fructum vos in vestrorum emolumentis & promotione jam adeptum fuisse inter præcipua gratulamur. Excellentiæ vestræ suggerimus, quod Folcuinus de *Sualemberch*, multas & amplas possessiones habet a Corbeiensi ecclesia, & tam ipse quam pater quondam suus Widekindus fideliter ac familiariter prædecessoribus nostris ac nobis, tum propter vicinitatem, tum propter industriam suam servire consueverunt. Veniens igitur ad nos idem Folcuinus post reditum nostrum a curia, gravem querelam non solum nobis, sed universis episcopis Saxoniæ & aliis principibus deposuit de domino & patre nostro venerabili

(a) Henrico cognomento Fideli viro pio, ad quem extat S. Bernardi epistola 323.

B. Patherburnensi episcopo ; quod cum dominus episcopus & pastor animæ ipsius existat, cum de grege suo & ovili suo sequestraverit, & alieno judicio contra canones, contra leges, contra morem exposuit, cum se asserat natum & renatum, & synodaliter subjectum Patherburnensis ecclesiæ, & uxorem potius in sua jura per matrimonium transire, quam ipsum in fœminæ leges migrare debuisse, etsi conjux non esset, tamen ad forum rei potius quam ad petitoris agi oportuisse. Porro de vestra sublimitate multa conquestus est, quod cum in causa ipsius judex fueritis, multa & in multis gravamina sit perpessus, & dum se adjustitiam exequendam paratus esset exhibere, ab armatis fuerit invasus, & tam vitæ quam honoris sui periculum sustinuerit. Nos itaque adhibito prudentium ac religiosorum virorum consilio, exasperati animi tumorem delinire & componere studuimus, ut Christianam humilitatem reciperet, & legibus divinis ac vestris & episcopi sui mandatis devotius obtemperaret. Quod usque adeo, Deo prosperante, promotum est, ut domino nostro Patherburnensi episcopo juxta consilium nostrum obedienter & humiliter de omni murmuratione & quadam quasi rebellione, quam adversus ipsum habuerat, satisfaceret, & ad promerendam absolutionem, atque ad recipiendam more Christiano legitimam uxorem festinaret. Proinde venerabilem nobis celsitudinem vestram attente rogando monemus, ut quia prædictus noster venerabilis Patherburnensis episcopus sanguini & carni suæ non pepercit, & vobis tamquam patri suo reverenter, ut justitia in suo ordine procederet, cessit, preces benigne admittatis, & prædictum Folcuinum clementer suscipiatis, & cum ad partes nostras appropinquare cœperitis, uxore ipsius vobiscum adducta, & sibi restituta, cum sanctæ communioni paterne restituatis.

EPISTOLA CCXLIV. HENRICI episcopi Mindensis ad Wibaldum abbatem.

Purgat se ab objectis sibi supra a Wibaldo.

Anno 1151. HENRICUS Dei gratia Mindensis episcopus, WIBALDO Corbeiensi abbati, tam pietatis quam scientiæ repleri spiritu.

Rescribimus fraternitati vestræ, urgente caritate, quæ omnia suffert, non terrore minarum, quas austerius, quam deceat, intentatis. Confidimus enim in ecclesia Romana vel in curia regis innocenti præjudicium non fieri, lædentem potius quam patientem sententia judiciaria mulctari. Nos a vobis læsi dicimur læsisse, cum Deus mihi A testis sit, numquam me, numquam meorum aliquem mea voluntate seu consilio vel auxilio vobis nocuisse, sed tantum de injuriis nobis illatis fraternam satisfactionem expetivisse. Corbeiensem ecclesiam, quæ me & educavit & erudivit, neque prorsus despexi, neque indiscrete tractavi, sed veneror & venerabor, injuriarum nostrarum solummodo satisfactionem, sicut expetivi, expeto. Quod vobis per præpositum Adalbertum, per sacerdotem Henricum in sermone mandavi, complessem & opere, si satisfactionem, quæ nostris fidelibus immo & B quibusdam vestris plenaria videretur, obtulissetis. Consilium nostrum & verbum de causa canonica non in ore laicorum posuimus, sed pacis componendæ gratia clericorum ac laicorum fidelium, sicut & vos, usi sumus consilio. Violentis & sacrilegis res ecclesiæ diripientibus nec communicavi, nec communico, quos etiam, si manifestos cognovero, ut inimicos Dei devito. Filii pacis sumus, pacem vobis obtulimus ore, servavimus in corde, pacem quæsivimus, pacem quærimus, nullo vos gravamine gra- C vavimus: unde nec appellatione indiguistis, qua si indigeretis, non verentes appellare, poteratis tanto quidem armatorum cuneo stipatus, ut non facile cederetis etiam præpotenti. Verum nec armatura etiam pro defensione appellationis indiguistis, quia licet vos hoc dicatis, non solent nostri districtis gladiis de appellationibus, quæ ad dominum papam sunt, judicare. Laici duces verbi nostri nec sunt, nec fuerunt, nec inimici vestri judices exstiterunt, præsertim cum ibi nullum fuerit exhibitum judicium, sed tantum de pace componenda consilium D habitum. Nostri homines, nostri parrochiani vobis ad nos tendentibus, si personæ vestræ, si rebus vestris nocere voluerint, testor Deum, quia penitus ignoravi. Conductum nostrum sicut poposcitis transmisi, & quia terminari ea die causa non potuit, omnibus ad sua remeare volentibus, quos tardior hora protraxerat, præfixa die secundum beneplacitum utriusque partis, qua item ad pacem componendam conveniremus, cum conducto nostro in pace vos dimisi. Injurias & damna nec voluimus nec mandavimus vobis inferri, videat Deus & judicet. Pa- E tientiam vestram, quam prætendistis, omnino non experti sumus, sed injurias immo veteribus novas addidistis, quas quilibet in textu scripti vestri poterit legere & audire. Pro eo quod quasi parturientem loqui vos minamini; parcat vobis Deus, & obstruat os loquentium iniqua. Certe noveritis nullius majestatis audientiam, nullius dignitatis præsentiam me reformidare, quia testis est mihi, me simpliciter ambulare.

A

EPISTOLA CCXLV. WIBALDI abbatis ad Henricum Mindenſem epiſcopum.

Reſponſio ad præcedentem.

Anno 1151. DOmino H. venerabili Mindenſi epiſcopo, VVIBALDUS Dei gratia Corbeienſis abbas, magni conſilii angelum.

Ex litterarum veſtrarum tenore cognovimus, quod offenſa ſit veſtra ſublimitas ex litteris noſtris, quas proxime ad vos direxeramus, quæ duriores & aſperiores veſtræ intelligentiæ viſæ ſunt, quam mediocritatem noſtram ſcribere conveniſſet, & veſtram celſitudinem accipere decuiſſet. Quod eruditio veſtra ſciat eo conſilio factum eſſe, ut quoniam humiliter & pacifice multotiens vobis ſuper eodem negotio ſcripſeramus, & nec ſermonem pacificum, nec pacis effectum receperamus, certa tandem eſſet veſtra prudentia, quod judicem nos adire neceſſitas cogeret extrema. Abſit enim a noſtræ humilitatis propoſito, ut pontificalem excellentiam maxime in perſona monaſticæ religionis quoquam temerario vel contumaci eloquio impetere præſumamus. Verum quoniam eædem litteræ veſtræ nihil certi, nihil finitivi ſuper cauſa noſtra continebant, nos quoque ſicut nihil determinati, ita nihil novi veſtræ magnitudini potuimus reſcribere, cum vobis & eccleſiæ veſtræ viva voce tam per nos quam per honeſtos & magnos & plurimos interceſſores frequenter & inſtanter obtuliſſemus, quidquid ad ſatisfactionem perſuadere humilitas, quidquid ad correctionem poterat dictare juſtitia. De quibus omnibus, ſi aliquod capitulum eligere & nobis ſignificare vobis complacuiſſet, ſicut in offerendo fuimus devoti, ita in exhibendo eſſemus parati. Et hoc eruditio veſtra indubitanter potuit advertere, quod in verbo & promiſſo noſtro nullatenus erat tergiverſatio, cum electorum judicium, a quibus appellare non licet, ſententiam ſubire vellemus, domini videlicet & patris noſtri Patherburnenſis epiſcopi, necnon reverendi Monaſterienſis epiſcopi, atque dilectiſſimi nobis Oſnabrugenſis epiſcopi. Diem vero colloquii, quæ interpoſita erat, nullatenus obſervare poſſumus, quia cum abſque miſericordia a vobis receſſerimus, de cauſa noſtra apud quaſdam magnas perſonas agere tempore indicti colloquii diſpoſuimus, quod ideo a noſtris mediatoribus ſcienter ordinatum eſt, non ut obſervaremus, ſed ne a vobis indecenter & tamquam hoſtiliter recederemus.

B C D E

EPISTOLA CCXLVI. HENRICI epiſcopi Mindenſis ad Bernardum epiſcopum Patherburnenſem.

De cauſa quæ ipſum inter & abbatem Corbeienſem vertebatur.

VEnerabili domino ſanctæ Patherburnenſis eccleſiæ epiſcopo BERNARDO HENRICUS per miſericordiam Dei id quod eſt in eccleſia Mindenſi, fidelis obſequii devotionem & orationes in Chriſto aſſiduas. Annotat.

Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, ſic & virtus & benignitas, fideique veſtræ conſtantia circa nos habita, cum de cauſa domini abbatis Corbeienſis & noſtra tractaretur, non fuit abſcondita & obumbrata, ideoque ſublimitati veſtræ debitas, & condignas gratiarum actiones referimus, & obſequii noſtri devotionem ad honorem veſtrum propenſius impendere parati ſumus. A principio hujus diſcordiæ veſtrum ſecuti ſumus conſilium, & cum præfinitum tempus & a vobis conſtitutæ advenirent induciæ, conſilium veſtrum nobis erat recipiendum & tenendum, & nihil aliud in corde & opere de præfato negotio machinati ſumus, niſi quod honeſto fine & laudabili concluſione omnis controverſia per conſilii veſtri diſpoſitionem deberet terminari. Dum vero meorum fidelium conſilio ad ea, quæ erant pacis & caritatis me præparem, dominus abbas Corbeienſis veſter amicus duris ſcriptis & aſpera invectione nos eſt aggreſſus, per quod dignitas & reverentia veſtri nominis, ſi nobiſcum ſentitis, nihilominus eſt læſa & fauciata, quia infra datum & a vobis conſtitutum terminum nulla moleſtia, nulla minarum aſperitate nos debuit conturbaſſe. Super his igitur, ſicut ipſi ſcitis, honorem veſtrum providete, & ea quæ nobis fuerint ſalubertima, & ad honorem magis ſpectantia, ſicut de caritate veſtra confidimus, per præſentem nuntium & per veſtra ſcripta conſulite.

EPISTOLA CCXLVII. BERNARDI epiſcopi Patherburnenſis ad Henricum Mindenſem.

Declarat ſe paratum eſſe tractatum pacis ipſum inter & abbatem Corbeienſem reſumere.

VEnerabili domino HENRICO ſanctæ Mindenſis eccleſiæ epiſcopo, B. Patherburnenſis eccleſiæ, id quod eſt fraterni obſequii & orationis ſuæ fidelem exhibitionem. Annot.

Quia quæ pacis ſunt ſectari jubemur, & pacificis æterna beatitudo promittitur: idcirco pacis & bonæ compoſitionis ſtudio ad

sopiendum discordiæ malum, quod inter vos & abbatem Corbeiensem revera amicum nostrum est natum, & cum accessu temporum est augmentatum, cum fratribus nostris laborem nostrum impendimus. Cui licet speratus effectus minime acceserit, tamen quia hunc vestra nobis recognoscit dignatio, valde gaudemus, & ad ipsum, si expedierit, resumendum efficimur promtiores. Consilium autem sanius eo, quod *Hamele* vobis intimavimus, fratribus nostris Hildeneshemensibus præpositis in eo ipso nobis assentientibus, nunc invenire nequimus, in quo omnium nostrum honori sufficienter provisum esse existimavimus. Vestræ igitur discretionis sagacitati deliberandum relinquimus, vobisque familiaribus scriptis insinuandum, si vel tunc propositam vel aliam competentem reconciliationis viam sustinere dignemini. Quod si a vobis sine ambiguitate cognoverimus, ne videlicet labor noster fiat irritus, si iterato eum assumserimus, ut dominus abbas ad locum, ad quem turus ei sit accessus, vobis occurrat, & ut dissensio præsens honestum finem accipiat, quantum poterimus fideliter laborare non cessabimus.

A

B

C

EPISTOLA CCXLVIII. VVIBALDI abbatis ad suos Stabulenses.

Paternum eis demonstrat affectum, seseque excusat quod ad eos citius non sit reversus.

Anno 1151. FRater VVIBALDUS Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus, Roberto venerabili decano & ceteris dilectis filiis Stabulensis ecclesiæ, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Meminit dilectio vestra, quanta vigilantia, quanta dilectione in sublevandis & promovendis rebus dilectæ matris nostræ Stabulensis ecclesiæ semper intenti fuerimus; quod etiam deinceps non segniori instantia, in quantum Deus laboribus nostris adesse dignabitur, faciemus. Nam quod ad sublevandas necessitates vestras, mox, ut a servitio domini regis & curia expediti fuimus, transire ad vos distulimus, impedierunt, nos multiplices curæ & gravissimi labores, quos in Corbeiensi ecclesia suscepimus, ad quam vestro consilio & vestra licentia secundum divinam ordinationem pervenimus, in qua etiam a primo ingressu nostro in laboribus hominum fuimus, & cum hominibus flagellati sumus. Labores quos in eadem ecclesia graviores sustinemus, sunt de ecclesia Kaminatensi, de quibus ex parte fraternitas vestra audivit, in quos ex communi fratrum & fidelium ecclesiæ sententia in innocentia nostra ingressi sumus, sed duras tribulationes pro eodem capitulo sustinuimus, dum ad perficienda, quæ inchoavimus, & ad retinenda eadem bona ecclesiæ devote ac fideliter assistimus, nec ab ea hoc tempore salvo honore nostro aliquatenus recedere possumus, nisi eam in maximis perturbationibus deserere velimus, quod nec vestram fraternitatem velle credimus, nec nostræ honestati congruum scimus. Proinde nobis dilectissimam fraternitatem vestram rogamus, ut moram nostram & absentiam æquanimiter, quemadmodum sæpius consuevistis, ut dilecti filii sufferatis, & defectus nostros in ea caritate, qua nos diligitis, patienter tolleretis, & maxime his diebus festis, in quibus major concursus populi & major frequentia apud vos esse solet, ne alicui paupertas vestra appareat, diligentius caveatis. Ceterum præpositum vestrum & cellerarium & ante exitum nostrum a vobis viva voce & postmodum per litteras nostras studiose commonuimus, quatenus cum omni diligentia curarent, ne aliquam negligentiam in præbenda vestra patiamini, quam commonitionem nostram si bene servaverunt, non parvam gratiam sibi apud nos collocaverunt: si autem neglexerunt, non modicum nostram benevolentiam offenderunt. Mandavimus præterea decano, ut, si illi neglexerint, ipse tamen non negligat, ac de communi consilio sive de rebus ecclesiæ sive undecumque possit, si ita necesse fuerit, usque ad reditum nostrum defectus vestros suppleat. Ante omnia autem unanimitatem vestram intime monendo rogamus, ut benevolentia illa, qua nos sæpe portastis, etiam nunc defectus vestros & moram nostram ferre curetis: quatenus in adventu nostro ad subveniendum necessitati vestræ tanto promtiores & alacriores nos inveniatis, quanto benigniores interim nobis in patientia vestra exhibueritis. Obsecramus etiam universitatem vestram, ut omnipotentis misericordiam super nos & vestram atque Corbeiensem ecclesiam attentius invocare studeatis, ut ille pater pius, qui visitat in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra, misericordiam tamen suam a nobis & ab ecclesiis suis non dispergat.

D

E

EPISTOLA CCXLIX. CONRADI imperatoris ad Henricum Saxoniæ ducem.

Ut Corbeienses monachos Kaminatensi ecclesiæ gaudere faciat.

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. duci Saxoniæ gratiam suam & omne bonum. Anno 1151.

Recordatur nobilitas tua, quod sæpe post reditum nostrum de Jerosolymitana expeditione diligentiam tuam monendo rogare-

mus, quatenus Corbeiensem ecclesiam & A fidelem nostrum ejusdem ecclesiæ abbatem in defensandis & conservandis bonis Kaminatensis ecclesiæ adjuvares. Volumus etiam industriam tuam meminisse, quoniam advocatiam Kaminatensem, quam a nobis habueras, ex vestra petitione de manu Corbeiensis abbatis recepisti, unde ad protegenda eadem loca plus ei debitor esse cœpisti. Ea propter nobilitatem tuam iterum attente monendo rogamus, ut Thiedericum de *Rekelinge* & filios ipsius de injuria & contumelia, quam præfato abbati in eisdem bonis irrogant, coerceas, & fratres B monachos, quos illi jam secundo ejecerunt, clementer in eodem monasterio recolligas, ac Deo ibidem servire facias. Hoc quoque tuæ prudentiæ notum sit, quod domina illa de Jesika, quæ bona Kaminatensis ecclesiæ dissipavit, & adhuc dissipare non cessat, ex nostra permissione nequaquam intravit: immo satis miramur tuam & aliorum principum prudentiam, cur talem fœminam bona, quæ ad servitium Dei ecclesiæ collata sunt, cum vanis hominibus deperdere & disperdere permittitis. Contra C cujus perversitatem & invasionem, qua ecclesiam invasit, si homines abbatis aliquid egerint, nihil contra jus fecisse videntur, quia, quod nulla lege prohibetur, vim vi repulerunt, ideoque judicamus potius vindictam redundare in malefactores, quam in vindicatores. Omnimodis ergo diligentiam tuam rogamus, ut præfato abbati in conservandis ejusdem bonis strenue assistatis, hoc profecto sciturus, quod si benignus ei pro nostra petitione fueris, nos benignos in tui & amicorum tuorum causis & petitionibus experieris.

D

EPISTOLA CCL. CONRADI imperatoris ad Wibaldum abbatem.

Ut Corbeiæ remaneat usque ad festum S. Jacobi.

Anno 1151. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO abbati Corbeiensi gratiam suam & omne bonum.

Quoniam tuæ discretionis consilium in quibusdam negotiis nostris tractandis ne- E cessarium habemus, rogamus te, ut circa Corbeiam usque ad festum S. Jacobi permaneas, & legatum tuum idus Julii *Rothenburg* ad præsentiam nostram dirigas, per quem voluntatis & propositi nostri certitudinem tuæ dilectioni demandabimus.

EPISTOLA CCLI. EUGENII papæ III. ad VVibaldum abbatem.

Ut Godeboldum canonicum Mindensem excommunicet, nisi ablatam Everardo ecclesiam de Hemeringen *restituat.*

Anno 1151. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio VVIBALDO Corbeiensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Lator præsentium Everardus jam quinquies ad nostram accessit præsentiam. Pro quo siquidem venerabili fratri nostro H. Mindensi episcopo per scripta nostra præcipiendo mandavimus, quatenus Godeboldum canonicum suum districtius commoneret, ut ecclesiam beati P. de *Hemeringen*, & alia per se vel per submissas a se personas prædicto Everardo ablata infra viginti dies post susceptionem nostrarum litterarum cum integritate restitueret, & eum de cetero in pace possidere permitteret. Si vero infra terminum prædictum monitis ejusdem episcopi obedire contemneret, ex tunc ipsum ab ecclesiarum introitu duximus removendum, nec postea deberet absolvi, donec pro excessibus suis satisfacturus nostro se conspectui præsentaret. Sed sicut ejus repetita querimonia indicat, nihil horum est effectui mancipatum, nec ad nos venit, nec aliquam excusationem prætendit, quare pauperem illum tantis oppressionibus aggravaret. Quia igitur oppressionibus & laboribus ejus valde compatimur, & tantam contumaciam prætermittere non possumus impunitam, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus prædictum Godeboldum districte commoneas, ut ecclesiam ipsam & ablata per se & alium in integrum infra viginti dies, postquam a te commonitus fuerit, eidem Everardo omnino restituat, & de cetero eum pacifice possidere permittat. Quod si facere contemserit, ex tunc ipsum Godeboldum excommunicatum publice denunties, nec a vinculo excommunicationis possit absolvi, donec pro tanta rebellione veniat ad nostram præsentiam responsurus. Quidquid autem exinde a te fuerit factum, & modum ipsius negotii nobis litteris quam citius studeas intimare. Datum Albani x. Kal. Julii.

EPISTOLA CCLII. VVIBALDI abbatis ad Godebaldum canonicum Mindensem.

Ut ablatam Everardo ecclesiam de Hemeringen, *ei restituat, alioquin excommunicatum a solo papa absolvendum denuntiat.*

Anno 1151. WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, Godeboldo Mindensi canonico, magni consilii angelum.

Reverendus

Reverendus pater & dominus noster papa EUGENIUS, parvitati nostræ per scripta sua injunxit, ut te commoneamus, quatenus ecclesiam beati Petri *de Hemeringen*, & alia per te vel per submissas personas latori præsentium Everhardo ablata infra viginti dies post acceptam admonitionem nostram cum integritate restituas, & eum de cetero in pace possidere permittas. Quod si facere contempseris, ex tunc te excommunicatum publice denuntiamus, nec a vinculo excommunicationis posse absolvi, donec pro tanta rebellione venias ad domini papæ præsentiam responsurus. Eam commonitionem, sicut jussi sumus, tibi per præsentia facimus, & insuper exemplum litterarum domini papæ, quas pro hac causa nobis scripsit, tibi considerandum transmisimus: hortante in Domino fraternitatem tuam, ut famæ & quieti tuæ providens, & prædicto Everhardo satisfacere & reconciliari non negligas. Arripe occasionem, & fac de necessitate virtutem. Sciat dilectio tua, quod nos ista non quæsivimus, sed non obedire nequaquam possumus: & sicut tibi, ita & nobis durum est contra stimulum calcitrare.

EPISTOLA CCLIII. EUGENII papæ III. ad VVibaldum abbatem.

Laudat ejus in Romanam ecclesiam zelum, atque in ejus gratiam scribit Mindensi episcopo & Bremensi archiepiscopo.

Anno 1151. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio WIBALDO Corbeiensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Litteras dilectionis tuæ debita benignitate suscepimus, & quia pro matre tua sancta Romana ecclesia, tamquam devotus filius attentam sollicitudinem geris, gratum nobis est, & devotionem tuam in Domino collaudamus. Pro Kaminatensi vero ecclesia, sicut rogasti, & eis qui bona ejus auferre dicuntur, Mindensi episcopo scripsimus, sed pro causa, quam nobis tuis litteris intimasti, reconciliari non debet, quoniam nec violentia nec pravo studio contigit. Bremensi quoque archiepiscopo juxta petitionem tuam pariter scripsimus, & in ceteris, in quibus secundum Deum possumus, tuas preces libenter admittimus. Colonienſi autem archiepiscopo idcirco nostra scripta non misimus, quia venientis ad nos plenitudinem sui officii minime reportavit. Tua igitur interest, carissime fili, ut de honore ac profectu ecclesiæ Dei & regni, sicut bene cœpisti, ita effectu prosequente invigiles, quatenus & beati Petri gratiam & nostram merearis benevolentiam ampliorem. Data Albæ VIII. Kal. Julii.

EPISTOLA CCLIV. EUGENII papæ III. ad Henricum Mindensem episcopum.

Kaminatensem ecclesiam propter inopinatum casum & mortem cujusdam monachi reconciliatione non indigere, & ut ablata eidem ecclesiæ restitui faciat.

Anno 1151. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, H. venerabili fratri Mindensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras, quod Kaminatensis ecclesia, pro eo, quod quidam monachus, dum resarciret ipsius ecclesiæ tecta, casu corruerit, & ita sine sanguinis effusione obierit, per unius fere anni spatium a divinis feceris cessare officiis, & eam reconciliare disponas. Sed si res se ita habet, nec violentia nec pravo studio contigit, nulla ratione videmus, quod eadem ecclesia propter hoc reconcilianda sit, vel a divinis debeat cessare obsequiis. Præterea fraternitati tuæ mandamus, quatenus Thidericum *de Ricklinge*, Reimbertum quoque & Thidericum ipsius filios, qui prædia ipsius ecclesiæ contra justitiam invasisse & illicite detinere præsumunt, districte commoneas, ut si hoc verum esse constiterit, easdem possessiones ecclesiæ ipsi restituant, & ab infestatione ipsius loci omnino abstineant, quod si commonitioni tuæ obedire contemserint, canonicam de eis justitiam facias.

EPISTOLA CCLV. EUGENII papæ III. ad H. Bremensem archiepiscopum.

Commendat ei VVibaldum abbatem, & ut ablata Kaminatensis ecclesiæ prædia restitui faciat.

Anno 1151. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, H. venerabili fratri Bremensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Episcopalis officii est, venerabilia loca & personas diligere, & eas in suis necessitatibus confovere. Ideoque confraternitatem tuam pro dilecto filio nostro VVIBALDO Corbeiensi abbate duximus exorandam, quatenus eum fraterna caritate honores & diligas, & prædia Kaminatensis ecclesiæ, quæ in tuo episcopatu consistunt, maxime illa, quæ abbatissa JUDITH post depositionem suam alienare præsumsit, recuperare & manutenere pro tui officii debito adjuves.

EPISTOLA CCLVI. CONRADI imperatoris VVibaldo abbati.

Ut ad Romanam legationem se disponat.

Anno 1153. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Corbeiensi abbati, gratiam suam & omne bonum.

Postquam a nobis recessisti, fideles nostri de curia Romana sæpius nos tum per scripta, tum per privata colloquia sua commonuerunt, ut nuntios nostros ad dominum papam & in Urbem pro regni negotiis ordinandis, dirigamus. Dominus quoque papa in litteris suis, quas novissime ad nos transmisit, asserit se nuntios principales, quemadmodum jam altera vice in litteris nostris promisimus, expectare, qui inter nos & ipsum de provectibus ecclesiæ & regni promovendis efficaci consilio proficiant. Quoniam vero virtus tua in negotiis ecclesiæ & regni exercita enituit, & de tuo circa nos caritatis affectu certi sumus, regni utilitas poscit, & nostra voluntas ordinavit, ut nostræ dilectionis obtentu, una cum cancellario nostro legationis hujus laborem assumas. Rogamus igitur obnixe, ut in Nativitate beatæ Mariæ ita præparatus *Nuremberch* venias, ut in legatione illa peragenda procedas. De injuria vero de Mindense episcopo & Thederico tibi illata, quid fecerimus, Heribertus capellanus noster plenius tibi referet.

EPISTOLA CCLVII. EUGENII papæ III. ad Conradum imperatorem.

Gratam habet ejus legationem, in qua res ecclesiæ & regni firmentur. Morbacensis monasterii negotium commisisse se episcopo Lausanensi, & de Ottone qui clerici nasum amputaverat.

Anno 1151. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio CONRADO, illustri & glorioso Romanorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

Quod per sublimes legatos matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam, sicut ex primis & secundis litteris excellentiæ tuæ percepimus, ex communi consilio principum regni tua destinavit serenitas visitare, ut cum eis de statu & utilitatibus ecclesiæ Dei ac regni tractare & ordinare possimus, nobis & fratribus nostris gratum est & acceptum. Et quoniam eorumdem legatorum præstolaremur adventum, nostros quoque legatos jam diu, sicut credimus, ad tuæ nobilitatis industriam misissemus; desiderium siquidem nostrum est, ut ea inter ecclesiam & regnum, quæ a prædecessoribus nostris & tuis statuta sunt, inter nos & majestatem tuam ita Domino auxiliante firmentur, quatenus sponsa Dei universalis ecclesia suo jure quiete fruatur, imperium debitum robur impediat, & christianus populus jucunda pace & grata tranquillitate lætetur. Negotium vero Morbacensis monasterii, unde nos attentius exorare voluisti, antequam ad nos tuæ regales litteræ perveniissent, venerabili fratri nostro Lausannensi episcopo, de cujus utique prudentia, & honestate valde confidimus, communicato fratrum nostrorum consilio discutiendum & terminandum commiseramus. Unde visum est nobis & fratribus nostris æquitati fore contrarium, si in causa ipsa, altera parte absente, inpræsentiarum modis aliquibus procederemus, sed ad eumdem fratrem nostrum negotium ipsum direximus, qui tamquam vir discretus & prudens, & in regularibus disciplinis per longum temporis spatium eruditus, enormitates monachorum ejusdem loci salubriter corrigeret; & causæ ipsi canonicum finem, Deo auxiliante, imponeret. De cetero autem Ottonem illum, qui postposita Dei reverentia, nasum cujusdam clerici ausu nefario amputasse minime formidavit, nisi satisfacturus de tam gravi excessu apostolico conspectui se repræsentet, absolvendi ab excommunicatione consilium habere nequaquam potuimus, in quem nimirum vigor regiæ potestatis prius debuit acrius exarsisse, quam ad aures nostri apostolatus querela tanti facinoris perveniisset.

EPISTOLA CCLVIII. H. NOTARII ad Wibaldum abbatem.

Cur brevius ei scribere soleat.

Anno 1151. DOmino suo WIBALDO Corbeiensi abbati H. regiæ curiæ notarius servitium servi.

Arguit me prudentia vestra, quod breviter vobis scribere consuevimus. Unde paternitas vestra non miretur, sive enim præsenti, sive absenti vobis loqui cœpero, impeditioris & tardioris linguæ, & pene mutus efficior. Quem enim indeficiens eloquentiæ vestræ torrens non deterreat? Est & alia causa, quæ succincte me vobis loqui compellit: multa quidem intelligo, sed quia ad utrumlibet scilicet ad esse vel non esse se habent, & de nullo certum vos reddere possum, superficie verborum serenitatem animi vestri pulsare reformido. In gratia, quam super fratre meo mihi promisistis, confisus, eumdem ad respectum gratiæ & dominationis vestræ transmitto. Theodericus *de Rielinge*, in præsentia domini regis de injuria, quam vobis intulit, graviter pulsatus, & a rege multum increpatus promisit, ut pro respectu

gratiæ vestræ recuperandæ de cetero vobis servire velit.

EPIST. CCLIX. G. CARDINALIS ad VVibaldum abbatem.

Laudat ejus in Romanam ecclesiam zelum, &c.

Anno 1151. G. Dei gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis, dilecto ac venerabili fratri VVIBALDO Stabulensi abbati, salutem & dilectionem.

Comparata nobis vestræ dilectionis in brevi collocutione notitia, & probitatis & industriæ vestræ multis argumentis nobis probata experientia, ita animum nostrum vestræ fraternitati reddidit affabilem & benignum, ut sim ego unus, quo cum omnia ut vobiscum tutissime loqui possitis, vel si quid est, quod constitutæ inter nos amicitiæ vel brevitate temporis, vel non adhibita hucusque verborum sponsione videatur deesse, id sine dubio suppleri credatis fervore dilectionis & indissolubili vinculo caritatis. Affectuosam vero sollicitudinem, quam erga matrem vestram sanctam Romanam ecclesiam usque modo vos habuisse & assidue habere litterarum vestrarum series nobis manifeste declarat, debito benignitatis favore laudamus, & filialem devotionem vestram solito pietatis officio matri vestræ sanctæ Romanæ ecclesiæ subsidiaria ferre obsequia vera in Domino caritate rogamus. Illud vero quod a domino CONRADO serenissimo rege per quasdam religiosas personas præquisitum fuisse significastis, sciatis de domini papæ voluntate vel conscientia nullatenus processisse, præsertim cum sciamus hominem illum, de quo mentionem fecistis, nihil honorificentiæ regii culminis exhibuturum nisi adventum regium in Tuscia vel in Romania jam certo certius persentiret, nec Romanæ ecclesiæ expediret, ut ea exclusa tales personæ super tanto negotio convenirent. Sed si ad partes Italiæ, regium culmen divina providentia traxerit, tunc sancta Romana ecclesia commode & honeste se interponere poterit, & domino nostro regi CONRADO preces & quasi violentiam inferendo, illum vero minis & terroribus conveniendo, quidquid pium, quidquid sanctum, quidquid regiæ magnificentiæ dignissimum fuerit, sine ulla dubitatione poterit terminari.

EPISTOLA CCLX. VVIBALDI abbatis ad Conradum imperatorem.

Excusat se a suscipienda propriis sumtibus legatione Romana.

Anno 1151. INclyto triumphatori domino suo CONRADO, Dei gratia glorioso Romanorum imperatori augusto, frater VVIBALDUS eadem gratia id quod est in ecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Venit ad nos Corbeiam capellanus vester HERIPERTUS cum vestræ dignationis litteris, quæ hoc continebant, quatenus in Nativitate sanctæ Mariæ *Nurembergæ*, ad vestræ celsitudinis præsentiam veniremus ita expediti & parati, ut cum cancellario vestro legationem vestram ad dominum papam & ad Urbem perferremus. Et licet nos multas injurias & gravia damna non solum toto præterito anno, sed etiam ad præsens in contumeliam regni & nostram sustineremus, tamen jussionibus vestris tam ex debito, quam ex devotione obtemperare studuimus, & in vigilia beati Laurentii de Corbeiensi monasterio egressi, magnis itineribus versus ecclesiam Stabulensem tetendimus, quæ multis rapinis, incendiis & aliis vexationibus conquassata, & attrita erat propter dissensionem, quæ fuit inter Leodiensem episcopum & advocatum ecclesiæ nostræ & comitem de Monte-acuto. Venientes itaque Coloniam ad venerabilem cancellarium vestrum multa familiariter ac diligenter contulimus de opportunitate itineris nostri, de utilitate legationis nostræ, & non videbatur nobis pro parvitate ingenii nostri, quod juxta qualitatem hujus temporis & rerum vestrarum statu hoc tempore hanc legationem fieri oporteret, maxime cum incertum sit, quidnam rerum comes ALEXANDER DE GRAVINA ab imperatore Græcorum referat. In ea igitur seria collatione, cum quid melius inter omnia esset, eligere tentaremus, audivimus a vestro cancellario, quod vestræ voluntatis esset, ut nostris propriis sumtibus in hoc itinere serviremus. Verum, clementissime imperator, bene novit vestra sereniissima majestas, quod a principio imperii vestri publicis laboribus vestris numquam defuimus, sed tam in persona quam in substantia vobiscum semper & pro vobis, absque vobis frequenter non sine gravi impensa militavimus, quod etiam nunc facere desideraremus, si tenuitas rerum nostrarum ullo modo pateretur. Sed cum in partibus Saxoniæ per totum fere annum grandes expensas propter nostrorum dissensionem & rapinas Thiderici de Rikelinga fecerimus, nullo modo juxta nominis vestri excellentiam & legationis hujus pondus officium hoc arripere potuimus. Non itaque indignetur bonitas vestra humilibus famulis vestris semper & ubique ad servitium vestrum paratis, si hoc modo non implemus, quod implere nequaquam sufficimus, sed cum vel solus cancellarius vel cum eo Constantiensis vel Lausannensis vel Basiliensis hac legatione possint apte fungi, nos bona venia quiescere & suscepta damna resarcire permittatis. Nam apud Corbeiam de verbo

sumtuum itineris a nobismetipsis in hac A legatione exhibendorum nec per litteras vestras, nec per nuntium aliquid intellexi-mus. De Mindensi episcopo suppliciter exo-ramus, ut ei vestram gratiam conferatis.

EPISTOLA CCLXI. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum præpositum Colonienſem.

Exponit quantas jam expensas pro imperatore & ejus imperio fecerit.

Anno 1151. CArissimo domino & amico suo A. venerabili sanctæ Colonienſis ecclesiæ venerabili præposito, regiæ curiæ cancellario, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, seipsum & sua universa.

Sicut apud vestram celsitudinem ex parte deploravimus, satis dolendo miramur, utrum ex animo sereniſſimi augusti sit, an eorum, qui principem consilii locum apud ipsum tenent, suggestione fiat, quod divi- C tiæ nostræ tantæ & tam amplæ sibi videantur. Primo enim post reditum suum misit nobis Rogerium de Ariana, ut ei vestes & arma pro suæ dilectionis reverentia præberemus. Quod nos studiose facientes, non minorem quam viginti marcarum impensam fecimus. Deinde vocati venimus ad curiam *Frankenevort* nostra & vestra expensa non pauca. Postmodum jussi venimus *Bavemberch* in comitatu magno, & fuimus in curia decem fere septimanis, & licet a clementissimo principe liberaliter & honestissime detenti fuerimus, tamen nobis credite, quod in toto illo tempore, quo a Cor- D beia abfuimus, quadraginta marcas argenti de nostro expendimus. Sed dicitur, quod trecentas marcas, quas ei debebamus, nobis remiserit. At secundum conventiones & pacta nostra nec ei illas trecentas debuimus, & plusquam ducentas persolvimus, ea necessitate, quod debitam & promissam justitiam, sicut in conditionibus nostris fuit, ab ipso non accepimus. Præterea, carissime mi amice, non est nobis incognitum, quod alii fratres & coabbates nostri in regno serviant, & non solum nobis pares, sed etiam E superiores sunt, qui portavimus pondus diei & æstus, quorum animam sæpe pertransivit gladius. Sed missa isthæc faciamus: non esset honestum domino nostro & ipsius imperio & nostræ parvitati, ut in tanta legatione exiliter appareremus. Sed quia timemus ne in hoc mandato a nobis non impleto aliqua indignationis occasio quæratur, malumus in asino utcumque transire, quam in hujus mandati cessatione tantum tempus in devotissimis obsequiis expensum amittere. Et felices labores nostri, qui de impossibili offensam merentur, cum ecclesia nostra ex eis grande non susceperit emolumentum.

EPISTOLA CCLXII. CONRADI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

Legationem ad papam per alium quam per ipsum & suum cancellarium obiri non posse.

CONRADUS Dei gratia Romanorum Anno 1151. rex, VVIBALDO abbati Corbeiensi gratiam suam & omne bonum.

Negotia, quæ nobis cum domino papa conveniunt, per alias personas, nisi per tuam & cancellarii nostri discretionem, tractari non possunt. Præterea in processu legationis hinc ex parte fratris nostri imperatoris Constantinopolitani, inde etiam ex parte ROGERII (a) negotia se offerunt, in qui- [a] bus tractandis aliquas personas præter vos admittere nec volumus nec possumus. Multas injurias & gravia damna, quæ non solum toto anno præterito, sed etiam ad præsens in contumeliam regni & nostram sustines capellano tuo H. referente ad plenum intelleximus, & tempore opportuno in his complanandis pro debito nostro tibi assistemus. Rogamus igitur & certi esse volumus, quod laborem legationis nostræ ad dominum papam cum cancellario assumas, & in festo sancti Michaelis Ratisbonæ cum ipso præsentiam nostram adeas. Expensas itineris, quas per te habere non potes, positis vadimoniis tuis accredas, quas nos, Deo annuente, quamprimum accepta opportunitate redimere parati sumus.

EPISTOLA CCLXIII. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum Colonienſem præpositum.

Scribit necessario subeundam esse legationem Romanam, & ut diem, qua ipsum convenire queat, indicet.

CArissimo domino & amico suo A. san- Anno ctæ Colonienſis ecclesiæ majori præposito, regiæ curiæ cancellario, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, se & sua universa.

Tenorem litterarum domini nostri regis tam ex nostro nuntio quam ex capellano ejusdem domini nostri, sicut accepimus, plane intellexistis. Porro nos licet in hac re & in Saxonica terra maximis & gravissimis curis coarctemur, licet fratres nostros in defectibus pene intolerabilibus relinquamus, tamen ne imputetur nobis, quod honor & dignitas & provectus Romani imperii per nos impediatur aut retardetur,

(a) Regis Siciliæ, qui Conrado valde contrarius erat.

parati ſumus voluntati domini noſtri ſatisfacere, etſi non ſecundum regiæ dignitatis excellentiam, tamen pro poſſibilitatis noſtræ promta & abundanti benevolentia. Tutius enim hoc tempore & ſalubrius eſſe nobis judicamus, utilitatem fratrum noſtrorum poſtponere, & eccleſias noſtras in periculoſo diſcrimine relinquere, quam non obediendo domino cariſſimo, iram, quam non meruimus, incurramus, & tot devota ſervitia, quæ ſæpe & pene aſſidue in regalibus aulis exhibuimus, tam repente amittamus. Ibimus itaque, ibimus, non ſicut decet regiam majeſtatem, ſed ſicut de domo noſtra quodammodo expulſi & exules, parvis ſumtibus & paucis contenti comitibus. Significare itaque dignetur nobis veſtra benignitas diem, qua ad vos veniamus ita parati, ut ad curiam nobis condictam vobiſcum tranſeamus. Volumus enim in hoc itinere, & in hac legatione ſicut & ſemper devoti vobis in omnibus exiſtere. Per præſentem itaque nuntium ſcriptis veſtris ſuper hoc nos certificare curetis. Creditmus autem, cum dominus noſter tam inſtanter & attente nos mittere decreverit, quod aliqua magna & regno utilia ex noſtra legatione provenire debeant.

EPIST. CCLXIV. CANCELLARII ad VVibaldum abbatem.

Excuſat ſe iterum a ſuſcipienda legatione Romana.

Anno 1151. CAncellarius domino abbati.

Voluntatem quidem domini mei tam ex nuntiis quam ex litteris ejus audivi, ſed impoſſibilitatem meam ego ſolus cognovi. Ne igitur longam in ſcribendo moram faciam, & per ſingula, quæ mihi impedimento ſunt, vagari incipiam, breviter finem rei veſtræ dilectioni aperio. Si vobiſcum Romam hoc tempore iturus eſſem, oporteret me omnibus, quæ poſſideo, renuntiare, & tunc ſolum & nudum proficiſci. Nulla enim dies eſt, qua a fratribus & clauſtro abeſſe poſſim vel audeam, cum nec curtes eorum, vel villici annonam vel ſervitia aliqua eis perſolvant: verum de queſtu meo vivunt. Vinum, ſicut ipſi ſcitis, in tota terra defecit, ipſi autem plagam & manum Dei non attendentes a me illud requirunt, commonitum itaque vos & exoratum eſſe volo, quatenus apud Dominum meum, cujus mandato numquam non obtemperavi me fideliter excuſatum habeatis, quia vos legationi huic ſolus ſufficitis, nec ego vobiſcum aliud agerem, niſi ſicut nuntius apparerem, nihil agens, nihil in præſentia veſtra loquens, & ſi loquerer imperitiam meam oſtendendo, quaſi ſorex indicio meo perirem. Si vero quindecim dies poſt feſtum beati Remigii me exſpectare velletis, & ego me interim expedire & præparare valerem, dominum meum vobiſcum aditem, & quicquid facturus eſſem, ſalva ejus gratia fieret. Valete.

EPISTOLA CCLXV. VVIBALDI abbatis ad A. cancellarium.

Hortatur ut ſuperatis difficultatibus ſuſcipiant legationem Romanam.

CAriſſimo domino & amico ſuo A. venerabili cancellario, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt ſeipſum & ſua omnia. Anno 1151.

Verba, quæ ſcripſiſtis nobis de difficultate egreſſionis veſtræ & præparationis ad iter Romanum, noſtra procul dubio ſunt, & quæ conditio nobis ſit in eccleſiis noſtris, aut quæ poſſibilitas hoc tempore relinquendi fratres noſtros, vos in veſtris fratribus conſideratis, cum videamus jam præ oculis imminentem fratribus noſtris, non dicam caritatem annonæ, ſed duram inopiam maximæ ſterilitatis. Licet igitur impium nobis eſſe videatur relinquere fratres noſtros ſub periculo famis & inopiæ, ex altera tamen parte durum nobis eſſe videmus iram principis incurrere, & una vice mandatum ejus prætereundo omne ſervitium, quo ei & regno umquam ſervivimus, ſubito perdere. anguſtiæ quidem ſunt undique, ſed melius nobis eſt hoc tempore, ut res noſtras ſub diſcrimine relinquamus, quam offenſam domini noſtri regis, non ſatisfaciendo voluntati ejus incurramus, & gratiam ipſius, pro qua jam per multos annos laboravimus, pro aliqua negligentia modo perdamus, & res imperio vel imperantis honori opportunas atque ſanctæ eccleſiæ proficuas, aliquatenus retardemus. Quod vero ſcripſiſtis nobis, quod nos ſoli ad hanc legationem ſufficeremus, & vos loco comitis in eadem legatione conſtitutum reputaſtis, non ita erit, ſed vos in hac legatione major & dignior eſtis, quia vel Colonienſis vel Moguntinus, quia claves regni vos habetis & ſummam conſilii in regno vos regere debetis, unde etiam nos comites & fideles famulos in obſequio veſtro habebitis. Quia igitur juſſio regis urget, & ſi male poſſumus, tamen ibimus, ut voluntati ejus ſatisfacianus, & perſonam noſtram ad voluntatem illius laboribus & periculis exponimus. Quoniam vero pueros noſtros, quos in hoc itinere habebimus, adhuc de Saxonia vocabimus, rogamus, ut diem certum deſignetis, quo ad vos uſque *Rintorp* veniamus ita parati & expediti, ut una vobiſcum ad dominum regem progrediamur. Quam videlicet diem deſignandam neminem niſi veſtram ſchedulam ſcire volumus. Nam de quindecim diebus poſt feſtum Remigii, quibus nos expectare rogatis,

gratum habemus, quibus ad voluntatem vestram etiamsi paulo plus expectaveritis, nos libenter expectabimus, ita tamen ut hoc caveatis, ne tempus eundi usque in asperam hyemem protrahamus. Ceterum nunc vestræ operæ incumbit, ut quemadmodum per nuntium nostrum nos jam fecimus, ita & vos per nuntium vestrum tam nos quam vos, quod præfixa die ad curiam non veniamus, apud dominum nostrum regem diligenter excusare curetis.

EPISTOLA CCLXVI. VVIBALDI abbatis ad Henricum Mindensem episcopum.

De amborum reconciliatione mutua.

Anno 1151. REverendo in Christo patri & domino H. sanctæ Mindensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, exiguas orationes & devotum servitium.

Venientes ad nos dilecti filii vestri venerabiles fratres nostri D. VVarnerus majoris ecclesiæ vestræ præpositus, & magister Conradus nuntiaverunt nobis a paternitate vestra verbum bonum, verbum consolationis, quod videlicet ira vestra adversum nos versa esset in misericordiam, & procellam maximæ commotionis Dominus, qui mari imperat & ventis, statuisset in auram. Lætati sumus itaque in his quæ dicta sunt nobis, quippe qui a longis retro temporibus desiderio desideravimus, probari posse vestræ sublimitati nostram innocentiam, nostramque circa vos & circa sanctam Mindensem ecclesiam devotionem & reverentiam. Siquidem prænominatus præpositus vester VVarnerus firmavit nobis coram fratribus nostris & consacerdotibus a vestra persona & ecclesiæ vestræ conserta manu sua in manum nostram, certitudinem & fidem in animam vestram & suam, quod fratres nostros, qui Kaminatæ modo sunt, vel postmodum futuri sunt, sicut subditos vestros & filios spirituales diligeretis, nec nobis aut ipsis, quod absque vestra permissione introierint, de cetero imputaretis, sed eos & bona Kaminatensis ecclesiæ, quæ in vestro episcopatu posita sunt, debita & canonica justitia fovere & protegere ac manutenere velletis. De injuria vero & offensione, qua vos & ecclesiam Mindensem læsisse insimulati sumus, querelam de cetero non faceretis, sed reconciliationem nostram in consilio dominorum nostrorum episcoporum videlicet Patherburnensis, Monasteriensis & Osnebrugensis poneretis. Et si unus quidem ex eis vel certe duo adesse non potuerint, totum verbum nostrum in voluntate & ordinatione domini nostri Patherburnensis episcopi dimitteretis. Nos A quoque de cetero paternitati vestræ & ecclesiæ Mindensi devote servire parati erimus, & officiositate nostra omnem commotionem, quam adversum nos habuisse dicebamini, per misericordiam Dei delinire studebimus, ut ubi abundavit discordia, superabundet caritas & gratia. Nam quia jam domini nostri regis offensam vos incurrisse propter nos doletis, omnem indignationem ejus, quam propterea habet adversum vos, ad purum vobis mitigare & serenare diligenter laborabimus, & omnes causas vestras non inferiori studio quam nostras provehere & ad effectum perducere, B si non dedignamini nobis eas insinuare, deinceps studebimus. Denique si nuntium vestrum & litteras excusatorias ad dominum nostrum regem in Nativitate beatæ Mariæ ad curiam *Nuremberg*, ad quam vocaverat vos, transmiseritis, hoc apud eum elaborabimus, quod clementer vobis rescribet, & iram simul & indignationem, quam pro nobis adversum vos habuit, tam per litteras suas, quam per nuntium vestrum vobis benigne remittet. Quia etiam in legatione domini regis ad dominum papam inpræsentiarum transibimus, hoc quoque C vestræ excellentiæ firmamus, quod contra honorem vestrum & ecclesiæ vestræ nihil cum domino papa tractabimus: sed si dominus papa scripserit vobis pro querela nostra, talia ad vos scribi faciemus, quæ cogent vos facere justitiam de invasoribus rerum nostrarum, & tamen quietem vestram & pacem Mindensis ecclesiæ non perturbabunt. Hoc quoque in hac compositione comprehensum fuit, ut si Deus infra spatium hujus moræ nos de hoc sæculo vocaverit, Corbeiensis ecclesia & successor noster, quem Deus in eadem post nos ordinaverit, in eadem pace & concordia, quæ D præscripta est, vobiscum & cum sancta Mindensi ecclesia fide inviolata consistat. Eadem quæ præpositus VVarnerus Corbeiæ nobis coram fratribus nostris data fide in manum nostram spopondit & firmavit, magister Conradus apud Patherburnam domino episcopo BERNARDO, coram ecclesia sua data fide in manum ejus pro vobis in animam suam firmavit, & uterque eorum per osculum pacis suæ, quod nobis dederunt, præpositus quidem VVernerus Corbeiæ, magister vero Conradus apud Patherburnam, reconciliationem vestram & E & amicitiam nobis reddentes confirmaverunt.

EPISTOLA CCLXVII. CONRADI imperatoris ad Henricum episcopum Mindensem.

Gratum habet quod in pace cum abbate Corbeiensi redierit eique remittit omnem quam incurrerat offensam.

Anno 1151. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. venerabili Mindensi episcopo, gratiam suam & omne bonum.

Gratias mansuetudini nostræ egit fidelis noster Corbeiensis abbas tam per litteras, quam per nuntios suos, quod ob nostræ dilectionis & mandati reverentiam omnem commotionem, quam adversus eum & ecclesiam ejus habueras remisisti, & monachos ipsius, quos in Kaminatensi ecclesia ordinaverat, in gratiam & pacem tamquam pius pater & bonus pastor recepisti, & de cetero te illos velle fovere & canonica justitia defensare firmiter promisisti. Quod licet morosius & serius effeceris, quam tuæ industriæ injunctum fuerit, tamen pergratum habemus, & experientiæ tuæ summopere injungimus, ut eumdem abbatem honores & diligas, & in omni opportunitate sua tam de Kaminatensi ecclesia, quam de aliis rebus consilium ei & opem feras, & præcipue contra Thidericum de Rikelinga, qui postposito Dei timore & nostra ac regni reverentia prædictum abbatem & ecclesiam suam perturbat & infestare præsumit. Ob hoc siquidem omnem indignationem & offensam nostram, quam juste merueras tibi clementer remittimus, atque a vocationibus & judiciis in te super hoc promulgatis absolvimus.

EPISTOLA CCLXVIII. HENRICI Mindensis episcopi ad Wibaldum abbatem.

Excusat Godeboldi innocentiam, quam Everardus presbyter de Hemerim impetebat.

Anno 1151. DOmino sanctæ Corbeiensis ecclesiæ reverendo abbati VVIBALDO, HENRICUS, per misericordiam Dei Mindensis ecclesiæ episcopus, assiduas in Christo orationes & fidelis obsequii devotionem.

Magistri Godeboldi dilecti fratris nostri vitæ innocentiam, & totius habitus sui rectitudinem vestræ discretionis auribus ex veritatis experimento testificari possumus, & de importuna querimonia, quam adversus eum Everardus presbyter de *Hemerin* injuste suscepit, multo libentius & plenius vobiscum viva voce quam per scripta tractatum haberemus, si locus & tempus mutuis verbis accommodatum fuisset. Quoties enim prædictus Everardus presbyter a domino papa litteras nobis apportavit, nos parati fuimus ei justitiam facere, & magister Godeboldus coram nobis & tota Mindensi ecclesia suam expurgationem canonice obtulit, quod nec per se vel submissas personas illius bona umquam diripuisset, & hoc ex nostro testimonio certum habeatis, quod eamdem expurgationem coram domino papa jam dudum obtulisset, si continuæ infirmitatis imbecillitas non obstitisset. Nuper vero auditis litteris domini papæ, quas idem Everardus attulit, & vestræ serenitatis commonitione superaddita, ut pax & finis laboris ad prænominatas perveniret personas, presbytero Everardo tria taliter pro amore & quiete fratris nostri Godeboldi persolvere voluimus, & de aliis personis, a quibus conqueritur sua bona distracta ecclesiasticam nos facturos justitiam promisimus, ex quibus nullam partem pro consilio nostro contingere voluit, sed repetita querimonia sedis apostolicæ justitiam se expeturum affirmavit. Sed quia pacis estis amator, & super fraterna infirmitate misericors, vestræ prudentiæ supplicando committimus, ut totius controversiæ turbinem per vos & nostra parvitate mediante terminare studeatis, ut videlicet dictum Everardum verbis vestris districte commonitum ad nos redire jubeatis, ut depositio labore præfatæ conventionis fructum recipiat, & de cetero, si vir bonus fuerit, in pace sua possideat. Quod si fieri non potest, in hoc Mindensis ecclesia vestræ caritatis sentiat affectum, ut apud dominum papam nostrum dilectum filium magistrum Godeboldum excusare satagatis, & de sæpius repetitis querimoniis sui adversarii ei pacem componere studeatis.

EPISTOLA CCLXIX. H. DUCIS Bavariæ & Saxoniæ ad VVibaldum abbatem.

Corbeiensis ecclesiæ bona sub sua suscipit tuitione.

Anno 1151. WIBALDO venerabili Corbeiensis ecclesiæ abbati, H. Dei gratia dux Bavariæ & Saxoniæ fidele servitium.

Juxta petitionem vestram bona ecclesiæ vestræ sub tuitionis meæ munimen recipio, & tam in his quam in ceteris, quæ ad honorem vel utilitatis vestræ profectum respiciunt, promtum me & fidelem exhibeo. Unde ego de vestra vicissim benevolentia securus confido, quod memoria mei in benedictione sit apud vos tam coram domino papa quam coram rege.

EPISTOLA CCLXX. VVIBALDI abbatis ad Priorem & fratres Hasterienses.

Ut contenti antiqua consuetudine loci ad concordiam redeant cum fratribus suis VValciodorensibus.

Anno 1152. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, I. venerabili Hasteriensis ecclesiæ priori, & ceteris in eodem loco Deo & paci militantibus, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Non est opus eruditioni vestræ replicare quanto caritatis affectu ecclesiam & vos dilexerimus: opera enim nostra testimonium hactenus nostræ erga vos dilectionis ferre potuerunt. Audivimus vero, quod nequaquam de vestra fraternitate audire potuimus, quod videlicet terminos, quos posuerunt vobis patres vestri transgredi attentantes, matrem vestram VValciodorensem [a] (a) ecclesiam & dominum abbatem (b) [b] T. qui per eam vestro etiam loco regulariter præest, contra ejusdem ecclesiæ privilegia & vestræ religionis propositum novis & superfluis motibus fatigare incipiatis. Siquidem hoc certissime constat, quod ecclesia VValciodorensis ab initio fundationis suæ ecclesia Hasteriensi & villa & omnibus appenditiis ejus per privilegia imperatorum & regum & præcipue decreto BENEDICTI papæ septimi aucta est, & inibi ordo monasticus ab abbate VValciodorense constitutus; vestram vero ecclesiam eidem ecclesiæ subditam, & ejusdem loci abbate contentam esse debere, nullus est, qui ambigat. Nos igitur qui de numero filiorum VValciodorensis ecclesiæ sumus, vestros quoque fratres nos esse cognoscentes, hoc universitati vestræ consilium mittimus, ut quantocius potestis ad pacem & concordiam cum abbate vestro & fratribus redire festinetis, contenti consuetudine & rebus vobis a patribus vestris constitutis; neque enim meliores estis quam patres vestri. Si autem primo discretionis nostræ consilium & litteras accepisse tis, nequaquam, ut credimus, tantum processisset causa vestra, neque odor bonæ opinionis vestræ versus fuisset in fœtorem. Quod si consiliis nostris acquiescentes ad pacis & concordiæ unitatem tetenderitis, nostram arctius benevolentiam consequemini, & bonorum filiorum & fratrum A locum & nomen apud nos obtinetibis. Sin autem in vestra permanentes pertinacia nostris monitis salubribus non obaudieritis, extunc ad audientiam domini papæ vos appellamus, & diem vobis in circumcisione domini præfigimus ita paratis, ut de quibus vos interpellavimus, nobis respondeatis.

(a) Antiquum ordinis S. Benedicti monasterium ad Mosam situm, cujus historiam habes in Spicilegii Acheriani tom. 7. in qua apposite ad hanc & sequentes epistolas hæc leguntur: *Dominus VVibaldus a magisterio hujus monasterii fluda in Stabulensi ecclesia ad idem officium accitus, non solum illius, sed & Cassinensis & Corbeiensis uno tempore abbas extitit. Ipse antiquum Ottonis I. imperatoris in curiis imperatorum Lotharii & Friderici simul & Conradi regis, novis & apertioribus impetratis privilegium renovavit, quorum confirmationem in Matensi B. Stephani ecclesia, quæ & ipsius mater est & domina, conservari perpetuo constituit. Renovavit etiam privilegium Benedicti papæ VII. uti adhuc videri potest in nostri monasterii thesauris. Temporibus apostolicorum Adriani & Eugenii III. quibus manifeste ostenditur quod Hasteriensis locus VValciodorensi, tanquam cella vel prepositura, vel quocumque nomine dicatur, debet velut membrorum capiti adhærere & in omnibus obedire.*

(b) Theodericum II. abbatem VValciodorensem XIII. qui VVidrici successor extitit.

EPISTOLA CCLXXI. VVIBALDI abbatis ad Stephanum episcopum Metensem.

Ut privilegia VValciodorensis monasterii tueri & Hasteriensium audaciam compescere dignetur.

REverendo patri suo & domino STEPHANO sanctæ Metensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium. Anno 1152.

Novit, reverende pater, vestra prudentia, quod ab initio dilectionis vestræ, quam nobis familiariter offerre dignatus estis, sincera caritatis affectu vos & vestra omnia dilexi mus, & ubicumque locorum fuimus, honori personæ & ecclesiæ vestræ pro modulo nostro astitimus. Eadem confidentia paternitatem vestram precari audemus, & exoratam esse deposcimus, quatenus ecclesiam VValciodorensem, quæ nobis naufragium mundi hujus fugientibus habitum monachicum induit, in sua justitia & honore, juxta quod in privilegiis imperatorum & regum videre poteritis, esse & permanere jubeatis. Neque enim sanctitatis vestræ aures pseudomonachis Hasterienses accommodare oportet, qui otio vacantes fabulis studeant, vana & superflua meditantur, & pacem ecclesiæ conturbant. Siquidem ecclesia VValciodorensis ab initio fundationis suæ ecclesia Hasterienst & villa & omnibus appenditiis ejus per privilegia regum & imperatorum, & præcipue decreto BENEDICTI papæ septimi aucta est, & inibi ordo monasticus ab abbate VValciodorense institutus. Quod cum ita sit, & in memoria apud plerosque habeatur, quod defuncti etiam fratres de Hasteria in cœmeterio VValciodorense antiquitus sepeliebantur, rogamus sanctitatem vestram, ut temeritatem insanientium monachorum Hasteriensium auctoritatis vestræ virga compescatis, &, ut ad pacem & concordiam fratrum suorum redeant, compellatis, aut si contemnunt,

tamquam

tamquam rebelles & apostolicis decretis inobedientes de monasterio ejici faciatis. Responsum vestrum tempestive humiliter & obnixe flagitando expectamus. Nam in proximo pro legatione domini nostri regis & regni Romam proficisci intendimus, ubi etiam VValciodorensis abbatis causam promovere omnimodis satagemus.

EPISTOLA CCLXXII. STEPHANI episcopi Metensis ad VVibaldum abbatem.

Ut Hasterienses monachos ad obediendum VValciodorensi ecclesiæ compellat.

Ann. 1151. STEPHANUS Dei gratia licet indignus Metensis episcopus, VVIBALDO venerabili Stabulensi abbati, salutem & dilectionem.

Quod de dilectione ac familiaritate mea vos confidere dicitis, sciatis pro certo, quod inde plurimum confidere potestis. De monachis vero Hasterienſibus quod scripsistis mihi, quia quasi quadam taurinæ cervicis feritate ecclesiæ VValciodorensi subesse reluctantur, sagacitati vestræ committo, quatenus in eodem tenore & modo, quo eos antiquitus fuisse didicistis & scitis, etiam nunc præcepto & voluntate mea manere compellatis. Si enim in pace corporis capitis illius volunt manere, quod Christus est, oportet eos, sicut membra corporis capiti, ita propriæ ac matri suæ VValciodorensi ecclesiæ, si ita est, ut asseritis, humiliter subjacere. Sciatis enim pro certo, quod ea, quæ auctoritate pontificum, liberalitate principum, cæterorumque assensu catholicorum fidelium bene ac legitime antiquitus instituta sunt, nolo quasi quadam levitate meo tempore permutare.

EPISTOLA CCLXXIII. VVIBALDI abbatis ad Theodericum abbatem VValciodorensem.

Promittit ei suam protectionem, mandatque ut Hasterienſium scrutetur intentionem, & mittat sibi regum & paparum privilegia.

Ann. 1151. REverendo patri suo T. VValciodorensi abbati, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica.

Dominus in lege præcipit: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Cujus præcepti nos quoque memores, si quid emolumenti personæ ac ecclesiæ vestræ, nostræ utique matri, nostro studio ac labore provenit, omnimodis gaudemus, & ut amplius & honoris incremento & utilitatis augmento multiplicetur pro facultate nobis a Deo concessa fideliter laborabimus. Verum quia in processu legationis nostræ jam sumus, mandamus, ut perscrutata diligenter Hasterienſium intentione, sive dissensionis, quod absit, sive reconciliationis, quod Deus concedat, usque Lucæ Evangelistæ de omnibus certi per vos efficiamur. Exemplaria etiam privilegiorum tam imperatorum quam pontificum Romanorum optime correpta nobis mittatis, ut si necesse fuerit, ad Urbem ea portantes, per veritatis, quæ Christus est, liberationem, & ipsorum attestationem, justitiam & honorem ecclesiæ vestræ manuteneamus.

EPISTOLA CCLXXIV. STEPHANI episcopi Metensis ad Theodericum abbatem VValciodorensem.

Accusatum de dilapidatione citat ad synodum Metensem.

Ann. 1151. STEPHANUS Dei gratia Metensis episcopus T. (a) Hasterienſi abbati, salutem & dilectionem. [a]

Hasterienſis cœnobii quidam fratrum se nobis præsentaverunt, & quod eorum ecclesia multis modis per vos minoratur, & bona ipsius per negligentiam vestram contra licitum distrahuntur, (b) multum conquesti sunt. [b] Quoniam igitur illius ecclesiæ providentia ad nostrum spectat honorem, & illius defensio nobis specialius incumbit, vobis præcipiendo mandamus, quatenus in proxima Metensi synodo, quæ sequenti septimana post missam omnium sanctorum celebratur, vos cum ipsis monachis ante præsentiam nostram, omni remota occasione veniatis, quatenus audita utriusque partis calumnia & defensione, utrimque servata æquitate inter vos nostra judicet discretio. Præcipimus insuper, quod inter eundum & redeundum monachis conquerentibus necessaria stipendia ministrare non recusetis vestra provisio.

EPISTOLA CCLXXV. VVIBALDI abbatis ad Stephanum Metensem episcopum.

De rebellione monachorum Hasterienſium & de contentis in præcedenti epistola conqueritur.

Ann. 1151. REverendo patri suo & domino STEPHANO sanctæ Metensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS.

(a) Queritur in sequenti epistola VVibaldus de hac inscriptione, cum Hasteria cella sit non abbatia.

(b) Certe ejus tempore ecclesia Hasterienſis *pretiosis gemmis & auro clarisornamentis* spoliata est, teste chronographo VValciodorensi pag. 572. verum non Theoderici culpa, sed monachorum Hasterienſium, ut constat ex epistola sequenti.

Recordatur discretio vestra, quod ante paucos dies sinceritati vestræ scriplimus, pro negotio dilecti patris nostri T. VValciodorensis abbatis, videlicet de rebellatione monachorum Hasterienſium, qui ordinis monastici & disciplinæ regularis immemores, non solum inobedientes, sed etiam aperte rebelles eidem abbati suo extiterunt, donec clamor contumaciæ ad aures domini Leodiensis episcopi perlatus est, & judicio tam archidiaconorum quam abbatum ac totius cleri ab officiis divinis suspensi sunt, quousque a pertinacia sua resipiscerent, & tum ipsi episcopo, tum abbati suo, quem contemserant, condigne & regulariter satisfacerent. Siquidem in Hasterienſi monasterio erant duo circumecliones Jul. videlicet & M. quos vagantes & peregrinos & egentes pane abbas pro summa misericordia susceperat, in tempore hospitalitatis ipsorum probaturus, si conversatione digni existerent, quos speciali fraternitatis vinculo fratrum collegio deberet aggregare. Verum ipsi non solum enormiter vivebant, sed etiam inter monachos VValciodorenses & Hasterienses atque ipsum abbatem scandala & discordias accurato studio serebant: ita ut projecto interdum sacro & regulari habitu, armis accincti, possessiones VValciodorenses invaderent, & terminos ipsorum absque ulla juris assertione convellerent, quod cum abbas corrigere diu dissimulasset, & orientia mala falce justitiæ resecare distulisset, tandem nostro & coabbatum suorum consilio admonitus, capitulum intravit Hasterienſium, & fretus auctoritate sacrosanctæ regulæ beati patris nostri Benedicti dixit honeste advenis & hospitibus litium seminatoribus, ut recederent. Quod illis facere detrectantibus, & convitia in abbatem impudenter jacientibus, præcepit aliis ne eos in consortio suo retinerent, & quamdiu duo illi inter monasterii ædes habitarent, ab officiis divinis omnes protsus abstinerent. Ceterum ipsi conversi sunt in arcum pravum, & in utroque obedire contemserunt, tam illos, qui jussi fuerant egredi, detinendo, quam illis præsentibus & cum illis divina officia temere exercendo. Quæ, ut supra diximus, violenta non sine divini nominis contemtu præsumtio ad Leodiensem ecclesiam perlata est, & canonico judicio debita animadversione est punita. Hanc causam cum excellentiæ vestræ per litteras & nuntium insinuavissemus, & supplices preces pro statu matris nostræ VValciodorensis ecclesiæ vestræ magnitudini effudissemus, placuit celsitudini vestræ nostræ parvitati rescribere, ut monachos Hasterienses voluntate ac vice vestra compelleremus, debitam reverentiam VValciodorensi cœnobio & abbati suo exhibere. Ceterum nos, qui parati & accincti sumus in legatione domini nostri regis proficisci, tam molestis negotiis implicari nequaquam potuimus. Sed iidem Hasterienses ad vos profecti, litteras ad abbatem suum retulerunt vestro nomine titulatas, & sigillo vestro signatas, quas ab eruditione vestra conscriptas & datas credere nequaquam potuimus, propter multarum rerum a ratione & auctoritate & usu dissonantiam. Nam paginæ ipsius limen contra auctoritatem & usum positum est, cum illæ litteræ abbati Hasterienſi dirigantur, quod vocabulum nec auctoritas roborat, nec usus confirmat. Siquidem VValciodorense cœnobium a principio fundationis suæ ab annis videlicet C. LXXXI. nomen & potestatem abbatiæ obtinuit, sic instituente loci ejusdem constructore nobilissimo comite (4) [a] E. & sanctissimo Metensis ecclesiæ episcopo DEODERICO, sic etiam confirmante & per privilegii paginam asserente, imperatore OTTONE hujus nominis primo, qui decreverunt VValciodorum esse abbatiam, & tradiderunt ibidem in augmentum præstationis Deo servientium Hasteriam cum omnibus appendiciis suis, quam venerabilis ALBERO Metensis episcopus prædecessor utique prædicti DEODERICI ex proprio hæreditatis jure ecclesiæ Metensi & sancto Stephano protomartyri tradiderat, quod privilegia regum & imperatorum, necnon Romanorum pontificum VValciodorensi cœnobio collata, & liber vitæ sancti D. plenius loquuntur. Hoc etiam usus usque ad nos absque ullius interruptionis impedimento servavit, nec inventus est, qui Hasterienſem nominaret abbatem, cum Hasteria cella sit, & præpositura VValciodorensis ecclesiæ. Ratio etiam non admittit, ut tot vocabulis prælatio nostra tituletur, quot villas sub nobis esse contigerit. Incongruum enim esset, si quis vos non a civitate & sede vestra Metensem episcopum, sed potius a monasterio aliquo seu oppido aut vico vos Gorzienſem episcopum aut Vicensem appellaret. Hoc etiam nec canones recipiunt, nec leges admittunt, ut rebus suis spoliatus ad judicium vocetur, quoniam non est privilegium, quo possit spoliari jam nudatus. Quod propterea dicimus, quia idem abbas in proxima synodo vestra ad præsentiam vestram jussus est venire Hasterienſibus monachis de controversia jam sopita iterum responsurus. Præterea cum hoc eodem anno tam abbatem quam monachos pro monachorum delatione in jus vocaveritis, & omnem controversiam hinc & inde diligenter cognoveritis, & tam judicio quam consilio ecclesiæ vestræ abbatem a mona-

(a) Eilberto filio Ebroini comitis & Bertæ natæ, VVederici comitis, fratre Uddonis *de Roix* comitis, Heriberti comitis S. Quintini, Gerardi comitis de Odenarde, Bosonis & VViterfi comitum, & Marcuardi episcopi, teste chronographo VValciodorensi.

chorum accusatione præsertim falsa absolveritis, non est credibile, quod contra juris canonici rationem litem decisam tetricari velitis. Et sæculi leges dicunt, rebus jam judicatis standum esse. Et quoniam apostolicæ dignitatis culmen tam ordine quam professione tenetis, non estis juxta Apostolum levitate usus, ut sit apud vos *est & non*, ut videlicet causam bene a vobis cognitam & præjudicatam nobisque ad terminandum commissam, rursus ante tribunal vestrum in judicium revocetis. Nam quod sæpe dicti monachi conqueruntur, quod bona Hasterienſis ecclesiæ per abbatis negligentiam contra licitum distrahuntur, ut apud propitium judicem loquamur, vera fere dixerunt, cum de thesauris ejusdem ecclesiæ, tum in eundo ad vos, tum in revertendo ad dominum Leodiensem, calicem sex marcarum & crucem argenteam ignorante abbate expendisse asserantur, & multa præterea, quibus per inquietudinem suam & superflua litigia ecclesiam minoraverunt, nequaquam adhuc cessaturi, nisi animositas eorum fortiori disciplinæ jugo reprimatur. Quamobrem sanctitatis vestræ genibus advoluti, obnixe precamur, ut misereamini jam deficientis inter has contentiones abbatis, parcite seni, parcite inopi, qui inter tyrannidem advocatorum & rerum omnium egestatem laborem vix tolerare sufficiet. Mittimus ad vestram discretionem nostrum tam sanguine quam obedientia & caritate germanum, quem tamquam nos ipsos in omnibus & honorabitis & exaudietis.

CCLXXVI. PRÆCEPTUM Conradi II. imperatoris pro monasterio VValciodorensi.

Interventu VVibaldi abbatis, confirmat privilegia VValciodorensis monasterii.

Anno 1151. [a] IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CONRADUS (a) divina favente clementia Romanorum rex secundus, ad implendam munificentiam pertinet bene de rep. merentibus præmia rependere, & ceteris ad famulatum imperii surgentibus eos in exemplum aut bonæ spei signum collocare.

Quo circa noverit fidelium nostrorum tam futuræ quam præsentis ætatis industria, quod interventu dilecti ac fidelis nostri VVIBALDI abbatis, qui nunc, Deo auctore, Stabulensi & Corbeiensi monasterio præest, privilegia VValciodorensis monasterii in quo prædictus abbas sacrum religionis habitum suscepit, & juxta regulam beati Benedicti & sanctorum patrum instituta professionem fecit, recitari & exponi jussimus, in quibus scriptum continebatur, quod vir quondam illustris EILBERTUS comes in proprio hæreditatis suæ fundo monasterium secundum regulam & ordinem monachorum in pago Lumensi construxit, & de suo jure ac proprietate in jus & dominationem regiam cessit & transegit. Quod monasterium cum omnibus appenditiis imperator OTTO primus, cui a præfato comite suo utique consanguineo donatum fuerat, contulit Metensi ecclesiæ per manum DEODERICI venerabilis Metensis episcopi, hac scilicet interposita rationis observantia, ut idem pontifex quemdam locum Hasteria nomine olim a sanctissimo prædecessore suo ADELBERONE antistite ex proprio hæreditatis jure sancto protomartyri Stephano in Metensi ecclesia delegatum, supradicto cœnobio gratia solaminis copularet, & quoniam proxima vicinitate junguntur, & sub unius ditione ordinationeque abbatis eadem præfata loca, Walciodorum videlicet atque Hasteria indissolubili vinculo necterentur. Quæ constitutio tam a divæ recordationis prænominato Augusto per venerandæ sanctionis paginam roborata, quam apostolicis decretis per sanctissimum BENEDICTUM papam confirmata, usque ad nostra tempora immobilis permansit & inconvulsa, licet alterius loci monachis, id est Hasterienſibus studium semper fuerit prærogativæ VValciodorensis cœnobii obsistere, & abbatum suorum ordinationibus temeraria præsumtione resistere. Quæ insolescentia usque adeo stultis conatibus excrescere ausa est, ut sese a connexione & subjectione VValciodorensis cœnobii & venerabilis TEODERICI ejusdem loci abbatis abrumpere conati sunt, donec judicio curiæ nostræ legibus & ratione subnixo compressi sunt, & ad unitatem & obedientiam revocati. Auctoritate igitur in perpetuum valitura decernimus, ut Hasterienſis locus VValciodorensi monasterio contraditus & connexus eidem semper cœnobio subdatur, sicut cella vel præpositura vel quocumque nomine dicatur aliquod inferius suo superiori debet adjacere. Et decedente eo, qui nunc ibi, Deo præstante, regulariter præest TEODERICO abbate, suisque successoribus in perpetuum regulariter ordinandis, Hasterienses monachi conveniant VValciodorum tam ad exequias defuncti abbatis devote peragendas, quam ad electionem futuri pastoris disciplinate & concorditer celebrandam, hoc videlicet discretionis tenore, ut primus assensus, prima vox, prima denominatio penes VValciodorensium constet arbitrium, & de ipsorum cœtu persona si fuerit idonea inventa absque contradictione Hasterienſium eligatur. Quod si

(a) Extat hoc Conradi imperatoris præceptum in archivis monasterii VValciodorensis, cujus exemplum nobis concesserat reverendissimus abbas ejusdem monasterii, antequam Stabuletum accederemus.

ibi forte reperiri non potuerit, atque in Hasterienſi eccleſia perſona conveniens inventa fuerit, de ipſis potius quam de alio monaſterio prælatus aſſumatur. Et ut hæc conſtitutio rata & immobilis per cuncta ſucceſſura tempora permaneat, præſens præceptum conſcribi mandavimus, noſtræque ligno imaginis impreſſo teſtes qui actioni & judicio interfuerunt, ſubternominari juſſimus. ARNOLDUS Colonienſis eccleſiæ electus noſtræ curiæ cancellarius, HEINRICUS Leodienſis epiſcopus, OTTO frater noſter Friſingenſis epiſcopus, VVARNERUS Monaſterienſis epiſcopus, PHILIPPUS Oſenbrugenſis epiſcopus, ALBERTUS Miſinenſis epiſcopus, HERINANNUS Trajectenſis electus, VVIBALDUS Stabulenſis & Corbeienſis abbas, LAMBERTUS VVerdenenſis abbas, ADOLFUS comes de *Montibus*, HEINRICUS comes de *Gelra*, GOD. & HERMANNUS fratres de *Kuic*, MARQUARDUS de *Gruenbach*, ALBERTUS de *Gruendinga*. Signum domini CONRADI ſecundi Romanorum regis invictiſſimi. Actum in palatio Noviomagi anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, indictione XIII. XVI. Kalendas Junii. Regnante domino Conrado Romanorum rege ſecundo, anno regni ſui XIV. in Chriſto feliciter amen. Ego ARNOLDUS cancellarius vice HENRICI Moguntini archiepiſcopi & archicancellarii recognovi.

EPISTOLA CCLXXVII. CONRADI imperatoris ad H. Leodienſem epiſcopum.

Promittit vindictam de eccleſia Leodienſis hoſtibus, mandatque ut & ipſe a moleſtanda eccleſia Stabulenſi abſtineat.

Anno 1151. [a] CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. (a) venerabili Leodienſi epiſcopo gratiam ſuam & omne bonum.

Pervenit ad nos clamor Stabulenſis eccleſiæ dolentis & conquerentis, quod eccleſia tua impie a quibuſdam tyrannis, & perſona tua novis & inauditis modis ab his, qui fidelitatem tibi juraverant, vexetur. Confidimus autem de protectione divina, quod nos ſanos & incolumes & inimicorum noſtrorum victores eſſe facit, quod conſilio & judicio principum hanc contumeliam digna animadverſione in brevi tempore vindicabimus. Præterea ſuggeſtum nobis eſt, quod propter odium HENRICI DE RUPE, qui eſt advocatus Stabulenſis eccleſiæ, tam tu quam tui incendia & rapinas in bonis ejuſdem eccleſiæ facere diſpoſueris, cum eadem bona in tantum ſint ab advocati ſervitio libera, ut nullam in eis portionem vel de juſtis penſionibus, vel de legum compoſitionibus accipiat. Et quoniam eamdem eccleſiam lædere non ſolum contra regiam majeſtatem eſt, ſed etiam contra tui ordinis ſanctitatem, & contra omnem tam divini quam humani juris æquitatem, mandamus ſolertiæ tuæ & ſub obtentu gratiæ noſtræ præcipimus, ut te & tuos a læſione & gravamine prædictæ eccleſiæ contineas, ſciturus, quod ſi aliter præſumtum fuerit, juſta indignationis noſtræ ultione non carebit.

(a) Henrico de Limburgo, de quo Albericus ad annum 1164. ſcribit quod mortuo Victore antipapa, oblatum ſibi ab imperatore papatum recuſaverit, & Paſchalem Victoris ſucceſſorem conſecraverit.

EPISTOLA CCLXXVIII. CONRADI imperatoris ad Wibaldum abbatem.

Excuſat eum a legatione Romana.

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Corbeienſi abbati, ſuam gratiam & omne bonum. Anno 1151.

Experimento cognovimus, & certi ſumus, quod honori & provectibus noſtris promovendis ſumma fidelitatis conſtantia indefeſſus aſſiſtas. Igitur ſi rerum opportunitas poſtulaſſet, officium legationis noſtræ ad dominum papam, quemadmodum exſpectavimus, aſſumſiſſes. Quoniam autem magna rerum difficultate te præpeditum eſſe cognovimus, bonæ voluntati tuæ gratias habentes, & ad cetera negotia noſtra ſinceritatis tuæ obſequium nobis promtiſſimum eſſe non dubitantes, aliis principibus Baſilienſi ſcilicet epiſcopo, & Conſtantienſi epiſcopo legationis noſtræ laborem ad dominum papam commiſimus.

EPISTOLA CCLXXIX. HENRICI epiſcopi Leodienſis ad Wibaldum abbatem.

Conqueritur de Henrico comite de Rupe, & de comite Namurcenſi.

HENRICUS Dei gratia Leodienſis eccleſiæ humilis miniſter domino WIBALDO eadem gratia venerabili Sabulenſi abbati, ſalutem & fraternam in Chriſto dilectionem. Anno 1151.

Propter neceſſitates grandes ex improviſo nobis occurrentes minoribus negotiis vacare nequaquam poſſumus. Non latet enim prudentiam veſtram fomitem hujus mali hactenus ſpecie invidæ adulationis protecti, calcata ſub pedibus regalis reverentia majeſtatis, omnes rupiſſe aditus ſimulationis. Comes enim de Rupe HENRICUS treugas illas,

quas per manum comitis Namurcenſis & aliorum ſuorum in manus principum noſtrorum ſtabili pace firmaverat, nihil nobis contradicendo, incendiis & rapinis in nos & eccleſiam noſtram impudenter confregit, æſtimans excommunicatis dictum eſſe, ut, qui in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc. Comes Namurcenſis, neſcimus quo rumore regiæ debilitatis, veneneſa factione aliorum principum in nos & eccleſias noſtras furit, præmiſſis dilectionis & fidelitatis nuntiis, & ſubſequenter eadem hora nuntio exfeſtucationem dominii noſtri deferente, *Cinei* noſtram dominicalem villam adhuc iſta legatione infecta penitus ſuccendit. Quia igitur vobiſcum de meis ſecretis ſoleo loqui ut mecum, in gremio veſtri conſilii & conſolationis hanc repono cauſam conturbationis, ut ego & vos, qui in eadem curia ſumus fideles domeſtici, alter pro altero, cum opus fuerit, veritatis & fidei inveniamur ſocii. Bene valeat dilectio veſtra, cetera lator præſentium expediet.

EPISTOLA CCLXXX. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

Scribit ſe ſuſcipiendæ legationi Romanæ paratum fuiſſe commendatque ei latorem præſentium.

Anno 1151. REverendo in Chriſto patri ſuo & domino EUGENIO uni & univerſali papæ, frater VVIBALDUS Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia catholica, filialem dilectionem & debitam per omnia ſubjectionem.

Non latet, cariſſime pater, celſitudinis veſtræ prudentiam, quod ex quo glorioſus atque inclytus Romanorum rex, CONRADUS ſanctitatis veſtræ filius a Jeroſolymitana expeditione rediit, a latere ſuo legatos efficaces & induſtrios ad veſtræ magnitudinis excellentiam deſtinare propoſuerit. Ad quod ſtrenue peragendum, cum etiam noſtræ parvitatis perſona & denominata & vocata fuiſſet, eouſque perventum eſt, ut jam parati & expediti ad proficiſcendum Lotharingiam exierimus. Quod ſi ingenioli noſtri tenuitas intelligere ullo modo potuiſſet, quod hujus legationis labor ullatenus expediret catholicæ eccleſiæ ac veſtræ dignitati ſive Romani imperii incremento, nullatenus rebus noſtris aut perſonæ noſtræ pepercisſemus. Præſentium lator Stabulenſi eccleſiæ jure proprietario pertinere dinoſcitur, qui cum ad nos querimoniam detuliſſet, quod quidam God. decanus eccleſiæ beatæ Mariæ in oppido Trajectenſi domum, quæ ei patrio & avito jure hereditario competit, violenter auferret, nos pro eo ſanctitatis veſtræ filio HENRICO venerabili Leodienſi epiſcopo ſcripſimus, poſtulantes, ut decanum ſuum a tanta & inſolita violentia poteſtate debita removeret. Sed cum idem clericus ab injuſto propoſito nollet ceſſare, dicens illum, qui contra ſe agebat, eſſe excommunicatum, compulſus eſt idem laicus protectionis veſtræ appellare & adire præſentiam. Solita itaque clementia, pater piiſſime, eum exaudire dignemini, ne tot labores & pericula fruſtra & in vanum ſe aſſumſiſſe doleat, & alii oppreſſi de veſtra miſericordia hujus exemplo ſperare doceantur.

EPISTOLA CCLXXXI. VVIBALDI abbatis ad Conradum imperatorem.

Conqueritur de epiſcopo Leodienſi, de comitibus Namurcenſi, de Rupe & de Monte-acuto.

INclyto triumphatori & magnifico domino ſuo CONRADO Dei gratia Romanorum imperatori auguſto, frater VVIBALDUS eadem gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſalutem in eo qui dat ſalutem regibus. Anno 1151.

Scripſit dudum majeſtati veſtræ noſtræ parvitatis humilitas, quod ad peragendam legationem veſtram ad Urbem non ſine gravi rerum noſtrarum diſpendio accincti fuimus, & ſi dominus cancellarius proficiſci potuiſſet, ad incrementum honoris veſtri & regni pro poſſe laboraſſemus. Unde regreſſi terram noſtram nimiis rapinis & incendiis concuſſam invenimus. Nam dominus Leodienſis epiſcopus, & comes Namurcenſis, & comes de Rupe & comes G. de Monte-acuto diſſentientes, bonum pacis de finibus noſtris exturbaverant. Cum autem neminem noſtri neque nos læderemus, & in neutram partem inclinaremus, cum jam in Namurcenſem & ſuos fautores dominus epiſcopus ſententiam anathematis promulgaſſet, comes G. de Monte-acuto ſua & domini epiſcopi militia villam noſtram OKERIIS devaſtavit & ſuccendit, quæ fere tribus menſibus monaſterio neceſſaria miniſtrabat. Intendit etiam cetera eidem monaſterio pertinentia devaſtare, ſuccendere, niſi graviſſimis redemtionibus & exactionibus ab hoc ſuo propoſito revocetur. Et cum violenter noſtra devaſtentur, diripiantur, & hoc auxilio domini epiſcopi, ſine quo idem comes G. hoc non præſumeret, decet regiam majeſtatem veſtram, nos, qui veſtri ſumus, defenſare, & innocenter afflictis manum miſericordiæ porrigere. Proinde dignitatis veſtræ magnitudinem, quam ſemper propitiam ſenſimus, humiliter depoſcimus, ut ſi dominus epiſcopus ad veſtræ majeſtatis præſentiam venerit, de noſtra a ſuis & noſtrorum injuſta oppreſſione, ſicut vos decet, eum conveniatis, & noſtra, quæ

adhuc a suis non tamen intacta supersunt, quæ idem G. ejus auxilio demoliri festinat, accepta ab eo dextra, sicut sunt, conservari faciatis. Si autem eum non venire contigerit, super hoc ei severius scribendo vestra præcipiat mansuetudo, & ut eumdem G. comitem a nostrorum depopulatione tam per vestra scripta, quam sua auctoritate coerceat, imperetis. Nos enim in eo discrimine positos addiderunt Corbeienses revocare, inter quos quas molestias, quas insidias sustineamus, quid vero contra nos eo tempore, quo in servitio regni & vestro accincti eramus, molitum sit, quidve factum, cum ad vos venerimus, majestati vestræ plenius referemus. Deliberavimus autem si quolibet modo his curis & laboribus nos subducere possimus, ut in Purificatione sanctæ Mariæ ad vos, ubicumque locorum vos esse nescierimus, perveniamus.

EPIST. CCLXXXII. R. STABULENSIS ad VVibaldum abbatem.

De actis Leodii adversus incendiarios prædiorum Stabulensium.

Anno 1151. DOmino suo & patri VVIBALDO venerabili Stabulensi abbati, frater R. obedientiæ, subjectionis ac orationum devotissimum munus.

Sabbatho post discessum vestrum Leodium profecti Dominica venimus, ibique abbatem Florefiensem (a) de bonorum suorum violenta rapina querimoniam facientem invenimus. Cui ab archidiaconis & abbatibus die eodem, nobis vero in crastino responsum est, proximo sabbatho episcopum venturum, reverti nos ea die debere in palam querelam nostram facturos, se vero nobis in omnibus justitiæ nostræ affuturos. Itum est, reversum est, & die prædicto in conventu magno archidiaconorum, abbatum, cleri litteras vestras domino episcopo præsentavimus, quibus a fratre Henrico palam distincte recitatis, respondit episcopus, dubitare se, utrum liberos homines parrochianos suos excommunicare possitis, judicio tamen archidiaconorum consilioque omnia acturum. Causa tam nostra quam Florefiensis in crastinum protracta est, & præsente frequentiore conventu requisitus episcopus causam nostram in responsis archidiaconorum dixit consistere, archidiaconi nihilominus privilegia & jura ecclesiæ nostræ neque consilio, neque judicio suo velle convellere. Tum episcopus cum, inquit, abbatem vestrum & privilegia & cartas ejus videro, consilio meorum, quæ justa sunt, agam. At nos de responso hoc præmuniti, A diffugiis ejus sic obviavimus. Quoniam tempore prædecessoris vestri domini ALBERONIS excommunicationem ecclesiæ nostræ ratam habere nolentis, archidiaconi, qui adhuc superstites sunt, & præsentes sunt, excommunicationem in VValterum de *VVarnanz* & Balduinum de *Hosden* a nobis factam ratam esse censuerunt. Viderit prudentia vestra, si judicio & testimonio archidiaconorum & priorum ecclesiæ vestræ possit refragari. Verumtamen quoniam dominus abbas abest, in cujus custodia & potestate privilegia ecclesiæ nostræ sunt, qui ea, cum necessitas poposcerit, tempore & loco personæ B congruenti relegenda præsentabit: nos in articulo hoc ecclesiæ nostræ prætermittentes, auctoritate domini papæ Eugenii roboramus sententiam ejus de incendiariis datam, sicut de vestris ita de nostris observari postulantes. Et prolata schedula lectoque capitulo de incendiariis, (b) auctoritate do- [b]
mini papæ sententiam ejus de incendiariis nostris ratam eum habere & observare urgebamus. Tandem adductus vel instantia nostra, vel ne domini papæ offensam incurreret, dixit se privilegiis nolle contraire: præceptis vero domini papæ velle libenter obedire: statim excommunicationem in incendiarios nostros datam archidiaconos ex auctoritate domini papæ præcepit observare. Illis vero nomina eorum de manu ejus requirentibus, cum ipse ea per se dare nollet, dies in noctem protracta est. Tandem ipse nominum schedulam per se recepit, numquam nisi coactus sententiam de incendiariis nostris observaturus. Ita ab eo recessimus parum adhuc certi, quid super hoc egerit. Fama erat & constabat, quod dominus episcopus nuntios suos ad Urbem direxerit, & quod ad D curiam præsentem domini regis VVormatiam iturus erat, mille marcis datis dominum regem in perniciem & depopulationem comitis Namurcensis adducturus. Comes autem per abbatem Florefiensem nos multum sollicitavit, ut ejus verbum apud dominum regem manuteneretis, & bono fine, si possibile esset, terminaretis. Episcopus & comes nullo modo a guerra desistere volunt, sed rursus post natale Domini cuncta devastare intendunt. Comes God. ut dicitur, Harizeis intrat terram nostram, & in Condustrio & in Arduenna depopulaturus, nisi redemtione accepta cessaverit. Comes HENRICUS nondum convaluit. Comes de Loz, *Tournines* nostram vastabit, & Bosonem & Gosuinum fratres captivos tenet. *VVellin* episcopus post natale se dicit incendio vastaturum, quod ex auctoritate domini papæ ne faceret monuimus, quia ad eum transituri eramus, quod vos etiam tam ex domini papæ, quam ex domini regis auctori-

(a) Florefia est insignis & pinguis abbatia ordinis Præmonstratensis a Godefrido comite Namurcensi fundata, duabus a Namurco leucis dissita, in qua fundator ipse conversorum habitum & professionem suscepit.

(b) Extat Eugenii papæ decretum in Incendiarios concilii Remensis anno 1148. celebrati cap. 15.

tate, prohibere satagatis. Facies rerum vestratum tam intus quam foris eadem est, quæ in exitu vestro erat, & ideo si quid jubere, si quid ordinare disponitis, beneplacitum vestrum rescribite. Consilii enim & ordinationis vestræ providentia egemus. Valete in Domino, iterum dico valete & gaudete.

EPISTOLA CCLXXXIII. WIBALDI abbatis ad Mindensem episcopum.

De causa magistri Godeboldi & presbyteri Everardi.

Anno 1151. REverendo in Christo patri suo & domino H. sanctæ Mindensis ecclesiæ venerabili episcopo, VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ abbas, exiguas orationes & devotum servitium.

Litteras vestras, quas scripsistis ad nos pro causa magistri Godeboldi & presbyteri Everardi de *Hemeringe*, XVII. Kalendas Octobris in prædio quodam Stabulensis ecclesiæ recepimus, sed quia tunc longe a partibus vestris abfuimus, & dein procedente tempore plures causæ nobis inciderint, tam de publicis regni negotiis, quam de privatis occupationibus, prænominatum presbyterum Everardum secundum petitionem vestram convenire non potuimus. Ubi vero ad has partes regressi sumus, venientem eum ad nos interpellavimus, & ut petitioni vestræ adquiesceret, & quæ offerrentur ei a vestra mansuetudine pro bono pacis & concordiæ gratanter reciperet, ipsi persuadere tentavimus. Ipse autem conqueritur, quod ab eisdem hominibus, qui ante ei injurias irrogaverant, & substantiam suam abstulerant, novas iterum rapinas pertulerit, & quod ex eo tempore, quo ad nos mandatum domini papæ detulit, de porcis suis, quod valet XV. sol, ei abstulerint, & insuper omnem fructum; quem de glandatico suo præsenti anno habere debuerat, quem in summam magnam computavit, sibi usurpaverint. Cum ergo ei plurima hinc inde proponeremus, & ad terminandam tam longi temporis discordiam recipere, quæ oblata sunt, eum cohortaremur, tandem interveniente potioris consilii ratione, cessit nostræ commonitioni, & tria talenta, quæ pro quiete & amore Godeboldi offertis ei, se accepturum promisit, ita si de aliis personis, a quibus sua bona conqueritur distracta, quemadmodum promisistis, ecclesiasticam ei justitiam faciatis. Sive igitur in hoc verbo sive alio quolibet modo controversia, quæ est inter eum & magistrum Godeboldum terminetur, & ut ei de ablatis bonis suis justitia fiat, & hæc omnia infra spatium quindecim dierum consummentur, discretionem vestram attente monendo rogamus, quia sententiam domini papæ, quam annuntiandam injunxit nobis, diutius, si hoc perfectum non fuerit, sub silentio tenere non præsumimus. Conqueritur præterea idem Everardus presbyter, quod clericus de *Jacheim* ubicumque potest, vel per se vel per submissas personas bona sua ei auferat, & eosdem laicos, qui rebus suis eum spoliare non cessant, ad damnum suum familiares habeat, quod quam absurdum sit & quam inconveniens ordini suo, discretio vestra perpendat.

EPIST. CCLXXXIV. PRÆPOSITI, decani & canonicorum Mindensium, ad VVibaldum abbatem.

Frustra tentatam pacem inter Godeboldum & Everardum ei terminandam committunt.

DOmino suo sanctæ Corbeiensis ecclesiæ reverendo abbati VVIBALDO, VV. per misericordiam Dei Mindensis præpositus, R. decanus cum universis fratribus suis, assiduas in Christo orationes & subjectionis fidele obsequium. Anno 1151.

Litteras sanctitatis vestræ, quas scripsistis pro causa magistri Godeboldi & fratris Everardi, dominus noster episcopus in quodam castro ecclesiæ, quod dicitur VVilippa, recepit & audivit, & eas postea nobis transmisit; quas nos cum debita reverentia suscepimus, & fratri Everardo, ut omnem querimoniam & laborem deponeret, & in futurum vir bonus esset, & virum innocentem & optimum magistrum Godeboldum, quem multis injuriis molestavit, per subjectionis obsequium & pacis ingressum placare studeret, persuadere multis modis tentavimus, sed idem frater nostris consiliis se intractabilem exhibuit, & ideo cum eo compositionis introitum invenire non potuimus. Nos itaque per fideles fratres nostros sanctitati vestræ valde devotos omnem tractatum & consilium hujus negotii vestra discretione & ordinatione cum fratribus nostris terminandum, ad aures pietatis vestræ transmittimus, tum propterea ut fratris nostri innocentiam vobis ostendant, tum etiam propter hoc, ut super his, quæ coram vobis fuerint stabilita, & firmata, vos in testimonium habeamus, & si prædictus frater Everardus nostram quietem turbare & pacis compositionem violare præsumserit, vos nobis in adjutorium sitis, quia veritatis filius & multorum præsidium ab hujusmodi impugnatione liberabit.

A

EPISTOLA CCLXXXV. WIBALDI abbatis ad Godeboldum.

Significat ei articulos pacis initæ cum Everardo presbytero.

Anno 1151. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, dilecto fratri & amico suo Godeboldo benedictionem & vitam usque in sæculum.

Meminit dilectio tua, quod scripta domini papæ ad nos accepimus, ut te studiose B commoneremus, quatenus Everardo presbytero ecclesiam de *Hemeringe* & omnia ei ablata per te & alios in integrum infra viginti dies, postquam a nobis commonitus esses, omnino restitueres, & de cetero eum pacifice possidere permitteres. Fecimus itaque quod nobis imperatum fuerat, & tam jussionem domini papæ quam nostram admonitionem in tantum valuisse gaudemus, ut ex consilio religiosorum & sapientum virorum cum prædicto Everardo in concordiam redieris. Modus autem concordiæ & reconciliationis in futurum valituræ hic est. C Dedimus eidem Everardo a parte tua tria talenta denariorum, ea conditione, ut te ab omni querimonia sua tam de injuriis quam de damnis sibi ante illatis liberum & absolutum dimitteret, & ipse de cetero prædictam ecclesiam suam in pace obtineret. Deposuit itaque in manu nostra sub idoneo monachorum, clericorum & laicorum testimonio omnem querelam, quam adversum te usque in præsentem diem habuerat, tecumque in gratiam & veram pacem rediit, nosque ab executione mandati domini papæ liberos sponte dimisit, & domino papæ pro adepta justitia gratias egit, nobisque D pro studio sollicitudinis devote benedixit. Tuæ itaque fraternitati tam præsentibus litteris quam aliis, quibus opportunum fuerit modis testimonium perhibemus, quod mandatis domini papæ & nostræ admonitioni devote obtemperans fueris, & sententiam, quæ in vindictam inobedientiæ intentata tibi fuerat religiose & prudenter devitaveris. De his vero, qui prædicto Everardo sua diripuerunt, justitiam a domino episcopo reposcet, juxta quod eidem domino nostro episcopo a domino papa injunctum est, & E ipse nobis per litteras suas se fideliter facturum repromisit. Tu autem adversus eumdem Everardum de cetero nullius offensæ memor eris, sed cum eo veram pacem & concordiam de omni ante acta controversia in bona fide habebis.

EPIST. CCLXXXVI. WIBALDI abbatis ad Henricum Mindensem episcopum.

Facta inter Godebaldum & Everardum pace, mandat ut eidem Everardo de ablatis ab aliis justitiam faciat.

REverendo patri suo & domino H. sanctæ Mindensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ servus, exiguas orationes & devotum servitium. Anno 1151.

Meminit paternitas vestra, quod litteras domini papæ ad nos accepimus, ut canonicum vestrum magistrum Godeboldum studiose commonefaceremus, quatenus Ever. presbytero ecclesiam de *Hemeringe* & omnia ei ablata per se & per alios in integrum infra viginti dies post acceptam admonitionem nostram omnino restitueret, & de cetero eum pacifice possidere permitteret. Fecimus itaque quod nobis imperatum fuerat. Sed vestra sublimitas nostræ parvitati sollicite injungere dignata fuit, ut reconciliationis & concordiæ mediatores esse satageremus, hac videlicet ratione, ut idem Ever. tria talenta nummorum acciperet, & de aliis personis, a quibus sua bona conqueritur distracta, ecclesiasticam ei justitiam vos faceretis. Ad quam conditionem recipiendam licet, idem Ever. satis cunctaretur, nostro tamen studio pro pace Mindensis ecclesiæ devotius annitente, sicut vobis placuerat, perfectum est. Nam acceptis de manu nostra tribus talentis nummorum, omnem querelam & actionem, quam adversus magistrum Godeboldum, D hactenus habuerat, sponte deposuit, & cum eo in veram pacem & gratiam absque simulatione & dolo rediit. Rogamus itaque celsitudinem vestram, quam vera in Domino caritate plurimum diligimus, ut prædicto Everardo presbytero, qui jam diu apostolicæ mansuetudinis aures crebris clamoribus fatigavit, canonicam justitiam de his, qui bona sua violenter invaserunt, sine prolixioris moræ obstaculo, faciatis, tum pro domini papæ, qui hoc vestræ discretioni & viva voce & litteris injunxit, reverentia, tum pro nostræ petitionis interventu, qui vobis hoc vera & humili fide consulimus, & ex promisso vestro per litteras tamquam debitum reposcimus.

EPISTOLA

EPIST. CCLXXXVII. VVIBALDI abbatis ad H. Moguntinum archiepiſcopum.

De ſolvendo matrimonio Folcuini de Sualemberg, *ob uxoris diſſimulatam infirmitatem.*

Anno 1151. REverendo patri ſuo & domino H. ſanctæ Moguntinæ eccleſiæ venerabili archiepiſcopo, VVIBALDUS Dei gratia Corbeienſis eccleſiæ ſervus, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Referente domino Folcuino de *Sualemberg* didicimus, quod juxta ſacerdotalis officii dignitatem erga ipſum & uxorem ejus diſtricte juſtitiam cuſtodiatis, & relicta carnis & ſanguinis caritate, ſpiritum, qui libertatis eſt auctor & propagator, ſequamini. Unde & nos gloriæ veſtræ plurimum in Domino congaudemus, quippe qui in hac cauſa nihil aliud quam veritatem diligimus, etſi quos offendimus, propter veritatem offendimus. Teſtatur ſiquidem prædictus Folcuinus, quod antequam eamdem uxorem ſuam deſponſaverit, a quibuſdam pro certo compertum habuerit, quod morbo caduco laboraret, & multorum ac religioſorum virorum teſtimonio ſe probare poſſe aſſerit, quod ſibi eam copulare nollet, ſi veraciter tali infirmitate detineretur, & hoc parentibus puellæ palam indicaverit. Novit autem eruditio veſtra, quod cum in omni contractu fraus & dolus abeſſe debeat, præcipue in contrahendo, ubi fides & ſacramentum ſpectatur, nullius doli debet eſſe ſuppoſita commixtio. Quod ſi ita eſt, nulla regula conſtringi poteſt ad ſequendum id, quod nec intendit, cum faceret; nec voluit, cum ſentiret. Scienti legem loquimur, & non ignoranti, ſub quo lapſus periculo & laicus & juvenis jam longo tempore verſetur. Quod ſi ad partes noſtras acceſſeritis, venire ad veſtram celſitudinem pro eadem cauſa parati ſumus.

EPIST. CCLXXXVIII. VVIBALDI abbatis ad Henricum Mindenſem epiſcopum.

Scribit in gratiam Regenberni canonici, quem B. Mariæ in Monte abbatiſſa vexabat.

Anno 1151. REverendo in Chriſto patri & domino H. ſanctæ Mindenſis eccleſiæ venerabili epiſcopo & dilectis fratribus & dominis ſuis ejuſdem eccleſiæ canonicis, frater VVIBALDUS Dei gratia Corbeienſis eccleſiæ ſervus, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Veniens ad nos frater Regenbernus canonicus eccleſiæ beatæ Mariæ in Monte, retulit nobis ex ordine, qualiter occaſione cujuſdam verbi præfatæ eccleſiæ abbatiſſa cum inordinate, quemadmodum nobis videtur, gravaverit, & præbendam ſuam ei interdixerit. Quia igitur in eccleſia veſtra cœpimus eſſe pacis amatores & concordiæ cooperatores, paternitatem veſtram per fraternam caritatem, de qua plurimum apud vos confidimus, intime rogamus, & quantum licet, in Domino cohortamur, ut nullam diſſenſionem in eccleſia veſtra naſci & creſcere ſinatis, quia ſæpe fieri ſolet, ut de minimis ſcintillis maxima oriantur incendia. Siquidem eruditioni veſtræ brevi ſermone ſatis ſuggeſtum eſt, quod quædam ſæcularia jura confundi cum eccleſiaſticis ac permiſceri non poſſunt. Hoc ideo dicimus, quod prædictus clericus nec per hominagium canonicam ſuam potuit accipere, nec recuſato hominagio amittere.

EPIST. CCLXXXIX. VVIBALDI abbatis ad VV. Mindenſis eccleſiæ præpoſitum majorem.

Scribit in gratiam Regenberni canonici.

Anno 1151. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, dilecto fratri & amico ſuo VV. venerabili ſanctæ Mindenſis eccleſiæ majori præpoſito, benedictionem & vitam uſque in ſæculum.

Dilectionem veſtram, de qua plurimum confidimus, intime rogamus, ut ſicut proximis litteris nos admonere & cohortari curaſtis, quatenus ad pacem & concordiam Mindenſis eccleſiæ in cauſa magiſtri Godeboldi laboraremus, ita nunc in cauſa Regenberni benigno adniti ſtudio dignemini, ne quid in eum vel ipſius poſſeſſionem præter jus & æquum admittatur. Siquidem eccleſiaſticæ poſſeſſiones ſæculari jure non ſunt omnimodo cenſendæ, & ſicut canonica clerici jure laico regulariter non accipitur, ita etiam nonniſi ordine canonico amittitur. Sapienti ſat dictum eſt, quia de parvis odiorum fomentis maximæ interdum inimicitiæ & infiniti labores ſuccreſcunt.

EPISTOLA CCXC. H. DUCIS Saxoniæ & Bavariæ ad VVibaldum abbatem.

Rogat ut in curia Ratisbonenſi adſit ſibi coram rege.

Anno 1151. DOmino VVIBALDO venerabili Corbeienſis eccleſiæ abbati, H. Dei gratia dux Bauvariæ & Saxoniæ aſcendere in montem Domini & ſtare in loco ſancto ejus.

Quoniam virtutis veſtræ multa experimenta cognovimus, multum in benevolentia veſtra confidimus. Hac itaque magna præcedente confidentia, quia Dominus & vera loquendi audaciam, eademque diſcrete proferendi vobis præ multis aliis contulit ſcientiam, veſtram adimus obnixe deprecantes benevolentiam, quatinus in curia, quam rex ſecundo idus Junii Ratiſbonæ celebrandam indixit, nobis aſſiſtatis, & quam, in nos det ſententiam, audiatis. Pollicitus eſt enim, quod ſecundum juſtitiam vel principum conſilia, qui ad curiam confluent, ſe nobis reſponſurum. Valete & de integerrimæ dilectionis affectu ex noſtri parte ſitis indubii. Dominum Theodericum de *Rikelingen*, filioſque ejus dilectioni veſtræ commendamus, & ut eis benignus exiſtatis, intime rogamus.

EPISTOLA CCXCI. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

Scribit in gratiam Regenberni canonici.

Anno 1151. REverendiſſimo patri & domino EUGENIO, ſanctæ catholicæ eccleſiæ uni & univerſali papæ, frater VVIBALDUS Dei & veſtra gratia, id quod eſt in eccleſia catholica dilectionem filii & obſequium ſervi.

Lator præſentium in eccleſia quadam Mindenſis epiſcopatus canonica ſua per violentiam, ut ipſe conqueritur, ſpoliatus eſt, cui ante appellationem ſuffragium reconciliationis conferre conati ſumus, in quo cum nequaquam proficeret, tandem veſtræ celſitudinis præſentiam appellavit, & ſuos adverſarios determinata die ibidem auctoritate veſtra invitavit. Unde ſublimitatis veſtræ pedibus devote animo advoluti, clementiam veſtram, quantum noſtræ parvitati conceditur, humiliter imploramus, ut cauſam ipſius pie audire dignemini, & ad ſublevandas ipſius oppreſſiones, manum benigniſſimæ defenſionis extendere. Paternitatem veſtram diu cuſtodiat omnipotens Deus.

EPISTOLA CCXCII. VVIBALDI abbatis ad A. Colonienſem præpoſitum, &c.

Gratias agit pro collatis beneficiis.

Anno 1151. CArißimo domino & amico ſuo A. venerabili ſanctæ Colonienſis eccleſiæ majori præpoſito, regiæ curiæ cancellario, frater VVIBALDUS, Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſalutem & benedictionem.

Mittetis nobis per præſentem puerum noſtrum cindalia candida, ut mittere diſpoſuiſtis, quæ cum rogaremus, non dediſtis, cum non peteremus, obtuliſtis. Liberalitatem veſtram & ſtudium ſenſit ſtatus Stabulenſis eccleſiæ, ſenſit penu noſtrum, ſenſit menſa noſtra, ſenſit marſupium noſtrum, ſenſit ſtabulum noſtrum, ſed ut capella noſtra pauper & modicâ ſentiret largitatem, munificentiam & liberalitatem veſtram, neque Gallia, neque Germania, neque tota Græcia, neque Oriens adjuvare potuerunt. Nos tamen grati & memores ſumus, & ab omni ingratitudine rebus & animo alieni, plurima nos accepiſſe, & aut nulla vel pauca retribuiſſe cognoſcimus. Si aliqua innovata ſunt in conſilio domini noſtri poſt receſſum noſtrum, nobis ſignificare non gravemini.

EPISTOLA CCXCIII. VVIBALDI abbatis ad ſuos Stabulenſes.

Anceps an duas adeo ab ſeſe diſſitas abbatias regere debeat, conſilium ab eis petit quid in tanto ſibi periculo ſit agendum.

FRater WIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, Roberto decano & ceteris Stabulenſis eccleſiæ fratribus, ſpiritu conſilii & fortitudinis abundare. Anno 1151.

Deliberate cogimur de verbo & ad effectum perducere, quod ſæpe in conventu veſtro tractaſſe nos veſtra recolit fraternitas, videlicet, quod duobus monaſteriis tam longe diſtantibus, tam amplæ poſſeſſionis & familiæ præeſſe nequaquam ſufficimus, licet a magiſtris eccleſiarum & a domino noſtro rege ſereniſſimo clementer permittamur. Quanta enim malitia temporibus iſtis increverit, quando nec per eccleſiaſticam nec per ſæcularem juſtitiam adjuvamur, miſerabilis vexatio, quæ quotidianis rapinis & incurſionibus monaſterium veſtrum diſſipat & affligit, experientiam veſtram crudelibus documentis intelligere fecerunt. Sed ſicut ad regimen Corbeienſis monaſterii præcipiti ambitione non declinavimus, ſed poſt divinam per electionis canonicæ titulum vocationem, veſtra in omnibus auctoritate, conſilio & ordinatione uſi ſumus, ita nunc rerum difficultates & pericula ſollicite penſantes, & tanto ponderi penitus ſuccumbentes, ad conſuetum veſtri conſilii oraculum refugimus, nullo modo dubitantes, quin hoc, quod in re tam ancipiti & a noſtræ optionis capacitate tam remota nobis a veſtræ fraternitatis unanimitate fuerit injunctum, a divina ſit miſericordia & diſpenſatione procuratum. Abſit autem a pietate cordium veſtrorum, ut credatis, nos in has cogitationes aut ira impellente, vel motu cogente, aut alicujus laboris ſuffugio ſuadente, repente incidiſſe,

cum divina judicia in his multa mentis contritione formidemus, & hominum sententias & clamores nonnihil metuamus; & si nos duplicatæ dignitatis gradus delectatio titillaret, palam tamen sit omnibus recte considerantibus, quod & morum & possessionum irreparabilia detrimenta in procuratione tam remotarum & tam grandium rerum quotidie suscipiamus. Exitus autem noster a vobis, qui visus est quibusdam perturbatus & repentinus, longe ante fuerat prævisus, & propter quasdam vociferationes, quæ a Corbeiensi monasterio nos molestabant, necessarius, cum anima nostra turbata esset valde in rebus vestris, non propter verbi alicujus commotionem, sed propter totius terræ per cædes, per incendia, per rapinas, assiduam vastationem, & tacitam esse oportuit nostram egressionem propter afflicti populi reclamationes & retentiones importunas, & propter magnorum & multorum latronum omnia fere itinera obsidentium insidias. Valete & in hac matris vestræ causa Sancti Spiritus adsit vobis gratia.

EPISTOLA CCXCIV. VVIBALDI abbatis ad H. Stabulensem monachum.

Declarat rationes quæ ipsum a retinenda abbatia Stabulensi deterrebant.

Annor151. FRater WIBALDUS dictus abbas, dilecto filio suo H. benedictionem.

De statu immo de nutatione animi nostri certius ex litteris communibus valebis addiscere. Quæ autem nos a regimine Stabulensis monasterii deterreant, licet ignorare non possis, breviter tamen tuæ vigilantiæ annotabimus. In primis magna est ruina ordinis nostri, quam in tam multiplici rerum necessariarum defectu nos sublevare posse non confidimus. Porro tanta est apud vos rerum tenuitas, & præbendæ quotidianæ defectus, ut etiamsi totum regnum firmissima pace fruetur, vix tamen valeret se Stabulensis ecclesia sustentare. Advocati vestri peccatis facientibus non sunt pauperum defensores, sed crudelissimi vastatores, & libertatis vestræ inimicissimi insidiatores. Ministeriales vestri, qui maxime deberent ecclesiam sustentare, conversi sunt in arcum pravum, & neque mandatis obtemperant, neque agriculturam, ubi ipsi villici sunt, exercere adjuvant, sed quod deterius est, impediunt & vastant. A quibus detrimentis nulla fere ecclesiæ vestræ possessio aliena est, & maxime illæ curtes vacuæ & neglectæ sunt, de quibus præcipua & præbendæ supplementa capi solebant. Inter hæc autem diurna flagella nullum nobis auxilium vel ab ecclesiastica vel a sæculari potestate. Non est itaque, si hæc omnia diligenter con-

A siderata tabescere faciunt sicut araneam animam nostram, & de salute & nobis commissorum sollicitius cogitate. Qualiter vero nostra ordinatio in Corbeiensi ecclesia sit a domino papa EUGENIO in civitate Meldensi confirmata, tu melius nosti, qui præsens eras, & nos absentes fuimus.

EPIST. CCXCV. STABULENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Dehortantur eum a dimittenda abbatia Stabulensi.

DOmino & patri suo venerabili Stabu- Annor151. lensi abbati VVIBALDO frater R. cum omnibus Stabulensibus viriliter agere & confortari in Domino.

Acceptis, amantissime pater, sinceritatis vestræ litteris, quæ animi non commoti, sed futura præcaventis; non fluctuantis, sed tempora, mores & pondera rerum considerantis, intentionem aperiebant, ac per hoc deliberationis vestræ vias demonstrabant, appositus est nobis dolor super dolorem. Nam cum simus in hoc constituti, ut cum non transierit apud nos unum væ, aliud & aliud superveniat: cum unus nunciorum Job loquatur, & alius sine dilatione veniat: cum Deus noster opposuerit nubem sibi, ne oratio transeat, tum maxime viscerabiliter doluimus, cum nos, qui in oppressionibus nostris frequenter vestris consolationibus sublevari consuevimus, nunc demum in necessitate positos a vestræ paternitatis dulcedine pro quavis causa destitui debere intellexeimus. Sed numquam Liæ vel Rachel datus est libellus repudii, numquam bonus pastor viso lupo officium pastoris deseruit, sed & de manu speculatoris negligentis sanguis pereuntis requiritur: non debet pietas patris suos filios abdicare. Ceterum si de retentione Corbeiensis abbatiæ agitur, prima vocatio, prima sponsa respicienda potius est & tenenda. Nam & recolit prudentia vestra, quod quando tam litteris & petitione domini regis & principum, quam Corbeiensis ecclesiæ ad regimen ejusdem ecclesiæ vocabamini, præstitus estis potius a nobis quam datus; ut emancipationem vel abrenuntiationem Stabulensis ecclesiæ nemo intelligeret. Quod quia viva voce & scriptis tunc sufficienter quibuscumque significavimus, vos conventus & capituli nostri super hoc recognita sinceritate, & veritate rei juste librata, numquam ab animo Stabulensem ecclesiam matrem vestram, educatricem vestram, sponsam vestram avellatis; numquam fratrum vestrorum, filiorum vestrorum, non tam adoptionis quam uteri curam deseratis. Nec enim bonum est, ut qui divitiis ecclesiæ Corbeiensis secundum promissum adjuvari expectabamus, ejus nunc oc-

casione a vestræ paternitatis sollicitudine A destitui debeamus. Spreta ergo omni tribulatione cordis, ad diligentes vos quantocius redite, & in necessitate multa constitutis cum Dei adjutorio expectantibus vos consilii vestri manu præsentialiter subvenite.

EPISTOLA CCXCVI. HENRICI monachi Stabulensis ad VVibaldum abbatem.

Ejusdem argumenti.

Anno 1151. REverendissimo in Christo patri suo & domino VVIBALDO, Stabulensis ecclesiæ venerabili abbati, Henricus quidquid patri carissimo devotus filius. B

Dignationis vestræ litteris diligenter perlectis, nihil, pater carissime, in eis invenire ingenioli mei potuit tarditas, quod vel benignitatis vestræ prudentiam a nobis deterrere, vel mentis vestræ statum a Stabulensis ecclesiæ regimine digne perturbare valeat. Nam & ordinis incrementum & præbendæ restaurationem, quandocumque ad hæc apponere animum vestra curabit diligentia, ea vobis administrabit caritas, quæ C in ruinis ecclesiæ nostræ refarciendis absque graviori discrimine omnem benevolentiæ vestræ semper administravit copiam. Ministerialium vero nostrorum negligentiam & advocatorum insolentiam, quam satis aluit vestra interdum a nobis absentatio, non parum reprimet, & quotidianus noster clamor & præsentiæ vestræ diuturnior assiduitas: nam gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo. Quid autem Meldis de ordinatione Corbeiensis ecclesiæ me præsente actum sit, nescio: nam si sapio, id, quod scio, nescio. Levius autem sopiri solent illa, quæ sub specie pietatis ad pauper- D tatem redeunt, quam ea quæ sub nomine felicitatis tenuitatem summis divitiis commutare intendunt. Ceterum, pater amantissime, ut ad ea, quæ fratribus in commune scripsistis, breviter respondeam, nullo modo paternitatis vestræ gubernatione, nulla ratione moderationis vestræ regimine carere volumus aut possumus, cum in hoc convenerimus, & fixum teneamus, quod potius eo ipso modico thesauro, quod apud nos est, carere velimus, quam sub titulo alterius ecclesiæ personæ vestræ regimen E amittere. Quare, pater, ea speciali confidentia, qua me semper filium vocare consuevistis, benignitatem vestram attente obsecro, ne nos super hoc verbo ultra perturbare intendatis, ne ruinam & desolationem loci, quem ædificastis, quod absit, oculis corporalibus in brevi videatis.

EPISTOLA CCXCVII. VVIBALDI abbatis ad suos Stabulenses.

Scribit eos in dando consilio nimis properasse, consulendos etiam fuisse Malmundarienses & alios vicinos, precesque ad Deum ante omnia adhiberi debuisse.

REverendis in Christo fratribus & do- Anno 1151.
minis Roberto venerabili decano & ceteris Stabulensis ecclesiæ filiis, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, magni consilii angelum.

Recognovimus in litteris, quas proxime ad nos vestra unanimitas direxit, vestrum illum circa nos incorruptum & inexpugnabilem affectum, quo nos a principio amplecti & confovere perseveratis, ut vere vos amicos dixerimus, qui permansistis mecum in tentationibus. Verum, fratres carissimi, dolemus vos nimium properasse in re tam difficili, tam ardua, tam necessaria, super qua universitatis vestræ consilium tamquam divinum responsum quæsivimus, ubi nec orationes præmissæ, nec fratres Malmundarienses vocati, nec laici fideles & filii ecclesiæ sunt invitati, veremurque, ut pace omnium dictum sit, ne de cordibus vestris prophetetis, & nobis, quibus res est pro anima, parum provide consulatis. In retransitu enim nostro ad vos, ut de domino nostro rege taceamus, plurimum domini papæ offensam metuimus, quibus neglectis & adversum nos commotis, parum vobis vel alicui prodesse possemus. Fundendæ sunt igitur ad Deum preces cum omni humilitate & devotione, quærendum est non solum universæ ecclesiæ vestræ, sed etiam vicinarum consilium & suffragium, ut divina pietas talem vobis præstare dignetur pastorem, qui ex ejus dono possit sanare contritos corde, & alligare contritiones vestras. In eo autem quod scripsistis, quia numquam bonus pastor viso lupo officium pastoris deseruit, recolere debet vestra prudentia, quam multos, quam magnos, quam atroces lupos in regimine Stabulensis ecclesiæ his viginti annis, quibus ei servivimus, non absque periculo mortis & gravibus scandalis & opprobriis sustinuerimus, nec adhuc ferre detrectaremus, si eidem soli ecclesiæ adscripti essemus. Sed cum in Corbeiensi ecclesia lupi non desint, & pastoris sit necessaria tam prudentia quam vigilantia, elegimus uni, vel si sic expedit, neutri servire, quam utrique incubando, neutri prodesse. Et ut ad verba veteris historiæ respondeamus, nullo modo credatis, quod amorem posterioris primæ præposuerimus, quæ nec pro mandragoris *Ruben* nos ad priorem ingredi ad propagandam sobolem æquo animo patitur, sed in omnibus divinæ bonitatis

propositum per orationis & consilii vestri suffragium inquirimus. Spiritus-sancti gratia dignetur illuminare corda vestra. Amen. Quanto majores pressuras ecclesia vestra patitur, tanto magis indiget communi consilio, quia nihil temere aut præcipitanter hoc in negotio agere volumus, sed cum tanta maturitate consilii, ut & factum nostrum creatori nostro placeat, & hominum recta judicia non offendat.

EPISTOLA CCXCVIII. VVIBALDI abbatis ad Henricum monachum Stabulensem.

Perseverat in voluntate abdicandæ dignitatis abbatialis Stabulensis, optatque hac de re Dei beneplacitum agnoscere.

Anno 1151. FRater VVIBALDUS dictus abbas, dilecto filio Henrico salutem & benedictionem.

Dolor capitis & invalitudo oculorum suadent nos eruditioni tuæ brevius scribere quam vel tempus vel materia postulat, præcipue cum hæc, quæ scribimus, tam secreta sint, ut alienæ manus uti non præsumamus adminiculo. Tacebimus nunc de bona spe, qua nos ad res difficiles, immo fere impossibiles ferendas & corrigendas benigna caritate cohortaris, & nos promovere tentas pietatis studio, ne illa etiam corporalibus oculis prolabi videamus, quæ ad cultum divinæ religionis in Stabulensi monasterio labore multo & sumtu ædificavimus, quæ satius fuerat in animarum cultibus, quam in parietum nitore expensa fuisse. Ad illud respondebimus, quod scripsisti te nescire, quid apud Meldas de ordinatione nostra in Corbeiensi ecclesia sit actum. Ais enim, si sapio, id quod scio, nescio. Et subjungis, quid tibi levius & plausibilius videatur, non quid ordo postulet, quid regula doceat, quid obedientia poscat. Et illud quidem proverbium non est sumtum de lege, de evangelio, de apostolo, de doctrina ecclesiastica, gentile est, sæculare est, comicum est, personæ est levis, & aut verbera vel aliquam incommoditatem fugere suadentis: non est de salute animarum, non est de dilectione Dei & proximi, non est de metu gehennæ, non est de desiderio cœlestis patriæ. Nos juvenes ista te docuimus puerum, quando in his studiis ludentes tuam capacitatem instruebamus, ut latina plane intelligeres & recte proferres, non ut falsa loquereris, aut vera contra Deum taceres. Nunc nostra schola hoc profitetur, hoc docet: Si sapis, id quod scis, scis, & id quod nescis, inquiris & discis in his dumtaxat, quæ ad religionem & cultum Dei & ad animarum salutem pertinent. Et ideo, fili carissime, sicut nobis, ita & tibi fugienda est inobedientia, ne in regimine alterius ecclesiæ vel nos simus admissi non per ostium, aut grex audiat vocem alieni, & pastor sit fur & invasor, grex autem seductus & prævaricator. Nos in quantum sapimus, id, quod scimus, scimus, videlicet quod dominus papa tam viva voce quam litteris de eodem verbo nobiscum egerit, & discere desideramus, quid in tam arduo negotio Deo nostro sit beneplacitum & saluti nostræ conveniens, & utrisque ecclesiis, quibus jam non sufficimus deservire, proficuum; nec ab hominum veris judiciis abhorrens. Sed videmur tibi concupiscere divitias & paupertatem abhorrere. Mihi crede, in Domino fili, non est verum, sed Deum per viam obedientiæ invenire satagimus, & ita relinquere alteram, ut alteri prodesse valeamus. Quod si non procedit, melius est utramque relinquere, quam in neutra proficere; magnares est, & a Deo petenda.

EPIST. CCXCIX. STABULENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Malmundarienſium vota ſuis concordare eo in retinendo.

Anno 1151. DOmino & patri suo venerabili Stabulensi abbati WIBALDO, frater Robertus & tota Stabulensis ecclesiæ congregatio, debitam subjectionem.

Sollicitudinis vestræ verbo accepto, fratres nostri Malmundarienses in nullo a nobis discrepant, nam idem sapimus omnes, & non sunt in nobis schismata, quod sinceritati paternitatis vestræ eo significamus attentius, quod numquam a paternitate vestra divelli, quod a regiminis vestri moderatione numquam recedere volumus. Quod autem laicis negotium hoc per nos non innotuit, ratio temporis poposcit, ne temerarie solito confidentius in nostra manus injicerent, ne fidei & constantiæ nostræ in aliquo detrahere possent, ne itum vel reditum vestrum in se consistere jactitarent. Orationes autem ad Deum pro magnis & continuis pressuris nostris, & ut nobis pacem mentis & corporis cum spiritu consilii & fortitudinis tribuat, incessanter fundimus, in pace enim vestra nostra consistit. Unde iterum iterumque universitatis nostræ petit facies, ut fratrum, filiorum & amicorum vestrorum memores, ecclesiæ Stabulensi jam labenti, & pauperum vobis commissorum multimodis tribulationibus subveniatis, & in ultimo necessitatis articulo jam pene constitutis, consilii & auxilii manum non subtrahatis.

A

EPISTOLA CCC. HENRICI monachi Stabulensis ad VVibaldum abbatem.

Ne obedientes filios pater optimus deserat.

Annotis. REverendissimo in Christo patri suo & domino WIBALDO venerabili Stabulensi abbati, Henricus quidquid patri filius.

Licet, pater amantissime, multiplices querelæ & quotidianæ vexationes pauperum nostrorum ita cor & animam meam amaritudinibus repleverint, ut vix alia verba, quam væ & væ in mente habeam, tamen pietatis vestræ sinceritati pauca scribere curavi, non quod eruditionem vestram, aut animum semper providum, semper alta sapientem instruere intendam, sed ut solita simplicitate filialem devotionem carissimo patri semper exhibeam. Prætermittens itaque omnium quæstionum propositiones & argumentorum conclusiones, quæ de *scio* & *nescio* contactæ sunt, quantum capacitatis meæ intelligere potest tarditas, non ordo poscit, non regula docet, non obedientia præcipit, non jus aut lex demonstrat, ut pater filios obedientes abdicet, ut mater filiis tempore necessitatis ubera subtrahat, ut bonus pastor oves congregatas alienis male dissipandas relinquat. Neque enim est contra salutem animarum sive contra dilectionem Dei & proximi, seu alienum a desiderio cœlestis patriæ, præesse & providere filiis, diligere & regere ecclesiam, quam vobis commissam esse scitis, quæ etsi modo peccatis exigentibus flagellatur, potens est liberare eam Deus, qui locum, in quo sita est, ad serviendum sibi elegit ante sæcula. Quare, pater carissime, paupertate ecclesiæ nostræ, quæ vos a prima fere ætate nutrivit, aluit & promovit, contentus, eam nequaquam deseratis, quia hoc secundum hominum justam æstimationem & vera judicia longe esset a paterna caritate, & secundum Deum, secundum Apostolum, secundum christianam doctrinam alienum esset ab omni religionis pietate. Ceterum quare ad consilium fratrum laici non sint admissi ex litteris conventus plenius intelligetis. Nequaquam arcana consilii nostri cum his participare volumus, qui semper contra nos sunt, qui semper nostra & vestra violenter diripiunt. Quod ergo ab ecclesia vestra ex consilio actum est, sincere factum esse paternitatis vestræ intelligat prudentia.

EPISTOLA CCCI. HENRICI monachi Stabulensis ad VVibaldum abbatem.

Iterum deprecatur ne dignitatem abbatialem Stabulensis monasterii abjiciat.

CArissimo domino suo VVIBALDO venerabili Stabulensi abbati, humilis HENRICUS obedientiam, subjectionem ac devotionem. Annotis.

Decreveram, pater carissime, digitum ponere ori meo, ut qui nescio loqui, saltem ut tacere noverim, incipiam discere. Sed præ oculis habeo, quanta in auro, argento, & gemmis variisque ornatibus ecclesiæ nostræ contulistis, quam honestis & utilibus ædificiis eam promovistis, quamque integras possessiones ejus & fundos non solum custodistis, verum etiam ab antecessoribus vestris male distractas recollegistis & auxistis, dum etiam reminiscor, quantum honestatis, disciplinæ ac sollicitudinis, mirabilisque exempli circa vos perspexerim, ad ultimum vero, quod maxime cor meum tangit, quam pie ab infantia me collegistis, quam misericorditer habuistis, quam clementer educastis, assumo cogente pietate, immo multa impellente necessitate, fiduciam, non erubesco jam humilis & indoctus excelsum (a) principem & disertissimum convenire oratorem. Quare nos, clementissime, vestra deserit mansuetudo? quare gregem multis ecce lupis expositum vestra solers derelinquit pastoralitas? quid in nobis paternitati vestræ displicuit, quia primo quidem per me nudis verbis, modo autem semel & iterum litteris & efficacibus nuntiis ecclesiam vestram solliciastis, immo turbastis, consilium de demissione alterius abbatiæ postulantes, & emissionem a nostra, quasi altera plus religionis & ordinis habeat, violenter, ut intelligimus exigentes? an ignorat vestra prudentia, quia de nobis a nobis electus, apud nos investitus, apud nos consecratus, inter nos & super nos non sine perpetuo fructu sexdecim annis conversatus, quasi nuper vocationi Corbeiensium, petitioni regis & principum abbas noster & pastor præstitus estis potius quam datus? quare de tam atroci negotio nostro non alterius ab alienis & extraneis nos quærere consilium decernitis, cum penes nos firmum non dimittendi vos consilium habeamus? quis hoc magnanimitati vestræ imposuit, ut ecclesiam, quæ vos ab adolescentia educavit, assumsit & dilatavit, deserere cupientes, ei ecclesiæ, cui præstitus estis, benedictionem nostram non sine supplantatione infundatis? cesset, quæso Domine, cesset

[a]

(a) Ergo jam ævo VVibaldi abbates Stabulenses facti Romani imperii principes erant.

hujus vestræ sollicitudinis intentio, cesset pietas vestra suos filios tam crudeliter velle abjicere, qui, ut breviter dictum sit, vagi & exules decreverunt mori potius, quam vos, dum vixeritis patrem & dominum non habere. Hæc me, pater, scripsisse fides coegit, caritas persuasit, sed sicut forte modum excessi, verba ad tantum principem impudenter & inculte proferendo, vestra mihi eruditio ignoscat, & ut in veritate dicta sunt, simpliciter ac fideliter accipiat. De cetero Deus omnipotens vos custodiat, consiliumque vestræ ad nos celeris reversionis vobis dirigat.

EPIST. CCCII. CORBEIENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Ne ad præsens abbatiam Stabulensium abdicet.

Annotat. CArissimo domino suo & patri VVIBALDO venerabili Corbeiensis ecclesiæ abbati, conventus ejusdem ecclesiæ debitam obedientiam.

Transmisimus ad sinceritatem vestram priorem nostrum & camerarium, eisque imposuimus vestræ paternitati suggerenda quædam verba ex communi deliberatione capituli nostri, quæ vobis quidem adhuc nobiscum posito suggessisse debueramus, sed consueto humanæ naturæ errore neglexeramus. Non dedignetur ergo pietas vestra adhuc clementer ea attendere, & solita benignitate susoipere. Interpellavimus sanctitatem vestram, cum adhuc nobis præsens essetis, de relinquenda Stabulensi abbatia, hoc modis omnibus desiderantes, ut jugiter apud nos essetis, & de aliis occupationibus expeditus nostris necessitatibus quietius & tranquillius providere possetis. Considerata autem iniquitate præsentium temporum, audita etiam tribulatione & incommodiate fratrum nostrum Stabulensium, liquido animadvertimus, quod nostra petitio non esset congrua ad statum præsentis temporis, nec sine maximo detrimento suo illa ecclesia posset a vobis hoc tempore relinqui. Ea propter nostram petitionem de relinquenda illa ecclesia in vestro arbitrio ponimus, tempusque relinquendi eam & opportunitatem ad nos transmigrandi in vestra discretione & voluntate dimittimus. Si qua alia capitula vestræ mansuetudini inconvenienter proposuimus, sicut præsenti facere debuimus, pedibus vestris provoluti paternitati vestræ satisfacimus, & ut ea de corde clementer dimittatis, humiliter obsecramus. Proxima transacta Dominica præpositus in capitulo denuntiavit, quod ab eadem in quatuor septimanas panem & potum congregationi ministraret, postmodum vero nec haberet nec ministraret. Quia ergo alium procuratorem, præposito nobis necessaria non dante, præter vos non habemus, omnem curam nostram de hoc verbo in vos projicimus, & ut curam habeatis de nobis tamquam omni solatio destituti paternitatem vestram rogamus.

EPISTOLA CCCIII. VVIBALDI abbatis ad H. Corbeiensem monachum.

Priorem cum monasterii Corbeiensis instituit.

FRater VVIBALDUS Dei gratia id Annot. 1151. quod est in ecclesia catholica, dilecto filio H. salutem & benedictionem.

Iniquo tempore, frater, te priorem ordinavimus, & hoc prædecessorem tuum longo tempore amovere distulimus, quoniam in palam erat neminem alium posse ordinari, in quem nostræ caritatis assensus accederet. Remansisti nunc in medio solus, graviorem postmodum sarcinam laturus, cum nos decedere oportuerit. Siquidem aut cedendum erit multitudinis ambitioni cum magno justitiæ & ecclesiæ detrimento, aut resistendum parvis suffragiis & maximo periculo. Quid de causa nostra in curia sit actum, tam ex litteris domini nostri regis ad conventum missis, quam ex viva legatorum nostrorum voce plenius poteritis addiscere. Dominus rex curiam in pascha Spiræ celebrabit, & in octava ei occurrere apud Bopardam jussi sumus, descensuri cum eo usque in Ulterius-Trajectum, nec speramus nos ab eo posse recedere ante octavam pentecostes, etiamsi impetrare poterimus, ne secum usque Ratisbonam transeamus. Nunc igitur diligentia tua nobis celerrime renuntiabit, utrum præpositus administrare fratribus suis intendat, aut officium præposituræ abdicare. Non est enim nostri propositi detrimentum sustinere in eo, in quo ipse fructum susceperit, & quando cessabit administrare, cesset & villicare, cum plane videamus publicam substantiam privatis & immoderatis sumtibus extirpari. Verumtamen utcumque ipse se gerat, si defectum fecerit, tua industria sumtis de thesauro ecclesiæ pignoribus, necessaria fratribus solicite providebit. Rescribe nobis de cunctis sollicite, & quid comes HERMANNUS postea de Corbeiensi ecclesia tractaverit, & quid ad litteras domini regis ad præsens respondeat.

EPISTOLA CCCIV. H. PRIORIS & conventus Corbeiensis monasterii ad VVibaldum abbatem.

Conqueruntur de præposito monasterii, qui vitæ necessaria ipsis denegabat.

Anno 1151. REverendo in Christo patri & domino VVIBALDO Corbeiensi abbati, frater H. prior & conventus Corbeiensis ecclesiæ devotas orationes & debitam obedientiam.

Sicut in litteris vestris universitati nostræ injunxeratis, ut cum præposito nostro conveniremus, ut absque defectu necessaria nobis administraret, facere studuimus, sed nihil promovere potuimus, ipso defectum suum prætendente, & nobis ut necessaria ministraret insistentibus. Denique inter eum & nos usque eo res processit, post multas denuntiationes, quibus defuturum nobis panem & potum denuntiaverat, quod tandem in diebus rogationum & in ipsa sancta die ascensionis Domini nos absque potu, & statim sequenti proximo sabbatho absque pane simul & potu, quod numquam Corbeiæ factum credimus, nos dereliquit. Cum ergo ipsa die sedentes ad mensam secundum ordinem & consuetudinem nostram, consueram alimoniam expectaremus, nec ab eo quidquam acciperemus, inpasti surreximus, & Deum secundum ordinem nostrum euntes ad ecclesiam cum psalmo benediximus. Statim igitur in unum congregati, quid facto opus esset in commune consuluimus, & ut vestræ paternitati hanc necessitatem celeriter insinuaremus, inter nos convenimus. Interim autem fratri A. camerario nostro licet invito & multum renitenti, hanc curam injunximus, ut donec redeat nuntius noster a vobis, panem & potum undecumque possit, mutuo acceptum nobis provideat, & argentum, quod ad sarcophagum hoc anno deputaveramus, in pignore accepit. Quoniam igitur imminentem nobis necessitatem videtis, obsecramus nobis dilectam paternitatem vestram, ut quantocius reditum vestrum ad nos acceleretis, ut de instanti periculo nos & ecclesiam eripiatis, quod sine præsentia vestra evadere non possumus.

EPISTOLA CCCV. VVIBALDI abbatis ad suos Corbeienses.

Laudat eorum in tolerando rerum necessariarum defectu patientiam, excusatque se quod tam cito ad eos redire nequeat.

Anno 1151. FRater VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, H. priori Corbeiensis ecclesiæ A fratribus & filiis benedictionem & vitam usque in sæculum.

Quod tanti & tam enormes defectus tempore hoc in ecclesia Corbeiensi contigerint, præcordialiter, Deo teste, dolemus; sed magno rerum turbine deprehensi, nullum effectum bonæ voluntatis nostræ operibus demonstrare possumus. Sed unum in tantis malis nostræ miseriæ solatium divina pietas providit, quod vos hæc incommoda tam inordinata tam inaudita, quæ numquam ante hac Corbeiensi ecclesiæ accidisse credimus, patienter & æquo animo supportatis, neque absentiam nostram, quæ vestris utilitatibus officere putatur, acerbo reprehensionis verbo fatigatis. In quo nostram sollicitudinem arctissima vobis caritate obnoxiam ita devincitis, ut nullus de cetero labor sit, nulla injuria, quam pro vestra dilectione & communi justitia subire & ferre pro viribus recusemus. Ceterum, fratres carissimi, reditum nostrum ad vos accelerare prohibet non solum Stabulensis ecclesiæ, verum etiam totius Lotharingiæ concussio & eversio, quæ utique nostra patria est, quæ nos genuit, educavit & provexit, quam prohibente domino nostro rege ac multis principibus regni deserere, & ad vos tam animo quam corpore migrare non est nobis concessum, quamvis extremæ impietatis esset parentem in tantis cruciatibus positam abhorrere & fugere, ad cujus pacem reformandam, ultra facultatis nostræ captum sex fere septimanis, quibus cum domino nostro rege fuimus, ardenter institimus; sed peccatis facientibus & cuncta in pravum trahentibus, nihil proficere potuimus. Verumtamen si in his proximis decem diebus nulla pax finitiva vel per inducias intercesserit, de totius terræ salute desperandum erit. Attamen modis quibuscumque poterimus, efficere conabimur, ut non longe post festum Barnabæ apostoli, aut ipsi ad vos transeamus, aut tales nuntios dirigamus, qui vestris opportunitatibus certo providere possint consilio, cum non ignoret vestra eruditio, quam difficile sit hoc tempore & nostræ domui, quæ ultra claustralem modum sumtuosa est, & toti monasterio providere. Interim caritati vestræ injungimus, ut studio prioris vestri & fratris A. camerarii vestri sic omnia pro tempore ordinentur, ut & fratribus non desint alimenta, nec divina inter vos cessent obsequia.

EPISTOLA CCCVI. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Ut Herimanni Trajectensis episcopi electionem confirmet, & comitem de Ara ab excommunicatione absolvat.

DIlectissimo patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici CONRADUS

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex & ſemper augúſtus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Vacante Trajectenſi epiſcopatu poſt diſceſſum piæ memoriæ HARIBERTI epiſcopi, miſimus ad eamdem eccleſiam legatos noſtros cum mandatis, motus temerarios qui in rebus hujuſmodi ſuboriri ſolent & direptiones rerum eccleſiaſticarum fieri auctoritate noſtra prohibentes. Mandavimus etiam ejuſdem urbis clero, honoratis & populo, ut depoſitis partium ſtudiis, ſeſe electioni futuræ in ſpiritu concordiæ & humilitatis præpararent, nec tale aliquid animoſitate certandi committerent, in quo libertas electionis canonicæ jus libertatis amittere convinceretur. Verum ipſi libertatem pietatis a patribus indultam in velamen malitiæ aſſumentes, diſſenſionibus & ambitione rem totam perturbare cœperunt, & longo tempore tantum poteſtatis tam in ſpiritualibus, quam in ſæcularibus rebus magnitudinem abſque rectore fluctuare permiſerunt. Ceterum ad animum rediens majoris eccleſiæ præpoſitus, & ejuſdem eccleſiæ decanus, cum reliquo clero & univerſis nobilibus unanimi conſenſu in dominum HERIMANNUM eccleſiæ ſancti Gereonis in Colonia præpoſitum, virum ſcilicet integræ vitæ & probati teſtimonii, convenerunt. Sed quidam miniſteriales ejuſdem eccleſiæ, tumultu facto, armiſque illaris, coegerunt quoſdam de eodem clero denominare & quodam modo eligere FRITHERICUM præpoſitum ſancti Georgii in Colonia, hominem videlicet infra-ætatem & ordines, cujus ignorantia fautores ipſius ad ſubverſionem eccleſiæ abuterentur. Nos itaque de tantæ eccleſiæ ruina compaſſione clementi condolentes, iterato miſimus eis cum præceptis regalibus legatos, imperantes eis, quatenus omni occaſione poſtpoſita, mediante quadrageſima, quæ tranſacta eſt, noſtro ſeſe conſpectui præſentarent, accepturi ex regio more contentionum finem, & urbis ſuæ dominum, qui melioribus ſuffragiis juvaretur. Venit itaque præfatus HERMANNUS ad præſentiam noſtram cum ſuis electoribus, ſed illi, qui juvenem elegerant, juveniliter agentes, neque venerunt, neque canonicam excuſationem ſeu legitimam tranſmiſerunt, niſi quod prædicti FRETERICI præpoſiti... comes videlicet A. abſque atteſtatione cleri & populi, & certis per epiſtolas mandatis venit, & negotium differri poſtulavit. Verum nos adhibito epiſcoporum & principum & virorum prudentium ac religioſorum conſilio, conſideravimus electores prædicti HERMANNI præpoſiti ſanioris eſſe conſilii, de perſona a canonicis inſtitutionibus non diſcrepante, quibus ex magno fervore aſſentiebant omnes nobiles ac præpotentes ejuſdem terræ, qui Trajectenſem eccleſiam & in pace legibus honeſtant, & in bello armis defenſant. Itaque quia in noſtra præſentia nulla contradictio juxta juris ordinem huic electioni opponeretur, cum omnis eccleſia in noſtram præſentiam eſſet vocata, judicatum eſt ab epiſcopis & principibus nullam, nos debere moram probabilibus deſideriis inferere, ſed perſonam abſque vi & ulla mala machinatione electam, & in ſacris ordinibus ætate congrua inventam provehere. Proinde celſitudinem ſacerdotii veſtri, quam vera in Domino caritate amplectimur, attente monendo rogamus, ut opus a nobis laudabiliter inchoatum, benedictione ſacræ manus veſtræ perficere & confirmare non abnuatis, & labentis eccleſiæ Trajectenſis ruinam celeri benedictione fulciatis. Rogamus præterea ſanctitatem veſtram pro noſtro conſanguineo noſtro comite de *Ara*, quem quidam clericus nomine Jonathas per ſurreptionem a vobis excommunicari fecit, quatenus eum a Leodienſi epiſcopo abſolvi faciatis, eo ſcilicet rationis moderamine, ut, poſtquam fuerit abſolutus, ſynodaliter vocetur, & cauſa, quæ ſuper quadam eccleſia inter eos agitur, canonico judicio decidatur.

EPISTOLA CCCVII. VVIBALDI abbatis ad B. Leodienſem archidiaconum.

Excuſat ſe a colloquio Hoienſi.

DILECTO fratri & amico ſuo B. ſanctæ Leodienſis eccleſiæ venerabili archidiacono, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, benedictionem & dilectionem. Anno 1151.

Frater noſter, quem ad vos miſeramus ad explorandum propoſitum domini noſtri epiſcopi, & ad intelligendam de pace univerſitatis veſtræ voluntatem, tardius ad nos rediit, quam opportunitatis ordo & rerum ratio expoſceret. Cum igitur propter longiorem moram ejus de colloquio apud Hoium futuro deſperaviſſemus, converſi ad curam corporis, ſanguinem minuimus paulo antequam idem frater noſter reverteretur. Excuſatam itaque habeat veſtra diſcretio noſtram valitudinem, nec ullo modo in corde ſuo recipiat, quod propter privatas odiorum inimicitias pacem terræ & publicum ſtatum turbari velimus & evertere. Neque enim mores noſtros ita inſtituit & formavit illa veſtra doctrix & domina rerum divinarum & humanarum magiſtra & educatrix philoſophia, ut ob cauſæ ſingularis titulum bona communia deſeramus. Divina enim philoſophia dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, & *beati pedes pacem portantes*. Humana philoſophia non contemſit etiam capitales inimicos in

consortium magistratus ob reipublicæ salu- A tem adsciscere. Et quoniam tyrannos jam in insaniam versos esse comperimus, vestra industria cum omni humilitate & placiditate animi efficere curabit, ne spes pacis abrumpatur, & efferate ad arma concurratur. Etenim post hoc triduum, viribus recuperatis, nec personæ nec rebus parcendum fore in animum duximus : quatenus pax & tranquillitas populo christiano per nos peccatores, si divinitati ita complacuit, procuretur. Alias autem quæ proprie ad nos & ecclesiam nostram spectant, non minore studio repetemus.

EPISTOLA CCCVIII. VVIBALDI abbatis ad fratres Gladbacenses.

Suum eis consilium & auxilium offert, & de illatis eis a ministerialibus injuriis.

Anno 1151. [a] REverendis in Christo fratribus (a) Gladebacensis ecclesiæ monachis, frater VVIBALDUS, Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Duplex nos ratio ad vestræ dilectionis & caritatis affectum provocat, videlicet quod unius ordinis habitus & religionis nomine fruimur, & unius ejusdemque patroni intercessione gloriamur, videlicet beati Viti martyris, cujus nos, quamvis indigni, Deo tamen sic ordinante, vicarii existimus, cujus ut patrocinio sublevemur, & fidem congrua devotione sectemur, confidentissime exspectamus. Quapropter, fratres carissimi, omnem nostri affectus caritatem vestræ fraternitati exponimus, & ut de nostri consilii & auxilii adjutorio omnimodis confidatis, promta animi voluntate offerimus, scituri D quod in cunctis, quibus secundum Deum poterimus, opportuni pro nostra facultate assistemus. De eo autem verbo, quo tam nos quam omnes catholicæ ecclesiæ filios interpellastis, gementes & supplices respondemus, quod filii matris nostræ pugnant adversum nos, & mirum atque mirabile esse poterit toto mundo, cui vel quibus ministeriales vestri respondere habeant : si vobis, quibus ministrare, servire & obtemperare debent, non respondent ; cum totum quod sunt vel esse possunt, vestrum sit, & tam in eorum personas, quam substantias potestas E tam legibus quam canonibus vobis & monasterio vestro attributa sit. Si de causa capituli & peremtoria, vel de possessionis titulo ageretur, advocaris utique sæcularibus tamquam in causa sæculari opus haberetis. Verum cum de injuria, de damno illato agitur, non solum hi, qui jure proprietario ve-

(a) Gladbacense insigne monasterium ordinis S. Benedicti in principatu Clivensi, & diœcesi Colonienſi, cujus fundationis historia habetur Spicilegii tom. XII.

stro monasterio pertinent, sed etiam omne hominum genus, ut nostræ quidem parvitatis fert sententia, respondere & satisfacere vobis juxta legum tramitem non posset contradicere. In qua præsumtione vestrorum ministerialium dilecti confratris & coabbatis nostri culpanda est, ut pace ipsius dicamus, vigilantia, qui non ascendit ex adverso, nec opponit murum pro domo Israel, sed permittit, ut vulgo dicitur, scabella in scamna ascendere. Otio enim vacant, & ideo vociferantur, & volunt matrem & dominam suam pedibus in luto conculcare, & cum de rebus ecclesiæ alantur, impinguati, incrassati, dilatati recalcitrant. B De cetero de nostris orationibus & intimo servitio plurimum tam in hac quam in omni causa confidere debetis.

EPISTOLA CCCIX. HENRICI episcopi Leodiensis ad Eugenium papam III.

Petit confirmari electionem Arnoldi Coloniensis archiepiscopi.

C REverendo patri suo & domino EUGENIO, summo & universali sanctæ Romanæ ecclesiæ pontifici, H. Dei gratia Leodiensis ecclesiæ humilis minister, tam devotam quam debitam totius subjectionis obedientiam, & promtum ac fidele in omnibus obsequium. Anno 1151.

Post decessum bonæ memoriæ A. Colonienſis archiepiscopi, Colonienſis ecclesia nos & alios ejusdem metropolis suffraganeos ad diem electionis futuri antistitis ordine canonico evocavit, & præmissis jejuniis & lætaniarum obsecrationibus, & invocata Sancti Spiritus gratia, & exorato eo, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, quique facit unanimes habitare in domo, elegit sibi, remoto omni privato studio, communi omnium, non dicam favore & assensu, sed desiderio & acclamatione, ARNOLDUM ejusdem ecclesiæ majorem præpositum, regiæ curiæ cancellarium, virum utique moribus & natalibus, ordine & ætate, & omnis prudentiæ ratione sacerdotali officio congruentem, qui vitæ merito & doctrinæ scientia tam posset prodesse quam præesse. Tanta quippe fuit actionis illius in E tempore brevitas, ut magis videatur esse optatum quam perpetratum, & ipse magis raptus quam electus. Siquidem in quo tunc accusari posse videbatur, ultra regularem modestiam renisus est, & fere inobediens factus trahi potius atque cogi quam vocari compulsus est. Proinde sanctitatis vestræ advoluti genibus, clementiæ vestræ supplices preces effundimus, ut in hac persona tantis omnium votis expetita multiplices ecclesiæ Colonienſis calamitates relevare

dignemini, & unam de pulcherrimis ſacro ſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ filiabus in priſtinum dignitatis ſuæ ſtatum per manus beati Petri & veſtras reformare. Veremur enim & ſubintellexiſſe nos pro certo credimus, quod niſi in manu veſtra potenti adjutus & confortatus fuerit, onus omnino portare detrectet, & rejecta ad pedes veſtræ celſitudinis ſindone, qua amictus videbatur, nudus profugiat a vobis.

EPISTOLA CCCX. ECCLESIÆ Colonienſis ad Eugenium papam III.

De electione Arnoldi majoris eccleſiæ S. Petri præpoſiti in archiepiſcopum Colonienſem.

Anno 1151. REverendiſſimo patri ſuo & domino EUGENIO, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, W. decanus, archidiaconi, abbates, præpoſiti, clerus, honorati & univerſus populus Colonienſis eccleſiæ, tam devotam quam debitam totius dilectionis ac ſubjectionis obedientiam.

Excellentiæ veſtræ notitiam præteriſſe non credimus, quod mater noſtra Colonienſis eccleſia, una utique de inclytis filiabus ſacro ſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ, cui nunc, Deo auctore, feliciter præſidetis, promta & alacri non ſolum conſtantia, verum etiam efficacia militavit, tum videlicet, quando eadem Romana eccleſia pro aſſertione veritatis & orthodoxæ religionis ac ſanctarum conſtitutionum defenſione arma contra tyrannos ſumere, & ſeſe viriliter tueri, & in propriam libertatem vindicare coacta eſt. In quo certamine quantum univerſalis ſtatûs catholicæ eccleſiæ virium & incrementi ſuſcepiſſe viſus eſt, tantum procul res noſtra familiaris tum in ſuæ pacis perturbatione, tum in ſuarum rerum diminutione detrimenti accepit. Siquidem tunc patria noſtra occubuiſſe credenda eſt, cum extinctis juſtitiæ defenſoribus, inermis & abſque protectore relicta eſt, tanto ruinæ ſuæ majorem factura ruinam, quanto ſublimitatis ſuæ potiorem perceperat gloriam. Nam ex prælatorum ſuorum & noſtra communi negligentia de celſitudine ſua venit in abjectionem, de regula in abuſionem, de divitiis in egeſtatem, in commotionem de tranquillitate, in ignominiam de ſplendore, in infamiam de nobilitate. Et hoc quidem factum eſt ſanctiſſimis ac juſtiſſimis divinæ providentiæ judiciis, ſed a noſtra cognitione penitus remotis, cum in omni patrum noſtrorum deceſſu noſtra mens omnium fere & concordia fuerit, ut tales, Deo auctore, in patres & paſtores animarum eligere poſſemus, qui ad tale onus portandum & ad tantam dignitatem decorandam ſufficientes & idonei crederentur. Omni enim capite languido neceſſe eſt omne cor mœrens exiſtere, & a planta pedis uſque ad verticem in eodem corpore nullam eſſe ſanitatem. Sed divini ordinis ſapientia, quæ attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, noſtras voluntates ad ſuum nutum convertebat, ut non in ædificationem, ſed potius in ſubverſionem noſtræ procederet electionis conniventia. Omnium tamen ſuffragiis & præcipuis votis expetebatur jam tertio is, qui nunc, Deo res noſtras miſerante, electus eſt, quia, ut de patriarcha Jacob legitur, erat vir in cunctis proſpere agens; ſed cum ſuam nimis importune prætenderet humilitatem, cœleſtem, ut credimus, offendebat majeſtatem. Verum cur diximus electus, cum univerſorum non ſolum lacrymis & precibus, quin etiam violentis manibus ſit tractus & coactus? etenim poſt obitum patris noſtri ARNOLDI archiepiſcopi, Colonienſis eccleſia ſalutem & protectionem ſuam jam a longis retro temporibus eſuriens, triduanum jejunium cum deſiderio cunctorum indixit, & comportatis per omnes vicos urbis ſanctorum confeſſorum corporibus, Severini, Cuniberti, & Ailulfi, qui Colonienſem eccleſiam viventes in carne plantaverant, & in caritate divina dilataverant, Dei omnipotentis clementiam humili prece & ſincera devotione interpellabant, ut paſtor æternus, talem ſuis ovibus paſtorem per merita & interceſſiones prædictorum paſtorum oſtendere & ordinare dignaretur, qui eorum imitando veſtigia populo Dei poſſet & utiliter præeſſe & efficaciter prodeſſe. Die vero qua futuri antiſtitis erat formanda electio, invocata devotius & attentius Sancti Spiritus gratia, votis concordibus & pari cunctorum ordinum acclamatione traximus ad intronizandum virum venerabilem veſtræ ſanctitatis filium, ARNOLDUM majoris eccleſiæ præpoſitum, qui ita miniſtraverat, ut bono gradu eſſet dignior, & in modico antea fidelis, poſtmodum ſupra multa conſtitutus, demum in Domini ſui gaudium introiret. Renitens vero & reclamans excuſabat ſeipſum, prætendens humilius quam verius virium ſuarum imbecillitatem, & ad memoriam reducens multiplices eccleſiæ noſtræ conquaſſationes & ruinas, & eos præcipue defectus mœrens, quod Colonienſis eccleſia omni fere dignitate & poteſtate, quam a ſede apoſtolica priſcis temporibus glorioſe acceperat, nudata prorſus & ſpoliata videretur. Et licet noſtræ fraternitatis univerſitas in eodem mœrore jam diu contabuerit, tamen de veſtra miſericordia confiſi ſpe bona conſolabamur eum, futurum non dubitantes, quod veſtra clementia ipſius deſiderium & noſtram petitionem nequaquam deſereret. Mittimus itaque ad veſtræ ſublimitatis pedes unum de ſenioribus Iſrael, quem nos novimus, quod ſenex populi ſit

ac magiſter, non ſolum ætate corporis legitima, ſed etiam ſenectute mentis & gravitate ſacerdotali, quatenus divinæ potentiæ operatio per veſtræ benedictionis gratiam de ſpiritu veſtro tradat ei, ut ſuſtentet vobiſcum onus populi. Si enim a veſtra benignitate non fuerit clementer, quod Deus avertat, ſuſceptus, & ſtola prima, quam Colonienſis eccleſia jam dudum ſe dolet amiſiſſe, veſtitus, elegit abjectus eſſe in domo Dei ſui, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, & ſic fructus, qui jam in flore apparuit uberrimus, peribit, & terra noſtra duplici contritione conteretur.

EPISTOLA CCCXI. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum electum Colonienſem.

Fauſta omnia illi optat.

Anno 1151. REverendiſſimo patri ſuo & domino A. ſanctæ Colonienſis eccleſiæ venerabili electo antiſtiti, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Non ſumus de ſchola Pitagoræ, ut auditores noſtros in verba noſtra jurare cogamus. Licebit itaque vobis de ſcriptura noſtra imminuere, demere & adjicere ſine ingenii noſtri acerba offenſione. Unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat. Deum, quem nec ſpatia locorum, nec intervalla temporum ab his, quos tuetur, abjungunt, nos & fratres noſtri, veſtri utique pro veſtris beneficiis famuli, ſuppliciter exoramus, ut viam veſtram gratia ſua præcedente dirigat, & ſubſequente comitari dignetur, ut de actu & incolumitate veſtra ſecundum miſericordiæ ſuæ præſidia gaudeatis.

EPISTOLA CCCXII. CONRADI imperatoris ad Henricum archiepiſcum Moguntinum.

Arguit eum quod electum Colonienſem electioni ſuæ necdum aſſentientem, præpoſitura de Lempurch *privaverit.*

Anno 1151. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. venerabili Moguntienſi archiepiſcopo gratiam ſuam & omne bonum.

Rogaveramus experientiam tuam per litteras noſtras & mandata pluſquam tertio, ut quod juris tui eſſe cognoſcitur in præpoſitura de *Lempurch*, ad noſtræ voluntatis ac petitionis nutum in ſpe fidelis retributionis ordinares, opportuno ſcilicet tempore, quando hoc fieri ſacræ leges non prohiberent. Tu vero petitionem noſtram non ſolum non exaudiſti, verum etiam eccleſiæ Colonienſis electum, necdum eidem vocationi conſentientem, contra canonica inſtitura poſſeſſione ſua nudaſti. Siquidem cum adhuc detrectet onus ad ferendum ſuſcipere, & rem omnem diſtulerit uſque ad præſentiam & auctoritatem domini papæ, amoveri a gradu inferiori non debuit, qui altiorem conſcendere formidavit. Et cum examinatio præcedat conſecrationem, removeri quidam a ſummi ſacerdotii officio poſſunt, qui tamen alias eccleſiæ ychonomias recte adminſtrare poſſunt. Proinde prudentiam tuam attente monendo rogamus, ut factum tuum, quod canonicæ doctrinæ regulam tranſgreditur, celeri ac diſcreta muratione corrigas, & cum eadem præpoſitura rite vacayerit, petitionem noſtram exaudire non abnuas; univerſa enim quæ a nobis habet, illibata ei uſque ad conſecrationem conſervabimus.

EPISTOLA CCCXIII. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

De electione Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis, quam petit confirmari.

Anno 1151. DIlectiſſimo in Chriſto patri ſuo EUGENIO, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex & ſemper auguſtus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Colonienſis eccleſia, quæ ſui magnitudine ac decore omnes fere Germaniæ & Galliæ præeminebat eccleſias, ad tantam & paſtorum ſuorum negligentia (*a*) calamitatem deciderat, ut omni tam religione, quam dignitate miſerabiliter ſpoliata cerneretur. Deo igitur res humanas moderante, & cujus vult miſerente, ſubtractus eſt ab hac vita ejuſdem eccleſiæ antiſtes A. cujus tempore conquaſſata plurimum & attrita fuerat, & tunc fideles filii præfatæ eccleſiæ clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, ut de neceſſitatibus ſuis eriperet eos. Quorum devotas preces Deus ex abdito miſericordiæ ſuæ exaudiens, miſit eis ſpiritum conſolationis & unanimitatis, ut pari voto, parique ſententia, & conſona omnium acclamatione eligerent ſibi in patrem paſtoremque animarum ſuarum & dominum Colonienſis urbis (*b*) ARNOLDUM ejuſdem urbis majorem præpoſitum, noſtræ curiæ cancellarium, pro eo quod ejus ſcientia & honeſtate cum Dei adjutorio & veſtra bene-

(*a*) Præſertim Arnoldi, quem Eugenii III. ob ſimoniam ab officio ſuſpendit.

(*b*) x hac Conradi imperatoris ad Eugenium papam epiſtola aliiſque præcedentibus & ſubſequentibus emendanda eſt Gallia Chriſtiana, quæ Arnoldi II. electionem anno 1155. configat, cum Conradus anno 1152. menſe Februario, fato functus fuerit, & in ejuſdem inſtrumento anni 1151. pro VValciodoro ſuperius relato Arnoldus dicatur electus Colonienſis.

dictione ac noſtro præſidio ſperabant & pacem in terra revocari, & latrocinia coerceri, & reformari leges, & honeſtari mores. Ipſe autem ultra humilitatis & obedientiæ regulas reclamabat & renitebatur, pro eo quod ad tantas & tam multiplices ruinas intus & foris reſarciendas ſe infirmum & debilem arbitrabatur, & ſeſe mori malle vel in perpetuum exulare quam matrem ſuam ſe prælato ab improbis lacerari ac ſubſterni proteſtabatur. Irruentibus itaque in eum tam clero quam honoratis & populo, tractus eſt in eccleſiam violenter, nec more vel ordine ſuo renitens inthronizari potuit, dicens hujus conſilii & rei ſummam uſque ad veſtræ celſitudinis aſſenſum & juſſionem velle differre. Deſcenderamus tunc ad eas partes Lotharingiæ ad reprimendos motus bellicos, & vindicandas latrorum incurſiones, qui totam epiſcopatus illius regionem rapinis & incendiis perturbaverant, & irreparabili metu vaſtationis cuncta compleverant. Ingreſſi ergo urbem Colonienſem, quæ tota erat coronata gaudio, ſpe & alacritate tam unanimis in tam excellentem perſonam electionis, & noſtro celeri ad eamdem rem confirmandam adventu, coegerunt nos electores religioſa quadam & humili violentia a templo, in quo ſuſcepti eramus, non diſcedere, donec electionem canonice & concorditer factam, regio more confirmaremus, & electum ad reformandam pacem & juſtitias ſæculares faciendas proveheremus & adjuvaremus. Verum ille ſolito ſtudio contradicere perſiſtebat, aſſerens ſe nequaquam ſufficere ad ſanandas contritiones eorum. Cum lacrymabili ſpectaculo tota Colonienſis eccleſia ad pedes ejus proſtrata jaceret, flens & ſupplicans ut labenti & corruenti matri ſuæ tamquam pius filius manum accommodaret. Nos igitur de veſtra bonitate, quam plurimum in Domino diligimus, confiſi, promiſimus, tam eccleſiæ Colonienſi quam ſibi, quod apud ſublimitatem veſtram modis omnibus obtineremus, quatinus ipſa Colonienſis eccleſia tum in privilegiis ſuis antiquis, ſed neglectis, at nunc per veſtræ benedictionis largitatem renovandis & confirmandis roboraretur, tum perſona ipſius priſtina dignitate juxta prædeceſſorum ſuorum formam honeſtaretur. Et affuit divina clementia bonis principiis meliores augens ſucceſſus, E quoniam ad ingreſſum ejus, noſtra cooperante clementia, & bellorum tuba conticuit, & latronum grex tantæ fortitudinis manu perterritus in ſuæ malitiæ abſconſo delituit. Proinde ſinceritatem veſtram attente monendo rogamus, quatenus pro noſtræ dilectionis ac petitionis intuitu eumdem electum, ad veſtræ manſuetudinis præſentiam venientem gratanter ſuſcipiatis, & apoſtolicæ benedictionis gratia conſecratum, cum privilegiis ſuis renovatis & auctis celeriter ad nos remittatis. Cum enim ex officio Colonienſis eccleſiæ in Italico regno cancellarius exiſtat, & nobis in Ciſalpinis partibus tam ex magnitudine ſui principatus, quam ex diutina familiaritate, opportunus & profuturus eſſe non dubitetur, tum ſacro ſanctæ matri noſtræ Romanæ eccleſiæ tum imperio noſtro favorabile & fructuoſum videtur, ſi perſona idonea majoribus incrementis & majori prærogativa per vos promoveatur.

EPISTOLA CCCXIV. ARNOLDI ad Wibaldum abbatem.

Clerum, honoratos & miniſteriales ejus ad papam iter retardare, donec pax omnino firmetur.

DOmino WIBALDO, Dei gratia venerabili Stabulenſi abbati, ARNOLDUS eadem gratia quidquid eſt, ſalutem & promtum ac fidele in omnibus obſequium. Anno 1151.

Grates debitas celſitudini veſtræ dicimus, pro eo, quod veſtræ prudentiæ experientiam modis omnibus noſtro honori accommodam ſentimus. Quid virtus Altiſſimi, ſine qua nihil validum, nobis præſentibus in VVeſtphalia & in conterminio Saxoniæ operata ſit, ipſe rerum eventus & rumor ſatis cognitus vobis intimabit. Præterea clerus, honorati, & miniſteriales pacem adhuc teneram ac novellam facile per noſtram abſentiam turbari timentes, iter noſtrum ad dominum papam cum magna precum inſtantia ad præſens differri perſuaſerunt, donec ad plenum ſolidata pax etiam poſt noſtrum diſceſſum nulla turbetur tempeſtate malorum. Ubi & quando nos videre & de negotiis noſtris nobiſcum agere velitis, nobis ſignificate.

EPISTOLA CCCXV. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum electum Colonienſem.

Lætatur de rebus ejus proſperis. De pace cum epiſcopo Leodienſi facienda. Hortatur ut iter Romanum non differat, & legatos ſedis apoſtolicæ Coloniam tranſeuntes ſuſcipiat honorifice.

REverendiſſimo patri ſuo & domino ARNOLDO, ſanctæ Colonienſis eccleſiæ venerabili electo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium. Anno 1151.

Quod res veſtræ proſperis ſucceſſibus Deo eas augente provehuntur, & pax a bonis diu deliderata per veſtram induſtriam, compreſſa latronum audacia, reformatur, duplex nobis lætitiæ extat materia, tum quia

nostris temporibus, qui jam fere a bonis A desperavimus, hæc fiunt, tum quia ab experientia vestra, quam a longis retro temporibus diligere & laudibus ornare studuimus, hæc fiunt. Sed positis nobis in nostra veteri nemorum solitudine, rarius hæc gaudiorum vota ad notitiam perveniunt. Eadem die, qua frater Hillinus ad nos a vobis rediens pervenit, venerunt ad nos plures de religiosis abbatibus Leodiensis episcopatus prope monasterium nostrum orantes enixius, ut omissa interim injuria, quam tum a domino Leodiensi episcopo, tum a comite Namurcensi & operibus & verbis gra- B vem frequenter accepimus, de pace inter ipsos componenda tractaremus, & quia dominus episcopus in vicinio erat, pollicentes tam honestis vitis operam nostram, pro eodem verbo pariter convenimus. Itaque ex ipsius beneplacito dies usque in proximum sabbathum præfixa est, quando religiosi & sapientes viri de toto episcopatu conveniant, & ad pacem terræ, si ita summæ divinitati complacuit, omne studium & diligentiam adhibeant. Quia igitur rebus publicis ad præsens impliciti sumus, de no- C stro ad vestram præsentiam adventu, sicut mandastis, certum vobis in instanti responsum reddere non possumus. Super hoc autem, quod nobis vestra celsitudo notificare dignata est, quod universalis ecclesiæ vestræ consilio iter vestrum ad dominum papam hoc tempore distuliftis, nihil contra niti vel obviare præsumimus, cum rerum eventus eorum commoda respiciat, qui sunt sententiæ auctores. Verumtamen quia unusquisque in suo sensu abundat, nobis, qui frequenter horribilibus periculis jactati sumus, & præcipue periculis in falsis fratri- D bus, cum de summa dignitatis obtinendæ agitur, nihil satis festinari posse videtur, quoniam cum ad ardua tenditur, non solum regressus, sed etiam mora non immerito formidatur. Paternæ siquidem regulæ & sanctissimis diffinita consiliis vetant sedem metropolitanam ultra trium mensium spatium viduatam manere, quod vestram eruditionem plenius recognoscere non ignoramus. Præterea legati Romanæ ecclesiæ ad has partes veniunt, causam Trajectensis ele- [a] ctionis (a) terminaturi, & videat ecclesia vestra, cujus vos consilium sequi condecet, E qualiter in urbe vestra iidem legati in hoc rerum statu suscipiantur, & ad eamdem litem decidendam sicut decet Romanam & Colonienſem ecclesiam & vestræ personæ dignitatem teneantur. Circa festum beati Bartholomæi apostoli versus Saxoniam nos transituros speramus, & ubi tunc vestræ discretioni placuerit, vobis colloqui & subservire parati erimus.

(a) Pro qua contendebant Herimannus Colonienſis præpositus S. Gereonis, electus a præposito, decano, clero & nobilibus patriæ, & Frethericus Colonienſis, item præpositus S. Georgii, infra ætatem & ordines a quibusdam de clero electus, ex epistola Conradi imperatoris ad Eugenium papam supra relata.

EPISTOLA CCCXVI. CONRADI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

Mandat ut Herbipolim ad principum colloquium statuto termino conveniat.

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Corbeiensi abbati gratiam suam & omne bonum. Anno [illegible].

Discretioni tuæ volumus esse cognitum, quod octava die post nativitatem sanctæ Mariæ nonnulli principum nostro se conspectui præsentabunt apud Herbipolim, de negotiis ecclesiæ & regni & de nostra expeditione nobiscum tractaturi. In quibus & tua opus habemus præsentia, utpote cum quo familiarius & plenius singula intendimus pertractare. Per præsentia, igitur scripta sollicitudini tuæ mandamus, quatenus omni dilatione & occasione postposita, in termino supra memorato, modico comitatu contentus, nostro te conspectui repræsentes.

EPISTOLA CCCXVII. HERIBERTI capellani ad Henricum priorem Corbeiensem.

Ut litteras regis sine mora VVibaldo transmittat.

DOmino HENRICO venerabili prioti Anno [illegible] Corbeiensis ecclesiæ, HERIBERTUS capellanus servitium suum.

Sollicitudini vestræ arctius injungere præsumo, ut litteras domini regis domino abbati sine mora transmittatis, quia pro magnis & etiam privatis negotiis ad curiam vocatur.

EPIST. CCCXVIII. SUENONIS regis Daniæ ad Conradum imperatorem.

Gratias agit pro beneficiis, oratque ut se protegere pergat.

CONRADO Dei gratia Romano imperatori glorioso & semper augusto, SUENO ejusdem nutu Danorum rex, filialem dilectionem & debitam subjectionem. Anno [illegible]

Impensi beneficii haud immemor, paternitatis vestræ clementiæ semper gratias agimus, omniumque remuneratorem Deum jugiter exoramus, ut ubi nostræ parvitatis vicissitudo defecerit, summa sua misericordia retribuere dignetur. Serenitatis autem vestræ experta dulcedo accipiat, quoniam

in veſtra majeſtate manutentionis noſtræ anchoram a primævæ juventutis flore fiximus, & immutabiliter eſſe fixam poſt Deum ſemper exoptamus, eique vita comite decenter... uſque deſideramus. Convenit igitur paternitati veſtræ filii honori providere, & ſi qui ad noſtri deſtructionem emerſerint, eorum temeritatem compeſcere. Curiæ autem decorem & deſiderabilem celſitudinis veſtræ vultum videre cupientes, intime precamur, quatenus & locum adeundi commodum, & tempus apparatus idoneum deſignetis, & ſecurum ducatum nobis procuretis. His vero amicis noſtris fidelibus videlicet domino Bremenſi, archiepiſcopo & O. marchioni legationem noſtram commiſimus, ut ducis inſidias declinaremus. Valete & principes veſtros ad Slavorum depreſſionem excitate, & ſuper his quæ digna videntur reſcribite.

EPISTOLA CCCXIX. KANUTI regis Daniæ ad Conradum imperatorem.

Privatus regno ad ipſum confugit.

Anno 1151. CONRADO Dei gratia Romanorum imperatori auguſto, KANUTUS rex Danorum ſalutem.

Quoniam vos rex regum ad hoc conſtituit, & unum ex multis elegit, nominiſque ſui gloria decoravit, ut pater juſtitiæ filiuſque pacis fieretis, merito debetis in omnibus juſtitiam corroborare, & injuſte afflictis ſolatia adhibere. Privati igitur non ſolum regno, verum etiam patrimonio, Chriſto & vobis conquerimur, ut juſtitia dictante nobis exulibus condeſcendatis & compatiamini. Ad imperium enim Romanum expulſi confugimus, quia ibi conſilium & auxilium invenire ſperavimus. Veſtram itaque regiam poteſtatem ſuppliciter exoramus, quod nobis ſubveniatis, & pro veſtro honore nobiſcum paterne agatis, & quæ injuſte amiſimus, gladii veſtri ſeveritate rehabeamus. Nos vero veſtra præcepta in omnibus velut filii conſtanter ſequemur.

EPISTOLA CCCXX. WIBALDI abbatis ad Manuelem imperatorem Conſtantinopolitanum.

Conradum imperatorem parare expeditionem in Siculum.

Anno 1151. INclyto triumpharori ac ſereniſſimo dominatori glorioſo ac ſacratiſſimo imperatori Græcorum & Romaniæ MANUELI excelſo, ſubimi, Porphirogenito, VVIBALDUS Dei gratia duorumn obilium monaſteriorum abbas Stabulenſis ſcilicet & Corbeiæ, devotum & perpetuum in Domino famulatum, & aſſiduas ad Deum orationes.

Largitori omnium bonorum Deo infinitas gratiarum actiones referimus, qui veſtræ manſuetudini dignatus eſt inſpirare, ut noſtræ parvitati ſcribere, & de veſtræ voluntatis nutu ſignificare dignaremini. Facimus itaque quod juſſiſtis, & humilibus atque aſſiduis precibus Dei omnipotentis clementiam cum nobis commiſſis fratribus exorare ſtudemus, ut tam veſtræ celſitudini quam domino meo fratri veſtro CONRADO Romanorum imperatori auguſto ſanitatem & incolumitatem & de inimicis victoriam conferre dignetur, & dilatet atque magnificet imperia veſtra ſuper omnia regna orbis terrarum, ſicut priſcis temporibus fuiſſe per hiſtorias veterum cognoſcuntur. Hortamur etiam & continuis monitis ſuggerimus, ut præcelſus & glorioſiſſimus imperator noſter amicitiam & ſocietatem veſtram fideliter ac firmiter conſervet, & omnia veſtræ majeſtati promiſſa ſine ulla diminutione compleat. In quo propoſito ipſe feliciſſimus princeps cum magna mentis conſtantia perſeverans ordinat viriliter expeditionem ſuam ad partes Siciliæ & Apuliæ contra communem hoſtem utriuſque imperii. Inde eſt, quod mediante præterito menſe Septembre, apud civitatem Herbipolim quoſdam principes imperii ſui evocavit, ubi etiam convenerunt Colonienſis archiepiſcopus, Bremenſis archiepiſcopus, Halverſtadienſis epiſcopus, Licenſis epiſcopus, Bavembergenſis epiſcopus, Merſburgenſis epiſcopus, Herbipolenſis epiſcopus, Argentinenſis epiſcopus, VVormatienſis epiſcopus, Pragenſis epiſcopus & legati diverſorum epiſcoporum ac principum, & de laicis principibus convenerunt marchio de *VVitin*, marchio de *Brandebourg*, Palatinus comes de Bavaria, comes de *VVincenburch* in Saxonia, præfectus urbis Moguntiæ, præfectus urbis Herbipolis, præfectus urbis *Bavenberch*, & alii multi comites, honorati & nobiles, qui omnes cum magna voluntatis hilaritate, fide data & juramento præſtito promiſerunt, quod ad eamdem expeditionem cum omni virtute & potentia militiæ ſuæ venient & proſequentur. Nos quoque in eadem expeditione cum noſtra militia Domino noſtro famulantes, ſanctiſſimam faciem veſtram & permaximi imperii veſtri decorem videre, Deo præſtante, merebimur. Munificentiæ imperiali gratias referimus, quod benedictionem veſtram nobis adhuc ignotis tranſmiſiſtis.

EPIST. CCCXXI. IMPERATORIS Constantinopolitani ad VVibaldum abbatem.

Offert Conrado imperatori vires suas adversus Siculum.

Annoiiji. IMPERIALE AD PRETIOSISSIMUM ABAN MONASTERII STABULENSIS. †

Pretiosissime abba monasterii Stavlu: Imperium meum cum didicisset a multis in te florentem virtutem, quomodoque in honorem certas prænobilissimi regis Romæ, prædilectissimique fratris & cognati imperii mei, & in utilitatem Christianorum, magnam devotionem & affectionem erga tuam pretiositatem obtinet, & orationem ejus invocat perpetue. Vult igitur imperium meum, quod rursus etiam tua pretiositas laboret in honorem prænobilissimi regis. Numquam enim inveniet meliorem adjutorem in servitium contra Siculum & in cetera servitia sua. Vult autem & imperium meum, ut etiam per scripturas tuæ pretiositatis doceatur sospitatem ipsius. Magnam enim affectionem habet imperium meum in tuam pretiositatem, ex quo certe cognovit florentem in te virtutem. Missa est Abadon servata magna civitate mense Martio indictione XIV. † missum est tibi examitum megalo ... gmon diplarion album †.

EPISTOLA CCCXXII. CONRADI ad Romanos.

Significat eis proximum suum in Italiam adventum, interimque legatos ad eos mittit.

Annoiiji. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus præfecto Urbis, consulibus, capitaneis & omni populo Romano tam minoribus quam majoribus, gratiam suam & bonam voluntatem.

Post reditum nostrum a Jerosolymitana expeditione, litteras universitatis vestræ frequenter accepimus, in quibus continebatur, quanto fidei ac devotionis studio pro personæ nostræ dignitate provehenda & imperii Romani statu reformando indefessis animis decertetis. Et licet epistolarum ... tantis rebus, quas perferebant impares viderentur, per gratum tamen habuimus, vestram benevolentiam ex cœpto tenore procedentem imperiali retributione honorare decrevimus. Proinde a vestra prudentia, sicut oportuit, decenter invitati, expeditionem italicam & adventum nostrum ad Urbem magno cum principum nostrorum favore, & totius militiæ alacritate efficaciter ordinavimus, primo quidem in celebri curia Ratisbonæ, secundo in civitate Herbipoli, firmato deinceps proposito nostro, ut ad ceteras regni nostri partes celerius accedentes, pace per misericordiam Dei ubique firmata, ad res & urbes Italiæ pacandas & firmandas sic transeamus, ut tam fidelibus quam rebellibus pœnam Deo adjutore retribuere valeamus. Ea propter mittimus ad universitatis vestræ experientiam legatos nostros viros utique illustres ac moderatos, ARNOLDUM videlicet nostræ curiæ cancellarium Colonienſis electum archiepiscopum, & VVIBALDUM Corbeiensem abbatem, & HENRICUM notarium imperio nostro fidelissimos ac familiarissimos, ut per eos voluntatis nostræ & consilii certitudinem addicatis. Quo circa industriæ vestræ attente mandando committimus, quatenus eosdem legatos nostros pro nostra reverentia & Urbis disciplina honeste suscipiatis; & ab ipsis tamquam ab ore nostro, quæ in hoc temporis statu agenda sunt, accipiatis, & eos honorifice & commode, quo itineris res postulat, perducatis.

EPISTOLA CCCXXIII. CONRADI imperatoris ad Eugenium papam III.

Expeditionem Italicam pro ecclesiæ utilitate se parare significat, commendatque Bremensem archiepiscopum & VVibaldum abbatem.

Annoiji. CArissimo in Christo patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, & semper augustus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Sicut paternitatis vestræ benevolentiam in omnibus nostris nostrorumque negotiis sæpe & nunc experti sumus, sic adhuc in cunctis sentire non dubitamus, celsitudini vestræ hoc repromittentes, quod ad promovendum ecclesiæ Dei & vestrum honorem, quanta debemus diligentia, semper erimus parati. Inde est, quod nos generalem curiam apud Herbipolim medio mense Septembri celebravimus, ibique expeditionem Italicam receptis a principibus, qui convenerant, fide & sacramentis efficaciter ordinavimus: in qua rite peragenda, quoniam præsentiâ & consilio dilecti nostri HAR. venerabilis Bremensis archiepiscopi carere nec debemus volumus, paternitatis sanctitatem attenta benevolentia rogamus, ut diem & terminum pro conservanda Bremensis ecclesiæ dignitate sibi constitutum benigne illi remittatis, & causam ipsius usque ad nostrum adventum differatis, hac interposita circumstantia, ut in nostro adventu eadem causa in vestra præsentia secundum tenorem veritatis & justitiæ terminetur.

Consili

Conſili enim de veſtra ſinceritate fretique conſilio dilecti noſtri O. cardinalis veſtri, qui tunc præſens erat, præfatum archiepiſcopum, cum jam ad iter faciendum ſuccinctus eſſet, apud nos retinuimus, ut in tanta & tam celeri expeditione cum promptiorem habere valeamus. Sanctitati veſtræ attente commendamus cariſſimum nobis Corbeienſem abbatem VVIBALDUM, virum utique prudentem, & tam vobis quam ſacro ſanctæ matri noſtræ Romanæ eccleſiæ per omnia fideliſſimum, ut eum pro noſtræ dilectionis & petitionis intuitu clementer excipiatis, tam in privilegiis ſuis confirmandis, quam in aliis ſuis petitionibus benigne exaudiatis, & aliqua veſtræ benedictionis & gratiæ prærogativa inſignitum, ad nos cum gaudio celerius remittatis.

EPISTOLA CCCXXIV. CONRADI imperatoris ad Piſanos.

De ſua in Italiam expeditione adverſus Siculum.

Anno 1191. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex & ſemper auguſtus, conſulibus, capitaneis, & univerſo populo Piſano, tam minoribus, quam majoribus, gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Poſt reditum noſtrum a Jeroſolymitana expeditione, omnem animi noſtri intentionem converteramus, ut abſque moræ prolixioris interventu, ad res Italiæ ordinandas & pacandas ingrederemur. Inde fuit, quod legatos excellentiſſimi fratris noſtri Græcorum imperatoris ad univerſitatem veſtram direximus, de fide & conſtantia veſtra plurimum confidentes, quatenus ipſorum induſtria, & veſtra potenti virtute, hoſtis utriuſque imperii uſque ad adventum noſtrum ſine intermiſſione bellicis incurſibus quaſſaretur. Decet itaque patriæ principem grates ac benevolentiam rependere his, qui ad tam egregium opus peragendum animo & opere imparati non fuerunt, quibus illis non immerito pœna acerbior, qui tantos reipublicæ provectus demoliri tentaverunt. Sed ardentiſſimum noſtræ voluntatis ſtudium manus divina, quam nemo mortalium potuit evadere, immiſſa cœlitus infirmitate aliquamdiu repreſſit, ſed recuperata per eumdem miſericordiſſimum Deum ſoſpitate, tranſacto ſacræ pentecoſtes feſto generalem curiam apud Ratiſbonam celebrantes, expeditionem noſtram regio more verſus Italiam cum magno principum favore & totius militiæ alacritate indiximus. Similiter & apud Herbipolim mediante menſe Septembre factum eſt, ita deinceps firmato mentis propoſito, ut ad omnes regni nobis a Deo conceſſi partes celerius accedentes, & pace per Dei gratiam ubique firmata, ſic ad Urbem, A & ad vos pervenire valeamus, ut tam bene merentibus præmia, quam rebellibus pœnam rependere debeamus. Ad hujus rei evidentem notitiam atque certitudinem faciendam, direximus præſentes legatos noſtros, viros utique illuſtres ac nobis inter principes noſtros familiariſſimos, ARNOLDUM videlicet Colonienſis eccleſiæ venerabilem archiepiſcopum, VVIBALDUM Stabulenſem & Corbeienſem abbatem, HENRICUM curiæ noſtræ notarium, ad reverendum patrem noſtrum papam EUGENIUM & ad urbem Romam, necnon ad ceteras urbes B Italiæ. Quos venientes ad Urbem veſtram, quæ ſemper ab initio in pace & in bello terra marique imperii Romani conſuevit eſſe domicilium, honorifice, ut veſtra probitas conſuevit, ſuſcipiatis, & tam de militum, quam de navium numero, quas in expeditionem Siciliæ ob perpetuam felicis remunerationis mercedem exhibebitis, per illorum notitiam nos certos efficiatis. Porro de verbo, quod de inimicorum veſtrorum ſempiterna humiliatione nobis per legatos noſtros, ſcilicet Conſtantienſem & Baſilienſem epiſcopos, atque marchionem de Monteferrato ſuggeſſiſtis, C preces veſtras exauditas eſſe ſciatis, & quidquid ſuper hoc prædicti nuntii noſtri vobis confirmaverint, nos eſſe obſervaturos non dubitetis, ſcientes quod inimicis veſtris inimici ſumus, & odientes vos affligemus.

EPISTOLA CCCXXV. ARNOLDI Colonienſis archiepiſcopi ad Wibaldum abbatem.

Orat ipſum ut expectet, ſimul ad imperatorem reverſuri.

DOmino VVIBALDO Dei gratia ve- Anno 1191.
nerabili Corbeienſi abbati, A. Dei patientia quidquid eſt, ſalutem & obſequium.

Non parum nos conturbavit, quod ſic inopinato nos deſerere, & infecto quodammodo negotio domini regis, nec nobiſcum redire, nec ad ipſum finem veſtræ legationis vultis diferre. Quod quia & nobis & vobis indecens, & domino noſtro regi, qui veſtrum exſpectat reditum, omnino eſt inutile & indecorum, monemus & intime rogamus antiquam illam veſtram dilectionem, E quam nos numquam ſcindi cupimus, quatenus ſicut nos umquam dilexiſtis, tum ob noſtri obſequii, tum veſtræ honeſtatis, tum regiæ reverentiæ intuitum, per diem craſtinum noſtrum velicis præſtolari adventum, & ſine mora & ſine digreſſionis diſpendio ad locum unde movimus, & ad dominum noſtrum regem cum gaudio & dilectione nobiſcum remeare. Parati enim eramus & jam ocreas induere, & vos adire, quia Lucenſes, ſicut prædixeratis, ſolis verbis nos

lactaverant, & ecce nuntius cum litteris vestris advenit, & statim eum equos ascendere paravimus, consules cum magna precum instantia nos detinuerunt. Rogamus itaque & iterum rogamus, ut domini nostri regis memor, cras nos per diem expectetis.

EPISTOLA CCCXXVI. EUGENII papæ III. ad Colonienses.

Arnoldum archiepiscopum propria manu consecratum ac pallio decoratum eis remittit, præcipiens ut ei obediant, &c.

Anno 1151. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gu. præposito, F. decano, archidiaconibus, prioribus & universo clero ac populo Colonienſis ecclesiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Venientem ad apostolicæ sedis clementiam venerabilem fratrem nostrum ARNOLDUM electum vestrum cum dilectis filiis nostris VVIBALDO Corbeiensi, N. [a] (*a*) Sigeburgensi, & T. (*b*) Campensi ab- [b] batibus, atque magistro HENRICO, carissimi filii nostri CONRADI Romanorum regis notario, A. præposito & G. decano sancti Gereonis, debita benignitate suscepimus, & electionem, quam de ipso tamquam de prudenti & industrio viro unanimiter feceratis, post diligentem examinationem, auctore Domino, ratam habentes, eum plurimum renitentem nostris tamquam beati Petri manibus, præeunte Sancti Spiritus gratia, vobis in archiepiscopum consecravimus, & inter fratres nostros, donec circa nos voluerit commorari, carum habuimus, honeste tractavimus, & pallii sibi plenitudinem seu pontificalis officii ex consueta sedis apostolicæ benignitate contulimus. Ipsum ergo infula pontificalis officii decoratum ad ecclesiam suam & ad vos cum gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ & litterarum nostrarum prosecutione, comitante Domino, redeuntem, universitati vestræ duximus attentius commendandum. Per apostolica itaque scripta vobis mandamus, quatenus eum benigne ac reverenter suscipiatis, & ei tamquam Christi vicario & animarum vestrarum pastori, honorem debitum, ac reverentiam, & obedientiam humiliter deferatis, quatenus per ipsius doctrinam & pastoralem vigilantiam, salutem in vobis omnipotentis Dei gratia operetur. Ecclesia vestra, quæ tam in spiritualibus quam in temporalibus valde attrita est, ad integritatis suæ statum, Domino largiente, resurgat, & vos de ipso gaudium, & ipse de vobis coronam & fructum multiplicem in conspectu Domini consequatur. Nihilominus quoque vobis mandamus, ut pro reformando religionis & honestatis ipsius ecclesiæ statu, & pro recuperandis ejusdem ecclesiæ bonis & possessionibus sive beneficiis, quæ sive de mensa, sive de camera, seu eleemosina ipsius archiepiscopi, sive de abbatum præpositorum & abbatissarum suarum mensa, vel de canonicorum suorum præbenda illicite concessa, distracta vel alienata sunt, vires & auxilium sicut boni & devoti filii efficaciter tribuatis. Sane nos judicium, quod super his, quæ laicis concessa sunt, in conspectu filii nostri CONRADI illustris Romanorum apud Coloniam rationabili providentia noviter promulgatum est, favoris nostri assertione firmamus. Præterea quoniam quidam ex vobis, prout accepimus, post inceptum iter antedicti fratris nostri veniendi ad nos, aliquas de iisdem possessionibus per violentiam & contra justitiam invaserunt, vel occupaverunt, præsentium auctoritate mandamus, ut nisi infra quadraginta dies post commonitionem memorati fratris nostri ARNOLDI archiepiscopi vestri possessiones ipsas eidem ecclesiæ restituerint, ecclesiasticæ animadversionis censuræ subjaceant. Data Signiæ vj. idus Januarii.

(*a*) Sigebergense monasterium insigne ordinis S. Benedicti in diœcesi Coloniensi, a sancto Annone archiepiscopo fundatum est, cui tunc præerat Nicolaus abbas.

(*b*) Campense illustre est ordinis Cistercienſis monasterium in diœcesi Colonien si plurium monasteriorum mater, de quoplura Juncelinus.

EPISTOLA CCCXXVII. EUGENII papæ ad Conradum imperatorem.

Legatos ipsius honorifice suscepisse, ac ipsius votis in omnibus obsecundasse.

Anno [illegible] DOminus papa EUGENIUS Romanorum regi CONRADO.

Quanto sæpius de incolumitatis tuæ statu & bona voluntate, quam erga beatum Petrum cœlorum regni clavigerum, atque matrem tuam sacro sanctam Romanam ecclesiam gerere diceris, per litteras & nuntios magnificentiæ tuæ instruimur, tanto magis ac magis gaudium & lætitia in nostris mentibus diebus singulis augmentatur, cor nostrum ad amorem tuum vehementius accenditur, & ad exaudiendas postulationes tuas, in quantum cum Deo possumus, aures benevolas commodamus. Inde est quod venientem fratrem nostrum ARNOLDUM Colonienſem archiepiscopum, & dilectos filios nostros VVIBALDUM Corbeiensem abbatem, & magistrum HENRICUM notarium tuum, quos ad nostram præsentiam, tua serenitas destinaverat, tamquam prudentes & industrios viros debita benignitate suscepimus, honeste tractavimus, & petitionibus tuis, quas & litteris & eorum viva voce intelleximus, sicut honori Dei & regni utilitati expedire cognovimus, gratum assensum præbuimus. Prædictum

namque fratrem noſtrum, licet invitum & A renitentem atque lacrymarum copiam effundentem ad pontificalis dignitatis apicem, Domino auctore, promovimus, & venerabilibus fratribus noſtris H. Moguntino & A. Bremenſi archiepiſcopis, præfixos terminos veniendi ad nos prolongavimus, & tam ipſos quam alios archiepiſcopos, epiſcopos ſive principes regni tui ad ſervitium tuum & expeditionem, quam ad honorem Dei & eccleſiæ ſuæ ſanctæ, atque exaltationem regni facere, divina favente clementia, ordinaſti, per apoſtolica ſcripta commonere & animare diligenter curavimus. Tua itaque, cariſſime fili, intereſt pro commiſſi tibi regni & ſanctæ Dei eccleſiæ honore & exaltatione, tamquam inter alios orbis chriſtianos reges præcipuus & excellentior princeps, attentam curam & ſollicitudinem gerere, ut adventum tuum, quem ad provectum eccleſiæ ac regni & ſalutem Chriſtiani populi expectamus, cum deſiderato fructu, præſtante Domino, percipere valeamus. Datum Signiæ v. idus Januarii. B

EPISTOLA CCCXXVIII. EUGENII papæ III. ad Leodienſem epiſcopum. C

Ut comites de Los & de Monte-acuto ablata Stabulenſi monaſterio reſtituere compellat.

Anno 1151. DOminus papa EUGENIUS, HENRICO Leodienſi epiſcopo.

Ad eorum ſubventum, qui de noſtra ſpecialiter protectione confidunt, promtius debemus aſſurgere, & ipſas infeſtantes digna animadverſione punire. Venientis ad apoſtolicæ ſedis clementiam dilecti filii noſtri D VVIBALDI Stabulenſis abbatis adverſus L. comitem de Los, & G. comitem de Monte-acuto gravem querelam accepimus, quod in bonis Stabulenſis eccleſiæ diabolico inſtinctu incendia, cædes & rapinas commiſerint, & admoniti de tanta nequitia ſatisfacere minime velint. Quia igitur tantæ iniquitatis exceſſum impunitum relinquere nec poſſumus, nec debemus, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatenus præfatum L. comitem de Los, & ejus complices diſtricte commoneas, ut quæ Stabulenſis monaſterii fratribus per violentiam abſtulerunt, reſtituant, & de illatis injuriis eiſdem fratribus condignam ſatisfactionem exhibeant. Quod ſi forte tuis monitis obedire noluerint, infra ſpatium duorum menſium poſtquam præſentia ſcripta ſuſceperis, præfatus comes & ejus fautores anathematis gladio feriantur. Comitem vero de Monte-acuto, qui bona ipſius monaſterii præſumſit invadere, diſtricte commoneas, ut de prædictis damnis fratribus ejuſdem cœnobii dignam ſatisfactionem exhibeat. Datum Signiæ v. idus Januarii. E

EPISTOLA CCCXXIX. GREGORII & Jacobi cardinalium ad Henricum Leodienſem epiſcopum.

Ut illatas Stabulenſi monaſterio injurias a comite Namurcenſi reſarciri curet.

Anno 1151. LEodienſi epiſcopo HENRICO, GREGORIUS ſancti Angeli, & JACOBUS ſanctæ Mariæ diaconi cardinales ſalutem.

Ubi mandatum & auctoritas præcedit apoſtolica, ſecurius maxime apud amicum ſcribere & preces amicas poſſumus & debemus interſerere. Inde eſt, quod nos dilectioni veſtræ ſcribentes, accurate mandamus, amicabiliter obſecrantes, ut cum dilectiſſimus noſter VVIBALDUS abbas Stabulenſis in illo eventu bellicæ altercationis inter vos & Namurcenſem multa, immo infinita per militiam veſtram perdiderit, & eccleſia ejus in multis & magnis damnum irrecuperabile ſuſtinuerit, prudentia & diſcretio veſtra ſic adverſus eum per condignam recompenſationem gerat & habeat, quatenus alter cum altero unum & idem, quod fuit & eſſe competit, inſeparabiliter permaneat, & poſtmodum ad nos verbum hujus rei ſine ſua emendatione non redeat.

EPISTOLA CCCXXX. EUGENII papæ ad H. archiepiſcopum Bremenſem.

Ut ablata a ſuis parrochianis Kaminatenſi cœnovio prædia reſtitui curet.

Anno 1151. DOminus papa EUGENIUS, H. Bremenſi archiepiſcopo.

Ex conqueſtione dilecti filii noſtri VVIBALDI Corbeienſis abbatis accepimus, quod quidam parrochiani tui, videlicet ODIKO, Riebertus, Thederûs, Rainerus & Hermannus quaſdam poſſeſſiones Kaminatenſis monaſterii, quæ in tuo epiſcopatu eſſe noſcuntur, a JUDITH quondam abbatiſſa, poſtquam a regimine eccleſiæ ſemota fuerat, illicite receperint, & eas contra juſtitiam detineant, atque prædictæ eccleſiæ ipſas reſtituere modis omnibus contradicant. Quia igitur ad noſtrum ſpectat officium errata corrigere, & quæ male ac contra ſanctorum patrum inſtituta fiunt, in irritum revocare, & ad rectitudinis ſtatum reducere, per præſentia ſcripta tibi mandamus, quatenus prædictos parrochianos tuos diſtricte commoneas, ut ſuprafato monaſterio poſſeſſiones ipſas reſtituant, & ab ejuſdem eccleſiæ infeſtatione deſiſtant. Quod ſi forte tuis monitis obedire contemſerint, canonicam de ipſis juſtitiam facias. Præterea nihilominus tibi mandamus, ut fratribus Corbeienſis eccleſiæ de piſcatione da

[a] *Hokvvar*, (*a*) quæ a parrochianis tuis, sicut accepimus, illicite detinetur, quod justum fuerit, facias exhiberi. Datum Signiæ v. idus Januarii.

EPISTOLA CCCXXXI. EJUSDEM ad Henricum archiepiscopum Moguntinum.

Ut ablata Corbeiensi monasterio a suis parrochianis restitui procuret.

Anno 1152. IDem HENRICO Moguntino archiepiscopo.

Unumquemque propriis manere contentum, nec ad aliena, nedum ad ecclesiastica illicite manus extendere, naturalia jura & sanctorum patrum scita pariter contestantur. Quo contra quidam parrochiani tui prædium *Ostoph*, quod prout nobis suggestum est, ad Corbeiensem ecclesiam proprie spectare dinoscitur, Dei timore postposito, contra fas, contra justitiam invaserunt, & in sua nequitia perdurantes, præfatæ ecclesiæ restituere modis omnibus contradicunt. Quia igitur ut ecclesiasticarum possessionum raptores ab aliarum rerum discant invasione cessare, pastoralis maxime cura debet existere, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus de invasoribus dilecto filio nostro VVIBALDO Corbeiensi abbati & fratribus ipsius debitam justitiam facias. Datum ut supra.

EPISTOLA CCCXXXII. EUGENII papæ III. ad Bernardum episcopum Patherburnensem.

Ut a VVidikindo ablata Corbeiensi monasterio restitui sub anathematis districtione compellat.

Anno 1152. DOminus papa EUGENIUS, BERNARDO Patherburnensi episcopo.

Veniens ad nostram præsentiam dilectus filius noster VVIBALDUS Corbeiensis abbas, gravem in auribus nostris querelam deposuit, quod VVIDIKINDUS parrochianus tuus cum quibusdam satellitibus suis cimeterium Corbeiensis monasterii violenter intraverit, & valens C. marcarum ausu sacrilego inde abstulerit, necnon capellam, quæ in porta ipsius cimeterii constituta est, violavit, & quæ ibi invenit, ausu nefario auferre præsumsit. Quia igitur ad nostrum spectat officium errata corrigere, & laicorum præsumtionem fræno justitiæ coercere, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus prædictum VVIDIKINDUM & illos omnes, quos in præfata nequitia secum habuisse dinoscitur, districte commoneas, ut præfato monasterio ablata restituant, & de tanto sacrilegio condignam satisfactionem exhibeant, alioquin VVIDEKINDUM & complices suos gladio anathematis, Domino auctore, percellas. Datum Signiæ v. idus Januarii.

(*a*) Piscationem illam Heinrico abbati restituerat Conradus anno 1145. vid. Annal. Paderb. lib. VIII. ad hunc annum.

EPIST. CCCXXXIII. EJUSDEM Hermanno Trajectensi episcopo.

Ut prædia Corbeiensis monasterii in sua diœcesi sita conservet.

Anno 1152. IDem papa HERMANNO Trajectensi episcopo.

Officii nos admonet & hortatur auctoritas, & fidelium omnium, maxime religiosorum commodis paterno affectu prospicere & eorum utilitati, Domino auctore, salubriter providere. Quocirca per præsentia scripta fraternitatem tuam monemus, quatenus possessiones Corbeiensis ecclesiæ, quæ in tua diœcesi esse noscuntur, videlicet ecclesia de *Linevvert* & prædium de *Merthen* ad Corbeiensium fratrum utilitatem ab illis, qui eas moliuntur auferre, defendas ac manuteneas. Quæ autem de iisdem possessionibus alienata seu impedita cognoveris, expedire ac recolligere nihilominus elabores, & sic de cetero super hoc volumus te esse sollicitum, ne Corbeiensis ecclesia in eisdem possessionibus aliqua possit damna sentire. Datum Signiæ v. idus Januarii.

EPISTOLA CCCXXXIV. EUGENII papæ III. ad Ulricum episcopum Halberstadiensem.

Ut parrochianos suos Corbeiensibus fratribus molestos compescat.

Anno 1152. EUGENIUS papa, ULRICO Halberstadiensi episcopo.

Susceptæ regiminis nos hortatur auctoritas, ut ecclesiasticarum rerum defensores simus promtissimi, & illis, qui ipsa conantur diripere, nos murum tutissimum opponamus. Pervenit ad aures nostras, quod quidam parrochiani tui contra justitiam Corbeiense infestent cœnobium super decimis in Gruninga & super decimis terræ indominicatæ, quas prædictæ ecclesiæ violenter auferunt, & injuste retinere præsumunt. Quia ergo ad pastoralé spectat officium, pravorum hominum excessus corrigere, & ad rectitudinis statum fræno justitiæ coercere, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus prædictos parrochianos tuos districte commoneas, ut a tanta præsumtione desistant, & de cetero eis super ipsas decimas

nullam molestiam inferant. Quod si facere forte contemserint, canonicam de eis justitiam facias. Datum Signiæ v. idus Januarii.

EPISTOLA CCCXXXV. EUGENII papæ III. ad Henricum ducem Saxoniæ.

Commendat ipsi VVibaldum Corbeiensem abbatem.

Anno 1150. PApa EUGENIUS, HENRICO illustri duci Saxonum.

Inter præcipua facta virorum potentium nihil est quod Deo nostro eos ita reddat acceptos, quam si ecclesiis & earum prælatis honorem debitum & reverentiam curaverint exhibere. Unde quia paterna te caritate diligimus, & de tuæ probitatis industria meliora speramus, dilectum filium nostrum VVIBALDUM Corbeiensem abbatem, qui pro suæ honestatis prudentia honorandus dinoscitur, strenuitati tuæ attentius commendamus, per præsentia scripta nobilitatem tuam rogantes & exhortantes in Domino, quatenus ad recuperanda & conservanda ecclesiæ ipsius bona pro nostris precibus fidelis & devotus coadjutor existas. Datum Signiæ v. idus Januarii.

EPISTOLA CCCXXXVI. EUGENII papæ III. ad Ferdensem episcopum.

Conqueritur quod frater ipsius & alii ejus parrochiani bona Kaminatensis monasterii invadant.

Anno 152. [a] IDem papa Ferdensi episcopo *(a)*

Si universalis ecclesiæ curam, quam gerendam, Deo auctore, suscepimus, diligenti consideratione pensemus, providendum nobis est, ut omnibus fidelibus, illis maxime qui specialiter ad tutelam nostram spectare noscuntur, taliter suam justitiam conservemus, ut sub obtentu subtractæ justitiæ in sui rigore officii non debeant negligentes existere. Dilecti filii nostri VVIBALDI Corbeiensis abbatis nuper suggestione didicimus, quod HUNGOLDUS frater tuus, unde valde miramur, VV. & Ge. & quidam alii parrochiani tui bona Kaminatensis ecclesiæ, quæ ad jus ipsius spectare dinoscitur, violenter auferant, & injuste detineant. Quia igitur ecclesiastica bona, & præcipue Corbeiensis ecclesiæ, & quæ ad ipsam spectant, sub defensione & tutela nostra consistunt, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus germanum tuum & alios præfatos invasores districte commoneas, ut præfatæ ecclesiæ ablata restituant & ab ejus infestatione desistant. Quod si tuis monitis obtemperare noluerint, debitam de ipsis justitiam facias. Datum Signiæ v. idus Januarii.

(a) Hermanno, *qui magna fama & fidelitatis habebatur ab imperatore Friderico I. & a tota curia*, uti legitur in Chronico episcoporum Ferdensium tom. 2. Scriptor. Brunsvic.

EPISTOLA CCCXXXVII. EUGENII papæ III. episcopo Mindensi.

Ut Corbeiensi monasterio benefacere pergat.

IDem papa Mindensi episcopo. *(b)* Anno 1152. [b]

Gratum nobis est & acceptum, quod sicut ex relatione dilecti filii nostri VVIBALDI abbatis Corbeiensis accepimus, juxta tenorem litterarum, quas tibi transmisimus, ad utilitatem ipsius ecclesiæ sollicitus & benevolus extitisti. Quia igitur non incipienti, sed perseveranti præmium deberi dinoscitur, per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus bonis initiis potiora studeas augmenta conferre, & prænominato filio nostro Corbeiensi abbati, de quibusdam parrochianis tuis tam clericis quam laicis, qui bona Kaminatensis ecclesiæ præsumunt auferre, debitam justitiam facias. Datum Signiæ v. idus Januarii.

EPISTOLA CCCXXXVIII. EUGENII papæ III. ad abbatem Lunenburgensem.

Henricum Corbeiensem abbatem depositum officio suo non fuisse restitutum.

IDem papa abbati de *Lunenburch*.

Dilectioni tuæ notum fieri volumus, quod HENRICUS quondam Corbeiensis abbas ad nostram præsentiam veniens humiliter postulavit, ut ipsum in suo restitueremus officio. Quod quia rationi consentaneum minime videbatur, & quantitas culpæ ipsius pœnæ hujus allevatione videbatur indigna, nullam omnino restitutionem de ipso nos fecisse cognoscas. Insinuatum est siquidem nobis, quod temerario ausu contra depositionis sententiam, quæ a bonæ memoriæ THOMA presbytero cardinali, tunc apostolicæ sedis legato in eum prolata fuisse dinoscitur, contraire præsumat. Quod quam rationi contrarium, & a sanctorum patrum institutionibus penitus sit alienum, qui zelo rectitudinis utitur penitus non ignorat. Quia igitur ad apostolatus nostri officium spectat, errata corrigere, & tam nefarias præsumtiones de medio extirpare, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus prædictum HENRICUM districte commoneas, ut a tanta præsumtione desistat, & prædictæ sententiæ in ipsum prolatæ minime contraire

(b) Henrico, ex abbate S. Mauritii in Insula ordinis S. Benedicti.

præsumat. Si autem de reliquo Corbeiensem A abbatiam vexare seu molestare tentaverit, digna ipsum ultione coerceas.

EPISTOLA CCCXXXIX. EUGENII papæ III. ad prælatos & comites ac barones.

Ut Conrado imperatori in expeditione Italica adsint.

Anno 1152. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, dilectis filiis comitibus & baronibus per Alemanniam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut a rectore Deo ad salutem humani generis duo caritatis præcepta principaliter sunt inventa, ita & ab ipso duo sunt, quibus hic mundus regitur, constituta, scilicet auctoritas sacra pontificum, & imperialis potestas, quæ duo, si bene ad invicem conveniunt, & sui honoris integritate consistunt, in sancta ecclesia religio secura & Deo sacra servatur, & tam vigore justitiæ C quam æquitatis moderamine Christianus populus salubriter gubernatur. Universitati itaque vestræ certum esse nequaquam ambigimus, quod carissimus filius noster CONRADUS Romanorum rex, pro sui honoris complemento ad honorem Dei & ecclesiæ servitium atque totius regni vigorem & exaltationem, hoc tempore ad urbem regiam, vestro fretus auxilio cum expeditione valida venire largiente Domino, disposuerit. Quia ergo ad tam arduum opus per seipsum non sufficit, & propriæ vires sibi non suppetunt, vestrum ei servitium tamquam vestro principi studiose debetis pro vestris viribus ministrare. D Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus ad servitium regni & prædicti filii nostri regis viriliter accingamini, & ad expeditionem ipsam cum eo ita vos præparetis, ut & ipse dispositum iter, prout tantum principem decet, potestative facere valeat, & sui honoris plenitudinem cum gaudio & exultatione suscipere, atque nos adventum ejus, quem ad profectum ecclesiæ ac regni, & salutem Christiani populi expectamus, cum desiderato fructu, beatorum apostolorum Petri & Pauli suffragantibus meritis, possimus percipere. Datum Signiæ VI. Kal. Februarii.

EPISTOLA CCCXL. VVIBALDI abbatis ad suos Corbeienses.

Suum ex legatione Romana reditum significat, ac mortem imperatoris, cui solemnes exsequias celebrari mandat.

FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod Anno 1152. est in ecclesia catholica, dilectis in Christo filiis & fratribus H. venerabili priori & ceteris Corbeiensis, ecclesiæ filiis, benedictionem & vitam usque in sæculum. B

Dei omnipotentis gratia vias nostras comitante, & orationibus vestris iter nostrum prosequentibus, sani incolumes a domino papa & ab Urbe pro legatione regia, quam susceperamus, usque Coloniam reversi sumus, in omni negotio, quod nobis injunctum est, cum gratia & benignitate plenam efficaciam reportantes. Sicut enim rerum ipsarum consequentia manifestabit, in omni petitione nostra tam privatarum quam publicarum rerum clementer exauditi sumus, ita ut neque in privilegiis, neque in epistolis pro nostra opportunitate impetrandis ullam difficultatem sustinuerimus. Sed hæc omnia pro voto adepta gaudia amaricavit obitus serenissimi domini nostri Romanorum regis inclyti, cujus transitus, licet non immerito universitatis vestræ animos commoverit, non tamen graviori concussione perturbare debet, quia potens est Deus Corbeiensem ecclesiam in suæ dignitatis statu conservare & nostræ personæ utilitatem usquequaque non deserere. Cujus clementissimi domini nostri exequias ut solemni ac regio more celebretis devotissime, caritati omnium injungimus. Sed cur dominum dicimus cum, in quo semNOTA per plusquam paternæ pietatis viscera persensimus? Filiis enim suis nos in omni excellentiæ gradu non postposuit, germanis suis licet in altissimo principatus culmine constituris, sæpenumero antepositus. Universa nobis sanctæ pietatis & officia & nomina ab ipsius sacratissimo pectore manabant. Nunc inter dolorem amissi tam excellentis, tam amici principis, inter sollicitudinem futuræ de regno suo ordinationis, ea nos præcipue cura tenet attentius, ut vestræ fraternitati sine querela ab officialibus vestris administretur. Declinavimus paululum ad Staburlensem ecclesiam, ut cum eam fuerimus E consolati, ad vos liberius & diutius mansuri brevi elapso tempore revertamur. Universitati autem vestræ notum esse volumus, quod dominus Heinricus, qui, monasterio vestro aliquando præfuit, ordinem sacerdotii, a quo depositus fuerat, a domino papa non recepit, super cujus rei assertione nos litteras ejusdem domini papæ accepimus.

EPISTOLA CCCXLI. VVIBALDI abbatis ad Stephanum episcopum Metensem.

Ut negotium de electione abbatis VValciodorensis differat, donec novus eligatur rex Romanorum.

Anno 152. REverendo in Christo patri suo STEPHANO sanctæ Metensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS, Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium.

Audisse credimus excellentiam vestram, quod felicis memoriæ dominus quondam noster inclytus Romanorum rex CONRADUS nos ad dominum papam & ad urbem Romam pro rebus regni agendis transmiserat, sed ante reditum nostrum, domino nostro [a] VValciodorense abbate (*a*) viam universæ carnis ingresso, orta est dissensio inter monachos VValciodorenses & Hasterienses super electione futuri abbatis, pro qua controversia terminanda, vos eisdem monachis locum & diem præfixisse intelleximus. Et quoniam mandata domini papæ adhuc in manibus habemus, discretionis vestræ pedibus animo advoluti, benignitatem vestram intime rogamus, ut pro reverentia ejusdem domini papæ agere cum eis differatis, donec ordinato per omnipotentis Dei misericordiam novo rege, pro cujus electione principes regni crebra jam inter se habent colloquia, & nos pro recenti legatione Italiæ abesse non permittunt, eidem causæ interesse possimus. Nec enim matris nostræ VValciodorensis ecclesiæ labores negligere debemus aut volumus, quin ei in omni necessitate sua, salva dignitatis vestræ reverentia, & sancti Metensis ecclesiæ honore, subservire parati sumus.

EPISTOLA CCCXLII. WIBALDI abbatis ad VValciodorenses.

Condolet eis ob mortem abbatis, mittitque privilegium quod eis ab Eugenio papa obtinuerat, cum exemplo litterarum suarum ad episcopum Metensem & ad Hasterienses.

Anno 152. FRater VVIBALDUS, Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, dilectis in Christo fratribus suis universis VValciorensis ecclesiæ filiis, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Audito per famam obitu reverendi patris nostri, plurimum propter multiplices ecclesiæ vestræ labores, quos in rerum novitate futuros formidamus, animo vobis condoluimus, & præcipue cum de verbo electionis vestræ intelleximus, quæ universitati vestræ nullam omnino utilitatem afferre poterit, & personæ nostræ (*b*) aliquantulum [b] derogabit. Scire autem volumus dilectionem vestram, quod ad præsens in negotiis regni laborantes, usque Stabulaus pervenire non potuimus, sed ordinato nobis per omnipotentis Dei gratiam novo rege, & a publicis occupationibus paulo liberiores, necessitati vestræ assistere parati erimus, non quidem pro electionis verbo, sed pro fraternitatis debito. Interim vero ad consolationem vestram misimus vobis privilegium, quod a domino & patre nostro papa EUGENIO ecclesiæ vestræ obtinuimus. Misimus etiam vobis litteras nostras, quas domino Metensi episcopo pro eadem causa transmittimus, monentes industriam vestram, ut eas sub omni celeritate ad ipsum perferri faciatis. Quarum exemplum cum exemplo illarum, quas Hasterienſibus transmisimus, vobis videndum destinare curavimus, quas amicis vestris & religiosis viris, & præcipue coabbatibus nostris ostendi volumus.

EPISTOLA CCCXLIII. VVIBALDI abbatis ad Hasterienses.

Ut de controversia quæ ipsos inter & VValciodorenses erat, agere differant, donec facta imperatoris electione ad ipsos veniat.

FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, dilectis in Christo patribus J. venerabili priori, & ceteris Hasterienſis ecclesiæ filiis benedictionem & vitam usque in sæculum. Anno 1152.

Audito per famam obitu reverendi patris nostri, plurimum propter multiplices ecclesiæ vestræ labores, quos in rerum novitate futuros formidamus, animo vobis condoluimus, & præcipue cum de verbo dissensionis vestræ intelleximus, quæ univesitati vestræ plurimum nocebit, & personæ nostræ scandalum generabit. Et quoniam mandata domini papæ, ad quem missi fuimus adhuc in manibus habemus, & principes regni nostri nos ad colloquium suum, ubi de ordinatione futuri regis agetur, per litteras evocaverunt, pedibus universitatis vestræ animo advoluti, fraternitati vestræ intime supplicamus, ut pro domini papæ, in cujus legatione

(*a*) Theodorico VValciodorensi abbate XIII. de quo vide chronographum.

(*b*) Quippe VVibaldum ipsum in pastorem animarum suarum elegerat teste chronographo cujus hæc verba: *Prior vero hujus monasterii videns eorum* (Hasteriensium) *arrogantiam, & timens ne si differatur electio, tumultus fieret, in dominum Stabulensem sæpe memoratum VVibaldum abbatem electionis suæ sententia, toto annuente conventu, confirmavit. Ipse vero post reditum suum a curia imperatoris, (nam ibi per aliquot mensis moratus fuerat) tunc hoc audito VValciodorum venit, & ab hac urbe sese humi prostratus excusavit humiliter, &c.*

sumus, reverentia, & pro nostro perpetuo servitio obtinendo agere de ista controversia differatis, donec ad vos, Deo ducente, pervenientes, consilio abbatum videlicet (a) [a] Gemblacensis, (b) [b] Florinensis, (c) [c] Lobiensis, (d) [d] Floreffiensis, (e) [e] Maloniensis ea quæ sunt ad pacem inter vos & fratres nostros VValciodorenses loqui & agere valeamus. Non enim credat discretio vestra, quod aliquid in eadem causa quæramus, quod meum sit, sed quæ JESU CHRISTI, & matrem nostram VValciodorensem ecclesiam violari & imminui non debemus pati aut possumus, etiamsi omnem substantiam, quam possidere cernimur, pro eadem causa expendere haberemus.

EPISTOLA CCCXLIV. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

De morte Conradi imperatoris & electione Friderici, deque eam subsequutis circa expeditionem Italicam.

Anno 1152. REverendo patri suo & domino EUGENIO divina grâtia uni & universali papæ, frater ille vester Dei & vestra gratia, id quod est in ecclesia catholica, se ipsum in fide & veritate.

Ecce venerande pater, quod verebar accidit, & ob hoc quasi divino & præscio spiritu cum essem apud vos, non dissimulavi neque silui suggerens & contestans, ut pacem populi Romani, si honesta & tuta esse posset, sine dilatione reciperetis. Etsi casum hunc, de quo non immerito dolemus, minime præsentiebamus, quadam tamen præsensione futurorum angebamur, ne forte spes vestra, quam de expeditione futura conceperatis, aliquo rerum eventu vacillaret. Multa enim quæ legimus, & audivimus, & vidimus inter Urbis reverendos pontifices & imperatores facta & dicta non indebita nos sollicitudine terrebant, & licet discreta eruditio vestra de omni statu Teutonici regni plenius inpræsentiarum doceatur, tum per litteras glorioši filii vestri & domini nostri FREDERICI Romanorum regis invictissimi, tum etiam per scripta devotorum filiorum vestrorum quorumdam videlicet episcoporum, tamen devotio nostra circa vos & sacro-sanctam matrem nostram Romanam ecclesiam languere non debuit: quin celsitudinem vestram de rebus ad vos maxime pertinentibus aliqua ex parte præmoneremus. Etenim unusquisque in suo sensu abundat. Pervenientibus nobis Spiram in reditu a vobis occurrit nobis fama omni auditu horribilior, omni furia terribilior, quod videlicet tertia ante illam die de hac vita migrasset dulcissimus ac devotissimus filius vester serenissimus quondam Romanorum rex CONRADUS. Dubitare non oportet aut quærere sinceritatem vestram quantus dolor animos nostros pervaserit de amissione tam clementis, tam misericordis circa nos principis, de metu futuræ in imperio mutationis. Enavigavimus ita summa cum celeritate Coloniam, ut tanto esset Colonienšis ad providendum reipublicæ cautior ac liberior, quanto esset inter suos ab omni turbulentæ conventionis impetu securior. Cœperunt deinde summi principum se per nuntios & litteras de habendo inter se colloquio pro regni ordinatione sollicitare, sicque factum est, ut cum pauci admodum crederentur venturi, maxima tamen optimatum multitudo XVII. die post obitum prædicti magnifici principis in oppidum *Frankenevort* convenerit. Itaque concurrentibus omnium votis, imino, ut verius dictum sit, præcurrere certantibus singulorum desideriis, electus est cum summo universorum assensu is, qui nunc rerum potitur FRIDERICUS dux anteaSueviæ & pari & eadem alacritate & admiratione quinta postmodum die unctione sacra pontificum in solio regni more majorum Aquisgrani sublimatus est. Salva sane in omnibus divinæ omnipotentiæ reverentia, quæ operabatur in cordibus hominum ad inclinandum eorum voluntates quocumque vellet, in hac tam incredibili tam celeri concordia trahebat sua quemque voluntas. Multorum vox erat in ipsa impositione diademaris expeditionem Italicam, quam patruus ejus strenue ordinaverat, ipse firmaret ac perficeret. Sequenti vero die tam Colonienšis quam episcoporum, qui illic aderant, consilium & exhortatio erat, ut eamdem militiæ sacramentis acceptis expeditionem Italicam ad propulsandas apostolicæ sedis injurias promoveret; sed laici principes simplici fortasse animo studiose suggerebant, non oportere in hac rerum novitate tam gravi sponsione principem devinciri, ne improbitas rebellantium de ipsius celeri egressu certa, in extremam dementiæ audaciam prorumperet: decere etiam, ut vocatus a vobis potius quam sponte sua veniret. Ita de facili labor in quietem permutatus est. Et quidem cor regis in manu Dei est, & pro subjectorum meritis, quo placet, convertit illud. Hoc

(a) Gemblacense insigne olim monasterium a S. Guiberto comite fundatum, hactenus præstat sub regula S. Benedicti, cujus abbas in comitis generalibus omnibus Brabantiæ nobilibus præest.

(b) Florinense S. Johannis monasterium ineunte sæculo X. a Gerardo episcopo Cameracensi fundatum floret hactenus sub Regula S. Benedicti.

(c) Lobiense antiquissimum & nobilissimum ordinis S. Benedicti cœnobium in diœcesi Leodiensi, virorum sanctitate & doctrina illustrium seminarium, cujus conditor S. Ursmarus abbas extitit.

(d) Florefia ordinis Præmonstratensis de quo superius.

(e) Malonia forte idem cum Mala-monasterio, cujus meminit Anšegisus in suo testamento. Hodie est canonicorum regularium.

ideo

ideo dicimus, quod princeps noster nondum, ut credimus, annorum triginta, fuit antehac ingenio acer, consilio promtus, bello felix, rerum arduarum & gloriæ appetens, injuriæ omnino impatiens, affabilis ac liberalis, & splendide disertus juxta idioma linguæ suæ. Augeat in eo Deus omnium virtutum nutrimenta, ut faciat judicium & justitiam in terra, & sit vobiscum magni consilii angelus, ut declaretis cum in regem ac defensorem Romanæ ecclesiæ, & illa ipsi ac principibus suis facere injungatis, quæ ad honorem ecclesiæ catholicæ, & salutem populi Christiani proficiant.

EPISTOLA CCCXLV. FREDERICI imperatoris ad Eugenium papam III.

Per suos legatos certum eum facit de sua electione, promittitque sinceram ecclesiæ Romanæ protectionem.

Anno 1152. Dilectissimo in Christo patri suo EUGENIO, sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex & semper augustus, filialem per omnia dilectionem & debitam in Domino reverentiam.

Patrem patriæ decet veneranda priscorum instituta regum vigilanter observare, & sacris eorum disciplinis tenaci studio inhærere, ut noverit regnum sibi a Deo collatum, legibus ac moribus non minus adornare, quam armis & bello defensare. Solemnem itaque imperii Romani morem a proavis nostris, imperatoribus videlicet & regibus, ad nos transmissum sequentes, legatum nostrum, virum utique honestum & discretum E. (*a*) venerabilem Bavembergensem episcopum, adjunctis sibi H. (*b*) Trevirensi electo, & A. (*c*) Everacensi abbate ad vestræ sanctitatis præsentiam, & ad Urbem destinare curavimus, ut tam ex præsentis paginæ indicio, quam ex ipsorum viva voce de nostris provectibus & totius ecclesiæ ac regni statu certiores esse possetis. Itaque quando placuit terribili, & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ, in cujus manu sunt omnium potestates & omnium jura regnorum, felicis memoriæ patruum ac nutritorem nostrum glorioſum Romanorum regem CONRADUM de præsenti vita evocare, universi principes regni, tamquam divino spiritu suscitati, decima septima die post depositionem ejus, in oppidum *Frankenevvort*, tam per se ipsos, quam per responsales honoratos, convenerunt, & absque ullius moræ interjecto spatio, eadem die cum ingenti divinitus data concordia, ipsi principes & ceteri proceres cum totius populi favore & alacritate nos in regni fastigium elegerunt. Quinta postmodum die, id est transacta proxime mediante quadragesima, pari & eodem consensu cum benevola populi acclamatione in oppido Aquisgrani nos per sanctissimas devoti filii vestri ARNOLDI Colonensis metropolitani, & venerabilium episcoporum manus oleo sanctificationis regaliter unxerunt, & in solio regni cum benedictione solemni collocaverunt. Nos vero in multiplicibus regiæ dignitatis ornamentis, quibus partim per laicorum principum obsequia, partim per venerandas pontificum benedictiones vestiti sumus, regium animum induimus, tota mentis virtute intendentes, ut juxta professionis nostræ formulam, quam ab orthodoxis præsulibus in ipso regni throno & unctione sacra accepimus, honorem vobis & dilectionem, & sacro-sanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ & omnibus ecclesiasticis personis promtam & debitam justitiam, ac defensionem exhibeamus, viduis ac pupillis, & universo populo nobis commisso, legem & pacem faciamus & conservemus. Cum enim duo sint, quibus principaliter hic mundus regitur, videlicet auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas, omnium Christi sacerdotum obedientiæ devoti colla submittere parati sumus, ut propitia divinitate, temporibus nostri principatus, verbum Dei expedite currere non prohibeatur, & paternas regulas ac decreta sanctissimis diffinita conciliis nullus audeat absque pœnæ gravioris vindicta violare, quatenus per studii nostri instantiam catholica ecclesia, suæ dignitatis privilegiis decoretur, & Romani imperii celsitudo in pristinum suæ excellentiæ robur, Deo adjuvante, reformetur. Et quoniam beatitudinis vestræ animum de obitu prædicti serenissimi principis scimus non immerito perturbatum, vobis tamquam patri carissimo constanter promittimus, quod sicut eidem glorioso quondam regi in regni solio successimus, ita hereditariam dilectionem tam ad vestram personam omnino specialem, quam ad sacro-sanctæ matris Romanæ ecclesiæ promtissimam ac devotissimam defensionem suscepimus, hac scilicet ordinis ratione, ut quæcumque ad liberationem & honorationem apostolicæ sedis intenderat, & ordinaverat, nos constanter perficere studeamus, ita ut juxta felicem ad sanctum virum, Domini promissionem inimicis vestris inimici simus, & odientes vos affligamus. Sane prænominatos legatos nostros benignitati vestræ attente committimus, ut eos pro nostræ dilectionis intuitu benigne tractetis, & in suis petitionibus clementer exaudiatis, intime etiam rogantes, ut domi-

[a] Eberardum, qui Egilberto 1146. successisse dicitur.
[b] Hillino, qui Adalberoni anno 1152. defuncto, subrogatus est.
[c] Adamo abbate Everaci seu Ebraci, quod est magnificum ordinis Cistercienſis in diœcesi Herbipolensi cœnobium.

num abbatem de Evera nobis tam in divinis A quam in rebus humanis necessarium liberum nobis remittatis.

EPISTOLA CCCXLVI. VVIBALDI abbatis ad E. Bavembergensem episcopum.

Dat ei quædam monita in sua legatione observanda.

Anno 1152. REverendissimo patri suo & domino E. sanctæ Bavembergensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS, Dei B gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium.

Non sumus de schola Pitagoræ, ut auditores nostros in verba nostra jurare cogamus. Licebit itaque vobis, absque ingenii nostri acerba reprehensione, de scriptura nostra immutare, demere vel adjicere. Unusquisque enim in suo sensu abundat. Verumtamen, quoniam ars nulla sine præceptore usque ad plenam rerum certitudinem capitur, licet benignum pectus vestrum scientia & eloquentia non deseratur, nostra tamen C verborum lineamenta, quæ disertitudinis vestræ picturæ substravimus, nullo erunt facundiæ ornamento penitus oblitteranda. Siquidem cum nos adhuc juvenes curiam intravissemus ante annos sursum versum plus minusve triginta, invenimus in quibusdam viris gravioribus imperatoriæ majestatis reliquias de contubernio & disciplina imperatoris HENRICI senioris, qui verba quæ ad dominum papam & ad Urbem diriguntur, tamquam appensa & dimensa memoriter retinebant, neque nobis in legationibus immutari, vel a rudibus legatis alterari per- D mittebant, ne videlicet majestas imperii & ordo disciplinæ obsolesceret. Et ad comparationem quidem aliorum regum, videlicet Constantinopolitani, Ungarorum, Danorum, Northvvegorum, & aliorum tam Barbarorum quam Latinorum, nostri principis verba humilia sunt, & subtili appendiculo cavendum, ne inter duas & interdum diffidentes potestates, quibus fidei vinculo alligati sumus, sinceritatis nostræ rectitudinem ullo dicendi vel agendi modo distorqueamus. Reddetis nobis cum, Deo ducente prosperum reditum habueritis, studii nostri vicem, de alacritate eventus vestri cer- E tificare nos non abnuentes, quia licet officio & pietate præcatis, comitate tamen parem non dedignabimini. Si scribere placuerit populo Romano, quod nobis quidem faciendum in hoc articulo plurimum videtur, poterit eruditio vestra uri litteris vestris, quæ ad dominum papam scriptæ sunt, eisdem vel similibus verbis ac sententiis, paucis admodum pro personarum varietate mutatis.

EPISTOLA CCCXLVII. HENRICI notarii ad Wibaldum abbatem.

Ut sigillum & bullas aureas mittat Bavembergensi episcopo.

DOmino suo dilecto WIBALDO Cor- Anno 1152. beiensi abbati, H. regiæ curiæ notarius servitium.

Sapientis est, propositum sibi negotium ex consilio & deliberatione promovendum assumere, assumtum compensata rerum & B temporis opportunitate effectui mancipare. Bavembergensis episcopus, vir prudens & constans, ad peragendam legationem domini regis sibi injunctam, sigillum & bullas aureas, sicut promisistis, ex parte vestri jam dudum succinctus ad iter expectat. Vos autem nudas litteras ad opus domini regis ad curiam transmisistis. Certe si nobis tanta esset copia bullarum aurearum, quanta verborum, legatio domini nostri ex omni parte promota & maturata jam dudum processisset. De statu & processu Domini regis sciatis, quia bene sanus est, & omnibus in Trajecto rite peractis, per Daventriam versus partes Saxoniæ procedit.

EPISTOLA CCCXLVIII. VVIBALDI abbatis ad Henricum regiæ curiæ notarium.

Respondet ad præcedentem.

FRater VVIBALDUS, Dei gratia id quod Anno 1152. est in ecclesia catholica, dilecto in Christo sodali & amico suo H. magistro regiæ curiæ notario, recte judicare inter filios hominum.

Placuit eruditioni tuæ temeritatis nos inconstantiæ, etiam proposita philosophica sententia, tamquam nota censoria redarguere, pro eo scilicet, quod tibi, ut asseris, nudas litteras transmisimus, & dominum Bavembergensem episcopum, virum prudentem & constantem, ad legationem domini nostri regis peragendam jam accinctum retardavimus. Vulgari proverbio apud nos dicitur, quod tibi, licet inconcinne, e verbo transferre curabimus: Male audire facit male intelligere, & male intelligere facit errare. Siquidem dominus noster rex præsente & annuente domino Bavembergensi, ita instrumenta legationi necessaria ordinavit, ut postquam a nobis diligenter fuissent perfecta, Anselmo villico Aquensi transmitterentur, perferenda per ipsum usque ad Bavembergensem, quod nos cum maxima & instanti sollicitudine perficere studuimus. Nam die quinta post exitum vestrum a nobis, Aquisgrani dedimus puero

nostro Godino perferendum sigillum argenteum perfectum, ne videlicet illo novitio & non permansuro res regni diutius consignarentur. De nudis vero litteris, quas cum eodem sigillo misimus, lectores & auditores judicabunt, utrum splendore sententiarum & ornamentis verborum prorsus nudæ sint. Quas nos tamen ex regio mandato, & pro episcoporum precibus non ad doctrinam vestram, sed tamquam picturæ vestræ quædam liniamenta propter materiæ novitatem coacti substravimus, & vobis ad notitiam rerum conservandam, custodiendas transmisimus. Decima postmodum die, hoc est in cœna Domini, perfecta sunt ferramenta ad bullandum de auro, quæ vobis per præpositum de Marsna sub celeritate transmisimus. Eadem vero die misimus Aquensi Villico sigillum stanneum diligenter expressum ad formam argentei, & duas bullas aureas perfectas, cum omnibus litteris & salutationibus, quæ domino Bavembergensi opportunæ erant, additis insuper propriis admonitionis nostræ litteris, quas quarta feria paschalis hebdomadæ recipere, si per nuntios neglectum non est, absque dubitatione potuit. Non igitur oportuit prudentiam tuam aures principis inquietare, tamquam opus ipsius & mandatum fuisset a nobis omissum, cum a juventute nostra sub tribus inclytis augustis principali jussioni vigilanter obtemperare didicerimus. Sed ab ingressu quorumdam in regiam curiam, qui nec scientia nec experientia rerum majestatem & imperii dignitatem perceperant, nostra & quorumdam aliorum principum opera vel prorsus cessavit vel superflua visa est. Neque hoc dicimus, quod quietis nostræ impatientes evagari & aliena curare concupiscamus, & judicandi ab omnibus, ferre de cunctis sententiam desideremus. Ceterum super hoc plurimum gaudemus, quod de copia verborum in responsis regiis procurandis gloriatus es, quorum abundantia non a nobis solum, sed a multis regni fidelibus diu satisque desiderata est. Gratias autem referimus omnipotenti Deo de sospitate domini nostri regis. Sed nos á tua industria de statu ipsius requirentes, non ad incolumitatem corporis, quæ tamen curæ nobis, sed ad primordia novi regnatoris animum intendimus, utrum diligat justitiam qui judicat terram, utrum in eodem proposito fervens esset an lentus, efficax an vacuus. Remisimus autem tam ad ipsum dominum nostrum, quam ad tuam experientiam præsentem puerum nostrum, ut nobis absque retardatione remandes, utrum dominus noster per Corbeiam transitum sit habiturus.

EPISTOLA CCCXLIX.

Walciodorensium monachorum ad VVibaldum abbatem.

Orant ut regimen monasterii ad quod ipsum elegerant suscipiat.

Anno 1152.

DOctrina totius prudentiæ insigni domino VVIBALDO abbatum egregio, consolationis suæ esuriens prudentiam VValciodorensium conventus, utriusque vitæ jucunditatem per moderationem sacræ dispensationis adquirere.

Venerande pater & domine, destituto grege nostro pii pastoris solatio, ejus ovile morsibus plurimorum circumquaque unanimiter latrantium patuit, metuque istius impetus vehementer commoti, procul dubio cognoscimus talibus indiciis, quoniam ejus mortis occasus nostræ erit desolationis eventus, nisi periclitantibus nobis vestræ prudentiæ præsens adfuerit consolationis portus. Hac itaque perturbationis controversia pavefacti, post Deum ejusque genitricem, beatissimam videlicet Mariam spei nostræ anchora in sinu consolationis vestræ collocata, sub vestrarum alarum protectione confugimus, ac de vestra fisi magnifica pietate quatenus ab imminenti periculo & nos & nostra vestro moderamine liberentur, vos ad regimen animarum nostrarum, custodiamque imminentium adversitatum assensu omnium in abbatem elegimus. Votis igitur præcordialibus consilium vestræ amminiculationis nobis adesse deposcimus, quatenus vestra freti consolatione, sub vestræ dispensationis regimine corporis & animæ tranquillitatem, valeamus adquirere, ipsumque regimen, ne vestra faceta urbanitas alicujus excusationis pondere valeat postponere, illud vos vestris genibus provoluti suppliciter precamur suscipere. Omnium bonorum custos Spiritus-sanctus ad communem utilitatem regni & ecclesiæ & nostram dignetur vos regere & conservare.

EPISTOLA CCCL. HENRICI

Leodiensis episcopi ad Stephanum Metensem.

Adversus Hasterienses monachos, qui duos in VValciodoro abbates volebant.

Anno 1152.

REverendo fratri suo & amico STEPHANO Metensis ecclesiæ venerabili episcopo, HENRICUS Dei gratia sanctæ Leodiensis ecclesiæ humilis minister, fraternas orationes, & debitam in Domino dilectionem.

Pastoralis officii sollicitudo nos admonet, ut commissarum nobis ovium vigilanti

ſtudio curam exerceamus, ut tam errantes instar ſunumi paſtoris ad ovile reportemus, quam obedientes & nulla diſcordiæ labe infectos, ad vitæ paſcua adducamus, & nominatim vocemus. Eapropter diſcretioni veſtræ ſuggerendo notificamus, quod monachi Hasterienſes vagi & erronei, ac novitatibus intendentes, res ejuſdem monaſterii prorſus deſtruunt, & quoſdam perverſitatis ſuæ fautores, tam pretio quam promiſſionibus alliciunt, hoc ſuæ pertinaciæ emolumentum capere cupientes, ut in una, hoc eſt VValciodorenſi abbatia, duo abbates contra ſacrorum canonum inſtituta & apoſtolici privilegii auctoritatem ordinentur. Monemus itaque dilectam nobis in Chriſto prudentiam veſtram, ne tam grave ſcandalum apud vos foveri & creſcere ſinatis, & ita de jure proprietario, quod in Walciodorenſi abbatia eccleſia Metenſis habere dinoſcitur, moderata diſcretione tractetis, ut Leodienſis eccleſiæ, ad cujus officium pertinet electionem examinare, electum conſecrare, terminos non attingatis. Nos enim divinam ultionem metuentes, diutius diſſimulare non poſſumus, quin eos ad regularis electionis ordinem canonica ſevericate, pro noſtri debito officii, compellamus, cum præcipue paterne admoniti, delegatis etiam quinque religioſis ad eorum viſitationem abbatibus, obedire hactenus contemſerint.

EPISTOLA CCCLI. HENRICI Leodienſis epiſcopi ad VValciodorenſes & Hasterienſes.

Ut talem eligant abbatem, qui pene emortuam diſciplinam ſuſcitet.

Anno 1152. HENRICUS Dei gratia Leodienſis epiſcopus, fratribus qui ſunt VValciodoro & Hasteriæ, ſpiritu conſilii & pietatis abundare.

Quoniam abbas veſter viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, & ſecundum curam nobis commiſſam ſollicitudo nobis eccleſiarum quoque veſtrarum impoſita eſt, vota ad Deum fundimus, ut talem ſuo gregi miniſtrum ſubſtituat, cujus ope & ſtudio beata monachorum religio vires accipiat & accreſcat, quæ quia inter vos aliquandiu tepuit, & odorem bonæ opinionis ſuæ, ſupra quam neceſſe eſſet, turbavit, auctoritate a Deo nobis indulta vobis præcipimus, ut congregatis de circuitu religioſis abbatibus [a] Florienſi, (a) Bronienſi, Gemblacenſi & Floreffienſi talem vobis eligatis paſtorem, qui jam pene emortuam in vobis reſuſcitet religionem. Valete.

(a) Bronium ordinis S. Benedicti abbatia, diœceſis Namurcenſis, a S. Gerardo abbate fundata, cujus hodie abbatialis menſa epiſcopatui Namurcenſi unita eſt.

NOMINA ABATUM, VValciodorenſium & Hasterienſium.

HÆc ſunt nomina abbatum, qui VValciodorenſi cœnobio præfuerunt, & Hasterienſem eccleſiam cum omnibus ſuis appenditiis ſub unius abbatiæ nomine tenuerunt. Domnus Forannanus epiſcopus & abbas, domnus Kadroe, domnus Machalanus, domnus Immo, domnus Theodericus, domnus Frembertus, domnus Rodolfus, domnus Lambertus, domnus Godeſcalcus, domnus Wulricus, domnus Theodericus.

EPISTOLA CCCLII. STEPHANI epiſcopi Metenſis ad VVibaldum abbatem.

Aſſignat ei diem qua ipſum convenire queat.

STEPHANUS Dei gratia Metenſis epiſcopus, VVIBALDO eadem gratia abbati Stabulenſi dilecto ſuo, ſalutem & omne bonum. Anno 1152.

Litteras dilectionis veſtræ libenter ſuſcepimus, ex quibus adventum veſtrum apud nos pro controverſia Walciodorenſium & Hasterienſium intelleximus. Sed quoniam diem a vobis poſtulatam obſervare non poſſumus, ſtatuimus vobis aliam, ſcilicet proximam ſecundam feriam poſt ſextam a vobis nominatam, & hoc Metis. Valete.

CCCLIII. CONVENTIO INTER Fridericum regem & Bertolfum ducem.

HÆc eſt conventio inter dominum regem FRIDERICUM & ducem BERTOLFUM. Anno 1152.

Dominus rex dabit eidem duci terram Burgundiæ & Provinciæ, & intrabit cum eodem duce in prædictas terras, & adjuvabit eum eaſdem terras ſubjugare per bonam fidem ex conſilio principum, qui in eadem expeditione erunt. De terra quam modo habet comes VVILLEHELMUS Matiſconenſis ex parte neptis ſuæ faciet duci juſtitiam, aut ex conſilio principum, aut ex judicio ipſorum dominatum & ordinationem utriuſque terræ dominus rex habebit, quamdiu in ipſis terris fuerit. Poſt diſceſſum regis dux utraſque terras in poteſtate & ordinatione ſua retinebit, præter archiepiſcopatus & epiſcopatus, qui ſpecialiter ad manum domini regis pertinent. Si quos autem epiſcopos comes VVILLEHELMUS vel alii principes ejuſdem terræ inveſtierint, eoſdem dux inveſtiat. Et quod hæc conventio ex parte domini regis obſervabitur, fide data firmaverunt HENRICUS dux Saxoniæ, dominus WELPHO, ARNOLDUS cancellarius,

comes ODELRICUS de *Lencenburch*, comes EGENO, ODELRICUS comes de *Hornunge*, MARCQ. de *Gronbach*, ARNOLDUS de *Biberbach*, OTTO Palatinus comes de *VVitelinesbach*, VVALTERUS dapifer, HILDEBRANDUS pincerna, CONRADUS COLBO & frater suus SIGEFRIDUS. Dux BERTOLFUS habebit cum domino rege mille loricatos equites, quamdiu dominus rex in illis terris fuerit. In Italicam expeditionem ducet cum domino rege, quamdiu in ipsa expeditione fuerit, quingentos loricatos equites & quinquaginta arcobalistarios. Et quod dux hæc omnia servabit sine dolo & sine fraude, dabit domino regi in pignore allodium suum, castrum scilicet *Teche* cum omnibus ministerialibus & prædiis ibidem pertinentibus, *Hetligen*, *VVilliggen* & *Erstem* cum omnibus eorum pertinentiis. Et quod dux hæc omnia observabit, juraverunt homines sui BURCHARDUS & VVERNHERUS. Dominus autem rex expeditionem in prædictas terras movebit a proximis Kalendis Junii, quæ sunt indictione XV. infra annum.

EPISTOLA CCCLIV. OTTONIS episcopi Frisingensis ad VVibaldum abbatem.

Explicat quemdam psalmi versiculum.

Anno 1152. VEnerabili in Christo fratri & amico præcordiali VVIBALDO Corbeiensi abbati, O. Frisengensis ecclesiæ minister, id quod est salutem cum devoto obsequio.

Quod negotium, pro quo ad curiam miseratis, debitum processum non habuerit, in nobis non remansit. De cetero super quæstione quam nobis movistis Aquis, quomodo videlicet ad ascensionem Domini referri valeat quod in psalmo legitur: *Tollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales*, & *Quis est iste rex gloriæ*, breviter respondemus, triplicem in eadem auctoritate sensum reperiri, quorum iste unus est. Legite glossas Psalterii & invenietis super *attollite portas*: Virtutes ministræ ad alias cœlestes clamabant, ut viam aperiant, quæ novo mysterio carne Induti stupefactæ quærunt, *quis est iste?* sed & illum quem dixistis de principibus tenebrarum & portis mortis, unde ille cantus, *Sum rex gloriæ*, factus est, ibi invenire poteritis, ita tamen ut portæ æternales non sint infernales, sed item cœlestes. Unde est rursum illa glossa: *attollite*, id est auferte, portas mortis, quæ a principe diabolo positæ sunt, & *elevamini* contra portas mortis portæ æternales. Omnis gratia quæ veniente Christo data est. Et alibi: Angeli præeuntes ad infernum dicunt, auferte potestatem vestram. Et in ascensione dicunt, secundum vos, principibus tenebrarum in descensione ad inferos, *attollite*, id est auferte *portas principes vestras*: dicunt secundum nos principibus suis in ascensione ad cœlos, *tollite* pro aperite, ut idem sit *tollite portas*, quod & *elevamini portæ æternales*. Tertius ejusdem lectionis sensus moralis est. Hæc idcirco caritati vestræ scripsimus, non quod sapientiam vestram nostra insipientia doceri ambiamus, sed quod nostram imperitiam apud vestram solertiam excusatam esse desideramus, ut quia multifarius scripturarum sensus noscitur, nobis non imputetis, quasi hanc auctoritatem in ascensione Domini de ascensione ad populum loquentes, de nostro potius quam sanctorum patrum corde induxerimus, cum secundum primum sensum illi in psalmo dicant, *quis est iste rex gloriæ?* qui in prophetа aiunt, *quis est iste qui venit de Edom?* stylo non succenseatis, quoniam festinanter scripsimus. Personam vestram vera in Deum caritate diligimus, & de omnibus quæ vobis nocere possunt, præcipue de his quæ a Saxonibus antiquis regni hostibus fraternitati vestræ illata sunt, plurimum dolemus.

EPISTOLA CCCLV. VVIBALDI abbatis ad Jordanum cardinalem.

Gratias agit pro exhibitis suis beneficiis, oratque ut causam Xantensis præpositi committat archiepiscopo Colonienſi terminandam.

Anno 1152. REverendo patri suo & domino JOR. (a) sanctæ Romanæ ecclesiæ venerabili presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium. [a]

Dignationi vestræ multiplices gratiarum actiones referimus, quod, quamdiu in Lotharingia fuistis, memoriam nostræ parvitatis in magna benevolentia & benedictione habuistis, nostrosque ac nostra juxta temporis opportunitatem promta defensione adjuvistis, sicut per litteras fidelium nostrorum longe remoti didicimus. Pro his tam paternæ misericordiæ officiis & personam vestram propensius de cetero diligere & Romanam curiam attentius venerari disposuimus: ita ut neque mors neque vita nos ab ipsius caritate possit divellere. Cum revertentes ab Urbe Coloniam cum domino archiepiscopo pervenissemus, invenimus dominum Theobaldum Xantensem præpositum gravi & longa infirmitate adeo debilitatum, ut cute ossibus adhærente, infirmum vix traheret spiritum. Audivimus autem priores Colonienſis ecclesiæ in magno clericorum conventu confitentes, quod præ-

(a) Hunc cardinalem apostolicæ sedis legatum valde perstringit S. Bernardus epist. 290. ad cardinalem Ostiensem, ubi ipsius nequitias avaritiamque describit.

dictus præpositus se ad omnem justitiam frequenter in Colonienſi eccleſia exhibuiſſet ſuper querela, quam canonici ſui adverſus eum habuerant, cum iidem canonici ſæpe a majore præpoſito & prioribus pro hoc vocati venire ſuperſediſſent. Proinde nos filii veſtri auſu veræ caritatis, qua vos in Domino diligimus, veſtræ oculatæ diſcretioni ſuggerimus, ut eamdem cauſam domino Colonienſi archiepiſcopo tractandam terminandamque remittatis, nec de gravamine prænominati præpoſiti vobis ab aliquo perſuaderi permittatis.

EPISTOLA CCCLVI. ARNOLDI Colonienſis archiepiſcopi ad VVibaldum abbatem.

Quærit ab eo an poſſit velare ſanctimoniales in pentecoſte.

Anno 1152. ARNOLDUS Dei gratia ſi quid eſt ſanctæ Colonienſis eccleſiæ humilis miniſter, domino VVIBALDO eadem gratia venerabili Corbeienſi abbati, ſalutem & obſequium.

In octava pentecoſtes ſanctimonialem velare diſpoſuimus, ſed quidam ad nos referebant, hoc non licere, niſi in epiphania domini & in natalitiis apoſtolorum & in ſecunda feria paſchæ. Quocirca non plene memores, quid ſuper hoc a domino papa docti ſimus, prudentiam veſtram, quæ ſacri juris articulos plenius agnoſcit, conſultantes, rogamus, quatenus ſuper hoc veſtra eruditio ſcripto nos certificare dignetur, an in [a] prædictis dumtaxat ſolemnitatibus, (a) an in diebus tantum dominicis, quod a domino papa accepiſſe videmur, liceat velari ſanctimonialem.

EPISTOLA CCCLVII. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum archiepiſcopum Colonienſem.

Reſpondet ad præcedentem & de quibuſdam aliis agit.

Anno 1152. REverendo in Chriſto patri ſuo & domino ARNOLDO, ſanctæ Colonienſis eccleſiæ venerabili archiepiſcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia, id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Humilitas excellentiſſimi præceptoris, qui imitatoribus ſuis præcepit; *vos autem nolite vocari Rabbi:* & caritas, quæ non inflatur, vos docuerunt, ut ſacrorum canonum inſtituta, quorum ſcientia eruditioni veſtræ

(a) De Virginum conſecratione egimus in lib. 1. de Antiquis eccleſiæ Ritibus cap. 6. ubi de die conſecrationis diſſeruimus num. 5.

A notiſſima eſt, a noſtra parvitate inveſtigare dignaremini. Siquidem quo tempore fieri debeat virginum conſecratio, habemus ex decretis Gelaſii papæ cap. XI. ita dicentis: *Devotis quoque virginibus, niſi aut in epiphania, aut in albis paſchalibus, aut in natalitiis apoſtolorum ſacrum minime velamen imponatur, & non ante viginti quinque annos, niſi forte, ſicut de baptiſmate dictum eſt, gravi labore correptis, ne ſine hoc munere de ſæculo exeant, implorantibus non negetur.* Si igitur ab aliquo epiſcoporum contra hujus ſacræ regulæ formam factum meminiſtis, quod ab uno, vel a paucis, vel neceſſitate præſumtum vel ignorantia neglectum eſt, in obſervantiam univerſorum tranſire non poteſt. Verum quod non plane memor eſtis, quid a domino papa de ſanctimonialium velatione doctus ſitis, in quantum memoria noſtra recolligere poſſumus, non de ſanctimonialium, ſed de epiſcoporum conſecratione fuit, ſuper qua, quod in natalitiis apoſtolorum & in aliis ſolemnitatibus, ſed & in Dominicis tantum diebus fieri debeat, auctoritatem canonum extare aſſeruit, quæ hujuſmodi eſt ex epiſtola Leonis ad Dioſcorum. Quod die dominico ordinationes ſacerdotum celebrantur, non tantum ex conſuetudine, ſed & ex apoſtolica novimus venire doctrina, ſcriptura manifeſtante, quod cum apoſtoli Paulum & Barnabam ex Spiritu-ſancti præcepto ad evangelium mitterent gentibus prædicandum, jejunantes & orantes impoſuerunt eis manus, ut intelligamus, quanta & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum. Et immo pie & laudabiliter apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum ſacerdotum formam per eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, & ipſe reſervaveris, ut his, qui conſecrandi ſunt, numquam benedictio niſi in die reſurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a veſpere ſabbathi initium conſtat adſcribi, quæ tantis divinarum diſpenſationum myſteriis eſt conſecrata, ut quidquid a Domino inſignius eſt conſtitutum, in hujus diei dignitate ſit geſtum. In hac mundus ſumſit exordium, in hac per reſurrectionem Chriſti & mors initium & vita accepit incrementum. Princeps noſter perbonam de ſe merentibus ſpei fiduciam præſtat, qui magna cum benevolentia & jucunditate beneficii veſtri recordatus, quod ei gratis & pluſquam gratis in ſuis ad imperii culmen provectibus exhibuiſtis, & poſtmodum in ſuis primordiis ſingulari fide & conſtantia ad rempublicam, & ſua emolumenta indeficienter aſtitiſtis: inde eſt quod Lotharingiæ regnum veſtrum eſt, & per veſtram proviſionem & operationem cuncta diſponere intendit. Fideles ſuper hac re monitores ſunt cancellarius & notarius, opportuni ſane

propter quorumdam laicorum oblatrationes. De caſtello quod nuper glorioſe expugnaſtis, licet vobis abſque mentis regiæ offenſa, quidquid commodiſſimum eſt ordi-
[a] nare. Parcite Prumienſi (*a*) abbati, ne ſerenus auguſtus in Deum peccet cum ſuæ famæ vel modico detrimento. Veniemus ad vos in martyrio Petri & Pauli, ſed licet a Mindenſi epiſcopo pro cauſa ipſius obnixe rogati, apud vos tamen & vobiſcum futuri.
[b] Monachi ſancti Remigii (*b*) qui ſunt in Marſna multum vexantur calliditate Goſvvini, quos niſi pietas veſtra protexerit, omnino illudentur.

EPISTOLA CCCLVIII. ARNOLDI Colonienſis archiepiſcopi ad Henricum Mindenſem epiſcopum.

Conqueritur quod ejus nutu a fidelibus ſuis truncatus membris fuerit Vortlevius, citatque ipſum Coloniam, & omnes ſceleris hujus complices coram reſponſuros.

ARNOLDUS Dei gratia ſi quid eſt ſanctæ Colonienſis eccleſiæ humilis miniſter, HENRICO eadem gratia venerabili Mindenſi epiſcopo, ſalutem & orationes in Domino.

Luctuoſa quidem & omnino miſerabilis querimonia de novo & infandiſſimo ſcelere, ad nos & ſanctam matrem noſtram Colonienſem perlata, omnium mentes acerbiſſimo dolore turbavit, horrore terruit, compaſſione commovit. Rediit ſiquidem a Mindenſi civitate ad Colonienſem urbem, ubi natus eſt, frater VORTLEVIUS vir utique, dum apud nos vixit, inculpatæ vitæ, qui in domo beati Petri, præſente tota Colonienſi eccleſia & pluribus principibus, qui ad ſolemnitatem regiæ ſuſceptionis convenerant, ſubito ad pedes noſtros proſtratus, horridas vulnerum cicatrices & cavernas oculorum ipſis orbatas oculis miſerabiliter præmonſtrans, gravem, & a veſtra utinam ſerenitate alienam querimoniam in veſtram perſonam intendit, affirmans quod inſtinctu & nutu facta de ipſo ad fideles veſtros querimonia, ab eiſdem membris truncatus, & quod in vita miſerrimum eſt, cœcus factus ſit. Quia vero in cathedra beati Petri licet indigni auctoritate tamen apoſtolicæ præceptionis vim paſſi reſidemus, juſtitiæ lineis inhærentes, habito conventu abbatum & omnium priorum Colonienſium, & coram eis iterata querimonia, quæ in vos prolata eſt, judicio eccleſiæ ad quadraginta dies poſt acceptas has noſtras litteras, ſicut ratio temporis canonicas inducias diffinit, veſtram nobis præſentiam Coloniæ exhiberi ex apoſtolica auctoritate & noſtra fraternitati veſtræ mandamus. Et quia crudelis eſt, qui famam ſuam negligit, quod Deus a veſtra ſerenitate averrat, nihilominus mandamus, ut eos, quos præfatus Vortlevus hujus tanti ſacrilegii auctores aſtruit, & quos poſt perpetratum facinus ad vos regreſſos & vobiſcum in domo familiariter commoratos dicit, ad famam gloriæ veſtræ pro ſe reſponſuros Coloniam eadem die venire diſtricte commoneatis. Novit enim veſtra eruditio, quid in hujuſmodi malefactores apoſtolica decreta ſanxerint. Præterea eos, quos idem Vortlevius teſtes invocat, quod eis præſentibus minæ veſtræ in eum & querimonia ad eos, qui ipſum excœcaverunt, prolatæ ſunt, & duos fratres, quos de traditione notavit, modis omnibus vobiſcum petimus nobis exhiberi, & ut factorum & dictorum veritas pateat, & eo fine cuique juſtitia ſua tribuatur, ut ſpiritus ſalvus fiat. Prædictorum nomina ſubternotavimus. Malefactores: Elgerus, VVluerus, Bernardus, Poppo, Fridericus, VVikerus, Arnoldus, Eiluardus, Robertus. Teſtes invocantur. Abbas de Inſula, VVernerus præpoſitus, Anno præpoſitus, Robertus decanus, Godeboldus magiſter ſcholæ, NITHARDUS abbas de Bursvelde. (*c*) Traditionis notati. [c] Eppo, Reimarus.

EPISTOLA CCCLIX. VVIBALDI abbatis ad Fridericum imperatorem.

Vindictam petit de illata ſuis contumelia a Folcuino & VVidikindo.

INclyto triumphatori ac ſereniſſimo domino ſuo, FREDERICO Dei gratia glorioſo Romanorum imperatori auguſto, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſalutem in eo, qui dat ſalutem regibus. Anno 1152

Injuriam, quæ Corbeienſi eccleſiæ & nobis illata eſt, propriis verbis explanare non valentes, cum propheta ingemiſcimus dicentes: *Expectavimus pacem, & non venit, & tempus curationis, & ecce turbatio.* Sperabamus enim in tempore & maxime in primordiis regni veſtri, quem Deus mirabili & celeri potentia ſua, omnium principum ſumma & deſiderabili conniventia in regni ſo-

(*a*) Prumia imperiale eſt monaſterium in diœceſi Trevirenſi a Pippino Francorum rege & Bertha ejus uxore ad Pruniam flumen novo opere conſtructum, receſſu Lotharii imperatoris, qui medio jacet in choro, celeberrimum.

(*b*) Cella erat ab archimonaſterio Remenſi S. Remigii dependens, primo a Trajecto ad Moſam lapide ſita, olim in diœceſi Leodienſi, nunc in Ruremondenſi, quam Gerberga regina conſilio Gerardi Tullenſis epiſcopi fundavit, de qua vid. Marlotum in lib. 3. hiſt. Rem.

(*c*) Bursvelda ſeu Bursfelda monaſterium ordinis ſancti Benedicti in Saxonia, diœceſis Moguntinenſis, in honorem SS. Thomæ apoſtoli & Nicolai confeſſoris, ab Henrico comite de *Northeim* & Gertrude ejus uxore fundatum, quod celeberrimæ congregationi in Germania nomen dedit, hodie Lutheranorum evaſit præda.

lium sublimavit, latronum manus esse compressas, furta vindicata, perfidiam eliminatam: quippe cum vestræ potentiæ nulla possit nequitia obsistere, in hac confidentia securos & nihil omnino metuentes invaserunt nos homines nostri, qui nobis fidelitatem juraverunt, & magna beneficia a nobis habent, & armata manu intraverunt oppidum nostrum Huxariam, & præmissa paulatim & per turmas militia, tandem armati & patentibus vexillis super incautos Folcuinus videlicet & VVidekindus fratres, & in vastitate hostili totum locum occupaverunt. Triduo itaque ibidem commemorantes, & omnem circa regionem, quæ ad præbendam fratrum specialiter pertinet, penitus devastantes, nefandissima scelera in viros ac mulieres passim commiserunt, & post publicam atque communem rapinam, quæ æstimata est fuisse nongentarum librarum denariorum, a captivis melioribus, quos a pauperiore turba segregaverant, ducentas quinquaginta tres libras nummorum extorserunt. Insuper vallum & munitiones, quæ auctoritate regia, & præcipue privilegio beatæ recordationis patrui ac prædecessoris vestri constructæ fuerant, cum advocati essent ejusdem loci, destruxerunt. Nullæ inter nos & ipsos inimicitiæ erant, sed proxime cum ab eis in osculo pacis recesseramus, nullam umquam querimoniam vel nobis vel alicui super prædictos burgenses fecerant, nec alicujus mali suspicio inter ipsos & nostros habebatur. Pro hac tam atroci calumnia fratres nostri cum absentes essemus, corpora sanctorum Viti & Justini, quæ apud nos requiescunt, in terram deposuerunt, & humiliatis crucifixi Salvatoris nostri imaginibus, ab omni deinceps solemni officio divino & a pulsatione campanarum abstinuerunt. Provoluti ergo genibus vestræ majestatis, tam nos quam fratres nostri, & tota familia Corbeiensis, clementiam vestram suppliciter exoramus, ut sicut decet principalem excellentiam, vindicare non differatis hanc insignem contumeliam, quæ vestram dignitatem non modica ex parte obscurat. Alioquin non solum vobis & regno servire, sicut in præcipuo habemus, ultra non poterimus, sed etiam in terra Saxoniæ cum honore habitare non valebimus.

VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium.

Confidimus de misericordia Dei & vestra benignitate, quod memoriæ vestræ tenacius inhæreat, quanta benevolentia paternitatem vestram ex longo tempore dileximus, & quod quietem vestram numquam perturbare studuimus sed & nos memoriter & jucunde recordamur, quod pari vicissitudine jugiter a vobis dilecti fuimus. Novit autem discretio vestra, quam violenter & inhoneste propinqui vestri & homines tam vestri quam nostri Folcuinus & VVidekindus nos & ecclesiam Corbeiensem invaserint, & quanta turpitudine oppidum & oppidanos nostros afflixerint, quantaque temeritate ecclesiam & loca consecrata violaverint, dum homines nostros ad ecclesiam tamquam ad singulare refugium confugientes, in manu armata a sacris ædibus abstraxerunt, & præter communem prædam suppellectilis, quæ difficile supputari potest, ad exsolvendas pro salute sua ducentas quinquaginta tres marcas miseros sub periculo captivitatis & mortis compulerunt. Quia vero has multiplices injurias & graves diutius dissimulare non possumus, conquerimur vobis inter alia id quod episcopalem respicit vindicationem, sacræ videlicet ecclesiæ violationem, & ut nobis tam de nominatis quam de aliis parrochianis vestris ecclesiæ violatoribus, quorum nomina vobis transmisimus, justitiam tamquam de notorio crimine faciatis, tum pro caritate Dei, tum pro reverentia domini papæ, vos obnixe interpellamus, cujus etiam geminas epistolas pro eadem causa, quas apud nos habemus, opportuno tempore vobis offeremus. Sed & hoc nos volumus discretionem vestram scire, quod de reparandis munitionibus oppidi nostri in proxima curia, quæ apud *Virtsburch* celebrata est, judicium regni coram domino rege & universis principibus accepimus, ad quod opus cum Maresxalcum domini regis præsentem habeamus, ut vestros ministeriales ab infestatione nostra prohibeatis, si forte illi domini iterum nos infestare voluerint, dilectionem vestram attente monendo rogamus. Quod itaque de nostra petitione estis facturus, ut nobis per litteras vestras & per præsentem nuntium significare curetis, obsecramus. Ideo autem celerem vindictam de crimine notorio expetimus, quia omnibus manifestum est, & negari non potest, quod ecclesiam & sacrum cimeterium violaverint, & inde homines ad extorquendam supra taxatam pecuniam per violentiam extraxerint.

EPISTOLA CCCLX. VVIBALDI abbatis ad Bernardum Patherburnensem antistitem.

Ut de Folcuino & VVidikindo qui Corbeiensium ecclesiam invaserant & violarant sumant vindictam.

Anno 1152. REverendo in Christo patri suo & domino BERNARDO sanctæ Patherburnensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater

EPISTOLA

EPISTOLA CCCLXI. ARNOLDI archiepiſcopi Colonienſis ad Wibaldum abbatem.

Condolet ejus adverſitatibus, notamque ei facit obſidionem caſtri Seync.

Anno 1152. WIBALDO dilecto fratri ſuo venerabili ſanctæ Corbeienſis eccleſiæ abbati, ARNOLDUS Dei gratia ſi quid eſt, Colonienſium humilis miniſter, ſalutem cum intima dilectione & obſequium.

Etſi familiaritatis noſtræ bene inchoatæ, bene deinceps conſervatæ ſeries, verbis exprimi non poſſit, paucis tamen de ipſa loqui, & ejus recordatione frui adeo ſuave eſt, ut ſenſu quidem intelligi poſſit, ſed in ſermone experimentum non habeat. Cum igitur omnibus adverſitatibus veſtris ex debito compatiar, maxime tamen & juſtius doleo id, quod cum ad ſynodum noſtram veneratis, invaſionem iniquorum paſſus eſtis. Quidquid igitur ſuper his honori veſtro convenire videbitur, libenter proſequar, quouſque ſatisfactio condigna afferatur. Nunc autem ne ſtatus noſter vos lateat, ſciatis, quod in obſidione caſtri *Seyne* poſiti ſimus, exitum rei adhuc ignorantes, & mentem domini Trevirenſis quaſi in pendulo reputantes. Multa tamen tam timenda quam ſperanda auribus noſtris allabuntur, ſed caritas foras mittit timorem, ſpes autem non confundit. Noſcat Deus, qui ſcrutator omnium eſt, quod non pro privato odio, ſed pro juſtitia & curæ paſtoralis debito violatores pacis proſequar. Neceſſe enim eſt, ut quia terra diu commota & conturbata eſt, ſanentur ejus contritiones. Nunc autem quia omnes inimici pacis inimici mihi facti ſunt, obſecro orationes ab eccleſia veſtra pro peccatis meis fieri, ut ſine quo nihil eſt validum, ejus adjutorio poſſimus ſubſiſtere. Valete. Si quid aliud nobis occurrerit, vos non latebit.

EPISTOLA CCCLXII. ARNOLDI archiepiſcopi Colonienſis ad Eugenium papam III.

Cauſam Mindenſis epiſcopi de excœcatione VVortlievi clerici ei remittit, lata interim excommunicationis ſententia in criminis hujus auctores & fautores.

Anno 1152. REverendo patri ac ſummo pontifici EUGENIO, ARNOLDUS ſanctæ Colonienſis eccleſiæ humilis miniſter, VV. majoris eccleſiæ præpoſitus, A. decanus, T. Xantenſis præpoſitus, G. Bunnenſis præpoſitus, & univerſus præfatæ eccleſiæ conventus, debitam cum omni ſubjectione obedientiam.

A De controverſia, quæ inter epiſcopum Mindenſem, & pauperem clericum Vortlievum nomine coram nobis ventilata fuit, admoniti & rogati ab utraque parte teſtimonium dare ſuper his quæ vidimus & audivimus, & coram nobis tractata ſunt, teſtimonium perhibemus. Notum igitur excellentiæ majeſtatis veſtræ facimus, quod jam dictus pauper ad præſentiam noſtram veniens, querimoniam miſerabilem & lacrymabilem coram nobis depoſuit, quod conſenſu & juſſu epiſcopi a miniſterialibus ſuis excœcatus ſit. Communicato itaque conſilio ſuper hac cauſa cum fratribus noſtris, viſum fuit nobis, B ut epiſcopus ad audientiam noſtram evocaretur, & ſuper hoc verbo audiretur. Qui cum reſponſurus impoſitis præſentiæ noſtræ ſe exhibuiſſet, & de hoc nefando facto pulſatus fuiſſet, confeſſus fuit, quod undecim miniſteriales de domo ſua egreſſi, & ad eam regreſſi, hoc ſcelus tam deteſtabile, ſe neſciente, perpetraſſent. Adjecit quoque, quod cum in hos omnes tam conſentientes quam facientes, ſententiam veſtræ excommunicationis pronuntiaſſet, quod tumultu populi quoſdam eorum, qui in co- C mitatu fuerant, quoniam manum ſe in clericum miſiſſe negaverunt, abſolvere coactus ſit. Poſt hujuſmodi confeſſionem, cum purgationem innocentiæ ſuæ nobis offeret, eccleſia tota fere reclamante, non fuimus auſi eam audire, tum quia periculoſum nobis viſum fuit propter hujuſmodi confeſſionem, tum quia talium exceſſuum vindictam vobis ſoli ſervaſtis. In malefactores autem omnes, tam conſentientes quam facientes, ſententiam veſtram cum omnibus ſuffraganeis noſtris, præter Trajectenſem, D qui tunc forte abfuit, ita promulgavimus, quatenus catenis noſtris firmiter teneantur, quoadusque præſentiæ veſtræ ſe exhibeant, & ſecundum mandatum veſtrum condignæ ſatisfactioni ſe ſupponant. Veſtræ igitur paternitatis intereſt, ut ſub tali teſtimonio dictorum atque factorum in beneplacito diſcretionis veſtræ & prudentiæ ſuper hoc negotio judicetur.

EPIST. CCCLXIII. MONIALIUM de *Oſtermere* ad VVibaldum abbatem.

Conqueruntur de miniſterialibus ipſius, qui datam ſibi ab eo decimam invadebant.

PAtri eximio ac domino digniſſimo Corbeienſi abbati, domino VVIBALDO, ſpeciales ejus filiæ in loco, qui dicitur *Oſtermere*, a lippitudine Liæ ad ſpecioſitatem Rachelis proficiendo tranſire. Anno 1152.

Quanta ſublimitatis veſtræ amplitudinem deceat laudum magnificentia, ſi litteris aſſignare conemur, pro ſenſus noſtri parvitate deficimus. Veſtri tamen memoriam

nobis dulciſſimam ſuper altare incenſi orationum noſtrarum jugiter ignis adolebit, & ut paternæ dignationi veſtræ, quam nobis, licet indignis hactenus in omnibus negotiis noſtris pie exhibuiſtis, ſuperabundans remunerator occurrat, & ſerenitatis veſtræ audientiam paupertum ſuorum querelis Chriſtus indulgeat. Proinde, pater ſanctiſſime, ad vos tamquam ad fontem miſericordiæ, feienter exæſtuans noſtra tendit oratio, ut cauſam negotii noſtri, prout Spiritus-ſanctus pectori veſtro dictaverit, plenarie diſcutiendo terminetis. Notum ergo facimus nobilitati veſtræ, immo lacrymabiliter conquerimur melliſluæ paternitati veſtræ, quia miniſteriales veſtri vehementer nos infeſtant, pro decima, quam divina nobis annuente clementia, veſtra conceſſit providentia; ac infringere ac adnihilare, quæ veſtra auctoritate & conſilio ſtabilita ſunt, volunt, & omnimodis auferre conantur, niſi a veſtra dignitate commoneantur. Hanc igitur, reverendiſſime domine, tam ineffabilis doloris injuriam, veſtræque perſonæ, quia ipſe in cauſa fuiſtis, contumeliam per nos effugere non valemus, niſi veſtra compaſſione fretæ fuerimus. Quapropter, o pium ſolamen animarum noſtrarum, o ſpes noſtra poſt Dominum, licet corpore abſentes, ſpiritu tamen præſentes, toto cordis ac mentis affectu ad ſinum paternæ miſerationis veſtræ humiliter provolutæ, ſuppliciter & contritione Spiritus-ſancti clementiam veſtram obſecrantes, quatenus cauſa Dei & domini archiepiſcopi, qui nos clementiæ veſtræ perintime commendavit, litteras veſtras ad epiſcopum Patherburnenſem dirigatis, eumque rogetis, ut ſua auctoritate confirmet, ne nos ulterius infeſtent, & quæ jure poſſidemus, inconvulſa permaneant. Valete. Patrem noſtrum cariſſimum ſanctitati veſtræ perintime commendamus, & ut ei in omnibus anguſtiis ſuis condeſcendatis, obnixe rogamus.

EPISTOLA CCCLXIV. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

In gratiam Sifridi abbatis Ullesheimenſis, quem Ferdenſis epiſcopus, nec accuſatum, nec convictum expulerat e ſuo monaſterio.

Anno 1152 REverendo in Chriſto patri ſuo & domino EUGENIO, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Lator præſentium Corbeienſis eccleſiæ filius, noſter in domino collega & confrater SIFRIDUS, aſſumtus fuit de monaſterio Cor-
[a] beienſi in prælationem abbatiæ de (a) *Ullesheim*, quam etiam adminiſtravit jam annis plusquam duodecim cum diſciplina & augmento ſui ordinis, & rerum temporalium incremento, ita ut teſtimonium haberet ab his etiam qui foris ſunt. Hunc D. H. Ferdenſis epiſcopus, in cujus parrochia idem monaſterium conſiſtit, ſine vocatione, ſine audientia, non convictum, non confeſſum de abbatia ſua expulit, & omnibus monaſterii rebus pluſquam per anni ſpatium jam ſpoliavit. Pro qua re non ſolum a nobis, verum etiam a reverendis confratribus noſtris totius fere Saxoniæ abbatibus frequenter & officioſe commonitus, nec reſtituere, nec ordine canonico tractare ipſum confratrem noſtrum voluit. Inſuper ad intolerabilis contumeliæ cumulum, quoſdam pſeudomonachos, quos prædictus abbas propter enormitatem vitæ ſuæ de monaſterio projecerat, in illam eccleſiam malignantium tamquam in ſentinam recollegit, & quidquid improbi & irati & ſeſe ulciſci cupientes, confingere in famam abbatis potuerunt, conſcripſit & diſperſit. Pedibus itaque veſtræ celſitudinis animo advoluti cum univerſis fratribus noſtris, ſupplices preces effundimus, ut venientem ad veſtram clementiam prædictum abbatem, virum utique honeſtum & litteratum, in manſuetudine bonitatis veſtræ ſuſcipiatis, & exauditum in neceſſitate ſua, in plenitudine dignitatis ſuæ litteris & mandatis auctoritatis veſtræ, per aliquem fidelem legatum veſtrum reſtituatis.

(a) Vulgo *Ulſen* fundata anno 990. pro puellis, quibus monachos e Corbeeia aſſumtos ſubſtituit Ditmarus epiſcopus Ferdenſis anno circiter 1140.

EPISTOLA CCCLXV. VVIBALDI abbatis ad Arnoldum Colonienſem archiepiſcopum.

Congratulatur ei de victoria, intercedítque apud eum pro epiſcopo Mindenſi.

Anno 1152 REverendo in Chriſto patri ſuo & domino ARNOLDO, ſanctæ Colonienſis eccleſiæ venerabili archiepiſcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, exiguas orationes & devotum ſervitium.

Lætati ſumus in his quæ dicta ſunt nobis, & in domum Domini lætantes & gratias agentes ivimus, pro eo quod glorioſum de tyrannis & latronibus triumphum reportaſtis: qui ubique locorum ita peccatis facientibus nunc excreverunt, ut nulla eccleſia, nullus omnino locus ſacer aut laicus ab illorum poſſit infeſtatione defendi. Quam quidem victoriam veſtræ beatitudini divina potentia in multos annos concedat. Veſtræ autem celſitudini notum eſſe volumus, quod in tranſacto proxime beati Jacobi apoſtoli feſto Mindam rogatu epiſcopi, & petitione cleri deſcenderamus, ad compacandas & componendas diſſenſiones quaſdam, quibus epiſcopi & cleri fuerat perturbata concordia. Et hæ quidem cauſæ non erant criminales aut peremtoriæ, ſed potius de fundis, videlicet de molendinis, de paludibus,

de compaſcuis, de hereditatibus & patrimoniis, pro quibus adverſum ſe litigabant villici epiſcopi & villici canonicorum, & quidam clerici contra quoſdam laicos. Erat hæc commotio paulo inflatior adverſus epiſcopum, pro eo quod in concilio Colonienſi accuſationem cum gravi repulſa ſuſtinuerat, nullo tamen, quantum perſcrutari potuimus, in tantum progrediente, ut illius cœcati verbo & accuſationi, vel etiam querelæ VValderi ullo patrocinii vel teſtimonii modo vellet aſſiſtere. Siquidem in eadem ſolemnitatis celebratione prædictus epiſcopus publice in pulpito eccleſiæ denuntiavit excommunicatos eſſe, & anathematis ſententiam protulit in eos, qui clericum cœcaverant, vel operam conſilii, vel auxilii in hoc maleficio adhibuerant. Omnibus itaque ex divino beneficio in concordiam revocatis, tentavimus etiam VValdero illi pertinaciam ſuam in epiſcopi vexatione diſſuadere, ſed & ipſe multis audientibus aſſeruit, quod fide data eſſet a vobis prohibitus, ne pacem cum ipſo reformaret. Quod nos, qui nobilitatem veſtram & mentis excellentiam jam dudum novimus, nequaquam credere potuimus, ut ſuffraganeo veſtro, qui metropoli devotus ſemper militavit, & perſonam veſtram præ omnibus dilexit & honoravit, hanc velletis inferre contumeliam, ut cauſam ipſius, quam ex judicio terminare propter importunam accuſatorum inſolentiam non potuiſtis, per concordiam finiri non pateremini. Novit enim eruditio veſtra, quorum conſilio, quave diſciplina iidem adverſarii epiſcopi judicium veſtrum, quod ſuffraganeorum & eccleſiæ veſtræ teſtimonio & aſſenſu erat ſubnixum, recuſare præſumſerunt, quo ordine quibuſve induciis datis appellaverunt, ſicut ex tranſcriptis eorum libellis conſiderare poterit veſtra diſcretio, retentis apud nos eorum exemplaribus. Et licet, ut prædictum eſt, plane ſciamus animi veſtri magnitudinem in tam viles & abjectas meditationes nequaquam decidere potuiſſe, ut cum jam dicto VValdero tam enormes conditiones inire deberetis, pro familiari tamen & intima dilectione, qua ſanctitatem veſtram longo jam tempore diligimus, admonere coronam veſtram non dubitavimus, ut apud dominum Mindenſem, & eccleſiam ipſius ab hac ſuſpicione gloriam veſtram liberare non dedigneminí. Auxit enim metum epiſcopo litterarum veſtrarum, quæ domino papæ ſcriptæ ſunt, inſpecta ſeries, quæ pro ipſius innocentia nihil agere videntur, quas a vobis ſcriptas ſive perlectas omnino negavimus, ob hoc ſcilicet, quod intelligentia veſtra bene notavit, hoc eſſe inferioris judicis officium, ut cum ab ipſo ad ſuperiorem fuerit appellatum, ita ſtudeat actionis ordinem enarrare, ut æquitate ſervata neutri parti videatur favorem inclinaſſe. Quod in litteris iſtis nequaquam factum eſſe cognoſcetis.

Ego VValderus Dei gratia, diaconus « & ſanctæ Mindenſis eccleſiæ qualiſcumque « canonicus papam appello, ipſius tutelæ me « & mea committens, ad quem te HENRI- « CUM Mindenſem epiſcopum invito, pro « violenta ſubreptione decaniæ meæ, & pro « aliis, quæ habeo contra te, reſponſurum « nonis Septembris. Ego Vortlievus, ſubdia- « conus appello te H. Mindenſem epiſco- « pum, ad præſentiam domini papæ de ſa- « crilegio, eo quod tuo conſilio & juſſu exo- « culatus ſim & plagatus. Diem ſtatuo Kal. « Octobris. Hujuſmodi appellationes, immo vero confuſiones, effractis foribus epiſcopi, non abſque ſanguinis effuſione in pavimento ſunt projectæ, & ſicut epiſcopo non præſentatæ, ita nec ab ipſo viſæ, quas quidem nos a manu decani eccleſiæ beati Martini in Minda eadem die ſuſcepimus.

EPISTOLA CCCLXVI. FRIDERICI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

Ipſius injurias ſe promittit ulturum.

Anno 1152. FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Corbeienſi abbati, gratiam ſuam & omne bonum.

Præter communem caritatis legem, qua cunctos regni principes honorare compellimur, perſonam tuam ſpeciali dilectione complectimur, & ea, quæ ad honorem tuum ſpectare noſcuntur, libenter volumus per omnia promovere. Super injuriis igitur eccleſiæ Corbeienſi illatis debita tibi affectione compatientes, diſcretioni tuæ commendando conſulimus, ut adverſa quæ exiſtunt, inpræſentiarum æquanimiter ſufferas, noſtramque vindictam mitigato animo præſtolari non graveris. In brevi etenim, cum temporis opportunitas ſe nobis, Domino favente, præbuerit, talem tibi vindictam faciemus, quod alii ſimilia committere trepidabunt. Præterea te ignorare nolumus, quod tertio idus Octobris curiam generalem, ex conſilio principum, vita comite, *VVirceburc* celebraturi ſumus. In qua præſentiam tuam nobis cupimus exhiberi.

EPISTOLA CCCLXVII. FRIDERICI imperatoris ad Corbeienſes monachos.

Ejuſdem argumenti.

Anno 1152. FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, univerſo conventui Corbeienſis eccleſiæ gratiam ſuam & omne bonum.

Univerſitatis veſtræ doloribus debita affectione compatimur, & veſtris anguſtiis admodum condolemus. Cum autem opportunitas ſe nobis, Domino favente, præbuerit, ita veſtras intendimus ulciſci injurias, ut &

dolor vester omnino mitigari debeat, & omnes, qui vindictam persenserint, similia committere non præsumant. Verum quia propter easdem injurias divina, sicut accepimus, in vestra ecclesia siluerunt, cruces sternuntur, reliquiæ sanctorum moventur, discretioni vestræ propensius commonendo consulimus, & mandamus, ut crucibus sanctisque reliquiis in statum pristinum restitutis, ecclesiastica celebrantes officia, divino cultui more solito insistatis, firmiter sperantes, quod plenariam vobis vindictam, vita comite, faciemus.

EPIST. CCCLXVIII. FRIDERICI imperatoris ad cives Huxerienses.

Ejusdem argumenti.

Anno 1153. FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, universis burgensibus de Huxera, gratiam suam & omne bonum.

[a] Injurias a (a) F. & W. vobis illatas satisaudivimus, de quibus vita comite talem faciemus vindictam, quod alii similia committere non præsumant. Verum quia pecuniam eisdem malefactoribus, sicut accepimus, persolvere spopondistis, per præsentia vobis scripta firmiter præcipimus, ut nullam pecuniam eis persolvatis. Præcipimus etiam, ut vallum & alias vestras munitiones, quæ noviter destructæ esse noscuntur, sub nostra tuitione reædificare pro viribus studeatis.

EPISTOLA CCCLXIX. VVIBALDI abbatis ad A. abbatem de Monte.

Gratias agit quod Sifridum abbatem exspoliatum caritative susceperit.

Anno 1152. REverendo in Christo patri & domino A. venerabili abbati de Monte, frater VVIBALDUS, Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, salutem in Domino, & fraternæ caritatis indissolubile vinculum.

Multiplices gratiarum actiones vestræ in Christo dilectæ fraternitati debemus, pro eo quod carum fratrem nostrum & in domino collegam SIFRIDUM, venerabilem abbatem de *Hullesheim* venientem ad vos in tribulationibus & angustiis suis, benigne suscepistis, & pii consolatoris affectum, quantum in vobis fuit, ei exhibuistis, & contumeliam, quæ ordini nostro in persona ejus irrogata est, debita compassione doluistis. Et nos ergo contemtam in eo justitiam plurimum dolemus, tum pro totius monastici ordinis generali abjectione, tum pro Corbeiensis ecclesiæ, cujus ipse filius est, speciali confusione. Hanc autem violen-

(a) Folcuino & VVidikindo.

tiam personæ ejus irrogatam in auribus vestræ sanctitatis & omnium fratrum venerabilium scilicet coabbatum nostrorum, necnon universorum, qui in sancta religione consistunt, cum lamentabili & affectuosa querimonia proclamamus, quod sine vocatione, sine judicio, sine audientia, sine proprii oris confessione, dignitate & rebus abbatiæ suæ privatus est, neque per nostram supplicationem, aut Corbeiensis ecclesiæ seu alicujus ordinis aut dignitatis intercessionem post hoc factum obtinere potuit, ut in judicium vocaretur, & causa ejus canonico ordine tractaretur. Hujus igitur illatæ sibi injustitiæ testimonium ei apud dominum papam & sanctam Romanam ecclesiam perhibemus, & quantum in nobis est, querimoniæ ejus, ubicumque indiguerit, ex debito officii nostri non deerimus, hoc a vestra paternitate obnixe efflagitantes, ut quemadmodum hactenus fecistis, solatium vestrum ipsi clementer impendatis, ita videlicet, ut causam ejus sanctis patribus in regione, quæ circa vos est, notam faciatis, & eos ad compatiendum afflictioni ejus ipsius, & ad sublevandum animum tam per litteras testimonii ipsorum, quam per alia humanitatis subsidia monitis & exhortationibus vestris studiose provocetis. Specialiter autem carissimo seniori nostro & in Christo, fratri ERBERTO, venerabili abbati de *Huisbruc*, cujus religionis sanctitatem vera in Domino caritate ampiectimur, hunc pauperem nostrum dejectum & humiliatum commendamus, & ut vicem Christi in causa ejus doleat, atque in quantum potest, dejectionem ejus consoletur, cum omni devotione supplicamus.

EPISTOLA CCCLXX. HENRICI notarii ad VVibaldum abbatem.

Imperatorem citasse Folcuinum & VVidikindum super injuriis Corbeiensibus fratribus illatis, episcopum Bavembergensem donatum fuisse abbatia de Alsaha, &c.

DOmino suo VVIBALDO venerabili Corbeiensi abbati, HENRICUS regiæ curiæ notarius servitium servi. Anno 1152.

Sicut parvitati meæ injunxistis domino regi legationes & querimoniam vestram diligenter exposui, qui de injuria & gravamine vestro non parum conturbatus, malefactores, videlicet Folcuinum & VVidekindum, in festo Bartholomæi apostoli VVormatiæ ad præsentiam suam vocat, ut districto judicio injuriam vobis & ecclesiæ Corbeiensi illatam exposturet. Ducem quoque Saxoniæ intime rogat, ut plenariam justitiam de prædictis malefactoribus faciat. Corbeiensi quoque ecclesiæ & burgensibus de Huxera, sicut mihi insinua-

stis, scribit & mandat. De statu vero curiæ A sciatis, quod Bavenbergensis a domino papa reversus prospera nuntiavit, sed laboris sui satis magnam mercedem quæsivit, ab- [a] batiam de (a) Altha Bavembergensi ecclesiæ a domino rege contraditam. Althenses vero huic verbo cum magna indignatione contradicunt. Dominus rex nec contra Hungaros, nec versus Arelatum hoc anno expeditionem movebit. Cardinalem a latere domini papæ ad nos directum expectamus. Transacta apud Ulmam curia, dominus rex Spiram procedet, ibi neptim suam a rege Hispanorum desponsatam & B magnifice dotatam in magno comitatu deferendam tradet.

EPISTOLA CCCLXXI. VVIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

De controversia quæ inter abbatem S. Laurentii Leodiensis & abbatem S. Ægidii in Monte publico agebatur.

ANNO 1152. REverendissimo patri suo domino EUGENIO, sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici; frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, tam devotam quam debitam totius dilectionis & obedientiæ plenitudinem. C

De controversia, quæ est inter abbatem monasterii sancti Laurentii, in suburbio civitatis Leodiensis, & abbatem de Monte publico, celsitudini vestræ ea in his litteris suggerere studebimus, quæ super his in veritate didicimus, ante annos ferme triginta septem, cum essemus pueri sub scholari disciplina in prædicta civitate constituti. Non quod ad consilium vel actionem talium rerum admissi, hujusmodi conventiones seu D pactiones inspicere in testimonium rogaremur, sed quod fama inter clerum & scolares collationes, qualiter inter prædictos abbates fuerat contractum, nobis ex celebri relatione non poterat esse omnino ignotum. Ecclesiam beati Ægidii, quæ est in Monte [b] publico prænominatæ civitatis (b) BERENGERUS, abbas de monasterio sancti Laurentii, dedit cuidam Gerico regulari canonico cum quibusdam fratribus ejusdem professionis ad inhabitandum & amplificandum, secundum ordinem sancti Augustini; ea scilicet conditionis ratione, ut si prænominatus locus eousque per divinam largitatem crescendo proficeret, quod pastorem sibi fratres regulariter deberent eligere, idem electus corporalem investituram a prædicto abbate susciperet, a quo etiam ad suscipiendam episcopalem benedictionem præsentaretur, hac constitutione per omnes successores valitura. Necdum in eis partibus terræ consuetudo processerat, ut canonici, qui regulares dicuntur, abbates crearent, nomi- [c] ne (c) præpositorum in prælationis officio contenti. Quod vero abbates ab abbatibus ordinari possint & soleant, auctoritate sacræ regulæ (d) beati Benedicti didicimus, ubi [d] dicitur: per ordinationem præpositi scandala sæpius oriri, maxime in illis locis, ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus, qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam præpositus ordinatur. Supereft usque hodie unus de primis habitatoribus ejusdem loci, & ipse primus abbas, vir religiosus ac timens Deum, qui jam provectus in senectute bona, & quasi in labro sepulcri positus, præscriptas conditiones coram tota Leodiensi ecclesia confitetur. Verumtamen quidam ex prædicto loco regulares a felicis memoriæ papa Innocentio privilegium obtinuerunt, in quo prærogativa abbatis sancti Laurentii reticetur, simili fortasse simplicitatis forma, qua in eodem privilegio circa Stabulensem ecclesiam & nos usi sunt, quandoquidem possessionem nostram ecclesiam de *Heran*, (e) [e] quæ est juris Stabulensis ecclesiæ & sub certæ pensionis canone jure locationis obtinuerunt inter proprios ecclesiæ fundos ascribi fecerunt. [f] Siquidem ante annos sedecim nos miserati paupertatem prædictæ ecclesiæ & fratrum quos in Domino diligebamus, prænominatam ecclesiam de *Heran*, cum decimatione, quæ Stabulensibus fratribus pertinet, eidem abbati, qui nunc supererat, concessimus, & cum dono nostro investivimus, ut ecclesiæ Stabulensi inde per singulos annos tres marcas, & unum fertonem persolveret, quod etiam usque nunc diligenter observatum est. Sed quia in eodem privilegio, quod modo primum rescivimus, fraudem ecclesiæ Stabulensi, sicut prædictum est, fecerunt, pactum quod contractum fuerat, propter dolum malum qui intervehit, a parte Stabulensis ecclesiæ discissum est, & privilegium, quod acceperant, infirmandum est a vestra censura & abolendum. Porro de innocentia abbatis monasterii sancti Laurentii nihil vestræ discretioni dubitandum fore credimus, cum in eodem monasterio, cui nunc Deo E auctore præest, a parvulo sit non solum in regularibus, sed etiam in liberalibus disciplinis apprime eruditus, qui etiam & prædictis conventionibus interfuit, & nunc in lege Dei sui die ac nocte meditatur, & horam vocationis suæ lampade accensa ex-

(a) Ahlata monasterium duplex est, superius & inferius, utrumque celeberrimum ordinis S. Benedicti in Bajoaria inferiori juxta Danubium, ab Odilone duce sæculo VIII. fundatum hactenus floret.

(b) Beringerus ex priore Andaginensis monasterii S. Huberti primum prior, deinde abbas S. Laurentii Leodiensis creatus est circa annum 1075. vir magni meriti, magna cum laude præfuit ad annum 1113.

(c) Plerique adhuc in Belgio, omnes vero in congregatione VVindesheimensi, quæ hactenus floret in Germania, præpositi nomine sunt contenti.

(d) Regul. S. Benedicti cap. 65.

(e) Hujus locationis instrumentum datum est anno 1136. sub Adalberone Leodiensi antistite.

pectat. Quem ut diligere & honorare dignemini, devote ſupplicamus.

EPISTOLA CCCLXXII. CUJUSDAM canonici regularis ad Wibaldum abbatem.

Proponit ei aliquas difficultates ſolvendas.

Anno 1152. DOmino GVVIBALDO quidam ſuus, *(a)* [a] gratiam Dei, cuſtodiam ſui.

Apoſtolice ſapientibus & inſipientibus debitor eſtis. Mihi igitur inſipienti, tamquam debitor reſpondere dignemini. Quidam dicunt ordinem noſtrum non debere abbatem habere, quia hoc Auguſtinus non conſtituit, & converſos nos eſſe, & immo nec clericos, nec monachos dici debere. Qui hoc dicunt, non ſe ſatis diſcernunt, & quod beatus Benedictus, qui ſimplicem pœnitentiam inſtituit monachis, nec baculum paſtoralem, nec gradus eccle- [b] ſiaſticos *(b)* ſcripſit eis. Quare ſi ab eccleſia quædam accipiunt, ab eadem quædam nos accipere nolunt? Quod nos converſos appellant, in hoc, velint nolint, apoſtolis conſociant, qui converſi ſunt ad Dominum, in hoc nihilominus monachis nos conjungunt, qui ſimiliter convertuntur ad [c] Dominum. Qui autem noſtra pro ſua *(c)* novitate infirmant, ſua pro illorum vetuſtate affirmant, manifeſte falluntur, quia tempus nihil in hoc conferre probatur, & tales Horatius irridet: qui non ſuſcipiunt, niſi quod libitina ſacravit. Clerici autem, qui principaliter debent epiſcopis ſubeſſe, tantum dejiciunt dignitatem ſuam ſub abbate, quantum inferior eſt abbas pontifice hominum omnium, quid certius tenendum ſit, decernite nobis. Valete. Quid abbas ſancti Laurentii per paſtoralem baculum debeat dare abbati ſancti Ægdii certificate nobis. Curam enim animarum, quam eſt epiſcopi dare, non poterit. Fundos non dabit, quia baculus contradicit, qui ſpiritualia innoteſcit. Sed abuſio eſt legis contradictio.

EPISTOLA CCCLXXIII. VVIBALDI abbatis ad anonymum.

Reſpondet ad præcedentem.

Anno 1152. FRater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, cuidam ſuo & omnibus amicis, conſcientiam ſibi & famam proximo.

Acceptis litteris eruditionis tuæ, in quibus ſuppreſſo nomine tuo, multiplices noBis quæſtiones proponis, recordati ſumus evangelicæ parabolæ de grano ſinapis, quod inter omnia ſemina minimum, ſi in terram bonam cecidit, in tantum creſcit, ut volucres cœli tamquam in arbore nidificare poſſint. Ita litteræ tuæ ſpatio breves, ſed ſenſibus ſpatioſæ, ſi ab erudito reſponſore tractentur, & in altum creſcere, & odorem reddere, non ſine aliquo acredinis ſapore poterunt. Verum nobis jam & in laboribus plurimis, & in anxiis ac frequentibus periculis longo tempore exercitatis, & deficiente capitis & oculorum valitudine, nunc ad ſequendam imperatoris noſtri curiam accinctis, etiamſi aliquando talium rerum peritia, quod quidem de nobis nec ſentimus nec dicimus, ſuppeditaſſet, tamen in tanta ſtudii & lectionis diſſuetudine ſufficere ad reſpondendum, præcipue cum tentantis animo interrogaveris, non poſſemus. Sed hoc tibi ad præſens reſponſum ſit, quod & auctoritas & ratio docuit, & antiquitas longæva obſervavit. Moyſes, qui in eremo degens, cum fugeret regem Ægypti, virgam habuit, dux primus & prævius monachorum fuit. Ad ipſum Dominus dixit: *Quid tenes in manu?* at ille reſpondit *virgam*. Quam juvante Domino, cum in terram projeciſſet, inſerpentem mirabili & myſtica converſione & in ſeipſam mutata eſt. Aaron pontificum princeps virgam habuit, qui in teſtimonium mandati a Deo ſacerdotii ſui floruit, & fructus edidit. Ex quibus ſacræ ſcripturæ auctoritatibus eccleſia ſancta Spiritu Dei plena rationabiliter inſtituit, ut Aaron & Moyſis ſucceſſores, de quibus ſcriptum eſt, Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, epiſcopi videlicet & abbates monachorum myſticas virgas in regimen ſuorum acciperent & geſtarent, & a temporibus apoſtolorum uſque ad hæc tempora, pluſquam annis mille diligenter ac reverenter obſervavit. Si igitur, ut tu ſcribis, clerici principaliter debent epiſcopis ſubeſſe, conſequens eſt, ut ſolus clericorum princeps inter clericos, tamquam paſtor inter oves proprias, virgam debeat geſtare. Nam oves minare paſtorem non debent, ſed oves paſtor modo præcedit, modo ſequitur, aliquando virga, quam manu gerit, retrahit, aliquando repellit, ut vocem ejus audiant. Ceterum hæc tua quæſtio, ſive quæſtiones in modum hydræ in damna ſua fertiles, & uno capite amputato in multa recreſcentes, a nobis, ut dictum eſt; hoc tempore per cuncta occurrentium objectionum latera pervideri & pertractari non poſſunt; ſed ne verbum tuum ad te vacuum reverteretur, hæc tibi pauca de pluribus innuere curavimus. Hoc etiam breviter adjiciendum eſt, quod arca Noe,

(a) Hæc epiſtola ſcripta videtur occaſione contentionis, quæ verſabatur inter abbatem S. Ægidii Leodienſis, & abbatem S. Laurentii, de qua ſupra ad ſummum pontificem ſcripſerat Wibaldus.

(b) Immo extat in regula S. Benedicti cap. 62. *de Sacerdotibus monaſterii.*

(c) Hic agnoſcit clare auctor hujus epiſtolæ canonicorum regularium inſtitutum eſſe novum.

quæ in diluvio, divina gubernante providentia, octo animas salvavit, a parte inferiori lata, superius in cubito consummata est, hoc significante Spiritu-sancto, quod qui latam viam, quæ ducit ad mortem, deserunt, & per angustam atque arctam viam sursum corda & opera tendunt, in ecclesia Dei altiores, & si non officio, tamen merito sunt. Quærit item a nobis solertia tua, quid abbas sancti Laurentii per pastoralem baculum debeat dare abbati sancti Ægidii? Quærimus item & nos ab industria tua, si possessor fundi tui, qui tibi agriam tuam hereditario pacto debita pensione solvit, verbi gratia, qui mansum a te habuerit, & vita decedens legitimos heredes, id est naturales filios reliquerit, quid, inquam, isti heredes a te per corporalem investituram suscipiunt, qui se in bonis patris jure successuros non diffidunt? Et ut ad rem proprius accedamus: putasne frater, quod omnis, qui virgam pastoralem accipit, continuo episcopus vel abbas fiat? Credisne quod omnis, cui virga pastoralis porrigitur, in eo ipso episcopus vel abbas consecretur? Quo circa, mi frater, si tamen falsus frater non es, si inter signa rerum & ipsas res moderatam discretionis differentiam habueris, & invidia, & errore procul posito, novitates, quæ ad nihil aliud, nisi ad destructionem caritatis & humanæ societatis valent, abjiciens, antiqua sanctorum patrum instituta & mores cum humili & obedienti reverentia observaveris, tum liquido perspicies, quam puerilia & frivola sint hæc, de quibus occupationes nostras quæstione pulsandas existimasti. Verumtamen si post reditum nostrum ab instanti curia propitia divinitas sospitatem & otium conçefferit, interrogationi tuæ diffusius respondere poterimus, cum tamen in his paucis, si diligenter consideres, objectioni tuæ satisfactum esse oporteat.

EPIST. CCCLXXIV. VVALTARII abbatis sancti Laurentii Leodiensis ad VVibaldum abbatem.

Gratias agit quod in synodo Leodiensi ejus defensionem susceperit.

Anno 1152. REverendo patri gratia Dei Corbeiensi & Stabulensi abbati VVIBALDO, frater VValtarius & ipse gratia Dei si quid est, ecclesiæ sancti Laurentii in Leodio, sinceræ dilectionis affectum & devotum in Domino servitium.

Magnæ benevolentiæ vestræ, pater in Christo amabilis, devote gratias ago, pro eo quod Leodii in generali synodo causam justitiæ beati Laurentii, de jure quod habet [a] in ecclesia Publici (a) montis, etiam me absente, vera & constanti assertione palam tueri & defendere non omisistis, ita ut auctoritate vestra prorsus obstructa sint ora loquentium vana. Inde nos & pusillus grex beati Laurentii, tam specialiter quam devote oramus pro vestra incolumitate & salute. Precor autem ut latorem præsentium fratrem nostrum, dulcedine solita & benignitate audiatis, & in causa, quam suggesserit, vestro eum consilio & patrocinio dirigatis. Optabilem mihi reverentiæ vestræ præsentiam spero me in proximo visurum, ut de rebus necessariis vestrum digne expetam & obtineam consilium & auxilium. Superna pietas protectione sempiterna vos custodiat.

(a) Scilicet S. Ægidii de qua in epist. 371.

EPISTOLA CCCLXXV. WIBALDI abbatis ad Eugenium papam III.

De litteris quas ad eum scripsit post regis electionem.

DIlectissimo in Christo patri suo & domino EUGENIO uni & universali papæ, frater VVIBALDUS Dei gratia & vestra id quod est in ecclesia catholica, seipsum & sua universa. Anno 1152.

Litteræ nostræ, quas post ordinationem domini nostri novi regis ad vestram celsitudinem scripsimus, ordine præposteto perlatæ sunt. Siquidem illæ quæ priores scriptæ fuerunt, & fratri Franconi ad perferendum traditæ, eum crederemus eum mox ad vestram beatitudinem reversurum, posteriores præsentatæ sunt. Nam secundas, quas scripsimus vestræ magnitudini, prius apportaverat magister Baldricus Trevirensis. Et nunc quidem suspenso ac dubio aliquantulum animo scriptitamus, propter legatum vestrum, quem venire audivimus, sed pervenientem necdum accepimus, ut post auditum ex ipso beneplacitum vestrum, tamquam voluntarii servi vestri ad omnem nutum vestrum obedientes, & parati de mandatis vestris exequendis certiora quædam excellentiæ vestræ intimaremus. Enimvero si regnum nostrum a suis intestinis ac pernitiosissimis motibus cessare aliquando posset, nihil esset caritati vestræ dubitandum, quin sacro-sancta mater nostra Romana ecclesia pristinæ dignitatis decorem per virtutem principis nostri posset recipere. Atque utinam bone JESU, qui veraciter dixisti: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*, etiam cum patre, quem rogas largiri digneris, ut humana defensione non egeat, sed tuo tantum adjutorio & abstrahatur a noxiis & ad salutaria dirigatur. Dutum est enim eos servire, quos tu in altissimo imperii culmine dignatus es collocare. Sed hæc hactenus. Nam sapientia vestra a Deo illuminata, & nos intelligere & plurima dispo-

nere prudenter consuevit. Scribemus apertius & prolixius, cum ex legato vestro quid opus sit facto audierimus. De causa latoris præsentium pedes sanctitatis vestræ deosculamur, ut eum contra præsumtionem laicorum solidare dignemini, ne glorientur se hæreditate sanctuarium Dei possidere, quod etiam per successionem, ordinando videlicet in ecclesia filios prædecessorum, festinant profanare.

EPIST. CCCLXXVI. VVIBALDI abbatis ad Hermannum canonicum Bunnensem.

Villicationem de Castiniaco ei neptique suæ committit.

Anno 1152. WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, dilecto fratri & amico suo Hermanno Bunnensis ecclesiæ canonico, benedictionem & vitam usque in sæculum.

Villicationem nostram de Castiniaco cum omnibus appenditiis suis fidei tuæ committimus, sicut eam tenuit Ludovicus nepos, hoc est secundum pacta & conditiones, quæ a felicis memoriæ prædecessore nostro domno ERCHEMBERTO, de eodem prædio & villicatione sunt ordinatæ & constitutæ: ita videlicet, ut tu destructa reædifices, & dilapsa restaures, tam in domo indominicata, quam in cellario & torculari, & bovaria, & aliis tam ædificiis quam clausuris. Post obitum quoque tuum concedimus eamdem villicationem, modo quo supra dictum est, *nepti* tuæ præfati Ludovici filiæ, sub hujus videlicet conditionis tenore, quod eadem puella ecclesiæ Corbeiensi in jure ministerialium a dominis suis, quibus modo pertinet, attribuatur, & transactetur absque nostro labore & expensa, a præsenti festivitate sancti Michaelis archangeli, quæ est in anno Dominicæ incarnationis 1152. indictione I. infra anni spatium, & quod prædicta puella quando ad nubiles annos pervenerit, nonnisi nostra vel ejus qui nobis in abbatia Corbeiensi regulariter successerit, permissione nubat. Quod si de præscriptis conditionibus aliquid a te vel ab eadem puella prætermissum aut violatum fuerit, prædicta villicatione cum omni beneficio suo sine spe recuperationis de cetero carebitis. Si autem in solutione vini, vel annonæ, vel nummorum, seu vasorum, vel aliarum pensionum statutis diebus negligentes fueritis, pro tali excessu vel judicio familiæ in Castiniaco, vel judicio ministerialium nostrorum in Caminata nostra Corbeiæ, utrumlibet horum nobis magis placuerit, respondebitis, & in compositione duodecim solidos nummorum persolvetis. Quæcumque autem nepos tuus Ludovicus, vel in pignore vel in beneficio de rebus jam nominatæ curtis Castiniacæ, tam in agris quam in vineis, vel etiam censu aut sylva obligavit, vel alienavit, judicio curiæ nostræ in irritum ducta sunt, vel stare non posse post obitum villici adjudicata, quæ vobis ita recolligenda committimus, ut si infra hujus anni spatium non feceritis, a villicatione & toto pacto cadatis. Quod autem filiæ quondam Ludovici villicationem post discessum tuum concessimus, non ex eo est, quod hereditariam ei successionem, vel in villicatione vel in beneficio patris aliquid recognoscamus, cum hoc a nostris ministerialibus universaliter abjudicatum sit, sed propter tuum & amicorum tuorum servitium adhuc faciendum inclinati sumus.

EPISTOLA CCCLXXVII. VVIBALDI abbatis ad Hillinum archiepiscopum Trevirensem.

Gratulatur ei de nova dignitate, sua ipsi offert obsequia, fratres suos in ipsius episcopatu degentes ei commendat.

REverendo patri suo & domino H. sanctæ Trevirensis ecclesiæ venerabili archiepiscopo, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium. Anno.

Confidimus de vestræ benignitatis eruditione, quod familiaris caritas, quæ hactenus inter nos vicissitudine obsequiorum successerat, propter celsitudinis vestræ profectus imminui non debeat, quoniam si experientiæ regulam tenemus, quam in prælationis sarcina in labore hominum conversati & cum hominibus flagellati jam antea didicimus, tanto erunt solertiæ vestræ viri fidei ac constantiæ, qui vos non vestra diligunt, cariores, quanto possunt in tota generis humani multitudine inveniri rariores. In quorum paucitate nos qui nec fallere debemus, nec falli volumus, integro benevolentiæ studio annumerati plurimum in Domino, gratulamur de tam gloriosa personæ vestræ promotione, (a) cui a propitia divinitate concessum est, ut antiquissimæ ac nobilissimæ civitati, quæ totius Galliæ Belgicæ caput ac metropolis esse dinoscitur, possitis tam prodesse quam præesse. Ad vestræ igitur dignitatis suffragium promta devotione offerimus quidquid illud est, quod in ecclesia sua Deus nos esse, vel dici, vel posse potuit, optantes ut absque prosperitatis vestræ detrimento vobis opportunum fiat, quo dilectionis nostræ ac fidei evidens experimentum capiatis. Cum vero a partibus Saxoniæ versus Lotharingiam proxime retransire poterimus, etiam corporali præsentia vestram beatitudinem visitare & salutare desideramus. Interim commendamus

(a) Ipsius promotionem ad annum 1152. configunt Albericus, quo Alberoni archiepiscopo defuncto successit.

dulce-

dulcedini vestræ fratres nostros Corbeienses, qui sunt apud Liciacum, & omnes res nostras, tam Corbeiensis monasterii quam Stabulensis, quæ in vestro episcopatu sunt sitæ, quatenus pro nostræ dilectionis intuitu in vestræ protectionis defensionem eas assumere dignemini.

EPISTOLA CCCLXXVIII. EUGENII papæ III. ad Fridericum imperatorem.

Gratulatur ei de sua electione, sperans eum inchoata a Conrado pro ecclesiæ exaltatione completerum.

Anno 1152. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio FRIDERICO, illustri Romanorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

Nuntiis egregiæ tuæ nobilitatis & litteris benigne ac honeste susceptis, & ipsorum fideli & prudenti natratione, & illarum diligentissima inspectione, personam tuam jam pridem nobis dilectam, post decessum patrui tui recolendæ memoriæ CONRADI Romanorum regis, pari voto & unanimi consensu principum in regni fastigium promotam esse manifeste cognovimus. Quod tanto uberiore exultatione suscepimus, quanto per dilecti filii nostri O. presbyteri cardinalis narrationem & tuarum litterarum susceptionem spem certiorem de tua industria jam antea tenebamus. Deo igitur, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, de corde gratias debitas persolventes, quod de tua strenuitate, divina clementia disponente, tam concorditer factum esse cognovimus, benigno favore sedis apostolicæ approbamus. Credimus enim quod bonum a jam dicto patruo tuo & prædecessore firmiter nobis & ecclesiæ Romanæ promissum, per generosæ devotionis tuæ studium, desideratum a nobis, auxiliante Domino, sortietur effectum. Nos siquidem ad honoris & exaltationis tuæ augmentum, pro debito commissi nobis officii, superna cooperante gratia, attentius intendimus laborare. Eapropter de communicato fratrum nostrorum consilio, legatum de latere nostro ad tuam serenitatem dispositimus in proximo destinare, per quem intentionem & propositum nostrum tuæ gloriæ dispositimus aperire. Interim autem regiam dignitatem tuam attente monemus, ut professionis regiæ formam perspicaci lumine mentis semper attendas, & ecclesiæ Dei, & ecclesiasticis personis promtam & debitam justitiam ac defensionem infatigabiliter & semper exhibeas: viduis, pupillis, orphanis & universo populo tuæ reginini subjecto sine tarditate pacem & justitiam facias, ut ipsi de tua protectione ac defensione pro regiæ dignitatis excellentia muniti, & tibi devote obedientes lætentur, & tu de regia sollicitudine apud homines gloriam, & apud illum, per quem reges regnant, cum sanctis regibus vitam percipere merearis æternam. Datum Signiæ VI. Kal. Junii.

EPISTOLA CCCLXXIX. BERNARDI Patherburnensis episcopi ad VVibaldum abbatem.

Ut Henricum priorem suum in abbatem Mariani-monasterii postulatum emancipare dignetur.

AMico suo dilecto in Christo domino VVIBALDO, reverendo sanctæ Corbeiensis ecclesiæ abbati, B. Patherburnensis humilis minister, orationis & servitutis suæ fidelem exhibitionem. Anno 1152.

Fratres de monasterio (a) sanctæ Mariæ orbati suo abbate, post multas admonitiones & preces nostras, scilicet ne gregem sibi commissum desereret, eremiticæ tamen vitæ labores aggressso, ut ipse tunc asserebat se habere in animo, venerabilem fratrem dominum HENRICUM, monasterii vestri priorem abbatem, sibi unanimiter elegerunt. Vestram itaque paternitatem intime oramus, & exoratam esse toto animi desiderio cupimus, quatenus ipsum eis clementer concedatis, novellæ plantationis nostræ notam vobis necessitatem benigna miseratione attendentes. Qui si vestra permissione, propriaque benignitate oblati oneris curæ se submittere voluerit, in omnibus eum consolari eique assistere & fideliter opitulari studebimus. [a]

EPISTOLA CCCLXXX. VVIBALDI abbatis ad Bernardum episcopum Patherburnensem.

Excusat se ab emancipando priore suo.

REverendo in Christo patri & domino B. sanctæ Patherburnensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ abbas, orationum & obsequii intimam devotionem. Anno 1154.

Fratres quidam de monasterio sanctæ Mariæ, ad nos cum litteris vestræ sanctitatis venerunt, quæ hoc obnixe postulabant, ut ca-

(a) Quod in bulla Innocentii papæ Sualembergense monasterium dicitur, eo quod a VVidikindo comite Sualembergensi & iosius uxore proprio in fundo constructum fuerit, promovente in primis Bernardo episcopo Patherburnensi, qui illud vocat hac in epistola novellam plantationem suam, quia suo tempore, hoc est anno 1128. fundatum fuit, vulgo tamen *Marienmouster* appellatur, situm in diœcesi Patherburnensi, Patherburnam inter & Corbeiam, floretque hactenus sub congregatione Bursfeldnsi.

rum fratrem noſtrum HENRICUM eccleſiæ A noſtræ priorem, quem iidem fratres elegerunt, eis in abbatem concederemus, ad quam petitionem ex conſilio capituli noſtri veſtræ diſcretioni reſpondemus, primum quod idoneas cauſas non videmus, cur dilectus frater noſter CONRADUS, qui eidem monaſterio præfuit, commiſſi ſibi gregis curam deſeruerit, qui propter eremiticam vitam fratres ſuos, quos cuſtodiendos ſuſceperat, deſerere non debuit, inter quos aliqui erant, quibus prodeſſe potuit, quod manifeſte beatus Gregorius papa in libris Lib 2. Dial. cap. 3. Dialogorum oſtendit: *Ibi*, inquiens, *adunati æquanimiter portandi ſunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur boni.* Alia B cauſa eſt, quare prædictorum fratrum electioni aſſenſum præbere non poſſumus. Ordo monaſterii noſtri habet, immo omnia monaſteria noſtri ordinis hanc obſervantiam tenent, ut ſi quando aliquis fratrum noſtrorum abbas ad aliud monaſterium eligendus eſt, prius a nobis & a fratribus noſtris quam ab extraneis eligatur, nec aliqua nobis perſona inter fratres noſtros in abbatem ab alio monaſterio vel a quolibet hominum ex nomine deſignetur, ſed aſſumtio fratris noſtri C cujuſlibet in noſtro arbitrio & fratrum ſuorum electioni relinquatur, præſertim cum vultus pecoris noſtri melius a nobis & a ſemetipſis quam ab extraneis agnoſcatur, & immo convenientius a nobis & a ſuis domeſticis, qui dignus eſt, eligatur. Hic ordo & hæc obſervantia promotionis, quia ſemper in monaſterio noſtro cum magna diligentia & ratione obſervata fuit, noſtro tempore immutari nequaquam poterit.

EPISTOLA CCCLXXXI. EUGENII papæ III. ad capitulum Magdeburgenſe. D

Ne faveant epiſcopo Cicenſi eccleſiæ Magdeburgenſis invaſori.

Anno 1152. EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſo capitulo Magdeburgenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pervenit ad aures noſtras, quod poſt electionem, quam de perſona dilecti filii noſtri præpoſiti veſtri omnes, præter ſeptem, conſilio religioſorum ſecundum Deum feciſtis, Cicenſis epiſcopus, neglecta ſui ordinis honeſtate, contra juſtitiam & conſtitutionem ſanctorum patrum ſe in veſtram eccleſiam regio favore ingerere niſus ſit, & ſicut accepimus, ab ipſo principe inveſtituram illicite, ſuſcipere minime formidavit. Quod quam pravum & indignum ſit, qui zelo rectitudinis utitur, non ignorat. Quia igitur pati nec poſſumus, nec debemus, quod libertas eccleſiæ ancilletur, vigor eccleſiaſticus confundatur, & ſanctorum patrum conſtitutiones irritentur, per præſentia vobis ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus ſi prædictus epiſcopus in eccleſia veſtra ſe ingerere attentaverit, ei aſſiſtere ſeu favere nullatenus præſumatis, ſed ab eo tamquam ab invaſore penitus caveatis, ſciturі, quod qui aliter præſumſerit, officii ſui & beneficii proculdubio jacturam incurret. Datum Signiæ Kal. Auguſti.

EPISTOLA CCCLXXXII. EUGENII papæ III. ad E. Saliſburgenſem & alios antiſtites.

Arguit eos quod favori principum plus æquo ſtudeant, negatque tranſlationem C. Cicenſis epiſcopi in Magdeburgenſem ſedem.

EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus E. (*a*) Salsburgenſi, A. (*b*) Bremenſi, & H. (*c*) Trevirenſi archiepiſcopis, E. (*d*) Bambergenſi, H. (*e*) Conſtantienſi, H. (*f*) Ratiſbonenſi, O. (*g*) Friſing, C. (*h*) Patavienſi, D. (*i*) Pragenſi, A. (*l*) Havelbergenſi & B. (*m*) Egiſtadienſi epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Annotata [a] [b] [c] [d] [e] [f] [g] [h] [i] [l] [m]

Litteras, quas pro cauſa Magdeburgenſis eccleſiæ veſtra nobis prudentia delegavit, debita benignitate ſuſcepimus. In lectione autem & cognitione ipſarum, ſtupore nimio & admiratione repleti ſumus, eo quod longe aliud in eis, quam vobis ex officio D pontificatus immineat, perſpeximus contineri. Cum enim in eccleſiæ vertice ſitis ex divina providentia conſtituti, ut de medio ejus, quæ fuerint nociva, propellere, quæ utilia, debeatis attento ſtudio conſervare. In cauſa iſta ſicut ex ſuggeſtione litterarum veſtrarum nobis innotuit, non quid expediat eccleſiæ Dei, quid ſacrorum canonum ſanctioni concordet, quid exinde a cœleſti arbitro comprobetur, ſed quid terrenis principibus placeat, attendiſtis, & qui eorum animos a ſua minus recta debuiſtis intentione deflectere, atque ubi eſſet via Domini E demonſtrare, non perſuaſiſtis quod rectum eſt, nec ſteriſtis murus pro domo Iſrael: quin immo ipſius, ut ait propheta, parietem ædificantibus, vos quod ſine grandi animi rancore vix dicimus, liniviſtis illum luto abſ-

(*a*) Eberardo comiti *Hiltpoltſtein*, abbati Bibirgenſi pauperum patri dicto.
(*b*) Adalberoni.
(*c*) Hillino.
(*d*) Eberhardo.
(*e*) Hermanno.
(*f*) Henrico.
(*g*) Ottoni ex abbate Morimundi ordinis Ciſtercienſis epiſcopo Friſingenſi, viro ſancto & ſcriptori egregio.
(*h*) Conrado filio Lepoldi Pii, marchionis, Auſtriæ poſtea archiepiſcopo Saliſburgenſi.
(*i*) Danieli.
(*l*) Anſelmo.
(*m*) Burchardo.

que paleis. Non sic sentiebat princeps apostolorum, qui ex fidei suæ confessione, ut totius ecclesiæ fundamentum esset, accepit, sed comminantibus sæculi filiis, & apostolis, si prædicarent in nomine JESU, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini virtute, respondit. Oportet obedire Deo magis quam hominibus. Vos autem ne a terrenis videamini principibus dissentire, illi causæ favorem vestrum impenditis, cui & ecclesiasticæ auctoritas constitutionis & supernæ voluntatis examen pro certo creditur obviare. Cum enim translationes episcoporum sine manifestæ utilitatis & necessitatis indicio divinæ legis oraculum fieri non permittat, cum etiam multo amplior quam in aliis electionibus cleri & populi eas debeat prævenire concordia, in facienda translatione de venerabili, fratre nostro C. (a) Cicensi episcopo nihil horum est, sed solus favor principis expectatus, & nec inspecta necessitate illius ecclesiæ, nec considerata utilitate personæ, clero nolente, immo, ut dicitur, ex maxima parte reclamante, in Magdeburgensem eum dicitis ecclesiam transplantandum. Super quo tanto amplius admiramur, quanto persona illa, cujus gravitatis sit atque scientiæ, ab anteactis agnovimus, ac proinde quantum ecclesiæ illi sit utilis, non penitus ignoramus. Quoniam igitur quicumque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ soliditate fundati, quæ in fundamento meruit ecclesiæ collocari, sicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut a sacrorum canonum rectitudine impulsu aliquo deviare, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causæ isti favorem ulterius non præstetis, & apud carissimum filium nostrum FRIDERICUM, quem Deus hoc tempore pro servanda libertate ecclesiæ in eminentiam regni evexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, ut & ipse a sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, & contra sacros ordines, & contra regiæ dignitatis officium eidem causæ favorem suum non ulterius impendat, sed ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & aliis ecclesiis regni a Deo sibi commissi, liberam facultatem, quem voluerit, secundum Deum eligendi relinquat, & electionem ipsam postmodum favore suo, sicut decet majestatem regiam, prosequatur. Nos vero, si, quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum: contra Deum autem & sacrorum canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum. Datum Signiæ XVI. Kal. Septembris.

[a]

EPISTOLA CCCLXXXIII. EUGENII papæ III. ad VVibaldum abbatem.

Commendat ei causam A. Curiensis episcopi, & ut ecclesiasticas immunitates adversus laicos tueatur.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Corbeiensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1152.

De quorum pura devotione absque dubitatione confidimus, eis confidenter committimus, quod digne cupimus effectui mancipari. Inde est, quod caritati tuæ causam venerabilis fratris nostri A. (b) Curiensis episcopi attentius duximus commendandam, quatenus tuo & fratrum nostrorum episcoporum, qui ad carissimi filii nostri FRIDERICI Romanorum regis, curiam convenerint, consilio & auxilio fretus, nec inhoneste verbis vel facto, sicut alia vice factum est, possit impune tractari, vel ecclesia sua juxta pravorum desideria debita justitia defraudari. Nec putes tu in hac causa, quasi in aliena dissimulandum, sicut ait Poeta: *Res tua nunc agitur, paries cum proximus ardet.* Similis enim causa jam tibi peperit, vel in proximo pariet inimicos. Illud autem, quod in curia Ulmæ habita malitiose in ecclesiarum destructionem noviter est a laicis introductum, nequaquam silentio prætereundum æstimes, quod qui pro rapinis & incendiis ecclesiasticis bonis illatis excommunicationi subduntur, novo judicio excommunicatos dedicant, nisi prius in laicorum judicio damnationis sententia feriantur. Quod si forte tam tu quam fratres nostri episcopi putaveritis sustinendum, hoc proculdubio inde proveniet, ut nulli episcoporum in illis partibus liceat contra cujuslibet facinoris reum disciplinam ecclesiasticam exercere. Disciplina enim cessante, peribit religio Christiana; religione cessante, peribit & salus animarum. Eapropter, carissime fili, tam super hoc quam super aliis, cum ad curias convenitis, quæ contra honorem Dei, contra ecclesiæ salutarem vigorem, contra honestatem regni, pravorum malitia moliri videritis, viriliter & unanimiter resistatis, ut vestro prudenti studio & labore malitiam sapientia vincat, iniquitatem justitia superet, & ecclesiæ Dei, & regni status in suo decore incolumis conservetur. Ad hæc sanctitati tuæ quædam notificamus,

[b]

(a) Hujus episcopi nulla extat mentio in serie episcoporum Cicensium seu Citizensium apud Bucelinum Germaniæ sacræ tom. 1. ubi locum habere debet inter Uthonem I. qui anno 1148. mersus aquis dicitur, & Uthonem II. qui anno 1186. obiit. Porro nominis hujus episcopi primum duntaxat elementum profert VVibaldus; seu quivis epistolarum ejus collector, sed integrum nomen enuntiat Otto Frisingensis lib. 2. de Rebus Frider. cap. 6. scilicet Cuicmannum sive Guicmannum.

(b) Adelgoti ex Disertinensi abbate facti episcopi, viri magnæ sanctitatis.

[a] quæ faciente Ar. (a) hæretico rusticana quædam turba absque nobilium & majorum scientia nuper est in Urbe molita. Circiter enim duo millia in unum sunt secretius conjurati, & in proximis Kalendis Novembris centum perpetuos senatores malorum operum & duos consules, alter quorum infra Urbem, alter extra illorum centum consilio reipublicæ statum disponant, immo potius rodant. Unum autem, quem volunt imperatorem dicere, creare disponunt, quem illis centum duobus consulibus & omni populo Romano sperant, quod debeat mortifere imperare. Quod quia contra coronam regni & carissimi filii nostri FRIDERICI Romanorum regis, honorem attentare præsumunt, eidem volumus per te secretius nuntiari, ut super hoc maturo consilio, quid facto opus sit, provideat sapienter. Datum Signiæ XII. Kal. Octobris.

EPIST. CCCLXXXIV. WETZEL ad Fridericum imperatorem.

Instat ut excusso summi pontificis jugo, imperium a senatu populoque Romano recipiat.

Anno 1152. CArissimo Dei gratia F. Wetzel ad summa animæ & corporis læta undique proficere.

Immensa lætitia, quod gens vestra vos sibi in regem elegerit, moveor. Ceterum quod consilio clericorum & monachorum, quorum doctrina divina & humana confusa sunt, sacro-sanctam Urbem, dominam mundi, creatricem & matrem omnium imperatorum, super hoc, sicut deberetis, non consuluistis, & ejus confirmationem, per quam omnes, & sine qua nulli umquam principum imperaverunt, non requisistis, nec ei sicut filius, si tamen filius & minister ejus esse proposuistis, non scripsistis, vehementer doleo. Quis enim stabili ordine proficere valeat, nisi quem Rebecca dilexit & promovit? licet quippe pater Isaac vellet & niteretur Esau benedictionem præferre, Jacob, matre ipsum vocante & consiliū quasi insulsum ipso Jacob timente, quia Esau moram in venando fecit, benedictionem & dominium, alio illo dolente, obtinuit. Et ut ad rem perveniam, ipsamque vobis plenius exponam, quod dico diligentius attendatis. Vocatio vestrorum olim prædecessorum, & vestra adhuc a cœcis, id est a Julianistis, hæreticis dico & apostatis clericis & falsis monachis, suum ordinem prævaricantibus, & contra evangelica, apostolica & canonica statuta dominantibus, & legibus tam divinis quam humanis reclamantibus, ecclesiam Dei & sæcularia disturbantibus, facta est. Quod autem tales sint, ostendit beatus Petrus, cujus vicarios se esse mentiuntur, dicens: *Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem, ministrate in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem.* Hæc vobis super.... Cui enim hæc præsto sunt, cœcus est & manu tentans. De quibus rursus idem apostolus dicit: *Erunt magistri mendaces, qui in avaritia de vobis negotiabuntur, deliciis affluentes, in convitiis suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterio, per quos via veritatis blasphemabitur, hi sunt fontes sine aqua.* Tales quomodo cum Petro dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus?* Et iterum: *Argentum & aurum non est mihi?* Quomodo a Domino audiunt: *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ?* Quibus quod sequitur nimirum convenit: *Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi quod conculcetur ab hominibus* vel a porcis. Unde Johannes: *Qui dicit se credere in Christum, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Item: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est & veritas in eo non est.* Petro & vicariis Petri a Domino dicitur: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Sed qualiter ipse a patre missus fuerit, exprimit dicens. Si non fecero opera patris, nolite credere mihi. Si Christo, qui peccatum non fecit, sine operibus credendum non fuit, quomodo istis non solum male, sed etiam mala publice agentibus est credendum? unde dicitur: *Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali?* Non solum vero loqui non possunt bona, sed nec credere, sicut ipse Dominus ait: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem quærentes? nam fides sine operibus mortua est.* Quomodo isti enim quibuslibet divitiis inhiantes, (sed qui divitias, quæ toti mundo salutares extiterunt, per quarum utique usum pax tanta & talis per universum orbem fuit, quod filium Dei de sinu patris in sinum matris deposuit, sua falsa doctrina luxuriose vivendo destruxerunt) possunt primum illud evangelicæ doctrinæ mandatorum audire, *beati pauperes spiritu*, cum ipsi nec effectu, nec affectu sint pauperes? Hinc beatus Hieronymus: *Clericum negotiatorem, vel ex inope divitem, vel ex ignobili gloriosum, quasi pestem fuge.* Quomodo isti negotiis sæcularibus incumbentes, primum omnium decretorum Romanorum pontificum a beato Clemente in epistola sua prima inductum, sed a beato Petro apostolo promulgatum surdi auditores adimplent? inter cetera quidem, ubi Petrus Clementem ordinavit, ei injunxit dicens: *Te quidem oportet irreprehensibilem vivere, & summo studio niti, ut omnes hujus vitæ occupationes abjicias, ne fidejussor existas, ne advocatus*

(a) Arnoldo de Brixia, Petri Abaëlardi olim discipulo, quem S. Bernardus, epist. 189, persti. ingit, ejusque hæreses recenset Otto Frisingensis lib. de Rebus gestis Frederici imp. cap. 20.

litium ſias, neve in aliqua occupatione mundialis negotii prorſus inveniaris perplexus. Neque enim judicem, neque ſæcularium cognitorem negotiorum hodie te juſſit ordinari Chriſtus, ne præfocatus hominum præſentibus curis non poſſis verbo Dei vacare. Hæc, quæ minus tibi congruere diximus, exhibeant ſibi invicem laici, & te nemo occupet ab his ſtudiis ſollicitudines ſæculares ſuſcipere, ita unicuique laicorum peccatum eſſe, niſi invicem ſibi etiam in his quæ ad communis uſum vitæ pertinent, opera ſtudeliter dederint, te vero ſecurum facere ex his, quibus non debes inſtare, omnes communiter elaborent. B *Quod ſi forte a ſemetipſis hoc laici non intelligunt, per diacones edocendi ſunt, & tibi ſolius eccleſiæ ſollicitudines relinquantur. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & te ipſum decipis & eos, qui te audiunt. Non enim poteris, quæ ad ſalutem pertinent plenius diſtinguere, & ex eo fit, ut tu deponaris, & diſcipuli per ignorantiam pereant, idcirco tu quoad hoc ſolum vocatus es, ut ſine intermiſſione doceas verbum Dei.* Mendacium vero illud & fabula hæretica, in qua refertur Conſtantinum Silveſtro imperialia C ſimoniace conceſſiſſe in Urbe, ita detecta eſt, ut etiam mercenarii & mulierculæ quoſlibet etiam doctiſſimos ſuper hoc concludant, & dictus apoſtolicus cum ſuis cardinalibus in civitate præ pudore apparere non audeant. Siquidem ſanctus Melchiades, ſancti Silveſtri prædeceſſor, in decretis ſuis Conſtantinum eſſe baptiſatum dicens: *Cum inter turbines mundi ſuccreſceret eccleſia, adeouſque pervenit, ut Romani principes ad fidem Chriſti & baptiſmi ſacramenta concurrerent, de quibus vir religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem veritatis eſt adeptus.* Tri- D partita etiam hiſtoria eum, antequam umquam ipſe imperator Urbem intraverit, Chriſtianum fuiſſe teſtatur. Quæ loquor attendite. Eſau non domi vacans, elementa matris & conſilia ignorans, Silveſtria petens a cœco vocatus uſque nunc caret promiſſis. Jacob vero matri obediens, colli & manus nuda domeſtico diſciplinarum tegmine tegens, ea, quæ cœcus Silveſtri promiſit, divino nutu ſubripuit. Imperatorem non ſilveſtrem, ſed legum peritum debere eſſe teſtatur Julianus imperator in primo omnium legum e dicto, dicens: *Imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus decet eſſe armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte poſſit gubernari.* E Idem etiam, unde princeps Romanus imperare & leges condere habeat, paulo poſt oſtendit: ſed & quod principi placuit, legis habeat vigorem, & quare, ſubinfert, cum populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conceſſit. Sed cum imperium & omnis reipublicæ dignitas ſit Romanorum, & dum imperator ſit Romanorum, non Romani imperatoris, quod ſequitur conſiderantibus quæ lex, quæ ratio ſenatum populumque prohibet creare imperatorem. Comitem Rodulfum de *Ramesberch*, & comitem Udalricum de *Lencenburh*, & alios idoneos, ſcilicet Eberhardum de *Bodemen*, qui aſſumtis peritis legum, qui de jure imperii ſciant & audeant tractare, Romam quantocius poteritis mittere, non dubitetis, & ne aliquid noviibi contra vos ſurgat, prævenire curate.

Ex uno patre & una matre geniti

Fridericus. Genuit Fridericum de Buren. Fridericus de Buren genuit ducem Fridericum, qui Stophen condidit. Dux Fridericus de Stophe ex filia regis Henrici genuit, ducem Fridericum. Dux Fridericus genuit Fridericum regem.

Berta. Genuit Bezelinum de Vilingen. Bezelinus de Vilingen genuit Bertolphum cum Barba. Bertolphus cum Barba genuit Lutgardim. Lutgardis genuit marchionem Theobaldum. Marchio Theobaldus genuit Adelam.

CCCLXXXV. CONCORDIA INTER Eugenium papam & Fridericum imperatorem.

IN nomine Domini amen. Hæc eſt forma concordiæ & conventionis inter dominum papam EUGENIUM & dominum regem Romanorum FRIDERICUM conſtituta, mediantibus cardinalibus GREGORIO ſanctæ Mariæ trans Tyberim, UBALDO ſanctæ Praxedis, BERNARDO ſancti Clementis, OCT. ſanctæ Ceciliæ, ROLLANDO ſancti Marci, GREGORIO ſancti Angeli, GUIDONE ſanctæ Mariæ in Porticu, abbate Brunone (*a*) de Claravalle ex parte domini papæ: ANSELMO Havelſbergenſi, HERMANNO Conſtantienſi epiſcopis, UTHELRICO DE LENCEBURCH, GUIDONE VVERRA VVIDONE Blandratenſe comitibus ex parte domini regis. Dominus ſiquidem rex jurare faciet unum de miniſterialibus ſuis in animam regis, & ipſe idem manu propria data fide in manu legati domini papæ promittet, quod ipſe nec treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum ROGERIO Siciliæ, ſine libero conſenſu & voluntate Romanæ eccleſiæ & domini papæ EUGENII, vel ſucceſſorum ejus, qui tenorem ſubſcrip- Anno 1152. [a]

(*a*) Nullus Bruno nomine præfuit aliquando monaſterio Claravallenſi. Pro *Brunone* itaque legendum *Bernardo*, qui adhuc in vivis erat, nec niſi poſt Eugenium papam ad ſuperos evolavit.

tæ concordiæ tenere cum rege Friderico A voluerint, & pro viribus regni laborabit Romanos subjugare domino papæ & Romanæ ecclesiæ, sicut umquam fuerunt a centum annis & retro. Honorem papatus & regalia beati Petri sicut devotus & spiritualis advocatus sanctæ Romanæ ecclesiæ contra homines pro posse suo conservabit, & defendet, quæ nunc habet. Quæ vero nunc non habet, recuperare pro posse juvabit, & recuperata defendet. Græcorum quoque regi nullam terram ex ista parte maris concedet. Quod si ille forte invaserit, pro viribus regni, quantocius poterit ipsum ejicere B curabit; hæc omnia faciet & observabit sine fraude & malo ingenio. Dominus vero papa apostolicæ auctoritatis verbo una cum prædictis cardinalibus in præsentia præscriptorum legatorum domini regis promisit, & observabit, quod eum sicut carissimum filium beati Petri honorabit, & venientem pro plenitudine coronæ suæ sine difficultate & contradictione, quantum in ipso est, imperatorem coronabit, & ad manutenendum, atque augendum, ac dilatandum honorem regni pro debito officii sui juvabit; & quicumque justitiam & honorem regni conculcare aut subvertere ausu temerario præsumserint, dominus papa a regiæ dignitatis dilectione prænonitus, canonice ad satisfactionem eos commonebit. Quod si regi ad apostolicam admonitionem de jure & honore regio justitiam exhibere contemserint, excommunicationis sententia innodentur. Regi autem Græcorum ex ista parte maris terram non concedet, quod si ille invadere præsumserit, dominus papa viribus beati Petri eum ejicere curabit. Hæc omnia ex utraque parte sine fraude, & sine malo ingenio servabuntur, nisi forte libero & com- D
[a] muni consensu utriusque immutentur. (a)

EPISTOLA CCCLXXXVI. EUGENII papæ III. ad VVibaldum abbatem.

Suos ad Fredericum imperatorem legatos ei commendat.

Anno 1153.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio suo WIBALDO Stabulensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

De quorum devotione ac sincera caritate E amplius confidimus, ea quæ ad honorem Dei & ecclesiæ atque regni promovenda & dirigenda sunt, securius commendamus. Inde est, quod dilectos filios nostros B. sancti Clementis presbyterum & G. sancti Angeli diaconum cardinalem, sapientes siquidem & honestos viros, quos ad carissimi filii nostri FRIDERICI illustris Romanorum regis præsentiam de nostro latere dele-

(a) Huic concordiæ subscripsit VVibaldus cum aliis apud Baronium qui eam refert ad annum 1152.

gamus, dilectioni tuæ duximus attentius commendandos, per præsentia scripta mandantes, quatenus eos honeste suscipias, honeste pertractes, & in exequendis & perficiendis, quæ cum prædicto filio nostro eis tractanda & disponenda commisimus, pro beati Petri & nostra reverentia eis diligenter assistas, ut de studio & labore tuo ecclesiæ Dei honor & regno augmentum, Domino largiente, proveniat, & nos tibi gratias agere debeamus. Datum Romæ VI. idus Februarii.

EPIST. CCCLXXXVII. FRIDERICI imperatoris ad Manuelem imperatorem CP.

Uxorem ex ipsius sanguine habere desiderat, interimque expeditionem parat in Siciliam.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Anno 1153. imperator Augustus, magnus ac pacificus a Deo coronatus, dilectissimo fratri & amico suo MANUELI PORPHIROGENITO, sublimi & glorioso imperatori Constantinopolitano fraternam dilectionem, & de inimicis victoriam. C

Magnitudinis tuæ litteras nuper ad nostram præsentiam per nuntium tuum directas cum benevolentia & alacritate suscepimus, quibus inspectis & diligenter intellectis, gaudio gavisi sumus tam de sospitate celsitudinis tuæ & imperii prosperitate, quam de tua erga germanitatis nostræ conjunctionem affectione. Siquidem beatæ ac sanctæ recolendæ memoriæ prædecessor ac patruus noster inclytus triumphator, serenissimus videlicet imperator CONRADUS moriens, cum nos declarasset imperii sui successores, inter præcipua piæ ac paternæ admonitionis documenta, instanter nos hortatus est, ut amicitiam tuam fideliter amplecteremur, & fraternitatis vinculum inter nos indissolubili vinculo necteremus, quatenus imperia nostra per dilectionem unum fierent, & utrique idem amicus idemque hostis existeret. Inde est, quod nos ejus admonitionem effectu prosequente complere maturantes, & etiam voluntati tuæ, quam ex litteris tuis persensimus, ad confirmandam inter nos amicitiam fraterna benignitate occurritantes, ad augmentum firmioris concordiæ, & incrementum utriusque imperii, thalamum nobis de aula imperii tui præparari, & de sanguine tuo uxorem ducere, Deo annuente, desideramus. Eapropter sublimitati tuæ celeres & expeditos nuntios præmittere curavimus, per quos sub omni festinatione ad nos remissos, sapientiæ tuæ super hoc voluntatem in brevi cognoscamus. Quoniam omnibus per imperii nostri latitudinem provinciis, Dei præstante omnipotentia, quieta pace fruentibus.

expeditionem versus Apuliam & Siciliam cum ingenti principum nostrorum ac totius militiæ favore juramentis omnium ex more firmatam ordinavimus, & insuper veniente æstate, tempore scilicet quo reges ad bella solent procedere, in fortitudine magna imperii nostri Alpes transire disposuimus. Eis, quæ negotio instanti præsentibus legatis viva voce dicenda mandavimus, fides indubitanter adhibeatur.

EPIST. CCCLXXXVIII. VVIBALDI abbatis ad Manuelem imperatorem C P.

Excitat eum ad sinceram cum Frederico imperatore concordiam, cui uxorem de ipsius sanguine habere persuasit.

Anno 1153. GLorioso, sublimi, ac præcelso, victori magnifico, ac præpotentissimo MANUELI PORPHIROGENITO Constantinopolitano imperatori excellentissimo, VVIBALDUS Dei gratia abbas de monasteriis duobus nobilibus, Corbeia videlicet & Stabulaus, assiduas orationes & devotum servitium.

Imperialem majestatem decet non solum liberalitate, verum etiam gratiosa memoria esse præditam, ut nullius officii vel fidelitatis sit immemor, quoniam benigna recordatione & gratitudine principis subjectorum affectio propensius excitatur. Hoc propterea sacratissimo imperio vestro insinuare non dubitavi, quod augustam vestram majestatem meminisse non diffido, quod per litteras parvitatis meæ vestram sublimitatem salutavi, & beatissimos affatus vestros recipere merui. Eapropter ex devoto famulo factus devotissimus servus, ad augmentum & gloriam sacratissimi imperii vestri insudare & decertare non cessavi, donec beatissimæ recordationis clementissimus imperator CONRADUS ad magnificentiam vestram nuntios direxerit, quatenus, ad augmentum majoris inter vos & ipsum concordiæ, uxorem de vestro sanguine duceret. Sed eo interim ab hac mortalitate in terram viventium sublato, dolor, qui ex ejus transitu mentem meam occupaverat, non parvam consolationem recepit, pro eo quod nepos ejus, qui nunc rerum potitur, magnificus scilicet imperator FREDERICUS, non solum imperii fastigium obtinuit, verum etiam exiguitatem meam pari & simili benevolentia & credulitate honoravit. Inde est, quod instanter persuadere non cessavi, quatenus inclytus atque victor dominus meus FREDERICUS imperator cum constantissimo imperio vestro fœdus amicitiæ iniret, & de sanguine vestro uxorem duceret. Quod etiam vestra sapientia complere indubitanter maturabit. Immensas gratias ego & fratres mei referimus pro (a) exsamito albo nobis transmisso, & devotas preces pro salute imperii vestri ad Deum fundere non cessamus. [a]

(a) Exsamitum est pannus holosericus.

EPIST. CCCLXXXIX. BERNARDI & Gregorii cardinalium ad O. Halberstadensem episcopum.

Ut Liudolfum & Fridericum Palatinum Corbeiense monasterium infestantes compescat.

BERNARDUS presbyter & GREGORIUS diaconus, Dei gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales & legati, venerabili fratri O. (b) Halberstadensi episcopo salutem. Anno 1153. [b]

Venerabilis frater noster abbas Corbeiensis de quibusdam tuis parrochianis suam nobis querelam exposuit de LIUDOLFO scilicet & FREDERICO Palatino, quod annonam, victualia & quasdam alias res sibi abstulerint, & homines suos inquietent. At tua prudentia, ne tantus vir & ita domino papæ & toti regno acceptus in tua parrochia offenderetur, efficere satis deberet. Nos itaque suæ justitiæ, quia deesse non possumus nec debemus, per præsentia tibi scripta præcipimus, quatenus prænominatos viros districte commoneas, ut ablata restituant, & bona monasterii de cetero quieta & illæsa dimittant, alioquin infra triginta dies post acceptam commonitionem, nisi præfato abbati satisfecerint, ecclesiastica censura eos coerceas, & sententiam, quam in eos dederis, usque ad satisfactionem firmiter facias observari.

(b) Odalricum seu Udalricum, qui Rodulfo episcopo anno 1149. defuncto successit.

EPISTOLA CCCXC. BERNARDI & Gregorii cardinalium ad Eugenium papam.

Latorem præsentium ei commendant.

REverendo patri & domino EUGENIO, Dei gratia summo pontifici B. presbyter & G. diaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales debitum per omnia famulatum. Anno 1153.

Lator præsentium vir nobilis est, & sicut multorum relatione didicimus, bene morigeratus & sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ valde devotus, qui ad limina apostolorum causa orationis, & ad pedes sanctitatis vestræ veniens postulavit, ut eum pietati vestræ litteris nostris commendaremus. Eapropter majestati vestræ eum commendantes rogamus, quatenus solita benignitate ipsum suscipiatis, & devotioni circa sedem apostolicam

paterna vestra admonitione majora incitamenta præstetis.

EPISTOLA CCCXCI. GREGORII cardinalis ad VVibaldum abbatem.

Post mortem papæ revocatus, convocat quosdam episcopos VVormatiam, optatque ejus frui præsentia coram imperatore.

Anno 1153. GREGORIUS, Dei gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & legatus, reverendo fratri VVIBALDO suo unanimi amico Corbeiensi abbati salutem.

[a] Licet fama mortis (a) domini papæ nos turbaverit, tamen audita persona substituti domini vicarii nos gaudio gavisi sumus, scientes illum antiquum magistrum ecclesiæ, & nos tamquam seipsum diligere & modis omnibus honorare. Verum quia ab amicis nostris instanter revocamur, in festo Michaelis Bremensem, Ildenesheimensem, Mindensem VVormatiæ vocavimus, quædam illis præcipere volentes. Unde ad dominum regem iterum vos libenter præsentem vellemus habere, ut quæ cum eo agere debemus, & in licentia suscipienda tua nobis assisteret prudentia, & probitas nos domino regi commendaret.

EPISTOLA CCCXCII. BERNARDI & Gregorii cardinalium ad VVibaldum abbatem.

Habituri coram rege colloquium orant ut Herbipolim veniat.

Anno 1153. BERNARDUS presbyter & GREGORIUS diaconus, Dei gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales & legati, dilecto fratri VVIBALDO Corbeiensi abbati salutem.

Sicut per alia fraternitati tuæ scripta nos misisse meminimus, ita denuo præsenti scripto mandamus, quatenus proxima quarta feria Erbipolim ad nos venias, ubi eodem termino cum rege sumus habituri colloquium. Quia vero Stabulensem ecclesiam vera in Domino caritate diligimus, & ad ejus utilitatem libenter intendimus, nihilominus tibi mandamus, ut ad nos ita paratus accedas, quod post colloquium nostrum honeste ire ad eamdem ecclesiam valeas.

EPISTOLA CCCXCIII. VVIBALDI abbatis ad Anastasium papam.

Gratulatur ei de ipsius electione, gratiamque ejus deprecatur.

Anno 1153. REverendo patri suo & domino ANASTASIO, sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ uni & universali papæ, frater VVIBALDUS Dei & vestra gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium.

Ex quo divina providentia, sacro sanctam matrem nostram Romanam ecclesiam regi disposuit per religiosissimam sollicitudinem vestram, in præcipuo desiderio habuimus vobis corporaliter nostram exhibere præsentiam, ut aliquo certiore indicio filialem, quam circà vos gerimus affectionem plenius intelligeretis, & nos confidentius familiari colloquio quædam apud vestram sublimitatem suggereremus, quæ longum est & fortassis inutile posset fieri chartæ & atramento committere. Sed quoniam jam proxima nobis expeditio Italica, ad quam nos animo & rebus instanter præparamus, ab hac facultate nos retinet, signis præsentibus, & levi nuntio nostram celsitudini vestræ devotionem offerimus, Dei omnipotentis clementiam humili prece exorantes, ut vos ab importunis & malis hominibus liberare dignetur, & beati Petri naviculam, cujus vos gubernaculum tenetis, in fluctibus, quibus assidue quassatur, ne mergatur, erigere non recuset. Mirabiles quidem elationes maris, sed mirabilis in altis Dominus. Paulus apostolus ad discipulum suum Timotheum scribens dicit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Nos discipuli & servi magistro & domino ausu caritatis suggerimus, nemo senectutem vestram contemnat, quoniam anteacta innocenter vita talis fuit, ut vos neque vivere pudeat, neque mori ullatenus pigeat. Si quidem a retro annis quinque & viginti vestram beatitudinem satis intima & familiari notitia cognovimus, & gratia vestra atque miti patrocinio in omni causa seu privata seu publica, quam apud Romanam ecclesiam egimus perfrui cum omni benignitate & efficacia meruimus. Inde est, quod intolerabilis dolor, qui de transitu reverendi patris nostri, vestri utique prædecessoris, animam nostram justo mœrore sauciaverat, non parvo dilinimento mitigatus est, cum ordinator temporum Deus, vestram sanctitatem in ipsius cathedra beata successione sedere fecit, ut vita vestra inclyta cunctas illustrare posset ecclesias, & nobis consuetæ misericordiæ benignum tribuatis effectum. Repetimus enim a vestra celsitudine quodam pietatis jure familiarem gratiam, quam ab antecessoribus vestris longo tempore obtinuimus, ut liceat nobis, absque præsumtionis nota, de sollicitudine ecclesiarum, de statu regni aliqua intimare. Quod tunc confidenter facere incipiemus, cum per sacratissimos apices vestros hoc facere admoniti fuerimus. Petitiones, quas pro necessitatibus nostris vestræ clementiæ porrigimus, subtus annexæ sunt, quas exaudiri pro

(a) Obiit Eugenius papa III. 8. Julii 1153. non sine sanctitatis fama, successorem sortitus Conradum episcopum Sabinensem cardinalem, qui mutato nomine Anastasius IV. appellatus est.

nostræ

nostræ perpetuæ servitutis augmento deprecamur.

EPISTOLA CCCXCIV. VVIBALDI abbatis ad Bernardum cardinalem.

Gratulatur ei de felici in Urbem reditu, ipsiusque protectionem pro Corbeiensi, & Gregorii ejus sodalis pro Stabulensi cœnobio petit.

Anno 1153. REverendo in Christo patri suo & domino BERNARDO, venerabili sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali presbytero, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium.

Si cum integritate sospitatis vestræ & cum rerum vestrarum integra conversatione ad Urbem pervenire potuistis, plurimum in Domino exultamus, quoniam desiderium nostrum circa salutem vestram completum est. Rogamus itaque clementiam vestram, quæ magnum familiaritatis & patrocinii ausum conferre dignata est, ut nostram parvitatem domino papæ & dominis cardinalibus commendare benigna insinuatione dignemini, & ut petitiones nostræ effectum obtineant, efficere non abnuatis, ut nos ex devoto deinceps devotum famulum habeatis. Sic enim necessitates nostras sumus partiti, ut quoniam vos in Corbeiensi monasterio habitare aliquantisper non estis dedignatus, vos ejusdem ecclesiæ causas provehendas assumatis, & de benignitatis vestræ defensione filios vestros, qui in eodem monasterio Deo militant, lætificetis; vester autem collega, dominus videlicet noster GREGORIUS cardinalis, quia Stabulensem ecclesiam visitare dignatus est, & ejus miserias oculata fide perspexit, negotia ipsius monasterii promovenda recipere non recuset, sicut de ejus bonitate plurimum confidimus.

EPISTOLA CCCXCV. VVIBALDI abbatis ad Gregorium cardinalem.

Ejusdem argumenti.

Anno 1153. CArissimo patri & domino suo GREGORIO, venerabili sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali diacono, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & devotum servitium.

Si vos cum salute & prosperitate vestra in Urbem & in vestra recepistis, nihil est quod in gaudio desiderii nostri possit accidere cumulatius. Licet enim illam animi vestri constantem industriam, licet mentis vestræ vivacitatem, quæ ad declinanda perspicax est & subtilis, non parva cognitione perceperimus, tamen quoniam humanæ sortis fragilis extat conditio, semper in gravi sollicitudine fuimus, ne aliquid vestræ excellentiæ minus gratum accidisset. Proinde magnitudinem vestram attenta prece exoramus, ut nos & nostra domino papæ, qui nos a longis retro temporibus & novit, & diligere dignatus est, necnon dominis cardinalibus commendare non recusetis, & petitiones nostras desideratum effectum consequi adjuvetis, quoniam si velle vobis adjacet, perficere inveniatis. Sic enim necessitates nostras sumus partiti, ut quoniam vos Stabulense monasterium visitare non estis dedignatus, vos ejusdem ecclesiæ causas provehendas assumatis, & de benignitatis vestræ defensione filios vestros, qui in eodem monasterio Deo militant, lætificetis, quod tanto fortius ad effectum perducere poteritis, quanto verius ejusdem loci miserias oculata fide perspexistis. Vester autem collega dominus videlicet noster BERNARDUS cardinalis, qui in Corbeiensi monasterio habitare aliquantisper voluit, negotia ejusdem cœnobii promovenda recipere non recuset, hac tamen interposita ratione, ut sicut unum in legatione vestra peragenda indissolubiliter fuistis, ita unum in opportunitate nostra adjuvanda maneatis.

EPISTOLA CCCXCVI. HU. de Baucio ad VVibaldum abbatem.

Ut imperatori notum faciat quanta pro ipsius servitio a comite Barcinonensi patiatur.

WIBALDO Dei gratia Stabulensi abbati excellentissimo domino suo Hu. de Baucio & fratres ejus salutem. Anno 1153.

Quem erga imperium a longis retro temporibus pater noster habuerit affectum, ipsius præsentia & litteris ejus ad vos sæpe directis, vestra novit serenitas. Nos etiam non sumus immemores beneficii, quod fratri nostro G. & per ipsum nobis in curia imperatoris conferre studuistis. Pro quo verbo iterum & iterum supplicantes omne servitium, si locus & tempus se nobis offerat, indubitanter vobis promittimus. Propterea obnixe precamur, quatenus per præsentium latorem audire dignemini, quanta mala comes Barcinonensis nobis contulit & conferre moliatur, quia fideles huic regi esse volumus. Preces nostras ante imperatorem admittite, & nos vestris ante ipsum munite, & quid de ejus adventu sperare debeamus nos certiorate. Tam mens vestra quam regis voluntas scripto vestro nobis signetur.

EPISTOLA CCCXCVII. A. ad Wibaldum abbatem.

Ut conceſſo ſibi ab imperatore munere perfrui faciat.

Anno 1153. CArissimo ſuo domino Dei gratia Stabulenſi WIBALDO, A. ſuus quod ſuus, ſalutem cum fideli ſervitio.

Quantas poſſum, magnitudini veſtræ gratias refero, quod eam, quam a patre luminum accepiſtis benignitatem, cum ad omnes more veſtro porrigatis, ſpeciali tamen & continuata gratia utiliter & officioſe ad meam uſque parvitatem extenditis. Eapropter beneficiis veſtris admonitus, & cor pro corde, cum vobis placuerit, fideliter exhibiturus, rogo, ut illud domini regis munus, quod opera veſtra mihi collatum eſt, ſed necdum apprehenſum vel numeratum, ab EMISCH comite de *Liniges* diſtricto etiam, ſi opus fuerit, mihi adquiratis. Indecorum etenim mihi eſt, & obtrectatoribus meis riſum generat, ſi quod exacto tempore habere debui, ſæpius fruſtra repetam. Ad hæc ſi omnia recte apud vos & proſpere aguntur, ſic eſt, ut volo. Reſcribite nobis de ſtatu veſtro, ſi placet, quia ſicut vobis mihi ſcribere non eſt oneroſum, ſic ſcripta veſtra jucunda mihi recipere nec inutile eſt nec inofficioſum. Salutat vos Ach. comes ſacrarum largitionum & ſollalicorum jucundorum. Salutat vos Hugo clericus & ſocius noſter.

EPISTOLA CCCXCVIII. STEPHANI epiſcopi Metenſis ad Wibaldum abbatem.

Aliquam ab eo conſolationem optat, rogatque per imperatorem, illatum ſibi & eccleſiæ dedecus emendari.

Anno 1153. DIlectiſſimo ſuo VVIBALDO Dei gratia id quod eſt in regali curia, STEPHANUS eadem gratia Metenſis epiſcopus, ſe totum in dilectione & ſervitio.

Niſi repentina corporis noſtri infirmitas nos graviter occupaſſet, ad præſentiam domini regis & veſtram deſiderabiliter viſitandam perſona noſtra veniſſet, non littera, ob hoc maxime, ut ſuper adverſitatis noſtræ infortunium aliquam a vobis conſolationem caperemus. Nam, ut verum fateamur, quod per dominum Clarevallenſem pro bono pacis & ſalute videtur eſſe diſpoſitum, (a) non [a] ſolum dolori noſtro nullum remedium attulit, verum etiam mentem noſtram gravi ulcere vulneravit. Quoniam tanti ſceleris auctores de ſucceſſu malitiæ ſuæ cornua aſſumentes, non ſolum impuniti evaſerunt, verum etiam præmium inde receperunt. Rogamus propterea fraternitatem veſtram, ut, quod modo noſtrum tolerare eſt, illatum nobis, immo univerſæ eccleſiæ dedecus per dominum regem emendari faciatis.

(a) Hoc ultimum fuit S. Bernardi opus, cum tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, & Metenſe bellum deploratiſſimum ex inſperato compoſuit, pacemque proſcriptam revocavit, nam e lectulo, ubi tenebatur ægrotans, aliquantulum relevatus, ad opus caritatis progredi coactus, eo fortior, quo infirmior apparuit, ut loquitur Gaufridus in lib. 5. de Vit. S. Bern. cap. 1.

EPISTOLA CCCXCIX FRIDERICI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

Injurias ſe ipſi a comite Sumereburc *emendari juſſiſſe. Ejus præſentiam cupit apud Coloniam.*

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, VVIBALDO Corbeienſi abbati, gratiam ſuam & omne bonum. Anno 1153.

Si Palatinus comes de *Sumereburc* ad curiam veniſſet, correptiones & judicii ſententiam pro injuria, quam dilectioni tuæ infert, non ſubterfugiſſet. Attamen ſub obtentu gratiæ noſtræ ei præcipiendo mandavimus, ut prædium *Hienſtede* tibi reſignando, & beneficium, unde homines tuos expulit, eis remittendo, prorſus a tui & tuorum infeſtatione, ſicut gratiam noſtram diligeret, ceſſaret. De proceſſu vero noſtro ſcias, quia in feſto omnium ſanctorum Coloniam veniemus, ubi nobis tuam præſentiam exhiberi deſideramus. Poſtquam vero familiari relatione injurias & gravamina tua ibidem cognoverimus, dilectioni tuæ & hominibus terræ tuæ evidenter oſtendemus, quod pro devoto & diuturno obſequio tuo, quod nobis & regno hactenus impendiſti gratioſum, apud nos favorem in omnibus obtinuiſti. Quicumque enim ſerenitatem tuam in aliquo conturbaverit, gratiæ noſtræ offenſam ſe incidiſſe procul dubio cognoſcet.

EPIST. CCCC. STABULENSIUM monachorum ad VVibaldum abbatem.

Multa paſſi ab adverſariis, & formidantes eccleſiæ incendium, orant ut ad ipſos veniat, omnia pacifice compoſiturus.

REverendiſſimo in Chriſto patri ſuo & domino VVIBALDO, Stabulenſis eccleſiæ venerabili abbati, tota ejuſdem eccleſiæ congregatio quidquid pio patri devoti debent filii. Anno 1153.

Quantis neceſſitatibus aſtrictos, quantis perturbationibus anxios præſentium lator

nuntius vester nos invenerit, suum est dicere. Filiorum autem vere vestrorum est, ubi propriæ vires deficiunt, pium patrem invocare, & præsentiæ suæ benignam protectionem humiliter implorare. Hucusque siquidem, pater carissime, in amissione & detrimento rerum nostrarum quodammodo semper meliora sperantes, tacueramus, sed cum jam ecclesiæ vestræ, ecclesiæ, inquam, quam tantis laboribus & sumtibus adornastis, sicut ex ore domini episcopi Leodiensis accepimus, inimici, quos numquam offendistis, minentur incendium, lacrymabiliter ad vos clamamus, & ad tantum nefas prohibendum & declinandum, tempore opportuno benigne occurrite. Speramus enim in Domino & certum tenemus, quod in adventu vestro, quidquid contra nos humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum dirigetur, & Deo gressus vestros dirigente, omnia, quæ in absentia vestra nobis ablata sunt, ad omnem voluntatem vestram vobis restituentur. Nam & hi, qui maxime nobis adversantur, scilicet Salmucenses, æque ut nos adventum vestrum desiderant, & quidquid utrimque commissum est, per vos componi & resarciri exoptant. Declinabitis igitur, pater carissime, paululum ad filios vestros, & composita pace inter eos, qui nos undique atterunt, rursus ad eos, qui præsentia vestra delectatione potius quam necessitate fruuntur, redire absque perturbatione poteritis. Omnipotens Deus sanum & incolumem vos ad nos perducat.

EPISTOLA CCCCI. VVIBALDI abbatis ad Henricum comitem de *Salmes*.

Recenset damna omnia a suis Stabulensi monasterio illata, petitque ea emendari.

Anno 1153. PRæclaro & illustri comiti de *Salmes*, HENRICO, frater VVIBALDUS Dei gratia Stabulensis abbas, spiritu scientiæ & pietatis abundare.

Ex mandato domini regis & jussu dominorum cardinalium Stabulaus reversi, multiplicibus prædis & rapinis, quas ministeriales & servi vestri fecerant, & castello vestro induxerant, eamdem ecclesiam vexatam & perturbatam reperimus. Siquidem homines vestri præter alia mala maxima, quæ enarrare longum est, in villa nostra *Paletenmet* abstulerunt nobis animalia centum, oves centum viginti, porcos octo, capras tres; & in Beringervalle animalia sedecim; & apud Erkenberti mansum boves viginti octo, & in alia villa proxima castello vestro boves optimos viginti quatuor, ea occasione, quod frater villici nostri de *Lernau*, viginti tantum vitulos vestris abstulerat. Perpendat itaque prudentiæ vestræ discretio, quam alienum fuerit ab omni nobilitate & æquitatis jure tantis malis nobilem ecclesiam afficere, pro eo tantum, quod villicus noster de *Lernau*, quemdam hominum vestrum, qui furto uxorem cujusdam ex nostris cum aliis bonis suis abduxerat, deprehensum justitia cogente oculis privare attentavit, cum hoc ipsum ei vestri concesserint, ut auctorem perpetrati sceleris insequeretur, &, si posset, prout gesserat, ei retribueret. Nos quoque cum super eadem re vos frequenter amice & suppliciter conveniissemus, quippe cum jam vestri propter hoc eidem villico nostro panem nuptiis suis præparatum, & boves sex panem ipsum subvehentes, violenter rapuissent, non solum nihil profecimus, verum sicut sequentia demonstrant, vestros omnes, ut creditur, ad oppressionem nostram animastis; neque enim putatur, eos tam grandia absque vestro jussu & inchoasse & perfeciisse. Animadvertat ergo ingenuitatis vestræ honestas, si nos & fratres nostros personam vestram super omnes principes terræ nostræ amplectentes & diligentes, tantopere opprimere debuistis pro hominibus, qui etsi nostri sint, tamen, ut ipse vidistis & audistis, a nobis coerceri nequaquam possunt, cum alii vagi & profugi incertitudine mansionum suarum nostros impetus declinent, alii vero obsequiis suis ita principum animos sibi devinxerint, ut ad offensam nostram & ecclesiæ nostræ oppressionem ab ipsis jugiter protegantur. Nos autem in his omnibus antiquarum amicitiarum memores, querelarum nostrarum summam nobilitatis vestræ benignitati litteris significare curavimus, ut amore Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli sanctique patris nostri Remacli, & respectu orationum nostrarum, damnorum nostrorum per vos potius, quam per aliam quamlibet potestatem, recipiamus emendationem. Sin autem, violentiam nobis illatam Deo, ac domino regi, & omnibus principibus regni atque hominibus nostris & fidelibus Stabulensis ecclesiæ conqueri habemus.

EPISTOLA CCCCII. HENRICI comitis de *Salmes*, ad VVibaldum abbatem.

Ipsius arbitrio controversias suas omnes terminandas relinquit.

WIBALDO Dei gratia Stabulensi abbati, H. comes de *Salmes*, quidquid amicus amico. Anno 1153.

Dilectioni vestræ notum sit de adventu vestro summopere me gaudere, tum spe discreti consilii vestri, tum solitæ pacis inter meos homines & vestros reformatione. Quamvis enim vinculum dilectionis nostræ homines vestri, immo adversarii vestri tum-

rumpere moliantur, Deo gratias, incorruptum remansit. Enarrare vero longum est, quæ & quanta ex utriusque latere partis injurioſe facta appareant. Relinquo igitur veſtræ diligenti ac diſcretæ diſpenſationi, dignitatis veſtræ prærogativa & familiaritatis veſtræ conſervatione injurias utrimque factas terminare. *Scitis enim* quoniam caſtellum meum Salmis & omnia quæ poſſideo in pace & in guerra, vobis ſicut mihi parata ſemper ſuberunt. Veſtrum honorem & honorem meum tam in abſentia mea quam in præſentia diligendo conſervare, & conſervando tueri velitis. Quod injuriarum veſtrarum querelam ſcripto mihi ſignificaſtis, de ſinu dilectionis veſtræ affirmo proceſſiſſe, noſtram prior vobis ſignificaſſem, ſi reverſio veſtra mihi nota fuiſſet. Veniam ad vos quam citius potero, vobis locuturus, & utriuſque honore conſervato, diſcretis ſermonibus veſtris obtemperans.

CCCCIII. LITTERÆ VVibaldi abbatis ad ſucceſſores ſuos.

De reformato quodam abuſu introducto a Poppone II. abbate.

Anno 1153. IN nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, VVIBALDUS Dei miſericordia Stabulenſis abbas, ſucceſſoribus ſuis & cunctis Chriſti fidelibus in perpetuum.

Prælationis ſarcina & officii noſtri inſtitutum nos conſtanti ratione hortatur, ut non ſolum congregata ſervare, & ad recte vivendi diſciplinam moderari debeamus, ſed etiam diſperſa congregare, & ad juſtitiæ normam revocare, & ea, quæ vel a nobis recte geruntur, vel ab antiquis prave acta corriguntur litterarum beneficio attentius memoriæ commendare. Quocirca noverit omnium filiorum ſanctæ eccleſiæ induſtria, quod abbas POPPO ſecundus, noſter utique prædeceſſor, inter multa non ſolum inutilia, ſed etiam omni poſteritati noſtræ nociva, quæ adverſus eccleſiam ſibi commiſſam, & adverſus animam ſuam perperam commiſit, poſt diſſipatam enormiter multam ſubſtantiam monaſterii, etiam perſonas eccleſiæ pertinentes, in opprobrium ſempiternum præcipitavit, quando cuidam Everardo de *Richen* dedit in beneficium, immo, ut verius dicatur, in maleficium, virorum ac mulierum ratiocinia & utilitatem, præter cenſum ſolum, quem eccleſiæ ſolvebant, qui habitabant a proxima monaſterio ſilva, quæ dicitur Sanias, uſque ad fluvium qui dicitur VViſera. Opus vero malitiæ juris vocabulo palliavit, & taliter inbeneficiatos ædituos appellavit, quo nomine vocari ſolent monachi religioſi templi Dei & ſacrorum cuſtodes. Cum itaque malum hoc noſtris temporibus peſtifera propagine uſque adeo eſſet dilatum, ut non ſolum inter Sanias & VViſeram, ſed etiam quaqua verſum circuire poterant tales cuſtodes, quin potius iniquitatis procuratores, famulos eccleſiæ vexarent diris exactionibus, videlicet hoſpitando, precando, & ſubſtantias eorum, ſi quis uxorem de familia eccleſiæ non habuiſſet, partiendo affligebant. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & poſt multas & longas ad eccleſiam & ad nos vociferationes de neceſſitatibus eorum eripuit eos tempore illo, cum inclytus dominus noſter rex FRIDERICUS Aquiſgrani moraretur, & tam noſtro quam hominum clamore, qui ad curiam ipſius circiter ducenti concurrerant, miſeratus, quæſivit a quodam nobili viro Marcuardo de *Grumbach*, ſententiam judicii, utrum aliquis abbas poſſet cuiquam laico in beneficium præſtare cenſum ſive alia ratiocinia hominum, qui ad altare jure proprietario pertinent, de quorum penſionibus luminaria templi & tecta procurantur. Conſenſu itaque domini Colonienſis archiepiſcopi ARNOLDI ſecundi, & domini Leodienſis epiſcopi HENRICI ſecundi, & domini ANSELMI Havelebergenſis epiſcopi, & omnium qui præſentes aderant, judicatum eſt, ex juris ratione non poſſe fieri, & in irritum debere revocari: quod & fecit piiſſimus rex noſtra prece interpellatus, licet quartana febre tunc laboraret, & tales cuſtodes in perpetuum aboleri decrevit. Inde cum ad domum noſtram, quæ eſt in eodem oppido, fuiſſemus regreſſi, convenit omnis multitudo in capellam noſtram, & omnes juſſu noſtro fidelitatem eccleſiæ & nobis tactis ſacro-ſanctis reliquiis juraverunt, per quam mox adjurati & admoniti dixerunt, hoc ſui juris eſſe, ut nemini hoſpitationem vel precationem debeant vel exſolvant, ſed unaquæque cognatio ſeu parentela proprium cenſuarium habeat, qui electione conſanguineorum ſuorum per manum cuſtodis eccleſiæ, videlicet unius ex fratribus noſtris ordinatus, cognationi ſuæ præſit hoc modo, ut cenſum annuatim colligat & perſolvat cuſtodi ſi quid in ſuos compares adverſus legis decreta commiſſum fuerit, vel in ſanguinis effuſione, vel in hominum interfectione, ſeu in mulierum ſtupratione, ipſe tam per ſe quam per advocatum repoſcat, & de compoſitionibus duas partes cuſtodi eccleſiæ, tertiam vero advocato repræſentet, ARNOLDO ſcilicet, qui tunc erat advocatus, & ſucceſſoribus ejus legaliter inſtitutis. Nullus uxorem ducat de aliena familia, niſi per licentiam cenſuarii ſui. Quod ſi licentiam non habuerit, & uxorem, quæ non ſit de familia eccleſiæ, duxerit, compoſitio hujus delicti & pœna erit in arbitrio cenſuarii. Is vero qui per licentiam, ut dictum eſt, duxerit alienam, cum obierit, dabit uxor ejus vel filii cenſua-

rio ſupremum veſtimentum, id eſt cappam ſeu chlamydem, ac per hoc ſubſtantia ejus, ſicut prius factitatum erat, non dividetur. Hanc fuiſſe parentum & progenitorum ſuorum legem, & ad eccleſiam reſpectum, juraverunt duodecim ex ipſis natu majores, quorum nomina ſubterſcripta ſunt; ſcilicet, Petrus, VVerricus, Herimannus, Godefridus, Johannes, VVillebertus, Heruardus, Ruzekinus, Giſlebertus, Everlinus, Jordanus, Johannes, necnon nomina hæc ſunt tredecim virorum, qui juramenta ipſorum vera eſſe teſtificati ſunt, ſcilicet Eimundus, VValterus, Azelinus, Giſlebertus, Theodericus, Godefridus, Wenricus, Everwinus, Hermannus, Balduinus, Godefridus, VValdo, Rumbertus. Nos vero & tunc in præſenti, & poſtea in monaſterio Stabulaus ſub celebri conventu, ſumta ſtola & paſtorali baculo, aſſenſu omnium fratrum noſtrorum, excommunicationis ſententia interdiximus, ne aliqua perſona parva ſeu magna præfatos homines & eorum progeniem infeſtare præſumat, & legem, quæ ſcripta eſt, ullo modo audeat contra ipſorum voluntatem infringere. Et ut hæc per omnes temporum ſucceſſiones rata & inconvulſa permaneant, paginam hanc ſigillo noſtro & eccleſiæ inſigniri ac muniri juſſimus, & teſtes, qui affuerunt, ſubternotari. VVIBALDUS Stabulenſis abbas ſubſcripſi.

EPISTOLA CCCCIV. ANASTASII papæ IV. ad VVibaldum abbatem.

Anuli uſum ipſi ad vitam duntaxat concedit.

Anno 1154. ANASTASIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Corbeienſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Semper apoſtolica ſedes eccleſiarum prælatis, quos ampliori ſibi caritate devinctos agnovit, abundantiorem honorem impendit, & eorum honeſtis petitionibus faciliori concurrit aſſenſu. Inde eſt, quod antiqua devotione, quam erga ſedem apoſtolicam dinoſceris habuiſſe, inducti, & quorumdam fratrum noſtrorum precibus inclinati, uſum anuli ex aſſueta benignitate apoſtolicæ ſedis in vita tua tibi tantum duximus indulgendum, & in augmentum noſtræ dilectionis anulum quoque tibi per dilectum filium noſtrum G. diaconum cardinalem, qui ad partes Teutonici regni pro utilitatibus eccleſiæ a nobis tranſmittitur, deſtinamus. Tua ergo devotio cum tanta gratiarum actione beneficium iſtud accipiat, ita te ſemper exhibeas in ſacro-ſanctæ matris tuæ Romanæ eccleſiæ veneratione ferventem; ut & nos hoc caritatis & beneficentiæ ſignum tibi gaudeamus impenſum, & tu ad alia beneficia promerenda omni tempore debeas idoneus inveniri. Datum Laterani vij. idus Februarii.

EPISTOLA CCCCV. GREGORII cardinalis ad VVibaldum abbatem.

De anulo ſibi a ſede apoſtolica indulto, & per Gerhardum cardinalem deferendo.

Anno 1154. GREGORIUS Dei gratia diaconus cardinalis, reverendo fratri & unanimi amico VVIBALDO Stabulenſi abbati, ſalutem, &, qua nihil eſt carius, caritatem.

Quia inter ceteros regni abbates perſonam veſtram quadam prærogativa dilectionis nobis univimus, ad honoris veſtri gloriam & exaltationem, divina nos comitante gratia, efficaciter operam dedimus. Equidem ſecundum deſiderium noſtrum & preces, perſonam veſtram mater veſtra ſancta Romana eccleſia, oleo exultationis exhilarat, epiſcopalia vobis inſignia concedens, ut vere Stabulenſis gemino dignitatis ornatu fulgeat, abbatis & epiſcopi, qui præ conſortibus ſuis ampliorem matris meruit dilectionem. Iſaac pater noſter ſenuit, Rebecca tamen miniſtrat ei. Agite igitur, ut mater recognoſcat in filio, per quod filius recognoſcetur à multis. Anulum vobis legatus apoſtolicæ ſedis GERH. diaconus cardinalis portabit, qui vos tanta gratia inveſtiet, & apoſtolico munimine roborabit. Nos vero in veſtris opportunitatibus tanto ſollicitum eſſe perpendite, quanto amicitiæ virtus in cauſa amici non poteſt eſſe otioſa. De aliis petitionibus veſtris legatus vobis juſtitiam faciet, cujus diſcretioni Teutonicorum commiſſæ ſunt regiones.

EPISTOLA CCCCVI. O. ad Halberſtadenſem decanum, archidiaconos, &c.

Fredericum Palatinum comitem declarat excommunicatum.

Anno 1154. O Dei gratia, modicum id quod eſt, dilecto filio E. decano ceteriſque archidiaconis, & univerſali ſanctæ Halberſtadenſi eccleſiæ ſalutem & benedictionem.

Liquet diſcretioni veſtræ, quod domini decani cardinales ſedis apoſtolicæ legati litteris ſuis mandando nobis præceperunt, quatenus (a) F. Palatinum comitem diſtricte commoneremus, ut bona Corbeienſi eccleſiæ ablata reſtitueret, & homines ejuſdem eccleſiæ inquietare deſiſteret, & ſi poſt noſtram admonitionem, infra triginta dies hoc non adimpleret, canonica eum juſtitia coerceremus. Litteris itaque noſtris diligenter a nobis ſuper hoc com-

[a]

(a) Fredericum de quo ſupra.

monitus, ſicut veſtra novit fraternitas, non A ſolum nos audire contemſit, verum etiam manu in ſacerdotem miſſa ſacrilegii facinus incidere non formidavit. Apoſtolica igitur auctoritate & noſtra præfatum comitem Palatinum F. utpote ſacrilegum & inobedientem excommunicamus, & excommunicatum vobis annuntiantes, in vera obedientia præcipimus quatenus ab ejus communione penitus vos ſubtrahatis, & ab omnibus ſubditis veſtris cleticis & laicis idipſum firmiter obſervari faciatis. Qui hoc mandatum ſanctæ Romanæ eccleſiæ & noſtrum tenere & aliis annuntiare diſſimulaverit, officii ſui & beneficii jacturam procul dubio B incurret, qui tamquam inobedientem eum domino papæ annuntiabimus.

EPISTOLA CCCCVII. MANUELIS imperatoris CP. ad VVibaldum abbatem.

De matrimonio Frederici imperatoris.

Anno 1154. MANUEL in Chriſto Deo fidelis rex Porphirogenitus, ſublimis, fortis, excelſus Auguſtus & imperator Romeon o C Comninos, honorabiliſſimo & ſanctiſſimo abbati monaſterii Stabulenſis gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Littera reverentiæ tuæ delata eſt imperio meo, quæ declarabat, quod ſemper pro meo oras imperio, & imperium meum ab omni lingua audiens, quod ſuper eſt tuæ virtutis, tuas ſemper advocat orationes, vultque memorari ipſius tuam ſanctitatem in orationibus ſuis ad Deum, & orare eum pro proſperitatibus noſtri imperii. De negotio vero connubii, de quo prænobiliſſimus rex Romæ & dilectus frater imperii mei noſtro declaravit imperio, remiſit ei imperium D meum intentionem ſuam diffuſius cum præſentibus nuntiis imperii mei. Vult enim imperium meum magis ac magis utrorumque regnorum unitionem, Menſe Novembri indict. ſecundæ. Miſſa eſt a caſtro Pelagoniæ menſe Novembri XXII. indict. II.

Imperiale ad venerabiliſſimum abbatem monaſterii Stabulenſis.

EPISTOLA CCCCVIII. VVIBALDI abbatis ad Manuelem imperatorem.

Amicitiam inter utrumque imperium pro viribus ſe firmaturum.

Anno 1154. INclyto triumphatori & glorioſo domino ſuo MANUELI, fideli in Chriſto regi Porphirogenito, ſublimi, forti, excelſo, auguſto & imperatori Roméon o Comninos WIBALDUS Dei gratia abbas venerabilium monaſteriorum, ſcilicet Corbeiæ & Stabulaus, fideles orationes & devotum ſervitium.

Sacratiſſimi imperii veſtri affatus, quos per prudentiſſimos apocryſiarios veſtros veſtra nobis celſitudo tranſmittere dignata eſt, quaſi quoddam munus cœleſte ſuſcepimus, & tam pro incolumitate glorioſæ perſonæ veſtræ, quam pro totius ſacratiſſimi imperii veſtri proſpero ſtatu & fortitudine humiles preces ad Dei clementiam cum aggregatis nobiſcum in Chriſto fratribus effundere non ceſſamus. Porro de amicitia & fide inter dominum meum prænobiliſſimum FRIDERICUM Romanorum imperatorem auguſtum & ſacrum imperium veſtrum firmanda, pro facultate noſtra diligentem operam impendimus, & ut, ſecundum datam a Deo ſapientiam, voluntati dilectiſſimi fratris veſtri, quam per legatos ſuos majeſtati veſtræ inſinuat, aſſenſum præbeatis, plurimum deſideramus. Rex regum & Dominus dominantium ad honorem & gloriam ſuam vitam veſtram & quietem ab hoſtibus conſervare in longa tempora dignetur.

EPISTOLA CCCCIX. VVIBALDI abbatis ad Anaſtaſium papam.

Gratias ei agit, & commendat ei Heribertum regis capellanum.

REverendo in Chriſto patri ſuo & domino ANASTASIO uni & univerſali Anno 1154. papæ, frater VVIBOLDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, devotum ſervitium & debitam in Domino obedientiam.

Supplices & devotas gratiarum actiones celſitudini veſtræ referimus, quod ſemper D provectibus & neceſſitatibus noſtris clementer intendiſtis, ex quo primum dignationi veſtræ notificati meruimus, & præcipue nuper cum ad ſanctitatem veſtram pro neceſſitatibus noſtris & anguſtiis petitiones noſtras tranſmiſimus, quas & miſericorditer accepiſtis & benigne adimpleri feciſtis. Nunc ergo excellentiæ veſtræ attente commendamus Heribertum capellanum domini regis, ut eum venientem ad beatitudinem veſtram pie ſuſcipiatis, & benigne teneatis, & eum in ſuis petitionibus clementer exau- E diatis.

EPISTOLA CCCCX. C. ABBATIS Patherburnenſis ad VVibaldum abbatem.

Gratulatur ei de reditu, doletque quod tranſeuntem Patherburnam non exceperit.

Anno 1155. [a] ABbati, C. (a) humilis abbas vocatus Patherburnenſis, ſe ipſum integre cum omni devotione.

In reditu veſtro illud Virgilianum, tamquam de vobis ſpecialiter fuerit prolatum, occurrit, & firmiter inſedit animo meo. B

O lux Dardaniæ, ſpes o fidiſſima Teucrum,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab horis
Expectate venis?

Gratias igitur omnipotenti Deo, qui vos incolumem reddidit, & in hoc ſupplicum ſuorum preces exaudivit. Sed doleo, & mihimet iratus ad dignam pœnam me offero; quod nuper, cum per nos tranſiretis, ego vobis non occurri, & diu deſideratum vultum veſtrum cernere non merui, quem & uſque dum videam, anima mea renuit conſolari. Bene tamen veneritis, & optime in Domino valeatis. C

EPISTOLA CCCCXI. VV. EPISCOPI Mindenſis ad VVibaldum abbatem.

Hominem ſibi ab eo commendatum a comite Ottone male habitum fuiſſe.

Anno 1156. REverendo domino ſanctæ Corbeienſis eccleſiæ abbati VVIBALDO, per miſe- D
[b] ricordiam Dei (b) VV. id quod eſt in eccleſia Mindenſi, aſſiduas orationes in Domino cum fideli devotionis obſequio.

Sanctitati veſtræ omnem reverentiam & devotionis obſequium exhibere cupientes, de reditu & ſoſpitate veſtra quamplurimum gaudemus, & ad omnia, quæ veſtra paternitas nobis mandaverit, ſervire parati erimus. Dum hanc terram in obſequio regni exiretis, præſentium latorem cum rebus ſuis noſtræ tutelæ committere voluiſtis, quem nos cum omnibus ſuis infra terminos noſtros & extra illæſum & intactum pro amore & memoria veſtra cuſtodivimus, ſed dum in quodam foro pro negotiis ſuis eſſet, comes OTTO hunc pauperem quaſi a ſua advocatia profugum comprehendit, coarctavit, donec decem marcas ei perſolvit, pro quibus domum ſuam expoſuit, quam in civitate noſtra habuit, quam uſque ad hanc diem ſupercreſcente fœnore redimere non E

(a) Conradus poſt Hamukonem Patherburnenſe ſancti Petri Monaſterium, vulgo *Abdinghoff* dictum, rexiſſe dicitur ab anno 1154. ad 1180.

A potuit. Veſtri itaque viri diſpendia & damna garviter ferentes, & in hac parte eum conſolari non valentes, paternitatem veſtram devote rogamus, ut conſolatione veſtra accepta, ad nos cum gaudio reverratur, quia pro reverentia veſtra eum cuſtodire & manutenere non deſiſtemus.

EPISTOLA CCCCXII. VVIBALDI abbatis ad Fridericum imperatorem.

Conqueritur de epiſcopis Oſnabrugenſibus qui quaſdam decimas abſtulerant, de comite de Sualemberg *qui comitem de Huxeria interfecerat, & de comite de* Tekeneburg, *qui bona quædam Corbeienſium fratrum occupaverat.*

INclyto triumphatori & glorioſo domino ſuo FREDERICO Dei gratia Romanorum imperatori auguſto, a Deo coronato, magno & pacifico, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, in eo imperare & regnare, qui dat ſalutem regibus. Anno 1156.

Licet rerum veſtratum ſtatum, & victoriarum veſtrarum gloriam per ſacratiſſimos affatus veſtros cognoſcere non meruerimus, tamen quoniam fama referente, quæ interdum incerta pro veris ſpargere ſolet, de ſoſpitate & proſperitate veſtra, verbum bonum, verbum conſolatorium accepimus: omnium bonorum largitori devotas & aſſiduas grates referimus, ſupplici prece cum fratrum noſtrorum collegio, Dei miſericordiam deprecantes, ut vobis longævos dies tribuat, & eoſdem ſemper in ſua pace feliciter diſponat, & omnes inimicos veſtros ſub pedibus veſtris celeriter conterat. Suggerimus autem ſerenitati veſtræ, quod Oſnebruggenſes epiſcopi quaſdam decimationes non parvæ utilitatis in Nortlandia Corbeienſi eccleſiæ jam per longa tempora abſtulerint, in cujus detrimenti reclamatione nos divina & veſtra freti gratia, in tantum proceſſimus, quod dominus papa vices ſuas in hac cauſa domino Magedeburgenſi archiepiſcopo commiſit, qui etiam tam nos, quam dominum Oſnebruggenſem epiſcopum ad præſentiam ſuam in civitate *Merſeburch*, vigeſima prima die menſis Januarii evocavit. Quapropter clementiam veſtram, de qua non parum confidimus obnixe flagitamus, ut eidem domino archiepiſcopo imperiales apices deſtinare dignemini, quatenus pro veſtræ juſſionis reverentia, cauſam noſtram benigne ſuſcipiat, & ſine dilationis impedimento definiat, nec eccleſiæ Corbeienſi aliquatenus obſiſtat, quod dono & privilegiis anteceſſorum veſtrorum

(b) Wernerus, qui ex præpoſito factus eſt epiſcopus, circa annum 1156. obiitque anno 1160.

easdem decimationes a fundatoribus suis accepit, & longis temporibus in quiete & pace possedit, & sine omni juris ordine per manifestam violentiam amisit. Præterea majestatis vestræ pedibus & animo & corpore advoluti, iteratam querimoniam ad vestræ celsitudinis aures referimus de occisione THIDERI comitis de Huxaria, qui in expeditione vestra Italica vobis strenue ac fideliter servivit, quem dominus VVidekindus de *Sualemberch* sedentem in jurisdictione sua, quam hereditariam sibi a nobis jure obtinuerat, super consecratum ecclesiæ murum propriis manibus cum satellitibus suis interemit. Insuper tam nos, quam omnes fratres nostri potentiæ vestræ flebiliter conquerimur, quod comes de *Tekeneburch* bona nostra, & fratrum nostrorum & pauperum, qui de hospitali vivunt, violenter occupavit, volens nos prædis & rapinis perurgere, ut prædium quoddam, quod ecclesia Corbeiensis in tempore quatuor prædecessorum nostrorum abbatum quiete possedit, nos absque legum ratione dimittamus, cum nos parati simus & ei multotiens obtulerimus in vestro judicio, sive ducis, sive comitis, nos pro eodem prædio velle stare, &, si per legem amiserimus, sine impedimento a possessione recedere.

EPISTOLA CCCCXIII. ADRIANI papæ IV. ad VVicmannum archiepiscopum.

Causam quæ episcopum Osnabrugensem inter & VVibaldum abbatem de decimis vertebatur terminandam ejus judicio committit.

Anno 1156. ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei venerabili fratri VVICMANNO, Madenburgensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri VVIBALDI Corbeiensis abbatis relatione accepimus, decimas villarum suarum de Nortlandia commisso sibi monasterio quondam injuste ablatas, a venerabili fratre nostro PHILIPPO Osenbruggensi episcopo & quibusdam aliis ejus nomine detineri. Quocirca per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus utramque partem ante tuam præsentiam evoces, & rationibus utriusque partis diligenter auditis, & ea qua convenit subtilitate discussis, quod justum inde fuerit judices, & quod judicaveris remoto dilationis obstaculo facias adimpleri. Data in Territorio Tuscul. v. idus Julii.

EPIST. CCCCXIV. VVICMANNI archiepiscopi Magdeburgensis ad Philippum Osnabrugensem episcopum.

Citat tum ad objecta VVibaldi abbatis responsurum.

WICMANNUS Dei gratia Magdeburgensis ecclesiæ, utinam non indignus minister, PHILIPPO Osenbruck episcopo, salutem & fraternam dilectionem. Annotat.

Dominus VVIBALDUS abbas Corbeiensis super quarumdam decimarum repetitione, quas sibi injuste ablatas & a vobis detineri conqueritur, a domino papa me sibi judicem constitui postulavit & obtinuit. Igitur domini papæ mandato astricti, & sicut ex tenore litterarum suarum potestis cognoscere, vicem ejus ipsius auctoritate in hac causa gerentes, quoniam oportet & sanum est nos obedire, fraternitati vestræ mandando præcipimus, quatinus decimo Kalendas Februarii præsentiam vestram nobis in *Merseburg* exhibeatis. Ibi siquidem domini abbatis querimoniam prædictam & vestrum responsum audiemus, & subtiliter hinc & inde rationibus cognitis, æquitatem judicii diffiniemus.

EPIST. CCCCXV. VVICMANNI archiepiscopi Magdeburgensis ad VVibaldum abbatem.

Citasse Philippum episcopum Osnabrugensem coram se scribit.

Anno 1156. WICMANNUS, Dei gratia Magdeburgensis archiepiscopus, dilecto in Christo fratri VVIBALDO venerabili Corbeiensi abbati, fraternum cum orationibus obsequium.

Super negotio vestro, quid nobis a domino papa sit injunctum, domino episcopo Osenbruggensi scripsimus, eique ut suam nobis præsentiam *in Merseburg* exhibeat x. Kal. Februarii, auctoritate apostolica injunximus. Quod ideo fraternitatem vestram volumus scire, ne ante diem prænominatum festinetis venire.

EPIST. CCCCXVI. VVICMANNI archiepiscopi Magdeburgensis ad VVibaldum abbatem.

Osnabrugensis episcopi responsionem ei significat.

Anno 1156. WICMANNUS, Dei gratia id quod est in ecclesia Magdeburgensi, dilecto in Christo fratri VVIBALDO venerabili Corbeiensi

Corbeiensi abbati orationis atque servitii affectuosam exhibitionem.

Super negotio vestro, quid nobis a domino papa sit injunctum, domino Osenbruggensi significavimus. Locum ei in *Merseburg*, diem quoque decimo Kalendas Februarii denotavimus: nullum verò aliud responsum ab ipso adhuc accepimus, præter quod nuntio nostro attestante ajebat, se potius velle episcopatum dimittere, quam decimas illas, quas ecclesia sua sexaginta & amplius annis quiete possedit, sui episcopatus tempore perdere. Per eumdem tamen nuntium verbis & non scripto mandavit, se nobis omnem, quam deceat, reverentiam libenter exhibere, super hoc autem verbo totius ecclesiæ suæ tam cleri quam populi consilium se velle habere, ipsumque consilium per honestas & majores ejusdem ecclesiæ personas nobis usque ad Epiphaniam ostendere. Unde omnibus aliis omissis, unum hoc fraternitati vestræ respondemus, quod vitæ nobis incolumitate servata x. Kal. Februarii, ita enim ex consilio ordinavimus, in loco condicto erimus, & sive dominus Osenbruggensis veniat sive non, secundum consilium fratrum & coepiscoporum nostrorum debita justitia, in quantum nobis erit, desiderium vestrum non fraudabimus. Exemplum litterarum, quod petivistis, misimus, aliud non accepimus.

DE IMPERATORIBUS EX sanguine Caroli-magni.

[a] IMperator CAROLUS (*a*) parrochiam Halberstadem certis undique circumscripsit terminis, suoque augustali imperio, & *inprævaricabili privilegio* firmavit DCCCIV. idus Maij indictione x. sui autem regni xxx. quarto, imperii vero tertio, ordinationis HILDEGRINI episcopi XXIII. in palatio [b] (*b*) *Sarh* nominato. Eodem etiam tempore habito conventu in palatio eodem, imperator omnes Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide catholica ab omni solvit tributo excepto, quod eos omnes divites scilicet ac pauperes totius suæ agriculturæ ac nutrituræ decimas Christo ac sacerdotibus ejus fideliter reddere jussit. CAROLO MAGNO successit LUTHEVVICUS Pius filius ejus. Post quem successit LUTHEVVICUS filius prædicti LUTHEVVICI. Quo defuncto successit ei filius suus tertius LUTHEVVICUS. Cui etiam successit filius suus CAROLUS rex. Qui octavo regni sui anno a regno deponitur, & ARNULFUS in regem est coronatus, qui regni sui anno décimo tertio defunctus est, cui successit LUTHEVVICUS, qui cognominatus est Infans, & regnavit annis tredecim. Cui cum non esset filius, principes regni communi consilio OTTONEM illustrem Saxoniæ ducem in regem eligere voluerunt, sed per consilium ejus CONRADUS Francorum dux, qui de cognatione quarti LUTHEVVICI erat, coronatus est, & vixit annis novem. Hucusque Caroli proles regni tenuit fastigia. Dehinc Saxonici imperatores successerunt. Primus eorum HENRICUS Saxonum dux, filius prædicti OTTONIS ducis, pater OTTONIS primi imperatoris, ordinatus est.

(*a*) Quæ hic de Carolo leguntur, extant in chronico Halberstadensi edito tom. 2. script. rer. Brunsvic. p. III. ita tamen ut pauca interdum interpolentur.

(*b*) Palatium hoc regium ignotum fuit erudito viro Mabillonio.

EPISTOLA CCCCXVII. FREDERICI imperatoris ad VVicmannum archiepiscopum Magdeburgensem.

Commendat ei causam Corbeiensis monasterii adversus episcopum Osnaburgensem

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator augustus, dilecto suo VVICMANNO Magdeburgensi archiepiscopo gratiam suam & omne bonum. Anno 1156.

Serenissimi imperatores, nostri utique prædecessores, divino edocti spiritu sanxerunt ea, quæ ad beatissimæ jura spectant ecclesiæ, tamquam ipsam sacro-sanctam & religiosam ecclesiam venerabiliter ab omnibus illibatam custodiri, & ea potissimum quæ ab imperiali domo ad quodcumque religiosum collegium collata sunt, nulla vi aut dolo aut aliquo temerarii contractus nomine alienari. Horum utique rationabilibus inhærere vestigiis pietatis nostræ est propositum, & omnibus ecclesiis Dei, maximeque his, quæ imperiali specialiter ditioni subesse noscuntur, jura & possessiones earum conservare humanitatis nostræ est intentio. Unde quoniam a pontifice almæ nostræ urbis Romæ judicem te ordinatum esse cognovimus super negotio, quod inter venerabiles principes nostros abbatem Corbeiensem & episcopum Osenbruggensem actitatur, super quibusdam decimis a divæ recordationis LUDOVICO imperatore augusto Corbeiensi ecclesiæ collatis, sed postea nescio quo alienationis titulo ad episcopatum Osenbruggensem translatis, prudentiam tuam exoratam esse volumus, ut tenore privilegiorum Corbeiensis ecclesiæ diligenter considerato, debitum & optatum finem eidem causæ imponas.

EPIST. CCCCXVIII. FREDERICI imperatoris ad Wibaldum abbatem.

Quam prospere cum ipso omnia agantur, enarrat.

Anno 1156. FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator augustus, dilecto suo VVIBALDO Corbeiensi abbati gratiam & omne bonum.

De statu nostræ prosperitatis te tamquam specialem nostrum gaudere non dubitantes, eruditionem tuam scire volumus, quod nos compositis in Burgundia magnifice nostris negotiis, ipsius favente clementia, qui dat salutem regibus, prospero itinere ad partes Rheni sumus reversi, & natale Domini apud Spiram gloriose celebravimus. Curiam quoque in purificatione sanctæ Mariæ pro bono pacis firmando apud Ulmam habituri sumus, qua finita, aptatisque illius terræ negotiis, ad inferiores Rheni partes accedere statuimus, ut cornua superbiæ eorum, qui manus suas in sereniſſimum imperium nostrum extendere ausi sunt, in brachio virtutis nostræ ita recidamus, ut filii & nepotes eorum exemplo patrum correcti discant imperio se non opponere, sed ejus mandatis debito honore & reverentia subjacere. Ad quod celeriter peragendum, te tamquam præcordialem nostrum invitamus. Quæ in litteris tuis a nostra serenitate expostulasti, pro commodo causæ tuæ fieri jussimus, ipsi, Deo auctore, injuriam tuam debita severitate suo loco & tempore ulcisci cupientes.

EPISTOLA CCCCXIX. VVERNERI episcopi Mindensis ad archiepiscopum Magdeburgensem.

Episcopum Osnabrugensem ad ipsum accedentem, Hildesii remansisse ægrotum.

Anno 1156. REverendo domino sanctæ Magethe-burgensis ecclesiæ archiepiscopo VV. per misericordiam Dei id quod est in ecclesia Mindensi, assiduas orationes in Domino, cum fideli devotionis obsequio.

Apostolicæ sedi omnem reverentiam & vestræ paternitati omne devotionis obsequium exhibere cupientes, divinæ miserationi gratias referimus, quod dominus papa adeo vestram probavit experientiam, ut alta & sublimia ecclesiarum negotia ad vestræ discretionis transmitteret diligentiam. Venerabilis siquidem, frater noster PHILIPPUS Osenbruggensis episcopus, vestram ex mandato domini papæ aditurus præsentiam, in Mindensi loco apud nos receptus est hospitio, sed in ipso processu itineris magna nimis eum ægritudo occupavit: prius quidem ob magnitudinem infirmitatis suæ multas passiones sustinuit, sed ex labore itineris eadem ipsius infirmitas, usque ad defectum corporis ejus excrevit. Eodem itaque venerabili fratre nostro ad Hildenesheimensem civitatem descendente, & nobis vias ejus comitantibus, & usque ad conspectum vestrum ipsum perducere volentibus, tanta nobis ipsius ægritudo innotuit, quod nullatenus procedere potuisset, quem tam immoderata infirmitas ante & in via apprehendisset. Vestram itaque nobis hactenus in omnibus bonis expertam benevolentiam cum omni diligentia deposcimus, quatenus ob hanc necessitatem prænominati domini PHILIPPI episcopi absentiam, intuitu nostræ devotionis & servitii, misericorditer sufferatis, atque personas honorabiles præsentium præsentatores, legationem ipsius ad vestram prudentiam deferentes, misericorditer remittatis, & dilectum dominum Corbeiensem, ut ab hoc verbo desistat, paterne commoneatis.

EPISTOLA CCCCXX. FRIDERICI Monasterienſis episcopi ad Wicmannum archiepiscopum.

Commendat ei episcopum Osnabrugensem.

DOmino WICMANNO archiepiscopo reverendo, FRIDERICUS (a) Monasterienſium humilis minister, intimum servitii & orationis affectum. Ampliss. [a]

Pertulit ad nos dominus Osenburgensis episcopus gravaminis sui causam, & condoluimus, tum quia infirmus est, & laborare non potest, tum quia Corbeiensis abbas injuriam ei videtur inferre. Eapropter excellentiam vestram commonitam esse cupimus & rogamus obnixius, quatenus eum, tamquam seniorem & coepiscopum manutenea-tis, & nullam omnino ei injuriam fieri sinatis. Perspicuum est enim, ut, si forte, quod absit, unus opprimatur, ad plures tam episcopos quam archiepiscopos tantum inconveniens derivetur. Valete.

(a) Hic Fridericus anno 1152. Aquisgrani ordinatus episcopus ab iisdem præsulibus, qui imperatorem Fridericum unxerant, omissus est in catalogo episcoporum Monasterienſium apud Bucelinum in sua Germania sacra.

EPISTOLA CCCCXXI.

B. Hildesheimenſis epiſcopi ad VVicmannum archiepiſcopum Magdeburgenſem.

Orat excuſari epiſcopum Oſnaburgenſem, qui infirmitate detentus ad eum accedere nequit.

Anno 1156. REverendo domino VVICMANNO, ſanctæ Magetheburgenſis eccleſiæ archiepiſcopo, B. *(a)* Dei gratia Hildenesheimenſis humilis miniſter, devotas orationes in Domino & ſervitium.

[a] B

Venerabilis frater noſter PHILIPPUS Oſenbruggenſis epiſcopus veſtram ex mandato domini papæ ad negotium domini Corbeienſis abbatis aditurus præſentiam, in ipſo proceſſu itineris magna nimis occupatus eſt ægritudine: prius quidem ob magnitudinem infirmitatis ſuæ multas & graves paſſiones ſuſtinuit; Verum ex labore inchoati itineris eadem ipſius infirmitas vehementer augmentata fuit. Eodem itaque præfato venerabili fratre noſtro jam dicto itinere ad nos in civitatem noſtram deſcendente, tanta nobis ipſius ægritudo innotuit, quod nullatenus proceſſiſſe potuiſſet, niſi vitæ ſuæ conſervationem omnimodis poſtponere vellet. Veſtram itaque nobis hactenus exhibitam benevolentiam cum omni diligentia depoſcimus, quatinus ob hanc neceſſitatem prænominati domini PHILIPPI abſentiam intuitu noſtræ petitionis & ſervitii patienter ſufferatis, atque perſonas honorabiles præſentium præſentatores legationem ejus ad veſtram prudentiam deferentes miſericorditer & in dilectione remittatis. Ipſe etenim divina gratia ab imminenti periculo ereptus, ubi ſibi veſtra ſublimitas ſignificaverit, pro prænotato negotio abſque tergiverſatione ſe veſtro conſpectui præſentabit. Gratias Dei vobiſcum.

C

D

EPIST. CCCCXXII. VVICMANNI archiepiſcopi Magdeburgenſis ad Adrianum papam.

Reddit rationem de commiſſa ſibi cauſa inter epiſcopum Oſnabrugenſem & abbatem Corbeienſem.

E

Anno 1157. ADRIANO Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo & digne reverendo pontifici, VVICMANNUS Magdeburgenſis proviſor humilis, tam voluntariam quam debitam obedientiam, cum orationibus ac fideli ſervitio.

Super querimonia, quam dominus VVIBALDUS Corbeienſis venerabilis abbas, adverſus dominum PHILIPPUM epiſcopum Oſenbrugenſis eccleſiæ habet, pro quibuſdam decimis eccleſiæ Corbeienſi ab Oſenbrungenſibus injuſte, ſicut aſſerit dominus abbas, ablatis, injunxit nobis paternitas veſtra, quatinus utramque partem in præſentiam noſtram evocaremus, & utriuſque partis auditis allegationibus, cauſis etiam hinc & inde diligenter diſcuſſis, finem debitum tantæ controverſiæ imponeremus. Cujus rei gratia litteris ad utroſque directis locum & diem certum eis præfinivimus, necnon ad cooperandum nobis in diſcuſſionem tanti negotii ſuffraganeos eccleſiæ noſtræ epiſcopos eodem aſcivimus. Venit dies, venimus & nos cum fratribus & coepiſcopis noſtris ad locum præfinitum, dominus etiam abbas cum eccleſia ſua Corbeienſi præſentiam ſuam nobis obedienter exhibuit; ſolus ex omnibus, qui vocati fuerant, dominus Oſenbrugenſis non affuit, duos tamen ex canonicis eccleſiæ ſuæ Thid. & Theth. nuntios pro ſe miſit. Ventum eſt ad cauſam, lecta eſt ibi ſeriatim Corbeienſium querimonia, non de novo, non de nihilo, ſicuti dabatur intelligi, exorta, ſed coram dominis ac patribus noſtris Romanis pontificibus ex antiquo ventilata. Cujus ſerie audita, aſſurrexerunt prædicti nuntii aſſerentes dominum epiſcopum ſuum pro reverentia & mandato veſtro iter quidem poſt nos arripuiſſe, non modicum viæ ſpatium de domo ſua proceſſiſſe, ſed in ipſo, quo veniebat itinere tanta corporis invalitudine prægravatum, ut ne ultra poſſet procedere, eaque neceſſitate ipſum eo, unde venerat, non ſine labore gravi fuiſſe reverſum. Addideruntque eum reddita ſibi ſanitate libenter ad nos alio loco alio tempore venturum. Quorum aſſertionibus, ut pronior adhiberetur fides, litteras dominorum epiſcoporum Hildenesheimenſis & Mindenſis, qui eumdem epiſcopum in domo quiſque ſua collegerat, præ manibus habebant, quarum eadem fuerit continentia, quam nuntiorum ſonuerant verba. Quibus cum necdum ad plenum crederetur, dixerunt ſe velle juramento monſtrare, dominum ſuum non veniſſe, non ideo, quia venire non voluit, ſed quia venire non potuit. Dominus abbas e contra, non leviter, inquit, hoc juramentum præſtabit nobis fidem tantæ imbecillitatis in domino Oſenbrugenſi, quia qui potuit in ſua redire, niſi voluntas defuiſſet, potuit & prodire. Addidit quoque dominos epiſcopos, quorum litteræ ibi lectæ fuerant, de re non ſatis certa minus caute teſtificatos eſſe. Cumque in hunc modum hinc & inde diſceptarent, ante expectatum appellavit in hæc verba.

Ego VVIBALDUS, Dei gratia Corbeienſis abbas, appello dominum papam ADRIANUM, & provoco ad præſentiam ejus dominum PHILIPPUM Oſenbrugenſem epiſcopum, reſponſurum domino papæ & nobis

(b) Bruno, qui Bernardo anno 1153. defuncto ſucceſſit ad 1160.

in octava ſancti Martini epiſcopi, de decimationibus baptiſmalium eccleſiarum in *Nortl*, *VVrederen*, *Meppie*, *Aſchentorp*, *Loninge*, *Visbike*, cum ſuis antiquis terminis, quas decimationes Corbeienſi eccleſiæ injuſte aufert. Etiam Thid. provoco præpoſitum & magiſtrum Thethdum, qui ad gravamen cauſæ noſtræ de re incerta jurare volunt præſcripta die in præſentia domini papæ reſponſuros.

Audita appellatione, nihil ultra in cauſa procedere præſumſimus, ſed veſtro, pater venerande, judicio examinandum relinquimus.

EPIST. CCCCXXIII. FRIDERICI imperatoris ad VVigbaldum abbatem.

Laudatum de fidelitate convocat Noviomagum, & de expeditione in Mediolanenſes.

Anno 1157. FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, VVIBALDO dilecto ſuo Corbeienſi & Stabulenſi abbati, gratiam ſuam & omne bonum.

Quod fama prædicat, operum cenſura declarat, quod perſona tua plurimis ornata virtutibus admirabili conſtantia & fidei puritate præfulget, atque difficilius a fidelitate imperii, quam ſol a ſua claritate diſcedit. Quare de tua honeſtate omnimodis confidentes, graviora imperii negotia tuo dicimus tractanda conſilio, & ſicut es fide ac probitate præcipuus, ſic te in noſtris negotiis primum & aſſiduum eſſe deſideramus. Quod autem jam longo tempore perſonam tuam ad nos venire non juſſimus, cauſa fuit, quod de immenſis Italicæ expeditionis & Græcæ legationis laboribus nuper reverſum diurnæ pauſationis licentia placandum eſſe putavimus. Cauſa etiam fuit, quod nuſquam tuis partibus in tantum approximavimus, ut te ad nos ſine difficultate tua vocare poſſemus. Nunc autem quia ſtatim poſt paſcha verſus inferiores partes iter dirigimus, omnia illius provinciæ negotia ſapientiæ tuæ conſilio tractare volentes, rogamus ut in tertia Dominica poſt paſcha apud Noviomagum nobis occurras. Præterea ſcire te volumus, quod expeditionem, quam apud *VVirsburg*, in Apuleiam indiximus, ex quo Græcorum gentem de Apuleia exterminatam eſſe comperimus, principibus duximus relaxandam, illis ſpecialius neceſſitatibus intendentes, quibus honor imperii magis opprimitur, & quas amplius diſſimulare cum honore noſtro nec poſſumus, nec debemus, Mediolanenſis dumtaxat populi ſuperbiam ac temeritatem, qua eccleſiæ & civitates Lombardiæ, ſicut optime noſti, multifarie deſtructæ ſunt, & quotidie ad contumeliam imperii deſtruuntur. Quorum intentiones, niſi noſtra potentia, celeri virtute præveniat, gravior inde imperio horror emerget. Inde eſt, quod in die palmarum Fuldæ ex conſilio principum expeditionem indiximus Mediolanum a proxima vigilia Pentecoſten futura uſque annum & Ulmæ promovendam. Quam expeditionem prudentiæ tuæ ſub obtentu gratiæ injungimus. Rogamus, ut ſicut noſtrum ſigillum convenienti diſpoſitione de tuo arbitrio ordinaſti, ita etiam dominæ tuæ ſigillum ſine mora ſtudeas informare, & ad nos Aquiſgrani ſculptum afferas & bene politum.

EPISTOLA CCCCXXIV. FRIDERICI imperatoris ad Henricum regem Anglorum.

Commendat ei Gerardum abbatem Solemniacenſem.

Anno 1157. FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator auguſtus, magnus & pacificus a Deo coronatus, dilectiſſimo fratri & intimo ac ſpeciali amico ſuo HENRICO, illuſtri Anglorum regi, Normannorum atque Aquitanorum duci, fraternæ caritatis & amicitiæ indiſſolubilis firmiſſimam connexionem.

Imperialem dignitatem decet ſacro-ſanctis eccleſiis & religioſis monaſteriis in ſuis opportunitatibus manum clementiæ porrigere ſalutarem, ut divino cultui vacare liberius, & pro noſtra & populi ſalute Dei miſericordiam propenſius valeant exorare. Quocirca venientem ad nos a partibus Aquitaniæ virum venerabilem GERALDUM abbatem Solemniacenſis monaſterii, quem nobis attentiſſime commendavit nobis fideliſſimus & cariſſimus VVIBALDUS, abbas ſacrorum monaſteriorum imperii noſtri Stabulaus & Corbeiæ, benigne ſuſcepimus, & honorifice tractavimus, & in ſuis juſtis petitionibus clementer exaudivimus, inter quas illa præcipua fuit, ut quoniam idem Solemniacenſe cœnobium in tuo principatu ſitum eſſe cognoſcitur, pro ſui commendatione & monaſterii ſibi commiſſi protectione imperiales apices ad tuam magnificentiam ei præſtaremus, de noſtra mutua & firmiſſima amicitia, quam fama prædicante cognoverat, maxime confidens, quod rem æquam & honeſtam pro noſtræ interceſſionis gratia benigno & faciliori animo perficias. Eapropter nobilitatem tuam attente monemus, ut ſicut regiam decet clementiam, prædicti abbatis perſonam & præſcriptum monaſterium ſub tua protectione commendatum habeas, & a pravorum hominum infeſtationibus, virtute tibi divinitus collata, defendas. Data Aquiſgrani Palatio, ſecundo nonas Maij indictionis quintæ.

EPISTOLA CCCCXXV. HENRICI ducis Bavariæ & Saxoniæ ad imperatorem Fridericum.

De gratia VVidikindo de Sualemberg *indulta & pœnitentia impoſita.*

Anno 1157. SErenitati veſtræ ſignifico, quod VVidikino de *Sualemberg*, foreſacta ſua remiſimus ſub hac pœnitentia, conſilio & petitione domini Patherburnenſis epiſcopi & fratris ſui Folcuini, necnon aliorum amicorum ſuorum. In placito, quod Corbeiæ in rogationibus habui, omnem Teutonicam terram, quam nobis Rhenus dividit, forjuravit, ad feſtum ſancte Jacobi tranſiturus, nec unquam, niſi mea vocatione reverſurus. Prius autem domino abbati Corbeienſi, necnon viduæ & pupillis THEODERICI comitis, quem occidit, ſecundum conſilium & præceptum meum ſatisfaciet & placabit. Caſtrum meum *Duſenberch* remota omni conditione vel verbo gratiæ recepi, ſicque is, qui prius beneficia ſua benificiali jure a me perdidit, hoc quoque dimiſit.

EPISTOLA CCCCXXVI. VVIBALDI abbatis ad Adrianum papam.

Scribit in gratiam Gerardi canonici de Aiuncurt.

Anno 1157. REverendo in Chriſto patri ſuo & domino ADRIANO uni & univerſali papæ, frater VVIBALDUS Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica filialem in Chriſto dilectionem & promtum per omnia devotionis obſequium.

Cum eſſemus in ſynodo domini Leodienſis epiſcopi, Gerardus quidam Scolaris conqueſtus eſt, quod quidam Giſlebertus de [a] *Aiuncurt (a)* præbendam ſibi auferret, quam ei dederat ſub multorum teſtimonio dominus VVALTERUS abbas monaſterii ſancti Laurentii, qui nunc eidem monaſterio regulariter præeſt, præbendam videlicet vacantem, quæ fuit nuper defuncti quondam Rumberti clerici, & quod a prædicto abbate per litteras & idoneos nuntios juſſus fuiſſet prænominatæ præbendæ ſtipendia capere, ſed prohibitus eſſet a prædicto Giſleberto per violentiam, intentatis etiam mortis minis. Ad hæc vero Giſlebertus reſpondit, quod eadem præbenda ſibi jure pertineret, pro eo quod anteceſſor præſcripti abbatis VVALTERI dediſſet ei præbendam, quæ prima in eadem eccleſia vacaret. Auditis itaque partis utriuſque allegationibus, dominus epiſcopus ſecundum conſuetudinem ejuſdem eccleſiæ, ſententiam judicii archidiaconos ſuos & totum clerum interrogavit, qui omnes una & conſona voce protulerunt Gerardi ex jure eſſe præbendam, quam per deceſſum recentem Rumberti clerici recenter eam canonice acceperat, potius quam Giſleberti, qui pollicitationem in mortis alicujus captatione aucupaverat. Quæ ſententia ab uno archidiaconorum promulgata, ab univerſis qui in ſynodo erant approbata eſt, & cum epiſcopus omnium auctoritate fretus ſupradictum Gerardum ſcolarem juſſiſſet præbendæ ſuæ integre reſtitui, adverſarius ejus Giſlebertus non a ſententia, ſed ab executione, veſtræ celſitudinis nomen appellavit. Et quoniam veſtræ auctoritatis eſt de qualitate appellationum judicare, veſtram beatitudinem attenta devotione exoramus, ut appellationis remedium, quod non tantum a ſanctiſſimis patribus noſtris venerabilibus ſacro-ſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ pontificibus, ad relevandas oppreſſorum cauſas inſpiratione divina inſtitutum eſt, ſed etiam a prudentiſſimis regni ſæcularis imperatoribus mirabili providentia eſt ordinatum, tanta diſcretione moderare digneminī, ut propter frivolas & ſuperfluas appellantium licentias innocentibus non vertatur in perniciem, quod oppreſſis proviſum eſt in ſalutem. Hoc etiam veſtra ſublimitas malum radicitus amputare non differat, ne in epiſcopatu Leodienſi, qui ſemper ab hoc vitio alienus fuit, aliquis ambitioſus mortem alicujus vel emat, vel captet, vel deſideret ſeu machinetur, ſed tunc dentur eccleſiaſtica beneficia, cum, decedente perſona poſſidente, rite vacaverint.

(a) Hæc de *Aiuncurte* collegiata eccleſia, a Beringero S. Laurentii abbate fundata, ante trecentos annos, Lovanium tranſlata eſt in eccleſiam S. Jacobi.

EPISTOLA CCCCXXVII. ADRIANI papæ IV. ad Wibaldum abbatem.

Camaldulenſes Betardingorum & S. Petri de Rota ei commendat.

ADRIANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Stabulenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1157.

Licet omnium eccleſiarum nobis cura & ſollicitudo immineat, licet eas debeamus univerſaliter defendere, religioſa tamen loca nos convenit attentius confovere, & gratiora eis exhibere obſequia, qui propria relinquentes, in domo Domini elegerunt abjecti & deſpicabiles remanere, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. In epiſcopatu ſiquidem Aretino quædam monaſteria eſſe noſcuntur, Betardingorum videlicet & ſancti Petri de Rota, in quibus religioſi viri fratres Camaldulenſes aſſidue ſtudent Domino deſervire, qui, licet ſint rebus temporalibus pauperes, theſauro ta-

men indeficienti locupletes esse creduntur. A Pro ipsis itaque dilectionem tuæ fraternitatis attentius exoramus, apostolicis litteris tuæ discretioni mandantes, quatinus pro amore Dei, pro beati Petri & nostra reverentia, ita industria tua apud carissimum filium nostrum FREDERICUM illustrem atque catholicum Romanorum regem efficiat, ut prædicti fratres rerum suarum ab his, qui sunt in exercitu, non possint sustinere jacturam, sed potius cum apud christianissimum principem de aliquo querelam protulerint, plenariam valeant ab ipso justitiam obtinere. Data Romæ apud sanctum B Petrum XIV. Kal. Aprilis.

EPISTOLA CCCCXXVIII. ADRIANI papæ IV. ad Colonienſem archiepiſcopum, Conſtantienſem epiſcopum, & abbatem Stabulenſem.

Commendat eis monasterium S. Antimi.

Anno 1157. ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Co- C lonien. archiepiscopo & Constantiensi episcopo, & dilecto filio abbati de Stabulaus, salutem & apostolicam benedictionem.

Tam rationis quam æquitatis ordo expostulat, & susceptæ administrationis officium vos invitat, ut piis ac religiosis locis vestræ defensionis auxilium debeatis impendere, & ea in sua justitia modis omnibus confovere. Inde est, quod prudentiæ vestræ per apostolica scripta mandamus, ut monasterium sancti Antimi, pro beati Petri ac nostra reverentia in justitia sua manutenere cureris, & secundum quod in privilegiis Romanorum D imperatorum eidem monasterio indultis dinoscitur contineri, ad conservandam libertatem ipsius, prout expedire videritis, laboretis, quatinus dignas vobis gratiarum actiones persolvere & vestræ devotionis studium debeamus in hac parte non immeriti commendare. Data Sutrii V. Kal. Junii.

EPISTOLA CCCCXXIX. ADRIANI papæ IV. ad abbatem Corbeienſem.

Commendat ei apud imperatorem res ecclesiæ Romanæ & suos legatos cum ipso tractaturos. E

Anno 1157. ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Corbeiensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Devotionem ac reverentiam, quam sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matri tuæ hactenus impendisti, & nos ipsi cognoscimus, & fratres nostri, qui plenius norunt, nobis plenius retulerunt. Conveniens equidem est & consentaneum rationi, ut eidem ecclesiæ, quæ tam pro tua quam pro cunctorum salute fidelium laborat, assidue te devotum & subjectum debeas exhibere, & de ejus semper honore atque utilitate, sicut hucusque feciſſe dinoscaris, sollicite cogitare. Superest autem, ut bonum inceptum atque propositum ita laudabiliter exequaris, ut nos & fratres nostri, qui bonum de te perhibent testimonium, fidelitatem & devotionem tuam ipso rei effectu possimus evidenter agnoscere. Et ideo dilectioni tuæ per apostolica scripta mandamus & exhortamur in Domino, quatinus Romanam ecclesiam, cui omnem obedientiam debes & subjectionem impendere, omni conanime studeas honorare, & ad ejus utilitatem atque servitium te non dubites promtissimum exhibere. Inventa itaque hac temporum opportunitate, apud dilectum filium nostrum FREDERICUM illustrem Romanorum regem, ita C eidem ecclesiæ sollicitus sis assistere, & ita eam sibi assidue commendare, atque cum ipso de ejus utilitate & incremento tractare, ut eadem mater tua te specialem & devotissimum filium ipso rei effectu patenter agnoscat, & tu apostolicæ sedis auxilium, quatenus tibi fuerit opportunum, cum majori fiducia debeas implorare. Ad hæc venerabilem fratrem nostrum C. (*a*) Portuen- [*a*] sem episcopum & dilectos filios nostros B. [*b*] (*b*) titulo sancti Clementis, & O. (*c*) titu- [*c*] lo sanctæ Ceciliæ presbyteros cardinales, qui apud memoratum FREDERICUM illustrem Romanorum regem ex mandato nostro legatione funguntur, de honore & exaltatione Romanæ ecclesiæ & de salute regni cum eo, auctore Domino, tractaturi, discretioni tuæ attentius commendamus, rogantes ut eos tamquam nosmetipsos honeste recipere, ac modis omnibus studeas honorare, & in suis opportunitatibus eis honorifice providere. Si enim matrem tuam ipsam Romanam ecclesiam recognoveris, & ei studueris debitum servitium & honorem impendere, ipsa quoque te suum specialem filium recognoscet, te curabit in tuis postulationibus celerius & facilius exaudire. Data Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Junii.

(*a*) Cencium, qui primum ab Eugenio III. presbyter cardinalis S. Laurentii in Lucina, deinde episcopus Portuensis ab Anastasio IV. creatus est.

(*b*) Bernardum ex canonico regulari Lucensi & priore Lateranensis monasterii, ab Eugenio III. purpura donatum, & ab eodem & ab Adriano multis legationibus deputatum ad Fridericum imperatorem.

(*c*) Octavianum primo diaconum cardinalem, ab Innocentio III. deinde ab Eugenio presbyterum cardinalem S. Ceciliæ creatum.

EPISTOLA CCCCXXX. ADRIANI papæ IV. ad Wibaldum abbatem.

Suos ad imperatorem legatos ei commendat.

Anno 1157. ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stabulensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Experta jam in multis erga sacro-sanctam Romanam ecclesiam dilectionis tuæ sinceritas nullum dubitationis locum in animo nostro relinquit, quin de his quæ ad ejus honorem pertinent, vigilans & studiosus existas. Sane nos dilectos filios nostros G. titulo sanctæ Potentianæ, J. titulo sanctorum Johannis & Pauli presbyteros, & G. sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinales prudentes, honestos, ac litteratos viros, & quos caros circa nos satis habemus, ad præsentiam carissimi filii nostri FREDERICI illustrissimi Romanorum regis pro imminentibus negotiis decrevimus transmittendos. Quocirca dilectionem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatinus eis apud eumdem filium nostrum, sicut nobis ipsis diligenter assistas, & sollicitudinem omnem adhibeas, ut ipsi ad honorem sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ injuncta valeant negotia explicare. Data Sutrii Kal. Junii.

EPISTOLA CCCCXXXI. ADRIANI papæ IV. ad archiepiscopum... Bavembergensem episcopum & Wibaldum abbatem.

Abbatem & conventum Farfensem apud imperatorem eis commendat.

Anno 1157. ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus archiepiscopo... & Bavembergensi episcopo, & dilecto filio VVIBALDO Corbeiensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Quia Farfense monasterium ad ordinationem & dispositionem sedis apostolicæ specialiter spectat, carissimum filium nostrum FREDERICUM illustrem Romanorum regem duximus exorandum, quatinus dilectum filium nostrum R. abbatem ipsius monasterii, & monasterium ipsum pro beati Petri & nostra reverentia diligat, & litteras benevolentiæ suæ ipsi transmittat, in quibus gratiam & bonam voluntatem suam eidem abbati ostendat. Pro aliis etiam eidem gloriosissimo filio nostro in eisdem litteris preces porreximus, quæ si fuerint effectui mancipata, noscuntur ad utilitatem & reparationem ipsius monasterii procul dubio pertinere. Per præsentia itaque vobis scripta mandamus, quatinus animum regis ad hoc inducatis, ut preces nostræ, quas super hoc ei A porreximus, per studium vestrum celeriter, auctore Domino, compleantur, & ita verbo & opere jam dicto monasterio salubriter auxilii sui solatia subministret, ut nostras preces prædictus abbas & fratres ejus sibi sentiant profuisse, & benivolum & efficacem defensorem se habere cognoscant. Data Sutrii Kal. Junii.

EPIST. CCCCXXXII. FRIDERICI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

De legatis Polonorum.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus, dilecto suo VVIBALDO Corbeiensi & Stabulensi abbati, gratiam suam & omne bonum. Anno 1157.

Dignas grates agimus dilectioni tuæ, quod post curiam Bavembergensem ita vicinus & paratus nobis affuisti, ut forte a majestate nostra vocatus sine cunctatione vel dilatione ad omnes jussiones nostras explendas devotus occurreres. Scire itaque tuam prudentiam volumus, quod magni legati C Polonorum in Halla ad nos venerunt, sed nullum tale verbum, unde remanendi nobis daretur occasio, ad nos detulerunt, a quibusdam suis fautoribus in hanc spem inducti, quod nullo modo instantem expeditionem peragere possemus. Inde nos in misericordia Dei, in cujus manu cor regis, omnem fiduciam nostram ponentes, ij. nonas Augusti movimus expeditionem, rogantes quam intime dilectionem tuam, ut apud divinam pietatem prosperos successus & felicem reditum indefessis precibus nobis obtineas. Si vero Græci interim venerint, ordinavimus eos in VVormatia reditum no- D strum præstolari. Illuc quoque post reditum nostrum per litteras nostras evocatus indubitanter accedas, quia te inconsulto nihil cum Græcis tractare proposuimus.

EPIST. CCCCXXXIII. R. MONACHI ad Wibaldum abbatem.

Gratias agit quod ipsius obtentu ab episcopo Metensi honorifice sit susceptus.

DOmino & patri suo reverendo Stabu- Anno 1157.
lensi & Corbeiensi abbati VVIBALDO, E frater R. Dei gratia modicus, exiguas orationes & devotum obsequium.

Gratia benignitatis vestræ me Mettim eunti comitata est, & mecum fuit, & elaboravit, ut fierem acceptus coram domino meo episcopo hoc tempore. Honorifice enim & familiariter ab eo & a suis susceptus, habitus, & dimissus sum, ut patenter cognoscerem secundum vulgare verbum, mentum meum in natando manu vestra sustentari.

Prudentiæ igitur vestræ in his & similibus plurimum innitens, gratias refero summo provisori, obnixius deprecans, ut vos nobis & nostris salvum & incolumem sine fine custodiat, & quod non possum, ipse retribuat.

EPIST. CCCCXXXIV. FRIDERICI imperatoris ad VVibaldum abbatem.

De victoria reportata in Polonos.

Anno 1157. FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus, dilecto suo VVIBALDO Corbeiensi & Stabulensi abbati, gratiam suam & omne bonum.

[a] Quantam in expeditione Polonica, (a) quam nuper glorioſe peregimus, divina pietas gratiam nobis contulerit, quantave gloria & honore Romanum imperium exaltaverit, Poloni sub jugo dominationis nostræ reducti protestantur, & nos, quo plenius possumus, dilectioni tuæ duximus significandum. Polonia quamvis arte & natura admodum munita esset, ut antecessores nostri reges & imperatores vix magna difficultate ad fluvium Oderam perveniſſent, nos tamen in virtute Dei, qui visibiliter nos præcessit, clausas illorum, quas in angustis locis præcisa arborum densitate fecerant, & magna ingenii mole obstruxerant, penetravimus, & in octava assumtionis sanctæ Mariæ fluvium Oderam, qui totam terram illam quasi muro vallat, & profunditate sua omnes excludit, contra spem Polonorum cum omni exercitu nostro transivimus. Tanta enim erat omnibus transeundi aviditas, ut alii profundis gurgitibus se immergerent, alii vero transnatarent. Quo visc Poloni vehementer exterriti, & jam nihil præter exitium & destructionem terræ sperantes, munitiſſima castra *Glogovva* & Bitum & alia plura, quæ prius ab hoste capta non fuerant, timore nostro incenderunt, & ipsi, quamvis auxilio vicinarum gentium, Ruthenorum, Parthorum, Pruscorum, Pomeranorum maximum exercitum collegiſſent, a facie nostra fugerunt. Hos vero fugientes insecuti sumus, & per episcopatum *Frodezlau* & episcopatum *Posnan* transcurrentes totam fere terram igne & gladio vastavimus. Dux itaque Poloniæ cum terram totam & populum a facie manus nostræ periclitari videret, principes nostros tum per nuntios suos, tum in persona propria aggrediens, multis precibus, multis lacrymis vix tandem impetravit, ut sub juga dominationis nostræ redire, & gratiam nostram recuperare mereretur. In prædicto itaque episcopatu *Posnan*, in territorio *Krisgovve*, præfatus dux BOLISLAUS pedibus majestatis nostræ provolutus, interventu principum hoc ordine in gratiam nostram est receptus. Primo juravit pro se & pro omnibus Polonis, quod frater suus exul ad ignominiam Romani imperii non fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo millia marcarum nobis, & principibus mille, & uxori viginti marcas auri, & curiæ nostræ ducentas marcas argenti pro ea negligentia, quod ad curiam nostram non venerat, nec de terra debitam nobis fecerat fidelitatem. Juravit quoque expeditionem Italicam. Deinde juravit, quod ad curiam nostram *Magdeburg* in natali Domini celebrandam venire debeat, super querimonia fratris sui expulsi plenarie responsurus. Sicque jurata nobis fidelitate, & de supradictis omnibus fideliter explendis acceptis obsidibus CAZIMIRO, fratre ducis & aliis nobilibus, glorioſe, Deo duce, revertimur. Ceterum quia in legatione Græcorum prudentiam tuam nobis adesse desideramus, mandando rogamus dilectionem tuam, quatinus in vigilia sancti Michaelis *VVirzeburch* nobis occurrere festines.

(a) Hanc in Polonos expeditionem ad annum 1157. configit Radevvicus cap. 1. quem vide si libet.

EPISTOLA CCCCXXXV. HENRICI ducis Bavariæ & Saxoniæ ad VVibaldum abbatem.

Lætatur de ejus prosperis, promittitque curam se habiturum de curte Papenheim, *& VVidikinum debita ei soluturum.*

WIBALDO venerabili sanctæ Corbeiensis ecclesiæ abbati, dilectissimo domino suo, HENRICUS Dei gratia Bavariæ & Saxoniæ dux, devotum obsequium cum omni sincera dilectione. Anno 1158.

Quod omnia, quæ ad honoris vestri augmentationem spectant æquo ordine procedant, toto corde diligimus & optamus. De cetero de curte vestra *Papenheim*, sicut nobis insinuastis, libentissime providebimus, & hanc curam castellanis nostris *Dasenberg* diligenter injungemus. Quod autem dominus VVidikinus coram nobis promisit & non persolvit, post reditum nostrum ab expeditione, & si non gratis, tamen in beneplacito vestro & nostro persolvet.

EPIST. CCCCXXXVI. FRIDERICI imperatoris ad H. de *Limburg*.

VVibaldum abbatem honoret, nec quicquam attentet adversus res Stabulensis monasterii.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus, H. de *Limburg*, gratiam suam & omne bonum. Anno 1158.

Æquum est, & valde imperialem magnificentiam decet, ut personæ, quæ imperio nostro

noſtro promtiori devotione obſequuntur, & a nobis arctius diligantur, & ab omnibus, qui imperii noſtri honorem diligunt, cum debita reverentia conſerventur. Proinde induſtriam tuam attente rogando monemus, ut fidelem noſtrum VVIBALDUM Stabulenſem abbatem, qui multum & diu in ſervitio noſtro & imperii utilitatibus jam laboravit, honorare & diligere ſtudeas, & eccleſiam Stabulenſem, cui præeſt, tueri & conſervare non ceſſes. Interdicimus etiam tibi, atque ſub obtentu gratiæ noſtræ præcipimus, ne poſſeſſionibus eidem eccleſiæ collatis a tuis anteceſſoribus aliquam violentiam inferas, neque eam aliquo modo vexare attentes, ſciens proculdubio, quod eadem eccleſia cum ſuis omnibus ſub tutela & defenſione imperii noſtri conſtituta eſt, unde & quicumque eam læſerit, nos offendet.

EPIST. CCCCXXXVII. ADRIANI papæ IV. ad Bernardum Patherbornenſem epiſcopum & Gi. Lieſbornenſem abbatem.

Quamdam cauſam ei committis terminandam.

Anno 1158. ADRIANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri B. Patherburnenſi epiſcopo & dilecto filio Gi. (*a*) [a] Lieſbornenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Latoris præſentium ad ſedis apoſtolicæ clementiam venientis conqueſtionem accepimus, quod quadam eccleſia, quam canonice poſſidebat, a quodam ſit preſbytero contra juſtitiam ſpoliatus. Ne igitur pro defectu juſtitiæ pauper iſte cogatur ſuſtinere jacturam, per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatenus utramque partem veſtro faciatis conſpectui præſentari, & rationibus partium diligenter auditis & cognitis, cauſam ipſam mediante juſtitia canonica terminetis. Data Romæ apud ſanctum Petrum iij. non. Januarii.

EPISTOLA CCCCXXXVIII. A. Moguntini archiepiſcopi ad VVibaldum abbatem.

Conqueritur de comite Palatino Rheni, deprecaturque imperatoris adverſus eum auxilium.

Anno 1158. A (*b*) [b] Dei gratia Maguntinæ ſedis humilis miniſter, VVIBALDO reverendo Corbeienſis eccleſiæ abbati, ſalutem & intimam dilectionem.

Nonnullas gratiarum actiones veſtræ referimus benignitati, quod tam fraterne, tam affectuoſe litteris veſtris nos viſitare curaſtis, & de ſtatu domini regis & veſtro per gratiam Dei proſpero nos certificando, vulnus ſollicitudinis de corde noſtro amputare. Bonam igitur in vobis tamquam in fratre & amico fiduciam habentes, conquerendo notificamus, quod Palatinus comes de Rheno, teſte Deo, nullam in nos cauſam habens, contra fidem & ſacramentum, quo nobis erat aſtrictus, ex inſperato, ex improviſo eccleſiæ Maguntinæ & nobis cum nonnullis iniquitatis ſuæ complicibus, violentiæ manus injecit, caſtra noſtra deſtruxit, homines noſtros captivavit, curtes noſtras non ſolum rapinis devaſtavit, verum etiam ſuæ ditioni ſubjecit, ſacra cimeteria & eccleſias ſpoliavit, ipſa altaria & venerabiles reliquias ornamentis ſuis denudavit, in monachorum irruens cœnobia, eorumque perfringens æraria, ſacrilegam exercere rapinam non formidavit. Hujus quoque iniquitatis auctores aſſerunt, & ubique divulgant, ſe ex mandato domini regis eccleſiis Dei & nobis hanc injuriam irrogare, quod utique eos tamquam filios mendacii ſcimus falſo conjectaſſe. Fraternitatem igitur veſtram ſemper in bonis nobis expertam, quam intime depoſcimus, ut his preſſuris noſtris & tribulationibus condolendo, domino regi ſuggeratis, ut eccleſiæ ſuæ & nobis debito auxilio dignetur ſubvenire, & litteris ſuis ad partes noſtras directis, falſos illos delatores ſuper imprudentia mendacii, quo majeſtatis ſuæ fidem ſinceriſſimam inſimulare & incruſtare præſumebant, velit arguere & confutare.

EPIST. CCCCXXXIX. ADRIANI papæ IV. ad VVibaldum abbatem.

Ut imperatori ſuggerat, ut in veneratione ſedis apoſtolicæ permaneat.

Anno 1158. ADRIANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio VVIBALDO Stabulenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Devotionem tuam, quam, dum præſens eſſes, diſcretio tua nobis exhibuit, attendentes, nihil aliud de perſona tua, quam quod probo viro & devoto filio conveniat, arbitramur. Inde ſiquidem eſt, quod, licet plurimi aſtruere moliantur, quod multa in Græcia, præter eam quam de te habemus, opinionem, contra nos & matrem tuam ſacro-ſanctam Romanam eccleſiam fueris machinatus, nos tamen huic aſſertioni fidem

(*a*) Lieſbornenſe antiquum eſt ordinis S. Benedicti in diœceſi Monaſterienſi cœnobium, a Carolo magno in gratiam ſororis ſuæ, ut aiunt, Roſvvindis fundatum, ſæculo XII. ad monachos tranſiit, floretque hactenus ſub congregatione Bursfeldenſi.

(*b*) Arnoldus de *Salenhofen*, qui ex cancellario factus archiepiſcopus, anno 1160. a civibus dicitur occiſus.

nolumus adhibere, quoniam ea devotio, A quam coram positus nobis exhibuisti, talia credere nos non permittit. Ceterum quia, ut ait quidam sapiens, vita judicat de priori, ex futuris attendimus, quid de prædictis credere debeamus. Quoniam igitur circa carissimum filium nostrum FREDERICUM Romanorum imperatorem quidam esse dicuntur, qui ad hoc modis omnibus elaborant, ut in animo ejus sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ devotionem extinguant, dilectioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus juxta prudentiam tuam pravis suggestionibus illorum obsistas, & prædictum imperatorem in veneratione apostolicæ sedis, sicut debet, moneas permanere, ita ut a bono & recto sensu nullius penitus suggestionibus moveatur. Ex hoc enim nosse poterimus, quid de animi tui devotione sine dubitatione aliqua tenere possimus. Data Lat. XIV. Kal. Februarii.

EPISTOLA CCCCXL. FRIDERICI imperatoris ad Fridericum episcopum Monasterienſem.

Causam inter Morinum ministerialem Corbeiensem & Folkerum hominem ipsius ei terminandam committit.

Anno 1158. FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator augustus, F. Monasterienſi episcopo gratiam suam & omne bonum.

Accepimus querelam dilecti & fidelis nostri abbatis Corbeiensis ac ministerialium ipsius pro quodam viro nomine Mauriño, quem captivum tenet homo quidam liber nomine Folkerus de terra tua, quem Corbeienses asserunt ministerialem esse ecclesiæ suæ. Quia ergo imperii nostri dignitatem in eo maxime exaltamus, si judicium & justitiam confugientibus ad nos faciamus, attente industriæ tuæ injungimus, quatinus acceptis his litteris nostris, diem utrique parti præfigas, & auditis utriusque partis allegationibus, & disquisita diligenter veritate, si Corbeienses per consanguineos illis probare potuerint, quia sit minister ministerialis ecclesiæ Corbeiensis, liberum eum restituas, sin autem hoc probare non valuerint, prænominato viro eum remittas.

EPISTOLA CCCCXLI. FRIDERICI imperatoris ad capitulum Osnaburgense.

Ut de controversia quæ ipsos inter & Corbeienses versabatur de decimis, amice componant.

Anno 1158. FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator augustus, præposito & decano, & universo clero Osnebruggensis ecclesiæ, gratiam suam & omne bonum.

Memor supplicationis vestræ, quæ unanimiter in conspectu nostro, cum essemus apud vos, profudistis, ut querelam dilecti & familiaris nostri VVIBALDI Corbeiensis abbatis ac fratrum ipsius, quam habent pro decimis in episcopatu Osnebruggensi, sedare & componere tentaremus in curia quam apud *Bavemberch* in octava sancti Johannis Baptistæ celebravimus, cum eodem fideli nostro de hoc verbo tractavimus. Sed manifestius & plenius intellecta ab eo tota causa, quia videlicet Corbeiensis ecclesia easdem decimas a primordio constructionis ipsius monasterii collatas sibi a fundatore suo imperatore suo LUTHOVVICO, & ab omnibus successoribus illius imperatoribus & regibus privilegiis confirmatas, legitime possedit, usque ad tempora abavi nostri HEINRICI quarti imperatoris, qui in discordia illa, quæ fuit inter eum & papam Romanum, ipsas decimas pro quadam indignatione cuidam Osnebruggensi episcopo concessit. Audita, inquam, tota serie hujus causæ, memoratum fidelem nostrum abbatem a querela sua, licet justa, hoc tempore cessare, & ab appellatione, qua episcopum vestrum & præpositum Theodericum atque magistrum Thethardum in præsentiam apostolicæ sedis vocavit, pro nostra dilectione desistere monuimus, idque ab eo multum reluctante ægre tandem obtinuimus. Hanc ergo querelæ dilationem nolumus, ut in augmentum elationis vobis assumatis, sed hoc vobis ante monendo præcipimus, ut cum prædicto abbate & Corbeiensi ecclesia iterum componere de eadem querela studeatis. Nos enim, cum tempus acceperimus, si prius composita non fuerit, eamdem querimoniam per nos ipsos discutiemus, & tam pro ecclesia Corbeiensi, quæ ad jus imperii nostri spectat, quam pro persona, quæ ibi præest, quæ diu & multum imperio servivit, sive judiciario ordine, sive alia convenienti compositione, eamdem causam terminabimus.

APPENDIX
AD
VVIBALDI ABBATIS
STABULENSIS ET CORBEIENSIS
EPISTOLAS.

NE quid in nobis, ad illustrandam eximii viri VVibaldi abbatis Stabulensis atque Corbeiensis memoriam, desiderent viri eruditi, ipsius epistolis visum est subjicere per modum appendicis nonnulla monumenta sive diplomata, quæ cum aut ipse obtinuerit, aut de ipso agant, ad illius commendationem non parum conferre poterunt. Ea autem sive ex manuscriptis insignis monasterii Corbeiensis, sive aliunde a nobis collecta sunt, quibus adjungi possent duo non contemnenda diplomata, unum Conradi imperatoris, alterum Stephani episcopi Metensis, quæ ipse pro Walciodorensi cœnobio obtinuit, nisi jam a nobis tomo I. fuissent edita.

---

[a] PRÆCEPTUM (a) CUNRADI Romanorum regis secundi a VVibaldo Stabulensi abbate impetrarum pro monasterio Reinchusano.

Anno 1144. IN nomine.... CUNRADUS divina clementia Romanorum rex secundus.... Notum esse volumus, reverende abbas REINHARDE Reinchusensis cœnobii, quod nos ob interventum & petitionem carissimi ac fidelissimi nostri VVIBALDI venerabilis abbatis Stabulensis, cujus tu eruditor & magister fuisti, regiæ majestatis privilegio confirmamus libertatem & immunitatem prædicto loco tuo.... & omnibus possessionibus, quæ tam a comite CUNRADO, quam a fratre ipsius UDONE Hildenesheimensi quondam episcopo, qui ejusdem venerabilis cœnobii primi constructores fuere, necnon ab inclytæ recordationis HERIMANNO, patriæ comite, vel etiam ab EILIKA abbatissa, BEATRICE quoque cometissa, seu ab aliis Christi fidelibus... collatæ sunt. Decernimus itaque, ut prænominatus venerabili locus, Reinchusc cum omnibus sibi appendentibus ac omni functione publica & vectigalibus regni liber sit & absolutus.... Dedimus etiam tibi potestatem mercatum in eodem loco habendi, publicas nundinas instituendi, percussuram monetæ ordinandi, theloneum sumendi, hoc scilicet rationis tenore, ut, quicquid ex prædictis rebus utilitatis vel compositionis accreverit, in usus fratrum Deo servientium, & pauperum & peregrinorum omnimodis cedat. Et ut hæc rata omni tempore permaneant, præsentis præcepti paginam sigilli nostri impressione communiri jussimus, testesque qui affuerunt, subter notari fecimus, quorum nomina hæc sunt.

HENRICUS Moguntinus archiepiscopus.
BUCO Wormatiensis episcopus.
VVIGERUS Brandeburgensis episcopus.
VVIBALDUS Stabulensis abbas.
HEINRICUS Hersfeldensis abbas.
CUNRADUS Helmvvardishusensis abbas.
ADELBERTUS Marchio de *Brandeburg*.
Comes HERIMANNUS de *VVinzenburg* & frater ejus HENRICUS.
LUDOVICUS Landgravius de *Tyring*.

Anno Dominicæ incarnationis MCXLIV. indict. VII. regnante domno CUNRADO, Romanorum rege secundo, anno vero regni ejus septimo. Data apud Hersfeldam XVII. Kal. Novembris in Christo feliciter. Amen.

Signum Domini COUNRADI secundi Romanorum regis invictissimi.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice HENRICI Moguntini archiepiscopi & archicancellarii recognovi.

Infra pendet sigillum Conradi in solio regali sedentis cum hac inscriptione, CONRADUS ROMANORUM REX II.

(a) Hujus instrumenti mentionem fecit REINHARDUS in opusculo de fundatione sui monasterii Reinchusensis a Libnitio edito tom. I. Scriptorum rerum Brunsvic. p. 703. *Dominus* CONRADUS *Romanorum rex secundus*, inquit, *monetæ percussuram, telonii usum, nundinarum institutionem, immunitatem monasterio meo contulit. Verumtamen in his plus detrimenti quam emolumenti accepi.* Hæc ille, e quibus conjicimus opusculum illud scriptum fuisse post annum 1144. Si scriptum supponatur anno 1146. vel sequenti, creatus fuit abbas Reinchusensis anno 1126. vel 1127. scripsit quippe regiminis sui anno vigesimo, uti ipse ibidem insinuat his verbis. *Hildenesheimenses etiam fratres mei amicissimi donationem, quam Elika abbatissa contulit, revocare volentes, mihi decrepito & pauperi, ut aiunt, parcunt. Quod ego cum omni gratiarum actione libentissime suscipio, & obsequio meo illi merari studeo. Sed frustra nunc primum id nituntur, quia Reinchusenses ecclesia hoc ante meum introitum viginti annis, & totidem ex tunc sine interruptione, justo titulo, & bona fide, quiete possedit.* At vero cum ipse esset decrepitus anno 1146. ætatis certe jam erat provectæ anno 1126. idque ipse confirmat eodem in opusculo. *Quia vero a primo tempore meæ vocationis*, inquit, *senio & auxilio sum destitutus.* Potuit itaque sub initium hujus sæculi e monasterio *Helmvvardishusen*, ubi religionem professus fuerat, si fides sit Hofmanno, accersiri, ut scholas Stabulensium regeret, uti alibi diximus. Vide supra epistol. ipsius Reinhardi pag. 197.

DIPLOMA CONRADI Romanorum regis pro monasterio Corbeiensi.

Monasteria Keminada & VVisbeka Corbeiæ asserit.

Anno 1147. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CONRADUS divina favente clementia Romanorum rex secundus.

Principalis dignitatis munificentiam decet bene de republica merentibus præmia rependere, & per congruos honorum gradus provectos ceteris in exemplum, & tamquam bonæ spei signum proponere. Ut tam hi sui laboris emolumenta sine fine mansura percipiant, quam illi a simili mercedis gratia sese non fraudandos intelligant. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum tam futuri quam præsentis temporis industria, quod nos propitia serenitate fidem, labores & constantiam fidelissimi nostri nobisque carissimi VVIBALDI Corbeiensis abbatis intuentes, tradidimus in perpetuum Corbeiensi monasterio, & eidem qui nunc divina vocatione & communi atque concordi fratrum electione præest, abbati scilicet VVIBALDO, necnon cunctis successoribus ipsius, auctoritate in æternum valitura, duo feminarum monasteria *Keminade* videlicet, & *Visbeke*, & de nostro atque regni jure, per manum HERIMANNI palatini comitis de Rheno, quem ad hoc rite peragendum assumseramus advocatum, transegimus & firmavimus super reliquias corporis S. Viti martyris, per aureum donationis nostræ anulum, in potestatem ejus atque dominationem Corbeiensis monasterii in manum præ dicti abbatis WIBALDI & ADELBERTI Marchionis de *Brandeburch*, qui vice HERIMANNI comitis de *VVinzenburch*, Corbeiensis monasterii advocati, eamdem donationem nostram seu transactionem suscipiebat, ita videlicet, ut Corbeiense monasterium duo prænominata monasteria *Keminade* scilicet & *Visbike* cum omnibus prædiis, silvis & aquis, tam foris quam intus, ad ipsa loca pertinentibus habeat, possideat, ordinet, utatur & servet, sicut tenet sub suo regimine, jure videlicet proprietario tres abbatiolas, quas fundator ejusdem novæ Corbeiæ LUTHEVVICUS Pius magni KAROLI filius ad eamdem Corbeiam contulit, scilicet [a] (a) *Eresburch*, nobile quondam Saxonum castrum, Meppiam & *Visbike*, sane ad præfata duo loca neque militia neque ullum servitium nobis aut regno debebatur. Et quoniam Corbeiensi monasterio tam in militia quam in servitio ad honorem regni & defensionem sanctæ ecclesiæ dignitas collata est, nos judicio principum ad coronæ nostræ augmentum, sicut præscriptum est, manere decernimus.

Primam judicii sententiam dedit BURCHARDUS Argentinensis episcopus, quam secutus est ALBERO Trevirensis archiepiscopus, ANSHELMUS Havelbergensis episcopus, HEINRICUS Leodiensis episcopus, SIFRIDUS VVirzebergensis electus, FRITHERICUS dux Sueviæ & Alsatiæ, HERIMANNUS Palatinus comes de Rheno, CUNRADUS dux de Ceringa, CUNRADUS marchio de *VVitin*, ADALBERTUS marchio de *Brandenburch*, OTTHO filius ipsius æque marchio, HERIMANNUS filius ejusdem ADELBERTI marchionis, LUTHEVVICUS comes patriæ de Thuringia, HERIMANNUS marchio de Bada, VVERNERUS comes de *Bathen*, UTHELRICUS comes de *Lenzenburch*, UTHELRICUS comes de Orninga, HEINRICUS comes de *Cazzenelenboge*, MARQUARDUS, SIBODO, THEODERICUS comes de *Montbeliart*, & alii plures, qui tunc affuere.

HOC quoque notum esse volumus, quod venerabilis pater noster EUGENIUS sanctæ Romanæ ecclesiæ summus pontifex frequenti nos admonitione tam per suos quam per nostros legatos hortatus est, ut monasteria feminarum, quæ nostræ ditioni, & ordinationi in regno nostro specialiter pertinent, in quibus divina religio penitus dilapsa est, regulare & reformare dignaremur. Et quoniam sæpe nominata monasteria *Keminada* & *VVisbike* non tam monasteria, sed omnibus prætereuntibus viam in peccatis communia, corrigi post multos labores non potuerunt, & Corbeiensi monasterio vicina sunt, tam ad correctionem quam in proprietatem inibi contradidimus, nullo reclamante, nisi sanctæ regulæ inimicus, & pudicitiæ hostis fuerit inventus. Auctoritate vero nostra regia, præfatis duabus cellis *Keminade* & *VVisbike* damus, ac decreto in perpetuum valituro confirmamus eamdem libertatem, quam habet Corbeiense monasterium, scilicet præfecturam urbis, quæ vulgo dicitur *Burgban*, ea videlicet privilegii ratione, ut nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus advocatus potestatem habeat exercendi judicium in atrio prædictarum ecclesiarum, sed quicquid præter jus & æquum a famulis, qui tam abbati quam congregationi obsequio quotidiano deserviunt, commissum fuerit, ab abbate, vel ab eo, cui ipse mandaverit, corrigatur. Et ut hæc omnia rata & inconvulsa in perpetuum habeantur, præceptum hoc conscribi, & imaginis nostræ impressione insigniri jussimus.

Signum domni COUNRADI Romanorum regis secundi.

(a) Eresburgensem dedit Corbeiæ Ludovicus Pius anno 826. Meppiam vero anno 834. ex Annal. Paderborn. lib. 1.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice HEINRICI Moguntini archiepiſcopi & archicancellarii recognovi.

Actum anno Dominicæ incarnationis MCXLVII. indict. X. anno vero domni CUONRADI ſecundi regis invictiſſimi IX.

Data *Frankenevord* in Chriſto feliciter. Amen.

DIPLOMA CONRADI II. Romanorum regis pro monaſterio Corbeienſi.

Ob inſignem VVibaldi abbatis fidem & merita Corbeienſium & Herivordenſium privilegia inſtaurat.

Anno 1147. IN nomine ſanctæ & inviduæ Trinitatis. CONRADUS divina favente clementia Romanorum rex ſecundus. Ad regiæ dignitatis munificentiam pertinet, bene de republica merentibus virtutum præmia tribuere, ut & ipſi pro ſuæ fidei conſtantia laboris ſui emolumenta percipiant, & ceteri ad exequenda imperii munia bonæ ſpei pleni & alacres fiant. Quocirca noverit omnium fidelium noſtrorum tam futurorum, quam præſentis ætatis induſtria, quod noſter fidelis & cariſſimus monaſterii, quod Nova Corbeia dicitur, venerabilis abbas VVIBALDUS, noſtram clementiam adiit, petens, ut privilegia Corbeienſis eccleſiæ, cui nunc idem venerabilis abbas præeſſe cognoſcitur, innovare & confirmare dignaremur. Cujus religioſæ petitioni, ob inſignem ipſius circa nos & regnum nobis a Deo conceſſum fidem, pietatis autem inclinantes, per præſentis paginæ ſeriem ſub regiæ majeſtatis tuitionem ipſum locum, novam videlicet Corbeiam, cum omnibus ſibi tam intus quam foris pertinentibus aſſumimus, eumque perpetua libertate donantes, noſtra & omnium principum auctoritate, lege in perpetuum manſura firmamus, ne præfatum monaſterium, Nova Corbeia, in poteſtatem, vel ditionem ſive ſubjectionem alicujus perſonæ ſeu eccleſiaſticæ, ſeu ſecularis dignitatis per aliquam donationem, ſeu commutationem cedat. Sed ſemper ſub ordinatione & defenſione regum vel imperatorum conſiſtat, & libertate, quam hactenus obtinuit, in perpetuum potiatur. Et quoniam ab imperatore LUTHEVVICO duo monaſteria conſtructa ſunt, & a noſtris prædeceſſoribus honore & divitiis aucta, unum videlicet monachorum, quod NOVA CORBEIA dicitur, ad normam ſcilicet veteris Corbeiæ, HEREVORDENSE vero ſanctimonialium ad ſimilitudinem Sueſſionis monaſterii, decretumque eſt ab eis, ut Corbeienſis abbas, quicumque pro tempore fuerit, procurationem agat Herivordenſis eccleſiæ, ita videlicet ut juxta conſuetudinem qua ancillarum Dei, congregationi procurari ſolent, præpoſiti ex ordine eccleſiaſtico tam in diſciplina quam in cunctis negotiis, quæ famulæ Chriſti pro ſexu & profeſſione ſua exequi non poſſent, ipſarum proviſor & patronus exiſteret. Nos quoque prædeceſſorum noſtrorum veſtigia ſequentes, confirmamus & decreto in æternum manſuro ſtatuimus, ut omnes per ſucceſſionem Corbeienſis cœnobii abbates præſcripta procuratione & patrocinio abſque ullius contradictione utantur, & ſervata dignitate abbatiſſæ, in quibus opportunum fuerit, Herevordenſi congregationi aſſiſtant. Confirmamus etiam quæ prædeceſſor noſter imperator LUTHEVVICUS ſupradictis monaſteriis pro eleemoſyna generis ſui tradidit, Cellam videlicet, quæ vocatur Meppia, cum decimis & poſſeſſionibus undique ad eam pertinentibus, & eccleſiam *Eresburg*, circumque per duas Saxonicas raſtas (*a*) ad Novam Corbeiam. Ad Herevordenſe vero monaſterium in epiſcopatu Oſnebrugenſi eccleſiam Buinidi cum ſubjectis ſibi eccleſiis, in parrochia Mimienevordenſi eccleſiam Reni cum his quæ ad eam pertinent eccleſiis, ita ſane, ut decimarum aliorumque redituum proventus omnes præfatis cederent Monaſteriis, & ab ipſis viciſſim procurarentur ſubjectæ plebes in baptiſmate, in euchariſtia, in ſepulturis, in confeſſione peccatorum audienda. Et preſbyteri, qui principales eccleſias tenerent, archipreſbyterorum officio fungerentur, ad agenda omnia, quæ ſolent fieri ab archipreſbyteris epiſcoporum, & cum epiſcopi circationes ſuas ibi agere deberent, ad eorum manſionatica daretur, ut in capitularibus anteceſſorum noſtrorum præſcriptum habetur, videlicet quantum ſatis ſit eis dari, & epiſcopi non plus quærant, nec cum pluribus veniant, quam ut eis ſufficere poſſint. Ne autem in ſumma debiti epiſcoporum ſervitii plus exigeretur, quam opus ſit, ſtatuerunt prædictarum eccleſiarum epiſcopi cum conſenſu ſynodali coram anteceſſore noſtro OTTONE imperatore, ab archiepiſcopo RABANO, ceteriſque cum eo in ſynodo agentibus, ut dentur ad ſingulas eccleſias porci IV. valentes ſinguli denarios XII. aut arietes VIII. tamtumdem valentes, porcelli IV. aucæ IV. pullæ VIII. ſitulæ XX. de medone, de mellita ceriſa XX. de non mellita LX. panes CXX. de avena modios C. manipuli D C. eſſetque in poteſtate epiſcoporum, utrum hæc per ſingulas eccleſias ad unum manſionaticum, an ad duo vellent habere. Statuimus etiam atque

(*a*) Raſta Saxonica deſignat certum viarum ſpatium. *Duæ autem leucæ ſeu millaria tria raſtam faciunt*, ut habet Beda de numerorum diviſione.

concedimus, juxta decreta prædeceſſorum A noſtrorum, liberam utrique loco poteſtatem eligendæ de propria congregatione in regimen ſui per futura ſemper tempora congruæ perſonæ. Et ut nullus judex publicus licentiam in homines ad præfatum monaſterium pertinentes ullam judiciariam habeat exercere poteſtatem, ſed omnis eorum res coram advocato ipſorum diffiniatur. Et ut juſtitiam quæ appellatur *Burchban* nemo ſibi uſurpare in eodem loco præſumat, niſi cui poteſtas ab ejuſdem cœnobii abbate conceſſa fuerit. B Et ut liberi homines licentiam habeant prædia ſua eidem monaſterio conferre, nec quivis judex, aut regia poteſtas ſolitum debitum, aut publicum vectigal ab eis deinceps extorqueat, ſed ſeipſos in proprietatem ipſius eccleſiæ ad jus miniſterialium tradere liceat, & de infimo ordine, videlicet de litis, aut de cenſuariis facere miniſteriales abbas poteſtatem habeat.

Signum domni CUNRADI Romanorum regis ſecundi.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice HENRICI Moguntini archicancellarii recognovi. C Anno Dominicæ incarnationis MCXLVII. indictione X. regnante CONRADO Romanorum rege ſecundo. Anno vero regni ejus decimo.

Datum apud *Frankenevorde* feliciter. Amen.

CONRADI REGIS DIPLOMA pro VVibaldo abbate.

Fodinas argenti & metallorum in monte Ereſburg *permittit liberas.* D

Anno 1150. CONRADUS Dei gratia Romanorum rex ſecundus. VVIBALDO Corbeienſi abbati ſuiſque ſucceſſoribus regulariter ordinatis in perpetuum. Venas metalli, videlicet auri, argenti, cupri, plumbi, & ſtanni, & omnem pecuniam, ſive rudem, ſive formatam, quæ intra montem *Eresburg*, qui Corbeienſi eccleſiæ jure proprietario pertinere noſcitur, latet, tibi, & per te Corbeienſi eccleſiæ concedimus, damus, & præſenti ſcripto confirmamus, ut liceat tibi & ſucceſſoribus tuis, abſque ullius perſonæ contradictione, in eodem monte fodere, omne metallum, quod inventum fuerit, eruere, & conflare, tuiſque & fratrum tuorum uſibus licenter aptare; ut tanto melius poſſit Corbeienſis eccleſia tam divinis quam regni rebus ſubſervire. E

Data eſt hæc monimenti cartula apud *VVizzeburg* anno Dominicæ incarnationis MCL. indictione XIII. propter ſervitium fidele ſupra ſcripti abbatis.

DIPLOMA CONRADI REGIS Romanorum II. pro monaſterio Corbeienſi.

Precibus motus dilecti & fidelis ſui VVibaldi abbatis Corbeienſe monaſterium contra Miniſterialium inſolentiam tuetur.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 1150. CONRADUS divina favente clementia Romanorum rex ſecundus. Si paci & tranquillitati eccleſiarum Dei pia & benigna ſollicitudine proſpicimus, hanc viciſſitudinem nos a pio creatore noſtro accepturos ſperamus, & ut regni nobis a Deo commiſſi gubernacula in hoc tempore cum pace & tranquillitate poſſidere valeamus, ac poſt regnum hujus temporis in regno æternæ beatitudinis requiem apud juſtum judicem Deum inveniamus. Notum igitur eſſe volumus univerſis regni noſtri fidelibus, tam futuræ quam præſentis ætatis hominibus, qualiter dilectus & fidelis noſter VVIBALDUS Corbeienſis monaſterii abbas multimoda neceſſitate ipſius monaſterii compulſus, expoſuit in auribus clementiæ noſtræ incommoditates & injurias, quas a dapiferis & pincernis ſuis quidam prædeceſſores ejus ſuſtinuerunt, & ipſe a die prælationis ſuæ in eodem monaſterio paſſus fuit. Siquidem dapiferi & pincernæ & reliqui, qui miniſterii locum in domo Corbeienſis abbatis tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant, quaſdam abuſiones in eiſdem officiis ſibi uſurpaverunt, ut videlicet omnia victualia, & univerſam ſubſtantiam domus domini ſui ſub cuſtodia ſua teneant, & cui placuerit, eis, inconſulto domino ſuo, eadem bona ſervanda & paſſim diſtribuenda conferant, tantamque poteſtatem in iſtis officiis ſibi aſſerere conantur, ut dominis ſuis palam, & quaſi de jure ſuo prohibeant, ne claves & cuſtodiam rerum ſuarum alicui committant. Solent etenim de rebus dominorum ſuorum proprias familias alere, ac milites ſuos paſcere, in tantum ut in propriis domibus plerumque aut tanta aut etiam plura, quam domini ſui de facultatibus eorum, quas debuerant ſervare, expendant, & in diſſipandis bonis eorum modum omnino nullum teneant. Hujuſmodi ergo ſuperfluas & damnoſas rerum ſuarum diſſipationes cum prænominatus fidelis & dilectus noſter VVIBALDUS Corbeienſis abbas de eadem domo eliminare, ac domum ſuam ſecundum honorem Dei, ac propriam utilitatem ordinare tentaſſet, quidam de miniſterialibus ejus Rabano, qui tunc officium dapiferi adminiſtrabat, cum fratre ſuo Liudolfo, & paucis conſanguineis ſuis multum ordinationi ejus refragatus eſt,

atque cum multa comminatione asserebat, A quod potestatem officii sui, quam hactenus in domo illa exercuerat, numquam dum viveret, relicturus esset: ita ut sub imperio suo essent universa victualia domini sui, ac potestatem haberet de eis tribuendi, cui vellet, ne dati aut accepti aliquam rationem domino suo redderet, ne claves rerum servare alicui liceret, nisi quem ipse ordinasset.

Hæc itaque contradictio inter ministeriales Corbeiensis ecclesiæ a præfato abbate B domino suo ventilata est, & per judicium eorum, tam eidem Rabanoni, quam omnibus, qui hujusmodi dominationem sibi de bonis domini sui usurparent, omnis potestas de committendis clavibus, & de custodia rerum domini sui abjudicata est, hancque potestatem abbati Corbeiensi præscripti ab eo sententiam judicii unanimiter adjudicaverunt, ut claves, & custodiam rerum suarum liceret ei committere, absque consilio dapiferi & pincernæ, cuicumque voluisset. Dapifero autem & pincernæ tale judicium adinvenerunt, ut in victualibus do- C mini, nullam potestatem dandi absque voluntate ipsius prorsus habeant, sed cum domino suo secundum debitum officii sui ad mensam servierint, hanc dignitatem de officio suo consequantur, ut refecto domino, ad mensam ejus cum ceteris ministris de bonis domini sui reficiantur, & præter hanc nullam aliam potestatem de rebus ipsius exerceant.

Huic comparium suorum judicio cum idem Rabano acquiescere noluisset, præ dictus fidelis noster Corbeiensis abbas apud clementiam nostram impetravit, quod in D plena curia nostra, quam Spiræ celebravimus, judicium super eodem verbo a ministerialibus regni scisciti sumus, qui etiam in conspectu nostro & principum regni idem judicium, quod Corbeienses inverunt, pari consensu asseruerunt.

Aliam præterea molestiam idem Rabano fratribus, qui Deo serviunt in Corbeiensi monasterio irrogare præsumsit, quod videlicet muros, & intra ambitum cimiterii ejusdem ecclesiæ hereditariam mansionem sibi vindicavit, super qua mansione cum satis fuisset commonitus, tum a domino E suo, tum a fratribus monachis, tum a comparibus suis, quatenus ab ea desisteret, noluit eorum salutaribus monitis obtemperare. Unde ministeriales Corbeiensis ecclesiæ judicii sententiam interrogati, abjudicaverunt tam ei quam omnibus secularibus beneficium in atrio ecclesiæ, & quod aliquis abbatum tale beneficium potuerit præstare. Cum vero adhuc reluctaretur, nos interrogati a fideli nostro prædicto Corbeiensi abbate, cum interrogassemus ministeriales nostros super eodem judicio, abjudicaverunt ei in conspectu nostro & principum infra atrium ecclesiæ omnem hereditariam mansionem, & omnibus abbatibus & monachis talis beneficii concessionem.

Orta est nihilominus & alia temeritas ab eodem Rabanone, quod intra muros Corbeiensis monasterii quamdam similitudinem dignitatis sibi hereditario jure vindicabat, quam præfecturam appellant, & se Burckgravium appellari faciebat, cum omnes abbates ejusdem monasterii hanc potestatem semper sub se habuerint, ut quidquid a suis infra muros delinqueretur, aut ipse corrigeret, aut camerario vel dapifero suo, seu alicui de familia sua corrigendum absque ulla potestate in perpetuum mansura committeret. Hac autem potestate præfatus Rabano in tantum abusus fuit, ut eam vulgari nomine *Burgban*, & secundum morem alicujus magnæ potestatis sæpe infra muros placitaret, & hujusmodi placita *Burdinck* appellabat. Ad hæc placita famuli fratrum monachorum de coquina, aut de pistrino, seu de quolibet eorum servitio cogebantur venire, qui etiamsi propter impedimenta servitii fratrum occurrere non poterant, violenter aut contumelioſe a famulis illius pertrahebantur, & panem & escam fratrum imperfectam relinquere compellebantur. Hujusmodi ergo temeritatem de hac præfectura circa Corbeiense monasterium ex judicio principum regni prorsus interdicimus, & hanc potestatem in manu abbatis esse, sicut antiquitus fuit, decernimus. Nam in veteribus regum & imperatorum præceptis continetur, ut nullus dux, nullus comes, nulla sæcularis potestas aliquam potestatem infra muros ejusdem ecclesiæ exercendi judicium habeat, sed per abbatem & personas temporaliter a se ordinatas, quidquid a famulis monasterii contra juris & æqui rationem admissum fuerit, judicari oporteat. Et si principibus contra privilegium imperiale non licet, multo minus ministerialibus licere constat. Hanc ergo præfecturam, & supradictam infra muros laicorum habitationem, atque dapiferi & pincernæ de committendis clavibus potestatem ab aliquo usurpare, & hereditario jure vendicari in supradicto monasterio nullatenus permittimus. Sed has tres prædictas usurpationes secundum judicia ministerialium nostrorum atque sententiam principum regni omnibus laicis decreto imperpetuum valituro interdicimus, & horum omnium potestatem abbati attribuimus.

Judicium de clavibus invenit Conradus ministerialis noster de Haga. De habitatione intra muros, & de præfectura judicium dedit. Item ministerialis noster Conradus de *VVallehusen* camerarius noster a thesauris. Principes autem cum ministerialibus suis hi interfuerunt.

Ortlevvus Basileensis episcopus & sui ministeriales.

HEREMANNUS Constantiensis episcopus & sui ministeriales.

GUNTHERUS Spirensis episcopus & sui ministeriales.

EILULFUS Murbacensis abbas & sui ministeriales.

VVALTHERUS Selensis abbas & sui ministeriales.

Campidonensis abbas & sui ministeriales.

VVizzenburgensis abbas & sui ministeriales.

Clerus & populus Vurmacensis ecclesiæ quæ tunc vacabat.

Clerus & populus Fuldensis monasterii quod tunc vacabat.

Clerus & populus Laureshamensis monasterii quod tunc vacabat.

FRITHERICUS dux Sueviæ & Alsatiæ & sui ministeriales.

OTTO palatinus comes de *VVithelispach* & sui ministeriales.

HERIMANNUS marchio de *Bathen* & sui ministeriales.

VVERNHERUS comes de *Haveklespèrch*.

OTHELRICUS comes de *Lenzemburch*.

VVILHELMUS comes de *Glizperch*.

Comes VVILHELMUS de Juliaco.

Comes IMIKHO de *Liningen*.

Comes VULFRAMUS de *VVertheim*.

MARQUARDUS de *Grunbach*. ARNOLDUS de *Rotenburch* dapifer, HEINRICUS marescalcus, REINGERUS pincerna, THIEPERTUS de *VVinsperch* camerarius.

Signum domni CUNRADI Romanorum regis secundi invictissimi.

Data anno Dominicæ incarnationis MCL. indictione XIII, anno vero domni Conradi secundi regis invictissimi XII. Anno autem VViboldi Corbeiensis abbatis tertio. Actum Spiræ in Christo feliciter.

VVIBALDI ABBATIS LITTERÆ.

Montem S. Michaelis ad festum S. Remacli & ad anniversariam ordinationis suæ celebrandam deputat.

Anno 1151. *Ex archivis Corbeiæ Novæ.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, successoribus suis regulariter ordinatis in perpetuum. Quia memoriam nostram in benedictione, apud fratres nostros jugiter permanere summo desiderio optamus; idcirco bona ipsis providere non tantum in animabus, sed & in corporibus, pia sollicitudine intendimus: proinde notum esse volumus universis ecclesiæ nostræ fidelibus tam præsentibus quam futuris, qualiter montem qui vocatur sancti Michaelis, scilicet ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus ad festum sancti Remacli ad anniversarium nostrum ordinavimus. Eumdem namque montem, quia de præbenda fratrum fuerat piæ memoriæ prædecessor noster abbas ERCKENBERTUS quondam iturus Hierosolymam, multis precibus victus fratribus resignaverat. Verum postquam exierat, circumventus a quodam ministeriali suo Gerberto de *Luttemarssen*, eidem ipsum montem in beneficio concessit, quem post mortem patris, cum Henricus filius ejus occupasset, per dominum VOLCMARUM abbatem ab illo receptus est, data ei appromissione, ut cum primum inter ministeriales vacaret, talentum unum in beneficium ab abbate acciperet; illis vero præcedenti tempore servitium unius abbatis apud *Luttemarssen* cujus curtis ipse villicus est decinere cœpit, seque illud tamdiu detenturum dicebat, donec præmissum beneficium consequeretur. Undé nos in diebus nostræ prælationis tantum defectum mensæ abbatis per injuriam fieri per singulos annos æquanimiter non ferentes, evocato eodem Henrico, licet multo labore; tamen eo usque per judicia & sententias comparium suorum justis rationibus convictum eum destruximus, quod ipsum servitium nobis & mensæ abbatis Corbeiensis resignavit, sub tali conditione ut cum primum nobis vel successoribus nostris vacaret talentum unum in beneficio acciperet. Nos ergo cum prædictum montem liberum in manu nostra haberemus, licet eum diu fratres repetissent, nequaquam eumdem a prædecessoribus nostris receperant, vel fructum ex eo habuerant, simul considerantes quod idem mons æmulationi & petitioni laicorum semper subjaceret, pro memoria & veneratione beati Remacli domini ac patroni nostri, necnon pro remedio animæ nostræ eumdem montem cum omnibus pertinentiis suis, item ecclesia cum dotali manso & villicatione cum mansis & agris ad eam pertinentibus & novalibus quæ a fratre nostro Godamino in ipso monte exstirpata & culta sunt, ad refectionem fratrum Corbeiensium in festo prænominati patroni nostri & in anniversario ordinationis nostræ id est in vigilia undecim millium virginum designavimus, ea videlicet ratione ut a clerico nostro Hildevvardo, qui nunc montem habet, vel siquis post eum habuerit in decollatione sancti Johannis Baptistæ cellerario fratrum xv. solid. qui ad festum pertinent, in festo sancti Diónysii, item xv. solid. ad anniversarium diem electionis nostræ quandiu vivimus persolvantur. Postquam vero Deus ab hac vita nos evocaverit, in anniversario depositionis nostræ idem xv. solid. pro memoria nostra a fratribus in perpetuum habeantur. Porro hoc omnibus notum esse volumus, quod hunc montem clerico nostro Hildevvardo cum ecclesia & villicatione & omnibus pertinentiis suis sicut supra scriptum est, sub eo pacto commissionis, ut quamdiu xxx. solid. temporibus

poribus ſuperius denotatis fratribus perſolverit, eodem beneficio non privetur. Mox vero ut hanc ſummam adminiſtrare noluerit, ipſe a beneficio tam eccleſiæ quam curtis ceſſabit, nec ullo tempore eccleſia, & quæ ad ipſam pertinent a curte & ſuis pertinentiis ſeparari poterit, ſed ut ſimul juncta xxx. ſolid. annuatim perſolvere. Fratres autem feſtum B. Remaeli ſpontanea voluntate & communi in cappis & quinque candelis ſolemniter celebrandum inſtituerunt, in cujus die feſto priorem miſſam in majori eccleſia de S. Remaclo, majorem vero miſſam in capella, quæ domui noſtræ adjuncta eſt, & ſub ejus titulo conſecrata, de dedicatione celebrabunt. Ne quis igitur ſucceſſorum noſtrorum hanc caritatem fratribus a nobis conſtitutam, ullo aliquando tempore auferre vel imminuere, ſeu aliquo modo alienare præſumat, ſine conſenſu Corbeienſis capituli, ſub atteſtatione divini nominis, prædictum montem S. Michaelis fratribus Corbeienſibus ad feſtum beati Remacli & ad noſtrum anniverſarium, ſed præſcriptam rationem decreto in perpetuum permanſuro ordinamus atque conſtituimus. Et ut ratum atque inconvulſum hoc conſtitutum per omnia tempora permaneat, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſigilli noſtri impreſſione roboramus atque confirmamus. Hæc vero ſunt nomina fratrum, quibus præſentibus & teſtibus hæc conſtitutio facta eſt. Henricus prior, Engelgerus, Thiedericus, VValterus, Adelbertus præpoſitus, Thiedericus, Adulphus, Conradus cellerarius, Elumigus, Mechtfridus, Iſiko, Heremannus, Tegenhardus, Bruno, Conradus, Reinardus præpoſitus *Eresberg*, Heis, Henricus præpoſitus Groningenſis, Reinardus præpoſitus *Kemnad*, Conradus portarius, Adelbertus camerarius, Bruningus, Abraham, Fiko, Lambertus, Othelricus, Heremannus, Tiedericus, Cono, Berenvvigus, Ludolphus, Arnoldus, Reinmarus, Giſelbertus, Mus, Fridericus. Pueri Rocholfus, Unargus, VVernerus, Robertus, Hartmannus, Reinerus, Dadſo, Burchardus, Markvvardus, VVizzelmus, Antonius, Heitholfus, Heremannus. Actum Corbeiæ in capitulo anno Domini MCLI. indictione XV. in die feſto S. Confeſſoris Chriſti ac pontificis Remacli, anno autem prælationis domini VVibaldi abbatis Corbeienſis ſexto.

DIPLOMA FRIDERICI

Romanorum regis aureis conſcriptum litteris, & in conventu percelebri Mersburgi conceſſum VVibaldo abbati.

Jura & privilegia Corbeiæ-novæ inſtaurat.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno 1152.
FRITHERICUS divina favente clementia Romanorum rex. Ad regiæ dignitatis munificentiam pertinet, bene de republica merentibus virtutum præmia tribuere, & ut ipſi pro ſuæ fidei conſtantia laboris ſui emolumenta percipiant, & ceteri ad exequenda imperii munia bonæ ſpei pleni & alacres fiant. Noverit igitur omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurorum induſtria, quod noſter fidelis & cariſſimus monaſterii, quod Nova-Corbeia dicitur, abbas VVIBALDUS noſtram clementiam interpellavit, ut privilegia Corbeienſis eccleſiæ, cui nunc idem venerabilis abbas præeſſe cognoſcitur, innovare & confirmare dignaremur. Cujus religioſæ petitioni, ob inſignem ipſius fidem circa dominum & patruum noſtrum, beatæ ſcilicet recordationis anteceſſorem noſtrum inclytum regem CONRADUM, necnon & circa promotionem noſtram in regnum, cujus gubernacula, Deo auctore, poſt mortem ejus ſuſcepimus, aurem pietatis inclinantes, per præſentis paginæ ſeriem, ſub regiæ majeſtatis tuitionem locum ipſum, Novam videlicet Corbeiam, cum omnibus ſibi tam intus quam foris pertinentibus aſſumimus, eumque perpetua libertate donantes, quemadmodum piæ memoriæ prædeceſſorem noſtrum ejuſque progenitores, reges & imperatores ante eum feciſſe cognoſcimus, noſtra & omnium principum auctoritate, lege in perpetuum valitura firmamus. Ne præfatum monaſterium Nova Corbeia in poteſtatem vel ditionem, ſive ſubjectionem alicujus perſonæ, ſeu eccleſiaſticæ, ſeu ſæcularis dignitatis, per aliquam donationem ſeu commutationem cedat, ſed ſemper ſub ordinatione & defenſione regum vel imperatorum conſiſtat, & libertate, quam hactenus obtinuit, in perpetuum potiatur. Et quoniam ab imperatore LUTHEVVICO duo monaſteria conſtructa ſunt, & a noſtris prædeceſſoribus honore & divitiis aucta, unum videlicet monachorum, quod Nova-Corbeia dicitur, ad normam ſcilicet Veteris-Corbeiæ, Herivordenſe vero ſanctimonialium, ad ſimilitudinem Sueſſionenſis monaſterii, decretum eſt ab eis, ut Corbeienſis abbas, quicumque pro tempore fuerit, procurationem agat Herivordenſis eccleſiæ, ita videlicet, ut juxta conſuetudinem, qua ancillarum Dei congregationibus procurari ſolent præpoſiti ex ordine eccle-

siastico, tam in disciplina, quam in cunctis negotiis, quæ famulæ Christi pro sexu & professione sua exequi non possent, ipsarum provisor & patronus existeret. Nos ergo prædecessorum nostrorum vestigia sequentes, confirmamus, & decreto in æternum valituro statuimus, ut omnes per successionem Corbeiensis cœnobii abbates præscripta procuratione & patrocinio absque ullius contradictione utantur, & servata dignitate abbatissæ, in quibus opportunum fuerit, Herivordensi congregationi assistant. Confirmamus etiam eidem, qui nunc divina vocatione, & communi atque concordi fratrum electione Corbeiensi monasterio præest, abbati scilicet VVIBALDO, necnon cunctis successoribus ipsius, auctoritate in æternum valitura, monasterium quoddam, quod vocatur Keminada, quod piissimus prædecessor & patruus noster beatæ memoriæ CONRADUS rex, pro fidelitate & petitione prænominati fidelis & carissimi nostri WIBALDI abbatis tradidit super reliquias corporis sancti Viti martyris, per aureum donationis suæ anulum, in potestatem & jus atque dominationem Corbeiensis monasterii, ita videlicet, ut Corbeiense monasterium prænominatum monasterium, scilicet Keminada, quemadmodum & a reverendo patre nostro papa EUGENIO per auctoritatis suæ privilegium eidem Corbeiensi monasterio confirmatum esse dinoscitur, cum omnibus prædiis suis, silvis, & aquis, tam foris quam intus, ad ipsum locum pertinentibus, habeat, possideat, ordinet, utatur, & servet sicut tenet sub suo regimine, jure videlicet proprietario, tres abbatiolas, quas fundator ejusdem Novæ-Corbeiæ LUTHEVVICUS Pius, magni CAROLI filius, ad eamdem Corbeiam contulit, scilicet *Eresburch*, nobile quondam Saxonum castrum, cum decimis circumquaque per duas Saxonicas rastas adjacentibus, necnon Meppiam atque *VVisbike*, cum decimis & possessionibus undique ad eas pertinentibus. Ad Herivordense vero monasterium in episcopatu Osnebrugensi, ecclesiam *Buinidi* cum subjectis sibi ecclesiis in parrochia Mimiernivordensi, ecclesiam Reni cum his quæ ad eam pertinent ecclesiis, præterea, quod ab exordio eorumdem monasteriorum, Corbeiæ scilicet, & *Herivord* a nostris antecessoribus constitutum est. Nos quoque firmiter servari volumus, videlicet, ut ubique vel ipsa monasteria, vel cellæ eorum, casas aut curtes habuerint ex rebus, quas ibidem laboribus suis adquirunt, decimas dent ad portam monasterii, nec alibi eas dare cogantur, quatinus inde in nostram ac totius generis perennem mercedem supervenientibus peregrinis & hospitibus serviatur, sicut in regia capitulari, & in decreto synodali permissum est, xenodochia & reliqua fidelium pauperumque construi hospitalia, & mos fuit semper in sacris concedi cœnobiis. Statuimus quoque ne episcopi aut eorum archipresbyteri in ipsorum ecclesiis a suis presbyteris missarum celebrationes fieri interdicant, sed si quid sui juris sibi inde negari putant, ad nostram præsentiam & synodalis examinis judicium deferant. Sed & hoc decernimus, ut decimas vel decimales ecclesias, immo universas possessiones suas in quibuslibet episcopiis, præcipue in Bremensi, Osnebrugensi, Patherneburnensi, ubi plurimas habent, & res & decimas ita integerrime teneant atque possideant, sicut ab antecessoribus nostris, regibus videlicet & imperatoribus hactenus tenuerunt atque possederunt. Concedimus etiam juxta decreta prædecessorum nostrorum liberam utrique loco potestatem eligendæ de propria congregatione in regimen sui congruæ personæ. Et statuimus, ut nullus judex publicus in homines ad monasterium Corbeiense, vel ad prænominatas cellas ipsius pertinentes ullam judiciariam habeat exercere potestatem, sed omnis eorum res coram advocato ipsorum diffiniatur. Et ut justitiam, quæ appellatur *Burchban*, nemo sibi usurpare præsumat, nisi cui potestas ab eodem cœnobii abbate concessa fuerit, & ut liberi homines licentiam habeant, tam seipsos, quam prædia sua eidem monasterio conferre, nec quivis judex, aut regia potestas solitum debitum, aut publicum vectigal ab eis deinceps extorqueat. Sane quod piissimum prædecessorem nostrum, inclytum & gloriosum principem, felicis memoriæ dominum ac patruum regem CONRADUM, ex judicio principum ac ministerialium regni, in plena curia statuisse cognoscimus, nos quoque ejus vestigia sequentes, decreto in æternum valituro firmamus atque statuimus, ut nullus laicorum habitationem infra muros prædicti Corbeiensis monasterii sibi aliquando usurpare audeat hereditario jure, sed cimiterium, quemadmodum congruum est, religiosorum habitationibus liberum & expeditum omni tempore pateat. Hoc quoque simili firmitate præcepto nostro roboramus, ut dapiferi atque pincernæ Corbeiensis abbatis nullam omnino potestatem de committendis clavibus rerum domini sui habeant, sed in dandis clavibus, & ordinandis rebus domus suæ liberam potestatem, quemadmodum a prædecessore nostro per judicii sententiam determinatum esse novimus, abbas in perpetuum obtineat. Ut autem hæc omnia rata & inconvulsa in perpetuum habeantur, chartam hanc conscribi & sigilli nostri impressione signari præcepimus. Testes vero hi affuerunt.

SUENO rex Danorum, qui ibidem regnum suscepit de manu domini regis.

KNUT alter Danus, qui ibidem regnum in manum domini regis refutavit.

HARTVVIGUS Bremenſis archiepiſcopus.
OTHELRICUS Halberſtadenſis epiſcopus.
BURCHARDUS Argentinenſis epiſcopus.
WICMANNUS Citicenſis epiſcopus.
DANIEL Pragenſis epiſcopus.
BERNARDUS Patherbornenſis epiſcopus.
HEINRICUS Mindenſis epiſcopus.
HEREMANNUS Ferdenſis.
ANSELMUS Havelbergenſis.
EMEHARDUS Mechelembergenſis.
WIKKERUS Brandeneburgenſis.
MARQUARDUS Fuldenſis abbas.
HEINRICUS Heresfeldenſis abbas.
ARNOLDUS Niemburgenſis abbas.
HEINRICUS dux Saxoniæ.
Domnus VVELPHO avunculus ejus.
CONRADUS marchio de Miſnia & filii ejus.
Marchio ADELBERTUS & filii ejus.
Signum domni FRITHERICI Romanorum regis invictiſſimi.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice Heinrici Moguntini archicancellarii recognovi.

Data in curia *Mersburch* anno incarnationis Domini MCLII. indictione XV. Anno Domini Fritherici Romanorum regis I. Actum in Chriſto feliciter. Amen.

PRIVILEGIUM ADRIANI PAPÆ IV. VVibaldo abbati conceſſum.

Uſum ſandaliorum & dalmaticæ, aliaque Corbeienſis monaſterii privilegia confirmat.

Anno 1155. ADRIANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis GUICBALDO Corbeienſi abbati, ejuſque fratribus tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Officii noſtri nos admonet & invitat auctoritas, pro eccleſiarum ſtatu ſatagere, & earum quieti & tranquillitati ſalubriter, auxiliante Deo providere. Dignum namque & honeſtum & conveniens eſſe dinoſcitur, ut qui ad eccleſiarum regimen, domino diſponente, aſſumti ſumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & beati Petri atque ſedis apoſtolicæ patrocinio muniamus, & ſua iis jura & collatas dignitates benignitate debita conſervemus. Eapropter, dilecte in Chriſto GUICBALDE Corbeienſis abbas, devotionem, quam erga apoſtolicam ſedem geris, diligentius attendentes, prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ papæ EUGENII veſtigiis inhærendo, dignitatem prædeceſſoribus tuis per noſtrorum prædeceſſorum Romanorum pontificum privilegia tradita, nos quoque, præſtante Domino, inconvulſam volumus conſervari. Quocirca præſentis decreti auctoritate concedimus, & in præcipuis ſolemnitatibus ſandaliis & dalmatica uti, juxta altare ſedere, populum infra commiſſum monaſterium vel cellas, quæ attinent ad animæ tuæ ſalutem, docere, ſicut prædeceſſoribus tuis a noſtris prædeceſſoribus Romanis pontificibus eſt conceſſum. Ipſum præterea Corbeienſe monaſterium, cui, Domino auctore, præeſſe dignoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium inpræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut infuturum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Deo, poterit adipiſci firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Decimam videlicet de curia *Luithardeſſen*, decimam de curia *Beverungen*, decimam de curia *Dasburg*, decimam de curia *Mullenhuſen*, decimam de curia *Buthelestorp*, decimam de curia *Munden*, decimam de curia *Bodvvicke*, decimam de curia *Munchuſen*, decimam de curia *Beldernichuſen*, decimam de curia *Buvvelage*, decimam de curia *Hombuſtelde*, decimam de curia *Nienſtede*, decimam de curia *Bolckmareſſen*, decimam de curia *Luithereſſen*, decimam de curia *Erclen*, decimam de curia *Brumelinchtorp*, decimam de curia Leziazi, decimam de curia Caſtinaci, decimam de curia *Hottepe*, decimam de curia *Nuthlon*, decimam de curia *Kefflike*, decimam de curia *Nen*, decimam de curia *Croppenſtede*, decimam de curia *Hemmentorp*, decimam de curia *Holthuſen*, decimam de curia *Groninge*. In Friſia quamdam poſſeſſionem, quæ vocatur *Merten*, & in eodem loco eccleſiam de *Linguerd*. Inſulam Rugianam, piſcationem *Hocvvar*. Sancimus quoque ut ipſum monaſterium nulli omnino perſonæ in beneficium cujuſlibet occaſionibus concedatur, ſed ſemper ſub protectione Romanorum pontificum, atque imperatorum vel regum defenſione permaneat. Adjicientes quod monaſterium *Heresburg* cum decimis circa montem per duas raſtas Saxonicas, ſicut a beatæ memoriæ domno LEONE papa, ex petitione CAROLI magni imperatoris, qui ipſum montem expugnaverat, collatæ noſcuntur, monaſterium quoque in Groninga, & monaſterium in Kemnade, numquam ab eodem Corbeienſi alienetur cœnobio, ſed per ipſius loci abbatem ſemper regantur, & ſalubriter ſub monaſticæ diſciplinæ ordinentur regula, nec alicui facultas ſit quicquam de bonis eorumdem trium monaſteriorum ad uſus & præbendam Domino ibidem famulantium pertinentibus commutare, in beneficium concedere vel alienare, ſine aſſenſu fratrum in eiſdem cœnobiis manentium, favore Corbeienſis capituli. Volumus etiam ut præpoſituræ clerico-

rum ecclesiæ S. Pauli, quæ vocatur Nova-ecclesia, sub ejusdem Corbeiensis abbatis ordinatione, sicut hactenus, semper consistat, nec abbati vel præposito liceat canonicorum præbendas absque clericorum conniventia in beneficium conferre, seu commutare atque distrahere. Præterea constituimus, ut infra ambitum muri memorati monasterii Corbeiensis nemo clericorum vel laicorum jure proprietatis, vel beneficii mansionem aliquam ullo tempore habeat, sed totus ipsius loci ambitus abbatis, monachorum & aliarum religiosarum personarum usibus & habitationibus pateat. Prohibemus autem ut in eodem monasterio nullus episcoporum, præter Romanum pontificem, liceat quamlibet jurisdictionem habere, ita ut, nisi ab abbate istius monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem celebrare præsumat. Ut igitur hæc omnia, quæ supra diximus, plenum in posterum robur obtineant, sicut in authenticis prædecessorum nostrorum privilegiis continentur, tam tibi, quam successoribus tuis ea favoris nostri auctoritate confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumtionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat; reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemtoris nostri JESU-CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU-CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis percipiant. Amen.

† Ego ADRIANUS catholicæ ecclesiæ episcopus.

† Ego IMARUS Tusculanus episcopus subscripsi.

† Ego GUIDO presbyter cardinalis tit. S. Grisogoni subscripsi.

† Ego Ubaldus presbyter cardinalis tit. S. Praxedis subscripsi.

† Ego MANFREDUS presbyter cardinalis tit. S. Savinæ subscripsi.

† Ego UBALDUS presbyter cardinalis tit. S. Crucis subscripsi.

† Ego ASTALDUS presbyter cardinalis tit. S. Priscæ subscripsi.

† Ego GUIDO diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu subscripsi.

† Ego GERARDUS diaconus cardinalis S. Mariæ in Via-lata subscripsi.

Datum Romæ apud S. Petrum, per manum Rolandi sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, v. Kal. Martii indictione. ... Anno Dominicæ incarnationis MCLV. pontificatus vero D. Adriani papæ quarti anno primo.

Aliud diploma impetravit VVIBALDUS *ab Adriano pro Herivordensi collegio.* Data Sutrii per manum Rolandi sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii XVI. Kal. Junii indict. III. incarnationis Dominicæ anno 1155. pontificatus vero domni Adriani papæ IV. anno primo.

DIPLOMA ADRIANI PAPÆ IV. VVibaldo abbati concessum.

Monasterium VVerbense in temporalibus & spiritualibus valde attritum unit Corbeiensi.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio VVIBALDO Corbeiensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem. Sacro-sancta Romana ecclesia, si quando aliquam ecclesiarum ad jus suum specialiter pertinentium ita in temporalibus & spiritualibus prospexit attritam, ut nisi major ei alterius personæ sollicitudo adesset, in statum suum relevari non posset, illis personis ad earum curam habendam vices suas committere consuevit, quæ & sinceritate devotionis sibi viderentur astrictæ, & ad relevandum statum illorum honestæ, ac scientia idoneæ apparerent. Inde est quod probitatem tuam, dilecte in Domino fili VVIBALDE abbas, devotionem, quam erga matrem tuam sacro-sanctam Romanam ecclesiam habere dignosceris, attendentes, monasterium de *VVerbe*, quod ad jus beati Petri specialiter pertinet, & in temporalibus & spiritualibus non modicum dignoscitur imminutum, cum advocatia & omnibus pertinentiis suis tibi & per te commissio tibi monasterio Corbeiensi committimus, & sub tuo & tuorum successorum regimine perpetuis temporibus statuimus permanere. Ita quidem ut duos aureos inde singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvere debeatis. Nulli ergo hominum liceat hujus nostræ confirmationis & concessionis paginam temerario ausu infringere, aut aliquibus molestiis contraire. Si quis autem id attentare præsumserit, indignationem omnipotentis, Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum in territorio Tusculano idus Julii.

LITTERÆ ADRIANI PAPÆ IV. Moguntino antistiti.

Ut Bobbonem Verbensis abbatiæ advocatum, qui VVibaldo abbati multa comminatus fuerat, districte moneat, & in ordinem redigat.

Circa 1155. *Ex ms. Hist. Corbei.*

ADRIANUS servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Moguntino episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Prædecessorum nostrorum vestigia imitati, abbatiam de *VVerbe* ad jus & proprietatem beati Petri specialiter pertinentem, dilecto filio VVIBALDO Corbeiensi abbati regendam custodiendamque commisimus, sperantes quod ejus prudentia, auctore Domino, accipiat incrementum. Verum quia comes BOBBO, qui ejus advocatiæ se asserit advocatum, cœnobium VVerbense & præfatum abbatem variis inquietatibus perturbare minatus est, districtioni tuæ mandamus atque præcipimus, ut eum districte commoneas, quatenus ab abbatis & cœnobii infestatione quiescat, & si tuis parere commonitionibus contumaciter & superbe contemserit, canonica eum censura coercere procures.

LITTERÆ VVIBALDI ABBATIS ad suos successores.

Partem aliquam silvæ hospitali Groningensi tradit.

Anno 1156. *Ex archivio Corbeiæ-Novæ.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. VVIBALDUS Dei gratia Corbeiensis ecclesiæ abbas omnibus successoribus suis in perpetuum. Si indigentias pauperum de nostra abundantia supplere curamus, & fiduciam magnam nobis coram summo Deo per eleemosynam constituimus, & exemplum posteris nostris relinquimus. Proinde noverit omnium fidelium Corbeiensis ecclesiæ præsentium & futurorum industria, quod nos intuitu divinæ retributionis partem quamdam silvæ, quam juxta *Groningen* habuimus, cum a quibusdam laicis, ut eam a nobis in beneficio acciperent, multum rogaremur, pro remedio animæ nostræ & pro salute omnium successorum nostrorum abbatum, videlicet monasterii Corbeiensis, idem nemus, quod habuimus in silva, quæ vocatur *Hachel*, ad obedientiam hospitalis in Groninga, ex petitione fratrum nostrorum Corbeiensium tradidimus, maxime insistente nobis eo, qui hanc obedientiam tunc temporis servabat, fratre Ruchardo, ut hanc eleemosynam perficeremus. Ejusdem ergo terræ traditione facta ad hospitale in Groninga, omnes successores nostros per tremendam judicii Dei futuram discussionem obtestamur, ne eamdem eleemosynam de eodem hospitali ullo umquam tempore auferant vel imminuant, sed eam pro æternæ vitæ retributione ibidem jugiter conservare studeant. Ut autem hæc nostra traditio per omnia futura tempora hospitali de Groninga rata & inconvulsa permaneat, factam a nobis traditionem per has litteras posteris nostris significavimus. In testimonium & donationis nostræ firmamentum, sigillo nostro signari præcipimus: testes de ministerialibus affuerunt, Conradus de *Amelungessen*, Reinerus de Porta, Godescalcus pincerna, *Heis*, Henricus, Lutherus, Alvvinus filius ejus, Volckvvinus, VVernerus frater ejus. Dominicæ incarnationis MCLVI. prælationis autem domini VVicboldi in Corbeiensi ecclesia X. IV. idus Februarii inter capitulum & horam sextam. In Christo feliciter. Amen.

LITTERÆ THEODERICI abbatis Corbeiæ-Novæ.

De conscribendis chronicis monasteriorum.

Anno 1337. *Ex ms. Corbeiæ-Novæ.*

THEODERICUS abbas, monasterii sanctorum martyrum Stephani atque Viti in Corbeia omnibus hasce lecturis gratiam & salutem in Domino sempiternam. Amantissimi confratres, multum sane refert, ut ecclesiæ nostræ aliarumque eidem subjectarum antiquitates, fundationes, dotationes, jura, privilegia, & laudabiles usus ac consuetudines, una cum aliis notabilibus, ad futurorum posterorum memoriam, nostramque informationem, & delectationem colligantur & describantur. Cum igitur pii prædecessores nostri MARQUARDUS & VVIGBOLDUS, quorum memoria in benedictione sit, confratribus dilectisque filiis suis cumprimis senioribus & experientia rerum conspicuis inque præpositura vel alia dignitate constitutis mandarint, ut quisque suæ ecclesiæ seu monasterii, cui pro tempore præerat, chronicon contexeret, seu ab aliis forsan cœptum continuaret: diversi etiam fratres monitis hisce obsecundantes, industriam suam egregie probarint; nos inclytis eorum vestigiis insistentes, idem mandatum ceu justum & salutare tenore præsentium innovamus, & redintegramus, volentes ut quod quilibet de suo monasterio seu ecclesia chronicon antea scriptum habet, diligenter custodiat, idque secundum seriem annorum ad sua usque tempora fideliter continuet. Si vero nullum adhuc extet, vel ipse aliquod concinnet, seu per alium idoneum & fidelem virum conscribi curet. Nos libenter ex archivio & bibliotheca quæcumque necessaria fuerint suppeditabimus, non tantum sed etiam cujuslibet studium uti antecessores nostri specialiter cohonestabimus. Valete in Domino. Datum in abbatia nostra imperiali anno gratiæ M CCCXXXVII. ipso die beatæ Veronicæ.

REGISTRUM EPISTOLARUM

ALEXANDRI PAPÆ III.

PRO REMENSI PROVINCIA

QUIBUS NONNULLÆ ALIORUM SUMMORUM PONTIFICUM ALIÆQUE PRÆMITTUNTUR EPISTOLÆ.

Ex mſ. codice inſignis monaſterii Attrebatenſis S. Vedaſti.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

QUAS hic habes *Alexandri papæ* III. *aliorumque ſummorum pontificum epiſtolas, deſcripſimus ex veteri codice celeberrimi & antiquiſſimi apud Attrebatum monaſterii S. Vedaſti, quem nobis utendum conceſſit clariſſimus vir domnus Martinus* Tyrſei, *ejuſdem abbatiæ major prior, cujus humanitas ſumma cum eruditione certat. Et illi quidem codici titulus hic erat,* Regiſtrum Epiſtolarum Alexandri papæ III. *qui ſane non nobis conveniens viſus eſt omni ex parte. Nam præterquam quod non omnes Alexandri* III. *complectitur epiſtolas, ſed eas dumtaxat quæ Remenſem provinciam ſive metropolim ſpectant, eaſque ſolas quæ ſub Henrici archiepiſcopi pontificatu ſcriptæ fuerunt, plures etiam alias continet præcedentium ſummorum pontificum, Urbani* II. *Paſchalis* II. *Eugenii* III. *& Adriani* IV. *immo & nonnullas ipſius Henrici præſulis, Amalrici regis, patriarchæ Jeroſolymitani & aliorum. Verum quoniam earum pars maxima eſt Alexandri, haud immerito, poſtpoſitis aliis, ipſius ſolius nomen codex manuſcriptus prætulit.*

Ad codicis antiquitatem quod attinet, ætatem ipſius Alexandri referunt caracteres, huncque ſuſpicamur ipſo adhuc agente in vivis eſſe exaratum. & ea forte de cauſa nullas omnino epiſtolas, quæ poſt Henrici mortem ſcriptæ fuerint, exhibet, ſed neque eas, quas extremis ejus temporibus ſummus pontifex dictavit. Quid vero earum in editione a nobis præſtitum fuerit, paucis accipe.

Primo epiſtolas omnes, quanta potuit diligentia, curavimus deſcribi, manus eo in labore adjutrices conferente noſtro Johanne de Lean. *Deſcriptas deinde ad codicis fidem recognovimus, illuſtrantes eas interdum brevioribus notis. Tum ſingulas, quæ confuſæ nimis*

ac permixtæ erant, ſuas in claſſes diſtribuimus, editas ab ineditis diſcernentes. Et eas quidem omnes, quas Urbanus papa II. pro reſtitutione epiſcopatus Attrebatenſis conſcripſit, expunximus, utpote quæ extent apud Baluzium Miſcellaneorum tom. 5. Quaſdam etiam Paſchalis II. apud Labbeum editas prætermiſimus, ne paginas noſtras rebus jam vulgatis oneratas cauſarentur lectores. Omnes denique pro modulo noſtro in ordinem temporum digeſſimus, quod certe negotii fuit majoris quam ut verbis explicari queat, & certe quantum hoc in labore deſudandum fuerit, vix experti poſſunt dijudicare, cum appoſiti ſint nuſquam anni, nec ulla fere epiſtola ſuum occuparet locum, eſſent vero omnes tanto ab invicem intervallo disjunctæ, ut non facile quis id ſibi perſuadeat. Exemplo eſſe poſſunt Eugenii epiſtola prima, quæ in codice præfato eſt trecenteſima ſexta; ſecunda, quæ centeſimum ſeptimum occupat locum; tertia, quæ numero centeſimo decimo nono deſignatur; quarta, quæ ducenteſimo octogeſimo quinto loco occurrit. In diſtribuendis tamen Eugenii III. & Adriani IV. epiſtolis non adeo laboratum eſt, utpote quæ ſint pauciſſimæ. Nam Eugenii tantum quindecim, Adriani duas & viginti dumtaxat edidimus. Totum difficultatis pondus incubuit in epiſtolis Alexandri quæ ad numerum CCCCXCVII. aſſurgunt. At laborem hunc tantiſper ſublevarunt aſſignati in fine cujuſque epiſtolæ locus, menſis, & dies, quibus dictatæ fuere. Et eas quidem quæ ad Henricum adhuc epiſcopum Belvacenſem directæ ſunt, primo in limine collocandas eſſe nemo non videt, utpote ſcriptas initio pontificatus Alexandri. Datæ autem illæ fuere aut Anagniæ, aut Terracinæ, quo papa ex Urbe furorem ſchiſmaticorum vitaturus, confugit, uti pluribus in locis obſervat Baronius. Deinde cum nec in tota Italia ſibi tuto eſſe perpenderet, in Gallias ſolitum Romanorum pontificum in perſecutione perfugium ſe conferre cogitavit, in itinere a Januenſibus honorifice exceptus, apud quos ſcripta eſt epiſtola XI. Montem-Peſſulanum feria quarta poſt paſcha anni MCLXII. appulit, teſtante Baronio, ibidemque epiſtolam XII. ad Henricum electum ſeu deſignatum Remenſem dedit pridie Calendas Maij. Septem poſt diebus Bituricas jam advenerat, ubi ſcripta eſt epiſtola XIII. nonis Maij, Alexandrum autem hanc ad urbem ſtatim ſe recepiſſe docet nos Hiſtoria Vizeliacenſis monaſterii lib. 4. Spicilegii tom. 3. his verbis: Alexander autem catholicus papa veritus indignationem regis Ludovici, tranſiit in Aquitaniæ metropolim urbem Bituricorum, & in Dolenſe monaſterium, quod eſt apud Caſtrum-Radulfi, ibique hiemavit. *Apud Dolenſes totum menſem Julium egiſſe legimus in brevi chronico monaſterii Dolenſis, a Labbeo edito Bibliothecæ novæ tom. 1. Ibidemque dedit epiſtolam XIV. & quatuor ſequentes, quæ menſe Julio exaratæ fuerunt. Brivatæ ſcripſit XIX. Calendis Auguſti. Hinc Bituricas reverſus epiſtolas undecim dedit menſe Auguſto & Septembri. Interim invitatus ab abbate Dolum iterum veniens, altare in honorem S. Coſmæ conſecravit, uti expreſe legitur in laudato jam chronico Dolenſi. Errat autem Vizeliacenſis hiſtoriæ ſcriptor, cum Alexandrum ibidem hiemaſſe aſſerit. Nam Octobri jam menſe agebat Turonibus, ubi capellam infirmorum Majoris-monaſterii in honorem SS. Benedicti & Vincentii conſecravit pridie idus ejuſdem menſis. Pauciſque poſt diebus inſigne dedit ibi privilegium eidem monaſterio per manum Herimanni S. R. E. ſubdiaconi & notarii XVI. Calendas Novembris MCLXII. pontificatus ſui anno IV. Plures inde ad varios dictavit epiſtolas menſibus Novembri, Decembri atque Januario. Profectus eſt inde Pariſios anno MCLXIII. ſummo honore exceptus a Ludovico VII. rege, ibique commoratus menſes omnino tres, Februarium, Martium & Aprilem, epiſtolas novem conſcripſit. Hinc reverſus Turones* in Pentecoſte concilium celebravit, & poſt in feſto S. Hieronymi Senonas veniens, ibidem per annum & dimidium manſit, *ut ſcribit Guillelmus Nangius in chronico. Quo temporis intervallo epiſtolas varias ſcripſit, numero ſcilicet novem & viginti. Anno MCLXV. Italiam repetere cogitavit Alexander, ac ſalutato rege, verſus Montem-Peſſulanum iter arripuit. Inde ſolvens, ſchiſmaticorum ut inſidias vitaret, Montem-Peſſulanum remigrare*

coactus est. Sed tandem secundo navigans vento, Messanam appulit, ac demum Romam XI. Calendas Decembris pervenit. Romæ commoratus est annis MCLXVI. & MCLXVII. Beneventi MCLXVIII. & MCLXIX. Verulis MCLXX. Tusculi sub finem ejusdem anni & MCLXXI. & MCLXXII. Signiæ MCLXXIII. Anagniæ MCLXXIV. ut eruimus ex variis ejusdem diplomatibus ab Ughello in Italia sacra relatis. Hæc ubi semel observavimus, leviori deinceps opera Alexandri nostri epistolas juxta temporis seriem ordinavimus. Quantum autem ex eis utilitatis rei litterariæ accedere possit, ex dictis in generali ad hunc tomum præfatione liquet, meliusque dijudicabit quisquis eas vel leviter perlustrare voluerit.

EPISTOLA I. PASCHALIS II. PAPÆ, Leodiensi episcopo.

Pro querela Radulfi Remensis archiepiscopi.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri (*a*) O. Leodiensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

[a]

Confratris nostri (*b*) RADULFI Remensis archiepiscopi, querelam accepimus, quod in castello (*c*) Bullionis partem Remensis parrochiæ usurpaveris, & in ecclesia sancti Johannis, eo invito, presbyterum ordinaveris. Unde fraternitati tuæ præcipimus, quatinus aut partem ipsam parrochiæ omnino dimittas, aut de ea judicio confratrum nostrorum Catalanensis & Tullensis episcoporum, Remensi ecclesiæ justitiam exequaris loco & tempore quod ipsi præviderint. Alioquin nos super presbyterum illum, qui jam in beati Johannis ecclesia intrusus dicitur, confratris nostri Remensis archiepiscopi judicium confirmamus. Datum Romæ sexto Kalendas Januarii.

[b]

[c]

EPISTOLA II. BRUNONIS archiepiscopi Trevirensis ad Reinaldum archiepiscopum Remensem.

De societate Treverensis ecclesiæ & Remensis.

DOmino R. venerabili sanctæ Remensis ecclesiæ archipræsuli, B. misericordia Dei Trevirorum id quod est, devotissima orationum & servitutis obsequia.

Fama æquitatis vestræ & pietatis in Deum, nos jam dudum in archipræsulatu vestro indignam admodum & intolerabilem injuriam passos, invitat vestrum implorare auxilium, quod nobis nec negare, nec differre debetis. Licet enim quadam socialis unitatis affinitate universæ fungantur ecclesiæ, & juxta quod eis accidit vicissim auctoritate apostolica jocundari & dolere habeant, nostra tamen & vestra ecclesia specialiori caritatis ex antiquo annexæ vinculo inveniuntur, nec ab aliquo qui ecclesiarum nostrarum privilegia bene noverunt, sorores esse denegantur, ex hac itaque sororia societate & securitate, caritati vestræ, sororis vestræ injuriam deploramus.

PLACITUM DE BANNO de Viriliaco.

ANNO incarnationis Dominicæ millesimo centesimo trigesimo, indictione octava, ODO abbas sancti Remigii bannum de Viriliaco beati Remigii esse dicebat, & in Dominum Rainaldum archiepiscopum secundum convenit. Quo siquidem audito, domnus archiepiscopus clericos & laicos suos & præcipue illos, qui ministeriales illius villæ exiterant, cum multa diligentia consuluit, cujus deberet esse bannus ille. Vivebant autem ministeriales illi, qui tempore felicis memoriæ RAINALDI, MANASSE, & RADULFI archiepiscoporum ministeria tenuerant, & hujus rei veritatem cognoverant. His siquidem omnes concorditer asseruerunt, quod bannus ille Remensis archiepiscopi esse debet, & præscripti archiepiscopi illum quiete tenuerant, quamdiu in archiepiscopatu vixerant. Hoc cum audisset domnus archiepiscopus, abbas tamen prædictus nihilominus assereret bannum illum beati Remigii esse debere,

(*a*) Obertо, qui fuerat antea præpositus S. Crucis in Leodio, de quo plura in Cantatorio seu historia Andaginensis monasterii.

(*b*) Radulfi, Viridis dicti, sancti Brunonis Carthusiensium institutoris amici, facti archiepiscopi anno 1108.

(*c*) Quippe castrum Bullonium comparaverat Obertus a Godefrido duce, teste Alberico in chronico.

domnus

domnus archiepiſcopus & ipſe abbas, die placiti ſuper hoc banno denominaverunt. Die autem placiti domnus archiepiſcopus, per miniſteriales ſuos, & per multos alios magnæ ætatis tricennalem & longe prolixiorem poſſeſſionem oſtendit. Inſuper etiam privilegium domini papæ CALIXTI ſecundi in præſentia omnium qui aderant legi fecit, in quo idem bannum Remenſi archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis auctoritate nominatim confirmatum eſt, & ſic domnus archiepiſcopus bannum illum obtinuit.

EPISTOLA III. ADALBERONIS archiepiſcopi Trevirenſis.

De negotio ſanctimonialium degentium Treveris.

[a] [b] RAINALDO *(a)* venerabili Remorum archiepiſcopo ADALBERO, *(b)* Dei gratia Trevirorum humilis miniſter & ſervus, omnium bonorum felicem conſummationem in Chriſto.

Antiqua confœderatio quæ inter Remenſem & Trevirenſem eccleſiam ſemper fuiſſe in eccleſiaſticis monumentis reperitur, quantum lætitiæ & ſolatii nobis attulerit, vix explicare poſſumus, immo eamdem etiam inter nos omni affectu renovari deſideramus, ut in alterius adverſitatibus mutua ſine trepidatione quæratur conſolatio. Sub fiducia ergo, pater reverende, germanæ dilectionis habitæ inter eccleſias noſtras renovandæ, & quandoque inter perſonas, ſi Deus conceſſerit, auctoritatem veſtram depoſcimus, quatinus parrochianos veſtros Ranzonem fidelem, & Odonem fratrem ejus milites Nicolai de Remineï, ab *invaſione* Villarum ſanctimonialium in ſuburbio civitatis noſtræ degentium, quas in epiſcopatu Laudunenſi tenent, canonica ſeveritate cohærere dignemini. Antiqua enim earum eſt poſſeſſio, ſed quotidie per novos prædones novas & inauditas injurias patiuntur, & nullam etiam liberationem expectant, niſi pro Dei miſericordia & noſtra interventione rigorem juſtitiæ ſuper hac retineatis, & ut idem Domino Laudunenſi, in cujus parrochia hæc illis inferuntur, inſinuetis, ſummopere rogamus. Valete certus quod in ſimilibus & majoribus cauſis voluntati veſtræ ſatisfacere parati ſumus.

(a) Rainaldus *de Martigni* ex epiſcopatu Andegavenſi tranſlatus ad ſedem Remenſem rexit ab anno 1124. ad 1137. quo vita functus eſt.

(b) Adalbero Trevirenſem thronum aſcendit anno 1137. ad 1152. ex Alberici chronico.

EPISTOLÆ EUGENII PAPÆ III.

EPISTOLA I. ABBATISSÆ & monialibus S. Petri Remenſis.

Munimentum abbatiſſæ & monialium S. Petri Remenſis, contra abbatem & monachos S. Nicaſii, ſuper calciata de Turno.

EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus abbatiſſæ S. Petri, ejuſque ſororibus S. & A. B. Cauſarum diffinitiones & controverſiarum concordiæ idcirco litterarum apicibus commendantur, ne poſterorum memoriæ ſubtrahantur. Controverſia quæ inter vos & abbatem *(c)* S. Nicaſii agitabatur, hoc modo in noſtra præſentia eſt per concordiam terminata. Tota calciata quæ eſt juxta caſtrum de *Thur*, erit eccleſiæ S. Nicaſii jure parrochiali, eique omnes ejuſdem calciatæ habitatores parrochialia jura cum integritate perſolvent. Omnes vero qui in domibus, quæ extra portam ipſius calciatæ ſunt, & quicumque de cetero intra ipſas domos & eccleſiam beati Petri de Jardincurte habitaverint, erunt parrochiani S. Petri, ab alia vero parte domorum, quicumque inter ipſas domos & eccleſiam S. Simeonis habitaverint, parrochiani erunt eccleſiæ S. Nicaſii. Quicquid habitatores calciatæ vobis tam de hortis, quam de domibus ipſius calciatæ aut aliis perſolvebant, nihilominus vobis perſolvent. Et quoniam tu abbatiſſa liti de calciata ſuper jure parrochiali in manu abbatis S. Nicaſii renunciaſti, abbas IX. ſextarios annonæ tibi remiſit, quorum ſex eccleſia S. Petri pro molendinis, tres vero pro quadam cultura ſingulis annis eccleſiæ S. Nicaſii perſolvebat. Nos ergo concordiam iſtam, quemadmodum dictum eſt, confirmamus, & ratam manere decernimus. Quadraginta quoque ſolid. Catalaunenſes, qui ab eccleſia *(d)* Bucilienſium, [d] pro abbatiſſa ejuſdem loci ex concordia inter ipſam & per Bucilienſem abbatem eccleſiæ veſtræ, donec in ea vixerit, debentur, vobis in vita ſua nihilominus confirmamus. Si quis autem hujus noſtræ confirmationis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum, atque in extremo examine de commiſſo reatu rationem Domino redditurum. Data in territorio Trecenſi apud Brennam IX. Kalendas Maij.

(e) S. Nicaſii abbatia, ordinis S. Benedicti Remis, a Gervaſio archiepiſcopo anno 1066. fundata, hactenus perſtat ſub congregatione S. Mauri.

(d) Bucilium monaſterium ordinis Præmonſtratenſis in diœceſi Laudunenſi a comite Viromandenſi fundatum.

EPISTOLA II. CLERO & populo Attrebatensi.

Pro Attrebatensi episcopo, & de quibusdam hæreticis ibidem morantibus.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei dilectis filiis, clero & populo Attrebatensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Quando inter prælatos atque subjectos tanta est unio caritatis, quod & prælati subjectis quæ salubria sunt sollicita attentione prospiciunt, & subjecti prælatis se in omni obedientia & humilitate submittunt, tota ecclesia Dei proculdubio suo cursu dirigitur, & tranquilla pace atque jocunditate lætatur. Venientem ad apostolicæ sedis clementiam venerabilem fratrem nostrum [a] (a) G. episcopum vestrum debita benignitate recepimus, & quamdiu inter nos commoratus est, inter fratres & coepiscopos nostros ipsum præcipue pro suæ honestatis reverentia fraterna caritate tractavimus. Et quoniam de statu commissæ sibi ecclesiæ, quædam ad nostram audientiam pervenerunt, quæ nec nos, nec eum in requisitione sui, & correctione negligentes esse permittunt, viva ei voce injunximus, ut ad eorum emendationem & conservandam in eadem ecclesia honestatem & religionem, ita promptus & districtus existat, ut & ipse in his suum officium compleviſſe appareat, & animum nostrum ulterius nulla exinde sinistra fama perturbet. Inter cetera enim idem frater nobis quiddam suggessit, quod non sine grandi gemitu nostri cordis referimus. Nunciavit siquidem nobis quod adeo quorumdam pravorum in commissa sibi ecclesia malitia creverit, ut hæreticæ [b] (b) sint pravitatis laqueo irretiti: qui etiam non verentur jam quibusdam aliis tendiculas hæreticorum extendere, ut suæ perditionis plures socios habeant, & secum animas multorum condemnent. Sane illis ecclesiasticæ severitatis est rigor districtus opponendus, & ideo sententiam, quam in eos prædictus frater noster episcopus vester religiosorum virorum consilio promulgaverit, nos auctore Deo ratam habebimus, & ut ipsam firmiter observetis, vobis omnino injungimus. Quia igitur, sicut idem frater noster a nobis & de cura gregis sibi commissi, & de imminentia sui officii propensius exhortandus, ita vos ad ipsius obedientiam & venerationem nostrarum litterarum estis ammonitionibus excitandi, eumdem fratrem nostrum ad ecclesiam suam & ad vos cum gratia sedis apostolicæ ac nostrarum litterarum prosecutione, ducente Domino, remeantem, universitati vestræ duximus attentius commendandum, per præsentia vobis scripta mandantes, quatenus eum reverenter & honeste recipiatis, & filialem ei reverentiam & honorem jugiter exhibentes, tam de his quæ supra dicta sunt, quam de aliis quæ in vobis fuerint corrigenda, humiliter salubribus ejus præceptis obediatis, quatinus & ipse pro impenso vobis gubernationis officio perpetuæ gloriæ coronam valeat, donante Domino, percipere, & vos obedientiæ merito ad gaudia æternæ felicitatis possitis cum eo pariter introire. Data Romæ apud sanctum Petrum non. Februarii.

(a) Godefcalcum qui ex abbate Montis S. Eligii factus episcopus anno 1148. Alviso qui in sacra expeditione diem clauserat extremum, successit.

(b) Quinam illi fuerint hæretici non satis constat. anno 1025. celebrata est Attrebati synodus a Gerardo Cameracensi & Attrebatensi antistite, adversus hæreticos, qui suis erroribus regionem illam depravabant. Extat hæc synodus Spicilegii tom. 13. ex qua discimus præcipuas illorum hæreses circa ecclesiæ sacramenta versatas fuisse. An vero illa hæresis tempore Eugenii III. papæ adhuc Attrebatensem diœcesim inficeret, incompertum. Circa hæc tempora Cathari hæretici suos errores passim disseminarunt.

EPISTOLA III. CANONICIS ecclesiæ Aurelianensis.

Pro domno Philippo, de ecclesia sanctæ Letæ, quam asserit ad decanatum suum pertinere.

EUGENIUS servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Aurelianensis ecclesiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte dilecti filii nostri PHILIPPI (c) [c] fratris illustris Francorum regis, querelam accepimus, quod vos ecclesiam sanctæ Letæ, quam ad decanatum suum asserit pertinere, ei violenter aufertis, & jus suum in ea subtrahere sibi contenditis. Quia vero bona ipsius tam ecclesiastica quam mundana sub beati Petri & nostra protectione suscepimus, pati non possumus nec debemus, ut ei ab aliquo auferantur. Ideoque per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus aut eamdem ecclesiam ei reddatis, aut in præsentia venerabilis fratris nostri HUGONIS Altissiodorensis episcopi, sibi exinde justitiam faciatis. Data Romæ apud sanctum Petrum VIII. Kal. Junii.

(c) Hic Philippus distinguendus est a Philippo primogenito Ludovici VI. Francorum regis, qui vivente adhuc patre biennio postquam Remis in regem fuerat inunctus, decessit. Hic autem quintus Ludovici natus diu patri supervixit, fuitque archidiaconus Parisiensis, de quo Adrianus papa IV. in epistola 75. ad Ludovicum regem, apud Chesnium tom. 4. hist. Franc.

EPISTOLA IV. ABBATI & conventui Lobienſi.

Ne amplius ſedeant in refectorio cum canonicis, nec in uno ſint choro.

[a] EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio F. (*a*) abbati & [b] univerſo conventui (*b*) Lobienſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pervenit ad apoſtolicæ ſedis audientiam, quòd contra religionis ordinem & eorum, B qui in monaſtica obſervatione cenſentur conſuetudinem, canonicos S. Urſmari in uno choro & in uno refectorio patiamini pariter vobiſcum conſedere: unde quamplures enormitates fratrum quietem & ſanctitatis propoſitum diſturbantes audivimus provenire. Ea propter ſollicitudini veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus hujuſcemodi confuſionem ſtudeatis evellere, & piæ converſationis vota adeo diligenti cura munire, ut in nullo juſte miniſterium veſtrum poſſit vituperari, ſed virtutum ſagina apud Deum gratiam promerentes odore bonæ operationis ſubditorum viſcera repleatis, & eorum mentes ad virtutum opera ferventius provocetis. Præterea de his quæ ad fratrum præbendam pertinent, apoſtolica auctoritate præcipimus, ut nulli vel laico, vel clerico, niſi monachus aut converſus fiat, præbendam concedatis; ſed & ſi a prædeceſſoribus veſtris abſque conſenſu capituli data eſt, recipiatis. Datum Ferentini IV. nonas Decembris.

EPISTOLA V. LUDOVICO regi Francorum.

Pro eccleſia Belvacenſi.

EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio LUDOVICO illuſtri Francorum regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Catholici regis induſtria, licet omnes eccleſias quæ in ſua poteſtate conſiſtunt, debita devotione honoret & diligat, eas tamen in quibus carnem ſuam & viciniorem ſanguinem officio prælationis reſidere conſpexerit, ampliori dilectione amplectitur, veneratur, & libentius ac promtiori devotione opportunum eis ſuffragium impertitur. Hoc itaque rationis debito eccleſiam Belvacenſem duplici ratione tua ſublimitas affectuoſius debet diligere, tum quia prædeceſſorum tuorum largiflua donatione dotata & ornata dinoſcitur, tum quia venerabilis frater noſter HENRICUS germanus tuus in ea paſtoralitatis officio fungitur. Cum igitur eamdem eccleſiam idem germanus tuus in ingreſſu ſuo valde attritam & a circumpoſitis militibus oppreſſam invenerit, quædam beneficia quæ a ſuis prædeceſſoribus eis illicite conceſſa fuerant, ex conſilio noſtro, ſicut vir prudens, ipſis militibus denegavit, & ad opus eccleſiæ ſuæ retinuit: propter quod milites ipſi, ſicut accepimus, commoti ſunt, & memoratam Belvacenſem eccleſiam vexare & perſequi commiſerantur. Quia ergo & ex officio regiminis tibi commiſſo & ex debito fraternæ dilectionis teneris, ut ſæpedictam eccleſiam ſincere diligere debeas, & a pravorum hominum incurſibus defenſare, nobilitatis tuæ conſtantiam præſentibus litteris incitamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus ſi aliquis de ipſis militibus propter hoc ipſius eccleſiæ bona invaſerit ſeu quibuſlibet modis eam vexare præſumſerit, juxta potentiam tibi a Deo collatam, cum temporaliter punias. Nos ſiquidem venerabilibus fratribus noſtris circumpoſitis epiſcopis dedimus in mandatis, ut ſi forte ab aliquo eorumdem militum ea occaſione ſæpedictam eccleſiam vexari contigerit, eum qui hoc attentaverit excommunicationi ſubjiciant. Præterea ut bona & poſſeſſiones ipſius eccleſiæ, quæ abſentibus & inconſultis epiſcopis ejuſdem loci ab eadem eccleſia illicite alienata ſunt, ad eamdem eccleſiam ſicut princeps catholicus & eccleſiæ Dei amator, ſtudeas revocare, per apoſtolica ſcripta ſtrenuitatem tuam monemus, & in peccatorum tuorum remiſſionem injungimus. Data Ferentini V. Kal. Martii.

EPISTOLA VI. HENRIGO epiſcopo Belvacenſi.

Item de eodem.

EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Litteras & nuntium fraternitatis tuæ debita benignitate recepimus, & ſuper viſitatione tua tibi gratias agimus. Gratum ſiquidem nobis eſt, quod pro eccleſiæ tibi commiſſæ utilitate ſollicitus, ad commodum ejus libenter intendis, & ad exaltationem ipſius ſtudioſus exiſtis. Grave autem nobis eſt, quod Belvacenſis eccleſia propter impotentiam prædeceſſorum tuorum quibuſdam fuerit gravata redditibus, & annua beneficia de camera epiſcopi coacta perſolvere,

(*a*) Franconi, qui anno 1149. Lamberto abbati ſuffectus eſt, ex brevi chron. Lob. tom. 3. Anecd.

(*b*) Lobienſe inſigne ordinis S. Benedicti in diœceſi Cameracenſi monaſterium, a S. Landelino fundatum, cujus primi abbates etiam epiſcopali dignitate gaviſi ſunt.

Sed quoniam regalis potentia ad defensionem ipsius ecclesiæ in hoc negotio sufficit, nolumus ut aliorum potestati defensionis occasione subjaceat, aut bona illius multorum direptioni tradantur. Indignum est enim, ut regia potestas te indefensum laicorum ditioni subesse permittat, & quod regiam dedecet prolem, eorum conditionibus deservire. Unde carissimo filio nostro regi fratri tuo mandamus, ut eos qui te hujusmodi redditibus gravare conantur, a tali exactione regia potestate compescat: tibi autem per præsentia scripta mandamus, quatinus prædicta beneficia, quæ prædecessores tui imbecillitate sua annuatim solvere cogebantur, nequaquam de cetero largiaris, sed bona ecclesiæ tibi commissæ juxta prudentiam a Deo tibi concessam, ad utilitatem ipsius expendas, ut eadem ecclesia per tuam sollicitudinem de die in diem gratum Domino recipiat incrementum. Tua ergo, frater carissime, interest ad profectum illius ita prudenter & modeste procedere, ut omnipotens Deus honorem debitum inde recipiat, & ecclesia ipsa per te in melius valeat, Domino auxiliante, proficere. Nos enim auxilium & consilium, quod a nobis tibi expedire noverimus, libenter tibi exhibere curabimus.

EPISTOLA VII. ROTHOMAGENSI, Remensi, & Senonensi archiepiscopis, &c.

Item pro Belvacensi ecclesia.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Rothomagensi, Remensi, & Senonensi archiepiscopis, Parisiensi, Ambianensi, Noviomensi, Silvanectensi, Suessionensi episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.

Conservandis & distribuendis ecclesiasticis facultatibus tanto subtilior est impendenda cautela, quanto, ut eis & ministri ecclesiæ sustententur, & indigentium necessitatibus succurratur, & ecclesiarum ædificia reparentur, proborum virorum studio sunt solummodo congregatæ. Contra hoc autem Belvacensis ecclesia non modicam partem facultatum suarum, quam in prædictos usus deberet expendere, quibusdam militaribus personis contra leges forenses, contra sanctiones canonicas, contra constituta sanctorum patrum, compellitur impertiri. Quidam enim illorum, qui episcopalem in ecclesia ipsa olim cathedram tenuerunt, nec posteris suis, nec opportunitatibus indigentium providere curantes, quædam beneficia denariorum de domo episcopali annuatim recipienda quibusdam militibus illicite concesserunt, quibus usque nunc ecclesia ipsa non modicum prægravatur. Inde est quod venerabilis frater HENRICUS ejusdem loci episcopus, debito sui officii provocatus, & tam commissæ sibi ecclesiæ libertati, quam pauperum qui de bonis ejus fovendi sunt necessitati providere desiderans, ex nostro & quorumdam sapientum consilio beneficia prædicta retinuit, & illis militibus, qui ea illicite recipere consueverant, denegavit. Illi vero nec animarum suarum periculum, nec gravamen Belvacensis ecclesiæ attendentes, nolunt ab illicita eorumdem beneficiorum perceptione desistere. Immo quidam illorum ab hoc jam dicto fratri nostro damna plurima irrogarunt, & majora ei de cetero ausu temerario comminantur. Quia igitur ecclesiarum prælatis præcipua cura debet existere, ut perturbatores ecclesiæ, saltem vigore justitiæ, a suis præsumtionibus arceantur, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus, quatinus in eos, qui jam dicto fratri nostro damna irrogasse noscuntur, & in illos etiam qui de cetero irrogare præsumserint, nisi a vobis districte commoniti infra unius mensis spatium post commonitionem vestram, temeritatem suam congrua satisfactione correxerint, excommunicationis, in terras autem eorum interdicti sententiam proferatis, & tam diu eamdem sententiam faciatis inviolabiliter observari, donec a suis excessibus resipiscant, & prædicto fratri nostro condignam satisfactionem exhibeant. Quia vero in ejusmodi causis quidam ad fomentum suæ malitiæ, canonicæ ultioni refugium solent appellationis objicere, si aliquis eorumdem virorum pro hac re sedem apostolicam appellaverit, nihilominus in eum & terram ipsius prædictam sententiam proferatis & firmiter observetis. Data (a) Signiæ III. Idus Februarii. [4]

EPISTOLA VIII. HUGONI Altissiodorensi episcopo, & Bernardo abbati Clarevallensi.

Pro reconciliatione regis cum Belvacensi episcopo.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HUGONI Altissiodorensi episcopo & carissimo filio BERNARDO Clarevallensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Notitiam vestram latere non credimus, quam sincera cordis affectione carissimum filium nostrum LUDOVICUM Francorum regem, atque ipsius fratrem venerabilem, videlicet fratrem nostrum HENRICUM Belvacensem episcopum diligamus, & ipsorum actus a Domino dirigi, prosperari, & semper de bono in melius provehi exoptemus. Inde est quod sicut eorum unanimitas nobis gaudium & lætitiam generat; ita si quid rancoris inter eos emersisse percipi-

(a) Videtur irrepsisse hic mendum oscitantia amanuensis, nam omnes illæ epistolæ pro ecclesia Belvacensi, eadem die datæ sunt, scilicet Ferentini V. Kal. Martii.

mus, paterno affectu dolemus, & eorum rancor sive turbatio nos tristes non mediocriter reddit. Sentientes itaque quod intervenientibus quibusdam occasionibus inter eos sincera caritas, & fraternus amor aliquantulum (a) turbatus sit, valde stupemus, & vehementius tristati sumus. Ut ergo de illorum cordibus materiam scandali eradicare possimus, cum per nos ipsos ad hoc intendere minime valeamus, caritatem vestram, de qua tamquam de nobis ipsis confidimus, ad id efficiendum operam & studium efficaciter dare optamus. Ideoque sanctitatem vestram attentius exoramus, quatinus ad præsentiam prædicti filii nostri LUDOVICI Francorum regis absque tarditate pariter accedatis, & convocato ad vos memorato fratre nostro HENRICO Belvacensi episcopo, utrumque super eorum controversiis absque strepitu districtius convenire curetis, & litigii ablata materia, ad concordiam & fraternam caritatem vice nostra eos reconciliare, auctore Domino, satagatis: ita ut & regia dignitas in sui status integritate servetur, & episcopalis honor lædi non debeat, atque fraterna caritas inter eos amore perpetuo reformetur. Data Ferentini v. Kal. Martii.

EPISTOLA IX. HUGONI Rothomagensi archiepiscopo.

Item pro vexatione Belvacensis ecclesiæ.

[b] EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri (b) HUGONI Rothomagensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad præsentiam nostram venerabilis frater noster HENRICUS Belvacensis episcopus, cum ab eo de statu ecclesiæ suæ sollicite quæremus, nobis aperuit quod inter alia gravamina, quibus ipsa ecclesia perturbatur, quidam beneficia denariorum, quæ potius maleficia dicenda sunt, per illicitam largitionem prædecessorum suorum multis militibus atque baronibus sine utilitate ipsius ecclesiæ concessa invenit. Super quo habito prudentum virorum & nostro consilio, eadem beneficia ipsis militibus denegavit, & ad opus ecclesiæ suæ retinuit: propter quod milites ipsi, prout accepimus, adversus prædictum fratrem nostrum vehementer commoti, memoratam Belvacensem ecclesiam vexare & persequi comminantur. Quia ergo ex commisso nobis a Deo apostolatus officio universarum ecclesiarum paci & tranquillitati providere debemus, per præsentia scripta tibi præcipimus, quatinus si aliquis de ipsis militibus prædictis, qui in tua parrochia commorantur, propter hoc antedictam ecclesiam lædere seu vexare præsumserit, cum districtius commonere cures, ut ab infestatione sæpefatæ ecclesiæ penitus cesset, & eam in pace dimittat. Quod si post secundam tertiamve commonitionem tuam a sua præsumtione cessare contemserit, in eum tamquam in contumacem & rebellem, excommunicationis & interdicti sententiam proferas, & tam diu eamdem sententiam facias per tuas parrochias firmiter observari, donec de commisso excessu condignam satisfactionem exhibeat. Data Ferentini v. Kal. Martii.

EPISTOLA X. HENRICO Belvacensi episcopo.

Responsio Eugenii papæ ad litteras Henrici episcopi Belvacensis.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ut responsum super eo quod a nobis post discessum tuum primum petisti, secrete suscipias, propria manu quas legis litteras scripsimus. Noverit itaque tuæ fraternitatis sincera dilectio, quia nec in camera nostra, quando a nobis licentiam suscepisti, nec alio loco vel tempore cum de tua illa singulari & secreta (c) petitione nobis locurus fuisti, tibi assensum dedimus. Non ergo super nostris responsis in hac parte in corde tuo scrupulum teneas, sed illa intentione ad præsens sepositа, reditum tuum ad ecclesiam tibi a Deo commissam accelera, & ad lucrum animarum cleri & populi, cujus curam, Domino favente, semel suscepisti, sollicite, prudenter & viriliter elabora. Valeas in Domino semper carissime frater. Data Ferentini VIII. id. Martii.

EPISTOLA XI. HUGONI Rothomagensi archiepiscopo.

Pro Hugone de Gornaco.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HUGONI Rothomagensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Huc respicere videtur S. Bernardi epistola 305. ad Eugenium papam, & epistola Sugerii ad Henricum episcopum, capitulum, & clerum ecclesiæ Belvacensis, a nobis edita tom. 1. Anecdot. pag. 422.

(b) Hic est celeberrimus ille Hugo, qui ex abbate Radingensi factus est archiepiscopus Rothomagensis, cujus septem Dialogorum Theologicorum libros edidimus tom. 5. Anecdot, & tres adversus hæreses noster Acherius.

(c) Petebat Henricus absolvi ab onere episcopalis dignitatis, cujus petitionem nec Eugenius, nec qui illi post Anastasium IV. successit Adrianus IV. admittere voluerunt.

Venerabilis fratris nostri HENRICI Belvacensis episcopi relatio nos instruxit, quod Hugo de Gornaco, parrochianus tuus, cuidam civi Burgensi, Erquerico nomine, LXXII. libras Belvacenses & duas marcas argenti ab eo præstito juramento accipiens, mentita fide reddere contradicit. Quo circa per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus si dicta ejus super hoc veritate nituntur, prædictum Hugonem districte commoneas, ut ipsam pecuniam præfato Gornaco sine contradictione restituat. Si vero ammonitioni tuæ obedire neglexerit, ecclesiastica eum districtione ita cohibeas, ut non debeat exinde ad aures nostras pro justitiæ defectu querela perferri. Data Ferentini VI. idus Martii.

EPISTOLA XII. HENRICO Belvacensi episcopo.

De absolutione Henrici Belvacensis episcopi.

EUGENIUS servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Si semper quotiens tuæ fraternitati loquimur vel scribimus, tibi scrupulus generatur, aut ea desinas dubitare, aut nos a locutione vel scriptura necesse habemus cessare. Sit ergo tuæ caritati sine dubitatione certitudo, quia quam quæris ab episcopatu absolutionem, ad præsens nequaquam concedimus. Valeas in Christo, carissime frater, & ut inceptum reditum prospere perficias, Dominum attentius exoramus. Data Ferent. V. idus Martii.

EPISTOLA XIII. HENRICO Belvacensi episcopo.

De negotio magistri Petri.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad opera pietatis illorum studium confidentius invitamus, de quorum devotione, prudentia & religione pleniorem in omnibus fiduciam obtinemus. Pro latore præsentium magistro (a) PETRO & domni Clarevallensis & aliorum plurium, quorum postulationibus consensum subtrahere nec possumus nec debemus, scripta recepimus, in quibus precabantur attentius, ut quoniam tam longo tempore scholasticis studiis utiliter & honeste per Dei gratiam insudavit, nec tamen adhuc ecclesiastico meruit beneficio sublevari, nostro id interventu assequi mereretur. Nos igitur & tantorum precibus, & officii nostri debito provocati, hoc misericordiæ opus fraternitati tuæ, de qua in nullo diffidimus, decrevimus committendum, tanto utique id melius a te credentes executioni mandandum, quanto ad similia, nostra etiam postulatione cessante, satis religiosum animum tuum divini amoris credimus æmulatione succensum. Quo circa fraternitatem tuam per apostolica scripta propensius exoramus, quatinus ei pro Dei amore, pro beati Petri & nostra reverentia, pro tui pontificatus officio exaltando, præbendam in ecclesia tua concedas, ut & ipse tibi & nobis debeat esse fidelior, & ecclesiæ tuæ fideliter deservire, & nos fraternitati tuæ gratiarum actiones reddere debeamus. Data Signiæ XIV. Kal. Februarii.

EPISTOLA XIV. HENRICO episcopo Belvacensi.

Pro S. nepote abbatis S. Dionysii.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam fraternitatem tuam vera nobis caritate scimus annexam, idcirco eos, quos diligimus, sollicitudini tuæ fiducialiter commendamus. Dilectus filius noster S. pro illa devotione, qua venerabilis memoriæ (b) S. quondam sancti Dionysii abbas avunculus ejus sedi apostolicæ ac nobis ipsis tenebatur astrictus, carus nobis & acceptus existit, & tamquam specialem Romanæ ecclesiæ filium tam per nos quam per eos, de quorum caritate pleniorem fiduciam obtinemus, sustinere volumus & fovere. Unde quanto magis de tua fraternitate confidimus, tanto ad ipsius præsidium & dilectionem studiosius advocamus, per apostolica scripta rogantes, quatinus eum & suos pro beati Petri & nostra reverentia habeas attentius commendatos, & si forte amaritudo aliqua interceserit, ita pro nostro amore dimittas, & ita de cetero eis exhibeas te benignum, ut & ipsi sub tuæ defensionis præsidio, a pravorum incursu debeant liberari, & nos fraternitati tuæ pro eis gratias agere debeamus. Data Signiæ XIV. Kal. Februarii.

(a) Hic est celeberrimus ille Petrus, magister sententiarum dictus, qui ex canonico Carnotensi factus est episcopus Parisiensis, quam dignitatem morte resignavit, non 1164. ut dicunt Sammartani, sed 1160. ut colligit ex duabus Alexandri III. epistolis, aliisque monumentis.

(b) Sugerii, qui obiit anno 1151. mense Januario, itaque hæc epistola anno sequenti aut 1153. scripta fuit, nam Eugenius papa ulterius non vixit.

EPISTOLA XV. HENRICO Belvacensi episcopo.

Pro ecclesia de Ruricortè.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

[a] Qualiter ecclesia de *(a) Ruricort*, cum anteactis temporibus divitiis & religiose floruerit; nunc per illorum incuriam, qui inibi commorantur, non modicum sit in utroque contrita, plurimorum ad nos relatione pervenit, tantoque amplius contristamur, quanto ad instituenda religiosa loca, & instituta conservanda propensiori studio nos convenit imminere. Quia igitur a nobis in extremo examine metuimus exigendum, si quod corrigendum videmus in commissis nobis ecclesiis tepiditate aliqua relinquimus incorrectum: per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus de ordine canonico religiosos fratres ibi constituas, qui acceptam Deo religionis observantiam in eodem loco reforment, & tam in temporalibus quam in spiritualibus ejusdem loci debeant magisterium obtinere. Hoc autem ita te volumus diligenter efficere, ut nec appellationis, nec suffragii cujuslibet interventu, studium tuum ab executione hujus nostri mandati valeat præpedire. Data Signiæ III. idus Februarii.

EPISTOLÆ ADRIANI PAPÆ IV.

EPISTOLA I. HENRICO Belvacensi episcopo.

Preces papæ pro quodam D.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quia plurimum de tua devotione & animi sinceritate confidimus, pro his quos caros habemus, preces tibi porrigere minime dubitamus. Inde est quod dilectum filium nostrum D. latorem præsentium, qui multa nobis tam super dilectione circa eum, quam super aliis pluribus de tua fraternitate retulit commendanda, charitati tuæ attentius commendamus, per apostolica scripta rogantes, quatinus eum pro B. Petri ac nostra reverentia diligas & honores, & eum interventu nostro & pro devotione sua de caro habeas cariorem, ipsum quoque in negociis suis, si qua emerserint, prudentia tua studeat viriliter defensare. Data Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Februarii.

EPISTOLA II. T. PARISIENSI episcopo.

De investitura quorumdam personatuum.

ADRIANUS episcopus servorum Dei, venerabili fratri *(b)* T. Parisiensium episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. [b]

Veniens ad nostram præsentiam venerabilis frater noster Henricus Belvacensis episcopus, in audientia nostra exposuit, quoniam cum inter dilectum filium *(c)* O. abbatem sancti Dionysii & cancellarium Belvacensis ecclesiæ de quarumdam ecclesiarum personatibus controversia tractaretur, ipse abbas clericum quemdam, lite pendente, de ipsis personatibus investivit. Postmodum vero clericus ille ad apostolicam sedem accedens, a felicis memoriæ papa ANASTASIO prædecessore nostro ignaro hujus negotii confirmationis litteras impetravit. Quia igitur alteri parti præjudicium non debet afferre, quod ignoranter a sede apostolica dinoscitur impetratum, per præsentia scripta mandamus fraternitati tuæ, quatinus utramque partem ante tuam præsentiam evoces, & rationibus utriusque partis diligenter auditis, & plenarie cognitis, eamdem controversiam sine appellationis diffugio, justitia mediante, decidas. Si vero præfatum abbatem in causa ipsa obtinere contigerit, quoniam præfatus frater noster investituram eorumdem personatuum ad se de jure asserit pertinere, tam eum quam prænominatum abbatem ante tuam præsentiam convenienti loco & tempore te vocare jubemus, & utriusque rationibus auditis, diligenter & plenarie intellectis, causam ipsam, appellatione remota, canonice terminare, ita ut neutri parti de juris sui diminutione aliqua remaneat materia conquerendi. Data apud sanctum Petrum XII. Kal. Maij. [c]

(a) Ruricurtis ecclesia S. Martino sacra est monasterium ordinis S. Augustini, congregationis Gallicanæ in diœcesi Belvacensi, cujus mensam abbatialem hodie possident patres Societatis Jesu.

(b) Theobaldo, qui ex priore S. Martini a Campis factus est episcopus Parisiensis.

(c) Odonem, qui Sugerio abbati successit in regimine abbatiæ S. Dionysii.

EPISTOLA III. O. ABBATI S. Dionysii.

De quibusdam personatibus & de investitura eorum.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nostro (a) O. abbati sancti Dionysii, salutem & apostolicam benedictionem. [a]

Veniens ad apostolicam sedem venerabilis frater noster HENRICUS Belvacensis episcopus, inter te & cancellarium ecclesiæ suæ de quibusdam personatibus, inter te vero & ipsum de investitura eorumdem personatuum controversiam asseruit agitari. Nos autem omnem litigandi materiam de medio volentes auferre, eamdem causam venerabili fratri nostro T. Parisiensi episcopo commisimus terminandam, per præsentia itaque scripta dilectioni tuæ mandamus, quatinus cum ab eo propter hoc fueris evocatus, ad præsentiam ejus accedas, & quod ipse inter vos judicaverit, appellatione remota, suscipias & observes. Data Romæ apud sanctum Petrum XII. Kal. Maij.

EPISTOLA IV. AN. BELVACENSI canonico.

Pro causa quæ vertitur inter Henricum Belvacensem episcopum & An. canonicum.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri An. Belvacensi canonico, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ super personatibus quarumdam ecclesiarum, quas dilectus filius noster O. abbas sancti Dionysii tibi dicitur concessisse, inter te ac venerabilem fratrem nostrum HENRICUM Belvacensem episcopum agitatur, venerabili fratri nostro T. Parisiensi episcopo commisimus terminandam, per præsentia itaque scripta tibi mandamus, quatinus cum ab eo fueris evocatus, ad præsentiam ejus accedas, & quod ipse inter vos judicaverit, appellatione remota, suscipias & observes. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

EPISTOLA V. HENRICO Belvacensi episcopo.

Pro pecunia cuidam restituenda.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Latoris præsentium A. conquestione nuper accepimus, quod cum pecuniam XLI. marcarum argenti duobus fratribus, qui in curia tua consistunt, Hu. scilicet & R. de Noello, jurejurando recepto, quod eam in termino constituto persolverent, quondam accommodasset, cum jam terminus sit transactus, ipsam nullatenus persolverunt. Quo circa fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus infra viginti dies post harum susceptionem, diligenter eos & instanter ammoneas, ut prædictam pecuniam infra duos menses, post commonitionem tuam, sine ulla diminutione memorato creditori persolvant. Quod si forte facere noluerint, canonicam in eos sententiam non differas exercere, & totam terram eorum interdicto subjicere. Data in Territorio Malliani II. idus Julii.

EPISTOLA VI. H. SENONENSI archiepiscopo & Henrico Belvacensi episcopo.

Pro ecclesia Ferrariensi & de quibusdam rusticis.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus H. Senonensi archiepiscopo, & HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Fraternitati vestræ præsentium significatione volumus innotescat, quod serio in causa Ferrariensis ecclesiæ & fratrum de (b) Caritate allegationibus hinc inde auditis, & plenarie intellectis, pro ipsa Ferrariensi ecclesia sententiam tulimus, & ecclesiam de Brusiaco, super qua inter eos quæstio vertebatur, Ferrariensi monasterio, juxta sententiam (c) H. Bonæ memoriæ Senonensis quondam archiepiscopi, adjudicantes, secundum sententiam in irritum revocavimus, & fratribus de Caritate juxta primam sententiam perpetuum silentium imposuimus. Quo circa fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus infra viginti dies post susceptionem præsentium litterarum, abbatem & fratres Ferrariensis ecclesiæ in possessionem prædictæ ecclesiæ reducatis, & eos auctoritate nostra investire curetis. Præterea memorati abbatis & fratrum Ferrariensium conquestione accepimus, quod quidam rustici a monachis de Caritate inducti, post investituram possessionis a judice factam, cum iidem Ferrarienses fratres ipsam possessionem in nullo turbassent, armata manu olim ipsam ecclesiam de Brusiaco invase- [b] [c]

(a) Odoni.
(b) Caritas insignis cella ordinis Cluniacensis ad Ligerum in diœcesi Autissiodorensi sita.
(c) Henrici Apri, quem laudat S. Bernardus in suis epistolis.

runt,

runt, & quemdam de Ferrarienſibus fratribus vulnerantes, alios monachos & ſervientes eorum, auſu temerario verberare & unum ſervientem ligatum adducere præſumſerunt. Quocirca præſentium vobis ſignificatione injungimus, ut ſi verum eſt quod aſſeritur, ruſticos, qui violentas manus in monachos injecerunt, tam diu denuncietis vinculo eſſe anathematis innodatos, quouſque de tanto ſatisfacturi exceſſu, cum litteris veſtris apoſtolico ſe conſpectui repræſentent. Data Beneventi XVII. nonas Aprilis.

EPISTOLA VII. HENRICO Belvacenſi epiſcopo.

Pro eccleſia Compendienſi.

ADRIANUS ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacenſi epiſcopo; ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Compendienſem eccléſiam tanto amplius diligere nos convenit & fovere, quanto plus
[a] ſollicitudinis ad plantandam in ea (*a*) religionem Romana eccleſia dignoſcitur habuiſſe. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus in Domino, quatinus di-
[b] lectum filium noſtrum (*b*) An. ejuſdem loci abbatem pro reverentia beati Petri & noſtra diligas & honores, & in ſuis neceſſitatibus opem & præſidium largiaris. Et
[c] quoniam dilectus filius noſter (*c*) PHILIPPUS frater tuus theſaurum ipſius eccleſiæ adhuc dicitur detinere, frequens apud eum exhortatio non deſit; ut theſaurus, ipſe in manus præfati abbatis debeat devenire. Præterea fraternitati tuæ mandamus, quatinus de malefactoribus illis, de quibus antedictus abbas in audientia tua querimoniam depoſuerit, ita plenam ei juſtitiam facias, ut pro defectu juſtitiæ non cogatur amplius laborare. Data Lateranis IV. Kal. Novembris.

EPISTOLA VIII. ROTHOMAGENSI archiepiſcopo.

Pro cauſa Petri & matris ejus.

ADRIANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Rothomagenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cauſam quæ inter matrem Petri & eumdem Petrum, atque illam quæ *fuit conjux* fratris ejuſdem Petri, & virum ſuum ſuper quadam dote noſcitur agitari, venerabili fratri noſtro Cenomanenſi (*d*) epiſcopo
[d] commiſimus audiendam, & fine debito terminandam. Quocirca per apoſtolica ſcripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus cum ab eodem epiſcopo propter hoc fueris requiſitus, illam quæ conjux fuit fratris prædicti Petri, & virum ſuum ejuſdem judicis præſentiam adire, & quod ex merito ab eo judicatum fuerit, ſuſcipere & firmiter obſervare, eos omni cum diſtrictione compellas. Data Anagniæ id. Auguſti.

EPISTOLA IX. B. NOVIOMENSI & Henrico Belvacenſi epiſcopis.

Pro cantore Peronenſis eccleſiæ.

ADRIANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus B. Noviomenſi & HENRICO belvacenſi epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad apoſtolicæ ſedis clementiam, dilectus filius noſter O. cantor Peronenſis
(*e*) eccleſiæ, ſua nobis conqueſtione monſtravit, quod W. de Inciaco & uxor ejus [e]
centum libras Catalaunenſis monetæ, terras & quædam allodia per patrocinium nobilis viri J. Sueſſionenſis comitis, ei præſumunt auferre, & contra omnem juſtitiam detinere. Unde venerabilis frater noſter Cameracenſis epiſcopus, cum ita eſſe liquido cognoviſſet, pro tanta rapina eos, ſicut ex litteris ejus agnovimus, excommunicationis vinculo innodavit, & terram eorum interdicto ſubjecit, quia vero prædictum filium noſtrum cantorem ſuo jure privari, ſicut non debemus, ita nec poſſumus ſuſtinere, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus memoratum comitem, cujus patrocinio & auxilio ipſa bona ſunt ei violenter ablata, infra triginta dies poſt harum ſuſceptionem convenire diligentius ſtudeatis, ut eumdem W. & uxorem ejus ad reſtitutionem omnium ablatorum omni cum diſtrictione compellat, nec eis ad eorum detentionem auxilium vel ſubſidium de cetero præſtare præſumat. Alioquin in tota terra ipſius comitis, quo uſ-

(*a*) Compendienſis S. Cornelii eccleſia a Carolo-Calvo pro canonicis fundata, ceſſit monachis tempore Eugenii papæ III. cujus juſſu Sugerius abbas S. Dionyſii canonicos ex Pariſienſi S. Genovefæ & ex *nobili Compendienſi eccleſia* ejecit, religioſos vero eorum loco conſtituit, & in S. Genovefæ canonicos regulares ex S. Victore, in Compendienſi monachos ex S. Dionyſio eductos.

(*b*) Anſoldum qui Odoni primo abbati ſucceſſit, in cujus gratiam ſcripſit etiam idem Adrianus ad Hugonem Senonenſem archiepiſcopum.

(*c*) De quo ſupra ad Eugenii III. epiſtolam ad Ludovicum VII. regem Francorum.

(*d*) Guillelmo *Paſſavant*, qui eccleſiam Cenomanenſem ab anno 1142. ad annum circiter 1186. rexit.

(*e*) S. Furſei, in qua extat inſigne canonicorum collegium.

que jam dicto filio nostro cantori de omnibus fuerit satisfactum, appellatione remota, non differatis omnia divina officia prohibere. Data Lateranis XII. Kal. Martii.

EPISTOLA X. HENRICO Belvacensi episcopo.

Pro magistro Ni.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quotiens ab aliquo filiorum nostrorum, ad te pro ecclesiasticis causis interventus noster exquiritur, tanto facilius petitioni ejus assensum nostrum impendimus, quanto te ad exsecutionem rei quæ petitur & ammonitione nostra & injunctæ administrationis officio efficacius confidimus provocandum. Veniens autem ad apostolicæ sedis præsentiam dilectus filius noster magister Ni. qui nobis satis carus est & ac-
[a] ceptus, Arremarensis (*a*) monachus, de suffragio ejus & admissione precum suarum in negotiis ejusdem ecclesiæ fraternitatem tuam nostris litteris expetiit ammoneri. Quocirca fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, quatinus eumdem filium nostrum, qui circa negotia tua exiit satis sollicitus ac devotus, pro beati Petri & nostra reverentia diligas attentius & honores, & petitionibus ejus in negotiis ipsius ecclesiæ benigno jugiter concurras assensu, & ita ei favorem & auxilium tuum in causis suis impendas, ut fraternitas tua de admissione precum mearum commendabilis videatur, & nos petitiones tuas liberius admittere debeamus. Data Lateranis VIII. id. Mart.

EPISTOLA XI. S. REMENSI archiepiscopo.

Pro magistro Nicolao.

(*b*) ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri (*b*) S. Remensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Quotiens ab aliquo filiorum nostrorum ad te pro ecclesiasticis causis interventus noster exquiritur, tanto facilius petitioni ejus assensum nostrum impendimus, quanto te ad exsecutionem rei quæ petitur & ammonitione nostra, & injunctæ amministrationis officio efficacius confidimus provocandum. Veniens autem ad apostolicæ sedis præsentiam dilectus filius noster magister Nicolaus, qui nobis satis carus est & acceptus, Arremarensis monasterii monachus, de suffragio ejus & admissione precum suarum in negotiis ejusdem ecclesiæ fraternitatem tuam nostris litteris expetiit ammoneri. Quocirca fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, quatinus eumdem filium nostrum, qui circa negotia tua existit satis sollicitus ac devotus, pro beati Petri & nostra reverentia diligas attentius & honores, & petitionibus ejus in negotiis ipsius ecclesiæ benigno jugiter concurras assensu, & ita ei favorem & auxilium tuum in causis suis impendas, ut fraternitas tua de admissione precum nostrarum commendabilis videatur, & nos petitiones tuas libentius admittere debeamus. Data Lateranis octavo idus Martii.

(*a*) Arremarense haud ignobile monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Trecensi, ex quo ad Claramvallem accesserat Nicolaus monachus, factus postea S. Bernardi notarius, qui cum ab eodem S. Bernardo per apostasiam defeciset, ad primæ professionis monasterium se recepit, effecitque vir astutus, ut ab ipsis sæculi principibus coleretur, unde etiam in ejus gratiam hanc Adriani papæ epistolam scriptam conjicio.

(*b*) Samsoni, qui Rainaldo Remensi archiepiscopo anno 1137. defuncto, successit anno 1140.

EPISTOLA XII. REMENSI archiepiscopo & Laudunensi episcopo.

Pro filio Ramaldi Cotelle.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Remensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, & Laudunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad apostolicæ sedis audientiam vestra fraternitas noverit perveniisse, quod Ramaldus Cotella, olim Jerosolymam proficiscens, quamdam villam suam, quæ Boccumvilla dicitur, Henrico de *Teir*, pecunia ab eo mutuo susceptа, pignori obligavit. Ipse vero Henricus de fructibus etiam provenientibus sortem suam & eo amplius dicitur recepisse. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus si verum est quod asseritur, uxorem & filios jam dicti Henrici, quia ipse viam est universæ carnis ingressus, omni appellatione remota, districtius compellatis, ut prælictam villam filio memorati Ramaldi, postposita omni occasione & dilatione, restituant, alioquin non differatis in eos usque ad condignam satisfactionem excommunicationis sententiam promulgare. Datum Lateranis quarto idus Martii.

EPISTOLA XIII. HENRICO Belvacensi episcopo.

Pro cantore ecclesiæ Suessionensis, ut ei ablata restituantur.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO

Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius noster Suessionensis cantor adversus Odonem de *Angevilers* uxorem & familiam suam in audientia nostra querelam deposuit, quod cum quidam homo de terra sua quinque marcar. & XXXI. aureorum ei furatus fuerit, & pecunia ipsa ad manus ipsorum devenerit, ipsi nec eum restituere, nec justitiam exinde, prout iste asserit, voluerunt ullatenus exhibere. Quoniam igitur prædicto filio nostro in suo jure nec possumus, nec debemus ulla ratione deesse, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum Od. uxorem, & familiam suam, studeas diligentissime convenire, ut infra quadraginta dies post commonitionem tuam, vel prætaxatam pecuniam prædicto cantori cum integritate restituant, vel plenariam exinde justitiam ei in tua præsentia non differant exhibere. Quod si forte neutrum istorum voluerint adimplere, eos ad alterum efficiendum vinculo excommunicationis compellas. Datum Lateranis III. idus Martii.

C

EPISTOLA XIV. N. DECANO & capitulo Suessionensi.

Pro libertate & consuetudinibus Suessionensis ecclesiæ.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis N. decano & toti capitulo Suessionensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex injuncto nobis a Deo summi pontificatus officio, sollicitudini nostræ incumbit, ecclesiarum utilitatibus intendere, & earum libertatibus providere, ut ab injuriantium molestatione secure permaneant, & nostro sibi beneficio gaudeant fuisse provisum. Inde siquidem est, quod nos vobis & ecclesiæ vestræ cupientes utiliter providere, consuetudines & libertates, quas in episcopatu hucusque dinoscimini habuisse, videlicet malefactores vestros sive eorum terras interdicendi & absolvendi, episcopo inconsulto, devotioni vestræ necnon & eidem ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: adjicientes quod si quando ecclesia vestra pro injuria illata cessavit a divinis, reliquæ ecclesiæ secundum quod consuetudo vestra dinoscitur habuisse, de capituli vestri mandato cessent. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Lateranis Kal. Junii.

EPISTOLA XV. HENRICO Belvacensi episcopo.

Ut quædam præbenda militibus templi restituatur.

ADRIANUS episcopus, servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Et religiosæ professionis habitus & suscepti pontificatus officium de religiosorum virorum solatio te monet sollicitius cogitare. Dilectorum vero filiorum nostrorum militum templi suggestione nuper accepimus, quoniam præbendam quamdam tua eis fraternitas abstulit, quam eis in commissa tibi ecclesia bonæ memoriæ (a) O. antecessor [a] tuus pro suæ animæ salute cum canonicorum suorum assensu concessit, & cum beatæ recordationis papa Eugenius præbendam ipsam eis a fraternitate tua restitui postulaverit, id facere usque modo distulisti. Unde nos precibus ejusdem antecessoris nostri, preces quoque nostras addentes, fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, quatinus pro amore Dei & tui commendatione officii, eamdem præbendam eis interventu nostro restituas, & juxta concessionem prædicti antecessoris tui, eos pacifice tenere dimittas. Data Romæ apud sanctum Petrum VI. non. Maij.

EPISTOLA XVI. S. REMENSI archiepiscopo & ejus suffraganeis.

D *Pro ecclesia Jerosolymitana & pro militibus templi.*

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri S. Remorum archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, ejusque suffraganeis episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.

Quantum strenui & egregii Domini bellatores, milites videlicet templi, novi sub gratia Machabæi, universæ christianitati proficiant, & qualiter loca sancta, quæ Salvator noster corporali præsentia illustravit, & a paganorum versutia & persecutione defendant, non solum ad eorum, qui vicini E sunt, sed & qui extremum orbis axem inhabitant, non ambigimus perveniisse. Unde quanto majora universis Christi fidelibus per eos proveniunt incrementa, tanto attentius providendum nobis imminet & agendum, ut eorum necessitates sublevare curemus, & ipsis paternæ caritatis affectu in suis adversitatibus condolentes consi-

(a) Duo Odones episcopi in sede Belvacensi Henricum præcesserunt, Odo abbas S. Symphoriani, qui obiit anno 1144. & qui ei successit, Odo abbas S. Germari Flaviacensis.

lium & auxilium miniſtremus. Noviter autem, quod ſine grandi mœrore & exulceratione non dicimus quædam eis infortunia emerſerunt, & invaleſcente ſevitia paganorum, peccatis exigentibus, tam rerum quam perſonarum non mediocre perpeſſi ſunt diſpendium & jacturam. Cum enim filius Sanguinei ad obſidendam Bellinacii, quæ Chriſtianorum erat ſubdita ditioni, infinita collecta perfidorum hominum multitudine, acceſſiſſet, cariſſimus in Chriſto filius noſter B. (a) illuſtris Jeroſolymorum rex, ſimul cum fratribus militiæ templi ad fugandos hoſtes velocius properavit. Cumque adverſus paganos e regione caſtrorum idem rex conſediſſet, major pars ſuorum, fratribus templi cum eo remanentibus, impetrata licentia receſſerunt; hoſtes autem hoc liquido cognoſcentes, ſub feſtinatione aggreſſi ſunt Chriſtianos, ut eos in manu valida viriliter repugnarent. Rex vero & qui cum eo erant, quoniam infinitæ multitudinis .. minime poterant ſuſtinere, ſuaſu & nimia precum inſtantia eorumdem militum templi, ipſis ſimul cum reſiduis militibus regis remanentibus ad conflictum, licet invitus, multa tamen prece & poſtulatione devictus, illæſus tandem ad propria remeavit. Ceterum prædicti fratres pro Chriſti nomine & Chriſtianorum ſalute, animas ponere nullatenus formidantes, & alii qui cum eis remanſerant, cum innumerabili multitudine paganorum congreſſi ſunt, & prælium ingerunt. In ipſo autem prælio dilectus filius noſter B. magiſter militiæ templi ab hoſtibus captus eſt, & cum eo octoginta ſeptem de numero fratrum, trecenti vero de aliis militibus, tum capti fuerunt, tum in ore gladii trucidati, & tam equos quam arma & alia ſpolia incredibiliter amiſerunt. Sed poſt hujus diverſitatis caliginem & errorem temporis tenebroſi proſperitatis tempus emicuit, & dies optatus ſerenitatis illuxit. Prædictus itaque filius noſter rex, exercitu reparato, & collecta militum ac peditum multitudine, ſimul cum dilectis filiis noſtris nobilibus viris T. (b) Flandriæ comite & RAINALDO de ſancto Walerico & ſuis, quos tunc ad partes illas ex inſperato contigerat applicare, ſuperbientium hoſtium rabiem truculentam invaſit, & nonnullis eorum captis, nonnullis interfectis, de ipſis utique feliciter triumphando exercitum procul a prædictæ civitatis obſidione fugavit. Interim ad majorem lætitiam & ampliorem cumulum gaudiorum, ad majorem quoque de adverſitate conſolationem habendam, milites templi circa triginta, ducentos paganorum euntes ad nuptias verterunt in fugam, & divino præſidio comitante, omnes partim ceperunt, partim gladio trucidarunt. Nunc autem quoniam in tanta deſolatione, & imminentis neceſſitatis articulo prædictos fratribus & aliis loca illa ſancta pietatis intuitu defendentibus, nec debemus, nec poſſumus ulla ratione deeſſe, fraternitatem tuam rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatinus commiſſum vobis populum ſtudeatis diligentiſſime commonere, & eis in ſuorum veniam delictorum ex injuncto vobis officio injungatis, ut ſi qui idonei fuerint & ſtrenui ad bellandum, ad loca illa pro eorum liberatione ac defenſione feſtinent. Hi vero qui in propriis perſonis non poterunt laborare, equos, arma bellica, quæ in partibus illis ſunt plurimum neceſſaria, & alia de facultatibus ſuis pro animarum ſuarum ſalute, & paganorum remedio illuc ſtudeant deſtinare. Data Lateranis id. Novemb.

(a) Balduinus filius Fulconis regis Jeroſolymitani.
(b) Theodericо Alſatio dicto, qui ſororem Balduini regis uxorem duxerat.

EPISTOLA XVII. R. CARDINALIS S. Remenſi archiepiſcopo.

Pro Petro clerico.

VEnerabili fratri & cariſſimo amico S. Dei gratia Remenſi archiepiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, (c) R. eadem gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyter cardinalis & cancellarius, ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.

Quanto caritatis ardore & ſinceritatis affectu perſonam veſtram ſacro-ſancta Romana eccleſia diligat, ex hoc poteſtis manifeſtiſſime deprehendere, quod dilectum & ſpecialem filium ſuum Petrum notarium latorem præſentium, quem *totis viſceribus* dominus papa diligit, & internæ caritatis brachiis amplexatur, ipſe ſicut ex litteris ejus perpenditis, vobis attentiſſime commendavit, in hoc præſertim experiri deſiderans, quantum fidelitatem & devotionem circa eamdem Romanam eccleſiam habeatis. Unde quia nos & perſonam veſtram, & commiſſam veſtræ gubernationi eccleſiam tota mentis intentione diligimus, volumus & modis omnibus affectamus, ut preces domini papæ in hac parte ita efficaciter admittatis, quod ea ſpe & opinione, quam de vobis habet, nullatenus debeat defraudari. Quia vero idem filius cariſſimus & clericus noſter Petrus, nobis, toti Romanæ eccleſiæ in officio ſuo longo tempore fideliter, utiliter atque devote ſervivit, & eum pro ſua diſcretione, prudentia & honeſtate carum admodum & acceptum habemus, ipſum caritati veſtræ pleniſſime commendamus: rogantes ut ei volenti ad tempus litterarum ſcientia Pariſius de-

(c) Rollandus S. R. E. cardinalis & cancellarius, qui poſtea fuit Alexander papa III.

sudare, pro reverentia beati Petri & nostra intercessione, pro ejusdem quoque servitio, quod nobis & ecclesiæ nostræ, auctore Domino, adhuc poterit esse gratissimum, ita honorifice, ita liberaliter studeatis in suis opportunitatibus providere, quod & nos uberrimas gratiarum actiones vobis exsolvere, atque in postulationibus vestris, quoties necessarium fuerit, vos debeamus libentius ac facilius exaudire, & ipse idem ad vestrum & commissæ vobis ecclesiæ honorem & incrementum semper valeat fideliter aspirare. Neque hoc discretionem vestram volumus ignorare, quod quicquid beneficii honoris & commodi eidem fuerit a vestra liberalitate depensum, nobis ipsis absque dubio reputabimus errogatum.

EPISTOLA XVIII. HENRICO episcopo Belvacensi.

De consolatione & exhortatione Henrici episcopi Belvacensis a domino papa.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Prædecessor noster sanctæ memoriæ papa EUGENIUS in Belvacensem te voluit (a) episcopum subrogari, sperans quod de tua persona ecclesiæ Dei utilitas non modica proveniret. In qua siquidem dignitate tua nobilitas adeo provide, honeste ac circumspecte, cooperante gratia divina, se hactenus habuit, quod ipsius prædecessoris nostri videtur intentio adimpleta, & nos tuam cognoscentes de præteritis probitatem, de tuæ fraternitatis industria meliorem spem jugiter & fiduciam optinemus, ac per hoc si non esses a (b) contemplationis requie ad labores actionis translatus, studeremus diligenter efficere, ut pro ecclesiæ utilitate, hujusmodi translatio fieret, nec debemus efficere quod facta debeat irritari. Non ergo te moveat verbum quod minus caute diceris protulisse, quia illud dicere nequaquam fuit spiritualem (c) dimittere dignitatem. Susceptum itaque ministerium episcopale discretio tua diligenter exerceat, commissum tibi gregem verbo & opere ita in doctrina Christi studeas informare, ut non vacuus ad arcam patrisfamilias accedere debeas, si plures tecum divina faciente gratia possis manipulos reportare. Non enim volumus nec possemus ullatenus sustinere, quod episcopalem dimitteres dignitatem, nisi forte, quod absit, tale in te vitium cognosceremus, propter quod non posses in episcopali officio Domino deservire. Præterea dilectis filiis nostris fratribus sancti (d) Luciani, te ita benignum & misericordem exhibeas, ut ipsi omnipotentem pro te Dominum affectuosius deprecentur. Data Lateranis Kalendas Decembris.

(a) Id factum est anno 1149. cum mortuo Odoni episcopo Bellovacensi, cleri & populi unanimi voto, metropolitani & omnium suffraganeorum assensu, accedente etiam summi pontificis voluntate, subrogatus fuit de qua promotione vid. Petri Venerabilis lib. 5. epist. 8.

(b) Quippe Henricus spretis aulæ illecebris, monachum apud Claramvallem professus, cum Maria ad Christi Domini pedes sedebat.

(c) Hinc colliges Henricum episcopalem dignitatem ægre tulisse atque abjicere voluisse.

(d) S. Luciani insigne monasterium ordinis S. Benedicti in suburbio Bellovacensis civitatis, in cujus ecclesia S. Lucianus cum sociis quievit.

EPISTOLA XIX. HENRICO Belvacensi episcopo.

Pro ecclesia sancti Luciani.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad pietatis & misericordiæ opera tanto te duximus propensius invitandum, quanto de tua honestate ac religione majorem fiduciam obtinemus, & speramus quod nostras preces debeat tua fraternitas exaudire. Religiosi fratres ecclesiæ B. Luciani, de quibusdam rebus, de quibus in te & ipsos controversia vertebatur, tuæ se decreverunt potius supponere voluntati, quam cum tua nobilitate in judicio disputare, sperantes quod eis debeat plus utilitatis erga te conferre humilitas, quam litigiorum jurgia ministrare. Et ideo apostolicis litteris caritatem tuam monemus, rogamus & exhortamur in Domino, quatinus de his omnibus, quæ in tua liberalitate ponere decreverit, præcipue de decimis & prandiis & piscationibus, ita erga supra dictos fratres nobilitas tua se habeat, ut videaris religiosos fratres pro amore Christi diligere ac fovere, & nos tibi ubera possimus gratiarum exsolvere actiones. Data Lateranis Kal. Decembris.

A

EPISTOLA XX. HENRICO Belvacensi episcopo.

Pro nepotibus cujusdam canonici Autissiodorensis.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Venientis ad apostolicæ sedis præsentiam dilecti filii nostri Altissiodorensis canonici querimoniam nuper accepimus, quod (a) A. abbas ecclesiæ sancti Germani Altissiodorensis terram, quæ quibusdam nepotibus suis paterno solatio destitutis, sicut nuper accepimus, hereditario jure pertinere (a) dicitur, contra justitiam detinere præsumit. Cumque alia vice causa ipsa venerabilibus fratribus nostris Hu. Senonensi archiepiscopo & Altisiodorensi episcopo commissa fuisset, sine debito terminanda, in ipsius examinatione negotii, ad sedem apostolicam fuit appellatum. Quia vero ex injuncto nobis officio pupillis & orphanis compellimur in sua justitia salubriter providere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus infra quindecim dies post susceptionem præsentium litterarum, memoratum abbatem studeas diligentius convenire, ut vel ipsam terram nepotibus prædicti L. sub velocitate restituat, vel in præsentia tua ipsis exhibeat justitiæ complementum. Si vero causam interire maluerit, quam terram in integrum restituere, utraque parte in tua præsentia constituta, & rationibus hinc inde subtiliter investigatis & cognitis, causam ipsam, omni appellatione cessante, ita justitia mediante decidas, quod ulterius super hoc in audientia nostra non debeat replicari querimonia. Quod si prædictus abbas nec terram restituere, nec justitiam de his ad quos eadem terra spectare dicitur, voluerit exhibere, neque tuo super hoc judicio stare, ex tunc in ipsa terra, de qua controversia est, auctoritate nostra divina prohibeas officia celebrari, præterea si A. uxor quondam S. de Merlenmaco per se vel per alium, quominus alterum istorum effectui mancipetur, præsumserit impedire, in personam ejus excommunicationis, in terram vero ipsius sententiam proferas interdicti. Datum Lateranis VI. idus Decembris.

EPISTOLA XXI. HENRICO Belvacensi episcopo.

Pro quodam canonico ecclesiæ Autissiodorensis.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Venerabilibus fratribus nostris (b) Hu. (b)
B Senonensi archiepiscopo & (c) A. Altis- (c)
siodorensi episcopo causam quæ inter dilectos filios nostros R. præpositum de Liriaco & L. Autisiodorensis ecclesiæ canonicum super quadam præbenda noscitur agitari, olim commisimus audiendam, & fine debito terminandam. Cumque utramque partem ante suam præsentiam evocassent, prædictus R. præpositus ad eorum vocationem venire contemsit sed eumdem L. frustratoria dilatione ad sedem apostolicam appellavit. Nos vero quia plurimum de tua discretione confidimus, eamdem causam experientiæ tuæ committimus, omni appellatione remota, mediante justitia terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apo-
C stolica scripta mandamus, quatinus utramque partem ante tuam præsentiam evoces, & rationibus quæ hinc inde vertantur subtiliter inquisitis, & plenarie intellectis, eamdem causam canonico fine decidas. Si vero memoratus R. præpositus contumaciter noluerit ad tuam vocationem accedere, vel tuæ super hoc sententiæ efficaciter obedire, jam dictum filium nostrum L. de ipsa præbenda sine appellationis obstaculo auctoritate nostra investias. Data Lateranis VI. id. Decembris.
D

EPISTOLA XXII. H. ELECTO & capitulo Suessionensis ecclesiæ.

Pro Witto decano Suessionensi.

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis (d) H. electo (d)
& universo capitulo Suessionensis ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem.

Satis utiliter providemus ecclesiis, quando viros honestos ecclesiasticos præsertim
E & litteratos ecclesiasticis beneficiis ampliamus. Hujus autem considerationis intuitu, dilecto filio nostro Witto decano ecclesiæ vestræ præbendam, quam tu, fili electe, in eadem ecclesia nosceris hactenus habuisse, auctoritate apostolica ita concessimus & in-

(a) Arduinus illustri genere ortus, qui Gervasio abbati successit circa annum 1147. defunctus anno 1174.
(b) Hugoni.
(c) Alano ex abbate Ripatorii facto episcopo.
(d) Hugoni de *Chamsteuri*, cujus electionem saltem anno 1159. mensis Martii initio factam fuisse oportet, nam Adrianus qui hanc ad eum scripsit epistolam, eodem anno mense Sept. fato functus est. Hinc corrigas Sammartanos, qui Hugonis pontificatum ad 1160. annum referunt & ejus decessorem 1159. XIII. Kal. Octobri obiisse asserunt.

vestivimus, ut eadem præbenda debeat de cetero ad decanatus officium pertinere. Decebat enim ut qui officium in aliqua ecclesia gereret decanatus, redditus sufficientes haberet unde honeste possit & honorifice sustentari. Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus concessionem ipsam ratam habeatis, neque præsumatis eam ullo tempore perturbare. Data Laterani III. non. Martii.

EPIST. ALEXANDRI PAPÆ III.

EPISTOLA I. HENRICO episcopo Belvacensi.

De intrusione Octaviani schismatici.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Qualiter (a) OCTAVIANUS schismaticus & simoniacus, & manifestus invasor, post canonicam electionem nostram seipsum damnabili præsumtione intruserit, & ipse idem cum duobus tantum capellanis (b) suis (b) manto se propriis manibus operuerit, tum ex publica & communi fama, tum ex litteris, quas sæpius in Galliam destinavimus, ad notitiam tuam plenarie credimus perveniisse. Ut autem res ipsa manifestius (c) elucescat, dilectos filios nostros H. (c) tituli sanctorum Nerei & Achillei presbyterum (d) & O. (d) sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, quitotam rei seriem plenius enarrabunt, in regnum Francorum duximus delegandos. Unde quia de te speciali quadam inter alios prærogativa confidimus, & sicut de carissimo fratre nostro plenam in omnibus fiduciam obtinemus; eosdem fratres nostros caritati tuæ specialius commendamus: rogantes attentius ut eos pro reverentia beati Petri & interventu nostro benigne recipias & honores, & super negotio ecclesiæ consilium eis & auxilium modis omnibus subministres. Datum Anagniæ II. idus Decembris.

(a) Octavianus nobilis Romanus, qui ab Innocentio II. cardinalis creatus & pluribus legationibus sub aliis summis pontificibus functus, tandem Hadriano IV. defuncto, triduo post octo cardinalium suffragiis electus, adversus Alexandrum III. antipapa Victor IV. dictus, & in conciliabulo Papiensi, agente Friderico imperatore, confirmatus est.

(b) Mantum erat cappa rubea, insigne dignitatis papalis, quo olim prior diaconorum cardinalium electum induendo dicebat: *Ego investio te de papatu, ut præsis Urbi & orbi.*

(c) Henricum ex monacho Cisterciensi cardinalem creatum ab Eugenio III.

EPISTOLA II. HENRICO Belvacensi & Mauricio Parisiensi episcopis.

De accusatione in civilibus & criminalibus adversus R. Flaviniacensem abbatem commissa Henrico Belvacensi & M. Parisiensi episcopo.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Belvacensium & (e) M. Parisiensi episcopis, salutem & apostolicam benedictionem. (e)

Pervenit ad nos quod cum R. (f) Flaviniacensis abbas abbatiam ipsam olim voluntate propria resignasset, & ei fuisset alius substitutus, ad recuperandam abbatiam iterum aspiravit. Sed cum eam pro velle suo recuperare non posset, ad examen dilecti filii nostri VV. tituli sancti Petri ad vincula presbyteri cardinalis apostolicæ sedis legati, ipsum negotium est deductum. Qui cum utramque partem ante suam præsentiam convocasset, altera parte se per contumaciam ostentante, prædicto abbati restitutionem possessionis adjudicavit. Ita tamen ut si qui postmodum apparerent, qui cum vellent civiliter vel criminaliter convenire, paratus esset in ejus præsentia respondere. Cumque postea fuisset tam in civilibus quam in criminalibus conventus & accusatus, super quibusdam capitulis in ejus esset accusatione processum, & testes super civilibus & criminalibus auditi & examinati, ipse ad apostolicæ sedis audientiam appellavit. Quia vero altera parte in nostra præsentia constituta, ipse nec venit, nec responsalem aliquem destinavit, unde non potuimus idem negotium diffinire, causam ipsam discretioni vestræ committimus audiendam, & appellatione remota sine debito terminandam. Quo circa per apostolica scripta mandamus, quatinus utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus hinc inde auditis, & diligenter cognitis, eamdem causam, obstaculo, sicut dictum est, appellationis amoto, fine debito determinetis. Quod si prædictum abbatem constiterit, sicut dicitur, etiam post memorati cardinalis prohibitionem excommunicatio communicasse, canoni-

(d) Ottonem de Brixia ab eodem papa in sacrum collegium cooptatum.

(e) Mauritio, qui, ut patet, tum ex hac, tum ex decima epistola, multo ante successit Petro Lombardo in sede Parisiensi quam senserunt Sammarthani, qui in sua Gallia Christiana, initium episcopatus ejus rejiciunt ad annum 1164. quo Henricus, ad quem & ad Mauritium dirigunter duæ illæ epistolæ, jam tertium annum egerat in sede Remensi.

(f) Flaviniacense monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Æduensi, quod hactenus perstat sub congregatione S. Mauri.

cam justitiam de eo faciatis, & super eo quod idem abbas *J. Buffrani* incaptionem dicitur detinere, eum compellatis in nostra præsentia plenam justitiam exhibere. Datum Terrac. x. Kal. Januar.

EPISTOLA III. HENRICO Belvacensi episcopo.

De negotio ecclesiæ Flaviniacensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

In litteris quas super negotio Flaviniacensis ecclesiæ, tibi & fratri nostro Parisiensi episcopo transmisimus, *R. quondam abbas* circa principium recolimus fuisse appositum, cum ipse tamen per per sententiam dilecti filii nostri W. tituli sancti Petri ad vincula presbyteri cardinalis apostolicæ sedis legati in abbatiam fuerit restitutus. Unde quoniam non ex industria, sed ex occupatione multiplicium negotiorum id accidit, easdem litteras in hoc articulo emendatas vobis trantmisimus, ne illud quod in aliis fuerat negligenter appositum, & in causa præjudicium quodlibet debeat irrogare. Data Terracinæ x. Kal. Januar.

EPISTOLA IV. HENRICO Belvacensi.

De negotio magistri G. pro presbyteri præbenda Suessionensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensium episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Super illa devotionis constantia & fidei puritate quam circa sacro sanctam Romanam ecclesiam, & personam nostram multis rerum indiciis & evidenti experimento te habêre didicimus, prudentiam tuam plurimum in Domino commendamus, & ubertes gratiarum actiones exinde tibi referimus, propositum & voluntatem ferventem habentes, personam tuam sincere diligere caritatis affectu, tibique pro merito respondere, atque in omnibus quantum cum Deo & justitia fieri potest, libenti animo honorare. Tua ergo fraternitas, sicut bene & laudabiliter inchoavit, in fidelitate & obsequio beati Petri & nostro firma & stabilis perseveret, atque ad honorem ejusdem Romanæ ecclesiæ & nostrum, modis quibus potest studiose aspiret, & carissimum filium nostrum LUDOVICUM illustrem Francorum regem fratrem tuum ad hoc inducere & in eodem attente studeat solidare. De cetero discretionem tuam credimus non latere, qualiter prædecessor noster bonæ memoriæ ADRIANUS papa in Suessionensi ecclesia magistro G. presbytero latori præsentium unam concessit præbendam, eumque de ipsa investiendo, illi auctoritate apostolica eamdem præbendam confirmare curavit: tamen quia illam nondum potuit pacifice possidere, pro eo quod prædictus rex, sicut dicitur, prava suggestione cujusdam indignationem adversum istum concepit; fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, quatinus pro beati Petri & nostra reverentia & pietatis intuitu, partes tuas apud eumdem regem ita efficaciter interponas, quod gratiam ejus jam dicto sacerdoti restitui facias, & in hujus justitiis ab eodem rege illum facias manuteneri pariter & foveri. Datum Anagn. III. non. Februarii.

EPISTOLA V. HENRICO episcopo Belvacensi.

Ecclesia per Fridericum imperatorem afflicta orat ut subveniat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Illius devotionis integritas & affectio caritatis, quam circa sacro-sanctam Romanam ecclesiam & personam nostram credimus te habere, non modicam nobis fiduciam præstat, ut in necessitatibus nostris a te consilium debeamus & auxilium postulare, & imminentia nobis negotia tibi fiducialiter aperire. Qualiter autem ille tyrannus & vehemens persecutor ecclesiæ, (a) FREDERICUS videlicet, universalem (a) omnium matrem sacro-sanctam Romanam ecclesiam persequatur, eamque sine causa opprimat & infestet, ad discretionis tuæ notitiam non ambigimus pervenisse. Qui utique tamquam leo rapiens & rugiens positus in insidiis, aditus viarum ita per satellites barbaricæ feritatis obstruxit, quod illi jam non valeant usque ad nos transire, a quibus Romana ecclesia in necessitatibus suis opportuna recipere suffragia consuevit. Unde cum eadem Romana ecclesia multis oppressionibus angustata sit his temporibus & afflicta, magnis atque innumeris pene debitis aggravata, ad ejus omnia supportanda, & ad necessitates quas patitur relevandas, tanto studiosius exurgere te oporet & efficacius laborare, quanto amplius eadem mater ecclesia de tua devotione &

(a) Fridericus I. dictus, Ænobarbus electus V. Martii 1152. quem vocat hic tyrannum ob suscitatum ab eo funestum in ecclesia schisma post mortem Adriani IV. papæ.

fidei

fidei ſinceritate confidit. In tanto itaque neceſſitatis articulo conſtituti, caritatem tuam rogamus plurimum, monemus & exhortamur attentiùs, ut ad mentem revocans, quot & quanta gravamina & anguſtias Romana eccleſia pro ſua & omnium eccleſiarum libertate tuenda hoc tempore patiatur, conſiderans & quid membra capiti debeant, ad ſubventionem eccleſiæ, & ad ſolvenda debita, quibus premitur, manum liberalitatis extendas, & nobis tuæ conſolationis auxilium in tanto articulo largiaris, beneficia ſiquidem & obſequia quæ in neceſſitate parantur, conſueverunt ſemper recipientibus exiſtere gratiora. Abbates quoque & alios eccleſiarum prælatos in tuo epiſcopatu conſtitutos ad hoc idem cum diligentia exhorteris. In quocumque autem te nobis contigerit ſubvenire, illud dilecto filio noſtro latori præſentium quem propter hoc ad partes illas duximus, deſtinandum, te volumus aſſignare & nobis id ipſum litteris tuis ſignifices. Datum Anagniæ XII. Kal. Mart.

EPISTOLA VI. MAGISTRO Nicolao.

Laudat ejus erga ſedem apoſtolicam zelum, hortaturque ut in eo perſeveret.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri magiſtro Nicolao, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Devotionis tuæ conſtantiam & fidei firmitatem, quam circa ſacro-ſanctam Romanam eccleſiam & perſonam noſtram multis rerum experimentis, & ipſo effectu operis te habere cognoſcimus, gratam acceptamque tenemus, & eam plurimum in Domino commendamus. Novimus enim qualiter propriæ perſonæ minime pepercisti, & pro negotio eccleſiæ ſatis multum laborasti. Unde nos propoſitum & voluntatem habemus perſonam tuam, ſicut ſpecialem eccleſiæ filium, ſincera in Domino caritate diligere, & petitiones tuas omni tempore exaudire. Quia vero bonum principium laudabili exitu conſummandum eſt, dilectionem tuam per apoſtolica ſcripta monemus & exhortamur in Domino, quatinus ſicut bene cœpisti in devotione & fidelitate eccleſiæ ac noſtra, firmiter & immobiliter perſeveres, & alias tam eccleſiaſticas quam ſeculares perſonas ad hoc idem inducere ſtudeas, & propenſius ſolidare. Nos ſiquidem pro devotione tua venerabilibus fratribus (a) noſtris HUGONI Senonenſi & (a) S. Remenſi archiepiſcopis, nobili quoque viro (b) comiti HENRICO, commendatitias litteras pro te deſtinamus. Data Anagniæ II. non. Martii. (b)

(a) Samſoni. Hinc colliges hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe initio pontificatus Alexandri III. nam Samſon, archiepiſcopus Remenſis anno 1161. deceſſit.
(b) Trecenſi ſcilicet, cui gratus maxime fuit Nicolaus.
(c) Henricus Piſanus, monachus Ciſtercienſis ab Eugenio III. ſacro cardinalium collegio adſcriptus, de quo ſupra.
(d) Iſe ſſe videtur Oddo, ſive Otto diaconus cardinalis S. Georgii in Velo aureo, qui præcipuus fuit auctor deferendi ſummum pontificatum Alexandro III.

EPISTOLA VII. HENRICO epiſcopo Belvacenſi.

De excommunicatione & depoſitione H. abbatis Cluniacenſis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. *Henricum Belvacenſem epiſcopum laudat de ſuo in ſedem apoſtolicam, & in reprimendis ſchiſmaticis zelo.*

Illa ardentis caritatis conſtantia & ſinceriſſimæ devotionis affectio, quam in tempore procelloſo & turbido circa ſacro-ſanctam Romanam eccleſiam & perſonam noſtram fideliter oſtendiſti, nos ammonet & inducit, ut quod a te circa eccleſiam Dei utiliſſime geſtum eſt, immenſis laudum præconiis extollamus, & hoc in nobis efficit, ut obſequium tam gratiſſimum a noſtra & fratrum noſtrorum memoria nullo tempore dilabatur. Dilecti ſiquidem filii noſtri (c) HENRICUS & (d) ODDO ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales & apoſtolicæ ſedis legati nobis jam ſæpe & ſæpius retulerunt, licet hoc ipſum ex communi & publica fama, & ex ipſo effectu operis manifeſtius agnoſcamus, qualiter te pro domo Dei, murum inexpugnabilem oppoſueris, qualiter ſchiſmaticos & hæreticos potentiſſime confutaveris, & animum cariſſimi filii noſtri LODOICI illuſtris regis Francorum fratris tui, & aliorum tam ſæcularium principum, quam eccleſiaſticorum virorum, multis perſuaſionibus in catholicæ eccleſiæ firmaveris unitate. Ex eorumdem etiam cardinalium relatione cognovimus, quanto tempore eos & familias ipſorum in domo propria retinueris, & expenſis tuis quam laute, quam liberaliter procuraveris, & quanta eos ſtudueris caritatis affectione tractare. Noſtram vero receptionem, quæ in concilio in Francia celebrato ſolemniter facta eſt, magis quam tibi nulli mortalium imputamus, cujus quidem ſtudio, vigilantia, & labore, & animi hæſitantium ad veritatis ſunt ſemitam revocati, & in devotione eccleſiæ perſiſtentes, in ea firmius roborati. Unde quoniam proventum & exaltationem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ad honorem & promotionem tuam, & commiſſæ tibi eccleſiæ non eſt dubium pertinere, prædictum filium noſtrum regem inducas modis omnibus & horteris, ut in ea quam cœpit eccleſiæ devotione permaneat, & re- (c) (d)

belles qui in ejus regno exiſtunt ad obedientiam & fidelitatem eccleſiæ ac noſtram regia auctoritate compellat. Porro quia HUGO Cluniacenſis dictus abbas in animæ ſuæ periculum ab eccleſiæ unitate receſſit, & in hæreticam & ſchiſmaticam peſtilentis Octaviani corruit pravitatem; habito fratrum noſtrorum concilio, eum excommunicatum denunciamus, & negotium ipſum diſcretioni tuæ duximus injungendum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandantes, quatinus memorati filii noſtri regis conſilio habito & favore, cujus quidem regnum occaſione iſta per eumdem abbatem infeſtari poſſet & plurimum moleſtari, continuo acceptis his litteris Cluniacum accedas, & omni appellatione ceſſante, cum apoſtolicæ ſedis auctoritate deponas, & cum conſilio catholicorum fratrum ipſius monaſterii, alium in loco ejus ſubſtituere non moreris, privilegio a ſede apoſtolica Cluniacenſi eccleſiæ indulto, nullum tibi ſuper depoſitione ipſius abbatis impedimentum præſtante. Dignum eſt enim ut qui ſe ab eccleſiæ unitate ſubtraxit, expers dignitatis eccleſiaſticæ pro ſuæ malitiæ merito habeatur. Quod ſi ad ejus depoſitionem procedere forte non poteris, & hæretica perverſitate relicta, ad ſinum matris eccleſiæ voluerit remeare, tam eum quam complices ſuos, ſi & ipſi ad obedientiam noſtram duxerint redeundum, vice noſtra recipias, & a ſententia, qua tenentur excommunicationis abſolvas, juramento quidem prius ab eis ſuſcepto, ſicut in ſubſequentibus continetur. *Ego H. refuto & anathematizo Octavianum, hæreticum & ſchiſmaticum, & omnes principales fautores ejus, & ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & domino papæ* ALEXANDRO, *ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta evangelia.* Ad hoc nihilominus experientiæ tuæ mandamus, ut quibuſcumque modis poteris ſtudeas & efficias, quod Ymarum, (a) ſchiſmaticum & hæreticum Tuſculanum quondam epiſcopum capias, vel a monaſterio prorſus ejicias. Dilectos vero filios noſtros. R. latorem præſentium & ſocios ejus, qui in fidelitate Romanæ eccleſiæ permanſerunt, ad ipſum monaſterium tecum adducas, & eos in ſtatum ſuum quiete facias ac pacifice permanere. Dilectum prædictum filium noſtrum R. Cluniacenſis eccleſiæ monachum, caritati tuæ petimus eſſe interventu noſtro attentius commendatum. Datum Anagniæ VII. idus Aprilis.

Mandatque ut Cluniacum accedens abbatem excommunicatum deponat.

(a) Ymarus, de quo hic Alexander, erat Cluniacenſis ordinis monachus S. Martini a Campis, deinde prior Criſpeienſis S. Arnulfi, tum Caritatis ad Ligerim, ac poſtmodum abbas Pictavienſis Monaſterii novi. Ab Innocentio II. creatus cardinalis plurimas fauſte obivit legationes, in hoc vero infelix, quod Octaviano antipapæ inhæſerit, ipſumque conſecraverit. Unde mirum videri non debet, ſi Hugonem abbatem Cluniacenſem a vero pontifice averterit.

EPISTOLA VIII. FRATRIBUS Cluniacenſis monaſterii.

De depoſitione Hugonis abbatis Cluniacenſis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis univerſis fratribus Cluniacenſis monaſterii in communione eccleſiæ & in noſtra fidelitate & obedientia exiſtentibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sicut Cluniacenſe monaſterium nobile quondam honeſtiſſimum ac famoſum ad jus ſacro-ſanctæ eccleſiæ Romanæ ſpecialiter reſpicit & tutelam, ita quoque ferventius ei adhærere ſemperque ei aſſiſtere in ſuis opportunitatibus conſuevit, & in illis præſertim temporibus in quibus ſchiſmata & hæreſes pervenerunt, ipſum monaſterium anguſtiæ matris & lacerationi compatiens, ab ejus unitate nulla umquam occaſione diſceſſit, nullis blanditiis & terroribus a fide catholicæ eccleſiæ deviavit, utilius æſtimans opprimi temporaliter & affligi, quam ab unitate eccleſiæ & a materno gremio ſequeſtrari. Nunc vero eadem eccleſia, peccatis exigentibus, ſubſannatio & ſpectaculum omnium populorum orbi facta eſt fabula, quæ olim inter Gallicanas eccleſias famoſiſſima rutilabat: ita ut pro ſchiſmaticis fratribus ipſam Cluniacenſem eccleſiam maculantibus illud Jeremiæ vaticinium in medium proponatur: *Portæ ejus deſtructæ, ſacerdotes ejus gementes, virgines ejus ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine.* Eiſdem quoque falſis & hæreticis fratribus, qui quandoque in eccleſiæ communione fuerunt, & nunc miſerabiliter ſquamoſis ſordibus inhærentes, auctorem & caput ſchiſmatis imitantur, alius ſermo aptatur, quo dicitur: *Qui veſcebantur voluptuoſe interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Ille ſiquidem qui caput in eccleſia illa & ſuſtentatio videbatur, aliorum cauda factus eſt & ruina. Nec ſolum caput hoc debilitatum eſt, ſed potius, quod mœrentes dicimus, amputatum, cum tota Gallicana & univerſa pene totius orbis eccleſia in noſtra devotione & obedientia perſiſtente, & Octavianum ſchiſmaticum & hæreticum condemnante, ille qui abbas dicitur a catholicæ unitate eccleſiæ præciſus, ei præſumit in animæ ſuæ periculum pertinaciter adhærere, ut jam pro eo ejuſque complicibus conqueri compellamur, & dicere: *Egreſſa eſt*

a filia Syon omnis decor ejus, facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Sicut enim ex relatione accepimus plurimorum, quidam ipsorum fratrum eidem (a) HUGONI dicto abbati & *Ymaro* apostatico & schismatico, Tusculano quondam episcopo in ordinis & animæ suæ perniciem adhærentes, traditi sunt in reprobum sensum, & qui aliquando religiosi atque catholici habebantur, usque adeo in erroris laqueum & perversitatis semitam corruerunt, quod eis non immerito illud propheticum adaptetur: *Filii Syon inclyti amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.* Nos igitur cognoscences tantam iniquitatem egressam a Babylone, & a senibus judicibus qui videbantur regere populum, nec eam valentes prætermittere impunitam; ne si inulta remanserit, vicina loca sua commaculet fœditate, venerabili fratri nostro HENRICO Belvacensi episcopo, viro utique religioso, provido & honesto dedimus in mandatis, ut continuo Cluniacum accedens, ipsum HUGONEM dictum abbatem omni appellatione cessante apostolicæ sedis auctoritate deponat, & cum consilio catholicorum fratrum ejusdem monasterii, alium loco ejus substituere non moretur. Privilegio quod Cluniacensi ecclesiæ a Romanis pontificibus dicitur esse indultum, nullum ei super depositione ipsius abbatis impedimentum vel obstaculum irrogante. Dignum est enim ut qui se a petra fidei, & a catholicæ ecclesiæ unitate subtraxit, expers dignitatis ecclesiasticæ pro suæ malitiæ merito habeatur. Porro nos devotionis vestræ constantiam & fidei puritatem, quam circa sacro-sanctam Romanam ecclesiam & specialiter circa personam nostram habetis, gratam admodum acceptamque tenentes, & eam sicut commendanda est, plurimum in Domino commendantes, propositum & voluntatem habemus, vos sic ut viros religiosos catholicos & honestos & spirituales sanctæ Romanæ ecclesiæ filios, sincera in Christi visceribus affectione diligere, propensius honorare, & in vestris postulationibus exaudire. Quia vero non qui incipit, sed qui perseverat pro virtute præmium obtinebit, universitatem vestram per apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus sicut bene & laudabiliter incœpistis, in devotione & fidelitate ecclesiæ ac nostra, firmi atque immobiles persistatis, & prædictum fratrem nostrum HENRICUM Belvacensem episcopum accedentem illuc honorifice suscipientes, quicquid ipse super negotio sibi commisso statuerit, firmiter atque inviolabiliter observetis, & A tam consilium quam auxilium eidem pro viribus ministretis prædictos schismaticos tamquam pestem mortiferam respuentes. Datum Anagniæ septimo idus Aprilis.

(a) Is est Hugo III. cognomento *Frezan*, qui in Cluniacensis monasterii administratione successit Petro Venerabili abbati, cujus antea prior extiterat. Exauctoratus autem fuit anno 1161. quo Stephanus abbas electus dicitur in brevi chronico Cluniacensi a nobis edito in tom. 3. Anecdotorum. Depositus ad cellam de Vallibus infra Poliniacum in comitatu Burgundiæ secessit, ubi diem clausit extremum anno 1164.

EPISTOLA IX. HENRICO episcopo Belvacensi.

Exhortatio ut firmiter perseveret in devotione Alexandri papæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ matri tuæ, & his qui in ea ex canonica fratrum electione Domino disponente ministrant, quantum ex officii tui debeas dignitate, & quam sollicite ad honorem & exaltationem ipsius intendere te oporteat, nobis etiam reticentibus, discretionis tuæ prudentia non ignorat. Qualiter autem Octavianus schismaticus, simoniacus & manifestus invasor, post canonicam electionem nostram; & postquam nos invitos ac renitentes, de mandato ac voluntate fratrum ODDO prior diaconus induerat, seipsum intruserit, atque ipse idem manto se propriis manibus operuerit, ex litteris quas ad archiepiscopos & episcopos, aliosque ecclesiæ prælatos per Franciam constitutos nos olim recolimus destinasse, ad notitiam tuam plenarie credimus pervenisse. Quia igitur ecclesia Dei, ope & consilio religiosorum virorum, a multis retro temporibus non magis quam nunc indiguit adjuvari, fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ut in devotione matris tuæ sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ & nostra, sicut de te confidimus & speramus, immobili firmitate consistas, & simoniaca pravitate illius apostatici atque schismatici omnimodo reprobata, a quo videlicet episcopi, abbates, atque alii viri religiosi, & cunctæ fere personæ ecclesiasticæ, sicut a peste mortifera fugiunt, & ad eum nulla ratione accedunt, in petra fidei & ecclesiæ unitate animi tui constituas firmitatem, atque omnes tibi subjectos ad hoc ipsum jugi admonitione inducere studeas, & modis omnibus exhortari, ut talentum tibi creditum non in sudario videatur otiose reconditum: sed utiliter ad honorem Dei studio perfectæ discretionis expensum. Nos enim personam tuam sicut carissimi fratris tui, præteritæ quidem amicitiæ non immemores sincera volumus in Christi visceribus caritate diligere, & postulationes tuas quantum cum Deo possumus libentius exaudire. Datum apud Nimpham VI. id. Novemb.

EPISTOLA X. HENRICO episcopo Belvacensi.

Commendatio de perseverantia dilectionis circa Romanam ecclesiam & personam Alexandri papæ, & exhortatio ad idem.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Belvacensium episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Inconcussæ fidei tuæ paries supra Petram ecclesiæ stabili soliditate fundatus, nec impetu fulguris coruscantis everti, nec lentis potest imbrium infusionibus emolliri. Supra tale siquidem fundamentum quod Christus est ædificii tui structura consurgit, quod si turbo perflet, non quateris, si venti irruant, non moveris, quoniam ubi Christus est fundamentum, quod firmiter ædificatum est, nullo poterit impetu submoveri. Quia igitur nihil potest vel potuit te a catholicæ ecclesiæ unitate præcidere, nihil a devotione personæ nostræ tuum animum retardare, sed potius pro domo Dei murum inexpugnabilem præ aliis te opponens, & schismaticis & hæreticis summa instantia contradicens, dilectos quoque filios nostros cardinales apostolicæ sedis legatos, quibus in partibus illis negotium ecclesiæ commisimus exsequendum, benigne recipiens & honeste pertractans, in causa ecclesiæ utilis admodum ac necessarius extitisti: principium medium & finem tui propositi commendamus, & prudentiæ tuæ pro tanta constantia immensas gratiarum exsolvimus actiones, promtam utique voluntatem & intentionem habentes, te sicut dilectum & specialem ecclesiæ filium sincera semper in Domino caritate diligere, & personam tuam quibuscumque modis cum Deo possumus honorare. Nos enim quoniam ante promotionem nostram personam tuam, sicut tu ipse nosti, caram satis habuimus & acceptam; nunc ad majora, Domino disponente, promoti, te habere volumus in nostris visceribus cariorem, & quicquid pro te, salva conscientia, efficere possumus, promto & libenti animo curabimus effectui mancipare. Tu quoque, sicut antequam essemus ad officium apostolicæ dignitatis assumti, personam nostram specialiter dilexisti, & fidelis extitisti nobis admodum & devotus, sic & multo amplius de cetero in fidelitate & devotione beati Petri ac nostra fervescas, & honori & exaltationi & A commodo sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ, tamquam devotus filius & specialis intendas, sciturus quod devotionis tuæ sinceritas, & perseverantia fidei a nostra & fratrum nostrorum memoria nullo tempore dilabetur. Datum Anagniæ III. Kalendas Decembris.

EPISTOLA XI. HENRICO Belvacensi & Mauricio Parisiensi episcopis.

De controversia quæ vertitur inter Hugonem Senonensem archiepiscopum & abbatem Ferrariensem.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Belvacensi & M. Parisiensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Controversiam quæ inter venerabilem fratrem nostrum (a) Hugonem Senonensem archiepiscopum & dilectos filios nostros (b) D. abbatem & fratres (c) Ferrariensis ecclesiæ, super ecclesiis de Givrinis, de Lanais-villa, de Lisirvilla, de Prodais-fontana, de Gisem-basilica, de Coilo, de duabus partibus oblationum & de duabus partibus minutæ decimæ, de Curtre-maudo, de ecclesiis de *Conflans*, de villa Mandore, de Sora-terra, de Curia-Erardi, de Monte-Cressione, S. Hilarii supra fluvium *Pisel*, & S. Lupi, de Amiliaco, & capella de Canto-Galli, quas idem abbas & fratres ab ipso archiepiscopo sibi per violentiam conqueruntur ablatas, noscitur agitari: discretioni vestræ committimus audiendam & fine debito terminandam. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus congruo loco & tempore utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus quæ hinc inde vertuntur subtiliter investigatis & cognitis, eamdem controversiam, ita mediante justitia terminetis, quod nulla de cetero super hoc in audientia nostra querimonia iteretur. Data Januæ. v. id. Febr.

EPISTOLA XII. HENRICO electo Remensi.

De transmissione pallii ad Henricum Remensem electum.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico

(a) Hugo de *Toci*, frater Guillelmi Autissiodorensis episcopi, Henrico Apro archiepiscopo Senonensi anno 1144 successit, Constantiæ uxori Ludovici VII. Aurelianis imposuit diadema, Aleidemque Campaniæ cum eodem Ludovico marito Parisiis in templo beatæ Mariæ coronavit, obiit 1168. ut habet Senonense chronicon S. Petri & Sigeberti supplementum.

(b) Dodonem scilicet.

(c) Ferrariense monasterium antiquum & nobilissimum, in quo Ansegisus Senonensis archipræsul Ludovicum & Carlomannum filios Ludovici Balbi regis munxit. Huic cœnobio præfuit olim magnus illa Lupus Servatus dictus, eruditione & pietate clarissimus.

Remensium electo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quanto amplius affectum & animum tuum circa sacro-sanctam Romanam ecclesiam & personam nostram, ab ipso nostræ promotionis exordio, intentum fuisse cognoscimus ac ferventem, atque ad honorem & exaltationem ipsius contigit te sollicituis & præ ceteris abundantius laborasse, tanto de honore & promotione tua exultamus amplius & gaudemus, & si majora tibi fuissent ex divina dispensatione collata, animo nostro valde gratum existerent & acceptum. Ex tenore siquidem litterarum venerabilis fratris nostri Lingonensis episcopi, & dilectorum quoque filiorum nostrorum HEN. & ODD. sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium apostolicæ sedis legatorum, atque abbatis Clarevallensis, & ex litteris tuis de electione tua in Remensi ecclesia facta, manifeste cognovimus, & tam nos quam fratres nostri, sicut diximus, gaudio etiam gavisi sumus. Quod autem electum te & non archiepiscopum nominavimus, discretioni tuæ nec grave sit nec molestum, quia sicut ante consecrationem nullus episcopus dicitur, ita nec ante receptionem pallii jure aliquis archiepiscopus nominatur. Dilectos vero filios nostros Ans. & alios quos cum eo ad nostram præsentiam destinasti, debita benignitate suscepimus, & pallium pontificalis scilicet officii plenitudinem, per dilectum filium nostrum abbatem (a) Grandis-Silvæ, & eosdem nuntios, tuos tibi libenti animo duximus transmittendum; discretionem tuam per apostolica scripta rogantes, monentes & exhortantes in Domino, ut quod tibi ex parte nostra proponent, sine omni dubitatione credas, & ad carissimum in Christo filium nostrum LUDOVICUM illustrem Francorum regem accedens, sicut de te confidimus, illud studeas opere prosequente complere. Datum apud Montem Pessulanum II. Kal. Maij.

(a) Grandis-Silva insigne ordinis Cistercienſis monasterium in diœceſi Tololana, anno 1117. sub institutis Gerardi de Salis primo fundatum, deinde paucis post annis ordini Cistercienſi & lineæ Clarævallis aggregatum, cujus tunc abbas erat Alexander postea abbas Cistercii.

EPISTOLA XIII. ABBATI S. Remigii.

Pro ecclesia sancti Mauritii Remensis.

(b) ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio (b) abbati sancti Remigii, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster prior sancti Mauritii Remensis sua nobis narratione proposuit, quod cum maritus J. mulieris in ecclesia sua habitum religionis susciperet, cujusdam vineæ & campi sui medietatem eidem ecclesiæ secum donavit, quorum aliam medietatem prædicta mulier, memorato marito ejus de hac luce subtracto, ipsi ecclesiæ religiosum habitum ibidem assumens, concessit, cumque partem utramque longo tempore quiete ac pacifice eadem ecclesia possedisset, præfata mulier ad suggestionem cujusdam nepotis sui monachi tui, partem vineæ & campi, quam ecclesiæ beati Mauritii concesserat, ecclesiæ tibi commissæ donavit, licet ipsa se cum eadem parte ecclesiæ prænominatæ contulerit, & ex tunc ab illa usque in præsentem diem victum susceperit & vestitum. Tu vero ex secunda donatione quam ecclesiæ tuæ fecisse proponitur occasione susceptæ, prædictam ecclesiam beati Mauritii prælibata parte campi & vineæ spoliasti. Unde quoniam hoc religioni & honestati tuæ plurimum derogare videtur, discretionem tuam per apostolica scripta monemus, quatenus prælibatam campi & vineæ partem priori supradicto cum integritate restituas, & eam sibi & ecclesiæ suæ in pace de cetero & quiete dimittas, aut eidem in præsentia venerabilis fratris nostri Remensis archiepiscopi, cum ab eo propter hoc fueris evocatus, sufficientem super hoc justitiam non differas exhibere. Data Bituricis non. Maij.

EPISTOLA XIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro absolutione cujusdam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum præsentium lator a bone memoriæ prædecessore tuo nulla, sicut asserit, causa rationabili existente, pro excommunicato haberetur, & si bene meminimus, tunc ad nostram præsentiam venienti litteras absolutionis dedimus. Cumque dilectus filius noster O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis tunc apostolicæ sedis legatus absolutum eum ex nostris litteris cognovisset, & jam dicto prædecessori tuo, sicut comperimus ex sua relatione, mandasset, ut ipsum auctoritate nostra absolutum nulla ratione haberet excommunicatum; tu, sicut prædictus D. nobis asseruit, eum in eamdem sententiam conaris reducere. Quoniam igitur de discretione tua plenam in omnibus fiduciam obtinemus, nec decet probitatem tuam his quæ a nobis gesta sunt aliquatenus obviare, fraternitatem tuam

(b) Præerat tunc Remensi S. Remigii monasterio Petrus abbas ex Trecensi S. Petri de Cella monasterio assumtus, pietate ac eruditione insignis, factus postea episcopus Carnotensis.

per apostolica scripta rogamus, monemus atque mandamus, quatinus eamdem absolutionem a nobis factam ratam habeas, & ipsum ita cures paterna semper caritate diligere, quod & in hoc non offendatur Deus, & nos devotiotionem tuam merito debeamus in Domino commendare. Data apud (a) Dolense (a) monasterium VIII. Kal. Julii.

EPISTOLA XV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro O. monacho.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, HENRICO fratri suo Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Operibus pietatis intendere & humana fragilitate lapsis misericorditer providere, Domini Salvatoris exempla nos provocant, & officium exigit caritatis. Inde est quod pro O. latore præsentium, qui monasticam (b) vitam in monasterio (b) vestro professus, de claustro ejusdem sui postea mobilitate discessit, discretionem vestram rogamus atque monemus, quatinus ipsum pietatis obtentu, & pro reverentia beati Petri ac nostræ in monasterium vestrum, salva tamen monasterii ordinis disciplina recipiatis, nec eum in faucibus callidi hostis extra claustram vagari ulterius permittatis. Datum apud Dolense monasterium V. non. Julii.

EPISTOLA XVI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro quibusdam civibus Attrebatensibus.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Fervorem tuæ sinceritatis devotionis, circa sacro-sanctam Romanam ecclesiam, & specialiter circa personam nostram, jugiter effectu operis recognoscentes, desiderium gerimus & voluntatem te sicut carissimum fratrem nostrum & principale membrum ecclesiæ, totius dilectionis brachiis amplecti, & honori quoque & commodis tuis ferventius anhelare. Licet, autem G. J. R. & quamdam mulierem cum eis R. nomine atque alios socios eorum Attrebatenses cives, qui multo tempore nos & curiam nostram sunt secuti, justitiam super diffamatione sua instantius offerentes, a nobis repellere modis omnibus intenderemus: Quia tamen nobis summopere præcavendum est, ne nocentes solvamus & innoxios condemnemus, tuæ utique volentes fraternitati deferre, factum ipsum quousque consilio & deliberatione tua & ecclesiæ tuæ atque fratrum nostrorum episcoporum de regno Francorum latius perfruamur, digne duximus prolongandum eosdem cives interim ad propria remittentes: ita quidem, ut cum a nobis vocati fuerint, ad nostram præsentiam debeant accedere, & judicium nostrum & ecclesiæ sine ulla contradictione recipere & firmiter observare. Unde fraternitatem tuam diligentius sollicitamus, ut factum ipsum per illas personas quibus ipsorum civium vita & conversatio innotuit plenius inquiras, & nobis studeas intimare, ut nos tam tuo, quam ecclesiæ tuæ, & aliorum fratrum nostrorum episcoporum consilio & deliberatione usi pariter & instructi, in eodem negotio utiliter, auctore Domino, procedamus. Quoniam vero nolumus, nec est dignum, ut prædicti cives interius jacturam vel periculum quodlibet in personis aut in rebus suis valeant sustinere, fraternitati tuæ mandamus, quatinus cum civibus suis mandando significes, ne in personas vel bona ipsorum detrimentum præsumant aliquod vel gravamen inferre. Datum apud Dolense monasterium nonis Julii.

EPISTOLA XVII. S. ABBATI & fratribus Cluniacensis monasterii.

Pro decano & clericis beati Mauritii Turonensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis (c) S. (c) abbati & fratribus Cluniacensibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Significaverunt nobis dilecti filii nostri decanus, & canonici (d) beati Mauritii (d) Turonensis, quod inter vos & eos super quibusdam possessionibus apud Turnum super Maternam constitutis, quædam controversia vertitur, quam venerando fratri nostro HENRICO Remensi, archiepiscopo, committi a nobis postulant audiendam, & fine debito terminandam. Nos vero paci & quieti vestræ paterna sollicitudine providentes, universitati vestræ consulimus & mandamus, quatinus ad pacifice cum eis componendum intendatis propensius, &

(a) Dolense sive Burgidolense monasterium insigne ordinis S. Benedicti, in diœcesi Biturensi, haud procul a Castri-Rodulfi oppido, quod superiori sæculo ad sæcularis transiit canonicos.

(b) An Claramvallem, in qua Henricus olim monasticam vitam professus fuerat, an aliquod suæ dioecesis monasterium?

(c) Stephano qui in locum Hugonis depositi subrogatus fuit anno 1161.

(d) Id est cathedralis ecclesiæ, quæ S. Mauritio sacra est, eumque hactenus agnoscit patronum, licet S. Gatiani vulgo nomen præferat.

ſummopere laboretis. Quod ſi cum ipſis componere non poteritis, proximo feſto beati Lucæ, plenariam eis exhibituri ac recepturi juſtitiam noſtro vos conſpectui præſentetis, aut ſuper his præfati archiepiſcopi judicium ſubeatis, & quod ipſe exinde judicaverit, ſuſcipiatis ſine appellationis obſtaculo, & ſervetis. Quodcumque autem horum potius elegeritis, eiſdem canonicis infra xx. dies poſt harum ſuſceptionem veſtris litteris intimetis, ut & ipſi ad id exequendum inſtruere ſe poſſint & utiliter præparare. Data apud (a) Dolenſe monaſterium XIII. Kal. Aug.

(a)

EPISTOLA XVIII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

De negotio ecclesiæ Catalaunensis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex inſpectione litterarum tuarum accepimus, quod tam tu quam eccleſia tua & ſuffraganei eccleſiæ tuæ ad profectum & exaltationem Catalaunenſis eccleſiæ, intenditis pariter & ſtudioſius aſpiratis; ad quod & nos ipſi ex noſtri officii debito affectuoſius intendimus, & operam tempore ſuo dabimus opportunam. In ipſo vero negotio hactenus procedere diſtulimus, quia voluntatem cariſſimi in Chriſto filii noſtri LUDOVICI illuſtris Francorum regis, ſicut plenius novimus, in hoc facto tuæ voluntati minime conſonabat. Unde nos factum ipſum uſque ad proximum feſtum beati Lucæ duximus prorogandum, ut infra illius temporis ſpatium voluntatem ipſius regis in hoc poſſimus agnoſcere, & ad utilitatem & profectum jam dictæ eccleſiæ commodius meditari. Tua ſiquidem intererit interim animum ejuſdem regis inducere ad hoc & verbis ſuavibus mitigare. Confidere tamen te volumus firmiter & ſperare, quod cum tempus illud advenerit, tam huic negotio quam aliis etiam quæ honori tuo expediant promtam diligentiam adhibere curabimus, & ea quantum cum juſtitia & ratione poterimus ad utilem effectum cum honore tuo, auctore Domino, perducemus. Rogamus de cetero fraternitatem tuam, ut quia dilectus filius noſter abbas (b) ſancti Bertini nobis honorifice ſatis & devote ſervivit, & eccleſia ſua plurimum noſcitur aggravata, alteram de duabus procurationibus noſtris, quas illi accepimus fuiſſe impoſitas, noſtro interventu remittas. Datum apud Dolenſe monaſterium XI. Kal. Auguſti.

(b)

(*) Dolenſe ſive Burgidolenſe inſigne cœnobium ordinis S. Benedicti in diœceſi Bituricenſi, haud procul a Caſtro-Rodulfi, quod ſuperiori ſæculo ad ſæculares tranſiit canonicos.

(b) Is eſſe videtur Godefridus abbas S. Bertini, Leonji ſucceſſor, qui Turonis adfuit Alexandro concilium celebranti, teſte Johanne Yperio in chron. cap. 44.

EPISTOLA XIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ipſum laudat hortaturque ut cum rege ſe conveniat ad Clarum-montem, pro negotio eccleſiæ Catalaunenſis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Illius fervorem devotionis, quam omni tempore & præſertim ab exordio noſtræ promotionis circa ſacro-ſanctam Romanam eccleſiam, & perſonam noſtram laudabiliter exhibuiſſe dinoſceris, eo quo debemus conſiderationis oculo intuentes, firmiſſimum propoſitum noſtrum & promtam admodum voluntatem habemus, perſonam tuam, ſicut cariſſimi fratris noſtri, ſincera in Domino caritate diligere, & in omnibus in quibus cum Domino poſſumus, libenti animo te volumus exaudire. Pro negotio autem Catalaunenſis eccleſiæ tam cariſſimi in Chriſto filii noſtri LUDOVICI Francorum regis, quam comitis HENRICI litteras jam ſæpe ac ſæpius, ſicut te credimus noſſe, recepimus, & qualiter ipſi velint nos in negotio illo procedere, diſcretionem tuam non credimus ignorare. Sane nos fraternitati tuæ, quantum debemus & poſſumus deferentes negotium ipſum quouſque cum prædicto rege loquamur, cum quo apud Clarum-montem, ſicut tempore nobis ſignificavit, colloquium debemus habere, duximus differendum. Ideoque ſicut per alia ita & per præſentia ſcripta diſcretioni tuæ mandamus, quatenus tu ſimul cum eo, vel etiam ante adventum ipſius apud eumdem locum ad præſentiam noſtram accedas, & ibi nos, auctore Deo, quantum ſalva conſcientia potuerimus, cum conſilio ejuſdem regis & tuo, ad honorem Dei & illius eccleſiæ prædictum negotium terminabimus. Ad hæc quantum decet honeſtatem & prudentiam tuam, memorato filio noſtro regi familiariter adhærere, & ita efficere, ut conſilio tuo, ſicut facere conſuevit, plurimum acquieſcat, rogamus fraternitatem tuam, monemus & exhortamur in Domino, ut ad ipſum accedas, & ita te ei conſiliarium & familiarem exhibeas, quod conſilium tuum in his quæ ad Dominum, ad profectum & exaltationem eccleſiæ & regni ſui pertineant, libentius admittat, & te more ſolito carum circa

se habeat & acceptum. Præterea sicut jam A per alia tibi scripta significavimus, ita & præsentibus litteris prudentiam tuam sollicitamus, ut ad disturbationem ipsius (a) colloquii, quod cum FREDERICO dicto imperatore, idem rex se proposuit habiturum, omnibus modis intendas, & quod nulla ratione hujusmodi propositum habeat complementum, quibuscumque modis poteris efficias & labores. Statum vero jam dicti regni, & tuum in agendis ecclesiæ consilium quantocius tuis nobis litteris studeas intimare. Datum Brivatæ Kal. Augusti.

(a)

EPISTOLA XX. H. REMENSI archiepiscopo.

Ut comitis Registetensis exactiones in ecclesiam Laudunensem compescat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri H. Remensi, S. & A. B.

Ex transmissa nobis conquestione canonicorum ecclesiæ Laudunensis accepimus, quod nobilis vir Registetensis comes super possessionibus ejusdem ecclesiæ in terra sua constitutis, ecclesiam ipsam non definit exactionibus fatigare. Quoniam igitur ex injuncto nobis officio providere compellimur, ne ecclesiæ in suis rebus a personis quibuslibet indebita prægraventur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum comitem moneas diligentius, & si opus fuerit districte compellas, in terris prædictæ ecclesiæ exactiones indebitas nullatenu, ponere, & eam in talibus de cetero minime molestare. Quia miles quidam præfati comitis, sicut dicitur, molendinum quoddam prædictæ ecclesiæ destruxit, & annonas ipsius sicut eorumdem canonicorum nobis est significatione monstratum, violenter accepit, nihilominus tuæ fraternitati mandamus, quatinus, si ita est, militem illum tam per te, quam per te, quam per jam dictum comitem diligenter studeas commonere atque compellere, ut damnum quod prænominatæ ecclesiæ in destructione molendini intulit resarciat, & ablatam annonam omni cum integritate restituat, vel eisdem exhibeat justitiæ complementum. Quod si neutrum facere forte voluerit, eum vinculo ex communicationis (b) astringas. Data Bituricis Kalendis (b) Aug.

B C D E

EPISTOLA XXI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

De districtione ecclesiastica in Guidonem de Castellione pro Petro & Ric.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum Guido de Castellione Petrum & Ric. latores præsentium, sicut ex eorum relatione accepimus, super crimine homicidii accusaret, & isti ad primum retro festum pentecostes ad nostram audientiam appellassent, prædictus Guido nec venit, nec responsalem pro se aliquem destinavit. Cumque fraternitati tuæ per nostras litteras mandaverimus, ut Guidonem illum moneres diligentius, & districte compelleres, quod eos pacifice & sine molestatione aliqua manere permitteret, vel in festo beati Petri responsurus pariter & acturus nostro se conspectui præsentaret, ipse nec præfixo termino ad nos venit, nec ab istorum adhuc vexatione desistit. Ideoque fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus, quatinus eumdem Guidonem ab eorum de cetero infestatione omni cum districtione compescas, nec per te, nec per alios patiaris aliquod eis gravamen inferri. Datum Bituric. VI. id. Augusti.

EPISTOLA XXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Gualterio diacono.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicam sedis clementiam Gualterius diaconus, lator præsentium lacrymabili nobis conquestione monstravit, quod canonici ecclesiæ tuæ ipsum capellania de Maceio, absque judicio & justitia spoliarunt, & eam cuidam presbytero minus canonice concesserunt. Cumque ipse ad nos Anagniam veniisset, nostras super hoc ad (c) S. bonæ memoriæ prædecessorem tuum litteras reportavit, in quibus (c)

(a) Hoc colloquium quod Vesuntione indictum fuisse vulgo tradunt scriptores, Divione vero, ut asserit Anselmus Salernitanus, habitum fuit ad *Pontem Laonæ* ad Saonam fluvium, hoc est ad Latonam, *inter Divionem & Dolam*, ut discimus ex Friderici imperatoris epistola ad archiepiscopum Lugdunensem apud Chesnium tom. 4. hist. Franc. p. 502. Sed Fredericus suos Vesuntionem, Ludovicus vero Divionem advocaverant, inde ad Pontem Laonæ ambo cum suis accessuri. In hoc autem colloquio quam prudenter se gesserit, & ab eodem recesserit. Vide si lubet historiæ Vizeliacensis librum IV. Spicilegii tom. 3. pag. 581. & breve chronicum Lobiense tom. 3. Anecdotorum, ex quo discimus habitum fuisse in festo decollationis S. Johannis Baptistæ. Idem scribit Albericus in chronico, qui & asserit tunc Ludovicum regem Clarevallensium consilio aversum fuisse a Friderico imperatore. Vide Henrici Remensis archiepiscopi epistolam ad Ludovicum regem fratrem suum apud Chesnium tom. 4. hist. Franc. p. 576.

(a) Forte Septembris Kalendis Augusti non Bituricis sed brivatæ existebat Alexander.

(c) Samsonem, qui obiit anno 1161. sepultus in monasterio Igniacensi.

&

& firmiter mandasse credimus, ut vel capellaniam ipsam faceret prædicto diacono restitui, vel plenam justitiam exhiberi. Ceterum quoniam illo de medio Domino vocante sublato, iste compellitur pro defectu sui juris in præsentia nostra replicare querelam; nos ejus inopia & iteratis clamoribus provocati, ex injuncto nobis officio fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictos canonicos tuos diligenter commoneas, & districte compellas, ut capellaniam illam, sacerdote inde remoto, præfato diacono quiete pacificeque restituant, aut in tua præsentia eidem exhibeant, appellatione remota, justitiæ complementum. Datum Bituricis x. Kal. Septembris.

EPISTOLA XXIII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro quodam milite, qui peccatis exigentibus in torneamento decessit.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO, salutem & apostolicam benedictionem.

Litteras tuas debita benignitate suscepimus, in quibus pro quodam milite, qui peccatis exigentibus in torneamento decessit, ut sepulturam ei ecclesiasticam indulgeremus, te precibus venerabilis fratris nostri Cantuariensis archiepiscopi motum, nos attente rogasse cognovimus. Verum licet in omnibus, quantumcumque cum Deo possimus, tam tibi, quam ei velimus deferre, & petitiones vestras libentius exaudire: quia tamen a regibus, principibus & baronibus terræ propter eamdem causam sæpius affectuose rogati, nullum hujusmodi precibus assensum præbuimus, ne prava illa consuetudo ex hoc incrementum posset suscipere, non grave tibi sit vel molestum, quod preces tuas in hoc prætermisimus inexauditas. Data Bituricis decimo Kalendas Septembris.

EPISTOLA XXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Catalaunensis ecclesiæ electo.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod tu cum carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO illustri Francorum rege, fratre tuo taliter conveniisti, quod si causa (a) electionis, quæ in Catalaunensi est ec- (a)
clesia celebrata in præsentia nostra, legitime cognoscatur, id eidem regi nec grave erit aliquatenus, nec molestum. Quod utique nos, licet aliunde nobis aliter suggeratur, gratum admodum acceptumque tenentes, & exaudiendi semper justas petitiones tuas firmum propositum & voluntatem habentes; id super hoc tibi duximus respondendum, quod in termino constituto cum utraque pars nostro se propter hoc conspectui præsentabit, in eadem causa ad honorem Dei & prædicti regis & tuum, quantum cum justitia poterimus, libentissime procedemus. Interim vero non est visum nobis terminum ipsum restringere, nisi hoc ex utriusque partis beneplacito proveniret. Datum Bituricis v. Kal. Septemb.

EPISTOLA XXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro filio Frajapanis nobilis viri.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

De sinceritatis ac devotionis tuæ constantia plenam fiduciam habentes, super his quæ volumus effectui studiosius mancipari, prudentiam tuam securius sollicitamus. Noverit siquidem tua discretio, quod dilectus filius noster, filius nobilis viri Frajapanis de regno Teutonico, ubi cum parentibus suis commoratur, ad nos venire disponit. Unde super hoc dilecto filio nostro (b) Vir- (b)
dunensi electo litteras nostras transmisimus, commonentes, ut eum usque ad regnum Francorum faceret secure deduci. Quem ei non nominavimus, volentes ut secretum interim haberetur. Quocirca rogamus probitatem tuam atque monemus, quatinus pro reverentia beati Petri ac nostra, litteras ipsas ad eumdem electum per aliquem discretum virum transmittas, & postea eumdem filium nostrum nobilem virum ad nos facias honorifice ac secure perduci. Interim vero id penes te secretum habeatur. Datum Bituric. nonis Septembris.

(a) Hæc electio Guidonem de Dampetra, aut Guidonem de Joinvilla respicit, de quibus Albericus in chronico ad annum 1163. *Apud Catalaunum electus fuit in episcopum Guido de Dampetra, frater Anselici, Guillelmi, Andreæ, & Milonis, virorum nobilium; sed divino judicio, cum esset indignus obiit ipso die, quo erat in crastino consecrandus, & electus est alter Guido de Jovevilla, frater Gaufridi, filius Rogeri, qui per annos 28. præfuit.*

(b) Is erat Richardus de Crissa ex toparchis de Grandi-Prato ortus; & ex archidiacono Laudunensi electus Virdunensis, mortuus vero in expeditione Hierosolymitana 1171.

A

EPISTOLA XXVI. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Vocatio archiepiſcopi ad colloquium papæ & regis.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Fraternitati tuæ cognitum eſſe volumus, quod cum cariſſimo filio noſtro Ludovico illuſtri Francorum rege fratre tuo credimus in proximo colloquium habituros. Quia vero præſentiam tuam in eodem colloquio nobis novimus admodum opportunam, diſcretionem tuam per apoſtolica ſcripta rogamus attentius, quatinus continuo ſuſceptis his litteris iter accipias, & ad eum locum, in quo nos ipſum colloquium habere cognoveris, feſtinanter accedas, ut conſilium tuum ſicut deſideramus habere poſſimus. Non autem locum in quo præſentes eſſe debeamus certum habemus, ſi apud (a) S. Laurentium vel apud (a) ſanctum Benedictum ſuper Ligerim credimus nos, auxiliante Domino, convenire. Datum Biturie. IV. id. Septemb.

EPISTOLA XXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro eccleſia S. Johannis de Condas.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Relatum nobis eſt, quod Rainerius de Calvo-monte monachos S. Johannis de Condas rebus ſuis ſpoliare præſumit, & eaſdem res contra juſtitiam nititur occupare. Unde cum univerſis Dei fidelibus pro ſua juſtitia reclamantibus ex officii noſtri debito paterna debeamus benignitate intendere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi ita eſt, memoratum Rainerium omni cum diſtrictione compellas, ut prædictis fratribus ablata reſtituat, & eoſdem ſuper jure ſuo inquietare ulterius non præſumat: alioquin ſupradictum Rainerium, quouſque ab hujuſmodi præſumtione deſiſtat, eccleſiaſticæ ſeveritatis digna ultione percellas. Datum Biturici 11. id. Septembris.

(a) Monaſterium inſigne ordinis S. Benedicti in diœceſi Aurelianenſi, vulgo Floriacenſe appellatum, in quo ſacræ S. patris Benedicti reliquiæ aſſervantur, hactenus floret ſub congregatione S. Mauri.

EPISTOLA XXVIII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro fratribus eccleſiæ ſancti Remigii.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cauſam quæ inter dilectos filios noſtros fratres ſancti Remigii & G. de Joinvilla, ſuper controverſia quæ inter eos vertitur, noſcitur agitari, diſcretioni tuæ committimus audiendam & fine debito terminandam. Ideoque per apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatinus utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis, diligenter & cognitis, cauſam ipſam juſtitia mediante decidas. Data Biturici idus Septembris.

EPISTOLA XXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro eccleſia ſancti Remigii.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex tranſmiſſa nobis conqueſtione abbatis & fratrum ſancti Remigii accepimus, quod advocatus de Germiniaco redditus ejuſdem villæ, quos fratres prædicti monaſterii ab eccleſia ſancti (b) Remacli ſub annuo cenſu rationabiliter poſſident, eis auferre præſumit, & contra juſtitiam occupare. Quia igitur jura eccleſiarum paterna debemus ſollicitudine integra & illibata ſervare, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi ita eſt, prædictum advocatum diligenter admoneas, & diſtricte compellas, ut ablata eis reſtituat, & prædictam eccleſiam ſuper jure ſuo vexare ulterius non præſumat, quod ſi memoratus advocatus de juſtitia ſua confidit, in præſentia tua expediatur, alioquin eumdem G. ex officii tui debito ad id exequendum eccleſiaſtica cenſura conſtringas. Data Biturici id. Septembris.

EPISTOLA XXX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro O. filio nobilis viri C. Frajapanis.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

(b) Id eſt a monaſterio Stabulenſi, uti credimus, quod patronum ac fundatorem agnoſcit S. Remaclum.

Quanto in devotione & amore matris tuæ sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ ac nostro constantior & ferventior perseveras, tanto major inest pectori tuo fiducia, ut ad honorem & utilitatem ejusdem ecclesiæ, amicitiam omnibus, quibus poteris modis, & satagas propensius & intendas. Inde est quod de tua sollicitudine maxime confidentes, quædam ad honorem & incrementum ecclesiæ Dei, ac nostrum plurimum pertinentia dilectis filiis nostris (a) Fusniacensi & de Eleemosyna abbatibus tuæ discretioni referenda commisimus, quæ per sollicitudinem & prudentiam tuam juvari petimus, & efficaciter promoveri rogamus. Studeat igitur devotio & prudentia tua, sicut in ceteris, ita & in hoc ecclesiæ Dei negotio taliter prompta & efficax apparere, quod etiam fraternitati tuæ gratias debeamus ubertimas exhibere. Præterea rogamus, quatinus si dilectus filius noster nobilis vir O. filius nobilis viri C. Frajapanis, quem de regno Teutonico revocamus, ad te pervenerit, eum benigne recipias, & ita honeste pertractes, quod te pariter & nos ipsos deceat, & & ipse puer devotionem, quam circa nos habes, etiam in hoc patenter agnoscat. Datum (b) Turonis VII. Kal. Novembris.

(a)

(b)

EPISTOLA XXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De negotio Romani pontificis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

(c) Venerabilem fratrem nostrum (c) B. Portuensem episcopum, virum siquidem honestum, litteratum & religiosum, ad præsentiam carissimi in Christo filii nostri LUDOVICI illustris Francorum regis, pro ecclesiæ negotiis continuo volente Domino transmissuri, devotionem tuam super hoc duximus prænonendam, tantam de te spem fiduciamque tenentes, ut quicquid in tempore isto ecclesiæ Dei, præsertim in partibus regni hujus, expediat, per solertiam tuam credamus efficaciter promovendum. Inde est quod fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus tu ipse ad præsentiam memorati regis accedas, & ad effi- E ciendum apud eum, quod sibi præfatus epis-

(a) Fusniacum insigne ordinis Cisterciensis monasterium in diœcesi Laudunensi a Bartholomeo episcopo fundatum anno 1121. quo etiam a Theobaldo comite Blesensi fundatum est monasterium de Eleemosyna in diœcesi Carnotensi.

(b) Ex hac epistola & sequentibus eruimus Alexandrum, postquam mense Augusto & Septembri demoratus est Bituricis, Turonos contendisse, ibidemque hiemasse. Id confirmant Bullæ ejusdem pontificis datæ Turonis mense Octobri 1162. pro Majori-monasterio, in quo paucis an-

copus ex parte nostra proponet, intendas propensius & insistas, tum quoque per te, quidquid ecclesiæ Dei ac nobis ipsis expedire cognoveris, juxta verbum quod dilecto filio nostro magistro W. latori præsentium tibi ex parte nostra injunximus, referendum, ita studeas, auctore Domino, effectu prosequente complere, quod nos inde fraternitati tuæ gratias ubertimas agere, & digne possimus in Domino, tuam in omnibus sollicitudinem commendare. Data Turonis Kal. Novemb.

EPISTOLA XXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Letoldo Aurelianensi præposito.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constitutus in apostolicæ sedis præsentia dilectus filius noster Letoldus Aurelianensis præpositus, sua nobis conquestione monstravit, quod Leodienses canonici redditus prædictæ sancti (d) Lamberti jam (d) sibi per biennium irrationabiliter denegarunt. Unde quoniam eidem præposito in jure suo deesse nec possumus, nec debemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatis canonicis commonendo & etiam comminando, si opus fuerit, sollicite scribas, ut si ita est, subtractos fructus ei cum integritate restituant, & eum super ejusdem prædictæ fructibus nullatenus de cetero inquietare præsumant. Quod si nec moniti, nec comminatione territi facere forte voluerint, tantum de illis redditibus, quos quidam prædictorum canonicorum in archiepiscopatu tuo colligere debent, accipias, quantum ipsi Letoldo de prædicta sua per eos constiterit injuste fuisse sublatum. Data Turonis XVI. Kal. Decembris.

EPISTOLA XXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De litteris ad Attrebatensem episcopum, ut consulat animæ suæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO

te diebus capellam infirmorum in honorem S. Benedicti consecraverat. Post hiemem vero profectus est Parisios, unde rediit Turonos concilium celebraturus, quo absoluto, post festum S. Hieronymi Senonas venit, ibidem demoraturus anno & dimidio.

(c) Bernardum ex canonico regulari creatum cardinalem ab Eugenio III. & in schismate partis Alexandri III. assertorem constantissimum.

(d) Leodiensis ecclesia cathedralis S. Lambertum agnoscit patronum.

Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectum filium nostrum abbatem ad nostram a te præsentiam destinatum promta suscepimus caritate, illum & vultum pariter & animum exhibentes, quem nos exhibere decuit viro religioso a fratre nobis tam venerabili delegato. Quod igitur ex parte tua viva voce nobis exposuit, & tuarum nihilominus tenor litterarum expressit, protinus sumus in eo quod decuit efficaciter prosecuti; scribentes scilicet illi fratri
(a) nostro (a) Attrebatensi episcopo, ut quoniam infirmitate gravatus, ad propriam administrationem noscitur insufficiens, animæ suæ consulere, & ecclesiæ studeat commodius providere. Super eo autem quod de commonitione canonicorum ad electionem celebrandam nobis fuit ex tui parte suggestum, non tam subito duximus procedendum, minime dignum existimantes, ut illo adhuc vivente & in commissa sibi ecclesia ministrante, de alterius debeat electione tractari. Cum autem de ipsius nobis abrenuntiatione constiterit, in eo negotio juxta tuæ discretionis consilium, auctore Domino, efficaciter procedemus. Ad hæc de honesta visitatione magnificæ devotionis tuæ, gratias tibi uberes exhibemus, fraternitatem tuam per apostolica scripta rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, quatinus sicut bene consuevisti, circa commodum & profectum ecclesiæ Dei, ac nostrum vigilanter intendas, & rumores Teutonicos solerter inquirens, eos nobis sæpius studeas declarare. Datum Turonis IV. Kal. Decembris.

EPISTOLA XXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De remotione abbatum sanctæ Mariæ & sancti VVlmari & de canonicorum secularium intrusione.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dum interna consideratione pensamus,
(b) quam inique quam enormiter (b) M. filius comitis Flandrensis dilectos filios nostros san-
(c) ctæ Mariæ (c) & sancti Wlmari abbates cum fratribus ab ecclesiis suis removit, & canonicos seculares in eadem intrusit, gravi dolore super miseria illorum compungimur, & sæpius coarctamur. Ceterum quoniam prædictus M. & canonici, nostra sæpe numero auctoritate commoniti, ut a tanta nequitia desisterent, addentes pejora prioribus, suæ malitiæ virus minime deposuerunt, Venerabilis frater noster Morinensis episcopus in eos sententiam excommunicationis propter hoc canonice promulgavit. Quam utique sententiam nos ratam habentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus quia quibus non communicat Romanus pontifex, nec tuam decet fraternitatem communicare, sicut scriptum est, quibus non communicat iste Clemens, nec tu communices: præfatum M. & canonicos sicut excommunicatos, & perversos ecclesiarum invasores attentius devites, & facias per totum archiepiscopatum tuum studiosius devitari, prædictis quoque abbatibus, ut ecclesias suas recuperare valeant, consilium tuum pariter & auxilium efficaciter studeas impertiri. Datum Turon. IV. id. Decemb.

EPISTOLA XXXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De Matthæo comite Boloniæ, qui monialem duxerat & duos abbates de ecclesiis regularibus ejecerat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Plena & manifesta veritate nosse te credimus, qualiter (d) M. filius dilecti filii no- (d)
stri nobilis viri comitis Flandrensis in animæ suæ periculum monialem Deo dicatam, & in abbatissam benedictam, sibi nefarie penitus & illicite copulavit, qui cum de tanta iniquitate Deo, quem offenderat, satisfacere debuisset, peccato peccatum accumulans, duos abbates de Bolonia, & fratres eorum, viros regulares & Deum timentes ex ecclesiis suis violenter ejecit, & aliis quibusdam viris in eas dissolutis intrusis, prædictos regulares nequiter exsulare compellit. Unde cum tu ad partes illas accedens, iniquitatem istam diligenter

(a) Godescalco scilicet, qui ex abbate Montis S. Eligii factus Attrebatensis episcopus sanctissime administravit, & anno 1164. pontificatum resignasse dicitur.

(b) Matthæus comes Bolonienſis, de quo vide notam in sequentem epistolam.

(c) S. Mariæ & S. VVlmari abbatiæ duæ canonicorum regularium ordinis S. Augustini in urbe Bolonia, quarum prima, destructis a Carolo V. imperatore Morinis, in cathedralem ecclesiam conversa est; altera ad presbyteros Oratorii transivit. Extat & aliud ordinis S. Benedicti monasterium S. VVlmari de Bosco dictum in eadem diœcesi.

(d) Hic est Matthæus filius Theoderici comitis Flandriæ, de quo antiquus auctor de Genealogia comitum Flandriæ tom. 3. Anecdot. n. 15. *Matthæus vero decore corporis & virtute militari laudabilis, quia principatus Flandriæ in jus senioris fratris, ut mos est, cesserat, egente patre, Mariam filiam Stephani regis Angliæ in uxorem sibi associat. Hac a puericia habitu religionis imbuta, cum sola comitatus Bolonienſis heres superesset, a claustris educta, & assensu papæ, Matthæo ad subrogandos paterna hereditati legitimos heredes, matrimonio est conjuncta, de qua cum duas filias genuisset, sanctimonialem claustris restituens, duxit iterum uxorem sororem Flandrensis comitissæ &c.* Verum quod hic auctor asserit, Matthæum assensu papæ duxisse Mariam uxorem, ex hac epistola falsum esse convincitur.

corrigere debuisses, hoc sicut dicitur, incorrectum & inemendatum ex impotentia potius, velut credimus, quam ex industria dimisisti. Quia igitur nos in eo sumus loco, disponente Domino, constituti, ut & prava corrigere, & ea studeamus quæ sunt placita Domino solidare, fraternitatem tuam per apostolica scripta monemus attentius atque mandamus, quatinus prædictum comitem studeas diligentius commonere, ut illum in nequitia ista nulla ratione confoveat, sed eum, quantum in se est, quantocius super hoc corrigere non postponat: ita quod clericis illis excommunicatis ejectis, prædicti religiosi ad ecclesias suas libere redire valeant, & ibi Domino pacifice deservire, alioquin timendum sibi erit, ne in eum & totam terram suam divina ultione graviter vindicetur, & sancta Dei ecclesia diutius hoc dissimulare non possit. Datum Turon. xv. Kal. Januar.

EPISTOLA XXXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De negotio VV. pro præbenda Castatensis ecclesiæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Latoris præsentium VV. ætate pariter & laboris, quem pro præbenda Castatensis ecclesiæ sustinuit, diuturnitate commoti, cum eidem in præbenda ipsa, pro eo quod sibi a dilectis filiis nostris HENRICO & ODD. sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, tunc apostolicæ sedis legatis abjudicata fuisse dignoscitur, non possemus salva conscientia providere, præposito, decano & universo capitulo ejusdem ecclesiæ dedimus in mandatis, ut eidem puero pro tantis laboribus & expensis aliquam recompensationem, de qua possit dignam consolationem recipere, studeant misericorditer providere, unde fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si forte illi hoc facere supersederint, tu nulla ratione dimittas, quin eos ad id faciendum, nostra fultus auctoritate compellas. Datum Turonis XIII. Kal. Januarii.

EPISTOLA XXXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De episcopo Aurelianensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Corporali quondam præsentia & vidisse te pariter & agnovisse recolimus, & etiam postea ex relatione dilecti filii nostri HENRICI abbatis, qui apud te moratur, cui nos id tibi referendum injunximus, plenius te intellexisse pensamus, quomodo carissimus in Christo filius noster LUDOVICUS illustris Francorum rex pro illo (a) Aurelianensi episcopo instanter apud nos intercesserit, & pro eodem tam viva voce quam frequentibus etiam nuntiis preces nobis curaverit replicare. Cui siquidem nos ad exemplar patrum & prædecessorum nostrorum, qui eum semper interna caritate diligere, & desideria ejus ac preces admittere curaverunt, & propensius exaudire, in omnibus decrevimus, quæ cum Deo possumus & honestate deferre: cum fratrum nostrorum consilium habeat, ut ei etiam in aliquibus quæ nos gravare noscantur, assensum debeamus minime difficilem impertiri; Super hoc autem consilium & voluntatem tuam hactenus nos expectasse cognoscas, ut sicut te contra eumdem Aurelianensem ferventer exarsisse, tamquam si in te specialiter peccasset, agnovimus; ita quoque an cum eo dispensative ac merito sit in diebus istis ad tanti principis tam sollicitas preces agendum, conscientiæ tuæ judicium apertius videamus. Præsentium igitur significatione tuæ super his duximus discretionis industriam requirendam, ut quod in consilii tui verset arcano celeriter nobis fraternitatis tuæ litteris exprimatur. Videtur autem nobis, ut & tu ad hoc debeas animum tuum & voluntatem inducere, cum ad deferendum in hac parte prædicto regi, ceterorum videantur studia concordare. Præterea nosse te volumus, quod si absque gravi difficultate fieri possit, præsentiam tuam transacto proximo natali festo habere desideramus. Dat. Turonis XIII. Kal. Jan.

(a) Sedebat tunc in ecclesia Aurelianensi Manasses de Garlanda, qui Heliæ sponte cedenti circa annum 1146. successerat. An ipsum tangat hæc Alexandri epistola, an vero Heliam, qui adhuc in vivis superesse poterat, cum Turonis versaretur papa, hoc est anno 1162. non satis liquet: certe propensum fuisse erga Eliam Ludovicum regem probat ejus apud pontificem intercessio, ne episcopatum dimittere cogeretur.

EPISTOLA XXXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De Burgensibus hæreticis & in fide depravatis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Burgenses illos hæreticos & in doctrina fidei depravatos, contra quos proprias litteras tua fraternitas ad nostram præsentiam destinavit, dure satis, sicut dignum videbatur, recepimus, & eam illis asperi-

ratem oſtendimus, quam viris talibus a nobis congruit exhiberi. Scire autem debet tuæ diſcretionis prudentia, quia cautius & minus malum eſt, nocentes & condemnandos abſolvere, quam vitam innocentium ſeveritate eccleſiaſtica condemnare; & melius viros eccleſiaſticos plus etiam quam deceat eſſe remiſſos, quam in corrigendis vitiis ſupra modum exiſtere & apparere ſeveros, teſtante utique ſcriptura, quæ ait: *Noli nimium eſſe juſtus*, & alibi: *Qui multum emungit, elicit ſanguinem.* Nos autem tibi, ſicut cariſſimo filio noſtro tam in his, quam in omnibus aliis, in quibuſcumque ſecundum Deum poſſumus deferre volentes, & perſonam tuam propenſius honorare, quod exinde de conſilio fratrum noſtrorum debemus. ſtatuere, fraternitati tuæ in proximo, auxiliante Domino, reſcribemus. Datum. Turon. x. Kal. Januar.

EPISTOLA XXXIX. LUDOVICO regi Francorum.

De his qui in partibus Flandriæ hæreſis arguebantur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio LUDOVICO illuſtri Francorum regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Litteras ſuper negotio illorum qui in Flandriæ partibus hæreſis arguuntur, a tua nobis celſitudine deſtinatas, debita benignitate ſuſcepimus, & earum tenore diligenter inſpecto, id excellentiæ tuæ duximus intimandum, quod cum quidam ex illis cum pluribus litteris noſtro ſe conſpectui præſentaſſent, aſſerentes ſe penitus totius hæreticæ pravitatis immunes, eos ad judicium venerabilis fratris noſtri HENRICI Remenſis archiepiſcopi, cum noſtris voluimus litteris deſtinare. Illis tamen ad eum ire nolentibus, duo ex ipſis abſque litteris receſſerunt, & apud nos uſque modo remanſerunt: nolentes aliqua ratione reverti, ſed potius a nobis juſto judicio judicari. Nos tamen quibus in propoſito ſemper & voluntate conſiſtit, conſilium tuum in omnibus quæ cum Deo ac juſtitia poſſumus exſequi, nulla ratione illos voluimus audire, nec aliquatenus audiemus, donec ſuper hoc tam tuum quam prædicti archiepiſcopi atque aliorum religioſorum virorum conſilium plenius habeamus. Voluntatis enim & propoſiti noſtri eſt in omnibus prout diximus conſilium tuæ ſublimitatis admittere, honori & exaltationi tuæ ſtudioſa ſollicitudine vigilanter intendere, æque ſicut cariſſimum filium & præcipuum prius dominum eccleſiæ defenſorem exaudire propenſius & in omnibus honorare. Datum Turon. III. id. Januar.

EPISTOLA XL. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De Drogone canonico ſancti Timothei.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad præſentiam noſtram Drogo diaconus & canonicus eccleſiæ ſanctorum martyrum (a) Timothei & Apollinaris, in auditorio noſtro querelam depoſuit, quod Milo clericus de Largeriaco, & ſervientes uxoris Bald. militis cum conſilio ejuſdem Milonis, de equo ipſum violenter depoſuerunt, & ipſi iidem ſervientes & Herveus preſbyter poſt appellationem ad nos factam, fructum cujuſdam terræ ſuæ de Muſione, & equum cui noſcitur inſediſſe, auſu temerario abſtulerunt, qui de injuria illata ſatisfacere & ablata reſtituere contradicunt. Quia igitur tantæ præſumtionis exceſſum relinquere nec debemus, nec poſſumus incorrectum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi ita eſt, eos qui prædictum clericum de equo depoſuerunt, tamdiu excommunicatos denuncies, quouſque ablata reſtituant, & de tanto ſatisfacturi exceſſu, noſtro ſe conſpectui repræſentent. Alios vero qui poſt appellationem ad nos factam prædictos fructus auferre præſumſerunt, diſtricte convenias, ut aut cum integritate ablata univerſa reſtituant, aut plenariam juſtitiam eidem exhibeant. Quod ſi facere forte contemſerint, ad id exſequendum eos eccleſiaſtica cenſura conſtringas. Datum Turonis II. idus Januarii.

(a)

EPISTOLA XLI. G. CATALAUNENSI electo.

Pro cauſa eccleſiæ ſancti Remigii & G. de Joinvilla.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri G. Catalaunenſi electo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilecti filii noſtri abbas & fratres eccleſiæ ſancti Remigii Remenſis ſua nobis inſinuatione monſtrarunt, quod Gaufridus de Jonvilla parrochianus tuus, villam quæ dicitur Curcellis eis contra juſtitiam abſtulit, & reddere contradicit. Unde quoniam eidem eccleſiæ in jure ſuo deeſſe nec poſſumus, nec debemus, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus

(a) SS. Timothei & Apollinaris Remenſe collegium eſt XII. canonicorum ab abbate S. Remigii fundatum.

prædictum Gaufridum infra viginti dies, post harum susceptionem, cum omni diligentia studeas convenire, ut vel ipsam villam memoratis abbati & fratribus sine difficultate restituat, vel in præsentia tua plenam eis justitiam non differat exhibere. Si vero neutrum horum facere forte noluerit, ecclesiastica eum censura coerceas. Data Parisius IV. idus Februarii.

EPISTOLA XLII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia sancti Remigii super quadam terra.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri abbas & fratres ecclesiæ beati Remigii Remensis nobis querimoniam præsentarunt, asserentes quod Witterus de *Sarnai* parrochianus tuus, quamdam terram eis abstulit, & reddere contradicit. Unde quoniam eidem ecclesiæ in jure suo deesse non possumus, nec debemus, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictum W. infra viginti dies, post harum susceptionem, cum omni diligentia studeas convenire, ut vel prædictam terram memorato abbati & fratribus sine difficultate restituat, vel in præsentia tua justitiam eis non differat exhibere. Si vero neutrum horum facere forte voluerit, ecclesiastica eum censura coerceas. Nihilominus etiam discretioni tuæ mandamus, ut comitem de Grandi-prato qui XXX. solidos singulis annis prædictis fratribus, sicut nobis dicitur, auferre præsumit, moneas diligentius & studiose convenias, ut eamdem pecuniam eis restituat, & de cetero ab ipsius subtractione pecuniæ desistat, vel plenitudinem eis justitiæ in præsentia tua exhibeat: alioquin de ipso districtam justitiam non differas exercere. Data Parisius III. idus Februarii.

EPISTOLA XLIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De M. Catalaunensium fœneratore.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constitutus in nostra præsentia O. lator præsentium sua nobis conquestione monstravit, quod M. Catalaunensis ad immoderatum fœnus solvendum contra novi & veteris testamenti prohibitionem, ipsum A nequiter cogit, ut cum sortem sibi duplicatam fere reddiderit, adhuc aliquid aliud præstolatur, & ad solvendum ipsum contra justitiam fatigare præsumit. Quia igitur tantæ præsumtionis audaciam inrequisitam prætermittere non possumus nec debemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus eum, si ita est, appellatione remota, districte compescas, ut de cetero super hoc istum non audeat infestare. Datum Paris. XI. Kal. Mart.

EPISTOLA XLIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro P. Lapillo.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium acrhiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Lator præsentium P. Lapillus nomine, in apostolicæ sedis præsentia constitutus, adversus P. Catalaunensem socerum suum querelam constituit, asserens quod dum Jerosolymis esset, idem socer ejus fructus possessionum suarum irrationabiliter abstulit, eosque contra voluntatem patris sui, cui propria bona servanda commiserat, illicite occupare præsumsit. Hic tandem rediens cum eodem, sicut asserit, socero suo transegit, ut sex libras & dimidiam Catalaunensis monetæ, & alias quasdam res ei pro perceptis fructibus compensaret. Cumque illum super pacti exsecutione requireret, & ipse pactum illud interceSSisse negaret, atque propter hoc M. frater ejus, qui causam ipsam agendam susceperat, ante præsentiam tuam justitiam exhibiturus existeret, sicut ex eisdem litteris tuis nobis innotuit, causa subterfugiendæ sententiæ ad nostram audientiam appellavit, sed appellationem ipsam exsequi prætermisit. Quia igitur eidem P. in justitia sua deesse non possumus nec debemus, causam ipsam discretioni tuæ committimus audiendam, & appellatione cessante, fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, eamdem causam, justitia mediante, decidas. Data Parisius XI. Kal. Martii.

EPISTOLA XLV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro civitate Belvacensi ut absolvatur a sententia.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO

Remensium archiepiscopo, salutem & apo- A
stolicam benedictionem.

Carissimus in Christo filius noster LUDOVICUS illustris Francorum rex, frater tuus, suis nobis litteris sollicite supplicavit, ut civitatem Belvacensem a sententia interdicti, quam in eam pro controversia, quæ inter duas mulieres, pro domo quadam noscitur agitari, tua discretio promulgavit, præciperemus absolvi. Nos autem fraternitati tuæ potissimum deferentes, absque conscientia tua in eodem negotio non duximus procedendum. Rogamus ergo caritatem tuam, & exhortamur in Domino, B
ut sententiam illam interventu nostro, & prædicti filii nostri regis obtentu, remittas, donec eadem controversia in tuo vel episcopi Belvacensis judicio finem debitum sortiatur. Quod si tu eamdem sententiam relaxare nolueris, & non multum grave tuleris, si nos ad eam remittendam secundum quod ipse rex desiderat, processerimus, propriis nobis litteris id studeas intimare. Datum Parisius VII. idus Martii.

EPISTOLA XLVI. HENRICO Remensi archiepiscopo. C

Pro quadam muliere, ut dos ei restituatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venetabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex insinuatione M. mulieris præsentium latricis accepimus, quod cum S. archidiaconus, Walterium de Luico interdicti sententia innodasset, pro eo quod donationem propter nuptias, quam vir suus ei fecerat, ipsi abstulerat; Ambianensis episcopus, ipsum interdictum ante satisfactionem exhibitam relaxavit. Unde quoniam ex injuncto nobis officio, universis Christi fidelibus & præsertim viduis & orphanis in sua justitia existimus debitores, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictum Walterium cum omni studeas diligentia convenire, ut vel donationem ab eo injuste detentam præfatæ mulieri cum integritate restituat, vel plenam exinde justitiam ei non differat exhibere. Quod si facere forte contemserit, in eamdem interdicti sententiam præfatum Walterium sub celeritate reducas, nec eum ante dignam satisfactionem absolvi permittas. Data Parisius V. idus Martii. E

EPISTOLA XLVII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

De ecclesia de Rechem *cuidam restituenda.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Lator præsentium jam secundo ad nos veniens, sua nobis conquestione monstravit, quod cum per (a) Sim. Tornacensem (a)
quondam episcopum de ecclesia de *Rechem*, investitus canonice fuerit, & eam in diebus suis & (b) Anselmi successoris sui quiete (b)
pacificeque possederit, G. Tornacensis episcopus, qui nunc præest, occasione quarumdam litterarum, quæ a patre & prædecessore nostro piæ recordationis papa EUGENIO processerunt, in quibus videlicet continebatur ut donationes ecclesiasticarum rerum a prædicto SIMONE episcopo factæ in irritum ducerentur, ipsum eadem ecclesia nimis irrationabiliter spoliavit. Unde præfato G. episcopo dedimus in mandatis, ut C
si verum est quod asseritur, & non esset aliud quod ipsum deberet rationabiliter impedire, eam sibi, nihil illis litteris præjudicantibus, sine molestatione aliqua restitueret: quod quia ipse nondum effectui mancipavit, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus, si ita est, & aliud prout superius diximus ipsum rationabiliter non impediat, tu sibi eamdem ecclesiam, litteris & ejusdem antecessoris nostri nihil præjudicantibus, non differas restituere: sciens quod jam dictus prædecessor noster non de hujusmodi canonicis possessionibus intellexerat, sed de illis, quæ in damnum ecclesiæ ab eodem episcopo fuerant & fraudem sacrorum canonum impetratæ. Si vero præfatus episcopus aliam contra eum causam prætendit, ipsum ad tuam præsentiam per se, vel per sufficientem responsalem venire facias, & causam ipsam audias & eam debito fine decidas. Datum Parisius II. idus Martii. D

EPISTOLA XLVIII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro Roberto & Gill. presbytero.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster O. sancti Nicolai in

(a) Simonem S. Quintini custodem regii sanguinis principem, qui Tornacensem & Noviomensem rexit ecclesias ab anno 1121. ad 1148.

(b) Anselmus ex abbate Laudunensis S. Vincentii monasterii electus primus post restaurationem episcopus. Cui successor datus est Geraldus ex Villariensi abbate factus episcopus, de quo hic Alexander. De eo vide Historiam Villariensis monasterii tom. 3. Anecdotorum nostrorum.

carcere

carcere Tulliano diaconus cardinalis nobis exposuit, quod cum olim in partibus illis legationis officio fungeretur, pro controversia illa quam Gill. sacerdos cum Roberto de Curten. habere dinoscitur, eumdem sacerdotem tertio ad suam præsentiam evocavit, sed ille ipsius se conspectui noluit præsentare. Quia vero idem Robertus diebus istis ad præsentiam nostram accessit, asserens se libenter velle cum eo sub nostro examine judicio stare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum sacerdotem moneas diligentius atque compellas, ut in octavis paschæ pro eodem negotio nostro se conspectui repræsentet, alioquin nos prætermittere non poterimus quin in causa ipsa secundum justitiam procedamus. Data Parisius XV. Kal. Aprilis.

EPISTOLA XLIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro comite Namurcensi ut uxor sua ad eum redeat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster nobilis vir comes Namurcensis suis nobis litteris intimavit, quod uxor ejus, quam longo tempore quiete & cum ecclesiæ pace tenuerat, ab eo sine rationabili causa recessit, & de loco ad locum fugiens, ad eum penitus venire contemnit. Cumque propter hoc Cameracensis episcopus de mandato Remensis ecclesiæ excommunicationis in eam sententiam protulisset: eadem sententia pro eo quod jugiter illa de loco ad locum transfertur, non satis firmiter observatur. Unde fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus, si ita est, eamdem mulierem moneas diligentius & inducas, ut infra triginta dies ad virum suum post commonitionem tuam, omni occasione postposita, redeat; & postea, si quam rationabilem causam æstimat supersesse, pro qua cum eo non debeat remanere, ad præsentiam tuam veniat, & causam suam in tuo conspectu proponat. Tu vero eamdem causam audias, & debito fine decidas. Si vero a te legitime commonita, ad virum suum redire contemserit, eam excommunicatam denuncies, & usque ad condignam satisfactionem, per totam provinciam tuam ficut excommunicatam facias attentius ab omnibus evitari. Data Parisius XI. Kal. Aprilis.

EPISTOLA L. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia beatæ Glodesindis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex conquestione dilectarum filiarum nostrarum Agnetis abbatissæ & sororum monasterii beatæ (a) Glodesindis, accepimus, quod monachi sancti (b) Theobaldi de Vitreio ecclesiam de Narceio & ecclesiam de Baravilla, quas asserunt sibi rationabiliter pertinere, ita siquidem quod in ipsis ecclesiis nullus nisi per eas debeat sacerdos instituti, sibi contra justitiam abstulerunt, & eas non verentur minus licite detinere. Unde nos causam ipsam venerabili fratri nostro Catalaunensi episcopo commisimus audiendam, & fine debito terminandam. Si vero ipse id efficere forte noluerit, tu causam audias, & eam canonico fine decidas. Data Stampis XI. Kalendas Martii.

EPISTOLA LI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro causa quæ vertitur inter ecclesiam S. Remigii & Dervensem, super quadam decima.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex conquestione abbatis & fratrum sancti Remigii nuper accepimus, quod cum causa, quæ est inter ipsos & abbatem Dervensem (c) super quadam decima de *Franpas* noscitur agitari, in præsentia tua & Samsonis prædecessoris tui olim fuisset diutius ventilata, & super eadem causa sæpius fuisset ad nostram audientiam appellatum; memoratus abbas nec appellationem exsequi, nec justitiam aliquatenus voluit exhibere. Unde quoniam ex injuncto nobis apostolatus officio universis Dei fidelibus in sua justitia existimus debitores, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus infra xxx. dies, postquam fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam evoces, & rationibus hinc inde auditis & plenius cognitis eamdem causam, remota appellatione, justitia mediante, decidas. Ad hoc quoniam sicut ex supradictorum abbatis & fra-

(a) S. Glodesindis celebre & antiquum virginum monasterium ordinis S. Benedicti, in urbe Metensi.

(b) S. Theobaldi de Vitreio monasterium est cella seu prioratus ordinis Cluniacensis.

(c) Dervensis antiquum & insigne monasterium, ordinis S. Benedicti in diœcesi Catalaunensi a sancto Berthario fundatum, hactenus perstat sub congregatione S. Vitoni gallice *Moutier-en-Der*.

trum querela percepimus, canonici Grandis-prati, corpus filii comitis ejusdem loci, qui ab utero matris ecclesiæ ipsorum fratrum, sicut asserunt, fuerat olim oblatus, eis per violentiam & contra justitiam surripuerunt, nihilominus tuæ discretioni mandamus, quod præfatos canonicos diligenter moneas, & districte compellas, ut vel ablatum corpus memoratis fratribus sine ulla contradictione restituant, vel cum eis pacifice super hoc amicabiliterque componant, aut in præsentia tua sibi exhibeant justitiæ complementum. Data Turonis VII. Kal. Junii.

EPISTOLA LII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Ric. de Corberio.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad audientiam nostram, quod cum Ric. de Corberio, qui dum in habitu fratrum militiæ Templi superno Regi aliquanto tempore militavit, ad Cisterciensium fratrum vel aliam districtam religionem transire decreverit, & idipsum firmiter in præsentia nostra promiserit, nunc quodam modo ab hac intentione retrahitur, & pium illud propositum remorari videtur. Unde fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus eumdem R. moneas diligentius, & compellas habitum prædictæ religionis assumere, ut votum suum valeat laudabiliter adimplere. Quod si hinc usque ad proximum festum beati Johannis facere forte contemserit, tu eum ecclesiastica censura compellas. Data Turonis III. nonas Junii.

EPISTOLA LIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Exhortatio ad procurationes Romanæ curiæ faciendas.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Discretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare, qualiter circumpositi tibi fratres nostri archiepiscopi & episcopi & abbates nobis & curiæ nostræ hactenus in procurationibus necessariis providerunt. Unde quoniam de te præcipuam inter ceteros spem fiduciamque tenemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & commonemus attentius, quatinus suffraganeos tuos episcopos, & universos abbates per tuam provinciam constitutos, ad honestas procurationes nobis & fratribus nostris faciendas, prompta sollicitudine exhortari studeas, ut eas hinc ad primum festum beati Jacobi honeste possimus utiliterque recipere, ut devotionem tuam merito debeamus in Domino commendare. Datum Turonis nonis Junii.

EPISTOLA LIV. HENRICO Remensi archiepiscopo, ejusque suffraganeis, &c.

Exhortatio ad procurationes papæ & fratribus suis faciendas.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remensium archiepiscopo, ejusque suffraganeis episcopis, & dilectis filiis universis abbatibus & prioribus per ejus archiepiscopatum constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Quanto de sinceritate & devotione vestra majorem in omnibus fiduciam gerimus, tanto vos ad ea quæ nobis & fratribus nostris expediunt, confidentius invitamus. Quocirca universitatem vestram per apostolica scripta rogamus, atque monemus, quatenus ad honestas procurationes nobis & eisdem fratribus nostris faciendas promta sollicitudine curetis intendere, & eas nobis hinc usque ad proximum festum beati Jacobi, studeatis utiliter destinare: ita quod nos exinde devotionem vestram debeamus digne in Domino commendare. Quod si qui vestrorum, dilecti filii abbates & priores, id efficere forte neglexerint, sententiam quam præfatus archiepiscopus in vos propter hoc canonice promulgaverit, nos, auctore Domino, ratam habebimus. Datum Turonis nonis Junii.

EPISTOLA LV. ABBATI S. Remigii.

Pro T. clerico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati sancti Remigii, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos T. pauper clericus lator præsentium nobis conquestus est, quod cum avus suus War. Rem. & A. filio ejus ecclesiæ sancti Timothei canonico terram quamdam pro XL. sol. pignori obligasset, & prædictus T. qui avo in hereditatem successerat, mutuatam pecuniam præfato War. & filio ejus reddere voluisset, obligatam terram soluta pecunia receptu-

rus, illi nec pecuniam recipere, nec terram A restituere voluerunt, cum sicut memoratus T. asserit, sortem jam & multo amplius de ipsius terræ fructibus percepissent. Unde cum nos olim venerabili fratri nostro Remensi archiepiscopo id commiserimus exsequendum, ipse negotiorum multiplicate detentus, huic negotio non potuit diligentiam adhibere. Quoniam igitur prædicto clerico ex injuncto nobis officio in jure suo tenemur adesse & ejus consulere paupertati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si deductis impensis constiterit B eos sortem & eo amplius de perceptis terræ fructibus recepisse, ipsos ad restitutionem ejusdem terræ districte compellas; sed si absque aliquo additamento id fieri non poterit, ne istius paupertas ultra modum graveur, aliquo modico recepto, eosdem viros præscriptam terram restituere ecclesiastica censura coerceas. Data Senonis III. nonas Octobris.

EPISTOLA LVI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

De domini Henrici Remensis archiepiscopi invalitudine, & quod ei Deus sanitatem restituat.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Auditu audivimus, quod nos audisse dolemus, & non sine grandi animi perturbatione accepimus, te scilicet proprii corporis invaletudine laborare, nec ea incolumitate ad præsens gaudere quam vellemus, & quam tibi modis omnibus exoptamus. D Novimus enim & plena veritate tenemus, quomodo tu tamquam verus Israelita pro exaltatione ac defensione sacro-sanctæ ecclesiæ fortiter & constanter pugnasti, & te ipsum contra Damascum fortitudinis turrim opponens, causam ejusdem ecclesiæ fideliter agere atque tractare sicut propriam studuisti. Unde nos & fratres nostri hæc omnia nostræ memoriæ tenaciter infigentes, tibi super infirmitate qua te superni conditoris dextera visitavit, tamquam fratri carissimo, & strenuissimo ecclesiæ propugnatori, interna mentis affectione compatimur, & plurimum in Domino condolemus. Quapropter circa incolumitatem tuam anxii admodum & solliciti existentes, tuam nobis carissimam fraternitatem apostolicæ benedictionis alloquio, & nostris litteris duximus visitandam: rogantes prudentiam tuam atque monentes, quatinus statum & continentiam tuam propriis litteris & per latorem præsentium nobis studeas plenius intimare. Nos enim, si tibi beneplacitum fuerit & acceptum, aliquas majores personas de fratribus nostris ad te visitandum mittemus, & per nos ipsos in propria persona, si profuturum tibi & utile crederemus, non dubitaremus laborem subire. Ut autem optatam tibi misericors Dominus sanitatem restituat, & medelam conferat salutarem, ipsum attentis intercessionibus exoramus. Data Senonis nonis Novembris.

EPISTOLA LVII. ABBATI S. Remigii & de Eleemosyna, & decano Remensi

Pro ecclesia sancti Mauritii Turonensis & Cluniacensi.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus sancti Remigii, & de (a) Eleemosyna abbatibus, & decano Remensi, salutem & apostolicam benedictionem. (a)

Quoniam ex litigiosis contentionibus inC ter viros ecclesiasticos habitis, sacro-sanctis ecclesiis pericula consueverunt sæpe & incommoda provenire: idcirco ad eas dirimendas vigilantem curam nos convenit & sollicitam diligentiam adhibere. Proinde est, quod nos causam, quæ inter dilectos filios nostros canonicos ecclesiæ sancti Mauricii Turonensis, & abbatem ac fratres Cluniacenses, super quibusdam prædiis apud villam quæ dicitur (b) Turon. super (b) Marnam positis, quocumque titulo in monachos, ab hominibus canonicorum translatis, diutius est agitata, & nondum debitum finem sortita, discretioni tuæ, de qua plenam fiduciam gerimus, committimus D audiendam, & remoto appellationis obstaculo, fine congruo decidendam. Quocirca sollicitudini vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus hinc usque ad proximum festum ascensionis Domini Remos in unum convenientes, utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus hinc inde auditis, sufficienter & cognitis, eamdem causam, cessante appellationis remedio, concordia, si fieri poterit, vel mediante justitia, terminetis. Quod si quempiam vestrum, fili abbas de Eleemosyna & decane, aliquo casu abesse contigerit, tu fili abbas S. Remigii, negotio interfis, & ipsum cum altero eorum nihilominus prosequeris. Si qua vero partium se vestro judicio in statuto termino subtraxerit, vos pro causa ipsa non minus secundum quod dictum est procedatis. Data Senonis nonis Decemb.

(a) Eleemosyna, ordinis Cisterciensis in diœcesi Carnotensi monasterium, vulgo *le Petit Cisteaux*

(b) Extat prioratus, seu decanatus S. Petri de Turribus in diœcesi Remensi ordinis Cluniacensis.

A

EPISTOLA LVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro causa quæ vertitur inter S. Cluniacensem abbatem & canonicos beati Mauricii.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter dilectos filios nostros (a) St. Cluniacensem abbatem & canonicos beati Mauricii Turonensis, super rebus & possessionibus de Turn. super Materna noscitur agitari, discretioni tuæ committimus audiendam & fine debito terminandam, per apostolica scripta tuæ fraternitati mandantes, quatinus nisi eadem causa sententia est vel compositione sopita, vel nisi jam dictus abbas nostrum super hoc judicium prælegerit, utramque partem ante tuam præsentiam evoces, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, causam ipsam fine appellationis obstaculo, justitia mediante, decidas. Data Senonis VII. id. Decembris.

EPISTOLA LIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro B. clerico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolico benedictionem.

Constitutus in præsentia nostra B. clericus coram nobis, hujusmodi querelam instituit, quod ei frater suus portionem quæ ipsum jure patrimonii contingit, indebite præsumat auferre, & gravem super hoc injuriam irrogare. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus ejusdem clerici fratrem super hoc ad rationem ponas, & ut partem suam integram sibi, & absolutam dimittat, eum, si ita est, moneas instantius & omni cum districtione compellas. Præterea de Ascelino de Firmitate qui quamdam domum ejus per violentiam dicitur detinere, & alia eidem gravamina irrogare, nihilominus super his in tua præsentia plenitudinem sibi facias justitiæ exhiberi. Data Senonis XVIII. Kal. Januar.

(a) Stephanum qui anno 1161. Hugoni III. abbati Cluniacensi subrogatus est, uti jam observavimus.

EPISTOLA LX. ABBATI S. Remigii & S. Nicasii.

Pro causa Oddonis clerici & matris ejus, & Hugonis Fabri.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis sancti Remigii & sancti Nicasii abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter Oddonem clericum & matrem ejus, & Hugonem Fabrum super vinea quadam noscitur agitari, ad audientiam nostram per appellationem alterius partis adductam, pro eo quod neutra pars ad causam ipsam veniat sufficienter instructam, vestro duximus examini committendam, per apostolica scripta vobis mandantes, quatinus prædicto clerico & matre ejus atque Hugone ante vestram præsentiam pariter evocatis, rationem eorum & depositiones hinc inde juratorum testium, cessante appellatione, recipiatis, & nisi post hoc appellandum duxerint, ad diffinitivam quoque sententiam procedatis. Si vero a sententia fuerit appellatum, rationes & depositiones testium in appellationis termino vestris nobis litteris intimetis. Data Senonis. VIII. Kal. Januarii.

EPISTOLA LXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Roberto Milite.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum causa quæ inter Robertum militem & O. burgensem, super quodam prato vertitur, in præsentia dilecti filii nostri decani de Roscio tractaretur; idem Robertus ad venerabilem fratrem nostrum Laudunensem episcopum, O. vero ad nostram audientiam appellavit, diem vigesimum post instantem festivitatem Domini præfigens, quem jam dictus Robertus restringens ad quintam diem post natale Domini ad sedem apostolicam nihilominus in appellationem prorupit. Postmodum vero præfato Roberto in eodem termino coram nobis præsente, alter nec venit, nec ad nos responsalem pro se aliquem destinare curavit. Unde nos de tuæ discretionis prudentia plenius confidentes, eamdem causam experientiæ tuæ duximus committendam, & appellatione cessante, fine debito terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & ra-

tionibus hinc inde auditis & cognitis, eamdem causam, remoto appellationis obstaculo, sine legitimo studeas terminare. Data Senonis Kal. Januarii.

EPISTOLA LXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro A. Attrebatensi episcopo.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Cum venerabilis frater noster (a) A. Attrebatensis episcopus, prout a nobis fuerat vocatus, ad nostram præsentiam accessisset; dilectus filius noster HENRICUS tituli sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis, qui voluntatem tuam cognoverat, eum super his quæ fuerant tuæ fraternitati de ipso suggesta, vehementer coram nobis & durirer arguit, proponens ei qualiter ipsum dilexeris, & de nullo promoveris ad majora, & nos etiam super hoc ipso paterne, leniter, atque austere eumdem episcopum redarguere curavimus, atque monere, ut tibi tamquam patri & Domino suo devote satisfaciat, & tuis mandatis fideliter acquiescat. Ipse vero correctionem nostram & ipsius cardinalis humiliter satis & patienter accipiens, se ab his coram nobis multimodis excusavit, asserens quod promtus sit multimodis & paratus, si in quolibet offendit, ad tuum mandatum & beneplacitum emendare. Quoniam vero tua plantatio est, & eum de minimo magnum & sublimem in oculis hominum constituisti, ne ex indignatione tua clero & populo suo vilis debeat vel abjectus haberi, quod tibi quidem magis quam alicui derogaret; fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus atque consulimus, quatenus his quæ tibi de illo sinistre suggeruntur, non facile credas, sed ipsum ad præsens æquanimiter toleres, eum pro reverentia beati Petri ac nostra & ex officii tui debito in consideratione illius devotionis, quam circa te gerit, omni rancore & indignatione deposita, in gratiam & amorem tuum plene reducas, & si forte in te per ignorantiam deliquit, ipsum inter te & eum, secundum quod dignum fuerit, caute ac provide corrigas. Quod si correctionem tuam in humilitatis & mansuetudinis spiritu recipere forte contemserit, sed in sua pertinacia duxerit persistendum, nos & tu ipse habebimus illum acrius & asperius reprehendere, & ejus duritiam & contumaciam resecare. Data Senonis VIII. idus Januarii.

(a) Andreas ex abbate Vallium Sernaii factus episcopus 1164.

EPISTOLA LXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa abbatissæ de Bertolcors *& monialium de sancto Igniaco.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum causam quæ inter abbatissam de (b) *Bertolcors* & moniales de sancto Igniaco vertitur, venerabilibus fratribus nostris Laudunensi & Noviomensi episcopis commiserimus concordia vel judicio terminandam; ipsi hactenus in causa ipsa procedere distulerunt. Nunc autem eisdem iterato mandavimus, ut hinc ad proximum festum B. Vincentii eamdem causam compositione non differant vel judicio terminare, aut si circa hoc intendere non poterunt, id tuæ fraternitati studeant intimare. Quia igitur nostri officii est inter discordes pacem componere, & unicuique suam justitiam conservare, ne deinceps causa ipsa hujusmodi dilationibus prolongetur, eam discretioni tuæ, de qua plenam in omnibus fiduciam obtinemus, committimus audiendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus nisi usque ad initium proxime quadragesimæ præfati episcopi hoc effecerint, utraque parte & episcopis ipsis, si tibi visum fuerit, ante tuam præsentiam convocatis, rationes hinc inde subtiliter & diligenter inquiras, quibus plenarie intellectis & cognitis, inter utramque partem pacifice studeas concorditer componere, vel in eodem negotio cum tanta deliberatione satagas, & circumspecta ratione procedere, quod utraque pars justitiam suam sub tuo examine se gaudeat consequi, & nos providentiam tuam possimus sincerius in Domino commendare. Data Senonis VII. id. Januar.

(b) Vulgo Bertoldi-Curtis, Gallice *Bertaucourt*. Virginum est monasterium, quinque leucis ab Ambianis distans fundatum circa annum 1092.

EPISTOLA LXIV. MAGISTRO F. & ma. R. Remensi canonico.

Pro Theobaudo Bigot.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri magistro F. & ma. R. Remensi canonico, salutem & apostolicam benedictionem.

Super causam, quæ inter Theobaudum Bigotum & Thomam adversarium ejus pro quadam terra diutius agitata, quam si bene meminimus, olim vestro examini delegavimus terminandam, minime sicut nobis dicitur

processistis: ideoque discretioni vestræ per A apostolica scripta mandamus, quatinus omni frustratoria dilatione postposita, ita in causa ipsa juxta rigorem canonum procedatis, quod neuter eorum valeat pro defectu justitiæ adversum nos rationabiliter querelari. Data Senonis idus Januarii.

EPISTOLA LXV. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro ecclesia sancti Remigii.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Affectus nobis pietatis suggerit, & ordo exigit caritatis, ecclesiis quas imminente persecutione inopia deprimit, vel lapsus proveniens facultates imminuit, paterna provisione consulere, & eas auxilii nostri humeris sublevare. Audientes igitur quod ecclesia beati Remigii ob præsentium malorum ingruentiam, multo debitorum onere prægravetur, quoniam sicut scriptum est, *frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas fortis*, & Apostolus invicem nos alterius onera portare commonet; dilectioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus homines præfatæ ecclesiæ, qui terras vestras inhabitant ad congrua & opportuna auxilia fratribus ejusdem ecclesiæ conferenda nullatenus disturbetis, sed eos ad hoc commonere propensius & hortari curetis, & vos ipsi fraternitatis amore, & pro reverentia beati Petri ac nostra, sicut in simili necessitate vobis fieri velletis, ita ipsum abbatem ad extenuanda jam dicta debita efficaciter adjuvetis, quod & in futuro æternum præmium, & in temporalibus a Deo debeatis exinde recipere incrementum. Data Senonis idus Januarii.

EPISTOLA LXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Orientali ecclesia.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. E

Qualiter Deus Orientalem ecclesiam afflixerit, & eam manu hostium contriverit, ex relatione hominum exinde venientium tua discretio plenius, sicut credimus, novit. Quoniam vero inter cetera loca illarum partium, locus qui dicitur Belmas crebrioribus ictibus Saracenorum alliditur, & eorum impugnationibus expositus plurimum Dei fidelium indiget auxiliis adjuvari; latores præsentium pro eleemosynis acquirendis ad partes istas transmisit. Unde quoniam pietatis opus est, & Deo valde acceptum, his qui paganorum varias oppressiones sustinent, consilium pariter & auxilium ministrare, eos caritati tuæ propensius commendamus, rogantes attentius atque monentes, quatinus divinæ miserationis obtentu, & pro reverentia beati Petri ac nostra, ipsos oculo clementiori respicias, & B eis ad eleemosynas per tuam provinciam colligendas opem tribuas & favorem, ut ex hoc dignum valeas præmium recipere, & supernæ felicitatis beatitudinem obtinere. Data Senonis XIII. Kal. Februarii.

EPISTOLA LXVII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro ecclesia sancti Remigii.

ALLEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. C

Cum causa quæ inter abbatem sancti Remigii & rusticos de Nongento vertitur, in præsentia decani ejusdem loci, & quorumdam aliorum, super quibusdam querimoniis tractaretur, abbas sancti Remigii ad nostram audientiam appellavit: cumque responsalis memorati abbatis propter hoc in præsentia nostra existeret, ipsi nec venerunt, nec pro se responsalem aliquem destinarunt. Unde causam ipsam discretioni tuæ committimus audiendam, & fine debito terminandam, ideoque per apostolica tibi D scripta mandamus, quatinus utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, causam ipsam justitia mediante decidas. Data Senonis II. idus Februarii.

EPISTOLA LXVIII. ABBATI sancti Remigii & de Castro Theoderici & L. decano Remensi.

Pro causa quæ vertitur inter abbatem Orbacensem & Igniacensem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis sancti Remigii & de Castro sancti Theoderici abbatibus & L. decano Remensi, salutem & apostolicam benedictionem.

De vestra prudentia & honestate plurimum confidentes, causam quæ inter abbatem (a) Orbacensem & Hugonem de (b) *Igni* (a) (b) super quadam terra vertitur, experientiæ

(a) Orbacense monasterium ordinis S. Benedicti, a S. Regulo Remensi archiepiscopo in diœcesi Suessionensi fundatum.

(b) Igniacense monasterium ordinis Cistercensis de linea Clarevallis quinto ab urbe Remensi milliari diffitum.

vestræ committimus audiendam, & amicabili compositione vel judicio terminandam. Quapropter sollicitudini vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueritis requisiti, in unum pariter convenientes, utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & ad compositionem inter eos faciendam operam & diligentiam impendatis. Alioquin rationibus hinc inde auditis & cognitis, eamdem causam ordine judiciario absque appellationis remedio decidatis. Datum Senonis idus Februarii.

EPISTOLA LXIX. ABBATI S. Remigii Remensis.

Pro causa quæ vertitur inter abbatem S. Remigii & Odd.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati sancti Remigii, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter te & Odd. presbyterum super quadam domo, quam pater & mater sua, sicut asserit, sibi ex testamento reliquit, vertitur, dilectis filiis nostris sancti (a) Memmii & Omnium-sanctorum abbatibus commisimus audiendam, & fine debito terminandam. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum ab eis propter hoc fueris evocatus, per te vel responsalem tuum, eorum præsentiam adeas, & quæ ipsi exinde judicaverint, suscipias firmiter & observes. Data Senonis XVII. Kal. Martii.

EPISTOLA LXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro abbate sancti Remigii.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter dilectos filios nostros P. abbatem sancti Remigii, & nobilem virum R. vicecomitem Laudunensem super villam de Germiniaco noscitur agitari, discretioni tuæ committimus audiendam, & fine debito terminandam, & quoniam pactionem quæ per dilectum filium nostrum O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, tunc apostolicæ sedis legatum super hoc intercessit, prædictus vicecomes nullatenus, sicut dicitur, observavit, volumus firmiter & mandamus, quatinus, si ita est, eadem pactione nihil impediente, causam ipsam audias, & justitia mediante decidas. Mandamus etiam sollicitudini tuæ, quatinus partem prædicti vicecomitis nullatenus patiaris contra eumdem abbatem ex conditione superius posita malignari, dummodo tibi pro certo constet rem ita, sicut dicitur, processisse. Data Senonis XV. Kal. Martii.

(a) S. Memmii & Omnium-sanctorum duo monasteria ordinis canonicorum regularium S. Augustini in urbe Catalaunensi.

EPISTOLA LXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut G. comes de Roceio cogatur reddere pecuniam, quam abstulit a nuntio Lugdunensis archiepiscopi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex tenore litterarum, quas tua nobis fraternitas destinavit, accepimus, quomodo G. comitem de Roceio juxta quod a nobis in mandatis receperas, convenisti, ut pecuniam quam nuntio venerabilis fratris nostri Lugdunensis archiepiscopi abstulerat, ei ex integro resignaret. Ille vero tibi respondit, quod infra quindecim dies præsentiam nostram adiret, & nobis suæ intentionis propositum revelaret. Unde tu hoc audito, apostolicæ volens reverentiæ deferre, in negotio ipso ultra procedere noluisti. Quia igitur nolumus ut ille appellationis beneficio abutatur, quominus in eum, nisi legitime monitus resipuerit, canonicam justitiam exerceas, discretioni tuæ præsentium significatione præcipimus, ut prædictum G. iterum convenias atque commoneas, quod eidem archiepiscopo, quantum nuncius ejus poterit juramento probare se amisisse, tantum omni occasione cessante sine aliqua diminutione restituat. Quod si infra quindecim dies post harum susceptionem ablata non reddiderit, nec sufficientia pignora in tuis manibus pro sublata pecunia reddenda præstiterit, ipsum omni appellatione & excusatione remota excommunices, & in tota terra ejus omnia divina, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, inhibeas officia celebrari. Datum Senonis tertio Kalendas Martii.

EPISTOLA LXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De absolutione cujusdam civis Ma. Catalaunensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Si bene meminimus, causam cujusdam A mulieris E. nomine tibi commisimus, ut de his adversus quos queritur ei justitiam exhiberes. Undè mota questione adversus Ma. Catalaunensem civem, cum eum velles cogere prædictæ mulieri in tua præsentia respondere, timens gravari, ad nostram audientiam appellavit. Tu vero, sicut nobis asseruit, in judicio nihilominus processisti, & quod gravius est, post appellationem factam, cum denuntiasti excommunicatum. Quia vero non bene recolimus, utrum causa ipsa, appellatione remota, an appellationis obstaculo reservato, tibi fuit delegata, volumus & mandamus, ut si reservato appellationis remedio prædictæ mulieris causam pertractandam recepisti, quia non decuit prudentiam tuam, interposita appellatione, ipsum excommunicare, vel in judicio procedere, tu illum absolutum habeas, & exinde causa in præsentia venerabilis fratris nostri Laudunensis episcopi, cui hoc commisimus, debitæ justitiæ recipiat complementum. Ad ejusdem quoque episcopi judicium tam virum quam mulierem ire compellas, & litteras, quas super eadem causa tibi destinavimus ei ostendas, ut ex ipsis veritatem rei plenius intelligat. Si vero prædictæ mulieris causam, appellatione remota, suscepisti terminandam, tu nihilominus sæpe dictum Ma. tamquam absolutum recipias, & libera ei præstita facultate dicendi in testes, & allegandi quod voluerit ex parte sua, ita controversiam illam, appellatione cessante, studeas fine canonico terminare, ut neutra partium pro defectu justitiæ conqueri ulterius compellatur. Rogamus & ut in eundo & redeundo, apud te immorando nullam ei injuriam patiaris inferri. Data III. id. *Mergolii.

B

C

D

* f. Martii.

EPISTOLA LXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia sancti Memmii.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

E

Ex transmissa nobis conquestione abbatis & fratrum S. Memmii (a) accepimus, quod HENRICUS miles Deprigi, homines eorum capere, & ipsos bonis omnibus spoliare, & spoliatos in vinculis detinere, & ad redemtionem cogere temerario ausu præsumit. Quia vero prædicto abbati & fratribus in jure suo conservando deesse nec possumus, nec debemus, & tantus excessus incorrectus relinquendus non est nec inultus; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si ita est, præscriptum militem diligenter commoneas & districte compellas, ut ablata universa restituat, & si quos habet in captione vel fidejussoria cautione pro solvenda pecunia obligatos, liberos & absolutos abire permittat, alioquin vinculo anathematis eumdem militem studeas innodare. Data Senonis idus Martii.

(a) S. Memmius primus Catalaunensis episcopus, cujus nomine Catalauni extat antiquum monasterium ordinis canonicorum regularium S. Augustini.

EPISTOLA LXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo & Henrico cardinali.

De negotio domini papæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, & dilecto filio HENRICO tituli sanctorum Nerei & Achilei presbytero cardinali, salutem & apostolicam benedictionem.

De dispositione vestra & incolumitate tua, dilecte (b) fili cardinalis quem audivimus ægrotare, solliciti admodum existentes, cursorem istum vobis dirigimus, rogantes attentius atque monentes, quatinus consilio carissimi in Christo filii nostri illustris Francorum regis, donec ista colloquia separentur, vos nullatenus subtrahatis. Scimus enim & certa veritate tenemus, quod quotiens de his quæ ad ecclesiam spectant, tractatur, præsentia vestra dirigitur & in melius promovetur. Si autem alterum vestrum non interesse contigerit, rogamus fraternitatem tuam, frater archiepiscope, ut tu nulla ratione discedas, & quidquid ibi tractatum fuerit, quod ad factum ecclesiæ pertineat, nobis per eumdem cardinalem, quantum licet honestati tuæ, significare minime differas, nihilominus etiam quid velit super eo quod de fratre nostro tecum contulimus, per cursorem istum nobis rescribas. Data Senonis XII. Kal. Aprilis.

(b)

(b) Hic obiter observa pontificem episcopos appellare fratres, cardinales vero filios dumtaxat, atque episcoporum nomen præponere nomini cardinalium, quia dignitas episcopalis cardinalitiæ præstat.

EPISTOLA LXXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro fratribus Cisterciensibus.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum ad universos religiose professionis viros aciem debeamus nostræ considerationis extendere, dilectos filios nostros Cisterciensium

cienſium ordinis fratres tanto nos convenit uberiori caritate diligere,& eorum commodis & incrementis propenſioris ſtudio ſollicitudinis aſpirare , quanto inter ceteros religioſos cauſam eccleſiæ prudentius defenderunt, & catholicam foverunt magnanimiter unitatem , & divinis etiam obſequiis noſcuntur ferventius inhærere. Inde eſt, quod eoſdem fratres & eorum domos caritati veſtræ attentius commendamus, rogantes, monentes & exhortantes in Domino, quatinus amore ſuperni conditoris, & pro reverentia beati Petri ac noſtra , intuitu quoque religionis ipſorum, eos diligere ac manutenere curetis , & in ſuis juſtitiis laudabiliter confovere, inſtitutiones etiam & obſervantias ipſorum & ea quæ a Romanis pontificibus ſibi noſcuntur indulta ſollicita diligentia conſervetis , & per parrochias veſtras ea non patiamini ullatenus violari ; ut ex hoc æternæ mercedis cumulus vobis accreſcat , & nos exinde copioſiores debeamus ſollicitudini veſtræ omni tempore gratias exhibere. Nihil enim unquam poſſetis ad præſens efficere , quod nobis magis gratum exiſteret vel acceptum. Data Senonis VIII. Kal. Aprilis.

EPISTOLA LXXVI. ABBATI Ciſtercienſi.

De negotio eccleſiæ Clarevallenſis & de abbate ejuſdem.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei , dilecto filio Ciſtercienſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilectionis tuæ prudentia non ignorat quam famoſum , quam celebre Claravallenſe monaſterium habeatur, & in quanta religione quantave hactenus honeſtate floruerit, non ſolum ad vicinorum, ſed ad longe etiam poſitorum notitiam jam pervenit. Unde nos de jactura & detrimento ipſius tanto majorem in animo noſtro mœſtitiam concipimus ac dolorem , quanto amplius totum ordinem & ipſum monaſterium quadam ſpirituali prærogativa diligimus , & ejus defectum in damnum & detrimentum totius ordinis cognoſcimus redundare. Multorum autem veridica relatione didicimus ; quod occaſione abbatis eidem monaſterio præſidentis , qui non eam gratiam & reverentiam in oculis regum & principum promeruit, quam anteceſſores ejus promeruiſſe noſcuntur , ipſi monaſterio non modicum derogatur, & totus ordo non minimum exinde incommodum ſuſtinet & jacturam. Nos itaque prædicto monaſterio & honeſtati & famæ ejus , ex officii noſtri debito providere volentes , & perſonæ ejuſdem abbatis , quem ſincera in Domino caritate diligimus, paterna cupientes affectione conſulere , venerabiles fratres noſtros Remenſem archiepiſcopum & Autiſiodorenſem epiſcopum , pro negotio iſto illuc duximus deſtinandos. Quia vero ad te præcipue ſpectat correctio ordinis & obſervantia honeſtatis ; diſcretioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, & mandando præcipimus , quatenus eumdem abbatem paterne & commonitorie cum omni diligentia & cura ſtudeas convenire , ut ſibi ipſi conſulens & monaſterio tam famoſo ſalubriter providens , abbatiam voluntate propria in tuis manibus abrenuntiet. Ad quod ſiquidem , juxta conſuetudinem ordinis ipſius , eum de facili credimus inducendum. Abbates enim ejuſdem ordinis , cum de abrenuntiatione conveniuntur , ne ambitioſe & cupida quodammodo voluntate præeſſe forſitan videantur , conſueverunt facile ſuper his acquieſcere , & onus, quod eis imminet , libenti animo reſignare. Quod ſi forte commonitioni tuæ noluerit acquieſcere , tum cum conſilio prædicti archiepiſcopi & epiſcopi , omni appellatione & contradictione ceſſante , ſine dilatione ipſum ab abbatiæ adminiſtratione removeas, (a) & prius ea fratribus ejuſdem monaſterii indicare ſtudeas & hortari , ut in aliam perſonam religioſam, idoneam & honeſtam, pari voluntate conveniant , & eam ſibi eligant in abbatem , per quam & ſtatus ipſius monaſterii in ſuo robore conſervetur , & omnibus tollatur occaſio tantæ & tam religioſæ domui detrahendi. Datum Senonis VI. Kal. Aprilis.

(a) Is eſt Gaufridus ille celeberrimus S. Bernardi notarius ac vitæ ſcriptor, ex abbate Igniaci factus poſt Faſtredum quartus Clarevallis abbas , de quo appoſite ad hunc locum breve chronicon Clarevallenſe apud Chifletium ad annum 1165. *Eodem anno abbas Clarevallis dominus Gaufridus videns contra ſe , ſive juſte, ſive injuſte quorumdam odia concitata, abbatiam dimiſit.* Et infra ad annum 1176. *Abbas Altæcumbæ dominus Henricus in abbatem Clarevallenſem promotus , quatuor circiter præfuit annis. Iſte quam cito filius ſuus abbas dominus Geraldus de Foſſa-nova factus fuit anté eum abbas Clarevallis, dominum Gaufridum quondam Clarevallenſem abbatem, tunc contemplationi vacantem , in Foſſa-nova præfecit. Et idem quando de Altæcumbâ ad Claramvallem aſſumtus eſt , eumdem abbatem Gaufridum ad Altamcumbam loco ſui promovere curavit.* Cauſam depoſitionis Gaufridi non aliam fuiſſe quam Clarevallenſes ipſos ſcribit Henriquez in Annalibus Ciſterc. ann. 1168. c. 5. præcipuumque hujus procellæ auctorem Frotmundum , Remos ad archiepiſcopum accerſendum profectum , ibidem defunctum & in eccleſia ſancti Remigii ſepultum. Ceterum Gaufridum non ſponte ceſſiſſe, ſed ab Alexandro Ciſtercii abbate depoſitum , ad capitulum generale appellaſſe , deinde ad ſummum pontificem accedentem , reſtitutionem obtinuiſſe , & denuo iterum depoſitum fuiſſe , tradit vetus auctor apud eumdem Henriquez. Quæ quomodo ſtare poſſint cum his quæ habent monumenta Clarævallis , Gaufridum oblatum ſibi epiſcopatum recuſaſſe , & ab Alexandro abbate Ciſtercii ægrotante ſui vice ad Fredericum imperatorem , ad tractanda eccleſiæ negotia miſſum fuiſſe, ut habet Johannes Sariſberienſis epiſt. 234.

A

EPISTOLA LXXVII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

De gratiarum actione pro Ar. ſancti Theodori diac. cardinalis, & de rumoribus Italiæ per magiſtrum Od.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Amorem & honorificentiam, quam tua devotio per te ac clericos tuos erga dilectum filium noſtrum (a) Ar. S. Theodori diaconum cardinalem in receptione ipſius, & poſtea exhibere curavit, gratam omnimodis & acceptam habemus, & liberalitatem tuam cum digna gratiarum actione ſuper hoc magnificis in Domino laudibus commendamus, cum omni attentione ac diligentia rogantes, ut ſicut bene cœpiſti eumdem filium noſtrum diligas, & prout décet honeſtatem tuam, & ejus convenit dignitati, eum ita honeſte tractes, quod nos & fratres noſtri omni tempore tibi debeamus dignas gratias referre, & circa honorem & exaltationem tuam & eccleſiæ tibi commiſſæ ferventiores ſemper reperiamur, & omnimodis promtiores. Honor ſiquidem & reverentia quæ illi dependitur, non aliter nobis & fratribus noſtris grata & accepta exiſtit, quam ſi propriæ perſonæ noſtræ ſpecialiter fuerit erogata. Verumtamen eam diligentiam & cautelam circa honorem ejus tua prudentia & ſollicitudo impendat, ut labiis detrahentium omnis materia eximatur ei & nobis in eo in aliquo derogandi. Sane per dilectum filium noſtrum magiſtrum OD. quædam de ſtatu Italiæ tuæ diſcretioni tanto libentius curavimus intimare, quanto circa cognoſcendos eccleſiæ proſperitatis eventus ſollicitiorem te noſcimus permanere, firmam ſpem fiduciamque tenentes, quod eccleſia Dei, quæ in tuo & aliorum Chriſti fidelium ſubſidio reſpiravit, inimicis ſuis humiliatis, optatæ in proximo pacis tranquillitate gaudebit, & quietis & exultationis gaudio, divina faciente clementia, reſpirabit. Tu vero ſicut bene cœpiſti ad ejus honorem & exaltationem intendas, & ſollicita ſemper ſtudeas diligentia laborare. Datum Senonis XVII. Kal. Madij.

(a) Ardicionem Rivoltellam Mediolanenſem, qui anno 1155. cardinalis creatus ab Adriano papa IV. ab eo in Longobardiam legatus miſſus fuit, ut pacem Mediolanenſes inter & Laudenſes componeret.

(b) Id eſt S. Baſoli, gallice *S. Baſle*, ordinis S. Benedicti in diœceſi Remenſi, tertio aut quarto ab urbe lapide.

(c) De quibus ſupra epiſtola 29. quam ſi lubet conſule & infra epiſt. 83.

EPISTOLA LXXVIII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro quodam Gil. ut mutuata pecunia ei reddatur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad nos Gil. lator præſentium, nobis aſſeruit, quod cum ab Ub. priore monaſterii ſancti (b) Vaſli quamdam pecuniam, quam ab alio receptam ei mutuavit, inſtanter repeteret, & eodem priore in ſolutione ceſſante, cauſa inter eos coram decano eccleſiæ tuæ tractaretur, iſte ad noſtram audientiam appellavit, & eo veniente, nec per ſe neque per reſponſalem ſuum pars altera venit. Quia igitur prædicto G. in juſticia ſua deeſſe non poſſumus, nec debemus: fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus præfatum priorem inſtanter moneas & diſtricte compellas, vel mutuatam ſibi pecuniam iſti ſine moleſtia reddere, vel ſub tuæ diſcretionis examine plenam exinde ſibi juſtitiam exhibere. Data Senonis XIV. Kalendas Junii.

(b)

EPISTOLA LXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro eccleſia ſancti Remigii.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cauſam quæ inter dilectos filios noſtros ſancti Remigii & Dervenſem abbates ſuper quibuſdam decimis (c) vertitur, diſcretioni tuæ audiendam commiſimus, & fine debito terminandam. Verum quoniam Dervenſis abbas eccleſiam ſuam aſſerit a civitate tua per duas dietas diſtare, & multum illuc veniendo gravari, præſertim cum altera pars in ſua domo exiſtat, monemus fraternitatem tuam atque mandamus, quatinus congruum locum & utrique parti communem eis aſſignes, ad quem utraque parte ante tuam præſentiam convocata, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, eamdem cauſam ſecundum aliarum litterarum tenorem debito fine decidas. Data Senonis II. nonas Junii.

(c)

EPISTOLA LXXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro R. cancellario.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Attendentes illum animi tui fervorem, & sinceriſſimæ puritatis affectum, quem a noſtræ promotionis exordio intima tui pectoris circa eccleſiam Dei & nos ipſos geſtarunt, quidquid umquam deberemus homini credere, tuæ devotioni cum omni fiducia & ſecuritate libentius intimamus. Noveris autem quod ille auctor & caput turbationis eccleſiæ (a) R. videlicet quondam F. dicti imperatoris cancellarius, cum aliunde ſuus omnimodo diſturbetur ingreſſus, per Flandriam in Teutonicam terram ire diſponit. Quoniam igitur de tuæ virtutis conſtantia plenam in omnibus fiduciam obtinemus, providentiam tuam omnibus modis rogamus atque monemus, quatenus per te amicos & fideles tuos prædictum R. diſturbare ſatagas, & omnimodis impedire, & ipſum ſi potes capere, nulla ratione poſtponas. Nihil enim poſſes umquam ad præſens efficere, quod nobis & eccleſiæ amplius gratum & acceptum exiſteret, vel unde tibi majoris honoris laudem & gloriam comparares. Data Senonis II. nonas Julii.

(a) Rainaldus ex præpoſito Hildesheimenſi factus archiepiſcopus Colonienſis, Friderico imperatori fidus in Italia comes.

EPISTOLA LXXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro absolutione Guillelmi monachi.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dum W. parrochianus tuus in noſtra eſſet præſentia conſtitutus, nobis aſſeruit, quod cum infirmitate graviter laboraret, abbas & fratres ſancti Remigii abſque uxoris ſuæ licentia monaſticum induere habitum, & viginti libras, quas apud ſe habebat, ſibi tradere ſuaſerunt. Cumque convaluiſſet, & quid egerat apud ſe diligentius pertractaret, quaſi ad animum rediens, monaſticum quem induerat habitum exuit, & ſe facturum profeſſionem monaſticam penitus contradixit, & pecuniam quam eis tradiderat requiſivit: præfati vero monachi ipſum in vinculis poſitum duris cruciatibus afflixerunt, & biduo ei cibaria penitus ſubtrahentes, ad juramentum eum cogere voluerunt, quod prætaxatam pecuniam nullatenus ab eis requireret, nec propter hoc contra eos aliquid attentaret. Quia vero prædicto W. in jure ſuo nulla poſſumus ratione deeſſe, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatinus rem ipſam diligenter inquiras, & ſi prædictos monachos non habita licentia uxoris præfatum Guillelmum monaſticum habitum induiſſe conſtiterit, tu ipſum ab impetitione memorati abbatis & ſuorum fratrum, noſtra fultus auctoritate, abſolvas. Data Senonis III. idus Julii.

EPISTOLA LXXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro cauſa Mileſendis & R. de (b) Curti. (b)

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cauſam quæ inter Milleſendem mulierem & Radulfum de *Coci*, ſuper dote ipſius mulieris noſcitur agitari; tuæ diſcretioni olim, cum eſſemus Turonis, commiſimus terminandam. Verum quoniam præfata mulier ſæpius ad tuam præſentiam fatigata nondum ſuum jus potuit obtinere, fraternitati tuæ per iterata ſcripta mandamus, quatinus infra triginta dies poſt harum ſuſceptionem, utramque partem in loco ad quem poſſint ſecure accedere, ante tuam præſentiam convoces, & eamdem cauſam juxta aliarum litterarum tenorem debito fine decidas: ita quod ulterius non cogatur mulier propter hoc laborare. Data Senonis XV. Kal. Auguſti.

(b) In epiſtolæ contextu dicitur *de Coci*.

EPISTOLA LXXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro cauſa quæ vertitur inter abbatem ſancti Remigii & abbatem Dervenſem.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Conſtitutus in præſentia noſtra dilectus filius noſter abbas Dervenſis nobis ſuggeſſit, quod cum a bonæ memoriæ (c) S. præ- (c)
deceſſore tuo pro quadam cauſa, quæ inter eum & dilectum filium noſtrum abbatem ſancti Remigii, ſuper quadam decima diu-

(c) Samſone.

tius noſcitur agitari, in jus ſæpius revocare-
tur, eodem abbate ad propriam menſam
ſedente, tantis laboribus & expenſis ſæpe
numero fatigabatur, quod propter hujuſ-
modi gravamina quæ multotiens ſuſtinebat,
fere coactus eſt liti omnimodis abrenuntia-
re. Poſtea etiam cum eamdem cauſam olim
tuæ prudentiæ commiſiſſemus fine debito
terminandam, conſimili gravamine ſe &
(a) eccleſiam ſuam affligi nihilominus (a) pro-
ponebat. Unde a nobis cum omni inſtantia
poſtulavit, ut noſtris tibi litteris ſignifica-
remus, quod locum utrique parti idoneum
aſſignares, ubi tam ipſe quam adverſa pars
labores & expenſas æqualiter ſuſtinerent.
Verum nos cauſam illam non ex fraude ab-
batis ſancti Remigii, ſed potius ex dilatio-
nibus Dervenſis abbatis tanto tempore di-
latam fuiſſe plenius intelligentes, fraterni-
tati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus,
quatenus utramque partem ante tuam præ-
ſentiam convoces, & rationibus hinc inde
auditis diligenter & cognitis, eamdem cau-
ſam, remoto appellationis obſtaculo, in-
fra triginta dies poſt harum ſuſceptionem
vel ſaltem infra quadraginta, fine legitimo
ſtudeas terminare, ſi vero præſcriptæ cauſæ
intereſſe non poteris, eam alicui ſuffraga-
neo tuo, qui neutri parti merito ſuſpectus
haberi debeat, commitas audiendam, &
ſecundum tenorem illum quem tibi præfi-
ximus terminandam. Data Senonis IV. Kal.
Septembris.

EPISTOLA LXXXIV. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro epiſcopo Morinorum.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſer-
vorum Dei, venerabili fratri HENRICO
Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apo-
ſtolicam benedictionem.

Cum univerſis Dei fidelibus & devotis
eccleſiæ filiis propenſius debeamus aſſiſtere,
& eos paternæ affectionis dulcedine confo-
vere, ſpecialiter tamen fratres noſtros epiſ-
copos, qui circa eccleſiam Dei & nos
ipſos devoti permanent & ſinceri, promta
debemus caritate diligere, & eorum com-
modis & oneri attenta ſemper ſollicitu-
dine providere. Qualiter autem venerabilis
(b) frater noſter (b) Morinenſis epiſcopus ſa-
cro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ ac nobis ip-
ſis fidelis ſemper & devotus exſtiterit, qua-
liter etiam ipſe primus inter occidentales
epiſcopos, ad præſentiam noſtram acceſſerit,
& munus conſecrationis de manibus noſtris
acceperit, tuam diſcretionem credimus non
ignorare. Unde ipſum fraternitati tuæ ſol-
licite commendantes, rogamus, monemus, &
exhortamur in Domino, quatinus tam eum
quam eccleſiam ſuam diligas, manuteneas,
& honores: ita quod ipſe preces noſtras ſi-
bi ſentiat profuiſſe & nos inde diſcretioni
tuæ gratias debeamus uberrimas exhibere.
Ad hæc tuæ fraternitati mandamus qua-
tinus Sebrandum clericum ab eodem epiſ-
copo excommunicatum, qui cauſam nobis
ſuæ excommunicationis occultans, benefi-
cio noſtrarum litterarum abuſus, eſt tam-
quam excommunicatum attentius facias
evitari. Datum Mimatæ X. Kal. Aug.

EPISTOLA LXXXV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De negotio eccleſiæ Clarevallenſis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſer-
vorum Dei, venerabili fratri HENRICO
Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apo-
ſtolicam benedictionem.

Super Clarevallenſis (c) eccleſiæ negotio, (c)
unde nobis tuas litteras nuper tranſmiſiſti,
de conſilio venerabilis fratris noſtri Auti-
ſiodorenſis epiſcopi, & dilecti filii noſtri (d) (d)
HENRICI tituli ſanctorum Nerei & Achil-
lei preſbyteri cardinalis, ſicut nobis & ipſis
viſum fuerat expediré, proceſſimus. Si quid
autem reſiduum fuerit, tum ſinceritatis tuæ
reſpectu, tum ejuſdem eccleſiæ conſide-
ratione, ſecundum quod expedire noveri-
mus, libenti animo ſtudebimus adimplere,
de hoc vero quod nobis pro ſupradicto car-
dinali ſcripſiſti, petitioni tuæ acquieſcere
non potuimus, cum ipſe ſicut vir diſcretus
& prudens & nobis devotiſſimus pro ma-
gnis eccleſiæ negotiis, quæ inſtant, ne-
ceſſarius nobis admodum & opportunus
exiſtat, nec ejus abſentiam poſſimus ullate-
nus ſuſtinere. Ad hæc de viſitatione tua co-
piоſas tibi gratiarum referimus actiones. Da-
ta apud Clarum-montem VIII. Kal. Junii.

(a) Conſule ſupra epiſt. 29. & 81.

(b) Milo II. qui prius fuerat monachus beatæ Mariæ de Boſco, ut ſcribit Johannes Yperius, de quo etiam Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum ad annum 1160. *Mortuo venerabili Milone epiſcopo Tarvennenſi, electus eſt Milo archidiaconus ejuſdem eccleſiæ canonicus regularis, ſicut deceſſor ejus fuerat: quem cum Senonen archiepiſcopus Remenſis vellet ſacrare, clerici civitatis Bolonia, qui din ſub epiſcopo Tarvennenſi fuerant, volentes a modo ſuum proprium habere epiſcopum, ſicut antiquitus habuerant, prohibuerunt archiepiſcopum ſub appellatione apoſtolica, ne eum ſacraret, niſi tantummodo ad titulum Tarvennenſis* (lege Bolonienſis) *eccleſiæ, quod prædictus electus refutans, infuriatus contra illos clericos Romam perrexit, & ibi ſacratus eſt.*

(c) Hoc eſt circa depoſitionem abbatis Gaufridi, de qua ſupra epiſt. 77. & 78.

(d) Henricus hic cardinalis uti & Henricus archiepiſcopus, ad quem dirigitur hæc epiſtola, atque Alanus epiſcopus Autiſſiodorenſis fuerunt monachi Ciſtercienſes & duo ſaltem illi pontifices ex Claravalle aſſumti, quæ cauſa forte extitit, ut hoc illis negotium committeretur.

EPISTOLA LXXXVI. HENRIGO archiepiſcopo Remenſi.

Pro Everen presbytero.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad apoſtolicæ ſedis clementiam Everen. pauper preſbyter, ſua nobis narratione propoſuit, quod Walterus Præmonſtratenſis canonicus & præpoſitus de *Gaſnan*, redditus eccleſiæ ſuæ contra juſtitiam occupavit, & eos auſu temerario detinere præſumit, cumque ſuper eadem cauſa cum prænominato ſacerdote idem præpoſitus compoſitionem fecerit, ab ea compoſitione reſiliens, unam capam, quam ſibi præfatus ſacerdos pignori obligaverat, injuſte reddere contradicit. Pratum quoque & quamdam terram ſæpedicti ſacerdotis invadere, ipſamque, prout nobis dicitur, præſumit irrationabiliter detinere. Unde quoniam univerſis Dei fidelibus & præſertim divino cultui mancipatis in ſua exiſtimus jùſtitia defenſores, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi res ita ſe habet; prænominatum præpoſitum diligenter commoneas, & diſtricte compellas, ut & prædictam compoſitionem ſi rationabiliter facta fuit, diligenter obſervet, & omnia ablata poſt factam compoſitionem reſtituat, & ab infeſtatione ejuſdem ſacerdotis de cetero conquieſcat. Data apud Clarum-montem II. non. Junii.

EPISTOLA LXXXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro quadam muliere Herſende nomine

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex tranſmiſſa conqueſtione nobilis mulieris Herſendis ad audientiam noſtram pervenit, quod cum venerabilis frater noſter Catalaunenſis epiſcopus Euſt. Germundum & Theobaldum pro multis injuriis & damnis, quæ eidem mulieri intulerunt, de mandato noſtro excommunicaſſet, eos poſtea, nulla ſatisfactione exhibita, abſolvere non dubitavit. Unde quoniam ad hoc eccleſiaſticus gladius in malefactores exeritur, ut eorum malitia digna caſtigatione reprimatur, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi ita eſt, præfatos viros commoneas, & omni cum diſtrictione compellas, ut prænominatæ mulieri ablata A univerſa reſtituant, & damna data reſarcire non differant. Quod ſi commonitioni tuæ parere contemſerint, eos in eamdem excommunicationis ſententiam, poſtpoſita occaſione & appellatione remota, reducas. Sane quia orphani & pupilli ſub eccleſiæ tutela & defenſione conſiſtunt, nihilominus tibi præſentium auctoritate injungimus, ut debitores ſuos & filiorum ſuorum, quos ex priori marito habuit, diligenter commonere & diſtricte compellere ſtudeas, quo omnia, quæ illi & filiis ſuis debere ſe recognoſcunt, eis cum integritate perſolvant. De his vero quæ diffitentur, vel ſatisfaciant, vel in tua præſentia plenitudinem illis juſtitiæ, ceſſante appellatione, exhibeant: ita tamen quod puerorum debita illis perſonis aſſignentur, quibus eorum cura commiſſa dinoſcitur, & quæ ad eorum commodum ea debeant integre ac fideliter conſervare. Debitoribus autem ita præcaveas, ne ex quo pecuniam ſolverint, a quoquam valeant ſuper hoc conveniri. Data apud Clarum-montem non. Junii.

EPISTOLA LXXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro C. nepote domini papæ.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilectus filius noſter magiſter Fulco, eccleſiæ tuæ canonicus, nobis ex parte tua propoſuit, quod centum quinquaginta libras nobis pro quodam fratre tuo exſolveres, quas nos dilecto filio noſtro EUSTACHIO magiſtro fratrum militiæ templi mandavimus aſſignari. Verum quoniam eaſdem C.L. & VIII. latoribus præſentium pro mutua pecunia, quam illis pro neceſſitatibus eccleſiæ Romanæ accepimus, tenemur exſolvere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi ipſas prædicto magiſtro nondum aſſignaſti, præfatas C. & L. & octo libras, quas dilecto filio C. nepoti noſtro liberalitas tua promiſit, facias aſſignari, & quid inde feceris nobis per litteras tuas ſignifices. Data apud Clarummontem VII. idus Junii.

EPISTOLA LXXXIX. ABBATI monaſterii. ***

Pro querela quæ vertitur inter E. & A. ſacerdotem.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri (a) HENRICO (a)

(a) Hic irrepſit error amanuenſis, oſcitantia, nam hæc epiſtola dirigitur ad aliquem abbatem.

Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex litteris tuis, fili abbas, quas nobis præsentium lator detulit, nuper accepimus, quod cum inter E. & A. sacerdotem super quadam domo, quam idem sacerdos pignori obligatam tenebat, in tua præsentia controversia tractaretur, prædictus sacerdos nullum gravamen prætendens, ad nostram audientiam appellavit. Unde cum memorati E. responsalis coram nobis in appellationis termino præsens existeret, supradictus sacerdos nec venit, nec ad nos aliquem pro se responsalem transmisit; quocirca nos de vestra prudentia plenius confidentes, licet præter solitum fuerit. Quoniam præscripta domus de feudo ecclesiæ tuæ, fili abbas, existere perhibetur, & præfatus sacerdos appellationem, sicut diximus, non est ullatenus prosecutus, eamdem causam ad vestrum examen duximus terminandum, discretioni vestræ per apostolicæ scripta mandantes, quatinus cum exinde fueritis requisiti, utramque partem ante vestram præsentiam convocetis & rationibus hinc inde auditis & cognitis, eamdem causam, cessante appellationis remedio, fine debito terminetis. Data apud Clarum-montem v. idus Junii.

EPISTOLA XC. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Radulfo presbytero ut ecclesia sua ei reddatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum olim Senonis præsentes essemus, importunitate Radulfi presbyteri præsentium latoris commoti, venerabili fratri nostro Catalaunensi episcopo, nos mandasse meminimus, ut nisi in ecclesia sua commissa assiduus esset, ei jam dictam ecclesiam auferret, & alium in ea presbyterum ordinaret. Ipse vero, nulla, sicut ait, alia causa considerata, ei ecclesiam abstulit, & in ipsa sacerdotem instituens, quod grave est, eum excommunicationis sententia innodavit, universis de decanatu Virtuensi sub intimatione anathematis prohibens, ne quilibet eum in terra nativitatis suæ ultra unam noctem recipiant, sed ipsum tamquam excommunicatum evitent. Quia vero ejus tædio affecti, hoc ad terrorem eidem incutiendum præfato episcopo mandavimus, nec venit nobis in mentem, ut si assiduitatem in ecclesia vellet habere, ex nostri mandati occasione taliter spoliaretur: fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum episcopum ex nostra & tua parte convenire studeas, & sollicite commoneri, ut prænominato sacerdoti ecclesiam suam cum omni integritate nulla postposita dilatione restituant; & si nullo crimine notorio teneatur, quo possit legitime convinci, cum publice absolutum esse denuntiet, & ab omnibus ejusdem parrochiæ faciat pro absoluto haberi. Si autem id ad mandatum nostrum & commonitionem tuam facere forte noluerit, tu rei veritatem diligenter inquiras, & si absque alia manifesta & rationabili causa prædictum sacerdotem excommunicatum fuisse cognoveris, ipsum absolvas, & ecclesiam sibi facias sine mora restitui. Præterea volumus atque mandamus ut sibi a decano Virtuensi & a Warina de Alneto nullam indebitam molestiam vel gravamen permittas inferri. Data apud Alestam III. nonas Julii.

EPISTOLA XCI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro magistro P. ecclesiæ beati Aniani decano.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos dilectus filius noster magister P. ecclesiæ beati (a) Aniani decanus, (a) inter cetera laudabilia quæ de tua prudentia nobis exposuit, quod ipsum pro beati Petri & nostra reverentia diligas & honores, studuit intimare. Quod tanto amplius nobis gratum esse noveris & acceptum, quanto & ipsum ampliori affectu caritatis diligimus, & ut ab his qui sacro-sanctam Romanam ecclesiam & nos ipsos diligunt, honoretur propensius exoptamus. Eumdem itaque filium nostrum ad commissam sibi ecclesiam, cum plenitudine gratiæ sedis apostolicæ remittentes, fraternitati tuæ duximus altius commendandum: rogantes quatenus ipsum ita diligas & honores quod uberes tibi gratiarum actiones propter hoc exsolvere debeamus. Data apud Montem Pessulanum II. idus Julii.

(a) S. Aniani celebre apud Aurelianos canonicorum collegium, olim insignis abbatia ordinis S. Benedicti, ex qua prodiit in agro Aurelianensi Floriacensis, corpore S. Benedicti celebris.

EPISTOLA XCII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De domino papa quomodo evaſit manus inſidiantium per mare, qui res ſuas, & eum & ſocios capere diſponebant.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Attendentes devotionis tuæ fervorem, & fidei ſinceritatem, quam erga Romanam eccleſiam, & perſonam noſtram ab initio ſchiſmatis ſtudioſe exhibuiſti, de ſtatu eccleſiæ & perſonæ noſtræ, ſuper quibus prudentiam tuam ſollicitari nullatenus hæſitamus, diſcretioni tuæ dignum duximus ſignificare. Inde ſiquidem eſt, quod ea quæ nobis accidere, priuſquam iter verſus Ur-
(a) bem arripuimus, (a) ne forte ſiniſtra relatione inſinuata, animum tuum concutere valeant vel turbare, dilectioni tuæ ex ordine intimare curavimus. Noveris itaque nos circa octavas aſſumptionis beatæ MARIÆ omnem apparatum redeundi ad Urbem feciſſe. Et cum jam venerabilem fratrem noſtrum Albanenſem epiſcopum & dilectos filios noſtros JAC. ODO. W. Jan. cardinales, prout expediens erat, ante nos in quadam navi præmiſiſſemus, opportuno tempore ad navem hoſpitalem, in qua tranſire diſpoſueramus, cum reliquis fratribus noſtris in duabus galeis acceſſimus, & omnes fere cardinales cum familiis & rebus ſuis ac noſtris in eadem navi de mandato noſtro ſe recepiſſent, & nos ipſi prius eo pariter vellemus conſcendere, ſubito galearum Piſanorum multitudo de prope apparuit, quo-
(b) rum incurſus formidantes, cum (b) Maguntino electo & duobus fratribus noſtris Jo. Neapolit. & P. cardinalibus & duobus tantum ſervientibus, qui forte in eiſdem galeis nobiſcum remanſerant, Magalonem, unde veneramus, ſani & incolumes, reverſi ſumus. Præfata vero navis cum fratribus ac rebus noſtris ſine damno & abſque ullo gravamine, ſicut ab eiſdem Piſanis prius ea accepimus, proſpere ad locum properavit deſtinatum: quam in brevi, auctore Domino, proſequi parati ſumus. Idem quoque Piſani galearum comites cum multimoda proteſtatione in præſentia noſtra poſtmodum aſ-

A ſeverarunt, quod nullam offendendi perſonam noſtram voluntatem vel propoſitum invadendi res noſtras habuerunt. Confortare itaque in Domino, & ex hoc nullum damnum vel læſionem aliquam niſi moram noſtram breviſſimam nobis vel eccleſiæ timeas proventuram, & hoc ipſum prout geſtum eſt, omnibus coepiſcopis tuis & convicinis perſonis ac principibus, quibus noveris expedire ſtudeat diſcretio tua diligenti ſollicitudine ſignificare. Data apud Magalonem IV. idus Septemb.

EPISTOLA XCIII. ABBATIS Clarevallenſis ad Henricum archiepiſcopum Remenſem.

Congratulatio (a) P. abbatis Clarevallenſis (c) de (b) promotione Henrici Remenſis (d) archiepiſcopi.

AMantiſſimo domino & patri vere dilecto HENRICO, Dei gratia venerabili Remenſi archiepiſcopo, frater P. abbas dictus Clarevallenſis, ipſum quod eſt & quod poteſt in Domino.

Deſiderantibus nobis & in omni expectatione veſtræ præſtolantibus ſublimitatis adventum, tanto hujus rei majorem caritas miniſtrat affectum, quanto crebrius parat eventus neceſſitatis obſtaculum. Quia ergo cauſa cognita, quam ſcripſiſtis, videmus nos adhuc aliquandiu ab hujuſmodi ſpei noſtræ efficacia ſuſpendendos, expectimus interim & optamus, ut quod differri oportet, non contingat auferri, deturque nobis celeriter de rei exhibitione lætitia, quod de ſpei dilatione neceſſitas efficit importuna. In ipſius vero procuratione negotii ita vobis oramus divina cœlitus præſidia miniſtrari, quod & regius honor illibatus permaneat, & totius regni ſtatus jugiter ſervetur illæſus. Vale.

EPISTOLA XCIV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De receptione domini papæ in Urbe & de quadam muliere C.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO

(a) De reditu Alexandri papæ ad Urbem, deque inſidiis ipſi in itinere paratis ita Nicolaus Triveetus in chronico ad annum 1165. *Alexander papa relinquens Senonem, ubi jam duobus ficerat annis, ad Montem-Peſſulanum contendit, indeque navali expeditione perrexit ad terram regis Siciliæ Willelmi, cui nec in mari per piratas imperatoris inſidiis defuerunt.*

(b) Conrado, Ottonis palatini comitis de *Wittelsbach*, fratre, Friderici imperatoris affini, quem Albericus tamquam virum honeſtum & magnanimum laudat, Alexandro papæ ſemper adhæſit, qui cardinalem eum creavit.

(c) Pontii, qui ex abbate Grandis-Silvæ circa annum 1165. Gaufrido abbati cedenti ſubrogatus eſt, nec multo poſt factus epiſcopus Claromontenſis.

(d) Quænam ſit illa Henrici promotio, quam hujus epiſtolæ titulus præfert, divinare non poſſumus. Sane non de promotione ejus ad Remenſem archiepiſcopatum intelligendus eſt, cum Pontius necdum eſſet abbas Clarevallenſis.

Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

A nostra vel successorum nostrorum memoria nullo tempore elabetur, quomodo tu in devotione beati Petri ac nostra firmiter, semper & constanter persistere, & nobis non modicum honoris & reverentiæ & & larga obsequia curaveris exhibere. Unde nos id præ oculis nostris semper habentes, firmum propositum & promtam gerimus voluntatem, te sicut carissimum fratrem nostrum, & immobilem ecclesiæ columnam, artiori in Domino caritate diligere, & ad honorem & profectum tuum & commissæ tibi ecclesiæ ferventiori desiderio aspirare. Quia vero te prosperitatibus ecclesiæ ac nostris congaudere plurimum & congratulari cognoscimus, præsentium significatione cognoscas, quod nos diversa maris pericula & graves hostium & iniquorum incursus divina potentia & apostolorum meritis evadentes, ad portum tandem salutis pervenimus, & a senatoribus populoque Romano devotissime invitati, IX. Kal. Decembris (a) Urbem intravimus, cum omni pace & tranquillitate suscepti, & illam nobis & fratribus nostris reverentiam, honorem & devotionem prædicti senatores, nobiles civitatis, clerus & Romanus populus exhibuerunt, qua nulla major prædecessorum nostrorum, sicut omnium ora testantur, exhibita fuisse probatur. Unde credimus & de misericordia Christi speramus, quod ecclesia Dei plena pace & optata prosperitate gaudebit. Rogamus autem prudentiam tuam atque monemus, quatinus in assumtæ devotionis fervore magnanimiter confortatus, alios exemplo tuo in beati Petri & nostra reverentia studeas solidare, & propensius roborare. De cetero veniens ad nos G. lator præsentium pro C. sorore sua gravem coram nobis querelam deposuit, quod ei hereditatem suam, quæ Bremontellis vocatur, G. de Bald. & quidam alii parrochiani tui contra justitiam abstulerunt, ipsamque illicite detinere præsumunt. Unde cum eos in præterito festo beati Johannis ad nostram propter hoc præsentiam appellasset, illi non venerunt, nec pro se responsalem aliquem destinaverunt. Nos vero eidem mulieri in justitia sua non volentes, sicut non debemus, deesse, & de tua discretione nihilominus confidentes, causam ipsam experientiæ tuæ committimus audiendam, & fine debito terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convocos, & rationibus hinc inde diligenter auditis & cognitis, eamdem causam, si super ea fuerit appellatum, remota appellatione, A justitia mediante decidas. Data Laterani VIII. Kal. Decembris.

(a) Alexandri in Urbem reditus contigit anno 1165. uti videre apud Baronium & alios auctores.

EPISTOLA XCV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro causa quæ vertitur inter ecclesiam Erapoussmanil & ecclesiam Roiensem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum in regno Francorum adhuc præsentes essemus, & inter venerabilem fratrem nostrum Noviomensem episcopum & bonæ memoriæ T. quondam Ambianensem super ecclesia de *Erapoussmanil* controversia mota fuisset, & jam dicta ecclesia præfato Noviomensi a nobis judicata fuisset, clerici (b) Roienses decimas illius ecclesiæ ad se pertinere instantius proponebant. Unde nos causam ipsam discretioni tuæ secundum tenorem scripturarum nostrarum, quas Noviomensibus de sententia data indulsimus, appellatione remota, committimus decidendam. Cumque causa cognita sententiam exinde pro Noviomensi contra Roiensem ecclesiam protulisses, & canonici eidem parere contemnerent, eosdem propter hoc interdicti sententiæ, sicut dicitur, subjecisti. Quam utique, quoniam eam nulla satisfactione exhibita relaxatam esse audivimus, nullatenus observarunt. Quoniam autem in hoc auctoritati tuæ non modicum derogari videtur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratos canonicos diligenter admoneas, ut infra triginta dies post harum susceptionem prælibato, Noviomensi ablata universa secundum mandatum tuum restituant, & illata damna resarciant. Alioquin nisi ea quæ prædiximus infra præfixum terminum fuerint plenius exsecuti, eosdem a nobis a prædicta interdicti sententiam reductos esse denunties, quam a te usque ad dignam satisfactionem firmiter præcipimus observari, & ut ipsam per totam provinciam inviolabiliter facias ab universis teneri. Data Lateranis II. id Decembris.

(b) Roya est urbs in Picardia in tractu Sanguinensi, in qua est insigne canonicorum collegium reliquiis S. Florentii decoratum.

EPISTOLA XCVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Rogat ut centum marcas argenti ei adquirat, & ejus necessitatibus subveniat ex ecclesiis sui episcopatus.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO

Remen-

Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Integram fidem, & ſinceriſſimam devotionis tuæ puritatem, quam ab *ipſo noſtræ* promotionis exordio circa honorem & augmentum ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ ac noſtrum conſtanter & fideliter exhibuiſti, ſtudioſius attendentes: conſiderantes etiam quomodo ipſius eccleſiæ cauſam, non ut alienam, ſed tamquam propriam reputans, eam viriliter defendere ac manutenere caraſti, fraternitati tuæ uberrimas exinde gratiarum actiones exſolvimus, & in neceſſitatibus noſtris confidenter a tua liberalitate conſilium & auxilium poſtulamus. Scire autem volumus prudentiam tuam, quod quæcumque nobis in eleemoſynam collata ſunt, uſurarum ingluvies devorat, & nobis rerum neceſſariarum commoditatem & affluentiam tollit. In eo enim loco poſiti ſumus, & cum illo populo habitamus, qui tempore omnimodæ pacis, nedum turbationis, ad Romanorum pontificum conſuevit manus reſpicere, & eis gravamen non modicum & onus inferre. Unde quoniam ad ipſius eccleſiæ onera & neceſſitatem alleviandas, tuo & aliorum auxilio plurimum indigemus, fraternitatem per apoſtolica ſcripta rogamus atque monemus, quatinus ponderis & laboris noſtri neceſſitatem reſpiciens, ab eo cujus nomine, cum in regno Francorum eſſemus, nobis centum quinquaginta libras, fratribus vero noſtris aliam ſummam obtuliſti, centum nobis marcas argenti, ſi ulla poterit fieri ratione, cum honeſtate tamen noſtra acquiras. Nihilominus etiam te, de quo inter alios pontificalis dignitatis viros plene confidimus, rogandum duximus & attentius commonendum, ut de eccleſiis tui proprii epiſcopatus nobis honeſtam ſubventionem ſtu deas invenire. Cum enim in diſceſſu noſtro alias eccleſias de regno Francorum commonuerimus ſuper ſubventione nobis & eccleſiæ facienda, tunc indignum exiſtimavimus perſonam tantæ nobilitatis & dignitatis ſuper his ſollicitare, nec modo niſi multa neceſſitas immineat, te exinde aliquatenus ſollicitaremus. Romana enim eccleſia tam hoc quam alia tuæ devotionis & acceptæ ſubventionis obſequia, ſemper habebit præ oculis, & ad honorem & exaltationem tuam & eccleſiæ tuæ omni tempore efficaciter & ferventer intendet. Volumus autem, ut dilectis filiis noſtris magiſtro & fratribus militiæ Templi Pariſienſis, quæ tuæ placuerit liberalitati, aſſignes. Quidquid vero mihi facere diſpoſueris, quantocius nobis litteris tuis ſignifices. Tanta namque ſunt onera debitorum & creditorum inſtantia, ut niſi eccleſiæ Dei a tua fuerit modo liberalitate ſubventum, vix aut numquam nobis ſtatum urbis in ea pace, in qua nunc eſt, poterimus conſervare. Data Lateranis xv. Kal. Februar.

EPISTOLA XCVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Cantuarienſi archiepiſcopo.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Inter ceteras divinæ operationis actiones, illud Deo & nobis gratiſſimum reputamus, quod venerabilem fratrem noſtrum (*a*) Cantuarienſem archiepiſcopum in anguſtiis & anxietatibus ſuis ſereno vultu reſpicere, & ei gratiæ pariter & conſolationis tuæ favorem ex conſueta caraſti clementia exhibere. Quia vero nunc ope & conſilio maxime opus habet, magnificentiam tuam per apoſtolica ſcripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus pietatis intuitu & pro reverentia beati Petri & noſtra & conſideratione religionis & dignitatis ſuæ, ipſum & ſuos gratia, honore pariter, & dilectione prævenias, ſibique in adverſitatibus ſuis conſolationis & favoris tui ſolatium exhibeas: *ita* quod inde ab omnipotenti Deo æternam poſſis retributionem recipere, & nos quod eidem impenderis nobis ſpecialiter impenſum putantes, fraternitati tuæ utcumque teneamur propter hoc gratias exhibere. Data Lateranis III. Kal. Februarii.

(*a*)

EPISTOLA XCVIII. ABBATI & fratribus ſancti Remigii.

Ut VVillelmum fugitivum monachum recipiant.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & fratribus ſancti Remigii Remenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pro VVill. latore præſentium nos tibi, fili abbas, jam ſecundo ſcripta noſtra direximus, ut eum, ſalva tui ordinis diſciplina, reciperes, & miſericordiæ januam aperies. Quia vero nondum eſt, ſicut nobis inſinuavit, receptus, nos timentes animæ ſuæ naufragium provenire, ſi diutius ſine diſciplina exiſtens, ad ſæculi delectationes fuerit coactus redire, religionem veſtram monemus atque mandamus, quatenus prædictum VVill. ſervata ſecundum inſtitutionem veſtri ordinis diſciplina, poſtpoſita mora & occaſione, & recipiatis & benigne tractetis, aut ſibi ſua ex integro reſtituatis, & ut in alio monaſterio recipiatur, operam & ſtudium efficaciter adhibere curetis, & ita mo-

(*a*) Sanctum ſcilicet Thomam, qui pro gloria Dei exſulabat in Gallia.

nita & mandata noſtra ſuper hoc attentis auribus audiatis, & effectui mancipetis, quod vobis exinde non cogamur amplius ſcribere, nec ipſe compellatur ulterius ad nos laborare. Data Lateranis IV. idus Februarii.

EPISTOLA XCIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Roberto presbytero.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significavit nobis Robertus preſbyter, quod canonici Roienſes duas eccleſias ſibi ſub annuo cenſu dederunt, ſub quarum quædam capella leproſorum erat peſtis potestate, quam nos per conceſſionem prædictorum canonicorum propria, ſicut dicitur, libertate donavimus. Unde quoniam damnum XXX. librarum ſe aſſerit propter hoc incurriſſe, nec eſt juſtum aut conſentaneum rationi, ut ex quo beneficium eſt diminutum, canonicis integrum teneatur cenſum perſolvere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & rationibus hinc inde etiam auditis, ſufficienter & cognitis, cauſam ipſam infra quadraginta dies poſt harum ſuſceptionem, mediante juſtitia, ſtudeas remoto appellationis obſtaculo, terminare: ita quidem ut ſecundum quod beneficium eſt diminutum diminui facias cenſum. Data Lateranis X. Kal. Martii.

EPISTOLA C. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Roberto presbytero.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Lator præſentium Robertus ſacerdos in multo periculo & labore ad noſtram præſentiam accedens, ſupplici nobis inſinuatione monſtravit, quod cum a canonicis Roienſibus quamdam decimam ad cenſum octoginta modiorum annonæ per annum obtinuiſſet, prius ea ſuperveniente aeris tempeſtate nonniſi quadraginta & unum modium de præſcripta decima eſt conſecutus, & quia ad integram ipſius ſolutionem fuit coactus, damnum octoginta & octo librarum incurrit. Unde quoniam indignum & inhuma-

(a) Is erat Galterius de Mauritania, vir doctus, ex decano Laudunenſi creatus epiſcopus & Romæ anno 1155. inauguratus.

(b) S. Johannis de Vineis, inſigne ordinis S. Auguſtini monaſterium apud Sueſſiones, fundatum ab Hugone Caſtri Theoderici toparcha, ab ambientibus olim vineis ita appellatum.

num videtur, ut cum non perceperit integrum fructum, totum debeat pondus ſentire, cauſam ipſam experientiæ tuæ duximus committendam, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandantes, quatinus cum exinde fueris requiſitus, utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis ſufficienter & cognitis, cauſam ipſam infra quadraginta dies, poſt harum ſuſceptionem, mediante juſtitia, ſtudeas remoto appellationis obſtaculo diffinire. Data Lateranis X. Kal. Martii.

EPISTOLA CI. HENRICO Remenſium archiepiſcopo.

Pro capellanis Laudunenſibus.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Decet fraternitatem tuam, his qui protectionem & defenſionem tuam habere deſiderant, ſe benignam & propitiam oſtendere, tuique favoris & tuitionis patrocinium exhibere. Hujus itaque conſiderationis intuitu provocati, capellanos Laudunenſes ſollicitudini tuæ propenſius commendamus, mandantes atque præcipientes, quatenus eos cum bonis ſuis ſub tua protectione ſuſcipiens, ipſos juxta officii tui debitum in juſtitiis ſuis diligenter manuteneas & defendas, & ſi epiſcopus, (a) quia (a) ſæpe de eo nobis conqueſti ſunt, illos indebite vellet & injuſte tractare, & contra ſcriptum noſtrum & anteceſſoris ſui quodlibet eis gravamen inferre, tu id nulla ratione ſuſtineas, ſed potius eum ſtudeas ab hoc revocare: ita quod ipſi ſe a tua ſollicitudine protegi gaudeant, & inde tibi toto vitæ ſuæ tempore fideliores exiſtant. Data Lateranis VIII. Kal. Martii.

EPISTOLA CII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro dejecto presbytero.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio abbati ſancti Remigii, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex tranſmiſſa conqueſtione dejecti presbyteri ad aures noſtras pervenit, quod abbas ſancti (b) Johannis de Vineis ei eccleſiam ſuam abſque ordine judiciario, & contra juſtitiam abſtulit, & ipſam ſibi reddere modis omnibus contradicit. Unde quoniam eidem ſacerdoti in jure ſuo deeſſe (b)

nec possumus, nec debemus, fraternitati A tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictum abbatem ex parte nostra diligenter commoneas, & districte si fuerit necesse compellas, ut memorato presbytero ecclesiam suam cum integritate restituat, vel coram te sufficientem exinde justitiam exhibeat. Quod si causam ipsam maluerit potius intrare, quam ecclesiam reddere, tu partibus congruo loco & tempore ante tuam præsentiam convocatis, causam ipsam diligentissime audias, & eam cessante appellationis obstaculo, justitia mediante, decidas. Data Lateranis v. non. Martii. B

EPISTOLA CIII. HENRICO Remensi archiepiscopo ejusque suffraganeis.

Pro Drogone schismatico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remorum archiepiscopo & suffraganeis ejus, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Quam graviter & quam enormiter (a) DROGO ille schismaticus, Lugdunensis ecclesiæ violentus & improbus occupator, in ecclesiam Dei deliquerit, & eam studuerit totis viribus jugiter molestare, vestram credimus cognitionem tenere, nec id aliquatenus ignoratis. Quaproter nos jam dictum DROGONEM & principales ejus fautores pro excommunicatis, & a corpore Christi, quod est ecclesia, sequestratis habentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta præci- D piendo mandamus, quatinus in unum pariter convenientes, eosdem accensis candelis & clero ac populo congregato, & pulsatis campanis publice excommunicetis, & per vestras parrochias singulis diebus dominicis & aliis præcipuis festivitatibus eamdem faciatis excommunicationis sententiam innovari, venerabilem quoque fratrem (b) nostrum (b) G. archiepiscopum Lugdunensem juvare propensius studeatis, & ei consilium & auxilium quibuscumque modis poteritis, efficaciter tribuatis. Parrochianos etiam vestros ad hoc ipsum inducere laboretis, & eisdem, ut ad illius juvamen intendant, in peccatorum veniam injungatis, ita quod in vobis fraternæ caritatis consolationem inveniat, & nos quidquid ei feceritis nobis ipsis specialiter, impensum putantes, sinceritati vestræ immensas debemus exinde gratias exhibere. Data Lateranis II. nonas Martii.

(a) Drogo ex archidiacono Lugdunensi electus est archiepiscopus, reclamantibus & opponentibus se ejus electioni sex canonicis, uti videri est in epist. capituli Lugdunensis ad Ludovicum regem apud Chesnium tom. 4 hist Franc.

(b) Guichardum ex abbate Pontiniaci electum, & a summo pontifice apud Montem-Pessulanum 1165. ordinatum.

EPISTOLA CIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De absolutione quorumdam excommunicatorum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Suggestum nobis est quod frater noster Catalaunensis episcopus, Evan. Hengenbertum, Hugonem, Nicolaum, Radulfum, Rogerum, Segardum, Adam, Gaufridum & Oggerum Torelli parrochianos suos & eorum familias non citatos nec ad rationem positos, excommunicationi subjecit. Unde quoniam proniores ad benedicendum quam ad maledicendum esse debemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si tibi constiterit præfatum episcopum, memoratos viros eo modo quo superius diximus excommunicasse, eos & familias eorum C nisi forte notorium fuerit ipsos ita graviter deliquisse, quod ipso genere delicti excommunicationis sententiam incurrissent, auctoritate nostra & tua, si episcopus facere absque pecuniæ exactione noluerit, omni appellatione cessante, absolvas, recepto prius ab eis juramento, quod in præsentia venerabilis fratris nostri Suessionensium episcopi cum prædicto Catalaunensi aliquid contra ipsos habuerit justitiæ debeant stare. Data Lateranis VI. idus Martii.

EPISTOLA CV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Hugone clerico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex relatione Hugonis clerici præsentium latoris olim accepto, quod pater suus & mater partem cujusdam molendini, quæ ad eos spectabat, Hescelino clerico de Guisern. pro VI. marcis pignori obligarunt, quam & pater suus decedens & mater ejus nihilominus sibi reliquit, & unde jam dictum Hescelinum sortem suam & amplius percepisse dicebat, venerabili fratri nostro (c) (c) M. Morinensi episcopo dedimus in

(c) Miloni.

mandatis, ut si præfatum clericum sortem suam de præscripta molendini parte deductis expensis recepisse constaret, ipsum diligentius admoneret, & omni cum districtione compelleret, quod eamdem partem memorato Hugoni sine omni exactione pecuniæ, cessante appellationis remedio, resignaret, & in pace sibi ac quiete dimitteret possidendam. Quod si facere forte contemneret, ipsum omni officio & beneficio ecclesiastico celerius spoliaret. Si vero vel Hescelinus sortem suam nondum ex integro percepisset, computato in sortem quod jam recepit, & quod deesset recepto, eamdem prætaxatam partem prædicto Hugoni nihilominus, remoto appellationis obstaculo, faceret assignari. Quia vero, sicut prælibati Hugonis iterata querela demonstrat, supradictus episcopus nostrum adhuc mandatum non est aliquatenus prosecutus, & indignum est quemlibet laicum nedum clericum hujusmodi lucris studium vel operam adhibere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si memoratum episcopum non in his processisse cognoveris, tu prædicta omnia, sicut eidem mandavimus, infra quadraginta dies post harum susceptionem, omni excusatione & appellatione sublata, sufficienter exsequi nulla ratione postponas: ita quidem quod si præscriptus Hescelinus clericus legitime citatus venire, aut quod etiam statueris observare contemserit, vel se a tuo examine per judicium sæculare forte tentaverit sequestrare, tu jam dictum Hugonem in prælibatæ partis possessionem appellatione remota inducas, & eam sibi tam nostra quam tua pariter auctoritate ab adversæ partis molestiis viriliter & constanter defendas. Data Lateranis III. idus Martii.

EPISTOLA CVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Johanne clerico ut præbenda investiatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam frater noster G. Laudunensis episcopus Johanni nepoti dilecti filii nostri cantoris Duacensis, coram venerabili fratre nostro Hostiensi episcopo & dilectis filiis nostris, O. S. Nicolai in Carcere Tulliano & Manfrido sancti Georgii ad Velum aureum diaconis cardinalibus præbendam unam concessit, & tam nos quam tu & idem Laudunensis, si bene recolimus, concessionem illam nostris litteris confirmavimus, nec tamen jam dictum Johannem præfatus Laudunensis de præscripta præbenda voluit hactenus investire, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus eumdem Laudunensem diligenter admoneas, & si fuerit necesse, compellas, quod memoratum Johannem, sicut ei per scripta nostra præcepimus, de prætaxata præbenda non differat investire, & locum sibi tam in capitulo quam in choro assignet. Data Lateranis II. idus Martii.

EPISTOLA CVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro cantore Duacensi, ut restituatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum discretio tua scriptum esse cognoscat, cui tributum, tributum; cui honorem, honorem: miramur quod, sicut nobis dicitur, in Attrebatensi ecclesia contra regni illius consuetudinem hujusmodi præceptum fecisti, ut in choro ejusdem ecclesiæ quilibet ex ordine locum teneat, secundum quod ibidem prius aut posterius fuerat canonicus institutus, nullo respectu habito ad scientiam, dignitatem, vel ætatem alicujus personæ, quæ in his essent maxime attendenda. Quoniam autem dilectus filius noster cantor Duacensis, quem nos pro devotione, honestate & probitate sua, sicut virum providum & discretum, carum admodum acceptumque tenemus, locum suum occasione ista mutatum esse proponit, & personam suam in hoc graviter læsam fuisse, fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus atque mandamus, quatinus prædicto cantori locum suum, quem in præscripta ecclesia noscitur hactenus habuisse, pro devotione quam circa nos & ecclesiam gerit, & obtentu dilectionis quam nos circa personam ejus habemus, facias dilatione cessante restitui, & de cetero in pace dimitti, ut ipse idem tibi debeat omni tempore devotior permanere, & nobis id gratum omnimodis facias & acceptum. Si autem præceptum istud tam de illo, quam de aliis revocaveris, nobis plurimum placere cognoscas. Verum quidquid de aliis feceris, volumus ut prænominato cantori locus, quem huc usque habuisse dinoscitur, restituatur. Malumus enim in hoc tuæ fraternitati deferre: ita ut quod per te exinde factum est, auctoritate tua in statum pristinum revocaretur, quam nostra in hac parte, quod de jure possemus, auctoritate uti. Data Lateranis II. idus Martii.

EPISTOLA CVIII. DECANO & capitulo Catalaunenſi.

Ne exigant pecuniam pro ſcholis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis decano & canonicis Catalaunenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pervenit ad nos, quod cum aliqui clerici in epiſcopatu veſtro alios velint docere, & eos litterali ſcientia erudire; vos ipſos, niſi pecuniam vobis velint conferre, ne id poſſint efficere, modis omnibus impeditis, & ſub excommunicationis interminatione, ne hoc faciant, prohibetis. Quod quia rationi & honeſtati contrarium prorſus exiſtit, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus clericos omnes, qui in epiſcopatu veſtro, & præſertim extra muros civitatis aliis legere voluerint, & eos ſcholaſticis inſtruere diſciplinis, id libere & ſine omni contradictione efficere permittatis, nec ſuper hoc moleſtare de cetero præſumatis, vel occaſione iſta aliquam ſibi læſionem inferre. Quod ſi ulterius de vobis ad nos hujuſmodi fuerit querela perlata, pro certo ſciatis, quod nos id impunitum nullatenus relinquemus. Data Lateranis XVII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De ammonitione prælatorum eccleſiaſticorum, ut ſibi ſubveniant. Commendatio de perſeverantia dilectionis circa Romanam eccleſiam & exhortatio ad idem.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

A memoria noſtra non excidit, nec aliquo tempore in poſterum elaberur, quam ſincere & quam devote nobis a principio noſtræ promotionis aſtiteris, & quam diligentiam circa profectum & augmentum eccleſiæ promto ſemper animo ſtudueris adhibere, & quod in eodem adhuc propoſito & voluntate perſiſtas, & in noſtris & ipſius eccleſiæ negotiis omnem quam convenit curam & ſtudium habeas, nullatenus ignoramus, nec aliquam inde dubitationem habemus. Hanc ſiquidem ſpem & fiduciam obtinentes, ſinceritatem tuam ſuper agendis noſtris confidenter requirimus, & ea cognitioni tuæ ſine alicujus hæſitationis ſcrupulo intimamus. Noſcat autem tua diſcretio, quod nos in Urbe magnifice ſatis per gratiam Dei hucuſque exiſtimus, & in præſenti, licet adverſum nos multa inimici eccleſiæ jugiter machinentur, honorifice cooperante Domino, permanemus. Verum quoniam multis & graviſſimis quotidie urgemur expenſis, & immoderatis oneribus aggravamur, ad te & alios eccleſiæ filios in tantæ neceſſitatis articulo recurrere cogimur, & veſtrum auxilium inſtantius poſtulare, ut veſtri freti ſubſidiis, inimicis eccleſiæ viriliter poſſimus reſiſtere, & eamdem eccleſiam priſtina libertate donare quod nulla ratione opportunius effici poſſe videmus, quam ſi Urbem in fidelitate beati Petri ac noſtra ſervare, & contra voluntatem inimicorum ibidem poterimus permanere. Quapropter fraternitatem veſtram per apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus pro animæ tuæ remedio, & ut tuæ devotiſſimæ ſinceritatis indicium in eccleſiæ oculis poſſit in futurum clarere, nobis celerius ſtudeas & efficacius ſubvenire, & matri tuæ manum auxilii filiali porrigas devotione: ut nos tibi reddas in perpetuum obligatos, & eadem mater tua ſancta videlicet eccleſia per te ab oneribus & gravaminibus ſuis ſe ſentiat non modicum allevari, & tu a Deo multiplex inde præmium valeas obtinere, & coram hominibus laudem & gloriam reportare. Nos enim dilectum filium noſtrum fratrem *Roſtram* ad te & alios eccleſiarum prælatos propter hoc duximus deſtinandum, cui juxta beneplacitum tuum inde reſpondeas, & quid ſibi feceris, nobis per litteras tuas, & per eumdem ſignifices. Data Lateranis XVI. Kal. Aprilis.

EPISTOLA CX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Galterio clerico.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad apoſtolicæ ſedis clementiam Galterius diaconus, nobis diligenter propoſuit, quod ei canonici eccleſiæ ſanctæ Crucis medietatem unius præbendæ in eadem eccleſia conceſſerunt, donec integram præbendam jam dicto G. libere poſſent aſſignare. Sed nunc, ut ex ejus relatione audivimus, ſibi de præbenda, quæ vacat, præbendam ſuam integrare omnino recuſant, quia vero injuſtum eſt, ut beneficium, quod ad ſuſtentationem unius conſtitutum eſt, in plures partes dividatur, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi ita eſt, ſupradictos canonicos diligenter commoneas, & diſtricte compellas, ut eidem G. præbendam ſuam non differant integrare. Data Lat. XIV. Kal. Maij.

EPISTOLA CXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro quodam G. ut hæreditas ei reddatur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significavit nobis G. præſentium lator, quod miles Badar. Nicolaus & Adam raptam hæreditatem ſuam maternam pignori detinent occupatam. Unde ſibi ſortem ſuam, ſi eam illi reſignare noluerint, ſe aſſerit ſoluturum. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus creditores prædictos moneas attentius, & diligentius ſtudeas convenire, ut memorato G. hæreditatem prædictam, ſorte ſua recepta, cum integritate reſtituant, vel ipſi ſub tuo examine plenam inde juſtitiam facere non poſtponant. Quod ſi neutrum iſtorum adimplere voluerint, tu eos ad alterum exſequendum eccleſiaſtica cenſura conſtringas Data Lateranis XIII. Kal. Maij.

EPISTOLA CXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De negotio epiſcopi Gratianopolitani.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quorumdam nobis relatione innotuit, quod nobilis vir comes Tholoſanus precibus & promiſſionibus FREDERICI eccleſiæ Dei perſecutoris inductus, diſpoſuit quod omnes perſonas eccleſiaſticas in terra ſibi ſubjecta morantes, de regno etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri LUDOVICI illuſtris Francorum regis, aut idolum adorare compelleret, aut proprias ſedes relinquere, & exſilium cogeret ſuſtinere. Unde quoniam hoc contra honorem Dei eccleſiæ & prædicti regis & totius regni ſuæ gubernationi commiſſi prorſus exiſtit, & in ſalutis ſuæ periculum pro certo noſcitur omnimodis redundare, fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus pro eccleſiæ Dei reverentia, cujus cauſam propriam ſuſcepiſti, in omnibus defendendam, & intuitu beati Petri ac noſtro, prædictum regem commonere ſtudeas, & omnibus modis inducas, ut præfatum comitem per litteras & nuntium ſuum, priuſquam tanti ſacrilegii ſcelus attentet, ſtudeat prævenire, & eum ab hujus præſumtionis audacia penitus revocare intendat, & ut venerabilem fratrem noſtrum Gratianopolitanum (a) epiſcopum quem expulit, ad propria quam citius revocet, ipſum attente commoneas, & omnibus modis inducas: ita quod ab omnipotenti Domino æternæ propter hoc retributionis munus acquirat, & eccleſia Dei id debeat omni tempore memoriter retinere, & nos ipſi eidem regi debeamus exinde gratias uberrimas exhibere, & fraternitatem tuam ſuper hoc valeamus multis modis in Domino commendare. Data Lateranis III. Kal. Maij.

(a)

EPISTOLA CXIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De ordinatione & conſecratione epiſcopi Tornacenſis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum ſinceriſſimæ devotionis tuæ fervorem a noſtræ promotionis principio certis & manifeſtis indiciis cognoverimus: ita quod fratres noſtros ex parte noſtra in regnum Francorum venientes ea cum affectione receperis, quod cum eis noſtrum & eccleſiæ negotium tamquam proprium ſemper & ubique geſſiſti, ſuper diſcretione tua ſatis non poſſumus admirari, ſi ea quæ de Tornacenſis eccleſiæ negotio ſunt nobis relata, veritati ſubſiſtunt. Audivimus enim quod poſt appellationem & ſpecialem prohibitionem ex parte noſtra factam, perſonam illius, quam clerici ejuſdem eccleſiæ ſibi aſſumſiſſe dicuntur, in epiſcopum conſecraſti, præſertim cum nos ipſius negotii cognitionem ea intentione diſtulerimus, ut cariſſimo in Chriſto filio noſtro LUDOVICO illuſtri Francorum regi, & tibi ſicut fratri noſtro cariſſimo deferremus, & utriuſque partis expenſis & laboribus parceremus, & ut prædicti clerici (b) Noviomenſes inſtrumenta ſua, quibus innitebantur, nobis poſſent oſtendere, quæ præ manibus non habebant. Quare ſuper hoc amplius commovemur, cum in eo quod tibi detulimus, tu nobis, ſi verum eſt quod aſſeritur, minime deferre curaſti. Ea propter fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta monemus atque mandamus, quatenus, ſi res ita ſi habet, prout noſtris eſt auribus intimatum, quod factum fuerit, & quantum nos in hoc læſi

(b)

(a) Johanne, qui ex monacho Carthuſienſi ad infulas eccleſiæ Gratianopolitanæ aſſumtus fuerat.

(b) Ex hoc loco conjicere licet Noviomenſes canonicos ægre tuliſſe ſeparationem epiſcopatus Tornacenſis a Noviomenſi, ac poſt Anſelmi ac Geraldi ipſius ſucceſſoris forte Galterii, voluiſſe impedire ne novus eligeretur epiſcopus, & elaboraſſe ut iterum Tornacenſis Noviomenſi, uti antea uniretur epiſcopatus.

fuerimus, quomodo etiam id sacris canonibus & ecclesiasticæ consuetudini omnimodis obviet, diligenter attendas, & personam, quæ in episcopum tam enormiter assumta dicitur, ab officio pontificali facias
x f. Et qui. omnino cessare, donec ipse * & quod eum elegerunt ad nos mandato nostro super hoc parituri accedant. Tu vero, si ita non est, id nobis quam cito rescribas, ut sic omnem rancorem & turbationem a nostro possis animo removere. Quod si res ita se habet, tu hoc celerius corrigas, & qualiter correxeris, vel si id emendatum non fuerit, nobis sub omni festinatione per litteras & nuntium tuum significes, ut nos tantæ præsumtionis excessum, sicut expedire noverimus, corrigere valeamus. Maluimus enim hoc, si verum est, per te quam per nos ipsos punire. Data Lateranis 11. Kalendas Maij.

EPISTOLA CXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Roberto sacerdote.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut tua prudentia novit, sacerdotale officium negligitur, & in derisu quasi & contemtu habetur, si quis illo ministerio præditus, pro necessariis vitæ quærendis cogitur tamquam vagabundus discurrere, & gravi egestate & inopia laborare, & ideo rogamus providentiam tuam atque monemus, quatinus venerabilem fratrem nostrum (a) G. Tornacensem episcopum
(a) commoneas studiosius, & omnibus modis inducas, ut dilecto filio nostro Roberto sacerdoti, qui ecclesiastico beneficio est destitutus, in aliqua ecclesiarum suarum, quæ primum vacaverit, sicut nobis viva voce promisit, ita decenter provideat, quod nos exinde sollicitudinem ejus debeamus non immerito commendare, & iste non cogatur diutius, quod omnino absurdum esset, ecclesiastico beneficio carere. Data Lateranis Kal. Maij.

EPISTOLA CXV. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro electione abbatissæ Dodonienſis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex litteris fraternitatis tuæ ad nos directis accepimus, quod cum sorores (b) Dodonienses inter se divisæ, duas personas in (b)
abbatissam nominassent, longe major pars in unam quam in aliam convenit. Nos vero tam ex litteris, quam ex relatione diversorum audivimus, quod cassata electione utriusque illarum quæ nominatæ fuerant, sorores electionis suæ auctoritatem arbitrio Attrebatensis episcopi contulerunt. Unde quia id nobis liquido non constabat, nos ratione cogente in eo scilicet quod certificatum nobis fuerat, quod sorores ab utraque electione recesserint, causam ipsam venerabilibus fratribus nostris Tornacensi & Morinensi episcopis commisimus audiendam, & sub certa forma fine congruo terminandam. Quapropter fraternitatem tuam monemus atque mandamus, quatinus quod præfati episcopi super his statuerint, ratum habeas & firmum facias observari. Data Lateranis 11. idus Maij.

EPISTOLA CXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa Braguensis ecclesiæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter dilectos filios nostros canonicos sancti Petri Braguensis & priorem monasterii (c) de Noviei super ecclesia
(c) sua, quam idem prior in jus suum transferre conatur, noscitur agitari. Venerabili fratri nostro Laudunensi episcopo commisimus audiendam & fine debito terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ad jam dicti episcopi præsentiam accedere, & ejus judicium suscipere, firmiter & observare omni districtione compellas. Data Lateranis 11. idus Maij.

(c) Galterium tertium post restaurationem episcopum Tornacensem.

(b) Lege Denanienses. Est autem Denanium nobile virginum monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Attrebatensi, haud procul ab Insulis.

(c) Cella insignis a Silva-majori dependens, prope Registetum in diœcesi Remensi.

EPISTOLA CXVII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro quodam Job. ut ablata ei reſtituantur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex conqueſtione Job. præſentium latoris accepimus, quod Anch. de Waiſeiaco & Guiterus de Amboni-villa eidem duas vaccas per violentiam abſtulerunt. Manaſſes quoque & Teob. cum ſociis ſuis eccleſiam ſancti Mauritii diabolico auſu fregerunt, & res præfati Jo. quas ibidem habebat, exinde aſportarunt. Unde quoniam noſtra intereſt, unicuique in jure ſuo adeſſe, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus malefactores prædictos diligenter admoneas, & ſi opus fuerit ſub anathematis diſtrictione compellas, ut præfato J. ablata univerſa ſine diminutione reſtituant, vel ipſi coram te plenam exinde juſtitiam ſine fruſtratoria dilatione exhibeant. Data Lateranis VII. Kal. Junii.

EPISTOLA CXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro quodam Burgenſi G. Remenſi.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex tranſmiſſa nobis narratione G. civis tui accepimus, quod cum inter eum & Simonem Deauratum, ſuper quadam pecunia controverſia moveretur, & ad noſtram eſſet audientiam per appellationem delata, in curia noſtra amicabiliter convenerunt, & hujuſmodi inter ſe compoſitionem fecerunt, quod idem Simoni jam dicto G. duodecim libras exſolveret. Poſtea vero cum domum veniſſent & præfatus G. ab eo pecuniam ſibi pactam exigeret, ipſam ſolvere penitus recuſavit. Unde idem G. memoratum Simonem ad noſtram audientiam appellavit, octavas paſchæ quæ nuper præterierunt terminum appellationi præfigens. Cumque jam dicti G. reſponſalis coram nobis exiſteret, & poſt diem appellationis diutius expectaſſet, adverſa pars nec venit, nec ad nos aliquem pro ſe reſponſalem tranſmiſit. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requiſitus, utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & ſi legitime tibi conſtiterit, inter eos amicabilem compoſitionem aut ſententiam interA veniſſe, utramque partem eamdem firmiter obſervare, ceſſante appellatione, omni cum diſtrictione compellas. Si autem eos minime compoſuiſſe, aut inter ipſos ſententiam datam eſſe agnoveris, cauſam audias, & eam, mediante juſtitia, remota appellatione, decidas. Data Lateranis V. Kalendas Junii.

EPISTOLA CXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De quodam ſubdiacono Laudunenſi, qui uxorem duxerat & de lite Laudunenſis epiſcopi adverſus capellanos Lauduni.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Suggeſtum eſt nobis quod R. Belm. Laudunenſis eccleſiæ canonicus, cum ſit in ſubdiaconatus ordine conſtitutus, quamdam ſibi conatus eſt matrimonio copulare, & eidem ſicut vir uxori publice cohabitare præſumit. Unde quoniam antiquis ſanctorum patrum ſanctionibus & in concilio quod in (a) Lateranenſi eccleſia ultimo fuerat celebratum, cautum habeatur, quod hujuſmodi matrimonia minime contrahantur, & ſi contracta fuerint, penitus irritentur; venerabili fratri noſtro G. Laudunenſi epiſcopo dedimus in mandatis, quatinus ſi res ita ſe habet, memoratum R. & eam quam ſibi niſus eſt matrimonio copulare, non differat omnimodis ſeparare, nec eos ulterius cohabitare aliqua ratione permittat. Quod ſi ſibi in his acquieſcere noluerint, ipſos vinculo excommunicationis aſtringat. De cetero ad aures noſtras, quod gravius eſſe dinoſcitur, noveris perveniſſe, quod idem epiſcopus capellanos Laudunenſes coegerit, noſtris & prædeceſſoris ſui ſcriptis autenticis quæ habebant omnimodis abrenuntiare, & eas in manu ſua libere reſignare, necnon & juramento firmare quod numquam ſuper his de cetero querelam moverent. Unde quoniam hoc in noſtrum prorſus contemtum & eccleſiæ Romanæ injuriam noſcitur penitus redundare, eidem per ſcripta noſtra præcipiendo mandavimus, & in virtute obedientiæ injunximus, quatinus memorata ſcripta, ſi ea recepit, capellanis ſupradictis omni occaſione & excuſatione ceſſante reſtituat, eoſdem a juramento abſolvat, & de tanto ſatisfacturus exceſſu, omni occaſione & excuſatione ceſſante, per ſe ipſum vel per ſufficientem reſponſalem apoſtolico ſe conſpectui repræ-

(a) In concilio Lateranenſi ſub Innocentio II. anno 1139. celebrato canone 6. decernitur, ut *ii qui in ordine ſubdiaconatus & ſupra uxores duxerint vel concubinas habuerint, officio atque eccleſiaſtico beneficio careant.*

ſentet.

sentet. Et ideo per apostolica scripta tuæ discretioni mandamus, quatinus, si hæc quæ prædicta sunt effectui mancipare voluerit, tu eum ad hæc exequenda districte compellas, & si hæc ita esse inveneris, ipsum occasione, excusatione & appellatione remota, ab officio pontificali suspendas, & facias ab omnibus pro suspenso teneri, donec præscriptis capellanis scripta sua restituat, & de tam gravi satisfacturus excessu per se vel per dignum & sufficientem responsalem ad apostolicam sedem accedat. Ad hæc prænominatos capellanos a juramento absolvas, & præfatum R. ab ea quam sibi nisus est matrimonio copulare disjungas. Præterea tibi injungimus, ut si idem episcopus vel alii, latori præsentium, quontam ad nos accesserit, indignationem aut aliquod detrimentum propter hoc infligere voluerint, tu ipsum quantum in te est protegas, manuteneas & defendas, & nullam tibi injuriam vel gravamen inferri permittas. Data Lateranis II. Kal. Junii.

EPISTOLA CXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa quæ vertitur inter G. & Herfendem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex relatione G. præsentium latoris accepimus, quod cum inter eum & Herfendem mulierem in præsentia tua super quadam pecunia, quam idem G. Hugoni quondam ipsius mulieris viro dicitur debuisse, de mandato nostro controversia tractaretur: licet iste, sicut asserit, per testes sufficientes probare paratus fuisset, quod præfato Hugoni antequam decederet pecuniam illam cum integritate solvisset, tu eum & fidejussores suos post appellationem ad nos factam, quoniam in litteris appellatio inhibita fuerat, excommunicationis sententiæ subjecisti. Verumtamen & si a te ad nos appellasset, tibi tamquam carissimo fratri nostro libenter deferre volentes, eumdem ad tuæ discretionis examen duximus remittendum: fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatinus cum a curia tua quam in parte suspectam habet minime judicari permittas, sed tu ipsum, venerabili fratre nostro Noviomensi episcopo tibi asciro, judices: ita, quod si coram te per testes idoneos & sufficientes legitime poterit demonstrare, se prætaxatæ pecuniæ sortem suprædicto Hugoni, antequam decederet, exsolvisse, eumdem a prænominatæ mulieris impetitione, appellatione remota, prorsus absolvas, nec ei ulterius illum vel quemlibet alium in usuris condemnes, & litteras nostras, in quibus appellatio prohibetur, irritas esse decernas. De cetero tuam discretionem rogamus, ut hunc & fidejussores suos pro reverentia beati Petri ac nostra, a sententia qua eos innodasti sine omni banno absolvas. Data Lateranis VIII. Kal. Julii.

EPISTOLA CXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro quodam homine de pignore Molendini.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Lator præsentium M. Jerosolymis rediens, sua nobis insinuatione monstravit, quod cum abbas & fratres sancti (a) Petri de Monte, socero suo LX. libras mutuo dedissent, & ab eo sextarios frumenti singulis annis sibi solvendos de quodam molendino, quod ipsi & abbati erat commune, in pignore accepissent, prædictus abbas ultra sortem valens viginti libras Catalaunensis monetæ etiam recepit. Unde quoniam crimen usurarum non solum in monacho, sed & in quolibet laico detestabile reputatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum abbatem & fratres ipsius commoneas, & districte compellas, ut quidquid ultra sortem de suscepto pignore deductis expensis habuisse noscuntur, memorato M. nisi alia rationabilis causa impediat, cessante appellatione, resignent. Data Lateranis XIII. Kalendas Augusti. (a)

EPIST. CXXII. CENOMANENSI episcopo.

Pro negotio Philippi nepotis Henrici Remensium archiepiscopi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri (b) Cenomanensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. (b)

Venerabilis frater noster HENRICUS Remensium archiepiscopus, transmissa nobis conquestione monstravit, quod Arn. clericus quinquaginta libras de redditibus (c) PHILIPPI nepotis sui absque causa rationabili detinet, & eas sibi reddere penitus con-

(a) S. Petri de Monte celebre monasterium ordinis S. Benedicti in urbe Catalaunensi, a Rogero episcopo restauratum anno 1043. hactenus perstat sub congregatione S. Vitoni

(b) Is tum erat episcopus Guillelmus de *Passavant*, nobili genere natus, cujus acta fusius habes in Mabillonii tom. 3. Analectorum.

(c) Qui post Ludovicum patrem regnavit, propter præclara ejus facinora dictus Augustus.

tradicit, cumque ab eo jam dictam pecuniam memoratus frater noster sæpius repeteret, & ille nec eam reddere, nec exinde secum justitiæ stare vellet, idem archiepiscopus eum ad nostram præsentiam appellavit. Ille vero termino appellationis præfixo nec venit, nec ad nos pro se responsalem aliquem destinavit. Quia vero præfato archiepiscopo in jure suo nullo modo deesse possumus, nec debemus, causam ipsam discretioni tuæ committimus audiendam, & appellatione remota fine debito terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, eamdem causam remoto, sicut dictum est, appellationis remedio, justitia mediante, decidas. Data Lateranis. Kal. Augusti.

EPISTOLA CXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Balduino monacho, ut recipiatur.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Lator præsentium Balduinus ad nostram præsentiam accedens, sua nobis relatione monstravit, quod cum in quodam monasterio Teutonici regni habitum monasticum suscepisset, ibi propter schismaticorum perfidiam remanere non audet. Et ideo nunc cogitur exsilium sustinere. Quia igitur omnibus & præcipue qui pro unitate catholica exulant, ex officio nobis commisso opem tenemur & subsidium impendere, & eorum necessitatibus paterna sollicitudine providere; fraternitatem tuam rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus (a) abbatem & fratres Monasterii sancti (a) Remigii commoneas & horteris, ut eumdem Balduinum benigne recipiant, & ei quousque ad ecclesiam suam redire possit, & ibi libere permanere in necessariis, prout decet, provideant, ita quod ipse exilii sui dignam apud eos consolationem recipiat, & ibi Deo deserviat, & nos copiosam exinde teneamur vobis gratias exhibere. Data Lateranis XIV. Kal. Novembris.

(a) S. Remigii insigne monasterium ordinis S. Benedicti in urbe Remensi corpore S. Remigii tamquam pretioso thesauro ditatum.

EPISTOLA CXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro L. priore sancti Remigii Remensis.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quos honestate morum & religionis virtute decoratos esse cognoscimus, eos sincera volumus caritate amplecti, & in benignitatis & mansuetudinis nostræ gratia confovere. Quapropter probitatis & honestatis prudentiam dilecti filii nostri L. prioris sancti Remigii studiosius attendentes, & quomodo abbatiam, ad quam fuit electus, ob devotionem nostram & ecclesiæ refutaverit, nihilominus considerantes, ipsum caritati tuæ propensius commendamus, rogantes attentius atque monentes, quatinus pro reverentia beati Petri ac nostra eum gratia & dilectione prævenias, & de honore ac profectu ipsius ita efficaciter & sollicite cogites, quod nos exinde sollicitudinem tuam propensius commendare possimus, & ipse tibi sinceriſſima debeat devotione astringi. Data Lateranis V. idus Novembris.

EPISTOLA CXXV. EPISCOPO Laudunensi.

Pro causa abbatis sancti Remigii & Si. mulieris.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter dilectum filium nostrum abbatem sancti Remigii & Si. mulierem super quodam molendino & alveo ejusdem molendini noscitur agitari, experientiæ tuæ committimus audiendam & fine debito terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis & cognitis, eamdem causam justitia mediante decidas. Data Romæ apud sanctam Mariam-novam Kal. Junii.

EPISTOLA CXXVI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro quadam muliere Herfendi.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico

Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Super negligentia & tepiditate Catalaunenſis epiſcopi non poſſumus non mirari, quod cum dilecti filii noſtri (a) C. & M. ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinales, ſibi olim auctoritate noſtra mandaſſent, ut Erſendi mulieri, ab O. Rufo centum faceret ſolidos, quos eidem mulieri de mandato noſtro adjudicarunt perſolvi, nec eorum nec noſtrum mandatum implevit, nec prædictum O. ſicut ei fuerat injunctum excommunicavit. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi prædictus epiſcopus mandatum noſtrum non fuerit exſecutus, præfatum O. centum ſolidos, ſecundum quod a cardinalibus judicatum eſt, prænominatæ mulieri cum integritate perſolvere omni cum diſtrictione compellas. Quod ſi mandato tuo inobediens eſſe præſumſerit, eum quouſque id plenius exſequatur auctoritate noſtra, nullius appellatione obſtante, excommunicatum eſſe denuncies, & ab omnibus facias attentius evitari. Præterea quoniam de Pag. ſacerdote & Guillelmo burgenſi præfata mulier multipliciter conqueritur, quod ſibi multa damna & injurias irrationabiliter intuliſſent, ipſos eidem mulieri de his ſecundum quod ratio exigit ſatisfacere, vel in tua præſentia plenitudinem juſtitiæ exhibere nihilominus, ſi opus fuerit, eccleſiaſtica cenſura compellas. Data Romæ apud ſanctam Mariam-novam v. Kalendas Julii.

(a) Cinthius tituli S. Adriani & Matfredus tituli S. Georgii in velabro.

EPISTOLA CXXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De ſuſpicione furtivarum litterarum habita in Milonem.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex narratione Milonis clerici præſentium latoris accepimus, quod Euſtachius & Theob. litteras quas olim pro negotio Herſendis mulieris & filiorum ſuorum contra eos, fraternitati tuæ tranſmiſimus, falſas eſſe dixerunt, & in cancellaria noſtra non fuiſſe compoſitas, pertinaciter aſſeveraverunt. Nos vero ex reſcripto ipſarum & ex confeſſione illius qui eas compoſuit, modum & ſtilum ſcribendi Romanæ eccleſiæ cognoſcentes, ipſas veras eſſe & omni ſuſpicione falſitatis carere tuæ ſollicitudini denunciamus, & prædictum Milonem, qui a nobis eaſdem litteras impetravit, nulla volumus propter hoc nota vel improperii macula denigrari. Verumtamen nolumus quod earum tenori, in ea parte præcipue ubi agitur de debitoribus, innitaris. Nihilominus etiam diligentiæ tuæ præſentium auctoritate injungimus, ut præfatos viros Euſtachium & Theob. ſi eos culpis ſuis exigentibus excommunicaſti, niſi eidem mulieri, de his pro quibus excommunicati ſunt, plenarie, prout eſt equitas rationis & ordo juſtitiæ poſtulat, ſatisfecerint, nulla ratione abſolvas, ſed ſententiam ipſam uſque ad dignam ſatisfactionem facias inviolabiliter obſervari. Fratri quoque noſtro Catalaunenſium epiſcopo ex noſtra & tua parte diſtricte prohibeas, ne prædicto Miloni, quia curiam noſtram frequentat, ullam moleſtiam vel gravamen irrogare præſumat, & ſi ipſe occaſione iſta illum moleſtare præſumeret, eum tuearis propenſius & defendas. Datum Romæ apud ſanctam Mariam-novam IV. Kalendas Julii.

EPISTOLA CXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Commendatio & exhortatio ut ſibi ſubveniat, & ut regem ad idem convertat, & de negotio magiſtri G. presbyteri pro præbenda Sueſſionis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dum illam ſinceriſſimam devotionem & fidei puritatem, quam circa perſonam noſtram, & circa promovenda negotia eccleſiæ, ab hujus turbationis exordio tam prudenter quam magnanimiter exhibuiſti, ad memoriam noſtram ſtudioſe reducimus, deſiderium & voluntatem aſſumimus in exhibenda dilectione tibi tanquam fratri cariſſimo æquam vicem rependere, & ad honorem & incrementum tuum & eccleſiæ, cui Deo auctore præeſſe dinoſceris, promto animo & intenta ſollicitudine aſpirare. Sane quia te noſtris & eccleſiæ neceſſitatibus congaudere cognoſcimus, & de adverſitatibus non modicum conturbari; fraternitas tua præſentium ſignificatione cognoſcat, Urbem ex inſcitia & inertia populi, & ex divino ſicut credimus judicio, adverſa ſorte fuiſſe ab inimicis in parte depreſſam, in quo nimirum eccleſiæ ſtatus non potuit non gravari, & adverſitatis incommodum ſuſtinere. Verumtamen multo minus quam fama feratur damnum ſuſtinuit, ſicut ex relatione dilectorum filiorum noſtrorum J. & P. clericorum fratris noſtri Turonenſis archiepiſcopi, & dilecti

(a) filii Carnotenſis (a) electi, tua diſcretio ejus rei certitudinem plene cognoſcet. Verum quoniam nos & Romana eccleſia te ſemper diligentiſſimum invenimus coadjutorem, providentiam tuam rogamus monemus, & exhortamur attentius, quatinus ſicut bene cœpiſti pro incremento & exaltatione eccleſiæ, conſtanter & animoſe labores, & ejus honorem inceſſanter ſtudeas promovere, ut ex hoc ab omnipotenti Domino præmium mereari perhenne recipere, & tam ipſa quam nos, qui in ea licet immeriti auctore Domino miniſtramus ad incrementum honoris & exaltationis tuæ eccleſiæ tibi commiſſæ omni tempore debeamus votivis cordis affectibus anhelare. Datum Romæ apud ſanctam Mariam novam Kal. Julii.

EPISTOLA CXXIX. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro Nicolao de præbenda Ambianenſi.

ALEXANDER epiſcopus, &c. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

(b) Cum bonæ memoriæ R. (b) quondam Ambianenſi epiſcopo ſæpe ſcripta noſtra direxerimus, ut dilecto filio noſtro Nicolao (c) præbendam, quam felicis memoriæ (c) T. antecceſſor ſuus ei ad interventum noſtrum conceſſit, & tam tu quam ipſe ſcriptis propriis confirmaſtis concederet & aſſignaret, jam dictus epiſcopus mandatis noſtris ſuas aures obturans, cum præterea duæ præbendæ vacaſſent, illi nullam earum concedere voluit, ſed aliis eas minus providenter conceſſit. In quo utique quantum exceſſerit & honori & dignitati Romanæ eccleſiæ & etiam tuæ detraxerit, tua diſcretio nequaquam ignorat. Verum quoniam eodem epiſcopo morte prevento, noſtram ei non potuimus ſuper hoc exprimere voluntatem, nec motum quem etiam concepimus aperire; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus prædictum Nicolaum infra viginti dies poſt harum ſuſceptionem in canonicum Ambianenſis eccleſiæ recipi, & ipſi ſtallum in choro, prout moſis eſt, facias aſſignari, & ſi qua præbenda priuſquam ibi epiſcopus ſubſtituatur vacaverit, eam ſibi nihilominus nullius contradictione vel appellatione obſtante concedas pariter & aſſignes, & interim ut ejuſdem eccleſiæ canonicus eſſe recognoſcatur, canonicos de communi annuatim aliquod beneficium competens & congruum eidem præcipias aſſignari. Si autem ante ſubſtitutionem epiſcopi nulla præbenda vacaverit, etiam epiſcopum ſubſtitutum maturius exequi quæ tibi mandavimus auctoritate noſtra & tua compellas, & tam ei quam canonicis diſtricte prohibeas, ne antequam Nicolaus præbendam habeat, aliquem in canonicum recipere vel in ſtallo ponere ulla ratione præſumant, & ſi attentaverint, tu id fieri nullo modo ſuſtineas, nec contemtum noſtrum & tuum impunitum relinquas. Data Beneventi ſexto non. Julii.

(a) Is eſſe videtur VVillelmus ad Albas-manus dictus; ex comitum palatinorum Campaniæ proſapia genitus Theobaldo & Mathilde Carinthiaca, anno 1164. Roberto epiſcopo Carnotenſi ſubrogatus, & anno 1168. nondum conſecratus tranſlatus ad ſedem Senonenſem, & poſt Henricum ad Remenſem.

(b) Robertus qui circa annum 1163. ordinatus eſt epiſcopus.

(c) Theodericus antea abbas S. Eligii Noviomenſis.

EPISTOLA CXXX. DOMINICO & Heimardo.

Confirmat conventionem inter eos & Theodericum factam.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Dominico & Heimardo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum inter vos & Theodoricum ac filium ejus ſuper viginti libras, quas ipſi vos ſibi afferebant debere, in noſtra præſentia quæſtio mota fuiſſet: nos qui ad pacem & concordiam inter diſcordantes reformandam tenemur intendere, quæſtionem ipſam venerabili fratri noſtro ROD. Ferentinat. epiſcopo commiſimus audiendam & fine debito terminandam. Ipſe vero auditis rationibus hinc inde diligenter & cognitis, de aſſenſu utriuſque partis talem inter vos conventionem conſtituit, videlicet quod vos tactis ſacro-ſanctis evangeliis juraviſtis, in feſtivitate beati Andreæ vos ſingulis annis ſibi viginti ſolidos reddituros, donec eis quod debebatis totum ex integro ſolveretis. Adjecit etiam quod ſi aliquem veſtrum ante prædicti debiti ſolutionem contingeret ex hoc mundo tranſire, heredes veſtri debitum pari modo tenerentur exſolvere. Unde etiam fidejuſſores & pignora vos ipſis promiſiſtis daturos. Juraviſtis præterea quod de cetero nullam moleſtiam vel damnum aliquod eis inferetis, ſopitis quæſtionibus quæ ſuper hoc negotio hinc in aliquo poſſent tempore ſuboriri. Prædicti autem Theodericus & Heimardus hanc conventionem ſe vobis obſervaturos nihilominus juraverunt. Quam utique conventionem non ratam & firmam habentes, eam auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præſum-

ſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Data Beneventi ſexto idus Julii.

EPISTOLA CXXXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro canonicis Hamenſis eccleſiæ.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quia confidimus plurimum & ſperamus, quod ex fervore devotionis & fidei puritate, quam circa nos certis argumentis gerere conſpiceris, monita & mandata noſtra libenter velis ſuſcipere & obſervare; idcirco diſcretioni tuæ negotia eccleſiaſtica committimus exſequenda. Unde quod aliquando aliter præter ſpem & opinionem noſtram evenire audimus, grave admodum & moleſtum nobis exiſtit, & inde tanto amplius turbamur, quanto te ſinceriori diligimus caritatis affectu. Accepimus enim, quod juxta mandati noſtri tenorem canonicos Præmonſtratenſes ad obſervandam ſententiam, quam piæ memoriæ (*a*) B. quondam Noviomenſis epiſcopus ſuper con- (*b*) troverſia quæ inter eos & canonicos (*b*) Hamenſis eccleſiæ vertebatur ſuper molendinis de *Hamel* & de Pevilla ratione cognita protulit, minime compuliſti, immo te æquanimiter ferente, ſententiæ latæ parere contemnunt. Verum quoniam nos valde timere oportet, ne ſi circa exſecutionem juſtitiæ & injunctum nobis apoſtolatus officium pigri aut remiſſi exſtiterimus, in diſtricto examine ante tribunal ſuperni judicis graviter puniamur, ſi per te illis de provincia tua, qui coram nobis ſe injurias pati quæruntur, de ſuis malefactoribus juſtitiam non poterimus exhibere, ad alios inviti & dolentes recurremus, qui in his vices noſtras debeant ſtudioſe ſupplere. Tibi enim & honori tuo hilari animo & læto corde in quibus decet deferimus, ſed ei nos magis deferre convenit, qui nos & univerſos habet pro ſuo beneplacito judicare. Quapropter fraternitati tuæ per iterata ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus quod tibi & officio tuo expediat diligenter, ſicut vir diſcretus & magnus, conſiderans & attendens, prædictos Præmonſtratenſes ex parte noſtra & tua commoneas & diſtricte compellas, ut præſcriptæ ſententiæ infra triginta dies poſt harum ſuſceptionem occaſione poſtpoſita pareant, & univerſas expenſas, ſi quas poſt latam ſententiam occaſione illa fecerunt, Hamenſibus canonicis integre reſtituentes, amplius contra prælibatam ſententiam nulla ratione venire præſumant. Quod ſi mandato noſtro & tuo in hac parte parere contemſerint, ita eorum contumaciam & rebellionem corrigas & caſtiges, quod certo experimento quam periculoſum ſit contraire ſententiæ canonice latæ addiſcant, & inviti poſtmodum faciant quod ſpontanea deberent facere voluntate. Data Beneventi 11. idus Julii.

(*a*) Balduinus Bolonienſis, qui ex abbate Caſtellionis factus eſt epiſcopus Noviomenſis anno 1140. teſte Alberico in chronico, ſedituque ad annum 1157.

(*b*) Hamum ſeu Hametum eſt abbatia canonicorum regularium ordinis S. Auguſtini, qui anno 1108. canonicis ſæcularibus ſucceſſerunt.

EPISTOLA CXXXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut reliquias S. Jacobi a comite Flandriæ violenter ablatas reſtitui faciat monaſterio S. Vedaſti.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significatum nobis eſt, quod dilectus filius noſter nobilis vir PHILIPPUS comes Flandrenſis reliquias ſancti Jacobi, quas dilectus filius noſter abbas ſancti Vedaſti, ad monaſterium ſuum proceſſionaliter referebat apud Attrebatum, eidem abbati violenter abſtulit, & ad quamdam villam ſuam fecit deferri. Unde quoniam non fuit opus juſtitiæ vel mercedis, præſcriptum monaſterium eiſdem reliquiis violenter exſpoliare; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus eumdem comitem ex parte noſtra & tua commoneas & inducas, ut prælibato monaſterio reliquias ablatas ſine difficultate reſtituat, nec eas amplius detinere contendat. Quod niſi eas reſtituerit, & tibi conſtiterit quod ipſas memorato abbati violenter abſtulerit, in eccleſia ubi reconditæ ſunt, donec monaſterio ſancti Vedaſti plene reſtituantur, appellatione remota, divinum officium interdicas. Data Beneventi id. Julii.

EPISTOLA CXXXIII. PROCERIBUS, militibus & univerſis Chriſti fidelibus.

Pro eccleſia Jeroſolymorum & pro defenſione terræ illius.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis proceribus, militibus & univerſis Chriſti fidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Inter omnia quæ in curſu rerum laben-

tium ad exercitium caritatis sapientia divina disposuit, non facile quidquam nobis occurrit, in quo & glorioſius ad virtutem, & fructuoſius ad mercedem possit caritas exerceri, quam si necessitas orientalis ecclesiæ & fidelium Christianorum sublevetur auxilio, & taliter a paganorum muniatur incursu, ut & cultus ibi divini nominis non deficiat, & fraternitatis virtus laudabiliter enitescat. Cum enim in solo supernæ bonitatis nutu consistat & labores auferre fidelium & barbarorum reprimere feritatem, dissimulat interdum clamorem exaudire gementium, & fratres in fratrum oculis permittit affligi, ut videat si aliquis sit intelligens aut requirens Deum, & si forma divinæ pietatis in alicujus animo inveniatur impressa. Si enim creator hominum & angelorum inclinavit cælos suos & descendit, & pro salute inutilis servi crucis subire patibulum non despexit, restat nunc ut & qui vivit jam non sibi vivat, sed ei qui pro nobis mortuus est & resurrexit, qui tradidit semetipsum pro nobis, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Sæpe ac multum laboratum est a fidelibus Christianis pro illius terræ defensione, & multa effusione sanguinis per divinæ gratiæ favorem obtentum, ut cultus ibi Christianæ fidei potuerit conservari. Immo & cum olim in potestatem Sarracenorum ex peccato populi devenisset, exurgentes sursum viri virtutis, denuo terram ad fidem Christi, extinctis aut fugatis gentibus, revocarunt, & erecto ibi fidei vexillo, sepulchrum Domini populorum accessu celebre reddiderunt. Nunc autem quia & populi numero diminuta, & frequentibus attrita laboribus, & variis bellorum eventibus confecta videtur, ut si non ei caritas fraterna subvenerit, extrema sibi timeat pericula imminere, consuetum de occidentali plaga suffragium rursum exposcit, & vos, ammonentibus nobis, tamquam Deo exhortante per nos, per venerabiles fratres nostros Tyrensem archiepiscopum, Paneadensem episcopum, & dilectos filios G. præceptorem Hospitalis, & nobilem virum A. de *Landast.* deferendo sibi suffragio suppliciter interpellat, tantum sibi fructum sperans de præsenti ope futurum, quantum per quemcumque laborem hominum non credit se ulterius recepturum. Sed & extrema sibi pericula prospicit imminere, si fraternæ caritatis auxilium aut subtractum ei fuerit aut dilatum. In januis quidem esse videtur, unde aut inimici sui tantum robur accipient, quod ejus incursum sustinere non poterit, aut Christianorum virtus taliter roborabitur, quod securus quisque sub arbore sua quiescet, & vestra posteritas ab illorum subventione poterit quieta manere. Tanti ergo hujus periculi timore deterriti, tantæ inde utilitatis intuitu provocati, universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatinus pro illius amore qui nascendo, moriendo & resurgendo, universorum salutem *in terra illa* voluit operari, ad subventionem ejus viriliter accingamini, & qui expediti sunt in personis, alii vero in facultatibus suis, remoto tarditatis obstaculo, pro salute fratrum nostrorum ita vos exponere satagatis, ut quod ad gloriam Christiani nominis multo sanguine patrum vestrorum noscitur adquisitum, per laborem & industriam vestram conservari valeat & muniri. Nos autem sollicitudinem vestram favore apostolico prosequentes, illis qui pro divinitatis amore laborem hujus profectionis assumere, & quantum in se fuerit implere studuerint, de indultæ nobis a Domino auctoritatis officio, illam remissionem impositæ pœnitentiæ per sacerdotale ministerium facimus, quam felicis memoriæ URBANUS & EUGENIUS patres & antecessores nostri temporibus suis statuisse noscuntur, ut videlicet qui ad defensionem terræ idoneus, & ad hoc obsequium expeditus, suscepta pœnitentia biennio ibi ad defensionem terræ permanserit, & sudorem certaminis ad præceptum regis & majorum terræ pro amore Christi portaverit, remissionem injunctæ pœnitentiæ se lætetur adeptum, & cum contritione cordis & satisfactione oris profectionem istam satisfactionis loco ad suorum hanc indulgentiam peccatorum, nisi forte rapinæ vel furti, vel perceptæ usuræ reos esse constiterit, in quibus, si facultas affuerit, non purgatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Si vero facultas reddendi defuerit, prædicta satisfactio ad istorum quoque remissionem sufficiat peccatorum. Qui vero per annum in hoc labore permanserit, exoneratum se de medietate satisfactionis impositæ auctoritate apostolica recognoscat. Ad hoc ne pium desiderium alicujus perturbatio pravorum exterreat, nos familias, possessiones eorum sub beati Petri protectione suscepimus, & in defensione nostra & prælatorum ecclesiæ statuimus permanere, auctoritate apostolica decernentes, ut de omnibus quæ illi qui crucem acceperunt, quiete possederint, nulla post susceptam crucem quæstio moveatur, donec ipsi redierint, vel de eorum obitu certissime cognoscatur. Quicumque vero ære alieno premuntur, & tam sanctum iter puro corde incœperint, de præterito usuras non solvant. Liceat autem eis terras seu ceteras possessiones suas, postquam commoniti propinqui sive Domini ad quorum feodum pertinet, pecuniam ipsis mutuare aut noluerint, aut non potuerint, ecclesiis vel personis ecclesiasticis aut aliis fidelibus libere & sine ulla reclamatione impignorare. Præterea omnibus sepulchrum Dominicum pro instanti

necessitate visitare volentibus, tam in itinere morte præoccupatis, quam usque illuc pervenientibus, laborem itineris ad pœnitentiam, obedientiam & remissionem omnium peccatorum injungimus, ut post hujus certaminis ergastula vitam æternam consequi mereantur. Data Beneventi quarto Kalendas Augusti.

EPISTOLA CXXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Item pro Orientali ecclesia.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum gemitus de quacumque tribulatione clamantium ad aures debeant ecclesiæ pervenire, dolores orientalis ecclesiæ tanto attentius audire nos convenit, tantoque illi attentius condolere, quanto amplierem & majorem compassionem de divinæ consolationis uberibus ad nos legimus emanasse. Quia etenim locum illum & in veteri & in novo populo divinitus videmus electum, unde quasi de corde per universum corpus vena vitæ decurreret, non abs re de universis partibus ad auxilium illius terræ concurritur, sed quia universitas hominum cibum vitæ videtur & salutis potum hausisse. Sane nunc, sicut dicitur, in tantæ constituta est necessitatis articulo, ut ipsa imminentes angustias tacere non possit, & nos cum universa occidentali ecclesia de subventione illius attentius oporteat cogitare. Præsto quidem esse videtur unde vel inimici crucis Christi tantum robur accipient, quod orientalis ecclesia eorum impetum non poterit sustinere, aut nostri per divinum favorem & auxilium fratrum suorum ita proficient, quod ab eorum impetu securi quiescent, & occidentali ecclesiæ de subventione illorum omnis anxietas & sollicitudo tolletur. Nunc igitur quia venerabiles fratres nostri F. Tyrensis archiepiscopus, & episcopus Belmensis, præceptor Hospitalis, & nobilis vir A. de *Landast*, pro exponenda illius terræ necessitate, occidentalis ecclesiæ præsidio postulando mittuntur; fraternitatem tuam scriptis apostolicis exhortamur, & commissa nobis a Deo auctoritate injungimus, ut vice nostra prædictis fratribus diligenter assistas, & apud carissimum in Christo filium nostrum LUDOVICUM illustrem Francorum regem suggestione tua efficias, ut personis regni ecclesiasticis & mundanis convocatis in unum, de illius terræ subventione disponat, ea quidem discretione adhibita, ut qui ad hoc idonei visi fuerint in personis, alii vero in facultatibus suis, erga fratres suos caritatis debitum exsequantur, & ante ad subsidium præstandum accelerent, quam contra eos Turcorum manus ex alienis opibus invalescat. Tu ipse quoque personas provinciæ tuæ in unum studeas convocare, atque cum eis quod ad honorem Dei & salutem illius terræ pertineat, deliberes ac disponas. Porro nos auctoritatem nostram in facto isto experientiæ tuæ aliorumque archiepiscoporum regni committimus, ut vos ad tuitionem & securitatem proficiscentium, & pœnitentium indulgentiam juxta tenorem litterarum, quas propter hoc dirigimus, procedatis & recipiatis familias & facultates eorum sub protectione ecclesiæ, qui laborem hujus itineris pro amore Dei & subventione terræ duxerint assumendum. Sed & si quid ad eorum tuitionem adjiciendum fore videris, quod ecclesiæ præstare conveniat, vice nostra peragite, ac pariter sacerdotalem zelum ad exsecutionem pii operis exercere, ut ministerium vestrum honorificetur in omnibus, & orientalis ecclesia consuetum de regno vestro suffragium, Deo inspirante, reportet. Data Beneventi quarto Kalendas Augusti.

EPISTOLA CXXXV. HENRICO archiepiscopo Remenli.

Pro Milone de Thebio contra adversarios suos, quia rei judicatæ standum juris decernit auctoritas.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa nobis Milonis de Thebio conquestione nuper accepimus, quod cum filio suo quamdam ejus matrina domum una cum grangia in eleemosynam contulisset, & jam prædictus M. illa cum eodem filio quiete diutius possedisset, quidam eos in causam traxerunt, & conati sunt præscriptam eleemosynam in irritum revocare. Cumque super hoc judicio disceptarent, memoratus M. & filius suus se eleemosynam illam per sententiam obtinuisse proponunt. Unde quoniam adversarii sui adhuc eos super hoc, sicut audivimus, molestare non cessant, cum rei judicatæ standum esse juris auctoritas decernat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatos M. & filium suum præscriptam eleemosynam, sicut eidem filio ipsius rationabiliter fuit concessa, & postmodum adjudicata, facias in pace tenere, nec ipsos a quibusdam super hoc permittas indebite molestari, aut in quæstionem deduci. Si autem eorum adversarii ad commonitionem tuam cessare noluerint, tu eos a præsumtione sua ecclesia-

stica censura compescas. Data Beneventi A III. Kalendas Augusti.

EPISTOLA CXXXVI.

Pro Fulcone de villa Aleran.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter Fulconem de villa *Aleran* & Milonem super quadam terra, quam idem Fulco sibi vindicat, & eam a jam dicto Milone per quindecim annos contra rationem detentam fuisse proponit, noscitur agitari, experientiæ tuæ committimus audiendam, & fine debito terminandam. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde diligenter auditis & cognitis, eamdem causam ita justitia mediante decidas, quod neutra partium possit pro juris sui defectu merito querelari. Data Beneventi tertio idus Augusti.

EPISTOLA CXXXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro fratribus hospitalibus Jerosolymitanis super villa de Bechehem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa nobis conquestione fratrum hospitalis Jerosolymitani, quod cum eis villa de *Bechehem* jam pridem sub testimonio nobilis viri ducis de *Lovain*, tradita & concessa fuisset, & ab (*a*) HENRICO quondam Leodiensi episcopo, dum adhuc esset catholicus, confirmata, jam dictus dux illam memoratis fratribus, postquam eam multo tempore in pace possederant, per violentiam abstulit & ipsam cuidam militi vendere non dubitavit. Unde quoniam ad nostrum spectat officium, viros religiosos contra malefactorum injurias defensare, & eis jura sua illæsa & integra conservare; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum ducem diligenter & studiose commoneas, ut supradictis fratribus præscriptam villam, si res ita se habet, omni occasione & appellatione cessante, restituat, & in pace possidere permittat. Quod si ad commonitionem tuam efficere forte contemserit, personam ejus cum prætaxatæ villæ detentore, sublato appellationis remedio, sententia excommunicationis percellas, & in tota terra ejus quæ in provincia tua consistit, omnia divina præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium prohibeas officia celebrari. Data Beneventi decimo octavo Kalendas Septembris.

(*a*) Ipse est Henricus de *Limbourg*, hujus nominis secundus Leodiensium episcopus ab archiepiscopo Coloniensi præsente Innocentio II & Lothario imperatore consecratus, post Victori IV. anti-papæ adhæsit, quo mortuo delatum sibi a Friderico imperatore papatum recusavit, sed nihilominus Johannem Strumensem jubente imperatore consecravit, ut testatur Albericus ad annum 1164.

(*b*) Stephanus qui anno 1181. Hugoni III. depositi subrogatur, obiit vero anno 1173. ex brevi chronico Cluniacensi tom. 3. Anecdot.

EPISTOLA CXXXVIII. ABBATIS Cluniacensis ad dominum Remensem.

Offert ei sua in Urbe obsequia.

VEnerabili domino & carissimo nostro HENRICO Dei gratia Remensi archiepiscopo, frater (*b*) S. humilis Cluniacensis (*b*) bas, salutem & amoris obsequium.

Quando Franciam intravimus, convenimus comitem Nivernensem super quibusdam exactionibus, quas in terra nostra facere conabatur. Ex composito igitur cum episcopo diem accepimus in Dominica qua cantatur, *Judica me Deus*, & idcirco faciem vestram desideratam videre non potuimus. Si quid tamen scimus aut possumus, obsequio beneplaciti vestri totum cupimus dedicare. Ceterum audivimus, quod inter vos & canonicos vestros orta discordia utrimque ad curiam Romanam appellatum sit. Commoda vero vestra vel incommoda, nostra fore arbitramur. Proinde veluti si nostrum specialiter negotium esset, parati sumus vobiscum aut etiam sine præsentia vestra nuntios nostros cum expensis nostris propter hoc ad Urbem dirigere. Porro si vobis sederit, vobiscum aut etiam soli per nos gratanter ad curiam pro vobis accedemus. Nihil enim vobis negaremus quod Domino & amico vellemus impendere.

EPISTOLA CXXXIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro magistro Pagano.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum significasses nobis, quod nec litteras, nec nuntios tuos benigniori oculo respiceremus, nec preces tuas super negotio Attrebatensis episcopi vellemus admittere, satis

satis mirati sumus qua de causa turbatio A ista in animo tuo provenerit, & quibus argumentis gratiam & dilectionem nostram circa te refriguisse conjicere potuistis. Non enim ita immemores sumus magnificæ devotionis & utilissimi obsequii, quod nobis & ecclesiæ in necessitatis articulo promto animo impendisti, ut non te sicut carissimum fratrem nostrum & firmissimam columnam ecclesiæ sinceriſſimo diligamus caritatis affectu, & tam nuntios quam litteras tuas libenti semper animo videamus, & gratanter pro te velimus efficere quidquid cum Deo & justitia & honestate nosB stra possumus, & pro aliquo fratrum nostrorum essemus facturi. Nec recolimus nos unquam tuis precibus obviasse, quas salva forma justitiæ & honestate nostra potuimus exaudire: immo plerumque præter officii nostri debitum tuæ curavimus fraternitati deferre, & satisfacere voluntati. Quapropter hæc in animum tuum non descendant, sed omnem hujusmodi sollicitudinem & anxietatem deponas, & si quando petitionibus tuis non ad votum annuimus, non voluntati nostræ, sed potius meritis negotiorum ascribas. Desiderium namque C sicut diximus & voluntatem habemus, ea quæ cordi sunt tibi gratanti animo exequi, & votis tuis in quibus expedit benignum semper & promtum favorem præbere. Tu vero sicut vir discretus & prudens, in omnibus agendis tuis caute & provide ambules, suffraganeos ecclesiæ tuæ benigne & mansuete pertractes, & de ecclesiis beati Petri principis, quæ in tua provincia constitutæ sunt, non tamquam de tuis disponas, sed eas in sua libertate relinquas, de cetero super negotio dilectæ in Christo filiæ nostræ D (a) nobilis mulieris C. (a) sororis tuæ uxoris comitis Tolosani, venerabilibus fratribus nostris Suessionensi, Ambianensi & Laudunensi episcopis consideratione fraternitatis tuæ efficaciter scripsimus, prout novimus expedire. Verum quia, sicut accepimus, in instrumento dotalitii sui testes conscripti sunt, ipsos auctoritate nostra & tua moneas & inducas, ut amore justitiæ testimonium perhibeant veritati. Sicut enim periculosum est falsum proferre, ita quoque bonum est veritati testimonium perhibere. Ad hæc dilectum filium nostrum magistrum Paganum tibi devotum admodum & fidelem providentiæ tuæ propensius commendamus, rogantes ut ei benefacias, & habeas multipliciter commendatum, quem scis pro suo negotio tanto tempore apud nos moram fecisse. Negotium enim pro quo eum misisti, cito satis & compendiose expedivimus. Data Beneventi sexto Kalendas Septembris.

(a) Constantiæ filiæ Ludovici VI. regis Francorum, de qua consule sequentem epistolam.
(b) Hugoni de *Chaſlauri*.
(c) Roberto.

EPISTOLA CXL. SUESSIONENSI, Ambianensi & Laudunensi episcopis.

Pro Constantia comitissa S. Ægidii, contra comitem Bolonia de dotalitio suo.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus (b) Suessionensi, (c) Ambianensi, & (d) Laudunensi episcopis, salutem & apostolicam (b) benedictionem. (c) (d)

Dilecta in Christo filia nostra nobilis mulier C. comitissa S. Ægidii, soror carissimi in Christo filii nostri L. illustris Francorum regis, transmissa nobis relatione monstravit, quod EUSTACHIUS quondam filius regis (e) STEPHANI eam in legi- (e) timam uxorem accepit, & sibi comitatum Bolonienſem in dotalitium concessit, & eciam scripto authentico, pro ut moris est; confirmavit. Unde quoniam MATTHÆUS frater nobilis comitis PHILIPPI & M. quondam abbatissa prædictum comitatum detinere dicuntur irrationabiliter occupatum, & sæpius requisiti reddere contradicunt; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum MATTHÆUM & monacham ex parte nostra diligenter commoneatis, ut prænominatæ comitissæ præscriptum comitatum restituant, & libere sine molestatione dimittant, vel in præsentia vestra ei plenam super hoc justitiam, omni dilatione & appellatione remota, exhibeant. Si autem juxta commonitionem vestram neutrum forte efficere voluerint, licet pro alio sint excommunicati, specialiter pro hac re ipsos auctoritate nostra excommunicatos denuntietis in toto comitatu, & omnia divina præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium prohibeatis officia celebrari; & sententiam ipsam usque ad plenam satisfactionem inviolabiliter observari faciatis. Quod si huic negotio omnes interesse non poteritis, duo nihilominus ipsum prout dictum est, infra tres menses post harum susceptionem diligentius prosequantur. Data Beneventi VI. Kalendas Septembris.

EPISTOLA CXLI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut infirmis de Dampetra *cimiterium concedatur.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO

(a) Galterii.
(c) Regis Angliæ scilicet, cujus filius Eustachius Constantiam filiam Ludovici Grossi anno 1139. duxit in matrimonium, ut scribit Matthæus Paris.

Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilecti filii noſtri infirmi fratres caſtri de *Dampere* tranſmiſſa nobis narratione monſtrarunt, quod cimiterium non habebant, ubi fratres ſuos valeant ſepelire, ſed cum aliquis eorum decedit, per dimidiam fere leugam corpus ejus ad ſepulturam deferre coguntur: unde nos venerabili fratri noſtro Catalaunenſi epiſcopo dedimus in mandatis, ut eoſdem cimiterium ad opus ſuum (a) & (4) redditorum ſuorum habere permittat, & ipſum cum exinde requiſitus fuerit, benedicere non poſtponat. Quod ſi idem epiſcopus juxta mandatum noſtrum adimplere neglexerit, tu prædicta omnia per te vel per alium quantocius poteris plenius exſequaris. Data Beneventi IV. Kalendas Septembris.

EPISTOLA CXLII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro pagano milite.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad nos dilectus filius noſter T. (b) monachus (b) Cellenſis nobis ex parte ſua monſtravit, quod paganum militem tuum excommunicationis ſententiæ ſubjeciſti, quoniam coram te confeſſus fuit, quod in quemdam clericum manus violentas injecerat, unde nobis inſtantius ſupplicavit, quod eum per aliquem epiſcopum de partibus illis faceremus abſolvi. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus memoratum paganum, recepto ab illo ſecundum eccleſiæ conſuetudinem juramento, a ſententia qua tenetur abſolvas, & demum ſibi pœnitentiam ſecundum qualitatem delicti imponas. Poſtea ei in virtute juramenti injungas, quod numquam de cetero in clericum, monachum, templarium, hoſpitalarium, aut alicujus religionis converſum violentas manus injiciat, niſi id pro ſe defendendo aut de mandato prælati ſui efficeret, vel eum cum uxore ſua, filia vel ſorore turpiter inveniret. Data Beneventi octavo idus Septembris.

EPISTOLA CXLIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro eccleſia ſancti Remigii ſuper quibuſdam cenſibus.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Conqueſtionem abbatis & fratrum ſancti Remigii Remenſis, nobis tranſmiſſam accepimus, quod Rad. de Curteio, annuum cenſum ſexaginta ſolidorum, quem eis debet exſolvere, jam pluribus annis detinuit, & H. comes Grandis-prati eis triginta ſolidorum cenſum auferre præſumit. Nobiles quoque viri Sueſſionenſis & de *Heron* comites, R. de Roſeto & G. de Caſtellione eccleſiæ ſuæ damna gravia & multas injurias introgarunt. Unde quoniam ad noſtrum ſpectat officium loca religioſa pia protectione fovere, & eis jura ſua propenſius conſervare, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus memoratos viros moneas diligentius & inſtantius exhorteris, ut ſupradicto abbati & fratribus & eccleſiæ ſuæ ſubtractum cenſum & cetera ablata ſine diminutione reſtituant, de damnis & injuriis illatis congrue ſatisfaciant, vel eis coram te ſuper his omnibus juſtitiam ſufficientem exhibeant: ita quod prænominati abbas & fratres nullam juris ſui ſuſtineant læſionem, nec tibi poſſit propter hoc in aliquo merito derogari. Si autem prælibati malefactores commonitioni tuæ in his adquieſcere forte contemſerint, in eos & terram ipſorum ſententiam eccleſiaſticam, appellatione remota, promulges; & eam uſque ad dignam ſatisfactionem facias ab omnibus per tuam provinciam obſervati. Data Beneventi octavo idus Septembris.

EPISTOLA CXLIV. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro eccleſia ſancti Remigii contra Stephanum & quoſdam alios, qui terras eccleſiæ violenter detinent.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilecti filii noſtri P. abbas & fratres ſancti Remigii Remenſis, tranſmiſſa nobis conqueſtione, demonſtrarunt quod Stephanus & quidam alii homines ſui, qui in villa ſancti Remigii, quæ dicitur Inſula, jam pridem habitare conſueverunt, ſe ad novam habitationem extra inſulam tranſtulerunt, & terras eccleſiæ quas prius habebant per violentiam præſumunt excolere, & eas dimittere contradicunt. Unde quoniam jam dictos abbatem & fratres eo caritatis fervore diligimus, ut ipſis in juſtitia ſua ſicut nec debemus nulla velimus ratione deeſſe, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta manda-

(a) Redditi dicebantur ii qui ſe infirmorum ſervitio, non factis tamen ſolemnibus votis, conſecrabant.

(b) Cella, monaſterium ordinis S. Benedicti prope Trecas, a S. Frotberto fundatum, dictum etiam Inſula Germanica, quod etiamnum perſtat ſub congregatione S. Vitoni.

mus, quatinus memoratos homines ad priorem habitationem redire, & ibidem ecclesiæ sancti Remigii de terris suis debitam justitiam exhibere, aut terras illas eidem ecclesiæ liberas omnino dimittere, moneas studiosius, & appellatione remota, sub anathematis districtione compellas. Fratres quoque Hospitalis Jerosolymitani qui supradicto abbati & fratribus mulierem quamdam injuste subtraxisse dicuntur, attente commoneas, ut eamdem sibi sine dilatione restituant, & in pace dimittant, aut illis coram te justitiæ super hoc faciant complementum. Quod si neutrum istorum ad commonitionem tuam adimplere voluerint, tu jam dictos abbatem & fratres in illius, de quo controversia vertitur, possessionem, cessante appellatione, inducas. Et quoniam de redditibus & possessionibus, quas idem abbas & fratres in Alemannia consueverunt habere per schismaticos qui eos sibi subtraxerunt, damna gravia sustinuisse dicuntur, tuæ discretioni præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus, quatenus ipsis possessiones & beneficia quæ schismatici de regno Alemanniæ in provincia tua noscuntur habere, omni contradictione & appellatione cessante, assignes, & in pace facias possidere, donec sua recuperaverint, & ablatorum perceperint recompensationem. Illud autem memoriter teneas, quod non omnes de regno Alemanniæ schismatica sunt pravitate respersi, sed quidam eorum nobis devoti existunt. Data Beneventi octavo idus Septembris.

EPISTOLA CXLV.

Pro priore vallis sancti Petri.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, &c. salutem & apostolicam benedictionem.

Quotiens inter viros religiosos aliqua occasio contentionis oboritur, tanto citius debet amputari de medio, quanto ad servandum propositum suum majori pace indigent & quiete, dilectorum vero filiorum nostrorum En. prioris & fratrum de (a) Valle sancti Petri querelam accepimus, asserentium se a fratribus de Tenalliis (b) in terris & pascuis suis inquietationem non modicam sustinere. Quocirca de discretione vestra plurimum confidentes, & volentes jam dictos fratres hinc inde sine contentionis amaritudine semitam professionis suæ tenere, controversiam ipsam discretioni vestræ duximus committendam, per præsentia vobis scripta mandantes, quatinus in locum unum convenientes, utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus utriusque partis auditis diligenter & cognitis, ita controversiam ipsam concordia vel judicio terminetis, ut nec ipsi diutinis inter se conquestionibus fatigentur, nec alii qui viderint ex contentione ipsorum materiam accipiant derogandi. Data Beneventi octavo idus Septemb.

(a) Vallis S. Petri monasterium ordinis Carthusiensis in diœcesi Laudunensi.

(b) Tenalliæ seu Thenoliæ vel Thenolium, monasterium est ordinis Præmonstratensis, juxta Vervinum oppidum Teraschiæ, a Bartholomæo episcopo Laudunensi anno 1129. fundatum.

EPISTOLA. CXLVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro querela Marbelini & Belot. matris ejus.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Venientes ad apostolicæ sedis clementiam Marbelinus & Belot. mater ejus, supplici nobis insinuatione monstrarunt, quod cum quamdam domum suam pater jam dicti A. cuidam militi pignori obligasset, D. avunculus ejus præscriptam domum redemit a milite, nec voluit pecuniam, pro qua fuerat domus obligata, recipere, sed ipsam domum alii pro centum solidis vendere non dubitavit. Quamdam etiam terram eorum injuste detinens, fructus qui exinde proveniunt, percipere non veretur. Præter hæc annulum quemdam & quindecim ulnas fustan. quas pater memorati A. ei accommodavit, illis reddere contradicit. Unde cum super his omnibus in præsentia dilecti filii nostri Johannis archidiaconi ecclesiæ tuæ causa eorum discuteretur, isti ad nostram audientiam appellarunt, sed ille nec venit, nec aliquem pro se responsalem transmisit. Verum quoniam absente altera parte eidem causæ non potuimus finem imponere, eam fraternitati tuæ, de qua plene confidimus, committimus audiendam & mediante justitia terminandam, per apostolica scripta mandantes, quatenus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem causam remoto appellationis obstaculo, legitimo fine decidas. Quod si prædictus D. legitime citatus, ad præsentiam tuam venire, aut judicium tuum subire noluerit, ipsum nulla appellatione obstante ecclesiastica censura percellas, ut si non voluntarius, saltem invitus justitiæ stare cogatur. Data Beneventi xv. Kal. Octobris.

A

EPISTOLA CXLVII.

Pro causa quæ vertitur inter Ric. & abbatem sancti Petri.

ALEXANDER episcopus, &c.

Causam quæ inter Ricc. latorem præsentium & abbatem sancti Petri de Montibus, Morandum quoque, & filium ejus Girardum, super quadam domo noscitur agitari, experientiæ vestræ committimus B audiendam, & fine debito terminandam. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueritis requisiti, utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, eamdem causam, sicut dictum est, remoto appellationis obstaculo, mediante justitia decidatis. Data Beneventi tertio nonas Octobris.

EPISTOLA CXLVIII. HENRICO C Remensi archiepiscopo.

Pro B. clerico, & ut ejus præbenda ei restituatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos B. clericus præsentium lator, lacrymabili nobis conquestione proposuit, quod cum præbendam ecclesiæ sancti Germani de Montibus canonice adeptus fuisset, eamdem per violentiam laicalem amisit: quam B. clericus taliter occupatam detinere præsumit. Unde quoniam nostra interest, & ad tuum nihilominus spectat officium ecclesiasticas personas, & earum bona manutenere propensius & fovere, & eis jura sua integra & illæsa servare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus rei veritatem diligenter inquiras, & si ita esse inveneris, prout superius est narratum, præscriptam præbendam memotato B. facias omni occasione E & appellatione cessante restitui & in pace dimitti. Quod si prælibatus B. tibi in his consentire noluerit, tu eum sublato appellationis remedio, officio & beneficio ecclesiastico prives, & si nec acquieverit, præscriptam ecclesiam sancti Germani, nullius appellatione admissa, subjicias interdicto. Data Beneventi IV. non. Novemb.

EPISTOLA CXLIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Giderum de Sarnaio possessiones ecclesiæ Montis-falconis invadentem in suo contineat officio.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Et injuncti nobis a Deo apostolatus officium, & fides dilecti filii nostri (a) R. Virdunensis electi, quam erga ecclesiam Dei persecutionis adinstantis tempore conservavit, ei plurimum nos efficit debitores, & de coercendis ab ejus & suorum infestatione pravis hominibus sollicitius nos ammonet cogitare. Pervenit autem ad nos quod Giderus de *Sarnai*, possessiones ecclesiæ (b) Montis-falconis invadere ac devastare præsumit, & homines ejus diversis affecit detrimentis. Unde quia jam dicti filii nostri propria reputare debemus, per præ- C sentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus jam dicto viro pontificalem auctoritatem opponas, & ita eum ab hac præsumtione compescas, ita eidem electo & hominibus de illatis injuriis & dispendiis satisfactionem debitam exhibere compellas, ut & ipse fraternum in te solatium se gaudeat invenisse, & qui viderint de zelo justitiæ te debeant commendare. Sane si quid inter partes in quæstionem forte devenerit, quod examinatione opus habeat & judicio, D per auctoritatem tuam cognosci volumus & finiri. Datum Beneventi v. idus Novembris.

EPISTOLA CL. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Huldredo sacerdote super ecclesia de Ponit.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significavit nobis dilectus filius noster R. Catalaunensis ecclesiæ archidiaconus, quod cum causa, quæ inter Ulredum latorem præsentium & Johannem presbyteros super ecclesia sanctæ Mariæ vertitur, secundum commissionem nostram, in tua præsentia tractaretur, & idem Ulredus testes suos Ernulfum scilicet & Henricum presbyteros produceret, qui super causa ipsa coram te veritatem, quam inde noverant, fatérentur,

(a) Richardi de Crissa gentilis toparcharum de Grandi-prato, qui ex archidiacono Laudunensi electus, circa annum 1162. in expeditione Jerosolymitana fato functus est.

(b) In diœcesi Virdunensi, in qua est collegium canonicorum.

adversa pars minus idoneos esse proposuit, & ipsos veluti reos criminis ad nostram audientiam appellavit. Cumque utraque pars coram eodem archidiacono convenisset, & prædictus Johannes recognosceret quod ad solam iracundiam eisdem testibus crimina objecisset, quia brevitate termini insistente prosequi appellationem non poterant; idem archidiaconus inter eos hinc inde fide interposita, hoc modo de utriusque voluntate composuit. Quod si præfatus Johannes in tua præsentia recognosceret, quod eorum archidiacono confessus fuerat, appellationi supersederent. Quia vero die statuta memoratus Johannes adversa parte præsente suam tibi præsentiam exhibere contemsit, altera pars cum eisdem testibus secundum appellationem nostro se conspectui præsentavit, sed præfatus Johannes nec venit, nec pro se responsalem transmisit. Ceterum quia non fuit super principali negotio appellatum, eamdem causam examini tuo duximus remittendam, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandantes, quatinus utraque parte coram te convocata, causam diligentius audias, & si tibi constiterit præfatum Johannem fidem quam dederat violasse, & eidem perjurio condignam pœnitentiam imponas, & prædictis testibus remota appellatione receptis, eamdem causam infra quindecim dies post harum susceptionem, sublato appellationis obstaculo, occasione remota, studeas terminare. Data Beneventi tertio idus Novembris.

EPISTOLA CLI.

Pro Henrico sacerdote.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, &c. salutem & apostolicam benedictionem.

Lator præsentium Henricus non sine multo labore ad præsentiam nostram accedens, supplici nobis relatione proposuit, quod cum in ecclesia sancti Remigii de *Notoucurt*, & in ecclesia sanctæ Mariæ de Calvomonte perpetuus vicarius institutus fuisset, & de manu episcopi sui curam suscepisset animarum, & postmodum de licentia ejusdem episcopi Jerosolymam peteret, Mainerius presbyter, capellano illius ejecto, violenter parrochiam suam occupavit, & occupatam detinere præsumit. Unde quoniam pati nolumus, nec debemus, ut viris ecclesiasticis hujusmodi oppressiones & violentiæ inferantur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus hujus veritatem diligenter & sollicite investigetis, & si legitime vobis constiterit memoratum presbyterum violentia & præsumtione præfati M. præscripta fuisse parrochia spoliatum, ipsum, omni occasione & appellatione remota, districte cogatis eidem presbytero prænominatam parrochiam sine molestia & in pace dimittere, & damna integra resarcire, ei talem pœnam infligentes, quod ceteri metuant sanctuarium Dei occupatione illicita usurpare. Data Beneventi secundo idus Novembris.

EPISTOLA CLII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro sacerdote P.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex conquestione P. sacerdotis auribus nostris innotuit, quod Catalaunensis episcopus ecclesia sua injuste & post appellationem ad nos factam, eum quod non licuit spoliavit. Unde quia universis gravatis appellationis debet remedium subvenire, ei per scripta nostra mandavimus, quatinus præfato presbytero, si eum post appellationem aut alias injuste præscripta ecclesia spoliavit, ipsam occasione remota restituat, & in pace ac quiete dimittat. Quod si facere forte distulerit, tu eum commoneas & horteris, ut eidem presbytero prælibatam ecclesiam quam sibi post appellationem ad nos factam, aut injuste abstulit, absque ulla contradictione restituat, & in pace faciat possidere. Si vero monitis tuis obtemperare contemserit, tu eum ad id efficiendum omni cum districtione, appellatione remota, compellas. Data Beneventi decimo quinto Kalendas Decembris.

EPISTOLA CLIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Leprosis Cameracensibus.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Etsi omnes teneamur ex suscepto administrationis regimine & pastoralis cura sollicitudinis defensare, infirmis fratribus tanto promtius debet præsidium apostolicæ sedis adesse, quanto eos omnipotens Dominus suo justo judicio graviori ægritudine visitavit. Quia vero dilecti filii nostri infirmi Cameracenses, nobis conquesti sunt, quod sancti Andreæ de Castello, & sancti Sepulcri Cameracensis abbates, & canonici sancti Gaugerici, & nobilis MANASSES de Ruminiaco, de novalibus & de nutrimentis animalium suorum decimas auferre

præsumunt, eisdem præcepimus & in virtute obedientiæ injunximus, ut decimas, quas de his sibi ausu temerario præsumserunt auferre, ipsis infra quadraginta dies post litterarum nostrarum susceptionem, cum integritate restituant, vel secum exinde amicabiliter pacificeque conveniant, nec ipsos super his amodo molestare præsumant. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si præfati abbates & canonici præceptis nostris in hac parte noluerint adquiescere, ipsis ecclesiarum ingressum, appellatione remota, prohibeas, & usque ad satisfactionem congruam prædictos abbates ab administratione denunties apostolica auctoritate suspensos, & eos alias, si opus fuerit, ad executionem præcepti nostri districte compellens, eorum parrochianis, ne ad eorum ecclesias ad officia divina conveniant, sub anathematis interminatione prohibeas, & præfatum Manassen, si a te commonitus, eis exinde non satisfecerit, publice excommunicatum denunties, & memoratos infirmos divini amoris intuitu & pro reverentia beati Petri ac nostra, in jure suo pro tui officii debito manuteneas & defendas: ita quod exinde & præmia merearis æterna recipere, & nobis uberes gratias debeas expectare. Data Beneventi decimo quarto Kalendas Decembris.

EPISTOLA CLIV. DILECTIS filiis sancti Andreæ de Castello, & sancti Sepulcri abbatibus & canonicis sancti Gaugerici.

Pro leprosis Cameracensibus.

ALEXANDER episcopus, &c.

Conquesti sunt nobis dilecti filii nostri infirmi Cameracenses, quod vos eisdem infirmis de novalibus & de nutrimentis suorum animalium, unde valde miramur, & adversus vos graviter commovemur, decimas exigere & extorquere nullatenus dubitatis, cum eis sicut ceteris infirmis a Romana ecclesia sit indultum, ut nemini de his quas prædiximus decimas exsolvere teneantur. Unde quia non vos decet, nec nos possumus aliquatenus sustinere, ut quos superni dextera conditoris in tantum afflixit, quod incurabili morbo laborant, aliquibus debeatis molestiis & anxietatibus fatigare, præsertim in his quæ ad contemtum nostrum pertinent, & auctoritati Romanæ ecclesiæ plurimum derogare noscuntur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatinus decimas, quas prædictis leprosis de novalibus vel nutrimentis animalium suorum præsumtione illicita subtraxistis, omni occasione & excusatione cessante, reddatis, aut cum eis exinde amicabiliter & pacifice convenire curetis, & eos amodo super his molestare nullatenus præsumatis. Quod si forte juxta præceptum nostrum infra quadraginta dies post harum susceptionem contemseritis adimplere, vos ex tunc ab ecclesiarum ingressu auctoritate apostolica prohibemus, & vos filii abbates ab administrationis officio denuntiamus usque ad dignam satisfactionem fore suspensos, & in ecclesiis vestris præcipimus divina officia cessare, necnon & venerabili fratri nostro HENRICO Remensi archiepiscopo & canonicis Cameracensibus dedimus in mandatis, ut vos ad hoc cum omni districtione compellant, ut & parrochianis vestris, ne ad officia in ecclesiis ipsis conveniant, sub interminatione anathematis non differant prohibere. Data Beneventi decimo quarto Kalendas Decembris.

EPISTOLA CLV. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro ecclesia sancti Martini Laudunensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

In causis religiosorum virorum tanto amplius de tuo est officio præsumendum, quanto ad eorum solatium & ex professione religionis & ex auctoritate pontificatus arctius teneris astrictus. Ex parte vero filiorum nostrorum abbatis & fratrum ecclesiæ sancti Martini Laudunensis adversus Ægidium presbyterum de Monte-Hunoldi, Hu. militem de Warch. Gui. de *Chamelzi* & P. filium Anselmi de Monte-acuto, querelas super injuriis quibusdam accepimus, quas venerabilibus fratribus nostris B. (*a*) Belvacensi & Noviomensi episcopis & dilecto filio (*b*) Urscampi abbati, appellatione remota, commisimus terminandas. Per præsentia itaque scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus eos ad vocationem illorum accedere, ipsorumque judicio parere taliter compellas, ut jam dicti fratres pro defectu justitiæ laborare diutius non cogantur, & tua fraternitas de cohibitione pravorum hominum commendabilis videatur. Nos enim eisdem judicibus mandavimus, ut si unus eorum his interesse nequiverit, duo nihilo-

(*a*) Bartholomæo, qui Henrico ad sedem Remensem translato successit.

(*b*) Urscampi monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Noviomensi de linea Clarevallis.

minus quod injunctum est exequantur. Data Beneventi decimo tertio Kalendas Decembris.

EPISTOLA CLVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro R. clerico, ut dominus Remensis ei benefaciat.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, H. Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos R. clericus præsentium lator diligenti nobis narratione proposuit, quod tu eum in diaconum ordinasti, nec tamen eum ad aliquam ecclesiam intitulasti. Unde quoniam, sicut asserit, nimia paupertate laborat, nec tuam discretionem credimus ignorare, quod ordinatio sine certo titulo facta inanis existat, fraternitatem tuam per apostolica scripta monemus, atque mandamus, quatenus præfato R. in aliqua ecclesia ubi necessaria vitæ possit competenter percipere, pro reverentia B. Petri ac nostra, & ex tui officii debito studeas providere, ut ipse in ordine possit omnipotenti Domino fideliter deservire, & nos sollicitudinem tuam teneamur exinde plurimum commendare. Data Beneventi XIII. Kalendas Decembris.

EPISTOLA CLVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Amelio super fundo quodam.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Per alia scripta discretioni tuæ jam pridem nos mandasse meminimus, ut nobilem virum B. comitem de *Henou*, qui Amelio de Albiniaco feodum quoddam dicebatur per violentiam abstulisse, moneres diligentius & districte compelleres, ut feudum illud eidem cum fructibus jam perceptis celerius restitueret quiete ac pacifice possidendum, vel ei sub examine tuo plenam inde justitiam exhiberet. Unde quoniam præfatus Amelius jus suum se nondum consequi potuisse proponit, fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus, quatinus memoratum comitem diligenti exhortatione commoneas, & ecclesiastica districtione compellere non omittas, ut prælibato Amelio prætaxatum feodum sine dilatione restituat, & in pace dimittat, vel ei coram te infra quadraginta dies post harum susceptionem sufficientem inde justitiam, appellatione remota, non differat exhibere. Monemus autem prudentiam tuam atque mandamus, ut in his exequendis ita diligens & studiosus existas, quod nos sollicitudinem tuam teneamur exinde non immerito commendare, & sæpe dictus Amelius multo labore afflictus, per te suam justitiam consequatur. Data Beneventi octavo idus Decembris.

EPISTOLA CLVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Item pro Amelio super quibusdam possessionibus.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Controversiam quæ inter Amelium & Johannem de *Machelcurt* super quibusdam possessionibus diutius noscitur agitari, experientiæ tuæ jam pridem nos meminimus commisisse. Unde quoniam inter se postea, sicut audivimus, & venerabilis frater noster (a) A. Attrebatensis episcopus suis nobis litteris intimavit, amicabiliter convenerunt, sed præfatus Johannes transactioni factæ prorsus stare contemnit, fraternitati tuæ per apostolica scripta iterato mandamus, quatenus eumdem Johannem diligenter & studiose commoneas, ut conventionem inter eum & præfatum Amelium factam, sicut interposita fide promisit, celerius exequatur, & prout inter eos fuit statutum, non differat adimplere. Quod si ad commonitionem tuam adimplere neglexerit, tu cum, omni contradictione & appellatione remota, in sententiam priorem reducas, & eam usque ad dignam satisfactionem facias ab omnibus per tuam provinciam firmiter observari. Data Beneventi VIII. idus Decembris.

EPISTOLA CLIX. HENRICO Remensi archiepiscopo & Laudunensi episcopo.

Ut Rainaldum de Roseto compellant restituere Ægidio de Cimai dotalitium uxoris suæ.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Remensium archiepiscopo, & Laudunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Rediens Jerosolymis vir Ægidius de

(a) Andreas qui Godescalco cedenti anno 1164. successit, obiitque 1171.

Cimai, propoſita nobis querela monſtravit, quod nobilis vir Rainaldus de Roſeto, parrochianus veſter dotalitium uxoris ſuæ ſibi violenter auferre, & ipſum aliis indebitis moleſtiis & gravaminibus fatigare præſumit. Unde quia non decet memoratum Rainaldum cuilibet inferre, quod ſibi nollet ab aliis irrogari, nec nos pati poſſumus vel debemus, ut aliquis ſua juſtitia defraudetur, qui ex injuncto ſummi apoſtolatus officio jus ſuum tenemur ſingulis conſervare, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratum Rainaldum monere curetis & inſtanter inducere, ut ſupradicto Ægidio dotalitium uxoris ſuæ & cetera ablata ſine moleſtia & diminutione reſtituat, damna data reſarciat, & ab ejus deinceps moleſtatione deſiſtat, vel ei ſuper his omnibus infra duos menſes poſt harum ſuſceptionem, occaſione & appellatione remota, coram vobis juſtitiæ non differat plenitudinem exhibere. Si autem præfatus Rainaldus monitis & exhortationibus veſtris adquieſcere forte noluerit, eum ad horum alterum quæ prædiximus exequendum, eccleſiaſtica ſententia diſtrictius appellatione poſtpoſita compellatis. Data Beneventi VI. idus Decembris.

EPISTOLA CLX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Rolando & Ebruino.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Latore præſentium Rolando nomine conquerente accepimus, quod cum Ebruinus ad noſtram audientiam appellaſſet, pro eo quod ſibi domum & vineam, quam ad ſe ratione uxoris aſſerit pertinere, & monile quod illius uxori in die nuptiarum accommodaverat, reddere renuebat, prædictus Ebruinus ad noſtram præſentiam acceſſit, & tacita rei veritate, quod ille ſibi deberet ſedecim libras, nobis ſua inſinuatione monſtravit, & ad Catalaunenſem epiſcopum ſuper commiſſione illius negotii noſtras litteras reportavit. Cumque cauſa in ejuſdem epiſcopi præſentia tractaretur, & adverſa pars teſtes, ſicut ait, conductitios & mendaces vellet producere, iſte ad noſtram audientiam appellavit. Epiſcopus vero, appellatione neglecta, vinculo excommunicationis aſtrinxit. Unde quoniam hujus rei veritas non conſtat, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi cauſa fuit epiſcopo, appellatione remota, commiſſa, ſententiam excommunicationis in iſtum latam teneri facias & ſervari. Si autem in manu tua ſufficientem cautionem præſtiterit, quod ſuper eo pro quo fuit excommunicatus in præſentia tua debeat juſtitiæ ſtare, & ſententiæ tuæ appellatione remota parere, ipſum ab excommunicatione abſolvas, & poſtmodum eo & adverſario ante tuam præſentiam evocaris, tam ſuper debito illo, quam ſuper aliis de quibus inter eos quæſtio vertitur, cauſam audias, & eam remoto appellationis obſtaculo, juſtitia mediante, decidas. Porro ſi in cauſa quam dicto epiſcopo commiſimus appellationis remedium conſtiterit reſervatum, & tibi quoque fuerit compertum, epiſcopum memoratum Rolandum poſt appellationem excommunicaſſe, ſententiam ipſam denuncies non tenere, & eum facias pro non excommunicato haberi. Deinde vero tam hujus quam alterius querelam diligenter audias, & eam abſque appellationis remedio ſervata juris æquitate decidas. Data Beneventi quarto idus Decembris.

EPISTOLA CLXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut ei commendatum ſit monaſterium ſancti Dionyſii.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pontificalis officii debitum & ordo exigit rationis, pro illarum eccleſiarum ſtatu diligenti cura ſatagere, quæ ad jus & proprietatem ſacro ſanctæ Romanæ eccleſiæ & noſtram noſcuntur diſpoſitionem ſpecialius pertinere. Quia igitur monaſterium ſancti Dionyſii ad apoſtolicæ ſedis & noſtram proviſionem ſpecialiter reſpicit & tutelam, pro eodem monaſterio fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus ut abbatem & fratres ſnibi divinis obſequiis mancipatos, ſuperna contemplationis intuitu, & pro reverentia beati Petri & noſtra, diligere & manutenere pariter & fovere ſtudeas, & cum ad te pro neceſſitatibus ipſius monaſterii recurrerint, eis tuæ defenſionis & patrocinii ſolatium gratanter & benigne exhibeas, ita quod nobis exinde gratior compareas & apoſtolicæ ſedis gratiam merearis propter hoc omni tempore uberiorem habere. Data Beneventi decimo ſeptimo Kalend. Januar.

EPISTOLA CLXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Johanne ſacerdote ſuper eccleſia de Pozgni.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium

Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Suggerente olim nobis Uldredo presbytero, & graviter conquerente, quod ecclesia sanctæ Mariæ, quam se asserebat rationabiliter habuisse, injuste fuisset & illicite spoliatus, causam ipsam experientiæ tuæ commisimus terminandam. Cum ipse & Johannes presbyter præsentium lator in tua præsentia constituti inter se ad invicem multa proponerent, & idem Uldredus duos testes super causa ipsa produceret, præfatus Johannes eosdem testes tamquam minus idoneos ad nostram audientiam appellavit. Utraque autem parte appellationem prosequente, jam dictus Uldredus eumdem Johannem præveniens, ad te nostras litteras, si bene meminimus, impetravit, in quibus continebatur, quod si ipse præfatum Johannem, sicut nobis proponebat, de perjurio posset convincere, eidem Johanni pœnitentiam dignam imponeres, & prædictos testes appellatione remota susciperes, & eam fine debito terminares. Verum cum Johannes prædictum Uldredum appellationem prosecuturus non multum longe a nobis in recessu suo obviam habuisset; numquam, sicut asseruit, ille vel personæ, cum quibus veniebat, ipsum potuerunt inducere, ut ad præsentiam nostram rediret. Veniens itaque prædictus Johannes litteras dilectorum nostrorum B. decani & capituli Catalaunensis nobis repræsentavit, in quibus expresse continebatur, quod Johannes presbyter ad repræsentationem eorum, sicut moris est, præscriptam ecclesiam sanctæ Mariæ a bonæ memoriæ (a) B. quondam Catalaunensi episcopo, nullo reclamante, suscepit, in qua plus quam per tredecim annos quiete & pacifice ministravit. Asserebant insuper se prædictum Uldredum nec recepisse, nec eidem episcopo repræsentasse, sed nostras litteras ad te falsa suggestione ab eodem impetratas. Super hoc autem dilectus filius noster G. Catalaunensis archidiaconus memorato Johanni nihilominus per suas litteras testimonium perhibuit, ad quem post episcopum ejusdem ecclesiæ concessio dicitur pertinere. Quia igitur indignum esset admodum, & a ratione prorsus extraneum, ut illorum testimonium canonico respectu assertioni præjudicium quodlibet generaret, fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus, quatinus si prælibatum capitulum legitime asseverare voluerit, quod per suas litteras nobis suggesserit, tu omni mora & appellatione remota, prædicto Uldredo super causa ipsa silentium imponas, & ab ejus impetitione prænominatum Johannem prorsus absolvas, litteris quas ipse a nobis super causa ipsa obtinuit, eidem Johanni nullum præjudicium parantibus vel jacturam. Et quia supradictus Uldredus ejus adversarius est, ipsum non permittas in criminalibus Johannem presbyterum impetere, nisi forte adversus eum exceptionem ponendo sibi crimen objiceret. Data Beneventi decimo quarto Kalendas Januarii.

(a) Bosone episcopo qui anno 1161. vivere desiit.

EPISTOLA CLXIII. HENRICO Remensium archiepiscopo.

Ut ablatam fratribus hospitalis Jerosolymitani eleemosynam a duce Lovanienſi faciat restitui.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam fratrum hospitalis Jerosolymitani nobis intimatam audivimus, quod nobilis vir dux de *Louvain*, eis eleemosynam quamdam in villa quæ *Benten* dicitur, auferre præsumsit, & reddere hactenus recusavit. Quia vero viros nobiles & potentes ab aliorum & maxime Christi pauperum oppressione ecclesiasticæ severitatis gladio durius coercere debemus, fraternitati tuæ per apolica scripta mandamus, quatenus jam dictum ducem per te, vel litteras, aut nuntios tuos, studiosius exhorteris, & instanter commoneas, ut prædictis fratribus eleemosynam præscriptam, omni occasione & excusatione cessante, restituat, & in pace dimittat, vel eis coram te plenam inde justitiam per se vel sufficientem responsalem, appellatione remota, non differat exhibere. Quod si ad commonitionem tuam adimplere neglexerit, terram quam in tua provincia habere dinoscitur, interdicto subjicias, & personam illius, si nec sic resipuerit, vinculo excommunicationis astringas, & ab omnibus per tuam provinciam, sicut excommunicatum præcipias evitari. Data Beneventi x. Kalendas Januarii.

EPISTOLA CLXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Gosleno & O. militibus.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex conquestione Gosleni & O. militum ad audientiam nostram noveris perveniſſe, quod cum olim Herl. Remensis canonicus a Rie. consanguineo suo quosdam redditus pro triginta libris sub pignore recepisset, eo pacto quod postquam ex eisdem redditibus sortem suam præter expensas reciperet, præscripti reditus deberent ad jus & pro-

prietatem ejusdem R. sine contradictione redire, eodem R. mortuo, præfati G. & O. qui in bonis ejus propinquitate sanguinis successerunt, prætaxatos redditus habere non possent, licet idem canonicus sortem suam deductis expensis dicitur in integrum recepisse. Asserit enim Herl. quod præfatus R. uxori suæ Adæ nomine præscriptos redditus in donationem propter nuptias contulerat, & sic non solum ipse, sed etiam A. & P. vicedominus super hisdem militibus graviter adversantur. Quia igitur nemini possumus vel debemus in sua justitia deesse, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utraque parte coram te convocata, causam ipsam diligenter audias, & eam infra quadraginta dies post harum susceptionem, contradictione & appellatione cessante, justitia mediante, decidas. Si qua vero partium legitime citata judicio tuo parere contemserit, eam usque ad dignam satisfactionem, remota appellatione, ecclesiastica censura percellas. Data Beneventi quarto nonas Januarii.

EPISTOLA CLXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Contra leprosos Cameracenses.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Recepta conquestione leprosorum Cameracensium, quod sancti (a) Andreæ de Castello & sancti (b) Sepulcri abbates & canonici sancti Gaugerici, & nobilis vir MANASSES de Ruriniaco de novalibus suis & de nutrimentis animalium suorum ab eis decimas extorquerent; fraternitati tuæ ad instantiam ipsorum mandavimus, ut si præfati abbates & canonici præceptis nostris in hac parte adquiescere nollent, videlicet quod decimas, quas de his prædictis infirmis ausu temerario præsumserunt auferre, ipsis infra quadraginta dies post litterarum nostrarum susceptionem cum integritate non restituerent, vel secum exinde pacifice & amicabiliter convenirent, nec eos super his ulterius molestarent, eos ab ecclesiarum ingressu districtius coerceres, & abbates ab ecclesiarum administratione denuntiares apostolica auctoritate suspensos. Nunc autem ex transmissa relatione dictorum abbatum ad aures nostras pervenit, quod prænominati infirmi decimas, quas a triginta annis usque ad hunc annum sine interruptione solverunt, & sanctæ recordationis pater & prædecessor noster EUGENIUS papa & alii prædecessores nostri confirmaverunt, ipsis subtrahere conantur, & quod grave est, post appellationem ad nos factam, ipsos per violentiam laicorum spoliare non dubitarunt, & cum nuntiis eorum nuntius istorum in via obviasset, & eis ut ad nos secum redirent ex parte nostra injunxisset, ipsi & noluerunt aliquatenus consentire. Unde licet prædictos infirmos manutenere & fovere velimus quia tamen aliorum jura nec debemus nec volumus imminuere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus hujus rei veritatem diligenter inquiras, & si tibi constiterit quod memorati abbates & canonici præscriptas decimas a triginta annis usque ad hunc annum sine quæstione possedissent, & antecessores nostri eas illis confirmassent, infirmos ab eorum infestatione desistere, & decimas ipsas eis persolvere, omni contradictione & appellatione cessante, compellas, & si forte litteras nostras coram te contra hoc produxerint, & eis voluerint inniti, tu litteris ipsis nullatenus deferas. Verumtamen de terris illis quas iidem infirmi a tribus annis noviter ad culturam reduxerunt, & de nutrimentis animalium suorum nulli decimas reddere compellantur. Quidquid autem de decimis ipsis post appellationem ad nos factam per violentiam acceperunt, restituere constringantur. Sane prædicto Manasse de his in nullo respondere cogantur. Nolumus tamen quod occasione ista aliorum terras contra voluntatem suam præsumant aliquatenus extirpare. Data Beneventi sexto idus Januarii.

(a) (b)

EPISTOLA CLXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia Præmonstratensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significatum est nobis quod Johannes de Burgundione pro damnis & detrimentis quæ Præmonstratensi ecclesiæ temere intulit, excommunicationis vinculo sit innodatus. Unde quoniam ecclesiastica sententia, quæ in malefactores aliquos pro suis excessibus promulgatur, rata debet & inconcussa existere, & eam usque ad dignam satisfactionem firmitatis robur necesse est obtinere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si ita est, eamdem sententiam usque ad dignam satisfactionem facias inviolabiliter observari. Data Beneventi quinto idus Januarii.

(a) S. Andreæ de Castello monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Cameracensi.

(b) S. Sepulcri alterum ordinis S. Benedicti monasterium in urbe Cameracensi. Confer hanc epistolam cum epistolis 155. & 156.

EPISTOLA CLXVII.

Pro ecclesia beati Remigii Remensis.

ALexander episcopus, &c.

Significavit nobis dilectus filius noster abbas S. Remigii, quod quidam homines Catalaunenses ei domum quamdam & triginta libras Catalaunensis monetæ auferre præsumant, de qua illi justitiam exhibere contemnunt. Unde quoniam justiciam quam universis debemus, viris & locis religiosis tenemur propensius conservare; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratos homines parrochianos vestros monere diligentius & districte compellere studeatis, ut præfato abbati præscriptam domum atque pecuniam sine dilatione reddant, & in pace dimittant, vel eidem sub examine vestro plenam inde justitiam, appellatione remota, non differant exhibere. Quod si uterque vestrum in his interesse non poterit, alter non minus, prout dictum est, in causæ cognitione procedat. Data Beneventi secundo id. Januar.

EPISTOLA CLXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Hulduvino vicedomino Remensi.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster Holduinus ecclesiæ tuæ vicedominus, nobis diligenti narratione ostendit, te ipsum beneficium, quod in ecclesia sancti Sixti per bonæ memoriæ S. quondam thesaurarium consuevit habere, sicut multi ante illum alii habuerunt, ei pro tuo beneplacito subtraxisse, licet paratus esset super hoc, sicut asserit, justitiæ stare. Unde quoniam in nullo te scienter offendisse proponit, quare illum præscripto beneficio spoliasse deberes, nec in aliquo coram nobis tibi detraxit, vel verbum unum, in quantum nos comprehendere potuimus, protulit inhonestum, fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus & exhortamur attentius, quatinus quid te deceat potius, quam alicujus suggestionem, vel animi motum considerans, memorato vicedomino præscriptum beneficium pro reverentia beati Petri ac nostra, & illius devotionis quam circa te gerit obtentu, omni rancore depositio, sine aliqua difficultate restituas, & in pace, sicut hoc consuevit habere, dimittas, ita quod ipse tibi fidelior omni tempore & magis teneatur existere, & nostras sinceritati tuæ preces potius quam mandatum se gaudeat detulisse, nos quoque id gratum omnino & acceptum pariter debeamus habere & affectioni tuæ gratias inde multiplices exhibere. Data Beneventi decimo septimo Kalendas Februarii.

CLXIX. EPISTOLA commonitoria domino Remensi.

ALexander Henrico Remensi archiepiscopo, &c.

Antiquæ devotionis & sinceritatis quam ad nos & Romanam ecclesiam habuisti, non immemores existentes, personam tuam, licet te postea in multis aliter quam deceret, habueris, arctiori in Domino caritate diligimus, & fructum, quem ex devotione tua jam pridem suscepimus, ad animum sæpius revocamus. Si autem aliqua de te, quæ contra nos & Romanam ecclesiam fuerint, aliquotiens referantur, tanto ea gravius ferimus, & magis moleste, quanto illa minus per te aliquo tempore fieri credebamus. Inde siquidem est, quod nos paternæ circa personam tuam affectionis nequaquam obliti, quædam discretioni tuæ per dilectum filium nostrum abbatem sancti *(a)* Vincentii (a) Silvanectensis, quem tibi fidelem per omnia novimus & devotum, viva voce duximus intimanda, quæ litteratum noluimus fidei commendare; fraternitati tuæ per præsentia scripta mandantes, quatinus eadem ab ipso diligentius audias, & illorum correctioni ita festinanter intendas, ut moderni nihil in te, quod mordere valeant, vel quod reprehensione dignum existat, inveniant, nec ad posteros pravum per te devolvatur exemplum, á quo bonorum operum fructus processuri creduntur. Quantumcumque tanta dignitate & sanguinis generositate præfulgeas, tibi contra officii nostri debitum parcere de cetero non potevimus, sicut devotioni tuæ præsentialiter, si fieri posset, potius quam litteris intimaremus. Verum ex quo tecum ore ad os conferre non possumus, te per supradictum abbatem familiarem tuum maluimus super his quæ corrigenda fuerint ammonere, quam ea scriptis committere, vel tibi per alium significare. Quod utique tuam decet prudentiam diligenter advertere, & ipsius abbatis verbo, quod ab ore nostro suscepit, ita fidem & credulitatem adhibere, quod certis operum indiciis comprobemus, te commonitionem nostram memoriæ fideliter commendasse, & correctionem paternam humiliter suscepisse, ita quod *illi*, qui facta tua viderint, inveniant potius quod commen-

(a) S. Vincentii Silvanectensis monasterium celebre ordinis S. Augustini congregationis Gallicanæ, ab Anna Regina uxore Henrici I. anno 1159. fundatum.

dent, quam quid merito reprehendatur. A Data Beneventi decimo quinto Kalendas Februarii.

EPISTOLA CLXX. HENRICI Remensis archiepiscopi ad Laudunensem episcopum.

Causatur quod ipsius judicio & mandatis non obediverit.

HENRICUS Remensis archiepiscopus G. episcopo Laudunensi.

Miramur supra modum, quod in litteris vestris ad nos directis usurpatis vobis de appellatione ad nos facta judicium. Vos autem etsi frater noster estis, sed non judex nec dominus, & cum appellatur ad majorem audientiam, minores non habent in causis procedere, immo magis supersedere & majoribus deferre. In hoc autem minus detulistis nobis quod præceperimus presbyterum de Revetra semel secundo ac tertio summoneri: non summonuistis eum, nec summoneri fecistis, & irritum duxistis, quod toties vobis mandavimus, licet dissimuletis aut contemnatis, nescimus quo oculo, facere quod mandamus, nobis tamen incumbit officium nostrum peragere, & contemtores debita pœna cohibere. Inde est quod in prædictum presbyterum tulimus sententiam, quam ratam habemus & habebimus. Alioquin sedes metropolitana, si justitiæ lineas non observaret, materia esset laboris & causa dispendii, quæ ex officio dignitatis debet esse refugium oppressorum & sedes judicii. Super hoc autem quod non summonuistis præfatum presbyterum, cum vobis tertio mandassemus, diem vobis satisfactionis nominamus in curia nostra, fraternitas vestra ante ascensionem Domini, ad quam si venire propter infirmitatem non potestis, personam ad hoc sufficientem mittatis.

EPISTOLA CLXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo & episcopo Laudunensi.

Pro ecclesia de Noveio ut terra ei violenter ablata restituatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Remensi archiepiscopo HENRICO & Laudunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem

Conquesti sunt nobis dilecti filii nostri prior & fratres ecclesiæ de Noveio, quod G. de Castello in Porcien & R. de Rause parrochiani vestri quamdam terram multo tempore violenter possessam demum eidem ecclesiæ reddiderunt. Nunc vero ad vomitum redeuntes, manus in eam iterum extenderunt. Quoniam præfatus R. partem quam detinere consuevit, resumsit & G. hoc quod inde habuit ex parte dimisit, & partem detinere contendit. Insuper jam dictus G. homines præfatæ ecclesiæ cepit, & ad redemtionem coegit. Homines quoque R. quinque equos memorati prioris & fratrum ausu diabolico rapuerunt, & eos in ejusdem R. terram ducentes, ibidem vendidisse dicuntur. Quoniam igitur ad nostrum spectat officium viris religiosis propensius sua jura servare, & eos præ ceteris confovere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus supradictos G. & R. diligentius ac sollicitius moneatis, ut prænominatis priori & fratribus terram sine dilatione aliqua cum integritate restituant, & in pace dimittant, vel ipsis coram vobis plenam inde ac sufficientem justitiam, appellatione remota, exhibeant. Quod si ad commonitionem vestram adimplere noluerint, vos eos, omni excusatione & appellatione remota, excommunicationis sententia præcellatis, & si nec sic resipuerint, in terris eorum omnia divina, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, officia celebrari prohibeatis. De aliis vero tam ab illis quam hominibus suis prælibato priori & fratribus suis ablatis eis ita plenam & districtam justitiam, sublato appellationis remedio, faciatis, quod ipsi jura sua per vos recuperare valeant, & nos sollicitudinem vestram teneamus exinde dignius commendare. Ad hæc præsentium auctoritate injungimus vobis, ut militibus & aliis parrochianis vestris sub interminatione anathematis districtius inhibeatis, quod propter nobilem virum comitem Registetensem sæpe dicti prioris & fratrum suorum terras vel homines non offendant, nec eos deprædari vel inquietari non attentent. Si autem id contra prohibitionem vestram effecerint, uterque vestrum parrochianos suos ad justitiam super hoc faciendam ecclesiastica censura constringat. Ceterum G. de *Taisi*, qui contra priorem de Noveio ad nos jam anno & amplius elapso dicitur appellasse, in præsentia tua juris æquitati super his, de quibus appellavit, parere, appellatione remota, districte coerceas, nisi rationabilem causam possit prætendere, cur appellationem suam non fuerit prosecutus. Quod si canonicam inde excusationem habuerit, tu eum appellationem suam congruo tempore prosequi, vel coram te justitiæ stare appellatione sublata constringas. Data Beneventi decimo quinto Kalendas Februarii.

EPISTOLA CLXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia de Noveio super ecclesia Braguensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter dilectos filios nostros priorem & fratres de Noveio & clericos Braguenses diutius noscitur agitari, venerabili (a) fratri (a) H. Suessionensi episcopo & di- (b) lecto filio (b) P. abbati sancti Remigii Remensis nos jam pridem, appellatione remota, meminimus commisisse. Qui utique partibus ante suam præsentiam convocatis, cum de causa plenius cognovissent, pro jam dicto priore & fratribus sententiam protulerunt, & eis ecclesiam adjudicaverunt. Quorum in hoc sententiæ præfati clerici contradicentes, excommunicationis sententia meruerunt astringi, & maxime Goze & J. filius ejus, quoniam præposituram Braguensem cum præbenda contra datam sententiam detinuerunt. Unde quoniam rei judicatæ standum esse juris decernit auctoritas; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præscriptam sententiam, sicut a memoratis episcopo & abbate lata fuit, facias omni contradictione & appellatione remota firmiter observari & executioni mandari. Illos vero qui contra eam præsumserunt venire, & propterea excommunicationis sententiam incurrerunt, quam etiam & tu ipse diceris promulgasse, & appellatione sublata, per totam provinciam tuam sicut excommunicatos attentius evitari, ... donec prænominato priori & fratribus ablata omnia cum integritate restituant, de damnis & injuriis illatis congruam satisfactionem exhibeant, & eos secundum datam sententiam in pace dimittant. Verumtamen si dilecti filii nostri Fr. decanus & canonici ecclesiæ adversus eumdem priorem & fratres aliquo tempore agere forte voluerint, nolumus ut præfatorum virorum sententia illis debeat in aliquo præjudicare, nisi forte nobis constiterit, prælibatos priorem & fratres tale scriptum cum subscriptionibus penes se habere, quale nobis ostenderunt rescriptum. Si autem illi clerici Braguenses, scilicet Jo. & R. quos nos vice nostra absolvi fecimus, tam de ablatis quam de damnis & injuriis illatis priori & fratribus condigne non satisfecerint, nec sententiam observari voluerint, tu eos in idem quo innodati fuerint anathematis vinculum, dilatione & appellatione cessante, reduAcas, & sicut excommunicatos ab omnibus usque ad condignam satisfactionem facias vitari. Data Beneventi XV. Kal. Februar.

EPISTOLA CLXXIII.

Pro abbate & fratribus Trium-fontium.

ALEXANDER episcopus, &c.

Dilecti filii nostri abbas & fratres (c) (a) Trium-fontium multiplici nobis conquestione monstrarunt, quod cum S. vicedominus Catalaunensis per quamdam grangiam suam transiret, fratres qui inibi erant, ut servientem suum, cujus equus fessus non poterat ultra procedere, ad hospitium reciperent, instanter rogavit. Eo siquidem a fratribus recepto, & jam dicto vicedomino ultra progresso, interim raptores in eamdem grangiam irruerunt, & operariis illius grangiæ spoliatis, prædicto servienti clamidem suam abstulerunt, hac utique occasione Albertus tunc ejusdem vicedomini præpositus, prædictis fratribus unum abstulit equum, & cum propter hoc ad examen Catalaunensis episcopi deductus fuisset, & respondit se nec equum abstulisse, nec loco equi caldariam accepisse. Verum quoniam quod prius Albertus negaverat, postea in præsentia ejusdem episcopi dicitur recognovisse, de prudentia & honestate vestra plurimum confidentes, hujus rei cognitionem vobis committimus exequendam, per apostolica itaque scripta discretioni vestræ mandamus, quatinus utraque parte ante vos convocata, si legitime vobis constiterit aut comprobari potuerit, quod prædictus Albertus quod prius negaverat, postea in judicio cognovisset, eum nostra freti auctoritate commoneatis, & districtius compellatis, ut equum & caldariam memorato abbati & fratribus, appellatione & occasione cessante, restituat. Quod si non fecerit, eum excommunicationis vinculo innodare non differatis, & ad venerabilem fratrem nostrum Catalaunensem episcopum denuntiatio vestra procedat, quod sententiam ipsam firmiter & inconcusse observet, & per suum episcopatum faciat observari. Data Beneventi decimo quinto Kalend. Februarii.

(a) Hugoni.
(b) Petro.
(c) Trium fontium haud ignobile monasterium ordinis Cistercienſis de linea Clarevallis, in dioecesi Catalaunensi fundatum.

EPISTOLA CLXXIV.

Pro causa abbatissæ d'Avenai.

ALEXANDER episcopus, &c.

Causam quæ inter abbatem Trium-fontium & abbatissam (*a*) *d'Avenai* super quadam domo agitari dinoscitur, experientiæ vestræ, de qua plene confidimus, committimus audiendam, & sublato appellationis remedio fine congruo terminandam. Ideo- B que discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde requisiti fueritis, in unum pariter convenientes, utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem causam, prout dictum est, remoto appellationis obstaculo, mediante justitia, terminetis. Data Beneventi duodecimo Kalend. Februar.

EPISTOLA CLXXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Johanne sacerdote, ut in ecclesia sua ministret.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex tenore quarumdam litterarum tuarum, & ex confessione Johannis sacerdotis latoris præsentium accepimus, quod cum ad quamdam ecclesiam præsentatus fuisset, illum ad eamdem recipere noluisti, eo quod
(*b*) ab (*b*) O. quamdam Metensi episcopo, qui licet prius catholicus fuerit, in schismatis est postea lapsus errorem, dicitur ordinatus fuisse. Unde quoniam de tempore suæ ordinationis certitudinem non habe-
(*c*) mus, dilecto filio nostro Metensi (*c*) electo per scripta nostra mandavimus, ut quo tempore, scilicet an dum præfatus episcopus catholicus fuit, an ex quo in schisma lapsus, excommunicationis meruit vinculo innodari, sive post absolutionem illius, memoratus Johannes per eum sacerdotii gradum susceperit, veritatem diligenter & studiose inquirat, & quidquid inde poterit invenire, tibi E fuis litteris celeriter studeat intimare. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per literas ejusdem electi hujus rei veritate plenius comperta, si tibi certum fuerit, quod ab episcopo prædicto dum catholicus esset, vel post absolutionem memoratus Johannes ordinatus fuisset, eum misericorditer ad prælibatam ecclesiam in officio sacerdotali recipias: alioquin ipsum in ordine ab eo suscepto nullo modo ministrare permittas. Data Beneventi septimo Kalendas Februarii.

(*a*) Aveniacum Gallice *Avenai* insigne virginum monasterium ordinis S. Benedicti quinto ab urbe Remensi milliari dissitum.

(*b*) Hic obrepsit Amanuensium error, nam in serie episcoporum Metensium nullus reperitur, cujus nomen a littera O. incipiat. Sedebat autem, tunc Stephanus, qui ecclesiam Metensem ab anno 1120. ad 1163. rexit. Hunc Meurisius episcopus Madaurensis in historia episcoporum Metensium, & VVasseburgus in hist. Vird. asserunt, adhæsisse quidem Friderico imperatori, sed non animo schismatico. Verum ex hac epistola falsi redarguuntur. Siquidem Stephanus propter schisma fuit excommunicatus, & postea resipiscens ad hoc vinculo solutus.

(*c*) Theodericus Barrensis ex primicerio electus anno 1164. sed non consecratus fuit.

(*d*) Flaiacense seu Flaviacense monasterium à S. Geremaro abbate & fundatore *S. Germer* vulgo appellatum quatuor horis a Bellovaco distans.

EPISTOLA CLXXVI. ABBATI Flaviacensi.

Ut obedientiam Bartholomæo episcopo Belvacensi exhibeat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio (*d*) Flaviacensi (*d*) abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram, venerabili fratre nostro B. Belvacensi episcopo conquerente, pervenit, quod cum ecclesia tibi commissa infra terminos suæ parrochiæ sit constituta, eidem episcopo debitam obedientiam & C subjectionem exhibere contemnis, nullam aliam rationem prætendens, nisi quod venerabilis frater noster Remensis archiepiscopus te ab ejus jurisdictione subtraxit: quod quia vix de tanto viro credere possumus, cum eidem archiepiscopo non licuerit, id sine Romani pontificis auctoritate fecisse. Nos autem eidem episcopo sicut venerabili fratri nostro sua jura integra volentes & illibata servare, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si ecclesia tua infra parrochiam Belvacensis ecclesiæ est constituta, D nec auctoritate Romani pontificis ab ejus jurisdictione subtracta, præfato episcopo debitam obedientiam & reverentiam sine contradictione aliqua exhibeas, nisi forte alias adversus eam ecclesiam tuam possessione longi temporis præscripsisset. Data Beneventi IV. nonas Februarii.

EPISTOLA CLXXVII.

Pro P. adolescente.

ALEXANDER episcopus, &c.

Decet nos operibus pietatis intendere, & his qui beneficii nostri subsidium postulant, & necessitatis inopia laborant, opem &

auxilium conferre, & manu sollicitudinis subvenire. Hac itaque consideratione inducti, pro P. adolescente bonæ indolis caritatem vestram attente rogamus atque monemus, quatinus divini amoris intuitu & pro reverentia beati Petri ac nostra, victum & vestitum, quousque Dominus ei melius in aliquo loco provideric, misericorditer & caritative tribuatis: ita quod exinde ab omnipotenti Domino præmium possitis perhenne percipere, & a nobis uberes gratias expectare. Data Beneventi non. Februarii.

EPISTOLA CLXXVIII.

Pro abbate sanctæ Mariæ Virtuensis.

ALEXANDER episcopus, &c.

(a) Dilecti filii nostri J. sanctæ Mariæ (a) Virtuensis abbatis de quibusdam gravaminibus ecclesiæ suæ illatis querelas nuper accepimus, quas tanto & ejus fine debito volumus terminari, quanto & ecclesia majori paupertate laborat, & abbas ecclesiæ negotia minus potest pro imbecillitate virium sustinere. Questus est enim quod Man. presbyter ecclesiam de Alvesiolo a bonæ
(b) memoriæ (b) B. Catalaunensi quondam episcopo ecclesiæ Virtuensi concessam violenter ei præsumsit auferre, & de restitutione conventus ad appellationis diffugium se dicitur contulisse, sed nec per se, nec per alium præsentiam suam nobis exhibere curavit. Ab Eur. etiam de Colonio decimas laborum suorum & annuum censum domus suæ & a R. de Colonio & fratribus ejus terras ad jus ejusdem ecclesiæ pertinentes conquiritur injuste teneri. G. præterea de Bergeriis in molendino apud Clamangiam duodecim annonæ sextarios eidem præsumit auferre, & sæpe commonitus reddere contradicit. Unde quia plurimum de vestra discretione confidimus, & præfatus abbas non parum indiget ecclesiæ præsidio confoveri, per præsentia vobis scripta mandamus, quatinus supradictos viros, & partem ejusdem abbatis ante præsentiam vestram convocetis, & querela ecclesiæ ac rationibus partium inquisitis diligenter & cognitis, ita eis finem debitum imponatis, ut prænominatus abbas laborare diutius pro defectu justitiæ non cogatur. Si autem illi, aut copiam sui facere; aut judicio vestro stare contemserint, censura eos ecclesiastica compellatis, episcopo eorum ex parte nostra denuntiantes, ut latam in eos sententiam usque ad dignam satisfactionem faciat observari. Porrò quia supra nominatus M. presbyter appellationem suam, ut dicitur prosequi non curavit, causam illam, si hoc ita constiterit, appellatione remota, terminari mandamus. Data Beneventi quinto idus Februarii.

(a) B. Mariæ abbatia Virtuensis est canonicorum regularium ordinis S. Augustini, præter quam ibidem extat & alia S. Salvatoris ordinis S. Benedicti.
(b) Bosone.

EPISTOLA CLXXIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro censu Romanæ ecclesiæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam ecclesiæ multæ in provincia tua sitæ beato Petro & nobis censuales existunt, de quibus debitum censum longo tempore jam elapso nos vel antecessores non meminimus recepisse; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præscriptas ecclesias cum a dicto filio nostro fratre *Rostaim* fueris requisitus, per litteras & nuntium tuum sollicites, & ipsas debitum nobis censum jam dicto R. assignare compellas, ecclesiarum autem nomina inferius duximus annotanda. Ecclesia sancti Nicolai de Insula de *Lours* decem solidos illius monetæ, & aliæ multæ quarum nomina non habemus expressa, de quibus tuæ discretioni injungimus, ut easdem debitum nobis censum præfato R. secundum diminutionem exsolvere moneas diligentius & compellas. Data Beneventi tertio idus Februarii.

EPISTOLA CLXXX. HENRICO Remensi archiepiscopo & Hugoni episcopo Suessionensi.

Pro pace Ludovici regis Franciæ & Henrici regis Angliæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remensi archiepiscopo, & HUGONI Suessionensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam dilecti filii nostri W. tituli sancti Petri ad Vincula presbyter & O. sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis in partibus ultramontanis diutinam moram fecerunt, spem & fiduciam non modicam habuimus, quod carissimi in Christo filii nostri LUDOVICUS & HENRICUS illustres Francorum & Anglorum reges per studium & diligentiam eorum ac vestram, nec non & per alios religiosos viros reconciliari deberent, & inter se pacem & concordiam firmam habere. Unde quoniam spe & desiderio nostro su-

mus in hac parte, unde dolemus, fruſtrati, & quanta toti Chriſtianitati & Orientali eccleſiæ, maxime pro illorum diſcordia, jugiter detrimenta proveniant, veſtra induſtria nequaquam ignorat, cum id univerſorum pateat cognitioni. Ideoque fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus ad pacem inter illos & concordiam reformandam per vos & alios religioſos viros, quos ad hoc idoneos cognoveritis, totis viribus intendatis, & ſemel ac ſæpius modis omnibus laboretis, ut per hoc utriuſque regni populo, qui in hac turbatione crudeliter ſatis tractatur, poſſitis cooperante Domino utili proviſione conſulere, & in conſpectu Dei dignum inde præmium, & coram hominibus laudem & gloriam non modicam reportare: nos quoque ſollicitudinem & diligentiam veſtram teneamur propter hoc multimodis in Domino commendare. Licet autem in hoc ſemel & iterum repulſam paſſi fueritis, non tamen vos propterea aliquatenus deſiſtere volumus, ſed id frequentius iterare. Data Beneventi tertio idus Februarii.

EPISTOLA CXXXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro comite Sueſſionenſi ſuper menſuras vini.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Noverit induſtria tua, nos dilectis filiis noſtris decano & canonicis Sueſſionenſibus in mandatis dediſſe, ut cum dilecto filio noſtro nobili viro comite Sueſſionenſi de querela, quam ſecum ſuper menſuris vini Sueſſionenſis civitatis habuerunt, amicabiliter pacificeque conveniant, vel coram te exinde ordine judiciario expediantur. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus prædictos decanum & canonicos diligenter ammoneas, & diſtricte compellas, quod cum præfato comite de cauſa quæ inter eos vertitur amicabilem faciant compoſitionem, aut ſecum exinde in præſentia tua infra quadraginta dies poſt harum ſuſceptionem ordine judiciario expediantur, tu vero cauſam diligentius audias, & eam juſtitia mediante decidas. Data Beneventi tertio idus Februarii.

EPISTOLA CLXXXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Roberto clerico.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex diligenti narratione Roberti clerici præſentium latoris accepimus, quod cum Hu. quondam eccleſiæ tuæ archidiaconus, matrem ſuam ſicut ancillam haberet, eamdem pro animæ ſuæ remedio manumiſit, & eam ſicut liberam ſub dominio Novigienſis monaſterii cum heredibus ſuis perpetuo permanere conceſſit. Unde quoniam ejuſdem loci prior eam, ut audivimus, in ſervitutem conatur redigere, & tanquam ancillam in poteſtatem laicam alienare, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus rei veritatem diligenter inquiras, & ſi Roberti præfati matrem taliter manumiſſam fuiſſe conſtiterit, ipſam in ſervitutem redigi nullo modo permittas, ſed ipſam, omni contradictione & appellatione ſublata, ita liberam cum heredibus ſuis facias permanere, ſicut a prænominato Hu. noſcitur inſtitutum fuiſſe. Data Beneventi duodecimo Kalendas Martii.

EPISTOLA CLXXXIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Ricardo presbytero.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex litteris venerabilis fratris noſtri Hu. Sueſſionenſis epiſcopi & religioſarum perſonarum accepimus, quod ad repræſentationem prioris ſancti Remigii de Brana, conſentiente abbate ſancti (a) Evodii, Ricardum preſbyterum in eccleſia de Algeco & Cerſolio idem epiſcopus inſtituit, & ei curam animarum commiſit. Quod cum Albertum preſbyterum, innotuiſſet, qui jam dictæ capellæ, propter multa quæ a parrochianis illius eccleſiæ ſibi impoſita fuerant, in præſentia tua dicitur abrenuntiaſſe, ad præſentiam noſtram accedens, ſuper eadem eccleſia noſtræ confirmationis litteras impetravit. Quod audiens Richardus apud epiſcopum contra eum gravem depoſuit querelam; quem cum epiſcopus jam dicto Ricardo ante ſuam vocaſſet præſentiam reſponſurum, ipſe epiſcopi vocatione contempta, ad tuam audientiam appellavit. Cumque uterque in tuo eſſet examine conſtitutus, & ille coram te noſtras litteras in medio produxiſſet, tu litteris deferens huic cauſæ ſuperſediſti, unde quoniam litteræ, quos contra juſtitiam & per ſubreptionem impetravit, nullam debent firmitatem habere; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus ſi legitime tibi conſtiterit, quod prædictus A. in

(a) S. Evodii abbatia Branenſis ordinis Præmonſtratenſis in diœceſi Sueſſionenſi.

capellæ

capellæ præfcripta non fuiſſet epiſcopo præ- A ſentatus, vel in præſentia tua ipſi capellæ abrenuntiaſſet, & prænominatus Ricardus eamdem poſtmodum capellam canonice obtinuiſſet, niſi poſtea commiſerit propter quod eam debeat de jure amittere, ipſam ei, omni occaſione & appellatione ceſſante, in pace facias & quiete dimitti: ita quod litteræ noſtræ ipſi nullum debeant inferre præjudicium, nec alteri favorem parare. Si qua vero de rebus ipſius eccleſiæ ſæpedictus A. per violentiam occupavit, ea memorato Ricardo præcipias reddi; beneficia quoque quæ de eadem eccleſia poſt ejuſdem Ricardi appellationem memoratus A. percepit, B eidem Ricardo dilatione & appellatione ceſſante reſtitui facias, & de damnis & injuriis illatis ſatisfactionem congruam exhiberi, præſertim ſi appellationem a prædicto Ricardo, ad nos factam idem A. non eſt proſecutus. Data Beneventi quinto Kalendas Martii.

EPISTOLA CLXXXIV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Amelio de Albiniaco.

C

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex relatione Amelii de Albiniaco ad aures noſtras pervenit, quod cum inter eum & Johannem de *Malecicurt*, ſuper quibuſdam poſſeſſionibus in præſentia tua de mandato noſtro controverſia verteretur, tu auditis hinc inde rationibus diligenter & D cognitis, pro ſupradicto Amelio contra Johannem ſententiam protuliſti, & ipſi Amelio poſſeſſiones præſcriptas reſtitui adjudicaſti. Præfatum vero Johannem quoniam ſententiæ parere neglexit, excommunicationis vinculo innodaſti. Unde quoniam rei judicatæ ſtandum eſſe juris decrevit auctoritas, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi res ita ſe habet, nec ſententia illa fuit per appellationem ſuſpenſa, memoratum Johannem donec ſupradicto Amelio congrue ſatisfaciat, nulla ratione abſolvas, vel ab alio permittas abſolE vi, ſed ſi nec ſic reſipuerit, terram ejus ſubjicias interdicto. Data Beneventi ſecundo Kalendas Martii.

EPISTOLA CLXXXV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Petro Judæo.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad nos Petrus, olim Judæus, nunc autem Chriſtianus, ſupplici nobis relatione monſtravit, quod abbatiſſa beati Petri Remenſis, quæ ipſum de ſacro fonte ſuſcepit, aſſenſu totius capituli unam ſibi refectorii ſui præbendam aſſignavit, cumque eam diu in pace percepiſſet, tu ipſam ei abſtuliſti. Unde quia illi, qui poſtpoſito Judaiſmo ad legem noſtram convertuntur, humane ac benigne ſunt pertractandi, propterea quod facile deſperant; fraternitatem tuam monemus atque mandamus, quatinus prædicto Petro præſcriptam præbendam reſtitui facias & in pace dimitti, aut ſi propter juſtam cauſam ei beneficium, ſicut credimus, ſubtraxiſti, in alio æquivalente ita illi provideas, ne propter inopiam & ſubtractionem humani ſubſidii cogatur legem noſtram dimittere, & ad ſuam, tamquam canis ad vomitum, remeare. Data Beneventi non. Martii.

EPISTOLA CLXXXVI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Dominico & Haimardo ſociis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum inter Dominicum & Hemardum ſocios, & inter Theodericum & Haidericum filium ejus ſuper pecunia viginti librarum, quas iidem T. & Ha. ſibi a jam dictis Dominico & Hemardo deberi dicebant, in noſtra præſentia jam pridem controverſia verteretur. Nos cauſam illam venerabili fratri noſtro R. Ferentinati epiſcopo commiſimus cognoſcendam. Ipſe autem, auditis rationibus hinc inde diligenter & cognitis, amicabilem inter eos ſtatuit compoſitionem, ſicut ex litteris noſtris exinde factis tibi evidentius innoteſcet. Unde quoniam præfatus T. & filius ejus contra tranſactionis tenorem ſcripto noſtro firmatum venire, ſicut audivimus, non formidant; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandaE mus, quatenus eoſdem moneas diligentius, & ſub anathematis diſtrictione compellas, ut compoſitionem illam, quemadmodum utriuſque partis eſt, fideli interpoſitione firmata, & prout in litteris noſtris exinde factis noſcitur contineri, firmam & inconcuſſam obſervent, nec contra eam de cetero venire præſumant. Volumus autem & mandamus, ut in his exequendis te ita diligentem exhibeas, quod ſupradicti Dominicus & Hemardus ad noſtram propter hoc præſentiam de cetero non cogantur venire. Data Beneventi quinto idus Martii.

EPISTOLA CLXXXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Hugone serviente.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significatum est nobis, quod cum inter militem quemdam & Hugonem servientem coram venerabili fratre nostro Laudunensi episcopo controversia quædam tractari deberet, & idem Hugo militi satisfacere nollet, aut coram episcopo justitiæ stare, sententiam excommunicationis incurrit. Demum vero cum crucem Dominicam suscepisset, Jerosolymam profecturus, ad nostram, sicut audivimus, præsentiam venit, & præstito juramento quod nostro super his, pro quibus excommunicatus fuit, staret mandato, absolutionem promeruit, de qua cum, sicut dicit, nostras litteras impetrasset, eas per quemdam nuntium suum ad partes illas remisit, quas idem nuntius, dum præfatus Hugo in Jerosolymitano itinere moraretur, in veniendo dicitur amisisse. Unde quoniam nobis horum veritas ignota prorsus existit, cum homines simus, nec omnium memoriam possumus habere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus rei seriem diligenter inquiras, & si memoratus Hugo per aliquos qui cum eo coram nobis fuerunt, se per nos absolutum fuisse possit legitime comprobare, ipsum pro absoluto habeas, & ab aliis facias pro absoluto teneri, dummodo coram te super causa præscripta juris velit æquitati parere. Deinde vero causam audias, & eam, appellatione remota, justitia mediante, decidas. Si autem tibi de absolutione sua plenam fidem facere nequeat, recepto ab eo juramento, quod sub examine tuo super his de quibus excommunicatus fuit justitiæ stabit, eumdem a sententia qua tenetur sine banno absolvas, & deinde causam inter eum & militem ortam sine appellationis remedio studeas terminare. Data Beneventi quarto idus Martii.

EPISTOLA CLXXXVIII. HENRICI Remensis archiepiscopi, ad episcopos & cardinales Romanæ ecclesiæ.

Pro Drogone cancellario.

REverendis in Christo patribus episcopis & cardinalibus sanctæ Romanæ ecclesiæ filiis, HENRICUS Remorum dictus archiepiscopus, salutem & reverentiam.

A Non sine admiratione multa & animi concussione recenseo, quod apud vos nec gratiam meretur obsequium, nec amor vicissitudinem, nec humilitas adjumentum. Si vos in summo rerum cardine divina miseratio collocavit, non sibi contraria, sed voluntati suæ similia quærit a suis professoribus exerceri. Ipse qui dicit: *Ego diligentès me diligo*, a servo suo dictum recipit. *Tu autem, Domine Sabahot, omnia cum tranquillitate judicas & cum magna reverentia disponis nos.* Si vestræ condescendit abjectioni divina dignatio, si dilectionis, B tranquillitatis & reverentiæ munus æterna majestas exhibet hominum servituti, quid homo debet referre homini, qui non utique servus, sed conservus est sub imperio conditoris? adorari se prohibet angelus ab apostolo, nec attendit conditionem carnis, sed sui ipsius dominantis arbitrium, nec honorem suscipiens apostolus tumescit, nec erubescit angelus hominem revereri, qui genus humanum noverat Domini sui sanguine reparatum. Locum ejus tenetis, vices agere debetis, & figuram similitudinis imitari, si vobis non necessitatis articulo, C sed divinæ vocis imperio subservimus, non debemus gratiam promereri: at cultoribus suis refert Dominus gratiam pro gratia, & dilectores suos multiplici suffragio consolatur. Nos pro servitio reportamus offensam, pro beneficiis jurgia, dissensiones pro pace, pro dilectione molestiam. Quod fovemus opprimitis, quod adversamur assumitis, & sic in vacuum cedit nostra devotio, quam vobis constanter tempore necessitatis exhibuimus, non verbo neque lingua, sed opere & veritate dat D omnibus affluenter divina bonitas, & nulli improperat, nec nos obsequia nostra vobis ad improperium replicamus, sed de fructu operum nostrorum volumus justa vicissitudine satiari. Sat est dictum sapientibus. Quidquid enorme est complanat secuta correctio. Agite igitur quod debetis & si quid sumus in oculis vestris, si quid possumus apud vos, si quid de vobis bene meruimus, sentiat vestræ dilectionis efficaciam dilectus & familiaris noster DROCO Noviomensis cancellarius, quem dominus papa, sicut placuit, non sicut credimus E ut decuit, duro sententiæ suæ destituere videtur elogio, cujus molestia nos immerito tangit & angit erubescentia, quam sine præjacenti culpa creditur sustinere.

EPISTOLA CXXXIX. HENRICI archiepiscopi Remensis ad Alexandrum papam.

Pro Drogone cancellario Noviomensi.

REverendo in Christo patri & Domino ALEXANDRO Dei gratia summo

pontifici, HENRICUS Remensis dictus A archiepiscopus, salutem & reverentiam.

Nullus est homini justior dolor, quam beneficii sui perdere diligentiam, nec dilectoris animum gravior potest incursare molestia, quam si pro gratiæ merito titulus reportetur offensæ. Miror & mirari satis non sufficit animus meus, quid occasionis intervenit, quid accidit meriti mei, quid operis intercedit, ut Moysi manus sentiam graves, & affectum patris non qualem merui repræsentet effectus. Quod enim fovere desidero vestra decolorat auctoritas, & quibus de rigore justitiæ adversor, ve- B stra benevolentia sublevat in profectum. Audiunt inimici mei & vestri opus vestrum & rancorem meum, & lætantur, quoniam vos fecistis. Non est affectus filialis apud animum patris occultare quod doleat, sed de planta tristitiæ fructum quærere gaudiorum. Duo fecistis opera, quæ miror, nec minus vicem vestram quam meam doleo in illis. Inutilitatem, ne dicam gravius, Attrebatensis illius promovetis in publicum, in quo & ecclesia illa turbatur, confunditur justitiæ rigor, ecclesiastica prædia dissipantur. Noviomensis ecclesiæ cancellarium vi- C rum, ut credo, honestatis & religionis amatorem, & meum familiarem, non citatum, non auditum, non convictum canonice, nec de propria confessione reum, a gradu suo, sicut accepi, removere intenditis. Cui plurimum apud vos sancti pontificis meritum & constitutio debuit suffragari, qui tantum in eo spei fideique reposuit, ut ei cum personatu curam animarum sine scrupulo conscientiæ commendaret. In quo stupor apprehendit omnes, & aures tinniunt audientium, D cum tam diversa meritorum reportent stipendia, inutilitas auxilium; & religio dejectionem. Est aliud præterea quo gravius uritur & urgetur animus meus, quod non sereno vultu scripta mea recipitis, nec apud vos finem sortiuntur acceptum. De regularibus autem clericis cum teneat communis usus ecclesiæ, ut archidiaconi vices agant in episcopatibus, vel parrochiales curas obtineant, de prædicto fratre nostro Noviomensi cancellario non sine gravi cordis scrupulo sustineo, quod cum sic arbitrii vestri sententia debeat prædamnari, maxime cum preces meas pro eo susceperitis, & E commendationem dignam gratia sine gratia remitti non meruerim. Hoc præterea vobis annuntio, quidquid alii dixerint, quum in ejus promotione & communis assensus canonicorum affuit, & nullam audivi sonuisse contradictionem.

EPISTOLA CXC. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Drogone Hamensi canonico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Devotionis & sinceritatis tuæ litteras, quas nobis pro dilecto filio nostro Drogone Hamensi canonico transmisisti, benigna mentis affectione suscepimus, & eas curavimus diligenter audire. Verum super negotio illo, de quo nos rogasti, nihil aliud tuæ prudentiæ respondemus, nisi quod bonæ memoriæ B. quondam Noviomensi episcopo nos exinde jam primum meminimus respondisse, si nuntii ejus litteras nostras ad eum voluerint deferre. Licet enim regulares viros ad prælationes ecclesiasticas assumtos fuisse persæpe viderimus, numquam tamen legimus vel aliquando audivimus, quod de regulari canonico quisquam fuerit C secularis effectus. Quare si precibus tuis in hac parte non acquievimus, quoniam salva ecclesiæ honestate id non potuimus efficere, grave non debes vel molestum habere, aut inde quoque minus turbari, cum scriptum sit, quod nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, regno Dei aptus existit, & uxor Loth quæ respexit, in salem ut condiat legitur conversa fuisse. Tu vero, præfatum Drogonem diligentius exhorteris, & omnino inducas, ut ad claD strum suum celerius revertatur, & ibidem secundum professionem suam humiliter studeat Domino deservire. Non enim nobis minus grave, quam tibi existit, quod preces tuas sicut vellemus, salva conscientia nostra, in hac parte non possumus exaudire. Data Beneventi secundo idus Martii.

EPISTOLA CXCI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro G. sacerdote.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. E

Conquestus est nobis G. sacerdos præsentium lator, quod W. de Carten. sibi septuaginta quinque solidos tenetur exsolvere, quos sibi reddere contradicit. Unde cum inter eos super hoc & de damnis quibusdam, quæ sibi jam dictus G. per præfatum W. illata fuisse proponit, controversia verteretur, idem G. ad nostram audientiam appellavit. Quocirca fraternitati

tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum Ψ. moneas diligentius & districte compellas, quod prætato G. pecuniam prætaxatam sine dilatione aliqua cum integritate persolvat, de damnis illatis plenarie satisfaciat, vel eidem sub examine tuo plenam inde justitiam, appellatione remota, non differat exhibere. Data Beneventi secundo idus Martii.

EPISTOLA CXCII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Johanne canonico Laudunensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Nihil est quod episcopali magis congruat honestati, quam jus & æquitatem diligere, & per injuriam gravatis in sua justitia subvenire. Hac siquidem consideratione inducti, & de prudentia tua omnino confisi, discretionem tuam per apostolica scripta rogamus atque monemus, quatenus Johannem clericum, & ecclesiæ Laudunensis canonicum, ab adversariis contra justitiam exheredari, vel res ejus ab eis per violentiam occupari, nulla ratione permittas, sed cum interventu nostro, & amore justitiæ, in jure suo manuteneas, & illud sibi tua protectione conserves. Data Beneventi id. Martii.

EPISTOLA CXCIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Ha. sacerdote.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos Ha. sacerdos præsentium lator, in sua nobis confessione ostendit, quod cum jam pridem lapsu carnis peccasset, S. prædecessor tuus ipsum officio & beneficio suo privavit. Tu vero misericordia motus officium sibi sacerdotale, sicut asserit, reddidisti, sed de beneficio nullam eidem indulgentiam hactenus facere voluisti, licet aliud beneficium non habeat unde vitæ sustentationem valeat percipere. Unde quoniam de beneficio potius quam de officio misericorditer secum esset agendum, præsertim cum multi beneficium possint de jure percipere, nec tamen officii sacerdotalis administrationem habere; fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus atque monemus, quatinus memorato Ha. in aliquo beneficio præterquam in ecclesia illa quam prius habebat, divini amoris intuitu, & pro reverentia beati Petri ac nostra; necnon & ex tui officii debito studeas providere, unde necessaria vitæ possit competenter percipere, & in ordine suo Domino fideliter deservire, nos quoque sollicitudinem tuam teneamus exinde plurimum commendare, & hoc gratum acceptumque tenere. Data Beneventi decimo sexto Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CXCIV. MORINENSI episcopo & abbati sancti Quintini de Monte.

Ut audiant causam inter Humolariensem, & de Ribemonte abbates, & abbatissam de Monasteriolo & militem de Brenoth.

ALEXANDER (*a*) Morinensi episcopo & abbati (*b*) S. Quintini de Monte.

Cum inter dilectos filios nostros R. (*c*) S. Nicolai de Ribemonte & P. (*d*) Humolariensem abbates, & de (*e*) Monasteriolo abbatissam, & G. militem de *Brenoth*, de nemore quodam causa diutius ventilata fuisset, ad nostram tandem fuit audientiam per appellationem delata; postremo autem tam priore S. Nicolai, quam responsalibus adversæ partis in nostra præsentia constitutis, cum quisque assereret præscriptum nemus ad suum jus pertinere, & idem prior causam ipsam, mediante dilecto filio nostro Odone S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, compositione interveniente, decisam fuisse constanter asseveraret; altera pars compositionem non fuisse factam de assensu prædictarum ecclesiarum & militis proposuit. Adjecit insuper quod ab eadem compositione fuerit resilitum, & postea prædictus abbas S. Nicolai præscriptum nemus tenuit ad censum, licet prior, qui pro eo venerat id omnino diffiteretur. Unde quia nec super his quæ hinc inde allegabantur, nec de meritis causæ nos poterant ad plenum certificare, nos decisioni ipsius negotii supersedentes, ipsum experientiæ vestræ committimus audiendum, & appellatione remota fine congruo terminandum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus in unum

(*a*) Morinum seu Tervana haud ignobilis civitas episcopalis ad Legiam fluvium, sub metropoli Remensi, cujus sedes, eversa a Carolo V. civitate, Boloniam translata est.

(*b*) S. Quintini de Monte prope Petronam monasterium ordinis S. Benedicti sub congregatione S. Mauri.

(*c*) S. Nicolai de Ribemonte seu Ribodimonte, monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Laudunensi.

(*d*) Humolariense primum virginum, deinde monachorum ordinis S. Benedicti monasterium in diœcesi Noviomensi, haud procul ab Augusta Viromanduorum.

(*e*) Monasteriolum, virginum cœnobium ordinis Cisterciensis ad radicem montis Laudani.

pariter convenientes, & partes ante præ- A sentiam vestram convocantes, inter eos pacifice & amicabiliter componere studeatis. Quod si hoc fieri non poterit, rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, eamdem causam, appellatione cessante, justitia terminetis. Si vero compositionem quæ mediante prædicto cardinali facta dicitur, aut arbitrium ab eodem cardinali post compromissionem in eum factam prolatum abbas forte S. Nicolai prætenderit, nolumus quod justitiæ alterius partis, nisi rationabiliter constiterit, quod de communi compromissione partium prolatum, aliquod debeat præ- B judicium generare. Si autem compositio de beneplacito & voluntate eorumdem trium capitulorum, & ejusdem militis facta fuit, seu arbitrium de communi compromissione partium prolatum, aut etiam compositio postea a partibus extitit rata, volumus ut compositio seu arbitrium debeat stare. Si vero huic rei ambo interesse non poteritis, alter vestrum non minus negotium ipsum, ut prædictum est, exsequatur. Data Beneventi XVI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CXCV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut compellat S. Ursmari & Antonienses canonicos dimittere omnes fornicarias. Eos vero qui infra ordinem subdiaconatus sunt & habent conjuges, adhærere conjugibus. Illos autem qui in eo sunt & supra adhærere ecclesiis & dimittere uxores.

ALEXANDER episcopus, servus ser- C vorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos quod S. Ursmari & Antonienses canonici, qui prælationi Lobiensis ecclesiæ subesse noscuntur, enormiter & dissolute viventes, fornicarias in propriis domiciliis tenere præsumunt, & quidam eorum, sicut audivimus, matrimonia contraxerunt. Unde quoniam hoc SS. Patrum institutionibus noscitur omnimodis obviare, ut hi qui aliis exemplum boni præbere debebant, male vivendo pravis operibus ad illicita provocent; discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus universos, qui fornicarias tenere nos- E cuntur; aut beneficiis ecclesiasticis cedere, aut eas prorsus dimittere districtius compellas. Eos vero qui infra ordines subdiaconatus existunt & conjuges habent, uxoribus adhærere, & ecclesiasticis beneficiis penitus carere facias. Si autem ad subdiaconatum vel majorem ordinem sunt promoti; & aliquam sibi contubernio ausi sunt copulare, tu ipsos ab hujusmodi copula prorsus discedere, & in ecclesiis suis omnipotenti Domino fideliter deservire, omni cum districtione cogas. De cetero Lambertum clericum S. Ursmari canonicum, qui dilectum filium nostrum (a) J. Lobiensis ec- (a) clesiæ abbatem injuste fatigans ad nostram appellavit audientiam. . . .

EPISTOLA CXCVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro abbate sancti Martini Landunensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum (b) sancti Martini di- (b) recta nuper ad nos relatione pervenit, quod E. sacerdos de Monte Bunoldi & Hu. de *VVarch*, decimas ab eis contra justitiam exigunt, & G. de *Chamelsi* pro pasturis quibusdam eos graviter & injuste fatigat, pro quibus utique controversiis, nos illos ad præsentiam venerabilium fratrum nostrorum Ambianensis & Noviomensis episcoporum volumus convenire, ut sub eorum judicio negotia ista finem debitum sortiantur. Per apostolica itaque scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus eosdem viros ad vocationem illorum accedere, ac judicium illorum suscipere omni cum districtione compellas, & taliter in illorum malitia cohibenda pontificatus officii auctoritatem exerceas, ut jam dicti fratres per in- D stantiam tuam de justitiæ suæ possint conservatione gaudere, & tua fraternitas de pace religiosis fratribus procurata, commendationem debeat invenire. Data Beneventi decimo tertio Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CXCVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro VVillelmo Suessionensi decano.

ALEXANDER episcopus, servus ser- E vorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remorum archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster Willelmus Suessionensis decanus nobis studiose proposuit, & idipsum quædam litteræ bonæ memoriæ ADRIANI papæ prædecessoris nostri co-

(a) Johannem, qui anno 1159. Franconi successit præfuitque annis viginti, ad annum scilicet 1179. quo abbatiam dimisit.

(b) S. Martini ecclesia olim in suburbio Landunensi, nunc infra urbis mœnia primum clericorum, deinde regularium, tandem anno 1124 agente præsertim Bartholomæo episcopo ad Præmonstratenses transiit.

gnitioni noſtræ plenius infuderunt, quod cum frater noſter HUGO epiſcopus Sueſſionenſis eccleſiæ ad eamdem vocatus & electus fuiſſet, jam dictus anteceſſor noſter præfati decanatus redditus tenues eſſe conſiderans, præbendam quam electus habuerat, memorato decano conceſſit, & eum exinde inveſtivit, ita quidem quod ad officium decanatus præbenda illa in poſterum ſpectare deberet. Mandavit itaque tam electo prædicto, quam Sueſſionenſis eccleſiæ capitulo, ut conceſſionem illam ratam habentes, nec contra illam venire, nec eam ullo tempore præſumerent perturbare. Unde quoniam prælibatus epiſcopus id, ſicut audivimus, nullatenus adimplevit; ſed præbendam contra hoc non dubitavit transferre, eidem per ſcripta noſtra præcepimus, ut præfato decano præbendam illam, quam ad manus ſuas tenet, quæ fuit Theobaldi de Veteri-foro, omni contradictione & appellatione ceſſante, aſſignet, & ipſum eamdem permittat in pace tenere, ita quidem quod ad decanatu officium debeat de cetero juxta prædicti anteceſſoris noſtri ſtatutum ſpectare. Quod ſi epiſcopus noſtrum in hac parte præceptum exequi forte contemſerit, tu id, omni dilatione & appellatione remota, diligentius exſequi non omittas. Data Beneventi undecimo Kalendas Aprilis.

EPIST. CXCVIII. SUESSIONENSI epiſcopo.

Pro eodem Willelmo decano.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Sueſſionenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex relatione dilecti filii noſtri Willelmi eccleſiæ tuæ decani, & ex tenore quarumdam litterarum bonæ memoriæ ADRIANI papæ prædeceſſoris noſtri accepimus, quod cum tu ad eccleſiam jam dictam electus & vocatus fuiſſes, præbendam, quam in ea tenebas, eidem decano conceſſit, & eum exinde inveſtivit, adjiciens quod præbenda illa ex tunc ad decanatus officium pertineret. Quoniam igitur præfatum decanum præbenda præſcripta juxta prædeceſſoris noſtri & benefactoris tui ſtatutum atque mandatum habere, ſicut audivimus, nullatenus permiſiſti, ſed eam in alium pro tuo beneplacito non dubitaſti conferre, cum non deceret te contra Romanæ eccleſiæ ſtatuta ita recenter veniſſe, a qua tantum beneficium in continenti receperis, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus memorato decano præbendam illam, quam ad manus tuas tenere dinoſceris, & quam T. de Veteri foro tenebat, ſine dilatione, omni occaſione & appellatione ceſſante, aſſignes, & in pace poſſidere permittas, ita quod eadem præbenda, juxta quod prænominatus anteceſſor inſtituit, ad decanatus officium debeat de cetero pertinere. Si autem diſtuleris hæc adimplere, noveris nos venerabili fratri noſtro HENRICO Remorum archiepiſcopo in mandatis dediſſe, ut ea quæ prædiximus, omni dilatione & appellatione remota, plenius exequatur.

EPISTOLA CXCIX. CAPITULI Sueſſionenſis, ad Henricum Remenſem archiepiſcopum.

Pro cantore Sueſſionenſi.

REverendo domno & patri HENRICO, Dei gratia Remorum archiepiſcopo, univerſum Sueſſionenſis eccleſiæ capitulum, ſalutem & cum debita reverentia devotionem.

Notum ſit veſtræ ſanctitati, quod R. cantor noſter & quatuor fratres noſtri cum eo a nobis miſſi Pariſius, in domo regia epiſcopum noſtrum regis placita ibi tenentem invenerunt, & coram multitudine tam militum quam aliorum hominum, litterarum Domini papæ plura paria ei porrexerunt, exponentes continentiam ſingularum, omnibus qui aderant audientibus & intelligentibus, cum eas ipſe totas legere nollet. Sero autem facto prædicti fratres venientes ad eum ad ſanctum Victorem, quæſierunt ab eo reſponſum ſuper mandato, quod erat de præbenda decano aſſignata, cum illas legiſſet litteras quæ illud mandatum continebant, aliud ab eo non potuerunt extorquere reſponſum, niſi quod in proximo miſſurus eſſet nuntium ad dominum papam, per quem ei ſub illo & aliis mandatis debita reſponſurus eſſet.

EPISTOLA CC. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Alberto ſacerdote.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Lator præſentium Albertus ſacerdos, non ſine labore ad nos rediens, ſupplici nobis conqueſtione monſtravit, quod preſbyter de Baſauchis & Caſtellana & filius ejus Nicolaus, matrem illius redditus ſuos quærentem, & ad te propter hoc recurrentem, auſu temerario incarceraverunt, & ipſam diutius detinuerunt: ita quod occaſione illa redditus ſuos amiſit. Unde quoniam nulla ratione pati volumus vel debemus, ut hi qui ſacro ſanctam Romanam eccleſiam vi-

ficant, rerum suarum dispendium sustineant vel jacturam; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus tam presbyterum, quam Castellanam & filium suum instanter moneas & districte compellas, ut prædicto presbytero de injuriis irrogatis satisfaciant, & illata damna refarciant, vel sub tuæ discretionis examine plenam exinde sibi justitiam, appellatione remota, exhibeant. Si autem commenitioni tuæ parere noluerint, eos ecclesiastica animadversione percellas. Illos vero qui prædicti sacerdotis redditus perceperunt, eosdem ipsi reddere, vel coram justitiam exhibere, omni appellatione cessante, constringas. Data Beneventi undecimo Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCI. ALBERTO sacerdoti de Augeio & Cersolio.

Confirmat & ecclesiam S. Remigii de Augeio & capellam de Cersolio.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, Alberto sacerdoti salutem & apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis facilem nos convenit impertiri consensum, & vota quæ rationis tramite non discordant, effectu sunt prosequente complenda. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam S. Remigii de Augeio cum capella de Cersolio ad eam pertinente & aliis pertinentiis suis tibi canonice concessam, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Data Beneventi XI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCII. BELVACENSI episcopo.

Pro A. decano Castri-Radulfi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significavit nobis dilectus filius noster A. decanus Castri-Radulfi, quod cum ipse super quibusdam causis coram venerabili fratre nostro H. Remensi archiepiscopo, ad quem primo a fratre nostro Catalaunensi episcopo fuerat appellatum, graviter impeteretur, exinde ad nostram audientiam appellavit. Unde quia, responsali præfati decani coram nobis præsente, adversarii ejus nec venerunt, nec pro se responsales miserunt, prædictas causas experientiæ tuæ committimus debito fine, absque appellationis remedio, terminandas. Ideoque fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatinus cum inde requisitus fuerit, partibus ante tuam præsentiam convocatis, easdem causas diligentius audias, & has appellatione remota justitia mediante decidas.

EPISTOLA CCIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro B. presbytero.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquestus est nobis B. presbyter, quod cum abbati & conventui (*a*) Branensi viginti libras Provinienſium in suis necessitatibus mutuasset, & multotiens ab eis requisisset, ipsi eas sibi reddere nolunt. Unde quoniam injustum est, & obvium honestati, pecuniam accommodatam non reddere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum abbatem & fratres infra triginta dies post harum susceptionem commoneas & districte compellas, ut prænominato presbytero prætaxatam pecuniam cum integritate persolvant. Si autem potius causam intrare decreverint, quam pecuniam ei reddere, tu partibus ante tuam præsentiam convocatis, diligenter causam audias, & eam remoto appellationis obstaculo, justitia mediante decidas. Data Beneventi decimo Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia sancti Johannis Suessionensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram pervenit, quod G. & servientes ejus ecclesiæ sancti Johannis de Vineis nemus quoddam præsumunt auferre, & eam super hoc molestare non cessant. Quia vero ecclesiarum jura integra debemus, quantum in nobis est tueri & illæsa servare; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratum G. & servientes ejus ab ecclesiæ præscriptæ

(*a*) Brana celebre ordinis Præmonstratensis monasterium in diœcesi Suessionensi, quod a canonicis sæcularibus ad regulares illius ordinis transiit anno 1130. in quo cernitur toparcharum Branensium sepultura.

molestatione, cessante appellatione, prorsus cessare compellas: ita quod si aliter tibi non adquieverint, tu ipsos usque ad condignam satisfactionem vinculo excommunicationis astringas, nisi a sua molestia velint omnino desistere, vel cum ecclesia supradicta de his quæ in quæstione vertuntur coram te ordine judiciario experiri. Data Beneventi decimo Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Her. ut ei ablata restituantur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Lator præsentium Her. nomine graviter de canonicis de Monte conqueritur, quod ei unam domum, unam vineam, unum hortum, & unam oscham, quam hereditario jure asserit ad se pertinere, contra justitiam abstulerunt. Quia igitur non decet viros ecclesiasticos alterius jura illicite occupare, qui aliis virtutis & honestatis exemplum debent præbere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictos canonicos indesinenter commoneas & districte compellas, ut præfato Her. præscriptam domum, vineam, hortum, & oscham, postposita mora & occasione, restituant, ac libere & quiete dimittant. Quod si forte cum eo super hoc voluerint experiri, partes ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis & cognitis, diligenter causam ipsam absque appellationis remedio mediante studeas justitia terminare. Data Beneventi v. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro decano & canonicis ecclesiæ Suessionensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum universis in sua justitia cura debeamus propensiori adesse, illis tamen specialiter nos oportet intendere, qui sedem apostolicam pro suis & aliorum negotiis visitare noscuntur. Qualiter autem dilecti filii nostri decanus & canonici Suessionenses pro causa quæ inter eos & fratrem nostrum episcopum (a) suum vertitur, apostolicam sedem adierint, & quosdam etiam Capellanos ejusdem episcopatus secum adduxerint, tuæ discretionis prudentiam non credimus ignorare. Inde siquidem est, quod eisdem jura sua integra volentes & illæsa servare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si præfatus episcopus aliquem de suspectis vel de testibus etiam aut aliis fautoribus suis, quoniam ad præsentiam nostram venerunt, vel quia cum memorato decano & fratribus ejus in causa sua steterunt, vel in aliquo gravare voluerit, tu eum ab hujusmodi præsumtione, omni occasione vel appellatione remota, prorsus cessare compellas, etsi quidquam in eos hac occasione statuerit, tu id, sublato appellationis remedio, non differas in irritum revocare, memoratos vero decanum & canonicos, nec non & universos qui sibi in negotio suo assistunt, ita protegas & defendas, ut a supradicto episcopo non possint indebite aggravari, aut aliquod juris sui incommodum sustinere. Data Beneventi secundo Kalendas Aprilis.

(a) Is erat Hugo de *Champfleuri* Ludovici VII. cancellarius, ex canonico Parisiensi factus episcopus.

EPISTOLA CCVII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro præcentore R. Suessionensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius noster R. Suessionensis ecclesiæ præcentor coram nobis existeret, ex relatione ejus accepimus, quod duo prædecessores illius altare de *Bosserre*, toto vitæ suæ tempore, dum præcentores essent, possederunt, quod venerabilis frater noster Suessionensis episcopus, cum præcentoria vacaret, cuidam dicitur contuliſſe, in quo juri & dignitati suæ jam dictus præcentor non modicum asserit derogatum fuisse. Quoniam igitur indignum est, ut ipse, quem prædecessoribus suis meritis non credimus inferiorem, beneficiis, quæ iidam pro commisso sibi officio tenuerunt, debeat sine rationabili causa privari. Episcopo jam dicto per scripta nostra præcepimus, quatinus si proximos antecessores ejus hoc per quadraginta retro annos pacifice tenuisse, & ipsum eodem contra voluntatem suam privatum fuisse constiterit, eumdem in illius possessionem omni occasione & appellatione cessante inducat, & in pace possidere permittat, nec ipsum super hoc ulterius molestare præsumat; si autem nostrum in hac parte præceptum infra viginti dies post litterarum nostrarum susceptionem non fuerit executum, tuæ discretioni præsentium auctoritate injungimus, ut prænominato cantori præscriptum altare, omni occasione & appellatione cessante, si ita esse inveneris, infra

infra alios viginti dies reddas, & pacifice A facias possidere: ita quod episcopus de cetero nullam adversus eum super hoc possit querelam habere. Data Beneventi secundo Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Radulfo de Cuphies *contra Josbertum de Monte, & contra Petrum de Nantolio.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO B Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquestionem Radulfi de *Cuphies* accepimus transmissam, quod Josbertus de Monte, quamdam domum quæ fuit patris sui, injuste possideat, & Petrus de Nantolio quamdam terram ejus pignori detinet obligatam, de qua sortem suam & multo amplius dicitur percepisse. Quia vero unicuique ita sua debemus jura servare, ut aliis suam justitiam nullatenus denegemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum J. studiosius exhorteris, & omni cum C districtione compellas, quod memorato R. præscriptam domum, omni contradictione postposita, reddat, vel eidem super hoc justitiæ complementum in tua præsentia facere non omittat. Supradictum vero P. si de terra quam in pignore tenet, sortem suam & tantumdem deductis impensis perceperit, prænominato R. sine alicujus pecuniæ exactione eam restituere moneas attentius, & appellatione remota, ecclesiastica districtione compellas. Data Beneventi 11. Kalendas Aprilis.

D

EPISTOLA CCIX. ABBATISSÆ de Broburc.

Qualiter imponit silentium Manasse presbytero super capellania earum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ & sororibus monasterii (a) Broburc, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius noster magister Matthæus responsalis vester & Manasses presbyter, pro causa, quæ inter vos & eumdem M. E super capellania vestra diutius noscitur agitari, in nostra essent præsentia constituti, nos litteris judicum, quibus causam illam commisimus diligenter auditis, & rationibus hinc inde pleniter intellectis, jam dicto M. perpetuum inde silentium auctoritate apostolica imposuimus, & vos ab ejus super hoc impetitione omnino absolvimus: ita quidem quod ei propter appellationem vel aliam causam super capellania præscripta respondere de cetero nullatenus teneamini. Data Beneventi 11. Kalendas Aprilis.

(a) Broburgum seu Borburgum insigne nobilium virginum Benedictinarum monasterium in diœcesi olim Morinensi, nunc vero S. Audomari, a Clementia Flandriæ comitissa circa annum 1039. fundatum.

EPISTOLA CCX. AMALRICI regis Jerosolymorum, Henrico Remensi archiepiscopo.

Pro subventione terræ Orientalis.

AMALRICUS per Dei gratiam Jerosolymorum rex, religione venerabili, sed regii sanguinis nobilitate pollenti eadem gratia H. Remorum archiepiscopo, salutem & quidquid potest in utraque vita felicius optari.

Confidenter ab eis expectantur beneficia, quorum manus liberalis nihil novit melius quam donare, nihil felicius quam misereri. Inde est quod vestræ, de qua plurimum confidimus & speramus, nobilitati, regni Orientalis molestias, quibus nimis importune fatigatur, innumerabiles necessitates & divinæ flagella iracundiæ, quibus secundum diem tentationis horis pene singulis conteritur & frangitur, familiarius & majore confidentia utile & necessarium duximus enodare. Et licet continuus & frequens internuntiorum discursus, quod patimur onus grave cum intimis suspiriis non patiatur a vobis incognitum sepeliri, urget tamen laboris immensitas excubantium pro foribus instantiam periculorum expressius exponere. Multiplicatis impiæ gentis agminibus, ex quo Antiochenus principatus, Domino permittente, ut multorum relatione vestra novit cognitio, contritus est, tanta Turcorum super nos violenta facta est irruptio, quod vix posset auribus expediri. Hujus afflictionis nostræ gemitus & militiæ Christianæ crebra suspiria, vestræ prout oportuit pietati, tamquam quæ plurimum potest nostris adversitatibus subvenire, scriptis supplicibus studuimus aperire. Communicato consilio in Ægypti regnum descendimus, in cujus ingressu urbem munitissimam, opitulante Domino violenter effractam oppugnavit Dei populus. Quo successu Ægyptiorum rex, consternatus, admodum infinitam multitudinem nobis & sæculo inauditam pecuniæ summam, ut pacis nobiscum iniret fœdus, oblatis vadibus promisit. Porro nos accito tam regni nostri fidelium, quam apud nos peregrinantium principum consilio, placuit peregrinis, quos cura nobis erat maxima propositum revereri, eorumque specialius adquiescere voluntatibus, ut ad regni ejusdem ulteriora, oblata pecunia spreta, progrederemur. Ingressa interim per occultissimas deserti vias Turcarum manus vehementis-

sima, apta congressibus, & nostros sæpius A concursus experta, in tanta Ægyptios erexit confidentia, ut a pactis resilirent prioribus. Sic ergo regnum opulentissimum tantum nobis sæpius accreverat emolumentorum in tributis & vectigalibus, nobis pene nostro utilius, in jus & ditionem hostium migravit nostrorum. Quo in facto, tantum genti perditissimæ virium accessit & roboris, tantis præterea victoriarum rebus secundis nostrarum impugnatione urbium, in singularis superbiæ culmen elati sunt, ut nobis de cetero non solum resistendi confiden- B tia, verum respirandi libertas, nisi nos visitaverit oriens ex alto, denegetur. Ea propter sanctissimum patrem nostrum patriarcham dominicæ resurrectionis, cum eruditissimis & Deo amabilibus viris Cæsariensi archiepiscopo, & Aconensi episcopo, cum aliis Templi & Hospitalis fratribus, cum lacrymis & suspirio multo ad vos dirigebamus, sed majore impeditionis cumulo subsequente, prima & secunda die, quo a portu nostro secesserunt, tanta irruit tempestas, procellarumque & fulgurum ira de cœlo, quod dirupta navi, & perditis universis ap- C paratibus, quos secum deferebant, ad ultimum remoti portus vix attingentes littora, nudi evaserunt. Nos igitur hæc non sine multo dolore percipientes, ne diuturniori expectatione regni Orientalis in deterius langueret subventio, regni columnam & ecclesiæ speculum F. archiepiscopum Tyrensem, & post dominum patriarcham in regno dignitate altiorem, genere & prudentia pollentem, & cum eo virum religionis & honestatis cultorem Peneadenum episcopum, strenuum militem A. de *Landast* & D venerabiles fratres Hospitalis cum lacrymis & prosecutione litterarum nostrarum ad vestram dirigimus magnitudinem, implorantes enixius, quatenus Dei miseratoris intuitu, eos benigne suscipiatis in nostris petitionibus, quas credimus rationi consonare, benignius exaudiatis, eis tamquam nostræ præsentiæ per omnia credatis. Quidquid enim eorum personis liberalitatis, honoris & gratiæ collatum fuerit, nostræ impensum reputabimus proprietati. Audiatis gemitus compeditorum, filios interventorum solvatis, regnum Christi pretiosissima morte dedicatum de ipsis in Christum sævientium E leonum faucibus eripiatis. Tædet proinde animas nostras miseriarum seriem infructuosa conquestione vobis totiens signasse, sed querimoniarum & scribendi pariter finis est in foribus, animarum tamen nostrarum sanguinem profanatum, sanctum sanctorum, transmigrationis filios dispersos de manu vestra Deus fortis ultionem requirat Dominus.

Sensus obscurus.

EPISTOLA CCXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Præmonstratenses compellat ad reddendam A. de Vilers *terram suam.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa nobis conquestione nobilis viri A. de *Vilers*, nostris est auribus intimatum, quod dilecti filii nostri abbas & fratres Præmonstratenses, quamdam terram, quam ad feodum suum spectare proponit, sine illius consensu intrarunt, & eam injuste detinent occupatam. Unde quoniam sicut religiosis viris sua tenemur jura servare, sic & aliis Christianis in sua justitia non debemus deesse: ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratos abbatem & fratres diligenter admoneas, & si opus fuerit, districte compellas, ut præfato A. terram prædictam sine dilatione restituant, & in pace dimittant, vel eidem sub examine tuo justitiam inde sufficientem exhibeant. Data Beneventi 11. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro canonico Laudunensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Æquum & rationabile judicatur, ut his qui pro ecclesia sua dispendium sustinent & laborem, dignæ recompensationis præmium & fructum recipiant optatæ consolationis. Dilectus siquidem filius noster P. Laudunensis canonicus, diligenti nobis relatione proposuit, quod rogatu quorumdam canonicorum suorum, pro negotio ecclesiæ suæ in propriis expensis ad nostram præsentiam laboravit. Unde quoniam non est idoneum, nec consentaneum rationi, ut laborem & dispendium nulla habita recompensatione debeat sustinere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatos canonicos moneas & districte compellas, ut prædicto P. expensas necessarias quas de mandato eorum ad inveniendo fecit, appellatione & contradictione cessante, restaurent. Data Beneventi tertio nonas Aprilis.

EPISTOLA CCXIII.

Pro F. clerico ut ei præbenda reddatur.

ALexander episcopus, &c.

Pro filio nostro F. latore præsentium vos jam pridem satis affectuose rogavimus, ut ei præbendam unam in ecclesia sancti Stephani, vel in ecclesia beatæ Mariæ de Vallibus concedere deberetis & liberaliter assignare. Scripsimus insuper quod tu, frater episcope, ipsum in clericum ordinares, & deinceps jam dictarum ecclesiarum instituere canonicum non differes. Vos autem sicut consuevistis nostras in hac parte preces surdis auribus pertransistis, nec præfato F. in aliquo providere curastis. Quoniam igitur indignum est, ut viri scholasticis disciplinis diutius intendentes, nullum beneficium habeant unde necessaria vitæ possint decenter percipere, universitatem vestram per iterata scripta rogamus, monemus & rogando mandamus, quatinus memorato F. primam præbendam, quæ in alterutra præscriptarum ecclesiarum post (a) illam, quam dilecti filii nostri abbatis (a) Vallis-lucentis assignari præcepimus, vacare contigerit, divini amoris intuitu, & pro reverentia beati Petri ac nostra, necnon & respectu probitatis suæ dare & assignare curetis, ut hac saltem vice preces & mandatum nostrum sibi sentiat in aliquo profuisse, & nos de admissione precum nostrarum uberes vobis gratias exsolvere debeamus, & petitiones vestras libentius promovere. Tu vero, frater episcope, eum sicut tibi alia vice mandavimus, tonsurare studeas, & in clericum ordinare, ordinatum autem ad alteram præscriptarum ecclesiarum intitules, & ita efficias, ut ad nos ulterius non cogatur redire, quoniam id grave nobis admodum existeret & omnino molestum.

EPISTOLA CCXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro clericis ecclesiæ Braguensis.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Notum sit fraternitati tuæ, nobis a canonicis Braguensibus nuper insinuatum fuisse, quod Gauses Mauceriensis & monachi de Novieis redditus de *March*, quos ecclesiam suam centum annis pacifice possedisse proponunt, irreverenter subtrahere non formidant. Unde quoniam nostra interest unicuique jura sua integra & illibata servare; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictum Gauses & monachos instanter moneas & districte compellas, ut prænominatis canonicis præscriptos redditus libere & quiete dimittant, damna illata resarciant, vel sub tuæ discretionis examine plenam exinde justitiam, appellatione remota, non differant exhibere. Data Beneventi nonas Aprilis.

(a) Vallis-lucentis monasterium ordinis Cisterciensis in diœcesi Senonensi anno 1127. ab Artaldo abbate Prulliaci fundatum.

EPISTOLA CCXV. ABBATI S. Remigii.

Pro Valando clerico.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri abbati sancti Remigii Remensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Invitat nos & hortatur cura suscepti regiminis, clericis qui in gremium sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ assumti noscuntur, propensiori cura intendere, & eis nostræ provisionis solatium commodius providere. Unde quia dilectus filius Valandus clericus noster inseparabili nobis & firmissima devotione adhæsit, & tanta est litteratura & morum honestate ornatus, quod ipsum merito diligere & sincera debemus caritate amplecti, eum caritati tuæ propensius commendamus: rogantes plurimum atque monentes, quatinus pro reverentia beati Petri ac nostra, & intuitu sui ipsius, qui tibi & ecclesiæ tuæ, si vixerit, plurima poterit commoda & incrementa conferre, prædicto Walando in scholis Parisius liberaliter & honeste provideas, & beneficium ipsum per duo convenientia tempora anni ei facias commode assignari, ut ex hoc liberalitati tuæ gratias uberiores debeamus exsolvere, & libentius & efficacius petitiones tuas exaudire. Quidquid enim a nostro interventu feceris, nobis specialiter factum fuisse putabimus. Volumus autem ut idipsum nobis tuis litteris studeas intimare. Data Beneventi VII. idus Aprilis.

EPISTOLA CCXVI. HENRICO Remensium archiepiscopo.

Pro abbatissa Bruburgensi.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Venit ad apostolicæ sedis clementiam M. sacerdos, & contra abbatissam Bruburgensis ecclesiæ querimoniam in auditorio nostro proposuit, quod eum a capellania illius ecclesiæ, in qua per eam fuerat institutus, sine causa canonica removisset. Nos au-

tem qui in monasteriis puellarum maturos & longævos novimus presbyteros ordinandos, qui nullam sui suspicionem ex ætate vel moribus facere videbantur, minoris ætatis obtentu eum in sua querimonia non duximus audiendum. Ceterum quia loco suo alium quemdam juniorem se asseruit institutum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus veritatem rei diligentius investiges, & si hoc verum esse noveris, & illum ab officio & beneficio capellaniæ removeas, & abbatissam canonica disciplina corripias, quod juvenes capellanos affectat habere, & ita levitatem illius emendes, ut ipsa quod minus caute gestum fuerat, non in deterius, sed in melius emendare procuret, & abbatissæ aliæ quæ audierint, in capellanis instituendis majorem debeant cautelam habere. Data Beneventi tertio idus Aprilis.

EPISTOLA CCXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut decanum S. Laurentii de Roseto ad residendum compellat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significatum est nobis, quod cum decanus S. Laurentii de Roseto assiduam ibi deberet facere mansionem, & ipsius ecclesiæ servitiis jugiter interesse, alibi morari præsumit, & ecclesiæ sibi commissæ obsequium omnino postponit. Quoniam igitur non decet eum, qui majorem in ea personatum gerit, se abillius servitio taliter absentare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum decanum moneas diligentius, & omni cum districtione compellas, ut assiduam in ecclesia præscripta secundum ipsius consuetudinem faciat mansionem, vel decanatum præscriptum omnino dimittat. Data Beneventi III. idus Aprilis.

EPISTOLA CCXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Galtero clerico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex tenore quarumdam litterarum tuarum accepimus, quod cum inter abbatem S. Petri Catalaunensis & Walterum clericum latorem præsentium, super quibusdam possessionibus & eleemosyna quadam coram te de commissione nostra controversia tractaretur, eidem finem debitum nullatenus imposuisti, sed ipsam potius ad nostrum remisisti examen. Quoniam igitur, qua occasione id feceris, ignoramus, fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde diligenter auditis & cognitis, eamdem causam, sublato appellationis remedio, justitia mediante, decidas. Si autem causæ illi infra triginta dies post harum susceptionem litterarum debitum finem imponere forte nolueris, id venerabili fratri Ambianensi episcopo quam cito significes, ut ille secundum quod ei mandamus, causam ipsam valeat terminare. Data Beneventi secundo idus Aprilis.

EPISTOLA CCXIX. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro G. clerico & pro Hu. Burgensi & pro M. uxore sua.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam G. clericus, lator præsentium, in audientia nostra deposuit, quod Hu. Burgensis & M. uxor sua eidem G. quamdam domum, ad eum hereditario jure spectantem auferre præsumunt. Quoniam igitur omnibus in suo jure, & maxime pauperibus debemus adesse; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictos Hu. & uxorem suam diligenter ammoneas & districte compellas, ut memorato G. præfatam domum sine dilatione restituant, vel eidem plenam super hoc justitiam infra quadraginta dies post harum susceptionem sub examine tuo non differant exhibere. Data Beneventi nono Kalendas Maij.

EPISTOLA CCXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa G. Siclinensis canonici & Galterii.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter G. Siclinensis (a) ecclesiæ canonicum & magistrum Galterium super quadam præbenda noscitur agitari, discretioni tuæ committimus audiendam, & fine debito terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta manda-

(a) Siclinium Belgii oppidum in Melanthisio, ubi corpus S. Piatonis quiescit.

mus, quatinus cum exinde fueris requisitus, A utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, eamdem causam justitia mediante decidas. Nihilominus etiam tuæ dilectioni mandamus, ut causam quæ inter dilectum filium nostrum Gunterum & canonicos Siclinienses super sexaginta solidos vertitur, audias, & ipsam debito fine decidas. Data Beneventi tertio Kalendas Maij.

EPISTOLA CCXXI. AMBIANENSI & Meldensi episcopis.

Ut causam quæ de cancellaria Noviomensi vertebatur inter Henricum filium Roberti comitis & Bald. examinent & terminent.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Ambianensi & Meldensi episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte HENRICI filii dilecti filii nostri nobilis viri comitis (*a*) ROBERTI fratris carissimi in Christo filii nostri LUDOVICI illustris Francorum regis, transmissa nobis est relatione monstratum, quod eidem HEN. cancellaria Noviomensis ecclesiæ a venerabili fratre nostro Noviomensi episcopo concessa fuisset, quam postea idem episcopus Bal. canonico ejusdem ecclesiæ dicitur concessisse. Unde cum B. asseveraret quod eadem cancellaria canonice sibi concessa fuisset, & filius comitis sibi eamdem a nobis peteret confirmari, nos neutri eorum duximus annuendum. Quapropter de prudentia & honestate vestra plenius confidentes, causam ipsam experientiæ vestræ committimus audiendam, & fine debito terminandam. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum exinde fueritis requisiti, in unum pariter convenientes, tam procuratorem HENRICI, quam Bald. ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus hinc inde auditis diligenter & cognitis, causam ipsam fine debito decidatis. Data Beneventi II. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Garino de Blanciis cujus uxor interfecta est.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Horrendum & immensum flagitium, quod quidam maligno spiritu tacti in civitate tua commiserunt, ad fraternitatis tuæ notitiam credimus jam pervenisse. Cum enim Garinus Blancus in Apuliam causa negotiandi veniffet, quidam domum ejus de nocte intrantes, uxorem & filium ejus occiderunt, & res ipsius & uxoris clam rapientes, domum ausu diabolico incendio concremarunt. Unde quoniam tam immane & crudele facinus districtius est puniendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus, si eos explorare poteris qui præscriptum facinus commiserunt, ipsos auctoritate tua moneas & districte compellas, ut prædicto Garino ablata omnia reddant, damna data resarciant, & de tanto excessu ita Deo plenarie satisfaciant, quod hujus delicti veniam mereantur obtinere, & ceteri hoc audientes metum habeant similia perpetrare. Generaliter autem sub excommunicatione præcipias, ut quicumque de rebus suis de domo illius extraxerunt, aut de rebus uxoris titulo commendationis vel debiti habuerunt, eas sibi absque contradictione aliqua reddant. Eos vero qui maleficos illos noverint, ipsos sub districtione anathematis constringas, tibi & ecclesiæ manifestare, nisi sacerdos fuerit cui hoc peccatum sit in pœnitentia revelatum. Data Beneventi V. idus Maij.

EPISTOLA CCXXIII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Ut Arienses canonicos cogat reddere caput sancti Jacobi.

ALEXANDER episcopus, HENRICO Remensi archiepisco, &c.

Perlatum est ad audientiam nostram, quod nobilis vir PHILIPPUS comes Flandrensis caput B. Jacobi ab ecclesia S. Vedasti per violentiam asportaverit, & illud in Ariensi ecclesia dicitur posuisse. Unde quoniam jam dictam ecclesiam sancti Vedasti, quæ nullum episcopum præter Romanum pontificem habet, reliquiis ut aliis bonis suis nolumus sine rationabili causa privari; per apostolica scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus præpositum & canonicos præfatæ Ariensis ecclesiæ instanter moneas, & districte compellas, ut præscriptum caput cum aliis reliquiis prætaxatæ ecclesiæ sancti Vedasti, omni occasione & appellatione cessante, restituant. Quod si juxta commonitionem tuam præfatum caput cum reliquiis reddere forte noluerint, prælibatam Arienfem ecclesiam, dilatione & appellatione remota, subjicias interdicto, & in alia ad quamcumque prætaxatæ reliquiæ delatæ fuerint, quamdiu præsentes extiterint, divina prohibeas officia celebrari. Data Beneventi septimo Kalendas Junii.

(*a*) A quo illustris Drocensium familia originem duxit.

EPISTOLA CCXXIV. O. ABBATI Urſicampi & F. decano Remenſi.

Pro Alermo Belvacenſi, ne ſeparent eum ab uxore, niſi frater ejus B. a ſua ſeparetur conjuge.

(a) ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis (a) O. abbati Urſicampi, & F. decano Remenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ad audientiam noſtram noveritis eſſe perlatum, quod quidam B. nomine in civitate Belvacenſi legitimum dicitur matrimonium contraxiſſe, & circa decennium cum uxore ſua in omni tranquillitate manſiſſe. Cum autem Alermus prænominati B. frater uxoris fratris ſui conſobrinam ſibi matrimonio copulaſſet, quidam, ſicut nobis proponitur, adoleſcentes, ad quos hereditas ſponſæ illius proximo loco ſpectare videtur, patribus & majoribus ſuis reticentibus, junioris fratris Alermi matrimonium impedire nituntur, de matrimonio tamen fratris primogeniti, quod per omnia junioris matrimonio ſimillimum eſt, modis omnibus reticentes. Quia vero luboriri videtur ſatis manifeſta ſuſpicio, quod adoleſcentes, reticentibus majoribus, junioris fratris tantummodo matrimonium impetant, & diſſolvere nitantur, præſertim cum ſi caritatis zelo ducerentur, diſſolutioni matrimonii fratris primogeniti, ſi, prout dicitur, ſimili modo innixum eſt, primo debuiſſent inniti, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus rei veritatem diligentius inveſtigetis, & niſi aliæ tales perſonæ apparuerint, quæ ipſum matrimonium velint, & legitime poſſint impetere, prædictos adoleſcentes, cum non amore juſtitiæ, ſed ardore potius avaritiæ & odii livore, reticentibus majoribus, videantur movere quæſtionem, ad accuſationem ejuſdem matrimonii nullatenus recipiatis, ſed matrimonium ipſum in ſuo ſtatu faciatis manere, niſi forte communis fama loci habeat, quod inter eos aliqua ſit parentela. Ceterum ſi aliæ graves perſonæ & maturæ apparuerint, quibus fides ſit adhibenda, vos cauſam audiatis, & eam remoto appellationis obſtaculo fine canonico terminetis, eaſdem perſonas monentes propenſius & hortantes, ut ſicut ratio videtur exigere, primum fratris primogeniti, deinde junioris matrimonium impetant & accuſent. Verum ſi communio fama loci non habeat, quod aliqua inter eos parentela exiſtat, nec aliæ perſonæ quales diximus apparuerint, quæ idem matrimonium legitime impetere velint vel poſſint, Alermum & uxorem ejus fine A quæſtione aliqua inſimul manere noſtra auctoritate faciatis. Præterea ſi tanta ſunt uxores fratrum & ipſi fratres inter ſe conſanguinitate conjuncti, quod nihil penitus ſit in uno marrimonio, quod non ſit in altero, nullos audiatis, niſi utrumque matrimonium voluerint impetere, cum hoc non amore juſtitiæ, ſed odio, non bono zelo facere videntur: quoniam tolerabilius eſt eſſe conjunctos contra hominum ſtatuta, quam quod Deus conjunxit ſeparare. Data Beneventi III. Kalendas Junii.

(a) Odoni. Eſt autem Urſicampus monaſterium inſigne ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Noviomenſi, de linea Clarevallis anno 1129. fundatum.

EPISTOLA CCXXV. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro Aprili de Manſo.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex relatione nobilis viri Aprilis de Manſo nobis innotuit, quod Henricus de Magnoprato, poſtquam idem A. Dominicam crucem Jeroſolymam profecturus ſuſcepit, villanos ſuos & multas res ſibi pertinentes injuſte dicitur abſtuliſſe, & ipſos per violentiam detinere præſumit. Et licet univerſorum jura ex injuncto nobis a Deo ſummi pontificatus officio integra cogamur & illæſa ſervare, illorum tamen nos oportet propenſius jura tueri, qui relictis bonis ſuis, ubi ſteterunt pedes Domini, cum multo labore illuc eundo deſiderant adorare. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus prædictum Henricum diligenter commoneas, & inſtanter ſtudeas exhortari, ut ea quæ memorato A. poſtquam fuit crucis inſignitus ſignaculo, abſtulit, omni occaſione & excuſatione ceſſante reſtituat, & in pace dimittat. Quod ſi infra quadragintra dies poſt harum ſuſceptionem & tuam commonitionem hoc exſequi recuſaverit; totam terram ſuam interdicto ſupponere non omittas. Quod ſi nec ſic reſipuerit, perſonam ejus excommunicationis ſententia non differas innodare. Data Beneventi III. non. Junii.

EPISTOLA CCXXVI. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Ut L. cruce ſignato fiat ſatisfactio de quodam homine ſuo occiſo.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex relatione nobilis viri Lod. de Buren noſtris eſt auribus intimatum, quod Angult. de Aitcio, poſtquam idem L. Dominicam

crucem Jerosolymam profecturus suscepit, A quemdam hominem suum diabolico fuore succensus, sicut asserit, interfecit. Et quoniam tam gravis & detestabilis excessus non debet inrequisitus dimitti, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictum Aug. districte compellas, ut super tanto excessu vel eidem L. digne satisfaciat, vel justitiæ complementum exhibeat, si vero aliqua de rebus memorati L. prædictus A. noscitur abstuliſſe, ut ea sibi restituat, vel justitiam sufficientem exhibeat, B ipsum auctoritate nostra omni cum districtione compellas. Data Beneventi IV. nonas Junii.

EPISTOLA CCXXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Gaufrido clerico Ambianensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constitutus in præsentia nostra Gaufridus pauper clericus, supplici nobis relatione monstravit, quod cum pater suus medietatem cujusdam domus, quam infra claustrum Ambianensis ecclesiæ possidebat, jure hereditario pignori obligasset, nec haberet in facultatibus unde eam recolligere posset, eidem proposuit Gaufrido, quod si medietatem redimeret, eam sibi donaret. Qui utique paternæ voluntati adquiescens, quamdam terram vendidit, & præscriptæ domus medietatem propria pecunia redemit. Postmodum autem idem pater suus, cogente necessitate, a Gaufrido canonico pecuniam mutuo suscepit, pro qua persolvenda illi prædictæ domus medietatem, eodem Gaufrido absente & nesciente, pignori obligavit, alteram vero partem ejusdem domus, quæ matri suæ in dotem fuerat data, cuidam clerico Engelario nomine in pignore dedit. Unde quoniam se injuste in hoc gravatum proponit, experientiæ tuæ causam ipsam committimus audiendam, & fine debito terminandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, cum exinde fueris E requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & eamdem causam justitia mediante decidas, cautius providens, ne prædicti clerici per potentiam seu per divitias suas pauperis clerici & viduæ mulieris valeant justitiam conculcare. Data Beneventi tertio nonas Junii.

EPISTOLA CCXXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Berengario clerico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte canonicorum sancti Symphoriani Remensis nostris est auribus intimatum, quod cum ecclesiam Wistri Berengario bonæ opinionis clerico, sicut accepimus, concessissent, (a) abbas ejusdem ecclesiæ donum capituli injuste nititur præpedire. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus hujus rei veritatem inquiras, & si tibi constiterit quod donum præscriptæ ecclesiæ ad capitulum & non ad abbatem de jure pertineat, & ipsa ecclesia memorato Berengario canonice concessa fuerit, ipsum eamdem libere facias obtinere, & abbatem ab ejus infestatione, omni appellatione remota, cessare compellas. Data Beneventi secundo nonas Junii.

EPISTOLA CCXXIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Hugone milite.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex tenore quarumdam litterarum venerabilis fratris nostri Catalaunensis episcopi, jam pridem accepimus, quod Hugo miles præsentium lator, quosdam falsos testes conduxerat, & per eorum testimonium inter se & uxorem suam fecerat divortium celebrari: quod postea præfato episcopo tam ipse quam testes prædicti sua confessione monstrarunt, & ab ipso de perjurio misericordiam postularunt. Unde nos sibi, si bene recolimus, per scripta nostra mandavimus, ut si per testes idoneos, de quibus verisimile esset quod pejerare non vellent, legitime sibi constaret supradictos testes pretio conductos fuisse, vel alium inter eos gradum cognationis existere quam ipsi dixerunt, præfato Hugoni uxorem suam restitueret, & ipsos faceret insimul permanere, si neuter eorum adhuc alii se matrimonio copulaverat: demum vero tam illi, quam testibus de commisso pœnitentiam condignam imponeret. Unde quoniam sicut hujus cum multo labore & discrimine ad nostram præsentiam

(a) Hoc ex loco colliges Remense canonicorum collegium S. Symphoriani olim fuisse abbatiam, aut regularem, aut sæcularem.

venientis iterata querela demonstrat, nihil inde hactenus efficere voluit, ei per scripta nostra mandavimus, ut secundum aliarum nostrarum tenorem, in negotio isto, omni dilatione & appellatione remota, procedat. Quod si facere forte noluerit, tu id juxta tenorem litterarum nostrarum, quas ei inde transmisimus, omni occasione & appellatione cessante, celerius exsequaris. Data Beneventi decimo sexto Kalendas Julii.

EPIST. CCXXX. R. CATALAUNENSI archidiacono & abbati S. Memmii.

Ut audiant causam inter Herbertum Medonarium & Milonem clericum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Roberto Catalaunensis ecclesiæ archidiacono, & abbati (a) S. (a) Memmii, salutem & apostolicam benedictionem.

Significatum est nobis, quod Milo clericus Herbertum custodem ecclesiæ S. Mariæ instantius impetit, quod eidem ecclesiæ valens C. libras subripuerit, & eumdem civem Catalaunensem, quod M. excommunicato scienter communicavit, accusat. Unde quoniam de vestræ discretionis & honestatis prudentia fiduciam non modicam obtinemus; causam illam ab examine venerabilis fratris nostri Remorum archiepiscopi ad nos per appellationem delatam experientiæ vestræ committimus audiendam: ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum exinde fueritis requisiti, utramque partem ante vestram audientiam convocetis, & rationibus hinc inde diligenter auditis & cognitis, eamdem causam, sublato, ut dictum est, appellationis remedio, justitia mediante decidatis. Data Beneventi XIV. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCXXXI. PHILIPPO abbati Præmonstratensi, &c.

Pro pace Præmonstratensis ecclesiæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, (b) PHILIPPO Præmonstratensi, & ceteris abbatibus Præmonstratum in Dei nomine congregatis.

Pervenit ad nos quod occasione quorumdam, quæ inter vos noviter statuistis, non paucorum conversorum vestrorum animi sunt turbati, usque adeo ut plures eorum facilius convertantur ad sæculum, quam ad recipienda statuta illa valeant inclinari. Unde quoniam pensandum est majoribus & cavendum, ne gregem dominicum auctoritate dispergant, quem lenitate convenit & caritate servare; universitati vestræ consulimus & monemus, quatenus turbationem ordinis, quanto potestis studio, evitantes, universas novitates de quibus inter vos aliqua scissura possit emergere, in tempus aliud differatis. Continete vos intra terminos patrum vestrorum, & videte ne dum vos ad nova & dubia desideratis extendere, quæ certa tenetis & sensistis utilia, cum plurimo dispendio amittatis. Non negamus & vobis & omnibus, qui divinæ se subjiciunt servituti, ad majora semper esse nitendum, & eos cum B. Apostolo posteriorum oblitos in anteriora se debere indesinenter extendere. Sed & omnia tempus habent. Est tempus loquendi & tempus tacendi. Est tempus mittendi lapides & tempus colligendi. Est tempus seminandi & tempus metendi. Et de facili autem omnis labor amittitur, si non temporis opportunitas observatur. Sane quantum in religiosis conventibus malum discordiæ sit vitandum, malumus vos alieno exemplo quam experimento proprio edoceri. Videtis enim quia sicut parvæ res crevere concordia, ita maximæ per discordiam sunt dilapsæ. Melius est autem venturis malis ante tempus occurrere, quam postquam venerint pro quærendis remediis laborare, Salomone dicente: *Sapiens videns malum declinat, parvuli transeuntes sustinuere dispendia.* Vitate igitur ex nostro consilio usque ad pacem ecclesiæ, donec plenius coabbates vestri ex omni parte conveniant, omnes quæ scissuram possent facere novitates, & parvulos vestros, quos tamquam gallina pullos suos sub alis caritatis custodire ac fovere debetis, paterna pietate servate. Cum autem pacem ecclesiæ suæ reddiderit, & plenius undique abbates vestri convenerint, utilius & firmius tunc poteritis quod salubre fuerit stabilire. Nam si quid roboris constitutionibus vestris ex vobis forte defuerit, ex apostolicæ sedis auctoritate proferit ministrari. Interim vero tenete quod cœpistis, & ita veteribus ac firmatis ab apostolica sede statutis insistere, & sub majoris austeritatis obtentu pax ordinis non possit amplius perturbari.

EPISTOLA CCXXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Matthæo cive Catalaunensi, ut absolvat eum absque pecunia.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Præsentibus litteris fraternitati tuæ notum

(a) S. Memmii monasterium canonicorum regularium ordinis S. Augustini.

(b) Philippus ex abbate Bellæ-vallis factus abbas Præmonstratensis, vivere desiit anno 1170.

tum fieri cupimus, quod nos carissimus in Christo filius noster Ludovicus illustris rex Francorum frater tuus, pro M. Catalaunensi cive satis affectuose rogavit, ut cum interventu amoris & precum suarum a vinculo excommunicationis eum absolveremus, quo ipsum nulla alia de causa, sicut dicitur, innodasti, nisi pro eo quòd ad audientiam nostram appellavit. Unde quantum nos & teipsum deceat prædicto regi deferre & ejus petitioni, ubi cum Deo & justitia possumus, annuere, discretio tua non debet aliquatenus ignorare. Ipse enim sicut rex Christianissimus magnam B. Petro in nobis devotionem & reverentiam exhibet, & ad honorem & exaltationem ecclesiæ ac nostram * frequenter intendit. De cujus devotione plurima eidem ecclesiæ incrementa non est dubium provenisse & jugiter provenire. Quapropter dignum est, ut nos ei æqua vicissitudine rependamus, & ad preces suas nos facere non pigeat, quidquid essemus umquam pro aliquo facturi. Ideoq; prudentiam tuam monemus atque mandamus, quatenus intuitu prædicti regis, & mandati nostri obtentu, memoratum M. quem ad te idcirco remittimus, quia ejus negotium sollicitudini C tuæ commisimus, appellatione remota diffiniendum, a sententia qua tenetur, postposita occasione, absolvas, & nihil ab eo pro absolutione aliquo modo requiras. Sufficientem tamen cautionem ipsum præstare facias, quod super causa quæ inter eum & Hersendem mulierem vertitur, sententiæ tuæ latæ sive ferendæ stare debeat. Si vero in proferendo judicio aliquid quod sit minus perfectum & inconveniens intercessit, volumus & mandamus, ut illud studeas ordine judiciario plenius emendare.

* al. vel ferventer.

EPISTOLA CCXXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia Silvæ-majoris.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri abbas & fratres Silvæmajoris, transmissis nobis litteris, intimarunt, quod bonæ memoriæ S. prædecessor tuus sibi ecclesiam Braguensem de consensu & de petitione nobilis viri comitis Registerensis, jam pridem concessit: ita quidem quod decedentibus canonicis monachi sui ordinis ibidem per priorem de Noveio deberent instituí. Nunc autem, sicut audivimus, G. de Mazeriis ejusdem ecclesiæ præposituram cum præbenda quadam a monachis diu possessam, Johanni filio suo a comite fecit, pretio interveniente, concedi, & ipsam taliter occupatam detinere præsumit. Quidam alii etiam, O. scilicet, M. & G. præbendas, quas monachi diu tenuerant, sibi per violentiam usurparunt, & domos eorumdem monachorum, post appellationem ad nos factam, confringi, & res illorum asportari fecerunt. Unde quoniam indignum est, ut ea quæ memorato abbati & fratribus taliter collata fuerunt revocari debeant, & ad manus sæcularium iterum devenire, venerabili fratri Suessionensi episcopo, & dilecto filio nostro abbati sancti Remigii per scripta nostra mandavimus, quatinus partibus ante suam præsentiam evocatis, rei veritatem diligenter inquirant, & si prædictos viros ecclesiæ præscriptæ beneficia taliter accepisse & occupasse constiterit, ipsos diligentius moneant, ut eadem beneficia præfato abbati & fratribus cum fructibus etiam perceptis sine aliqua dilatione restituant, & in pace possidere permittant. Deinde vero si quid juris in his habere confidunt, cum abbate & fratribus coram præfatis judicibus ordine judiciario expediantur. Quod si ad commonitionem prædictorum judicum infra quadraginta dies non fecerint, ipsos omni contradictione & appellatione cessante, vinculo excommunicationis non differant innodare, & si nec sic resipuerint, eosdem perpetuæ depositionis sententia denuntient condemnatos. Illos etiam qui domos monachorum fregisse, & res illorum post appellationem ad nos factam asportasse dicuntur, ad ablatorum restitutionem & damnorum etiam restaurationem sub districtione anathematis, appellatione cessante, constringant: Si autem supradicti viri ad memoratorum judicum præsentiam ire, & quod etiam statuerint suscipere & servare contemserint, tu ipsos omni occasione & appellatione postposita, sententia excommunicationis percellas, & ab omnibus per totam provinciam tuam sicut excommunicatos nunties evitandos. Fratres etiam prætaxati monasterii, qui in partibus illis morantur, pro reverentia beati Petri ac nostra, & suæ religionis intuitu, diligere & fovere intendas, & ipsis in negotiis suis & præsertim in Braguensis ecclesiæ beneficiis, dignitatibus, & aliis justitiis conservandis auxilium & defensionem tuam impendas, nec eos super his ab aliquo, quantum in te est, indebite molestari aut inquietari permittas, sed universos qui ejusdem ecclesiæ præbendas seu dignitates sine prænominati abbatis & fratrum consensu sibi auctoritate propria, vel laicali dono, contra concessionem illis factam usurpare præsumserint, usque ad plenam satisfactionem officiis & beneficiis ecclesiasticis spoliatos, vinculo excommunicationis astringere non postponas. Data Beneventi decimo Kalendas Julii.

D

E

EPISTOLA CCXXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Balduino presbytero.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam Balduini sacerdotis ecclesiæ sancti Martini ad nostram præsentiam venientis accepimus, quod Harduinus parrochianus tuus, & filius ejus violentas in ipsum manus ausu nefario injicientes, eum per capillos trahere, & verberibus afficere præsumserunt. B. quoque frater prædicti Harduini & filii sui ad tantum facinus perpetrandum, eis, sicut idem sacerdos asserit, auxilium præbuerunt, & hujus iniquitatis fuerunt socii pariter & consortes. Quia igitur ad pravorum maleficia punienda, pontificalis auctoritas non debet esse negligens vel remissa, nos, qui licet immeriti sedi apostolicæ præsidemus, tam gravis temeritatis excessum, sicut non debemus, deserere nolentes aliquatinus impunitam; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus rei veritate diligentius inquisita, universos quos tibi constiterit in suprædictum presbyterum violentas manus injecisse, appellatione remota, publice excommunicatos denuncies, &. ab omnibus facias sicut excommunicatos cautius evitari, donec passo injuriam congrue satisfaciant, & cum litteris tuis nostro se conspectui repræsentent. Data apud sanctum Germanum nonis Martii.

EPISTOLA CCXXXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut A. latori præsentium occupatam ab aliis ecclesiam suam restitui faciat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex conquestione A. præsentium latoris accepimus, quod cum T. quondam abbas Dervensis, ei ecclesiam quamdam rationabiliter jam pridem dedisset, G. & Hu. sacerdotes ipsam sibi præsumserunt auferre, quam adhuc detinent taliter occupatam. Unde quia unicuique in sua justitia nos cognoscimus debitores, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatos G. & Hu. moneas attentius, & districtius studeas coercere, quod memorato A. præscriptam ecclesiam sine dilatione restituant, & in pace permittant tenere, vel ei coram te, quod super hoc juris forma dictaverit, appellatione remota, non differant exhibere. Data apud Sanctum Germanum non. Martii.

EPISTOLA CCXXXVI.

Pro Haiderico cujus nepos sagitta percussus fuerat.

ALEXANDER episcopus, &c.

Ex latore præsentium ad audientiam apostolicæ sedis pervenit, quod cum filius ejus, qui decennis erat, cum aliis pueris sagittaret, quidam nepos ejusdem Haiderici sagitta percussus interiit. Quod idem filius ejus, cum inter alios luderet, fortuito casu dicitur peregisse, licet id habeatur incertum. Quia vero, sicut ipse nobis idem proposuit, a prædicto Haiderico secundum consuetudinem illius terræ centum solidos instantius requirebas, ipse ad nostram audientiam appellavit. Unde quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in viris provectioris ætatis humanæ leges decernunt severius corrigendum, dilectioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus vel ab impetitione ipsius desistas, aut coram Noviomensi episcopo, cum ab eo fueris evocatus, te representes, quod idem episcopus exinde statuerit, appellatione remota, susceperus firmiter & servaturus. Data apud S. Germanum tertio nonas Maij.

EPISTOLA CCXXXVII.

Pro prioriſſa de Broburg ſuper decem libris.

ALEXANDER episcopus, &c.

Ex parte Helvvidis prioriſſæ de Broborg, querelam accepimus, quod cum mater ejus decedens decem libras in testamento sibi quondam legaverit, & amitæ suæ ad opus ejusdem prioriſſæ commiserit custodiendas, heredes ejusdem amitæ suæ prætaxatam pecuniam sibi solvere contradicunt, sed eam potius contra justitiam detinere præsumunt. Ceterum quia ex summi apostolatus officio, quod licet immeriti, dispositione supernæ providentiæ gerimus, unicuique jus suum exhibere tenemur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus heredes prædictæ amitæ suæ moneatis, & ecclesiastica censura districtius coercere curetis, ut memoratæ prioriſſæ præscriptam pecuniam absque aliqua contradictione & diminutione restituant, vel coram vobis infra quadraginta dies post harum susceptionem eidem, quod justum est, exinde appellatione remota non differant exhibere: ita quod ipsa contra susceptæ religionis habitum diutinis propter hoc non cogatur con-

tentionibus fatigari, cum per vos jus suum A poterit obtinere. Data XI. Kal. Februar.

EPISTOLA CCXXXVIII. HENRICO Remorum archiepiscopo

Pro fratre Galteri sacerdotis, & pro ipso Galtero ut eis benefaciat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. B

Ex transmissa nobis relatione Galteri sacerdotis accepimus, quod cum in hujus turbationis principio in episcopatu *(a)* Tullensi, (a) unde oriundus erat, propter schismaticorum malitiam manere non posset; ad partes Remenses cum matre, fratre quoque, & sorore sua divertit, ubi est hactenus satis laudabiliter conversatus. Unde quoniam, sicut dicitur, frater ejus, etsi litteratus & probus existat, adhuc non est in clericum designatus, fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus præfati G. fratrem, divini C amoris intuitu, & pro reverentia beati Petri ac nostra in clericum ordines, & ei alibi ita competenter provideas, ut necessaria vitæ possit recipere, & omnipotenti Domino fideliter deservire, nos quoque caritatem tuam teneamur exinde multimodis in Domino commendare, & hoc gratum acceptumque tenere. Rogamus ad hæc sinceritatem tuam atque monemus, ut sæpedictum G. interventu nostro taliter habeas commendatum, quod nostras sibi preces apud te sentiat efficaces, & nos affectioni D tuæ uberes inde gratias teneamur referre. Data Verulis XVII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCXXXIX.

Pro Girardo.

ALEXANDER episcopus, &c.

Querelam Girardi latoris præsentium, non sine multo labore ad apostolicæ sedis clementiam venientis accepimus, quod cum sibi & Ar. quidam consanguineus eorum Manger nomine, sine p. ole decedens terram suam in eleemosynam contulisset, prædictus Ar. ei multam molestiam exinde cepit & gravamen inferre. Unde uterque illum ad nostram audientiam appellavit: prædicto autem Girardo, sicut diximus, ad nostram præsentiam veniente, quia pars adversa nec venit, nec ipsa responsalem misit, ejusdem causæ debitum non potuimus finem imponere. Sed eam experientiæ ve-

(a) In Lotharingia sub metropoli Trevirensi.

stræ audiendam committimus, & mediante justitia terminandam. Quapropter discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus eam quæ inter eos vertitur, utraque parte ante præsentiam vestram convocata, studiosius audiatis, & eam sublato appellationis remedio, servato juris ordine, terminetis. Data Verulis decimo quinto Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCXL. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut a suffraganeorum & maxime Bartholomæi Belvacensis episcopi vexatione temperet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut tibi a majoribus tuis commissæ tibi ecclesiæ jura integre desideras & illibata servari, sic decet industriam tuam subjectis tibi ecclesiis & personis suas justitias intemeratas relinquere & illæsas servare. Meminimus autem per alias litteras discretioni tuæ C jam pridem mandasse, ut in episcopatibus suffraganeorum tuorum & maxime venerabilis fratris nostri B. Belvacensis episcopi nihil tibi contra formam canonum & præter antiquam & rationabilem consuetudinem vendicares. Unde quoniam indignum est, ut subditos tuos debeas injuste gravare, vel eorum jura minus rationabiliter occupare; fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus atque præcipimus, quatenus suffraganeis tuis, & præsertim memorato Belvacensi D episcopo, nullum contra sanctorum Patrum statuta vel præter antecessorum tuorum antiquam & rationabilem consuetudinem gravamen infligas, neque de clericis aut ecclesiis episcopatuum suorum quidquam, eis inconsultis, nisi causa fortasse ad te fuerit per appellationem delata, statuere vel judicare attentes, nec ab eis quidquam quod tibi de jure non debent requiras. Prohibemus etiam ut præfati Belvacensis personam absque coepiscoporum suorum judicio nullatenus graves, sed si quid adversus eum habueris, hoc E secundum sacrorum canonum formam comprovincialium episcoporum judicio terminetur. Data Verulis XV. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCXLI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Rolando & Arvvino.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquerente nobis Rolando præsentium latore, didicimus quod cum olim causam quæ inter ipsum & Arvvinum super quibusdam rebus sibi ablatis verteretur, prudentiæ tuæ discretionis judicio commisimus terminandam, tu prædictum Arvvinum excommunicationis sententiæ subjecisti, quoniam eidem R. res ablatas reddere vel super his secum contemnebat justitiæ stare. Nunc autem sicut idem R. sibi asserit significatum fuisse, dilectus filius noster abbas S. Remigii præfatum Ar. nulla satisfactione præstita, quod sibi non licuit, a laqueo excommunicationis absolvit. Quoniam igitur sententia in malefactores quoslibet pro suis excessibus promulgata, usque ad dignam satisfactionem robur debet firmitatis habere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus, si idem abbas, quod non credimus, prædictum Ar. a sententia qua tenebatur, absolvit, ipsum moneas & diligenter induceas, ut supradicto R. infra XV. dies post harum susceptionem ablata restituat, vel in præsentia tua secundum aliarum litterarum tenorem juris pareat æquitati. Quod si non fecerit, in eamdem sententiam ipsum, contradictione & appellatione cessante, reducas. Si vero absolutus non est, præscriptam sententiam non relaxes, donec horum alterum quæ prædiximus, plenius exequi compellatur. Data Verulis XIII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCXLII. CAPITULO Suessionensi.

Ut P. clerico Ludovici regis restituant subtractam per biennium præbendam.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, P. decano & toti capitulo Suessionensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Quanta sit in Christo carissimi filii nostri LUDOVICI illustris regis Francorum benignitas, & circa viros ecclesiasticos laudabilis & pia devotio, vestra utique, sicut credimus, discretio non ignorat, & ideo tam vos quam universi qui Domino JESU-CHRISTO in officio clericali deserviunt, ipsius benignitati deberent respondere, ut ipsius erga viros ecclesiasticos & ecclesias augmentaretur benignitas, & susciperet incrementum. Pervenit utique ad nos, & ex parte jam dicti serenissimi filii nostri regis est suggestum, quod dilecto filio nostro P. latori præsentium, clerico suo præbendæ suæ redditus jam per biennium subtraxeritis, & requisiti quod subtractum est noluistis ullatenus restaurare. Quia igitur pati non possumus nec debemus, quod prædictus filius noster ea quæ ad præbendam suam pertinere noscuntur amittat: per præsentia vobis scripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, quatenus quidquid ei de præbenda sua, tam in præsenti, quam in anno præterito subtraxistis, infra dimidium mensis post harum susceptionem, omni occasione & excusatione remota, restituatis in integrum, & de cetero nihil ei subtrahere præsumatis. Datum Verulis VII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCXLIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia Compendiensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquesti sunt nobis dilecti filii nostri abbas & fratres Compendienses, quod servientes monasterii sui & burgenses de Compendio eisdem jura debita subtrahunt, & cum eis super his justitiæ stare contemnunt. Abbas quoque sancti Memmii Catalaunensis quamdam decimam, abbas (a) Cari loci (*) & abbas Thenolienses possessiones quasdam ad eos pertinentes, præsumunt invadere, & eas ipsis conantur auferre. Unde quoniam jura Compendiensis monasterii, quod nullum alium præter nos episcopum habet, specialiter conservare tenemur; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratos servientes atque burgenses, præscripto monasterio jura sua sine dilatione aliqua & diminutione persolvere; abbates vero decimam & occupatas possessiones eidem monasterio celerius reddere, aut præfato abbati & fratribus Compendiensibus sub examine tuo plenam inde justitiam facere ex parte nostra & tua diligenter commoneas, & appellatione remota districte compellas. Ad hoc tuæ discretioni præsentium auctoritate injungimus, ut dominum de Tornella, qui quarumdam villarum Compendiensis monasterii, Compendiensis patronus & advocatus existens easdem ultra modum gravare, & ad destructionem conatur redigere, ad plenam abbati & fratribus super hoc justitiam faciendam moneas attentius & sub anathematis districtione coerceas. Data Verulis quarto Kalendas Aprilis.

(a) Legendum videtur Caroli-loci. Est autem Caroli-locus monasterium insigne ordinis Cistercienſis in diœcesi Silvanectensi, a Compendio itinere unius diei distitum.

(*) Est tamen Carus-locus aliud monasterium ordinis Cistercienſis in Comitatu Burgundiæ diœcesis Bisuntinæ.

EPISTOLA CCXLIV.

Pro Nicolao cive Catalaunensi.

ALEXANDER episcopus, &c.

Suggestum est nobis, & conquerente Nicolao Catalaunensi cive accepimus, quod magister domus S. Jacobi ei terram quam hereditario jure longo tempore nullo reclamante possederat, per violentiam auferre non dubitavit. Unde quoniam a viris religiosis hujusmodi non debent oppressiones vel injuriæ committi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus, cum exinde requisiti fueritis, in unum convenientes utramque partem ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, causam ipsam, sublato appellationis remedio, mediante justitia terminetis. Data Verulis quarto Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCXLV. REMENSI & Rothomagensi archiepiscopis eorumque suffraganeis.

Pro ecclesia S. Petri de Silincurt.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Remensi & Rothomagensi archiepiscopis, & eorum suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad hoc cura universalis ecclesiæ nobis est Domino providente commissa, & pastoralis regiminis sollicitudo injuncta, ut evellere, destruere & eradicare curemus, quæ evellenda cognoscimus & destruenda. Sane quia crescente malitia hominum super terram, pax & tranquillitas ecclesiarum turbatur, & religiosorum quies & otium impeditur, ad extirpanda vitia, & illorum nequitiam reprimendam summopere debemus eniti, & pontificali constantia & virtute accingi, ut per instantiam nostræ sollicitudinis, hi qui otio contemplationis sunt dediti, nullas pravorum molestias vel persecutiones sustineant, & bonæ operationi intendere valeant & virtuti. Pervenit siquidem ad audientiam nostram, quod ecclesia S. Petri de (*a*) *Silincurt*, multis vexatur injuriis & oppressionibus infestatur, & cum apud ecclesiarum ministros de malefactoribus suis querelam proponit, & damna sibi illata postulat resarciri, malefactores ipsi pro evitanda justitia, & causa subterfugii ad vocem appellationis prorumpunt, nec tamen appellationem aliquatenus prosequuntur. Unde quoniam his nullatenus debet appellationis remedium subvenire, qui in dolo & fraude appellare noscuntur, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus; quatenus cum religiosi viri fratres ejusdem ecclesiæ coram aliquo vestrum super injuriis aut damnis sibi illatis, vel rebus subtractis, malefactores suos convenerint, eos ad plenam & sufficientem justitiam exhibendam singuli vestrum commoneant & compellant; & si in vocem appellationis prorumpunt, nec infra determinatum tempus prosequendæ appellationis ad apostolicam sedem venerint, aut idoneos responsales transmiserint, ipsos, remota appellatione, excommunicationis vinculo astringatis, & sententiam ipsam usque ad dignam satisfactionem faciatis inviolabiliter observari. Præterea quoniam nobis est intimatum, quod vicedominus de Pinciniaco, Bern. de S. Walerico, & Gualterius Tyrellus cum hominibus suis eidem ecclesiæ damna gravia intulerunt, & animalia & alia res non paucas abstulerunt, de quibus nondum satisfacere voluerunt, nihilominus vobis præsentium auctoritate præcipimus, ut si res ita se habet, eos moneatis & districte cogatis, quod prædictæ ecclesiæ ablata omnia reddant, data damna refaciant, de injuriis illatis plenarie satisfaciant, & de cetero ab ejus molestatione penitus conquiescant. Quod si facere forte contempserint, eos remoto obstaculo excommunicationis vinculo innodetis, & usque ad plenam satisfactionem faciatis pro excommunicatis teneri, & si nec sic resipuerint, in terris eorum divina, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, prohibeatis officia celebrari. Illos autem quos prælibatæ ecclesiæ conversum occidisse, & domos & grangias combussisse constiterit, publice accensis candelis excommunicatos denuntietis, & præcipiatis ab omnibus devitari, donec de tanta iniquitate satisfactionem & emendationem congruam exhibeant; & occisores cum literis vestris ad apostolicam sedem satisfacturi accedant. Data Verulis IV. Kalendas Aprilis.

(*a*) Selincurtis abbatia insignis ordinis Præmonstratensis in dioecesi Ambianensi, vulgo appellata *S. Lacrymæ*, ob Salvatoris Lacrymam, ut aiunt, in ea asservatam.

EPISTOLA CCXLVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Johanne canonico Laudunensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ Johannem Laudunensem canonicum & He. mulierem novercam suam, super hereditate & ceteris rebus patris ejusdem Johannis, diutius noscitur agitari, venerabili fratri nostro Ambianensi

episcopo commisimus audiendam, & remoto appellationis obstaculo fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ad præsentiam præfati episcopi compellas accedere, & quod ipse inter eos exinde judicaverit, appellatione remota, firmiter & inconcusse facias observari & executioni mandari. Data Verulis quinto nonas Aprilis.

EPISTOLA CCXLVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Stephano Remensi canonico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quanto rarius tibi preces porrigimus, & te minus in hujusmodi oneramus, tanto decet industriam tuam postulationes nostras, & præsertim honestas, libentius exaudire & efficacius promovere, ut affectionem illam quam te jam pridem circa nos & ecclesiam Romanam multipliciter habere comperimus, adhuc etiam exhibitione operis comprobemus. Novit autem industria tua, quod dilectus filius noster Stephanus ecclesiæ tuæ canonicus, vir sanguine nobilis, discretus etiam & probus existat, quare nos obtentu sui ipsius, necnon & respectu consanguineorum suorum, carum acceptumque tenemus, & ejus profectibus, quantum cum Deo possumus, libentius volumus aspirare: inde siquidem est, quod nos de tuæ sinceritatis & de tuæ devotionis affectu plenius confidentes, & dilectæ in Christo filiæ nostræ mu-
(a) lieris B. relictæ bonæ memoriæ. (a) R. quondam Siciliæ regis precibus sollicitis inclinati; fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus attentius atque monemus, quatinus jam dicto Stephano aliquem honorem in ecclesia tua, si quis vacat, vel primum quem in ea vacare contigerit, pro reverentia beati Petri & nostra, & obtentu nobilitatis ac probitatis suæ concedas liberaliter & assignes, ut nos devotioni tuæ multiplices gratias teneamur exsolvere, & preces ac petitiones tuas cum oportunitas se obtulerit libentius & efficacius promovere. Memoratus quoque Stephanus tibi debeat omni tempore fidelior & magis devotus existere, & ad obsequium tuum fervention apparere. Data Verulis v. non. Aprilis.

(a) Rogerii.

EPISTOLA CCXLVIII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro eodem Stephano Remensi canonico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Jam pridem dilectus filius noster Stephanus Remensis canonicus ad præsentiam nostram accedens, a nobis sicut bene meminimus impetravit, ut causam quæ inter ipsum & dilectum filium nostrum P. abbatem sancti Remigii super quibusdam consuetudinibus suorum hominum vertitur, pro quibus ab eodem Stephano ad nostram fuit audientiam appellatum, venerabilibus fratribus nostris Ambianensi & Belvacensi episcopis commisimus, sublato appellationis remedio, terminandam. Verum postmodum, sicut memoriæ nostræ occurrit, aliæ fuerunt a nobis litteræ impetratæ, quoniam nequaquam memoriter tenebamus quod præscripta causa jam dictis judicibus commissa fuisset. Unde fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si in supradictos homines occasione posteriorum litterarum, interdicti, vel excommunicationis est sententia promulgata, eam dilatione & appellatione remota relaxes, dummodo idem Stephanus cautionem præstet, quod coram prædictis judicibus velit justitiæ stare. Data Verulis quinto nonas Aprilis.

EPISTOLA CCXLIX. HENRICO Remensi archiepiscopo & ejus suffraganeis.

Scribit in gratiam ecclesiæ Viconiensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remensi archiepiscopo & suffraganeis ejus, salutem & apostolicam benedictionem.

Audierunt plures vestrûm, ut credimus, quantis gravaminibus, quantis debitorum oneribus (b) Viconiensis ecclesia sit afflicta, (b)
& nos quidem tum pro injuncti nobis cura regiminis, tum pro devotione dilecti filii nostri S. abbatis ipsius loci, quem in visceribus nostris carum habemus, omnimodis vellemus, ut eadem ecclesia de tantis relevari posset angustiis, & ad statum pristinum, auxiliante Domino, reparari. Ne itaque sub oculis vestris contingat dici de illa: *Omnes amici ejus spreverunt illam, non est qui consoletur eam inter angustias;* fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, qua-

(b) Confer hac epistolam cum epistola 153. infra.

tenus ubi vobis per jam dictum abbatem vel fratres & nuntios ejus neceſſitates ipſius eccleſiæ innotuerint, ad ſublevationem earum ſacerdotalem diligentiam apponatis, & in malefactores ejus, cum requiſiti fueritis, ita zelum pontificalis exeratis officii, ita in cohibitione eorum quod ad eccleſiaſticam cenſuram attinet compleatis, ut & ipſa eccleſia pro defectu juſtitiæ laborare non debeat, & vos de ſupportandis religioſorum neceſſitatibus & pravorum malitia reprimenda, & commendationem a nobis & cumulum mercedis a Deo recipere valeatis. Data Verulis x. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCL. TOTI CAPITULO Sueſſionenſi.

Pro Petro canonico Sueſſionenſi.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Do. decano & toti capitulo Sueſſionenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum tu, fili decane, & dilectus filius noſter Petrus canonicus veſter in noſtra eſſetis præſentia conſtituti, tu & Nevelo confrater tuus, qui tecum erat, jam dictum Petrum a capitulo excommunicatum, & de eccleſia veſtra ejectum fuiſſe dixiſtis, eo quod cum fidem vobis dediſſet, ſe illas conſuetudines juraturum, quas eum volebatis jurare, id poſtmodum adimplere contemſit. Petrus vero econtra reſpondit, quod fidem ea dederat conditione, ſi cum ſana conſcientia poſſet juramentum præſtare, adjecit & quod, quia ea quæ debebatis jurare ſibi videbantur injuſta, ſalva conſcientia ſua, juramentum non poterat exhibere. Unde quoniam per eum non ſtetit, quod in eccleſia veſtra aſſiduus non permanſit, præbendam ſuam cum fructibus etiam perceptis ſibi reſtitui inſtantius poſtulabat. Quapropter cum ſe fidem pure dediſſe negaret, & quia nullus contra conſcientiam ſuam debet ad juramentum compelli, eum a ſententia qua dicebatur innodatum fuiſſe abſolvimus, & ad vos remittimus abſolutum, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, & mandando præcipientes, quatenus eidem præbendam ſuam cum fructibus etiam perceptis infra quindecim dies poſt harum ſuſceptionem omni excuſatione & appellatione poſtpoſita reſtituatis, & ipſum ſicut fratrem veſtrum honorifice & benigne tractetis. Si autem noſtro in hac parte, quod tamen nullatenus credimus, præſumſeritis contraire præcepto, noveritis nos venerabili fratri noſtro HENRICO Remenſi archiepiſcopo in mandatis dediſſe, ut præfato Petro præbendam ſuam & ſubtractos fructus, nullius contradictione & appellatione obſtante, abſque diminutione reſtituat, & integre faciat obtinere. Data Verulis VIIII Kal. Madii.

EPISTOLA CCLI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo & comiti Flandrenſi.

Pro eccleſia Viconienſi ut ab uſuris relevetur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, HENRICO Remenſi archiepiſcopo & comiti Flandrenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Gravamina (a) Viconienſis eccleſiæ, nec ipſorum magnitudo, nec loci vicinitas vos patitur ignorare. Quia vero ſicut dilecto filio noſtro S. (b) ejuſdem loci abbate ſuggerente didicimus, miſerationis affectu compaſſi eſtis, gratum & acceptum habemus, & ut ad relevationem ipſius compaſſio veſtra proveniat exoptamus. Tantis enim oneribus debitorum eccleſiam illam accepimus oneratam, ut niſi exhortatione apoſtolica accedente, auctoritas ei & poteſtas veſtra ſubvenerit, cito timeatur in ſolitudinem redigenda; ita ut ubi religioſorum hactenus habitabat multitudo virorum, deſertum, quod abſit, fiat, aut habitatio laicorum. Et nos ſiquidem huic malo tanto fortius deſideramus occurrere, quanto & de ſupportandis religioſorum neceſſitatibus ſollicitiores eſſe debemus, & jam dictus abbas, quem his oneribus obedientia ſola ſubjecit, devotior nobis & eccleſiæ Dei noſcitur ac fidelior exiſtiſſe. Quia igitur non facile videtur occurrere unde a tantis poſſit gravaminibus relevari, niſi a ſolutione uſurarum fuerit abſoluta, per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatenus pro amore Dei, pro reverentia B. Petri & noſtra, ad ſublevandas neceſſitates ejuſdem eccleſiæ, officii & poteſtatis veſtræ dexteram extendatis, & feneratorum exactiones ita faciatis ab ejus exactione quieſcere, ut præter ſortem ab ea nihil valeant extorquere. In hoc enim non ſolum onus eccleſiæ ſublevabitis, ſed & animæ ipſorum feneratorum a gehennæ incendiis poterunt liberari. Quod ſi & invitos ad hoc oportuerit eos trahi, id ipſum quandoque illis erit fructuoſum, dum compuncti aliquando & converſi ad cor, gratum habere incipient beneficium, quod invitis

(a) Viconium inſigne ordinis Præmonſtratenſis monaſterium in diœceſi Attrebatenſi, de cujus initiis hiſtoriam habes Spicilegii tom. 12.

(b) Stephano de Urſina-valle dicto, qui quartus monaſterio præfuit, & illud exoneravit debitis, quæ occaſione gravaminum Balduini comitis Hannonienſis & incendii *Haverii* contraxerat, ut diſcimus ex chronico ms. Viconienſi.

fuerat quandoque collatum. Exerce igitur in illos, venerabilis frater archiepiscope, arguendo, increpando, obsecrando & excommunicando, si pertinaces fuerint, pontificalis auctoritatem officii, & tu, fili comes, ita eos concessa tibi desuper potestate coerce, ut & ipsa ecclesia in statum pristinum, donante Domino, relevetur, & vos de collato eis suffragio & commendationem a nobis & ab omnipotente Deo sempiternæ mercedis cumulum obtinere possitis. Datum Verulis VIII. Kalendas Martii.

EPISTOLA CCLII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Petro canonico Suessionensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad tuæ discretionis notitiam volumus pervenire, nos dilectis filiis nostris decano & capitulo Suessionensi firmiter in mandatis dedisse, ut dilecto filio nostro Petro canonico suo præbendam ipsius cum fructibus etiam perceptis infra quindecim dies post susceptionem litterarum nostrarum, omni excusatione & appellatione cessante, restituant, & integre faciant obtinere. Unde quoniam nostrum in hac parte præceptum debito nolumus in hac parte fraudari, præsertim cum nos pro jam dicto Petro carissimi in Christo filii nostri LUDOVICI illustrissimi Francorum regis, cujus clericus est, preces sollicitas recepimus, & illius etiam justitia non modicum fuerimus provocati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si ecclesiæ præscriptæ capitulum id infra terminum sibi præfixum adimplere contemserit; tu prænominato Petro præbendam suam cum fructibus etiam perceptis, nullius contradictione vel appellatione obstante, sine aliqua dilatione reddas, & facias absque diminutione habere, nisi id forte juratæ Suessionensi ecclesiæ consuetudini noveris obviare. Si autem id contra juramentum canonicorum suorum esse constiterit, tu præscriptum capitulum dignam alias prænominato Petro de amissis fructibus recompensationem parare, dilatione & appellatione remota, districte compellas. Data Verulis sexta Kalendas Madii.

EPISTOLA CCLIII. CAPITULO Suessionensi.

Pro eodem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, Po. decano & toto capitulo Suessionensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Injunctum nobis apostolatus officium & susceptæ administrationis auctoritas nos hortatur propensius & admonet, ut viros ecclesiasticos sereno vultu respicere, & ne jura eorum indebitis agitentur molestiis, attenta sollicitudine providere. Inde est quod universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus dilectum filium nostrum P. canonicum vestrum fructus præbendæ suæ integre faciatis sine molestia possidere, & quamdiu fuerit in servitio ecclesiæ vel episcopi vestri, aut in scholis, sine judicio & legitima citatione, eum fructibus ejusdem præbendæ privare nullatenus præsumatis. Datum Verulis Kalendis Madii.

EPISTOLA CCLIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Balduino cancellario Noviomensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Non excidit a memoria nostra, quam diligenter & affectuose olim per scripta nostra prudentiam tuam monuerimus, ut dilectum filium nostrum Balduinum super cancellaria Noviomensis ecclesiæ nullis indebitis vexationibus fatigares, quominus exinde suam justitiam obtineret. Quia igitur te decet officii tui debitum diligenter attendere, quo singulis in suo jure adesse teneris potius quam obesse, fraternitati tuæ per iterata scripta rogamus atque monemus, atque mandamus, quatenus considerans diligenter & attendens qualiter non solum hi qui pontificalis gerunt officium dignitatis, sed & universi rationem debeant voluntati præferre, memorato B. pro reverentia B. Petri & nostra super jam dicta cancellaria, nullam molestiam inferas vel gravamen, sed tam sibi quam universis, prout tuum officium exigit, communem te exhibeas justitiæ defensorem. Datum Verulis Kalendis Maij.

EPISTOLA CCLV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut quosdam excommunicatos ab episcopo Catalaunensi absolvat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos, quod cum jam pridem P. Berengaudus Guidonem pernitiose satis &

& graviter vulneraſſet, conſanguinei præ- A dicti G. adverſus eumdem pro gravi animi commotione turbati, domum ejus calore iracundiæ concitati fregerunt. Unde frater noſter Catalaunenſis epiſcopus violatores domus ſententiæ anathematis ſubjecit, quos ſine pecunia abſolvere omnino recuſat, licet ipſi parati ſint domum quam fregerant reſarcire. Quia igitur propter hoc, ſi verum eſt, non ita in eos graviter animadvertere debuit, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus memoratos viros ſi res ita ſe habet, ſine banno cum ei cui damnum intulerunt ſatisfecerint, contradictione & appellatione remota, prorſus abſolvas & eos per provinciam tuam denuncies penitus abſolutos. Datum Verulis v. nonas Maij.

EPISTOLA CCLVI. F. DECANO & capitulo Remenſi.

Contra Jo. cancellarium & Ægidium decanum de villa Dominica, pro Roberto presbytero de Saceio.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis ſuis F. decano & capitulo Remenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Querelam Roberti preſbyteri ad audientiam noſtram noveritis eſſe perlatam, quod cum Jo. procurator archidiaconi Remenſis, & Ægidius decanus villæ-Dominicæ ſibi objicerent, quod ſcienter participatione cujuſdam excommunicati maculam anathematis contraxiſſet, & hoc ſe dicerent per teſtes legitimos probaturos, tandem die probationi ſtatuta, id ſicut promiſerant non probarunt; ſed jam dictus J. eidem ut ſe ſeptima manu purgaret indixit, adjiciens, ut tres ſacerdotes quos ſibi nominaverat & reliquos in purgatione juxta ſuam voluntatem haberet. Cum autem præfatus preſbyter multotiens paratus fuiſſet ſe cum ſuis teſtibus purgaturus, & prænominati J. & decanus cauſam ſuam finique proferrent, preſbyter tam perſona quam bonis ſuis ſub protectione apoſtolicæ ſedis poſitis, ad noſtram audientiam appellavit, ſed nuntio ipſius coram nobis præſente, altera pars nec venit, nec aliquem pro ſe reſponſalem tranſmiſit. Quia igitur indignum eſt & iniquum, innocentem ſanguinem condemnare, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi ſupradicti J. & decanus objecta probare potuerint, vos ab eodem preſbytero juramento recepto, quod ſuper hoc veſtro debeat ſtare mandato, eum abſque exactione alicujus pecuniæ abſolvatis, & ei congruam pœnitentiam imponatis. Si vero abſque exactione pecuniæ ipſum non duxeritis abſolvendum, cum auctoritate apoſtolica decernimus abſolutum. Ceterum ſi in probatione defecerint, ab eodem preſbytero purgatione propriæ manus duntaxat recepta, eum ſuper his ab impetitione ipſorum auctoritate apoſtolica penitus abſolvatis. Pro tali enim culpa non eſt adeo gravis indicenda purgatio. Data Verulis IV. idus Maij.

EPISTOLA CCLVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro P. ſacerdote ut a domino Remenſi benigne recipiatur.

B

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilectioni tuæ notificamus, quod filius noſter P. in præſentia noſtra aſſiſtens, nobis intimavit, quod in archiepiſcopatu Remenſi natus fuit, & ibi in ſubdiaconum ordinatus eſt, poſtea vero, ſicut aſſerit, devotione bona Jeroſolymam petens, ibi diaconatus ordinem adeptus eſt, reverſuſque ad natale ſolum, in ipſo diaconatus ordine diu Deo deſervivit, poſtea in ſacerdotem promotus eſt. Nunc autem de novo de diaconatus ordine vocatus in cauſam, videns ſui gravamen, ad remedium apoſtolicæ ſedis, convolavit. Quoniam vero noſtrum eſt miſereri pauperum ad nos confugientium, inquirentes diligenter de diaconatus ſui ordine rei veritatem, ex teſtimoniis quorumdam percepimus, prædictum P. in diaconum Sydonis ordinatum fuiſſe, & quoniam Romana eccleſia cui ordinante Chriſto deſervimus, conſilii & auxilii tutamentum debet eſſe humiliter petentibus, fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta rogamus monemus atque mandamus, intuitu divini amoris & timoris, memoratum P. benigne recipias cum de ſui ordine diaconatus apud nos ſatis firmiter conſtet, & in ſacerdotali officio in pace Deo ſervire dimittas, & pro reverentia beati Petri ac noſtra aliquod eccleſiaſticum beneficium, unde honeſte poſſit vivere, ei aſſignare non differas. Data Verulis duodecimo Kalendas Junii.

C

D

E

EPISTOLA CCLVIII. HENRICO Remorum archiepiſcopo.

Pro U. & fratre ejus contra abbatem & monachos Aquicinctenſi, ut audiat cauſam & terminet inter eos, & item inter eumdem abbatem & abbatem S. Foillani & canonicos S. Vincentii.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remorum archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam A U. lator præsentium, proposita nobis assertione monstravit, quod cum ipse & frater (a) ejus Nic. de abbate & monachis (a) Auncinis in curia Cameracensis ecclesiæ querimoniam deposuissent, quod vos irrationabiliter exheredarent, & causa ipsa super hoc fuisset discussa, prædictus Nicolaus ad nostram audientiam appellavit, sed abbas & monachi non venerunt, nec aliquem pro se responsalem miserunt. Quia igitur universis Dei fidelibus in justitia sua debitores existimus, fraternitati tuæ causam ipsam committimus audiendam, & appellatione cessante sine debito terminandam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem causam, sublato appellationis remedio, justitia mediante, decidas; ita quod neutra partium merito conqueri possit pro juris defectus. Causam quoque quæ inter prædictos fra- (b) tres & abbatem sancti Foillani (b) & canonicos S. Vincentii, super quadam parte hereditatis ipsorum agitari dinoscitur, experientiæ tuæ committimus audiendam, tibi significatione præsentium injungentes, ut eamdem causam audias, & eam appellatione remota servata juris æquitate, decidas. Data Verulis x. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCLIX. THEOBALDO Ambianensi episcopo.

Pro Johanne Aculeo contra novercam suam, ut audiat & terminet causam inter eos.

ALexander episcopus, servus servorum D Dei, venerabili fratri T. Ambianensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter Johannem Laudunensis ecclesiæ canonicum, & Hel. mulierem novercam suam super hereditate & ceteris rebus partis ejusdem J. diutius noscitur agitari, venerabili fratri nostro Hu. Suessionensi episcopo, nos jam pridem meminimus commisisse. Unde quoniam jam dicta mulier, licet cum præfato J. amicabilem compositionem fecerit, & eam fidei interpositione firmaverit, ab ipsa postea contra E fidem suam resilire præsumsit; idem J. ad nostram audientiam appellavit, mulier vero domum ejus per violentiam a complicibus suis fecit infringi, & ea quæ ibidem inveniri poterant asportari. Quoniam igitur nullus esset litium finis, si a transactionibus bona fide factis discedere licuisset; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rei veritatem inquiras & si ita esse constiterit, præscriptam compositionem facias omni contradictione & appellatione remota, ab utraque parte firmiter observari & executioni mandari. Ea vero quæ prænominato J. vel sorori ejus post appellationem ad nos factam subtracta esse constiterit, eisdem ante principalis causæ cognitionem, nostra fretus auctoritate, dilatione & appellatione sublata, restituas, & de damnis illatis, necnon & de his, qui domum suam B fregerunt, congruam illi satisfactionem præcipias exhiberi. Quod si prælibata mulier aliter tibi non adquieverit, tu ipsam necnon & fidejussores ejus, nullius contradictione vel appellatione obstante, sententia excommunicationis percellas, & eam ab omnibus usque ad dignam satisfactionem facias irrefragabiliter observari. Et hæc omnia infra xx. dies post harum susceptionem diligentius exsequaris.

EPISTOLA CCLX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro ecclesia Caricampi, ut vicedominus de Pincheri cesset ab inquietatione ejus.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabilibi fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione abbatis & (c) fratrum (c) Caricampi ad audientiam apostolicæ sedis pervenit, quod vicedominus Pinginniacensis eis & domui eorum plurima gravamina in rebus & possessionibus suis irrogare non dubitat, quos pro suæ religionis & honestatis fragrantia ab aliorum oppressionibus, quantum possit, attenta deberet sollicitudine defensare. Quia igitur nostrum est religiosas personas & earum loca præcipua in Christo charitate diligere, & ad earum defensionem attentam sollicitudinem & diligentiam adhibere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratum vicedominum studiose convenias, & ecclesiastica districtione compellas, quod si qua damna eisdem fratribus intulit, ea cum digna satisfactione restauret, & ab eorum gravamine & molestatione penitus conquiescat, aut exinde sibi in præsentia tua, sublato appellationis remedio, justitiæ faciat complementum: ita quod jam

(a) Auncinos monachos conjicio esse Aquicinctinos in diœcesi Attrebatensi a verbo Gallico *Auchie*.

(b) S. Foillani ordinis Præmonstratensis monasterium est in Hannonia diœcesis Cameracensis.

(c) Caricampi insigne monasterium est ordinis Cistercienſis de Linea Pontiniaci fundatum in diœcesi Ambianensi, haud procul ab Hesdino circa 1140. ab Hugone comite S. Pauli.

dicti fratres tuæ protectionis munimine esse possint ab ejus molestatione securi, & sua se gaudeant pacifice possidere. Data Verulis x. Kal. Junii.

EPISTOLA CCLXI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro ecclesia Cari-campi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet universis Dei fidelibus pro nostri officii debito suam teneamur justitiam conservare, viris tamen religiosis & ferventer divino officio mancipatis tanto promtiori studio debemus adesse, quanto minus convenit eis ex susceptæ religionis proposito litigare. Conquerentibus autem nobis dilectis filiis abbate & fratribus Cari-campi, ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod nobilis vir B. de S. Gualarico eis VIII. marcas argenti restituere contradicit, quas cellerarius eorum sibi, sicut dicit, accommodavit. Accedit ad hæc quod cum idem Bernardus pro quodam milite eisdem fratribus super sexaginta libras se fidejussorem constituisset, easdem libras sicut tenetur, sibi restitui nullatenus facit, & alia quam plura gravamina eis & eorum monasterio non desinit irrogare. Unde quia ipsa pontificalis auctoritas, quæ tibi est ab ipso omnium provisore collata, & etiam religionis (a) habitus quem prætendis, ad conservanda jura prædictorum fratrum te monere debent propensius & inducere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum B. diligenter moneas & horteris, ut illas VIII. marcas, quæ sibi a prædicto cellerario accommodatæ fuerint, eisdem fratribus sine molestia & difficultate restituat, & LX. libras, pro quibus se eis fidejussorem constituit, ipsis exsolvat vel exsolvi faciat, & ab eorum molestatione omnino desistat, aut exinde sibi sub examine tuo plenam & sufficientem justitiam, appellatione remota, non differat exhibere. Quod si ad commonitionem tuam adimplere noluerit, in eum sublato appellationis remedio, excommunicationis sententiam proferas; & si nec sic resipuerit, terram ejus subjicias interdicto. Data Verulis x. Kalendas Junii.

(a) Quippe Henricus fuerat monachus ordinis Cisterciensis in Claravalle professus, & monachi olim ad episcopalem dignitatem sublimati vestem monachalem non deponebant in episcopatu.

EPISTOLA CCLXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Her. ut ab interdicto absolvatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicam sedem Her. præsentium lator, supplici nobis relatione proposuit, quod cum jam pridem cum noverca sua, & patre ejusdem novercæ, super quibusdam possessionibus causam haberet, ipse & soror ejus ad nostram audientiam appellarunt, unde quia infra congruum tempus non sunt appellationem interpositam prosecuti, J. vice archidiaconus tuus eos fecit vinculo anathematis innodari. Ceterum idem Her. in nostra præsentia constitutus constanter asseruit, quod tum propter suam puerilem ætatem, tum propter instantem necessitatem appellationem prosequi minime potuerunt. Nos itaque eorum necessitatibus paterno condescendentes affectu, præfatum Her. a sententia fecimus excommunicationis absolvi, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandantes, quatenus sororem ejus ab eadem sententia absque alicujus banni exactione protsus absolvas, ab eis sufficienti cautione accepta, quod super præscripta causa coram venerabili fratre nostro Ambianensi episcopo & dilecto filio nostro F. decano Remensi, cum memorata noverca sua & patre ejus debeant justitiæ stare. Deinde vero cum exinde fuerit requisitus, utramque partem ad præsentiam eorumdem judicum compellas accedere, & eorum judicium super præscripta causa, appellatione cessante, firmiter observare. Data Verulis VIII. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCLXIII. F. DECANO & Capitulo Remensi.

Pro Viviano presbytero contra episcopum Catalaunensem, ne quod bona fide fecit, in damnum vel infamiam ei vertatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, F. decano & Capitulo Remensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad præsentiam nostram Vivianus pauper presbyter, præsentium lator, supplici nobis narratione proposuit, quod cum quidam res cujusdam ecclesiæ furatus fuisset, & eas sibi per secretam confessionem commisit, suppliciter postulans, ut proxima sequenti die res ipsas capellano ejusdem ecclesiæ reddere non differret. Deinde vero fur fraudulenter eumdem capellanum adiit,

suggerens ei obtentu quinque solidorum, quos ab ipso debebat propter hoc recipere, prænominatum presbyterum res illas habere. Statuto itaque die, cum idem presbyter prædictas res secum, eas capellano redditurus, afferret, eumdem capellanum cum fure in via obvium habuit, quem secreto trahens in partem, ei res suas privatim reddidit, asserens easper confessionem manifestatas fuisse, Capellanus vero id falsum esse constantius asseverans, eumdem presbyterum furem vocavit, & eum tamquam furem cœpit impetere & graviter inquietare. Unde venerabilis frater noster G. Catalaunensis episcopus, sibi ecclesiam quam per quadraginta annos possederat abstulit, & in eum sententiam excommunicationis promulgavit, alia tamen occasione, quod videlicet bis per nuntium suum propter hoc citatus, ad suam præsentiam venire neglexisset. Quia igitur quod ipse bona fide fecerat, non est in suum damnum vel infamiam retorquendum, nec facile credere possumus, quod vir tanti officii & ætatis furtum illud vel sacrilegium commisisset, eum a sententia excommunicationis absolvi fecimus: discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatinus partibus ante præsentiam vestram convocatis, causam ipsam diligenter audiatis, & eam contradictione & appellatione remota, fine debito terminetis, provisuri attentius, ne justitia pauperis hujus sub examine vestro valeat deperire. Si vero innocens inventus fuerit, ei auctoritate nostra ecclesiam cum fructibus inde perceptis, & officium suum, appellatione cessante, faciatis restitui & in pace dimitti. Data Verulis VIII. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCLXIV. F. DECANO & Capitulo Remensi.

Contra Themam & Johannem pro Theobaldo clerico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, F. decano & Capitulo Remensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam Theobaldus clericus lator præsentium, lacrymabili nobis conquestione monstravit, quod magister J. vicarius archidiaconi & Thomas presbyter in eum & fratrem suum violentas manus ausu diabolico injecerunt, & eum post factam ad nos appellationem carceri manciparunt, in quo per XL. dies detenti fuerunt, nec exinde exire potuerunt, donec se centum & duodecim solidis redimere sunt coacti. Deinde vero per quemdam præpositum fidem compulsi sunt præstare, quod appellationem suam nullatenus A prosequerentur. Unde quoniam id gravissime in ecclesiæ Romanæ redundat injuriam, nec hoc sicut non debemus, possumus in patientia sustinere, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenus cujuslibet timore, gratia, & amore postposito, rei veritatem diligentius inquiratis, & si ita constiterit, memoratos T. & J. ab omni officio & beneficio ecclesiastico, sublato appellationis remedio, suspendatis, & tam eos quam illos qui præfatum T. & fratrem ejus de appellatione non prosequenda fidem coegerunt præstare, excommunicatos publice denuntietis, & ab omnibus sicut excommunicatos facias cautius evitari, donec jam dicto T. & fratri suo ablata omnia cum integritate restituant, de damnis & injuriis illatis satisfaciant, & ad nos cum vestris litteris veniant satisfacturi. Si vero T. & ejus frater clericos vel sacerdotes in testimonium assertionis suæ producere non potuerint, laicos idoneos tres aut duos, si producti fuerint, recipiatis, & tam in his quam in aliis, quæ prædiximus, juxta formam præcepti nostri, etsi appellatum fuerit, non minus procedatis. Data Verulis VI. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCLXV. HENRICO Remorum archiepiscopo.

Ut audiat causam inter M. & A. & terminet, si consuetudo terræ habet. Sin autem remittat ad sæcularem judicem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, Remensi archiepiscopo HENRICO, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter Martinum & Adam super quadam vinea, quam idem M. repetit ratione consobrinæ uxoris suæ, agitari dinoscitur, experientiæ tuæ committimus audiendam & fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem causam, si consuetudo terræ habet, quod possit sub ecclesiastico judice terminari, remoto appellationis obstaculo, justitia mediante decidas. Alioquin ad judicem sæcularem, ad quem spectat, remittas.

EPISTOLA CCLXVI. EPISCOPO Catalaunensi.

Ne exigant presbyteri sui pecuniam pro baptismo parvulorum, nec pro sepultura mortuorum.

ALexander episcopus, &c. episcopo Catalaunensi, &c.

Pervenit ad nos, quod civitatis tuæ capellani pro baptismo parvulorum & pro sepultura mortuorum pretium exigunt, nec baptizandis sacramentum regenerationis, aut defunctis beneficium sepulturæ volunt aliqua ratione impendere, nisi sibi pecuniæ quantitas exsolvatur. Quod quia in conspectu Dei & coram hominibus omnimodis detestabile reputatur, & decreto nostro quod (a) jam pridem in concilio (a) Turonensi edidimus contrarium prorsus existit, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus universos tuæ diœcesis sacerdotes a tam nefaria præsumtione omnino compescas, & ne hoc de cetero fiat, per singulas parrochias ex parte nostra & tua publice sub pœna officii (privationis) interdicas. In eos vero quos in tali casu pecuniam recepisse constiterit tantæ cupiditatis ardorem non pecuniaria pœna, sed spirituali ita graviter studeas vindicare, quod ceteri hoc audientes a consimilibus merito terreantur.

EPISTOLA CCLXVII. G. Catalaunensi episcopo.

Pro Milone clerico, ut ei benefaciat.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, Catalaunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Commissum tibi officium, & debitum caritatis exposcit, ecclesiasticis viris, & his præsertim, qui in ecclesia nullum adhuc beneficium potuerunt habere, utili provisione consulere, & eis in beneficiis congruis providere. Inde siquidem est, quod nos Milonem clericum litteratum, sicut audivimus, & honestum, qui de parrochia tua oriundus existit, discretioni tuæ propensius commendantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta rogamus, mandamus atque monemus, quatenus jam dicto Miloni, pro reverentia B. Petri ac nostra & obtentu probitatis suæ, necnon & ex officii debito, in aliqua ecclesiarum ita decenter & honeste provideas, quod necessaria vitæ possit competenter habere, & in ordine suo omnipotenti Domino fideliter deservire, nos quoque sollicitudinem tuam teneamur exinde non immerito commendare.

(a) Anno 1163. concilium Turonis celebravit, in cujus canone 6. prohibetur ne quid pro defunctorum sepultura exigatur.

(b) Petro de Castra, qui per triginta circiter annos sedem Bituricensem occupavit, defunctus anno 1171.

EPISTOLA CCLXVIII.

Ut Herbertus civis Catalaunensis ab excommunicatione lata post factam appellationem solvatur.

ALexander episcopus, &c.

Ex transmissa conquestione Herberti Catalaunensis civis ad audientiam nostram pervenit, quod Rollandus capellanus ejus in eum post factam ad nos appellationem, excommunicationis sententiam promulgavit. Quia igitur quidquid contra appellationem ab aliquibus attentatur, nullius debet robur stabilitatis habere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus reipsa diligentius inquisita, si tibi constiterit eumdem Her. post appellationem excommunicatum fuisse, eum contradictione & appellatione remota absolutum denuncies, & facias pro absoluto haberi. Deinde vero causam, quæ inter eumdem capellanum & prædictum Her. vertitur, studiosius audias, & eam, appellatione remota, debito fine decidas. Data Verulis IV. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCLXIX. BITURICENSI, Remensi, Turonensi, Rothomagensi archiepiscopis.

Pro hæresi damnanda.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus (b) Bituricensi, (c) Remensi, (d) Turonensi, (e) Rothomagensi archiepiscopis & eorum suffraganeis, S. A. B.

Eis qui disponente domino pontificali sunt prædicti dignitate, studendum imminet & summopere vigilandum, ne in ecclesia Dei prava doctrina valeat convalescere, quæ contra fidem catholicam videatur venire: quia negligentiæ prælatorum ecclesiæ posset attribui, si non curarent evellere, quæ sunt ab universis fidelibus penitus resecanda. Inde est quod ad vestri officii debitum exercendum, caritatem vestram attentius exhortantes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus vos singuli in provincia vestra, asciris vobis prudentibus & religiosis

(b) Petro de Castra, qui per triginta circiter annos sedem Bituricensem occupavit, defunctus anno 1171.

(c) Henrico, ad quem extat omnes fere hujus codicis epist.

(d) Josio ex episcopo Briocensi translato ad ecclesiam Turonensem 1157. qui obiit 1175.

(e) Rotrodo, qui & ipse ex Ebroicensi ad Rothomagensem sedem translatus 1164. vita functus est 1183.

(a) viris, (a) pravam doctrinam, quam adhuc A quidam tenent & prædicant, quod Christus videlicet secundum quod est homo non est aliquid, penitus abrogare curetis, & Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum ac verum hominem ex anima & corpore secundum quod homo consistentem tenendum & prædicandum præcipiatis, universis sub interminatione anathematis prohibentes, ne doctrinam illam de cetero tenere seu docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur. Data Verulis IV. nonas Junii.

EPISTOLA CCLXX. DECANO & capitulo Carnotensi.

Ut Philippo filio comitis Roberti suam restituant præbendam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano & capitulo Carnotensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Quantum PHILIPPUS filius dilecti filii nostri nobilis viri comitis ROBERTI respectu patris, & carissimi in Christo filii nostri LUDOVICI illustris Francorum regis & & venerabilis fratris nostri Remensis archiepiscopi, nobilis sit & potens, & quanta per eum ecclesiæ Carnotensi commoda & incrementa processu temporis valeant provenire, discretionis vestræ prudentiam decet diligenter attendere, & ejus consideratione tantorum virorum prærogativam facere quam aliis non facitis. Et quia nos ipsi respectu prædictorum virorum illi plurimum debitores existimus, & pro ejus commodo & incremento vigiles & solliciti esse debemus, & alios ad hoc idem sollicitis exhortationibus invitare, dilectionem vestram rogamus attentius, solliciteque commonemus, quatenus pro reverentia beati Petri & nostra, & intuitu memoratorum virorum, prædicto Philippo reditus præbendæ suæ non tamquam forinseco, sed tamquam intrinseco cum integritate reddatis, & ei prærogativam in hoc faciatis, quam alias cuilibet non essetis facturi, ut exinde prænominati viri circa commodum & profectum ecclesiæ vestræ, valeant promtiores & magis ferventes existere, & nos quoque sinceritati vestræ uberrimas teneamur gratiarum actiones referre. Data Verulis XVII. Kalendas Julii.

(a) Adversus pravam hanc doctrinam scripsit opusculum Jacobus Cornubiensis a nobis editum tom. 5. Anecdotor. quod quidem dicavit Alexandro III. qui hanc perversam doctrinam jam damnaverat in concilio Turonensi 1163.

EPISTOLA CCLXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Quod pro Philippo nepote suo scripserit archiepiscopo Senonensi & capitulo Carnotensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

B Probata fides & constans devotio, quam ab hujus turbationis initio erga sacro-sanctam Romanam ecclesiam, & personam nostram inseparabili virtute exhibuisti, nos hortatur omnimodis & inducit, ut te sicut fratrem carissimum & immobilem columnam ecclesiæ mera velimus caritate diligere, & honori pariter & exaltationi tuæ toto cordis desiderio aspirare, & petitionibus tuis gratuitum effectum, quantum cum Deo possumus & justitia, indulgere. Inhumanitatis enim vitio merito possemus redargui, si exhibitæ nobis tuæ sinceritatis & constan- C tiæ favorem ullo tempore traderemus oblivioni. Inde est quod licet grave nobis videatur, contra institutionem Carnotensis ecclesiæ, quæ rationabilis est, & quam confirmaveramus, rogare, intuitu tamen dilectionis tuæ, quod alias non essemus facturi, pro dilecto filio nostro PHILIPPO nepote tuo, venerabili fratri nostro Senonensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, & Carnotensi capitulo satis affectuose scripsimus, promti omnimodis & parati tam in hoc quam in aliis tuæ fraternitati deferre, & petitiones tuas libenti animo exaudire. Mo- D nemus autem prudentiam tuam & hortamur attentius, quatenus ecclesias & ecclesiastica negotia per maturas & discretas atque honestas personas procures, & postpositis sæcularibus curis, cultui virtutum & honestatis intendas, ut si magnus es sanguine virtutibus major & moribus comproberis. Data Verulis XVII. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCLXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Gratias agit pro munere sibi oblato & gratia militibus templi exhibita.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quod nobis in x. marcis auri tua liberalitas subvenire curavit, & eas dilecto filio nostro EUST. magistro militiæ Templi Parisius assignari fecisti, largitati tuæ uberes gratias agimus. Ad hæc de gratia & humani-

tate quam dilectis filiis nostris fratribus militiæ Templi tua fraternitas exhibet, tibi gratiarum exsolvimus actiones : rogantes atque monentes, quatenus pietatis intuitu & pro reverentia B. Petri & nostra, & consideratione religionis suæ, jam dilectos fratres diligas manuteneas & honores, & eis consuetam gratiam & benignitatem impendas, ipsorumque jura contra pravorum incursus protegas & conserves; ita quod ex hoc a nobis possis commendationem recipere, & ab omnipotenti Domino, præmium indeficiens expectare. Data Verulis XVI. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCLXXIII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Ut milites Templi adversus hostes suos protegat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Fratres militiæ Templi pro sua religione & honestate, & quia pro defensione Christianitatis contra Saracenos viriliter & potenter decertant, a prælatis ecclesiarum uberiori caritate sunt diligendi, & in justitiis suis propensius confovendi. Verum quoniam eorumdem fratrum transmissa relatione accepimus, quod quidam sunt in provincia tua, qui bona eorum diripiunt, nec ecclesiastico gladio corripiuntur; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum prædictorum fratrum de malefactoribus suis querelam receperis, eosdem malefactores per te & per episcopos tuos moneas, & districte compellas, ut memoratis fratribus de damnis & injuriis illatis, rebusque subtractis secundum quod ratio dictaverit, condigne satisfaciant. Quod si ad commonitionem tuam & episcoporum tuorum facere noluerint, eos vinculo excommunicationis astringas, & ad quæcumque loca tuæ provinciæ devenerint, ipsos ibidem facias tamquam excommunicatos vitari. Data Verulis II. Julii.

EPISTOLA CCLXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Radulfum de Cociaco ob confractam militum Templi capellam excommunicatum denuntiet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro H. Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Referentibus nobis fratribus militiæ Templi accepimus, quod Rad. de Cociaco, capella eorum confracta, hominem inde violenter extraxit, unde quoniam tantæ præsumtionis & sacrilegii excessum non possumus nec debemus impunitum relinquere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, prædictum R. publice accensis candelis excommunicatum denuncies, & ab omnibus facias tamquam excommunicatum vitari, donec fratribus de illata injuria plenarie satisfaciat, & ecclesiæ per dignam satisfactionem studeas reconciliari. Data Verulis XVI. Kalendas Augusti.

EPISTOLA CCLXXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

In gratiam cujusdam militis qui extumulatus fuerat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significaverunt nobis fratres militiæ Templi, quod cum quemdam militem in suo cimiterio sepelissent, qui humiliter ante obitum suum pœnitentiam, corpus & sanguinem Christi recepit, postea timore tuo inducti, eum de cimiterio extraxerunt, licet asserant falsum esse, & nulla ratione posse probari eum excommunicatum fuisse. Verum si non fuit excommunicatus, nec malitiam cum filio suo exercuit, nec ei consensit, pro qua eum asseris excommunicationis laqueum incurrisse, apud Deum & ecclesiam absolutus est, nec ei debes sepulturam ecclesiasticam denegare. Idcoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si prædictus miles excessum illum pro quo filius non fuit excommunicatus, cum eo non commisit, nec ei consensit, nec alias excommunicatus erat, ipsum facias in cimiterio ubi fuerat sepultus, occasione postposita, iterum sepeliri. Data Verulis XII. Kalendas Augusti.

EPISTOLA CCLXXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Guido canonicus S. Johannis Suessionensis apostata pœnitens ab abbate suo recipiatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Officii nostri nos hortatur auctoritas, & debitum caritatis exposcit, ut pauperibus subveniamus, & devios & errantes ad viam

veritatis revocemus. Iſte præſentium lator A Guido ſub regula S. Auguſtini in eccleſia B. Johannis Sueſſionenſis canonicus diu extitit, ſed diaboli ſtimulante malitia, habitum ſuum deſeruit. Ante noſtram vero præſentiam veniens, & emendationem cum lacrymis promittens, litteras interventionis ad abbatem ſuum, ut eum reciperet, a nobis impetravit. Quas ſicut audivimus abbas omnino contemſit. Culpam etiam ſuam nobis confeſſus eſt, & quod ſine abbatis ſui licentia ordinem ſacerdotii ſuſceperat. Unde eum liberum & abſolutum remiſimus. Quare diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus prædi- B ctum abbatem, ut fratrem ſuum recipiat diligenter ammoneas. Hoc autem ſi forte facere contemſerit, noſtra fretus auctoritate, ovem quæ deviavit ne pereat, ad ovile ſuum reducere infra XXX. dies poſt litterarum noſtrarum ſuſceptionem, omni excuſatione & appellatione ceſſante, non differas. Datum Verulis VIII. Kalendas Auguſti.

EPISTOLA CCLXXVII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Ut exactiones Thomæ mali burgenſis S. Remigii compeſcat.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Perlatum eſt ad audientiam apoſtolicæ ſedis quod Thomas malus burgenſis S. Remigii jam pridem a matre Milonis X. libras exegit, quas viro ſuo viventi ſe aſſerebat mutuo conceſſiſſe. Poſt ſpatium vero dimidii anni idem T. a prædicta muliere XII. D libras pro debito quondam juris ſui inſtantius requiſivit, ſuper quibus tam ipſam quam eumdem filium ſuum ſæpius graviter infeſtabat. Pro ſiquidem infeſtatione prorſus indebita, cum ſe dicerent pecuniam ipſam nequaquam ſibi debere, prædictus M. ad noſtram audientiam appellavit. Thomas vero appellatione contemta, ipſum temere cepit, & carceri mancipavit, tamdiu eum in captione detinens, donec ab ipſo LX. ſolidos extorſit. Quia igitur tantæ præſumtionis audaciam relinquere nolumus incorrectam, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus univerſa quæ tibi E conſtiterit prædicto M. poſt appellationem ablata fuiſſe, eidem dilatione & appellatione ceſſante, condigna ſatisfactione reſtitui facias & in pace dimitti, & Thomæ de tanto exceſſu pœnam convenientem infligas. Deinde vero cauſam quæ inter eos ſuper prædicta pecunia vertitur ſtudioſius audias, & eam appellatione remota, debito fine decidas. Datum Verulis III. Kalendas Aug.

EPISTOLA CCLXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Cauſam ei dirimendam committit.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significavit nobis abbatiſſa S. Petri Remenſis, quod cum quidam homo S. Remigii quamdam feminam eccleſiæ S. Petri in uxorem duxiſſet, abbas S. Remigii hominem illum convenit, & ei propter hoc res ſuas voluit violenter auferre. Ipſe vero pro tanto gravamine ad noſtram audientiam appellavit. Inde eſt quod nos cauſam ipſam tuæ experientiæ committentes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus utraque parte coram te convocata, cauſam audias & debito fine decidas, ea gravitate ſervata, quod utraque eccleſia ſe gaudeat conſecutam, & legitimum matrimonium ipſorum non poſſit diſſolvi. Data Verulis III. Kalendas Auguſti. C

EPISTOLA CCLXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Hubaldo burgenſi de caſtro S. Remigii ſuper violatione pacis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pervenit ad nos quod J. procurator archidiaconi tui ab Hubaldo burgenſi de caſtro S. Remigii, pro effuſione ſanguinis & pace, quam eum violaſſe dicebat, legem effuſi ſanguinis & violatæ pacis exegit. Verum idem Hu. quæ ſibi objiciebantur coram eodem J. omnino negavit. Johannes vero econtra rem eſſe notam aſſeruit, nec aliqua poſſe ratione negari, cum ſacerdos quidam ſe diceret a vulnerato in confeſſione pœnitentiæ didiciſſe, quod præfatus Hu. vulnera ſibi inflixiſſet. Hubaldus autem ſentiens ſe ab eodem J. gravari, ad noſtram audientiam appellavit. Nos itaque de tua prudentia & honeſtate plurimum confidentes, cauſam ipſam tuo examini delegamus, fraternitati tuæ præſentium auctoritate mandantes, quatinus partibus coram te convocatis, cauſam ipſam diligentius audias, & eam, appellatione remota, debito fine decidas: ita quod ſub examine tuo prædictus Hu. nullum ſui juris ſentiat detrimentum. Data Verulis III. Kalendas Auguſti.

EPISTOLA

EPISTOLA CCLXXX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro abbate & fratribus de Sarnaio.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex tranſmiſſa conqueſtione religioſorum virorum abbatis & fratrum de (a) Sarnaio auribus noſtris innotuit, quod Roſſa mulier & Phy. de Caſtris eis quamdam vineam per violentiam abſtulerunt, quam ipſis reddere contradicunt. Quoniam igitur ad officium noſtrum ſpecialiter pertinet, univerſorum jura defendere, & præſertim religioſorum virorum, qui ſunt arctius divinis obſequiis mancipati, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratam mulierem & filium ejus moneas ſtudioſius & compellas, ut præſcriptam vineam præfatis fratribus ſine moleſtia & difficultate reſtituant, & in pace dimittant, aut ipſis exinde ſub examine tuo infra XL. dies poſt harum ſuſceptionem, remoto appellationis obſtaculo, juſticiæ faciant complementum. Si vero neutrum horum fecerint, ipſos uſque ad alterius executionem, omni appellatione remota, eccleſiaſtica cenſura compellas.

EPISTOLA CCLXXXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo & P. abbati S. Luciani.

De matrimonio Adelelmi.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, & dilecto filio P. abbati (b) S. Luciani, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cauſam quæ ſuper matrimonium Adelelmi & uxoris ſuæ noſcitur agitari, diſcretioni veſtræ duximus committendam & determinandam. Eapropter prudentiæ veſtræ, de qua plene confidimus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus cum exinde fueritis requiſiti, præfatum A. & uxorem ſuam ante veſtram præſentiam convocetis, & quoniam ſicut nobis proponitur A. & uxor ſua, poſt appellationem ad nos factam, excommunicationis ſententia innodati fuiſſe dinoſcuntur, ipſos auctoritate noſtra ab anathematis nodo abſolvatis. Et quia ut religioſarum perſonarum ſcriptis & atteſtatione didicimus, matrimonium A. impetentes, odii livore & cupiditatis ardore potius quam amore juſtitiæ permoti eſſe deprehenduntur, cum vivente B. ejuſdem A. fratre, ſuper matrimonio ſuo per omnia A. ſimillimo, quæſtio nulla mota fuerit: ex parte noſtra infra XX. dies a litteris receptis matrimonium A. in ſtatu ſuo permanere faciatis, diligentius advertentes, quod tutius eſt aliquos contra hominum ſtatuta conjunctos inſimul permanere, quam quos Deus conjunxit, occaſione qualibet ſeparare. Si autem uterque veſtrum intereſſe non poſſit, alter non minus in cauſæ cognitione procedat. Data Verulis IV. nonas Octobris.

EPISTOLA CCLXXXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut Walterio ſacerdoti & ejus fratri, qui propter ſchiſmaticos e Tullenſi diœceſi ad Remenſem ſe tranſtulerant, provideatur de aliquo beneficio.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Non excidit a memoria noſtra, nec te credimus eſſe oblitum, qualiter olim pro Waltero ſacerdote & fratre ſuo, qui relicto propter perfidiam ſchiſmaticorum epiſcopatu Tullenſi, unde fuerant oriundi, ſicut accepimus, ad Remenſes partes ſe contulerunt, fraternitatem tuam ſollicite rogaverimus, & ipſos tibi duxerimus ſollicite commendandos. Nunc vero quia pro eodem ſacerdote venerabilem fratrem noſtrum Sueſſionenſem epiſcopum, per ſcripta noſtra rogavimus, ut ei eccleſiam, quam canonici S. Gervaſii Sueſſionenſis ad preces cariſſimi in Chriſto filii noſtri LUDOVICI illuſtris Francorum regis liberaliter promiſiſſe dicuntur, vel aliam æquivalentem concedat liberaliter & aſſignet, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eumdem epiſcopum inſtanter moneas & inducas, ut preces noſtras in hac parte celeriter ſtudeat & utiliter effectui mancipare. Tu quoque præfatum ſacerdotem & fratrem ſuum interventu noſtro habeas de cetero commendatos, quod eorum neceſſitatibus paterna affectione compati videaris, & nos exinde caritati tuæ multiplices debeamus gratiarum actiones referre. Fratrem etiam prædicti ſacerdotis, ſi ipſum idoneum eſſe cognoſcis, juxta tenorem aliarum litterarum noſtrarum non differas ordinare. Data Tuſculi XIII. Kalendas Novembris.

(a) Vulgo Vallium Sarnaii ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Pariſienſi.

(b) S. Luciani monaſterium haud ignobile eſt ordinis S. Benedicti, apud Bellovacum, quod hactenus perſtat ſub congregatione S. Mauri.

EPISTOLA CCLXXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus Johannem presbyterum, qui vexabat fratres de Mari.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Querelam abbatis & fratrum de (a) Mari nos noveris recepisse, quod cum ab Hugone quondam archidiacono Remensi altare quoddam de voluntate & assensu bonæ memoriæ (b) S. prædecessoris tui eis fuisset concessum, Johannes presbyter ipsius ecclesiæ, in qua idem altare consistit, eos exinde molestare præsumit, nec ipsos præscriptum altare permittit pacifice possidere, sicut idem archidiaconus ipsum noscitur possedisse. Adjecerunt insuper idem abbas & fratres, quod prædictus presbyter duas partes oblationum, quæ ad eosdem fratres pertinere dicuntur, eis solvere omnino recusat. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum sacerdotem ab indebito gravamine & molestatione prædictorum fratrum, tam super eodem altari, quam super aliis collata tibi auctoritate compescas. Si vero idem presbyter contra petitionem eorumdem fratrum se credit fore minutum, & causam cum eis intrare decreverit, tu rationibus utriusque partis diligenter auditis & cognitis, causam ipsam per te ipsum, non per alios, debito fine decidas. Ceterum quia supradicti fratres de terra quæ ad se pertinet, carrucam eorum per eumdem presbyterum fuisse conqueruntur ejectam, & per ipsum eamdem terram violenter asserunt occupatam, nihilominus eamdem causam per te cognosci volumus, & fine debito terminari. Data Tusculi XIII. Kalendas Novembris.

EPISTOLA CCLXXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut fratribus de Mari vineam quamdam reddi compellat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum de Mari nostris est auribus intimatum, quod quidam Remensis civis, qui in monasterio suo habitum religionis assumserat, vineam quamdam eis dimisit, quam ab ipso quidam concivis suus H. nomine a XX. annis retro pignori tenuerat obligatam. Mortuo vero præfato H. filius ejus præscriptam vineam, licet pater ejus inde sortem suam & amplius præter expensas, sicut dicitur, recepisset, insuper nihilominus contra Deum & salutem suam detinuit, & sæpius requisitus vineam ipsam prætaxato monasterio dimittere omnino contemsit. Ipso autem de præsenti luce morte repentina subtracto, Oddo sororius ejus eamdem vineam quasi propriam, sicut dicitur, occupavit, & eam violenter occupare præsumit. Quia igitur indignum est omnimodis & iniquum, ut idem monasterium suo debeat fraudari, maxime cum idem abbas & fratres, sicut asserunt, pro prædicta vinea recolligenda sortem supradicto H. reddiderint, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatam vineam cum fructibus inde perceptis eidem monasterio infra XL. dies post harum susceptionem restitui facias, & in pace dimitti, aut exinde sibi coram te, contradictione & appellatione cessante, plenam & sufficientem justitiam exhiberi. Testimonium autem fratrum ipsorum, per quos jam dictus abbas probare intendit, se prædicto H. sortem suam de prædicta vinea reddidisse, recipere non recuses. Data Tusculi XIII. Kalendas Novembris.

EPISTOLA CCLXXXV. Gallicanis episcopis.

Pro scholis regendis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus & episcopis per regnum Francorum constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Quanto Gallicana ecclesia majorum personarum scientia & honestate præfulget, & cautius nititur evitare quæ confundere videantur ecclesiasticam honestatem; tanto vehementiori dignum admiratione videtur, quod illi, qui nomen magisterii scholarum, & dignitatem in ecclesiis vestris assumunt, sine certo pretio ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hujusmodi prava & enormis consuetudo de cupiditatis radice processerit, & decorem admodum ecclesiasticæ honestatis confundat, providendum vobis est & summopere satagendum, ut consuetudo ipsa de vestris ecclesiis penitus extirpetur, cum vobis præcipue & specialiter ascribatur, si quid in eisdem ecclesiis laude dignum inveniatur, vel reprehensione laudandum: nos quoque, qui licet immeriti, dispensante clementia conditoris, suprema fungimur potestate, tantæ cupiditatis & rapacitatis vitium nolentes

(a) Monasterium de *Mari*, quod olim diœcesis Remensis fuisse videtur, hodie non comparet.
(b) Samsonis.

inemendatum relinqui; fraternitati veſtræ A per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſub anathematis interminatione prohibere curetis, ne qui dignitate illa, ſi dignitas dici poteſt, fungentes, pro præſtanda licentia docendi alios ab aliquo quidquam amodo exigere audeant vel extorquere; ſed eis diſtricte præcipiatis, ut quicumque viri idonei & litterati voluerint ſtudia regere litterarum, eos ſine moleſtia & exactione qualibet ſcholas regere patiantur, ne ſcientia de cetero pretio videatur exponi, quæ ſingulis debet gratis impendi. Si vero veſtræ prohibitionis vel præcepti extiterint tranſgreſ- B ſores, eos auctoritate noſtra & veſtra præſcriptis officiis & dignitatibus ſpolietis. Porro ſi hoc juxta mandatum noſtrum corrigere neglexeritis, negligentiam veſtram gravem habebimus & moleſtam, & ad ea corrigenda manum extendere compellemur: ita quod ſi voluerint in hujus rapacitatis propoſito perſiſtere, non valebunt. Data Tuſcul. XIII. Kalendas Novembris.

C

EPISTOLA CCLXXXVI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo & Ambianenſi epiſcopo.

Commendat ei R. mulierem quæ varia a multis gravamina patiebatur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remenſi & Ambianenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex conqueſtione R. mulieris accepimus, D quod Gerardus dives canonicus de S. Furſeio, ei domum ſuam apud Peronam; & quædam alia abſtulit, & damna plurima irrogavit. Drogo vero de *Chameis* & Petrus de Gloſa-bocca illi de eadem domo non modica detrimenta intulerunt, & adhuc inferre præſumunt. Quoniam igitur ex injuncto nobis apoſtolatus officio omnibus in juſtitia ſua debitores exiſtimus, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum G. ut præſcriptam domum cum omnibus ablatis & integritate damnorum eidem mulieri reſtituat, Dro- E gonem vero & P. ut damna illata reſarciant, & de cetero ab ejus moleſtia & inquietatione deſiſtant, vel in præſentia veſtra exinde ſibi juſtitiam, appellatione remota, exhibeant, commonere diligentius & diſtricte compellere ſtudeatis. Si autem monitis veſtris obtemperare contemſerint, in eos canonicam juſtitiam exerceatis. Data Tuſcul. VI. Kalendas Novembris.

EPISTOLA CCLXXXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo & Ambianenſi epiſcopo.

Commendat R. mulierem, quæ a miniſterialibus Philippi comitis Flandriæ bonorum jacturam patiebatur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remenſi arch epiſcopo & Ambianenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quia nobis R. latrix præſentium conqueſta eſt de miniſterialibus dilecti filii nobilis viri PH. comitis Flandrenſis, quod ei bona ſua per violentiam abſtuliſſent, eumdem comitem rogavimus atque monuimus, ut prædictæ mulieri ablata omnia faciat reddi, vel plenam exinde juſtitiam exhiberi. Si autem prædictus comes de miniſterialibus ſuis eidem mulieri juſtitiam non fecerit, eoſdem miniſteriales moneatis & diſtricte compellatis, ut memoratæ mulieri ablata univerſa reſtituant, vel in præſentia veſtra plenam inde juſtitiam, appellatione remota, non differant exhibere. Si autem neutrum horum adimplere voluerint, eos excommunicationis vinculo perſtringatis. Data Tuſcul. VI. Kalendas Novembris.

EPISTOLA CCLXXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro exceſſibus corrigendis in Tornacenſi epiſcopatu.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Rhemenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum in eccleſia Dei audimus aliquid pullulare quod de cupiditatis radice prodeat, & in ſymoniacam pravitatem prorumpat, ad id celeriter ſuccidendum ſollicite nos decet intendere, ne in eccleſia quidquam valeat inveniri, quod oculos divinæ majeſtatis offendat, vel eccleſiaſticæ obviet honeſtati. Audivimus enim fama referente, & audientes non potuimus non moveri, quod in epiſcopatu Tornacenſi uſque adeo regnat effrena cupiditas, ut abbates & monachi, canonici & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ, ad quarum præſentationem ipſius epiſcopatus eccleſiæ ſpectant, in preſbyteros, qui ſunt in ipſis eccleſiis ordinati, indebitas exactiones contra rigorem canonum & inſtituta ſanctorum patrum exercere præſumunt, & niſi eccleſias ipſas ad firmam vel ad cenſum recipiant, & prædictis perſonis pro ſua ſerviant voluntate, ipſis a præſcrip-

tis ecclesiis violenter expulsis, alios qui majora offerant, ibi instituant sacerdotes, & in eisdem ecclesiis ordinandis personarum honestate neglecta, pecuniæ, quod inviti dicimus, exigunt quantitatem. Quoniam igitur ad officium nostrum spectat, tantæ abominationis vitium radicitus extirpare, venerabili fratri nostro T. Ambianensi episcopo dedimus in mandatis, ut super his rei veritatem diligenter inquirat; & si ecclesiam Tornacensem in capite vel in membris tantæ pravitatis vitio invenerit involutam, tibi ex parte nostra significet, ut hujusmodi excessus pastorali sollicitudine corrigas & emendes. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum super his corrigendis ejusdem episcopi scripta receperis, tantæ iniquitatis radicem & rapacitatis vitium ita ad vivum reseces & evellas, quod nec etiam vestigium tanti mali valeat inveniri, nec usquam rumor tam symoniacæ pravitatis debeat ultra de jam dictis personis perferri. Si vero in his corrigendis esses negligens vel remissus, nos ad ea corrigenda manum nostram extendere cogeremur. Data Tuscul. IV. Kalendas Novembris.

EPISTOLA CCLXXXIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut episcopum Ambianensem obedientiam ab abbate S. Richarii exigentem compescat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quia te novimus sollicitum & ferventem pro jure & honore Romanæ ecclesiæ conservando, fraternitatem tuam confidenter super his sollicitamus, quæ ad incrementum & profectum ejusdem ecclesiæ cognoscimus pertinere. De cetero cum ecclesia B. Richerii ad jus & proprietatem B. Petri & dispositionem pariter & tutelam nostram specialiter spectare dicatur, & nos ei, si bene recolis, cum pastore vacaret, per ruam sollicitudinem abbatem providerimus, nunc eo defuncto, venerabilis frater noster Ambianensis episcopus auctoritate sua ibidem abbatem instituit, & eum sibi obedientiam præstare coegit. Quia vero nulla ratione pati possumus vel debemus, ut jura Romanæ ecclesiæ quomodolibet diminuantur, & in eodem episcopo, si scienter hoc fecit, tantæ præsumsionis excessus gravi foret animadversione plectendus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus hujus rei veritate plene comperta, si ita inveneris, episcopum moneas studiosius & inducas, ut ab obedientia sua abbatem absolvere non postponat: quod nisi fecerit, cum ab obedientia ejus auctoritate nostra absolvas, & cognito per monachos, si quis exinde census B. Petro debetur, cum nobis cum integritate præcipias reddi. Quidquid autem exinde feceris, nobis studeas tuis litteris quantotius intimare, & ita circa hoc efficiendum sollicitus & vigil existas, quod nos curam & diligentiam tuam in hac parte non immerito collaudare possimus. Data Tuscul. II. Kalendas Novembris.

EPISTOLA CCXC. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro causa inter Rogerum & Guiardum socerum suum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Accepimus ex transmissa conquestione Rogeri hominis fratrum Hierosolymitani Hospitalis, quod cum super causa quæ inter ipsum & Guiardum socerum suum vertebetur, ad nostram jam dudum fuisset audientiam appellatum, idem G. diem appellationis præveniens, causam ipsam dilectis filiis nostris R. archidiacono Catalaunensi & abbati (a) Omnium Sanctorum (*) de Insula impetravit committi. Cum autem utraque pars in eorum esset præsentia constituta, præfatus R. ab eis, quoniam super capitulis quæ non continebantur in litteris commissionis nostræ respondere compellebatur, ad nostram audientiam appellavit, sed illi, appellatione contemta, contra eum testes recipere, & ipsum excommunicationi subjicere præsumserunt. Quoniam igitur non licuit præfatis judicibus metam & formam nostrarum litterarum excedere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rei veritate studiosius inquisita, si ita esse inveneris, sententiam ipsam, dilatione & appellatione remota, publice non tenere denunties, & deinde causam, quæ inter ipsos vertitur, studiosius audias, & eam sublato appellationis remedio, debito fine decidas. Si vero res aliter se habet, sententiam ipsam mandamus & volumus observari, nisi manifestam nequitiam contineret. Et quia præfatus R. nobis conquestus est, quod idem G. socer suus ei uxorem per violentiam detinet, discretioni tuæ mandamus, ut si res ita se habet, eumdem G. ad restituendam præfato R. uxorem suam sub districtione anathematis compellas, nisi idem G. justum timorem ponat, quem si posuerit, eidem mulieri sufficientem facias secu-

(a) Omnium Sanctorum in Insula abbatia est canonicorum regularium ordinis S. Augustini in urbe Catalaunensi.

ritatem præstari. Data Tuscul. II. nonas Novembris.

EPISTOLA CCXCI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut P. presbyterum de Curtisinunt *in multis culpabilem amoveat ab ecclesia sua.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Parrochiani de villa *Curtisinunt* adversus P. presbyterum suum gravem ad nos querimoniam transmiserunt, quod cum fuerit filius sacerdotis & in sacerdotio genitus, literas a nobis per subreptionem obtinuit; & parrochiam quam obtinuit pater, earum fuit occasione adeptus. Accedit ad hæc, quod cum sedens in mensa, multotiens requisitus fuisset, ut ad quamdam parrochianam suam quæ ad mortem laborabat pro pœnitentia danda accederet, ad eam ire noluit, & sic ob culpam & negligentiam suam jam dicta mulier absque confessione & Dominici corporis perceptione decessit. Opponitur etiam ei quod in nativitate Domini post factas omnes oblationes ab unoquoque parrochiano suo, duos panes contra antiquam & rationabilem consuetudinem ex districtione requirat, & publice concubinarius exsistat. Quia vero hæc, si vera sunt, non debent clausis oculis prætermitti, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus rei veritate subtiliter inquisita, si ob desidiam pigritiamque suam prædicta mulier sine pœnitentia & perceptione Dominici corporis obiit, aut in sacerdotio genitus, ecclesiam in qua pater ministravit, possidet, & eam per litteras nostras, tacita veritate obtinuit, vel publice concubinarius existit, eum a prædicta ecclesia, occasione & appellatione remota, non differas amovere. Data Tusculi VII. idus Novembris.

EPISTOLA CCXCII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Reinerium & Galterium fratres excommunicatione ob illatas sacerdoti manus violentas absolvat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa relatione Reinerii & Galterii fratris ejus ad aures nostras pervenit, quod inter quemdam fratrem suum & sacerdotem contentione suborta, in eumdem presbyterum calore iracundiæ succensi violentas manus injecerunt, & eo non læso; capitulo Cameracensi & prædicto sacerdoti satisfecerunt. Unde quoniam propter discrimen & periculum viæ, ad nostram venire præsentiam dubitant, absolutionis beneficium promerituri, nos eis volentes morem gerere, & tuæ deferre fraternitati, eorum absolutionem experientiæ tuæ duximus committendam: ideoque discretioni tuæ mandamus, quatenus ab eis secundum morem ecclesiæ juramento recepto, ipsos auctoritate nostra absolvas, & illis postmodum in virtute juramenti præcipias, quod de cetero in clericum vel monachum seu conversum, Templarios vel Hospitalarios, nisi se defendendo, aut de mandato episcopi, vel alterius prælati sui, aut nisi cum uxore, vel sorore, sive cum filia inveniretur, violentas manus nullatenus injiciant. Nihilominus etiam eos sacerdoti de illata injuria, si nondum satisfecerunt, condigne satisfacere compellas, & ea quæ in via expenderent ad nos veniendo, leprosis Cameracensibus facias exhiberi. Data Tusculani VIII. Kalendas Decembris.

EPISTOLA CCXCIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut G. pauperem clericum a vexationibus Richardi canonici protegat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquerente nobis G. paupere clerico accepimus, quod cum cuidam canonico RIC. nomine diu servierit, & ei plusquam decem libras Valencenense tam de suo proprio, quam de alieno crediderit, expleto tempore servitii sui, non solum ipsi ea quæ sibi crediderat reddere denegavit, verum etiam quinque modios frumenti & eo amplius, quos de proprio suo emerat, indebite & fraudulenter calumniari præsumsit. Postmodum vero cum prædictum canonicum super his in causam traxisset, justitia coactus, præfatum debitum recognovit, & cum apud eum de solvendo debito instaret, ipse appellatione ad nostram audientiam facta, nec venit, nec aliquem pro se responsalem transmisit. Quia igitur cuilibet & præsertim viris ecclesiasticis in sua justitia debitores existimus, nec decet ut prænominatus G. pro servitio suo, unde emolumentum percipere deberet, tantam de rebus propriis debeat sustinere jacturam; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præscriptum canonicum moneas & districte compellas, ut eidem G. debitum suum cum integritate restituat, damna

data refarciat, vel in præsentia tua plenam exinde justitiam appellatione remota exhibeat. Si autem quantitatem debiti vel computi tam de frumento quam de pecunia inter eos, sicut dicitur, facti denegare præsumserit, cum quoniam de pecunia agitur, calumniæ juramentum præstare compellas. Data Tuscul. VIII. Kalendas Decembris.

EPISTOLA CCXCIV. HENRICO Remorum archiepiscopo

Pro G. diacono super ecclesia de Undescota.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significavit nobis venerabilis frater noster Morinensis episcopus, quod cum olim preces sibi sollicitas porrexissemus, ut G. diacono latori præsentium in ecclesia de Undescota provideret, ipse B. presbytero ejusdem ecclesiæ convocato, de ordinatione sua cœpit diligenter inquirere, & tandem ex ipsius confessione didicit in judicio, quod ab illo schismatico & superimposito Albestactensi, GERONE videlicet, fuisset in presbyterum ordinatus, sed ut ipse dicebat antequam in schisma laberetur, & ecclesiam illam se asseruit canonice adeptum fuisse. Cum autem prædictus diaconus, apud prædictum episcopum ferventer instaret, ut ei juxta tenorem litterarum nostrarum in præscripta ecclesia provideret, ipse B. eumdem diaconum ad nostram audientiam appellavit, & proximum festum Purificationis B. Mariæ terminum suæ appellationi præfixit, ut sic eamdem posset ecclesiam detinere, & vitare periculum quod sibi sciebat proxime imminere. Quoniam igitur non est dubium quin præfatus GERO superimpositus Albestactensis fuisset ac schismaticus & excommunicatus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus super his præfatum episcopum, & alios qui veritatem noverunt, causam studeas diligenter inquirere, & si tibi constiterit præfatum B. in judicio coram eodem episcopo recognovisse, quod a prædicto G. fuerat in presbyterum ordinatus, eum ab ordine, quem ab ipso recepit, perpetuo auctoritate nostra, appellatione remota, deponas, ipsumque ab ecclesia jam dicta removeas, præfatum episcopum monens & inducens, ut memorato diacono in eadem ecclesia juxta tenorem precum nostrarum non differat providere. Data Tuscul. V. Kalendas Decembris.

EPISTOLA CCXCV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro fratribus Maurimontensis ecclesiæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum Maurimontensis (a) ecclesiæ nobis graviter conquerentium audivimus, quod sacerdos S. Manehildis domum ipsorum manu armata violenter invadens, familiam verberibus affecit, & P. monachum latorem præsentium diabolico ausu vulneravit, & ipsius sanguinem atrociter effudit. Quia vero hæc, si vera sunt, non sunt opera Christiani, & tanto severius punienda sunt, quanto hujusmodi a sacerdote minus attentari deberent, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si ita est, prædictum sacerdotem & coadjutores & fautores ipsius, quorum consilio & auxilio id tibi factum esse constiterit, appellatione remota, vinculo non differas excommunicationis innodare, & tamdiu facias sicut excommunicatos vitari, donec injuriam passis congrue satisfaciant, ablata restituant, damna data refarciant, & tam presbyter ab officio & beneficio suspensus, quam ceteri qui violentas manus in monachum injecisse noscuntur, cum tuarum testimonio litterarum apostolico se conspectui repræsentent. Data Tuscul. V. Kalendas Decembris.

(a) Maurimontense monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi Catalaunensi, hactenus perstat sub congregatione S. Vitoni.

EPISTOLA CCXCVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut compescat quosdam qui decimas novalium exigebant ab infirmis Cameracensibus.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Iteratam querelam infirmorum Cameracensium fratrum nobis transmissam accepimus, quod S. Andreæ de Castello & S. Sepulcri abbates & canonici S. Gaugerici, & Phil. miles de Ruminiaco ab eis de navalibus suis & nutrimentis animalium suorum contra scriptum quod eis indulsimus, decimas exigere & per violentiam extorquere præsumunt: ita quidem quod ab exactione decimarum ipsarum, mandatis vel præceptis nostris super hoc totiens iteratis non pos-

sunt aliquatenus coerceri. Cum autem causam ipsam jam pridem experientiæ tuæ commissam prosequi velles, quædam litteræ, quæ a nobis videbantur manasse, coram te, sicut accepimus lectæ fuerunt. Quæ litteræ pro fratribus ipsis transmissis videbantur manifestius contraire. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum militem ab exactione decimarum illarum, omni dilatione, contradictione & appellatione postposita, nostra & tua auctoritate compescas, & si quas forte per violentiam occupavit, ipsum infra XL. dies post harum susceptionem ad earum restitutionem ecclesiastica censura compellas. Nihilominus etiam volumus & mandamus, ut tam prædictos abbates, quam canonicos sollicite monere studeas, & collata tibi auctoritate compellere, ut si quas decimas memoratis fratribus de nutrimentis animalium suorum vel de novalibus quæ propriis manibus aut sumtibus excolunt, temere abstulisse noscuntur, ipsis infra præscriptum terminum, appellatione cessante, in integrum restituere non postponant, & de his desinant ulterius exigere ab ipsis decimas vel auferre. Verum si qua ipsi habent novalia, quæ ab aliis redducta fuissent ad cultum, exinde præfatis abbatibus & canonicis decimæ solebant exsolvi, nolumus eosdem abbates vel canonicos decimis eorum privari, quominus ex his decimas ipsi percipiant, quemadmodum ab aliis qui ante illos eadem novalia tenuerant percipere consueverunt. Data Tusculi III. Kalendas Decembris.

EPISTOLA CCXCVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro monasterio S. Medardi super causa usurarum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significantibus nobis dilectis filiis nostris abbate & fratribus S. Medardi, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod cum Godoinus quidam eis quamdam summam pecuniæ credidisset, & ab eis ducentas marcas argenti ultra sortem usurarum nomine recepisset, tandem peccatis exigentibus intestatus decessit. Quoniam igitur indignum est penitus, & iniquum, ut ultra, si res ita se habet, monasterium ipsum super usuris vel sorte gravetur; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, rei veritate studiosius inquisita, si ita tibi constiterit, prædictum monasterium super exactione sortis vel usurarum non sustineas amodo molestari, cum potius heredes præ- dicti G. quod est a prædictis fratribus ultra sortem extortum, eis cum integritate debeant restituere. Si vero heredes ipsius G. præscriptum monasterium super pecunia prætaxata molestare præsumserint, eos a præsumtione sua, sublato appellationis remedio, ecclesiastica districtione compescas. Data Tusculi IV. nonas Decembris.

EPISTOLA CCXCVIII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro monasterio Maurimontis super annona.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte abbatis & fratrum Maurimontensis monasterii ad nostram est audientiam querela perlata, quod Milo cognomine Arrivatus, eidem monasterio XL. sextarios annonæ irrationabiliter auferre non veretur. Super quo ad rationem positus, cum fidem dedisset, quod præfato monasterio prædictam annonam restitueret, ipse nihilominus postposita fidei religione, eamdem annonam impudenter non cessat detinere. Unde nos volentes prædictis fratribus debitam justitiam exhiberi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si ita est, prælibatum M. moneas, & appellatione remota districte compellas, ut præscriptos XL. sextarios annonæ memoratis fratribus infra XX. dies post harum susceptionem, sine diminutione restituat & in pace dimittat, ejus in hac parte excessum ita corrigens, quod se plurimum deliquisse cognoscat, & alii exemplo illius a tam periculoso excessu sibi debeant cautius præcavere. Data Tusculi IV. nonas Decembris.

EPISTOLA CCXCIX. UNIVERSIS fidelibus per regnum Franciæ constitutis.

Ut ecclesiæ Nazarenæ subveniant.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Dei fidelibus per regnum Franciæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Civitatum, castellorum & aliorum locorum terræ Orientalis desolationes, tribulationes & angustias, pariter & dolores licet ex relatione commeantium vestra potuerit universitas didicisse, vobis tamen non sine mœrore necessarium duximus significare, & ad compassionem tantorum malorum vestram sollicitare studiosius caritatem. Divino siquidem & occulto judicio faciente, ex terræ motu plures civitates & oppi-

da, quædam ex toto, quædam ex parte diruta & funditus evulsa, in ruina quorum ingens hominum multitudo est suffocata. Unde quidam inimici contrarii Christi audaciam assumentes, nonnulla loca Christianorum invasione tyrannica occuparunt. Inter quæ magnum & populosum casale ecclesiæ Nazarenæ peccatis exigentibus capientes, clericos & ceteros habitatores in captivitatem duxerunt. Inde est quod canonici præscriptæ ecclesiæ, tum ex hoc tum ex aliis malis & angustiis supervenientibus ad tantam devenere inopiam & paupertatem, quod nisi a Dei fidelibus adjuventur, in ecclesia sua non poterunt diutius ad summi conditoris obsequium permanere. Ceterum quoniam evangelica scriptura testatur: *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, & quicumque ad jubar circumscripti luminis & ad illam æternitatis gloriam pervenire desiderant, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, & ubi fures non fodiunt nec furantur, necesse est ut illam sementem boni operis studeant seminare in terra, quam cum multiplicato fructu recolligere possint in cœlis, universitatem vestram rogamus, monemus & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum vobis injungimus, quatenus fratres & nuntios prædictorum canonicorum qui ad vos mittuntur onera & necessitates suas exposituri tam devote quam humiliter recipiatis, & eis caritatis solatia & subventionis auxilium porrigatis, ut ab omnipotente Domino, qui nullum bonum prætermittit inremuneratum æternæ retributionis præmia recipiatis, & ad supernæ beatitudinis gaudia mereamini Deo propitio pervenire. Datum Tusculi VI. idus Decembris.

EPIST. CCC. L. ARCHIEPISCOPI Nazareni ad Henricum archiepiscopum Remensem.

Commendat ei VVillelmum canonicum ecclesiæ suæ.

VEnerabili & plurimum dilecto amico & domino HENRICO, Dei gratia Remensi archiepiscopo, L. eadem gratia Nazarenæ ecclesiæ archiepiscopus, salutem & intimæ dilectionis affectum.

Diu est quod celsitudinis vestræ opinionis fama, similitudinem regiæ majestatis exprimens, crebro auribus nostris reinfusa, nos ad scribendum vobis sæpius invitavit, sed usque ad præsens quo se opportunitas scribendi ingessit, plurium negotiorum occupatio nos vehementer præpeditos retardavit. Unde veniam de offensa postulantes, rogamus attentius deprecantes, quatinus gloriam familiaritatis & colloquii vestri nobis impendatis, & servitium nostrum, quod vobis & vestris alacri devotione offerimus, a nobis tamquam a propriis clericis & suffraganeis vestris recipi jubeatis. Sciatis revera quod si qua sunt in partibus nostris quæ vestræ noscamus placere reverendæ paternitati, quousque ad vestram deveniant præsentiam, noster requiem non habebit spiritus. Inde siquidem est, quod excellentiam vestram habere volumus exoratam, summopere flagitantes, quatenus præsentium latorem Willelmum presbyterum dilectum filium & canonicum nostrum, quem pro recuperandis decem libris Pruvinienſium, quas in passagio Cuciaci habere debemus, sed numquam post mortem domini ENGELRANDI, qui nobis eas reliquit, nisi tantum per duos annos habere potuimus, & pro quadam domo recuperanda, quam in Trecensi episcopatu in villa domni CLAREMBALDI DE CAPPES habere debemus, illuc transmisimus, habere dignemini commendatum, & opem consilii & auxilii vestri, in quibus illi necesse fuerit, pro salute animæ vestræ & reverentia loci, ubi Verbum caro factum est, benignius impendere non desistatis, ut æternæ retributionis præmia reportare valeatis, & nos vobis obnoxios inde constituatis.

EPISTOLA CCCI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Causam ei committit examinandam & terminandam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Insinuante nobis Theobaldo latore præsentium, accepimus, quod fidejussores sui de Appia, postquam pro eo fidejusserunt in XV. libris, illi dixerunt, quod si vellet & concederet, illum cui libras illas debebat, exinde acquietarent, quod quia facere renuerunt, & eum super LX. & XI. solidis & VI. denariis impetierunt, ad nostram audientiam appellavit. Verum quia hujus rei veritas nobis non constat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si prænominatus T. legitimis testibus probare poterit, quod prædicti fidejussores tantum de rebus suis habuerunt, quantum est illud, in quo pro eo fidejusserunt, eos moneas & compellas, ut vel exinde ipsum absolvant, aut in tua præsentia ei plenam justitiam exhibeant, quod si facere noluerint, ipsos ecclesiastica censura, appellatione remota, percellas. Super LX. vero & XI. solidis & sex denariis, quos ab eo petierunt, causam audias, & eam sublato appellationis remedio, mediante justitia, decidas. Data Tusculi V. idus Decembris.

EPISTOLA

EPISTOLA CCCII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Theobaldo adversus Guidonem de Appia.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte Theobaldi parrochiani tui, gravem satis & miserabilem querelam audivimus, quod cum sit homo S. Remigii, Guido B de Apia eum ad se sub bona fide vocatum temere cœpit, & tam manibus quam collo ferreis cathenis ligatis, ipsum nequiter carceri mancipavit. Cum autem jam dictus Guido a quibusdam amicis & consanguineis præfati T. fuerit requisitus, ut eumdem T. liberum & absolutum dimitteret, id facere omnino contemsit, immo sibi suspendium acriter est comminatus. Unde ipse formidine tam atrocis pœnæ perterritus, datis fidejussoribus, se XV. libris redemit, de quibus terra sua pignori obligata XI. libras & VIII. solidos & dimidium solvit. De C reliquis vero coram N. procuratore archidiaconi tui est graviter impetitus. Quia igitur sævitiam tantæ tyrannidis & tam iniquæ præsumtionis excessum non debemus vel possumus inultum relinquere, ne de ipsius impunitate alii ad similia provocentur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus tem ipsam infra XL. dies post harum susceptionem diligenter inquiras, & si ita esse inveneris, supradictum malefactorem studiose commoneas, & sub anathematis districtione compellas, ut universa quæ a memorato T. per hujusmodi D tyrannidem & impressionem extorsit, ei sine diminutione persolvat, de illatis injuriis congrue satisfaciat, & fidejussores suos a fidejussione illa & ipsum a juramento, si quo tibi propter hoc tenetur, prorsus absolvat. Nolumus autem ut causam ipsam vel alias graves & difficiles prædicto N. exequendas committas, sed eas per teipsum studiosius exsequaris, ne forte tibi de præfato N. quod Dominus avertat, contingat, quod bonæ memoriæ quondam Noviomensi episcopo de Drogone audivimus contigisse.

EPISTOLA CCCIII. HENRICI Remensis archiepiscopi ad suos suffraganeos.

De gravaminibus sibi ab Henrico comite illatis.

HENRICUS dictus Remensis archiepiscopus venerabilibus fratribus & coepiscopis suffraganeis suis, salutem & apostolicam benedictionem.

Juxta verbum Sapientis, *frater adjuvans fratrem confortabitur, sicut civitas munita & fortis*, & in executione justitiæ non debent esse discordes, quos in loco judicii provexit æterna justitia. Dignior est enim generatio quam Spiritus-sanctus operatur in filiis gratiæ, quam quæ in cordibus filiorum hominum revelatur carnis & sanguinis atramento: inde est quod vestræ fraternitati insinuare dignum duximus, quantam malitiam comes H. exercuerit, & adhuc exercere non desistat, & in personam nostram & in ecclesias nobis commissas. Cum enim homo noster ligius esset, salva fidelitate Domini regis, neque nos diffiduciasset, quosdam milites homines nostros, qui nobis guerram inferebant in terra feodi nostri, contra voluntatem nostram sustinuit & recepit: ita ut illuc prædas nostras & ecclesiarum nobis commissarum, secum abducerent. Fecimus eum adrationari & admoneri per proprios nuncios, ut nobis nostra reddi faceret; ipse vero nec nostra reddi fecit nec malefactores nostros de feodo nostro ejecit: immo subterfugium quærens, sicut postea patuit, appellari nos fecit ad audientiam domini papæ. Sustinuimus, licet aliud de jure nobis facere liceret, quia raptores non habent vocem appellandi. Postmodum vero nec sic aversus est furor ejus, sed adhuc manus extenta. Milites enim ejus & (a) Coterelli (a) intrantes terram nostram & ecclesiarum nobis commissarum, tanta crudelitate grassati sunt in homines nostros, alios interficientes, alios vinculis ad carcerem trahentes, ut in una ecclesia XXXVI. homines incenderent, & nulli parcentes sexui, prædati sunt & destruxerunt omnem fere circa regionem. Misimus ad eum nuntium nostrum, ut nostra nobis & ecclesiis sua reddi faceret, sed cum eo loqui non potuit. Unde & nos præsentibus clericis nostris tulimus in eum sententiam excommunicationis; sed in ecclesia non promulgavimus tunc temporis. Misit autem postea qui treugas inter nos acciperent, & nos dedimus, in eo tamen statu quo res erat, quia excommunicatus erat a nobis, licet in ecclesia non promulgassemus, & ea conditione, quod nostra nobis interim reddi faceret. Dies treugarum præterierunt, E & nostra nobis non sunt reddita, sed neque ecclesiis sua. Unde & nos excommunicationis sententiam candela extincta in eum promulgavimus. Misit vero post latam sententiam qui appellarent iterum ad audientiam domini papæ. Quia ergo tam injuriose egit erga nos & ecclesias nostras, mandavimus vestræ fraternitati, & mandando præcepi-

(a) Coterelli esse videntur, cotta seu clamyde militari induti. Infia vero in epistola Frederici Coterelli iidem sunt qui Brabantiones. Brabantiones autem erant prædones. Vide Cangium in verbo Brabantiones.

mus, quatinus in episcopatibus vestris per A omnes ecclesias denuntiare faciatis eum excommunicatum nostrum, & excommunicari singulis dominicis per singulas ecclesias, & omnes qui ei præstiterunt auxilium ad damnum nostrum & ecclesiarum nostrarum.

EPISTOLA CCCIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut apud Valencenas facultas detur hospitali B *pauperum construendi ecclesiam, & ne viri ecclesiastici a secularibus judicentur.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Perlatum ad audientiam nostram, quod hospitale quoddam apud Valencenas ad subsidium & receptionem pauperum Christi jam pridem fuit constructum, ubi infirmis & indigentibus plura jugiter exhibentur beC neficia caritatis. Verum cum non sit ibi ecclesia, in qua infirmi & fratres inibi commorantes officia divina possint audire, vel mortui etiam sepeliri, corpora decedentium non sine rerum dispendio ad locum alium deferuntur. Quia igitur nobis est attentius supplicatum, ut eidem religioso loco in hac parte consulamus, nos misericordia moti & officii nostri debito nihilominus inclinati, fraternitatem tuam monemus atque mandamus, quatinus si res ita se habet, canonicos Cameracensis ecclesiæ instanter moneas & inducas, ut fratribus præscripti loci, recepta ab eis sufficienti cautione, D quod aliarum ecclesiarum parrochianos ad quotidiana officia vel ad sepulturam recipere non audeant, construendi ibidem oratorium & ciniterium liberam tribuant facultatem. Ceterum quia nobis est intimatum, quod cum in præscripta villa de Valencenis sint ecclesiastici viri beneficia ecclesiastica non habentes, qui tamquam quilibet laici a personis sæcularibus judicentur, nos attendentes qualiter in his & omnipotens Deus offendatur, & ecclesiarum libertas sustineat detrimentum, nihilominus tuæ discretioni mandamus, ut nullum virum ecclesiasticum per provinciam tuam a personis sæcularibus judicari permittas, eos nostra & tua auctoritate compescens, qui clericos ad judicium præsumserunt trahere sæculare.

EPISTOLA CCCV. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Ut Corbeiense monasterium sub sua suscipiat protectione.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Comperto nobis ex transmissa relatione dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum (a) Corbeiensis ecclesiæ, quod (a) eos gratia & affectione præveneris, & ipsis benefacere studueris, plurimum fumus inde lætificati & ad amorem & dilectionem tuam magis accensi, tanto id gratius & acceptius reputantes, quanto monasterium ipsum specialius diligimus, & sollicitiori provisione, sicut rem (b) propriam & specialem (b) protegere, fovere, & conservare tenemur. Inde est quod nos sinceritati tuæ de præteritis gratias uberes exsolventes, pro eodem monasterio fraternitatem tuam rogamus, solliciteque monemus, quatenus ipsum divini amoris intuitu & pro reverentia B. Petri ac nostra diligas, manuteneas, & in justitiis suis protegas atque conserves, nec jura & libertates ejus aliquo modo imminuas, aut a quoquam, quantum in te est, imminui patiaris; sed de parrochianis tuis cum exinde querelam receperis, ita plenam justitiam facias exhiberi, quod in hac parte studium tuæ sollicitudinis multipliciter commendare possimus, & exinde tibi uberes gratiarum actiones referre. Data Tusculi v. idus Decembris.

EPISTOLA CCCVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Guidonem episcopum Catalaunensem a vexatione M. viduæ compescat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Nullus esset litium finis, si ea quæ judicio vel compositione sunt terminata, in recidivæ * contemplationis scrupulum deve- * f. contentionis. E nirent. Relatum est siquidem auribus nostris, quod cum causa quæ inter M. viduam & fratrem nostrum G. Catalaunensem episcopum vertebatur, fine fuisset congruo terminata, nunc eam per quemdam Burgensem suum prædictus facit episcopus suscitari, & sic præfatam mulierem sumtuosis litigiis fa-

(a) Corbeia antiquum & insigne monasterium ordinis S. Benedicti, quatuor horis ab Ambianis distans, a S. Bathilde uxore Clodovei II. regis Francorum fundatum.

(b) Corbeiense siquidem monasterium nullum agnoscit alium episcopum præter papam.

tigari. Unde quoniam iniquum est & rationi contrarium, quæ legitime decisa noscuntur, occasione qualibet revocare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum episcopum ex parte tua & nostra commoneas, & districte compellas, ut prædictam mulierem super causa sua, si compositione vel judicio terminata est, per se seu per summissam personam indebite molestare nulla ratione præsumat, & si temere tentaverit, ejus temeritatem animadversione condigna compescas. Datum Tusculi IV. idus Decembris.

EPISTOLA CCCVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Committit ei terminandam causam inter Lambertum & Bartholomæum presbyteros.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum Lambertus & Bartholomæus pro causa quæ inter eos super ecclesia de Octava vertitur, apostolico se conspectui præsentassent; Lambertus coram nobis asseruit præscriptam ecclesiam sibi canonice fuisse concessam, & Willelmum archipresbyterum eam Bartholomæo, cum idem L. iret Parisius gratia studendi, usque ad sunm reditum commisisse. Econtra vero Bartholomæus proposuit se jam dictam ecclesiam invenisse vacantem, & eam canonice fuisse adeptum, & duobus annis & amplius pacifice possedisse. Et quoniam neutra pars super his quæ allegabant nobis fidem facere poterat, nos de tua honestate & discretione plurimum confidentes, causam ipsam experientiæ tuæ committimus audiendam, & fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem causam remoto appellationis obstaculo, justitia mediante, decidas, illam providentiam & diligentiam adhibiturus, quod neutra partium merito conqueri valeat pro juris defectu. Data Tuscul. III. idus Decembris.

EPISTOLA CCCVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut usuras quas Bernardus Leprosus a Gerardo de Joëcort, *exigebat impediat.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione Gerardi de *Joecort*, nobis est insinuatum, quod cum ab Oda sorore cujusdam Leprosi, Bernardi nomine, centum solidos ad usuram mutuo accepisset, & eidem de usuris excrescentibus usque ad C. solidos persolvisset, non eo minus idem leprosus defuncta sorore prædictos C. solidos sibi ab ipso G. instanter poscit exsolvi. Unde quia, sicut tua novit discretio, usura inter gravissima crimina reputatur, & cum eam in animarum periculum non sit dubium redundare, Deo & fidelibus abominanda existit, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus tam præfatum leprosum, quam Gerardum in præsentia tua constituas, & si tibi ex demonstratione ejusdem G. legitime constiterit, prædictum leprosum vel sororem suam ab ipso G. centum solidos pro usuris accepisse; prænominatum Bernardum ab impetitione sua qua præfatum G. impetit tam de sorte quam de usuris desistere, & ipsum in pace & quiete dimittere, auctoritate nostra districte compellas. Datum Tusculi XV. Kalendas Januarii.

EPISTOLA CCCIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Alberto ecclesiam de Angeio & Cersolio conservet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibi fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad apostolicæ sedis clementiam veniens Albertus lator præsentium, supplici nobis conquestione monstravit, quod vacante Sucilionensi ecclesia, dilectus filius noster N. archidiaconus ejusdem ecclesiæ ipsi ecclesiam de Angeio & Cersolio secundum antiquam & rationabilem consuetudinem ecclesiæ suæ concessit, quam ipse longo tempore quiete pacificeque possedit. Tandem autem cum ad curiam nostram venisset, & super eadem ecclesia confirmationis nostræ litteras impetrasset, venerabilis frater noster Hu. Suessionensis episcopus, eo absente, cuidam familiari suo Ric. nomine ecclesiam ipsam concessit, quam idem R. comitissa Branensi & parrochianis interdicentibus intrare minime potuit. Longo vero tempore post cum prædictus R. eum super hoc in causam ante præfatum episcopum traxisset, & cum iste ad tuam audientiam appellasset, tu visa confirmatione nostra, & legitimis testibus, quos ipse produxerat, & certitudine habita pro N. archidiacono quod ecclesiam illam canonice adeptus fuisset, eum in pace dimisisti, sane cum Ric. ad nostram audien-

tiam appellasset, & eo veniente, iste nec venisset, nec aliquem pro se responsalem misisset, tibi in hunc modum scripsimus, quod si constaret istum de manu episcopi ecclesiam non suscepisse, illum ea privares. Sicque factum est, quod ei præscriptam ecclesiam abjudicasti, & ipsum nisi eam dimitteret, tam in episcopatu quam in eadem ecclesia excommunicatum denunciasti. Verum quoniam non scripsimus homini illiterato, sed perito atque discreto, & archidiaconi, sicut diximus, vacante majori ecclesia, archidiaconatuum suorum libere possunt ecclesias ordinare. & satis videtur de manu episcopi beneficium recipere, quod de manu illius recipit qui vicem ejus gerit, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si res ita se habet, ipsum a nobis denuncies absolutum, & ei ecclesiam suam facias in pace dimitti. Verum si res aliter se habet, quod inde venerabiles fratres nostri Belvacensis & Ambianensis episcopus statuerint, appellatione remota, suscipi facias & firmiter observari. Nos enim cum tibi sicut fratri carissimo libenter deferre velimus, ad examen tuum causam ipsam remittere non potuimus, pro eo quod a te fuit ad nostram audientiam appellatum. Datum Tusculi xv. Kalendas Januarii.

EPISTOLA CCCX. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Adversus Petrum electum Cameracensem & Drogonem cancellarium Noviomensem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum gravia sint & multa animadversione plectenda ea quæ de (a) P. Cameracensi dicto electo & Drogone nobis significasti, etsi propter (b) Maricolensem ecclesiam doleamus, lætamur tamen quod Deus in hac parte in præsenti tuos punit excessus, & te male egisse ex operibus illorum manifeste cognoscis. Quanta vero in episcopalibus sedibus ordinandis gravitas, circumspectio & puritas sit exhibenda, quomodo etiam aliquando in his excesseris, qualiter etiam pro Drogone, ut cancellariam Noviomensis ecclesiæ ei confirmaremus, nobis institeris, diligenter debes ad memoriam reducere, & quomodo quod tibi de prædicto Cameracensi contigit, qui propter ætatem non erat ad episcopalem dignitatem vocandus, cum etiam secundum leges sæculi, si persona esset sæcularis, in propria causa procuratorem haberet patris, sollicita te convenit meditatione pensare, & de satisfactione creatori tuo propter hoc exhibenda studiosum existere, & hujus delicti veniam corde & animo postulare, & ita prudenter & caute providere, quod ecclesia graviora non possit incurrere detrimenta. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus prædictum D. ad ecclesiam suam redire, & ibi peccata & facinora sua digna pœnitentia deplorare, ut non ad obedientiam exire vel transire debeat, districte compellas: & si infra mensem post commonitionem tuam ad (c) claustrum unde exivit reverti & ibi assidue manere noluerit, ipsum publice accensis candelis excommunices, & a suo abbate facias excommunicari. Præfatum vero Cameracensem dictum electum a molestatione Maricolensis ecclesiæ & rerum suarum desistere, & ei ablata restituere, & quæ inique contra ipsam agit emendare, omni cum districtione coerceas, & si nec resipuerit, debitam pro qualitate temporis personæ animadversionem adhibeas. Datum Tusculi xv. Kalendas Januarii.

(a) Petro de Alsatia filio Theoderici Flandriæ comitis & Sibillæ filiæ Fulconis Jerosolymitani regis, qui non consecratus episcopatum dimisit anno 1170. ducta uxore filia comitis Nivernensis, ex qua prolem non suscepit.

(b) Maricolæ monasterium ordinis S. Benedicti ad Helpram fluvium in diœcesi Cameracensi.

(c) Hamense ordinis S. Augustini in diœcesi Noviomensi.

EPISTOLA CCCXI. PHILIPPO comiti Flandriæ.

Ut hortetur electum Cameracensem fratrem suum ad obediendum archiepiscopo suo, nec Maricolensem vexet ecclesiam.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, nobili viro PHILIPPO comiti Flandrorum, salutem & apostolicam benedictionem.

Relatum est nobis, & certa assertione monstratum, quod Cameracensis dictus electus de tua potentia & nobilitate confidens, archiepiscopo suo jam incepit contumax & rebellis existere, monita & mandata ejus despicere, & in sacras Dei ecclesias & ecclesiasticas personas non dubitat debacchari. Quia vero nemo quantumcumque sit potens & fortis, de viribus & fortitudine sua debet præsumere, aut contra Deum suæ potentiæ manum extendere, magnitudinem tuam rogamus attentius atque mandamus, quatenus prædictum fratrem tuum super excessibus suis dure redarguens, corrigens & castigans, in his quæ contra Deum sunt, ei nullam audaciam vel favorem tribuas, sed potius omnem spem & auxilium tuum subtrahas, ipsum quoque moneas, horteris propensius & inducas, ut ea quæ contra Maricolensem ecclesiam nequiter egisse asseritur, ad mandatum archiepiscopi sui studeat

emendare, & ita se illi humilem devotum & obedientem exhibeat, & ecclesiasticis documentis informet, ut in eo sanguinis nobilitatem morum nobilitas valeat decorare. Quod si secus fecerit, pro certo cognoscas, quod nec fortitudo, nec nobilitas ejus poterit audaciam vel præsumtionem tueri, manus enim Domini valida est & nullum consilium, sapientia vel fortitudo contra Deum.

EPISTOLA CCCXII. ABBATI Hamensi.

Ut Drogonem canonicum suum gyrovagum in monasterium suum revocet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Hamensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum scriptum sit *melius est nomen bonum quam divitiæ multæ*, summopere debemus eniti, & studere modis omnibus, quomodo fama opinionis vestræ & honestatis conservetur illæsa, & de jure non valeat inhonestatis vitio denigrari, aut siniſtra interpretatione corrodi. Quia vero actus & opera quæ Drogo canonicus vester exercet, illum & ordinem vestrum deturpant, & famam & honestatem vestram, quam super omnia conservare debetis, denigrant: discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præfatum D. occasione & dilatione cessante, revocetis ad claustrum, & eum non permittatis ad obedientias transire, aut ibi moram facere. Si autem commonitioni vestræ parere contemserit, ipsum publice accensis candelis excommunicetis, & faciatis ab omnibus tamquam excommunicatum vitari. Turpe est enim lucrum quod acquiritur cum honestatis jactura, & divitias veras accumulat qui bonum sibi nomen & famam conservat. Quod si eum ad mandatum nostrum citius non revocaveritis, & ejus præsumtionem & insolentiam non compescueritis, pro certo sciatis, quod eum a venerabili fratre nostro H. Remensi archiepiscopo excommunicari præcepimus, & in nos & in ecclesiam vestram gravius forte quam creditis & durius auctore Deo vindicare cogemur. Data Tusculi xv. Kalendas Januarii.

EPISTOLA CCCXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Odonem macellarium debitas Richerio xvij. libras solvere compellat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa relatione Richerii ad aures nostras pervenit, quod Oddo macellarius ei decem & septem libras solvere debet, quas sibi reddere contradicit. Unde quoniam omnibus ex injuncto nobis officio debitores existimus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem O. moneas & districte compellas, ut ei prætaxatam pecuniam reddat, vel pignus pro eodem assignet, aut in præsentia tua plenam exinde justitiam, appellatione remota, exhibeat. Datum Tusculi xii. Kalendas Januarii.

EPISTOLA CCCXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Agatha restituatur R. de Adversa marito suo.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam Agatha mulier latrix præsentium, supplici nobis conquestione monstravit, quod cum R. de Adversa legitime fuisset in conspectu ecclesiæ desponsata, & XVIII. annis secum mansisset, & tres ex eo liberos procreasset, R. de *Sabois* dominus terræ ipsum & propinquos suos fecit jurare, quod eam dimitteret & a se separaret, sicque factum est, quod absque justa causa ipsam dimisit, & eam tribus annis vitæ solatio destituit, & inopia & angustia multa laborare coegit. Quia igitur non potest, nec debet vir uxorem absque justa causa dimittere; fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus; quatenus si ita est, prædictum R. moneas instanter, & auctoritate nostra compellas, ut præfatam A. sicut sororem suam benigne recipiat, & maritali affectione pertractet, & pecuniam quam pro necessitatibus suis mutuo accepit, cum integritate persolvat. Sane si de viro dubitaverit, ei plenam facias ab eodem viro securitatem præstari, ita quod exinde eam non oporteat amplius dubitare. Si autem monitis tuis parere contemserit, eum & prædictum R. & alios principales ejus in malitia ista fautores, remoto appellationis obstaculo, auctoritate nostra vinculo excommunicationis astringas, terras eorum interdicas, & eidem mulieri dotalitium suum omni occasione & appellatione cessante, facias restitui. Verumtamen si postquam eam receperit, aliquæ personæ apparuerint, qui matrimonium inter eos contractum velint & legitime possint impetere; causam audias & pontificali maturitate adhibita, canonico fine decidas. Ceterum si tanto tempore simul fuerunt, nisi certa indicia & suspiciones appareant;

quod inter eos tanta sit parentela, quod secundum Deum & justitiam non possint nec debeant insimul remanere, ad accusationem hujus matrimonii facile non sunt aliqui admittendi. Volumus autem ut infra XL. dies post harum susceptionem, mandatum nostrum, secundum quod superius dictum est, studiosius exsequaris, & de his qui eorum sponsalitiis interfuerunt, & contestati contra matrimonium nihil proposuerunt, nullos ad testimonium admittas, sciens quia tutius est minus licite conjunctos simul dimittere, quam legitime conjunctos separare. Data Tusculi II. nonas Januarii.

EPISTOLA CCCXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro abbate Maricolensi adversus C. militem de Taisneria.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione abbatis & fratrum ecclesiæ de Maricolis nobis innotuit, quod C. miles de Taisneria & filii ejus decimationes domorum suarum, quæ ad prædictam ecclesiam pertinere noscuntur, violenter detinere, atque terragium unius carrucatæ terræ, quæ est in silva *Becloiz*, eidem ecclesiæ irrationabiliter auferre præsumunt, & quod gravius est, altare præscriptæ ecclesiæ, abbate & fratribus contradicentibus custodiunt, & ejus oblationes in periculum animæ suæ percipere non verentur. Significarunt etiam nobis idem abbas & fratres, quod cum B. miles de Romeriis medietatem reddituum ejusdem villæ ab ipsis in feodum habeat, aliam medietatem se debere recolligere atque custodire fatetur, & ita eosdem abbatem & fratres domum in præscripta villa ædificare prohibet, nec eorum custodem ibidem esse permittit, & de propriis rebus ejusdem ecclesiæ LX. libras Hainonenses detinere præsumit. Quia vero ex commissæ nobis dignitatis officio, universis ecclesiis jura sua conservare tenemur, & eas a malignantium incursibus, clypeo apostolicæ tuitionis propensius defensare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum C. & filios ejus moneas & districte compellas, ut retentas decimas vel earum æstimationem & præfatum terragium prædictis abbati & fratribus restituant, & de præscripto terragio & recipiendis decimis nullam eis de cetero molestiam inferant vel gravamen, vel in præsentia tua infra XL. dies post harum susceptionem, sublato appellationis remedio, exhibeant justitiæ complementum. Custodiam quoque altaris & ablatas oblationes A præfatis abbati & fratribus restituant, & exinde se de cetero nullatenus intromittant. Prædictum vero B. militem de Romeriis monere attentius & compellere non postponas, ut medietatem redituum præscriptæ villæ prænominatos fratres recolligere, atque in præscripta villa domum ædificare, & ibidem eorum custodem esse nulla ratione prohibeat, & prætaxatam pecuniam LX. librarum eisdem abbati & fratribus absque diminutione restituat, vel in præsentia tua infra præscriptum terminum remoto appellationis obstaculo, justitiæ plenitudinem non differas exhibere. Quod si ille & alii, quos diximus, monitis tuis parere contemserint, eos usque ad ablatorum restitutionem, & dignam satisfactionem, appellatione remota, vinculo excommunicationis astringas. Data Tusculi VIII. idus Januarii.

EPISTOLA CCCXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro eodem adversus Lambertum de Nigella & Oilardum de Landrecies.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam abbatis & fratrum ecclesiæ de Maricolis accepimus, quod Lambertus de Nigella & Oilardus de *Landrecies* decimam de *Fustor*, ad prædictam ecclesiam pertinentem, violenter auferre præsumunt, dicentes eamdem se decimam a præscripta ecclesia in feodum habere, cum id abbas & fratres, prout dicitur, penitus ignorent, & quidam convicini eorum de propriis horreis præscriptæ ecclesiæ frumentum & avenam violenter auferre non timeant, asserentes quod ea pro feodo debent accipere. Quia vero hujusmodi malefactores gladio ecclesiasticæ animadversionis pro sua præsumtione acriter sunt puniendi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictos viros & eorum convicinos, quos prænominati abbas & fratres tibi nominaverint, moneas & districte compellas, ut eis ablatam decimam, frumentum & avenam, vel eorum æstimationem absque diminutione restituant, & de cetero eisdem fratribus nullatenus auferre præsumant, vel in præsentia tua infra XL. dies post harum susceptionem, appellatione remota, exhibeant justitiæ complementum. Quod si ad commonitionem tuam neutrum horum adimplere voluerint, eos donec alterum exsequantur, appellatione remota, vinculo excommunicationis astringas. Data Fusculi VIII. idus Januarii.

EPISTOLA CCCXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Willardum presbyterum de multis diffamatum, si res constet, ab officio sacerdotali suspendat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significavit nobis venerabilis frater noster T. Ambianensis episcopus, quod cum quidam suus presbyter Willardus nomine, de quadam muliere conjugata, cum qua compaternitatem habere dicitur, a parrochianis diffamatus, & publica esset nota respersus, quod videlicet de ipsa duas filias genuisset, & postquam eam abjuravit, iterum de ea filiam recepisset; idem episcopus presbyterum supradictum pro tanta infamia traxit in causam, & ei de tanto excessu purgationem indixit, quam presbyter ipse se obtulit præstiturum. Cum autem semel & secundo eidem presbytero ad petitionem suam canonicæ induciæ datæ fuissent, & die tandem purgationis prædictus presbyter coram episcopo & multis aliis publica confessione dixisset, se de tanta infamia non posse purgare, idem episcopus, habito consilio plurium discretorum virorum, præfatum presbyterum ab officio & beneficio pro causa ipsa suspendit. Sed multis diebus post presbyter ipse ad nostram audientiam appellavit. Tandem vero ad præsentiam nostram accedens, suggerendo nobis quod post appellationem suspensus fuisset, ad te nostras litteras impetravit, ut ei, si res ita se haberet, officium & beneficium suum restitueres, antequam cogeretur purgationem suam præstare. Licet autem antequam litteras nostras audires, prædictus episcopus eumdem presbyterum de falsa suggestione ad nostram, sicut asserit, præsentiam appellasset; nihilominus tamen eidem presbytero suum officium & beneficium reddidisti. Super quo utique, si assertio æque veritati inniteretur, non possumus non mirari, cum in litteris nostris soleat, *si ita est*, semper apponi; & si in litteris illis fuit forte, quod non credimus, eadem conditio prætermissa, nihilominus ea subintelligi debet & semper inquiri, si relatio veritati subsistat. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus utraque parte coram te convocata, veritatem exinde diligenter inquiras, & si tibi constiterit quod memoratus episcopus in his vera nobis suggesserit, supradictum presbyterum dilatione, & appellatione cessante, in eamdem sententiam suspensionis reducas, aut si coram episcopo & multis aliis confessus fuit se super infamia illa non posse purgare, nec rationabilem causam posuit, quare non posset purgationem præstare, nisi quod sibi hujus iniquitatis conscius erat, eum perpetuo ab officio sacerdotali dispenses. Data Tusculi. XIII. Kalendas Februarii.

EPISTOLA CCCXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Quamdam ei causam terminandam committit.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, S. & A. B.

Significante nobis dilecto filio nostro R. Catalaunensi archidiacono, accepimus, quod cum causa, quæ inter V. latorem præsentium & J. presbyterum super ecclesia S. Mariæ vertitur, in tua præsentia tractaretur, & jam dictus V. testes suos Herm. scilicet & Henricum presbyteros produceret, qui super causa ipsa veritatem, quam inde noverunt profiterentur, adversa pars eos minus idoneos esse proponens, ipsos tamquam reos criminis ad nostram audientiam appellavit. Ceterum cum utraque pars coram prædicto archidiacono convenisset, & prædictus J. recognosceret, quod eisdem testibus ob solam iracundiam crimina objecisset, tandem eis propter brevitatem termini appellationem prosequi non valentibus, inter ipsos fide hinc inde interposita, de utriusque voluntate idem archidiaconus tali modo composuit, quod si præfatus J. in tua præsentia recognosceret, quod coram eodem archidiacono confessus fuerat, appellationi supersederent. Die vero statuta memoratus J. suam tibi præsentiam exhibere contemsit, & ideò prædictus V. cum testibus suis nostro se conspectui præsentavit, sed ille tunc non venit, nec pro se responsalem transmisit. Cumque super principali negotio appellatum fuisset, examini tuo eamdem causam duximus remittendam: mandantes ut utraque parte coram te constituta, si tibi constaret præfatum J. fidem, quam dederat violasse ei de violatione fidei condignam pœnitentiam imponens, & prædictis testibus, appellatione remota, receptis infra XV. dies post litterarum nostrarum susceptionem, sublato appellationis remedio, eamdem causam terminares. Sane cum idem V. a nostra præsentia recessisset, & secundum præscriptam formam litteras nostras ad te reportasset, adversarius ad præsentiam nostram accessit, & cum, prout credimus, non essemus memores, quod idem V. scripta nostra detulisset, litteras super eadem causa a prioribus diversas obtinuit. Quo reverso, utraque pars coram te convenit, sed tu secundum priores litteras in causa noluisti procedere, asserens semper extremæ volun-

tati esse cedendum, & litteras posteriores A prioribus debere præjudicare. Quia vero idem V. per mensem in curia nostra adversarium expectavit, & plurimum videtur vexatus, & juramenta priora posterioribus præjudicant, & in contractibus venditionum & emtionum idipsum contingit, fraternitati tuæ per præsentia scripta præcipiendo mandamus, quatenus litteris posterioribus, præsertim cum tacita veritate fuerint impetratæ, nullas vires habentibus, secundum tenorem priorum litterarum, ita videlicet quod testes examinatos, & qui idonei fuerint recipias, omni occasione & appellatione remota, infra XV. dies post harum fusceptionem, in causa ipsa procedas, provisurus attentius, ne Johanni, in quo famæ & honestati tuæ plurimum detrahitur, eamdem causam committas, sed tu ipse eam maturitate & diligentia adhibita terminare studeas. Data Tusculi XII. Kalendas Februarii.

LITTERÆ CCCXIX. FRIDERICI imperatoris.

Pactum inter Fredericum imperatorem & Ludovicum VII. regem Francorum de exterminandis Brabantionibus seu Coterellis.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator augustus, omnibus in perpetuum.

Amicus noster carissimus LUDOVVICUS Francorum rex, & nos inter Tullum & Vallem-colorum pro negotiis regni & imperii convenimus, ubi ex utraque parte habuimus magnam baronum copiam. Inter cetera de expellendis maleficis hominibus, qui (*a*) Brabantiones sive Coterelli dicuntur, tale fecimus utrimque pactum & statutum. Nullos videlicet Brabantiones vel Coterellos equites seu pedites in totis terris nostris, regni scilicet aut imperii infra Rhenum & Alpes & civitatem Parisius aliqua occasione aut vverra retinebimus amodo. Neque nos, neque homines nostri, nisi forte aliqui in terra alicujus baronis infra hos terminos jam uxorem duxerint, aut aliquis baronum aliquem secum ante istam conventionem in perpetuum retinuerit. Quod ut inviolabiliter omni tempore observetur, nos fecimus pro nobis MATTHÆUM ducem Lotharingiæ hoc fiduciare, & rex ipse comitem Trecensem HENRICUM. Sed archiepiscopi & episcopi & ceteri barones qui affuerunt, quisque pro se hoc fiduciaverunt, & a reliquis archiepiscopis, episcopis & laicis, infra præscriptos terminos constitutos, qui tunc non affuerunt eamdem accepimus securitatem tali conditione, quod si quis maleficos illos homines amodo retinuerit, archiepiscopus vel episcopus suus illum nominatim & excommunicabit, & totam terram suam tenebit sub interdicto, donec illi cui malum per eos fecerit, damnum suum ad probationem restituat, & episcopo dignam faciat emendationem, & tam archiepiscopi quam episcopi, quam barones, cum armis contra ipsum & super terram suam ad destruendum ibunt infra XL. dies postquam inde fuerint commoniti, donec illi cui malum factum erit, damnum suum fuerit restitutum, & Domino terræ digne fuerit emendatum. Si quis etiam maleficos illos retinuerit, pro legitimo in nulla curia vel causa recipietur, donec, sicut prædiximus, rem emendaverit. Si quis etiam eamdem securitatem voluerit, eamdem similiter subibit sententiam. Si vero malefactor adeo potens fuerit, ut a vicinis constringi non possit, nos de nostro & rex similiter de suo in propria persona sumemus vindictam, & quam cito vocabit, in eum cum armis insurgemus.

B

C

EPISTOLA CCCXX. HENRICO Remensi archiepiscopo, Catalaunensi episcopo & Virdunensi electo.

Ut compescant Castellanum Vitriaci a vexatione Caladiæ.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remensi archiepiscopo, Catalaunensi episcopo, & dilecto filio Virdunensi electo, S. & A. B.

D Religiosos viros a pravorum incursibus nos convenit attentiori cura defendere, & in suis justitiis promta sollicitudine confovere, ut liberius possint divinis obsequiis vacare, cum eorum paci fuerit sollicita consideratione provisum. Dilecti autem filii nostri abbas & fratres de (*b*) Caladia, transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod Castellanus Vitriaci eis carrucas suas per violentiam abstulit, & tam ipse, quam quidam alii parrochiani vestri eorum bona diripere & prædas ipsis auferre nulla ratione formidant. Quia igitur vestro officio congruit, insolentiam laicorum a gravaminibus virorum religiosorum compescere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum Castellanum monere curetis & districte compellere, ut jam dictis fratribus de illatis damnis & injuriis irrogatis congrue satisfaciat, & tam ipsi quam ceteris parrochianis vestris sub anathematis interminatione districtius prohibere curetis, ne bona ipsorum fratrum vio-

E

(*a*) Brabantini sunt prædones publici, incendiarii, homines perversi.

(*b*) Abbatia ordinis Cistercienſis in dioecesi Virdunensi, quam si VVasseburgio fides sit, inhabitaverunt olim trecenti monachi, nunc vero pauciſſimi.

len-

lenter diripiant, aut eis prædam auferre præsumant, nec prædas de bonis eorum factas scienter recipiant ; aut comparare attentent. Si vero de aliquibus eorum ex parte prædictorum fratrum querimoniam receperitis, ita de ipsis districtam justitiam faciatis, quod iidem fratres suffragio vestræ protectionis adjuti, sua se gaudeant pacifice possidere, & nos studium & diligentiam vestram debeamus in hac parte non immerito commendare. Data Tusculi x. Kal. Februarii.

EPISTOLA CCCXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro monachis de Novcio adversus canonicos Bragnenses.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilecti filii nostri prior & fratres de (a) Novcio monachi (a) Silvæ-majoris nobis conquestionem fecissent, quod clerici Bragacensis ecclesiæ, quam bonæ memoriæ SAMSON prædecessor tuus cum assensu comitis Regitestensis prædictis monachis contulit, ita videlicet, ut decedentibus clericis sæcularibus, monachi loco eorum substituerentur, eos præpositura & quibusdam præbendis, domibus & aliis bonis contra justitiam spoliassent ; nos causam ipsam venerabili fratri nostro Suessionensi episcopo & dilecto filio abbati S. Remigii Remensis sub certa forma commisimus terminandam, mandantes ut si clerici eorum judicio nollent parere, ipsos, nullius obstante appellatione, excommunicationis vinculo innodarent. Sed sicut ex litteris ipsorum judicum accepimus, ipsi causam diffinientes, clericos, quia noluerunt judicio suo parere, vinculo anathematis perstrinxerunt. Unde cum postea quidam eorum venisset ad præsentiam nostram, ipsos fecimus absolvi, mandantes ut sententia prædictorum judicum rata & inconcussa maneret. Ceterum quoniam relatum est nobis, quod occasione litterarum, quas eis pro absolutione sua concessimus, præfatos monachos infestare præsumunt, & contra sententiam puniendam temeritate venire attentant, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præscriptam sententiam firmiter faciatis & inviolabiliter, remoto appellationis obstaculo, observari, & si clerici eosdem monachos contra præscriptæ sententiæ tenorem infestare præsumserint, eorum præsumtionem debita animadversione percellas. Si qua vero scripta iidem clerici a nobis, quod non credimus, contraria reportarunt, ea litteris istis nulla ratione præjudicent, nec monachis sit licitum clericos illos qui antequam ecclesia præscripta illis fuisset concessa, ibi habuere præbendas, eisdem aliquatenus spoliare. Data Tusculi VI. Kalendas Februarii.

(a) Silva-major insigne olim monasterium ordinis S. Benedicti a S. Gerardo monacho Corbeiensi in diœcesi Burdigalensi fundatum, hactenus perstat sub Congregatione S. Mauri.

EPISTOLA CCCXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Templariis Hierosolymitanis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Insinuatum est nobis, quod G. & R. Gozo, fratribus militiæ Templi terras, vineas, & non modica de rebus suis mobilibus per violentiam præsumserunt auferre. Verum quoniam officio nostro convenit prædictos fratres ab injuriis malignantium defendere, & apostolico patrocinio confovere ; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictos viros monere studeas, & districte compellere, ut eisdem fratribus terras & vineas & alia ablata non morentur cum integritate restituere, vel sub tuæ discretionis examine plenam exinde justitiam exhibere. Quod si facere forte contemserint, per te anathematis vinculo innodentur. Data Tusculi. II. Kalendas Februarii.

EPISTOLA CCCXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Commendat ei milites Templi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Milites Templi quod Jerosolymis situm est, quam specialiter sint omnipotentis Dei servitio mancipati, & cœlesti militiæ dediti, reverendus eorum habitus indicat, & signum crucis Dominicæ quod in suo corpore assidue bajulant, evidenter declarat. Ipsi enim in hoc constituti sunt, ut pro fratribus animas ponere non formident. Unde quia dignum est, ut tam præclaris athletis Christi modis omnibus, quibus secundum Deum poterimus, providere curemus, fraternitatem tuam rogamus, monemus atque mandamus, quatenus divini amoris intuitu, & pro reverentia beati Petri & nostra, necnon & pro animæ tuæ salute, ipsos diligas, manuteneas & honores, & eis jura sua integra & illibata conservans, tuæ protectionis patrocinium & favorem ministres, & de malefactoribus suis eis plenam justitiam non differas exhibere. Specialiter autem tuæ fraternitati mandamus, ut Guit-

terium parrochianum tuum moneas instanter & districte compellas, ut prædictis fratribus prædam quam olim de villa *Onisvisner* dicitur abstuliſſe, si ita est, sine dilatione restituat, & de violentia illata congrue satisfacere non postponat. Si autem commonitioni tuæ obtemperare contemserit, eum vinculo excommunicationis astringas. Data Tuscul. IV. nonas Februarii.

EPISTOLA CCCXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Araldo presbytero suam faciat ecclesiam restitui.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Insinuavit nobis Araldus presbyter lator præsentium, quod cum prior & capitulum Sarmeliensis ecclesiæ Dominico diacono ecclesiam S. Remigii de Masdeio, quæ ad jurisdictionem eorum spectare dignoscitur, vivente presbytero ejusdem ecclesiæ, concessissent; memoratus diaconus eam in manibus prædicti prioris multis præsentibus refutavit. Transacto vero aliquanto tempore, presbyter ille, qui erat in eadem ecclesia, ipsam priori & capitulo resignavit: quam præfatus prior de assensu capituli prædicto Araldo concessit, & eum venerabili fratri nostro Catalaunensi episcopo præsentavit, a quo curam animarum recipiens, præscriptam ecclesiam postea per septem annos pacifice possedit. Post hæc autem, ut idem presbyter asseverat, prænominatus diaconus ad nostram præsentiam accedens, nostras ad te litteras impetravit, in quibus continebatur, quod si legitimis testibus probare posset, sibi prædictam ecclesiam prius canonice concessam fuisse, ipsam ei restituere non differres. Quam quidem ecclesiam presbytero reclamante, & ad nostram præsentiam diaconum appellante, illi restituisti: verum quoniam ex nostri officii debito singulis & præsertim viris ecclesiasticis justitiam suam integram conservare tenemur, & quæ aliquo errore facta esse noscuntur, ad rectitudinis tramitem revocare; fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus infra XL. dies post harum susceptionem, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rei veritate diligenter inquisita & cognita, si constiterit tibi quod prædictus diaconus præscriptam ecclesiam in manibus præfati prioris refutaverit, & eam postea prædictus A. canonice fuerit adeptus, & libere possederit, ipsum amoto diacono, prænominato presbytero, omni dilatione & appellatione cessante, restituas, quam eum facias pacifice possidere. Data Tuscul. VI. idus Februarii.

EPISTOLA CCCXXV. HENRICO Remorum archiepiscopo.

Commendat ei fratres Virtuensis monasterii.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Paci & quieti religiosorum virorum pastorali sollicitudine nos oportet diligenter intendere, & ne indebitis molestiis agitentur, attentiori studio providere, intelleximus autem ex insinuatione dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum monasterii Virtuensis, quod Laudatus Catalaunensis civis eos pro quadam pecunia, quam ab eis injuste requirit, jugiter inquietat, licet prædicti abbas & fratres firmiter asseverent ei se nihil debere persolvere. Unde quoniam ex injuncto nobis officio viros ecclesiasticos ab universorum injuriis & molestiis defensare tenemur, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus memoratum virum moneas, & districte compellas, ut nihil indebite a prædictis fratribus exigere, nec eos de cetero inquietare vel eorum bona injuste molestare præsumat. Si autem de ratione confidit, & adversus eos super jam dicta pecunia agere voluerit, coram te ordine judiciario experiatur, & tu causam audias & eam debito fine decidas. Data Tuscul. V. idus Februarii.

EPISTOLA CCCXXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Commendat ei F. Ostrevandensem archidiaconum

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Eos quos honestate credimus & scientia præeminere, tanto diligentius tuæ commendamus sollicitudini, quanto ad tuam fraternitatem specialius spectat viros honestos & litteratos diligere, & eis honorem & gratiam, exhibere, attendentes itaque prudentiam & honestatem dilecti filii nostri F. Ostrevandensis archidiaconi, ipsum tamquam virum probum honestum & discretum sincero cordis affectu diligimus, & eum fraternitati tuæ sollicite duximus commendandum. Quapropter caritatem tuam rogamus atque monemus, quatenus pro reverentia B. Petri & nostra, & intuitu probitatis & honestatis suæ ipsum diligas, manuteneas, & honores, & in

petitionibus ſuis efficaciter & clementer exaudias, & cum in honore & beneficiis ſuis nullatenus graves, nec a quoquam gravari permittas: ita quod ſe gaudeat dilectioni tuæ noſtris precibus commendatum, & nos quoque ſinceritati tuæ gratias teneamur copioſas referre. Data Tuſcul. idus Februarii.

EPISTOLA CCCXXVII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Pro Stephano clerico adverſus canonicos Catalaunenſes.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum olim conqueſtione Stephani pauperis clerici latoris præſentium cauſam, quæ inter ipſum & canonicos Catalaunenſis eccleſiæ ſuper terris ad dotem altaris de *Cortoiſmont* pertinentibus, quas iidem canonici detinebant, vertebatur, dilectis filiis noſtris archidiacono & decano eccleſiæ tuæ commiſerimus, appellatione poſtpoſita, terminandam. Ipſi ſicut ex litteris eorum accepimus, terras ipſas ad dotem ejuſdem altaris pertinere, & ptædicto clerico reſtituendas eſſe per ſententiam judicarunt; ſed jam dicti canonici ſententiam executioni mandare, aut jam dicto clerico ad commonitionem eorum fructus inde perceptos reſtituere noluerunt. Nos itaque ſententiam ipſam ratam & firmam, habentes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratos canonicos & noſtra & tua auctoritate compellas, ut præſcriptas terras ſupradicto clerico, quemadmodum ſibi a prædictis judicibus adjudicatæ fuerunt, in pace & quiete, appellatione ceſſante dimittant, & fructus, ſi quos inde a tempore latæ ſententiæ perceperunt, ei ſine dilatione & diminutione qualibet reſtituere non poſtponant. Data Tuſcul. x. Kalendas Martii.

EPISTOLA CCCXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Cauſam inter S. Urbani & Dervenſem abbates terminandam committit.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cauſam quæ inter dilectos filios noſtros abbatem S. (a) Urbani & abbatem Dervenſem ſuper quadam capella vertitur, dilectis filiis noſtris P. abbati S. Remigii & F. decano Remenſi commiſimus audiendam, & fine debito terminandam. Verum quoniam abbas Dervenſis ſuper falſa ſuggeſtione, licet eadem cauſa fuerit, appellatione remota, commiſſa, ad noſtram, ſicut accepimus, audientiam appellavit, & illi appellationi ad nos factæ voluerit deferre; tibi de cujus prudentia & honeſtate confidimus, cauſam ipſam committimus audiendam, & fine congruo terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum exinde fueris requiſitus, utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem cauſam concordia vel juſtitia mediante, remota appellatione, decidas. Data Tuſcul. IX. Kalendas Martii.

(a) S. Urbani abbatia ordinis S. Benedicti diœceſi Catalaunenſi ſub congregatione S. Vitoni uti & Dervenſis.

EPISTOLA CCCXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Cauſam inter canonicos Catalaunenſes S. Nicolai & abbatem Dervenſem committit terminandam.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Perlatum eſt ad audientiam noſtram, quod cum cauſa quæ inter dilectos filios noſtros canonicos S. Nicolai Catalaunenſis & abbatem Dervenſem ſuper eccleſia Campi-Auberti vertitur, in præſentia fratris noſtri Catalaunenſis epiſcopi tractaretur, ad noſtram fuit audientiam appellatum. Quia igitur neutra partium ad agendum venit inſtructa: tibi, de cujus prudentia & honeſtate confidimus, eamdem cauſam committimus audiendam, & appellatione remota fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum exinde fueris requiſitus, utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem cauſam infra duos menſes, remoto appellationis obſtaculo, mediante juſtitia decidas. Data Tuſcul. VIII. Kalendas Martii.

EPISTOLA CCCXXX. BITURICENSI & Ambianenſi præſulibus.

Ut cauſam matrimonii S. & R. de Guiſia terminent.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Bituricenſi & Ambianenſi epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quoniam certo experimento didicimus, vos eſſe cultores & amatores juſtitiæ, & ea modis omnibus abhorrere; quæ de radice

iniquitatis noscuntur procedere, vobis quorum fidem & sinceritatem sumus experti, causam matrimonii quæ inter nobilem mulierem S. & R. de Guisia virum ejus vertitur, jam pridem commisimus audiendam & fine debito terminandam. Quia vero eadem causa, sicut ex litteris vestris accepimus, nondum est fine congruo terminata, fraternitati vestræ per iterata scripta mandamus, quatinus in unum pariter convenientes, utramque partem congruo loco & tempore ante vestram præsentiam convocetis, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem causam pontificali maturitate ac gravitate adhibita, & cujuslibet gratia & favore postposito, ita pure & sincere secundum aliarum nostrarum litterarum tenorem, servata canonum æquitate, remoto appellationis obstaculo, decidatis, quod judicium vestrum tam apud Deum quam apud homines debeat non immerito comprobari. Si quæ vero litteræ a nobis ex parte viri, istis aut prioribus litteris nostris contrariæ fuerint impetratæ, eis fidem nullatenus adhibeatis, sed eas tamquam subreptitias reputeris. Ceterum si prædictus vir mulieri quod ipsam recipere debeat, & maritali affectione tractare, juxta mandatum vestrum, plenam securitatem præstare noluerit, eum appellatione remota, excommunicationis sententia percellatis, & per totum episcopatum Laudunensem auctoritate nostra freti, faciatis sicut excommunicatum vitari, & apud nobilem virum PHILIPPUM comitem Flandrensem partes vestras efficaciter interponatis, ut eidem mulieri terram quam ex parte sua vir ejus accepit, sine molestia faciat reddi, & in pace dimitti, donec prædictus vir suum plenius cognoscat excessum, & ecclesiæ humiliter adimpleat & devote mandatum. Volumus autem ut infra XL. dies post harum susceptionem quæ supradicta sunt maturius exsequamini. Data Tuscul. VIII. Kalendas Martii.

EPISTOLA CCCXXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Nullas adversus eum dedisse litteras abbati de Cheminone.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Relatum est nobis quod abbas de (a) *Chimeignon*, se jactitat ac gloriatur, a nobis litteras impetrasse, ut quoscumque de tuo vellet archiepiscopatu impetere, eos ante venerabilem fratrem nostrum WILLELMUM Senonensem archiepiscopum apostolicæ sedis legatum posset, remoto appellationis obstaculo, convenire. Quod utique falsum esse cognoscas, & qua fronte id jactitet vehementer miramur, cum nec ei, nec aliis nos credamus similes litteras indulsisse, nisi per errorem forte hoc contigisset. Unde volumus & mandamus, ut si tibi litteras tales ostenderit, eas ab illo extorqueas, & ipsas nobis transmittas, ut si per errorem factæ sunt, corrigere possimus, aut pœnam infligere, si fuerit infligenda. Data Tuscul. III. Kalendas Martii.

EPISTOLA CCCXXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Scribit in gratiam Leonis abbatis S. Gisleni electi, quem schismatici ejecerant.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Perlatum est ad audientiam nostram, quod cum LEO canonice fuisset in abbatem sancti (b) Gisleni electus, postea quia noluit illud nefandum & detestabile juramentum præstare, a schismaticis fuit ejectus, & alius in loco suo per Cameracensem dictum (c) electum intrusus. Unde quoniam ex eo quod fidei catholicæ & unitatis virtutem servavit, gloriam meruit & laudem adquirere, & dignæ retributionis præmium expectare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rei veritate comperta, si tibi constiterit, quod de persona prædicti L. canonice fuisset facta electio, & pro alia causa non fuerit amotus, nisi quia schismaticæ pravitati nolùit consentire, nec illo detestabili juramento fœdari, ipsius electionem, si alias idoneus fuit, nullius obstante appellatione, confirmes, & ipsum administrationem prædictæ ecclesiæ, intruso amoto, libere facias sine molestatione, habere, & si quis eum super hoc ausu temerario infestare præsumserit, in eum ecclesiasticæ animadversionis non differas exercere censuram. Data Tuscul. III. Kalendas Martii.

(b)

EPISTOLA CCCXXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo

Ut matrimonium inter filiam regis Ludovici & filium Frederici imperatoris impediat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Suggestum est nobis, quod carissimus in Christo filius noster LUDOVICUS illustris

(a) Chemino abbatia ordinis Cisterciensis in diœcesi Catalaunensi.

(b) S. Gisleni monasterium ordinis S. Benedicti in Hannonia altero a Montibus lapide distans in diœcesi Cameracensi.

(c) Petrum de Alsatia, scilicet de quo supra.

Francorum rex fuerit requisitus, ut filio F. A persecutoris ecclesiæ suam desponsaret filiam in uxorem: quia vero id regno periculosum & ecclesiæ posset esse damnosum, fraternitatem tuam monemus atque mandamus, quatenus ne matrimonium illud fiat, prædicto regi modis omnibus studeas dissuadere, & rem penitus impedire. Si enim regi placuerit, eam filio imperatoris Constantinopolitani poterit tradere in uxorem: quia nos opportune Deo adjuvante laborabimus, quod res celeri compleatur effectu. Sane apud imperatorem regnum & consanguinei puellæ ærarium indeficiens semper inve- B nient. Data Tusculi 11. Kalendas Martii.

cupidatis & avaritiæ provenit, unde simoniacæ pravitates erumpunt & enormitates plurimæ committuntur, & exempla perniciosa procul dubio generantur. Consulens ergo tuæ honestati, ita excessus & præsumtiones tuas in hac parte corrigas atque emendes, quod nullam a præfato sacerdote vel aliis de te querelam super hujusmodi de cetero audire debeamus. Scias enim & pro certo cognoscas, quod si ad nos super his querela fuerit ulterius perlata, quantumcumque personam tuam diligamus, ita duriter in te animadvertemus, quod ceteri hoc audientes similia timebunt ullatenus attentare. Data Tusculi Kalendis Martii.

EPISTOLA CCCXXXIV.
Tornacensi episcopo.

Arguit eum de suis exactionibus.

(a) ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri (a) Tornacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex insinuatione Danielis presbyteri S. Johannis in Gandavo accepimus, quod cum ei & quibusdam aliis singulis annis exactionem pecuniæ irrationabilem faceres, & in consuetudinem duceres, illis te suppliciter & devote rogantibus, ut te a tali exactione temperares, tu vehementer commotus atque turbatus, prædictum D. quia verbum proposuit, ab officio suspendisti, alios terrore minarum ad hoc inducens, quod quidquid (b) statueres de rebus eorum pro tuo nutu acciperes, & quod grave est, abbati S. (b) Petri Gandensis firmiter præcepisti, ut illo prorsus expulso, alium loco suo presbyterum substitueret. Quæ utique si veritate subsistunt, quam gravia sint & dura animadversione plectenda, nisi personam tuam multo caritatis fervore diligeremus, certis experimentis sentires, & evidentibus indiciis comprobares. Dignitas vero & officium, quod providente Domino geris, debet te circa subditos tuos modestum & temperatum efficere & propitium reddere ac benignum, & illud deberes semper attendere, quod in epistola B. Petri legitur: *Non sicut dominantes in clero, sed forma facti gregis*: ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & sub periculo ordinis & officii tui districte præcipimus, quatenus si ita est, præfato sacerdoti beneficium & officium suum cum integritate in pace & quiete restituens, ab hujusmodi exactionibus, quæ tuæ administrationis dignitati noscuntur penitus obviare, desistas. Hoc enim de radice

(a) Galtero, qui vivere desiit 1171.
(b) Vulgo Blandinienſis insignis abbatiæ ordinis S. Benedicti.

EPISTOLA CCCXXXV. MELDENSI & Ambianensi episcopis.

Committit eis examinandam causam matrimonii inter comitem Robertum & filiam Hugonis de Brois.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus nostris (c) Meldensi & (d) Ambianensi episcopis, (c) salutem & apostolicam benedictionem. (d)

Suggestum est nobis, quod cum dilectus filius noster nobilis vir comes ROBERTUS disposuerit filiam suam HUCONI de BROIS, tradere in uxorem & matrimonio copulare, nobilis vir comes HENRICUS inter eos eam lineam affinitatis esse proposuit, quod non possent cum Deo & ratione conjungi: cumque super hoc ab examine venerabilis fratris nostri (e) Trecensis epis- D (e) copi ad nostram audientiam fuisset appellatum, comite ROBERTO nuncium suum mittente, altera pars nec venit, nec aliquem pro se responsalem transmisit. Nos igitur de prudentia & honestate vestra plenius confidentes, experientiæ vestræ causam ipsam duximus committendam. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si quæ personæ apparuerint, quæ matrimonium ipsum legitime velint & possint impetere, rationes & allegationes, quæ hinc inde in medium producentur, diligenter audiatis, & testes si qui idonei fuerint, quibus fides sit adhibenda, appellatione remota, recipiatis, & eorumdem juratorum attestationes studiosius conscribentes, eas sub vestris sigillis clausas nobis mittatis, terminum utrique parti congruum præfigentes, quo debeant coram ipsis attestationibus apostolico se conspectui præsentare. Verumtamen si super eadem causa non fuerit appellatum, nolumus quod in

(d) Roberto aut Theobaldo.
(e) Henrici de Carinthia ex monacho Morimundi episcopi creati, qui jacet in monasterio de Bulencuria.

ejus executione aliquatenus procedatis. Data Tuſcul. IV. nonas Martii.

EPIST. CCCXXXVI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut epiſcopum Belvacenſem, quem juſſerat ei omnem debitam exhibere obedientiam, ſatisfacientem ſibi humaniter excipiat.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilectos filios noſtros S. magiſtrum & D. fratrem militiæ Templi nuntios tuos, ad nos cum tuæ fraternitatis litteris venientes, debita benignitate recepimus, & accepto ex eorum fideli & prudenti aſſertione, quod frater noſter epiſcopus Belvacenſis in quibuſdam inobediens tibi exiſtens, in duabus ſynodis quas celebraſti, non ita reverenter & humiliter, ſicut decuit, reſpondiſſet, & quod antequam fraternitatem tuam requiſiſſet, ſignificaverit nobis ſe a te fuiſſe gravatum, & nec, cum tu eum propter hoc appellaſſes, & in propria perſona iter arripuiſſet ad noſtram præſentiam veniendi, proſequi appellationem curaſſet, licet clerici ſui eum excuſarent, quod hoc non contemtu vel contumacia aliqua, ſed pro infirmitate ſolummodo dimiſiſſet, adverſus eum commoti ſumus atque turbati, & ipſum prout expedire cognovimus, & ſalva honeſtate nos decuit, per litteras noſtras ſuper hoc redarguere curavimus, utpote qui tuæ ſinceriſſimæ devotionis & fidei quam circa ſacro-ſanctam Romanam eccleſiam, & ſpecialiter circa perſonam noſtram a tempore noſtræ promotionis inſuperabili conſtantia exhibuiſti, memores exiſtentes, ferventiſſimum deſiderium & voluntatem habemus, te ſicut fratrem cariſſimum, & magnum membrum, ac firmiſſimam columnam eccleſiæ, ſinceriſſimo cordis affectu diligere, & honori & exaltationi tuæ, quantum cum Deo & juſtitia poſſumus, promta voluntate deferre. Verumtamen quia decet te, tum nobilitate ſanguinis qua præmines, tum etiam obtentu dignitatis qua polles, erga ſubditos, & maxime ſuffraganeos tuos, ſpiritum benignitatis & manſuetudinis gerere, & benignum ac miſericordem exiſtere, nos de clementia & manſuetudine tua plurimum præſumentes, & tibi tamquam fratri cariſſimo promto deſiderio ſupientes deferre, prædicto epiſcopo dedimus in mandatis, ut a te miſericordiam & veniam ſuppliciter poſtulans, tibi tamquam patri & domino ſuper his quæ manifeſta ſunt, & unde ad nos eſt appellatum, cum omni humilitate & reverentia ſatisfaciat, & ſe humilem, devotum & obedientem exponat. Ideoque fraternitatem tuam rogamus, conſulimus & monemus, quatenus ex quo epiſcopus ſe in conſpectu tuo humliaverit, & a te miſericordiam & veniam expetierit, ei ſatisfactione congrua, quam te deceat exigere, & ipſum exhibere, recepta, rancorem & indignationem remittas, & clementer gratiam tuam reſtituas & amorem, & circa eum animum benignum exhibeas & placatum, & ita ipſum in manſuetudine & benignitate pertractes, quod exinde manſuetudinis tuæ clementia valeat potiſſimum commendari, & nos quoque una cum eo lætari poſſimus, quod eum ad tuam miſericordiam & benignitatem remiſimus, & exinde affectioni tuæ uberes teneamur gratiarum actiones referre. Data Tuſcul. IV. nonas Martii.

EPISTOLA CCCXXXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo, & P. abbati S. Remigii.

Ut Richardo clerico ſuam in eccleſia S. Pharaildis præbendam reſtitui faciant.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remorum archiepiſcopo, & P. abbati S. Remigii, S. & A. B.

Ex tranſmiſſa conqueſtione Richardi pauperis clerici ad aures noſtras pervenit, quod G. clericus Gandavenſis ei præbendam in eccleſia Sanctæ Pharaildis ſibi conceſſam illicite auferre præſumſit. Unde quoniam viris eccleſiaſticis, & his maxime qui paupertate laborant, in ſua juſtitia debitores exiſtimus, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictum clericum inſtanter moneatis & diſtrictius compellatis, ut eidem R. præſcriptam præbendam ſine moleſtia & difficultate reſtituat, & in pace & quiete dimittat, vel in præſentia veſtra plenam exinde, appellatione remota, non differat exhibere juſtitiam. Data Tuſcul. IV. nonas Matii.

EPIST. CCCXXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Confirmat electionem Roberti epiſcopi Attrebatenſis, conceditque ei ſpatium ad recipiendos ſacros ordines.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sicut ex litteris decani & canonicorum Attrebatenſis eccleſiæ nobis innotuit, cum eccleſia ipſa paſtore vacaret, ipſi in dilectum

(a) filium noſtrum (a) R. præpoſitum S. Au- A
domari unaniminter convenerunt, & eum ſibi elegerunt epiſcopum & magiſtrum. Licet autem ad te ſicut ad metropolitanum ſuum pertineat electionem eorum confirmare, quia tamen idem præpoſitus infra ordines eſt, & diſpenſatio talis electionis ad Romanum pontificem & non ad alium ſpectat, a nobis inſtanter & ſuppliciter poſtularunt, ut eorum electionem diſpenſative auctoritate apoſtolica firmaremus. Nos itaque eorum precibus annuentes, & attendentes prudentiam & diſcretionem ipſius præpoſiti, & per eum præfatæ eccleſiæ credentes grata B
commoda proventura, in hoc de communi fratrum noſtrorum conſilio diſpenſandum duximus, & electionem ipſam ſalva dignitate & juſtitia tua & eccleſiæ tibi commiſſæ auctoritate apoſtolica confirmandam. Ad hæc attendentes quomodo prædicto electo apud nobilem virum PHILIPPUM Flandrenſem comitem tot immineant negotia, quod ab his facile non poſſit ac celeriter expediri, ad inſtantiam precum ipſius comitis ei duximus indulgendum, ut a proximo feſto Pentecoſtes uſque ad annum revolutum, ad recipiendos ordines contra voluntatem C
ſuam non debeat cogi: ita quod eiſdem negotiis expeditis, devotiori animo ordines & conſecrationem poſſit recipere, & liberius officio pontificali vacare. Unde volumus & mandamus, quatenus eumdem electum de recipiendis ordinibus infra terminum ipſum non graves, quoniam ſacri canones multo majus temporis interſtitium his indulgent, qui ſunt ab ordine ad ordinem promovendi. Data Tuſculi IV. nonas Martii.

quod integre decimas perſolviſſet, niſi forte ſupplere voluerit quod de decimis dicitur ſubtraxiſſe. Si vero in præſtando ſacramento manu, vultu, vel oculis, ſeu aliqua parte trepidavit, ita quod trepidatio poſſit notari; vel ſi unus vel plures digiti manus defuerint, qui non ſint poſiti ſuper reliquias ſine trepidatione qualibet, cogitur de prava & iniqua conſuetudine duos ſolidos & decimam in duplum ſolvere, quam dicitur ſubtraxiſſe. Quæ utique conſuetudo prava eſt penitus & deteſtabilis, & tam divino quam humano juri contraria, nec niſi de ſuperabundantis cupiditatis radice noſcitur proceſſiſſe; cum magis ſint commendandi, qui cum tremore, quam illi qui ad ſacras reliquias irreverenter, ut non dicamus impudenter, accedunt. Quoniam igitur pravæ conſuetudines ſunt penitus extirpandæ, nec debent locum inter clericos vel laicos invenire, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi res ita ſe habet, tam horrendam & deteſtabilem conſuetudinem auctoritate noſtra & veſtra evellatis & penitus extirpetis, & ex eo quod in præſtando juramento trepidaverunt, qui juramentum facere compelluntur, aut quod totam manum ſuper reliquias non poſuerunt, ipſos non ſuſtineatis de cetero aliqua pœna multari. Si qui vero fuerint, qui propter hoc pœnam aliquam irrogáverint, ipſos a tanta præſumtione, ſublato appellationis remedio, cenſura eccleſiaſtica compeſcatis, prohibentes attentius decimas a laicis exigi, vel eas ipſis exſolvi, aut eis de ſubtractione decimarum excuſationem vel juramentum quodlibet exhiberi. D
Data Tuſculi III. nonas Martii.

EPISTOLA CCCXXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo & G. Tornacenſi epiſcopo.

Ut pravam conſuetudinem tollant in parrochia Dudaſſelenſi.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus (b) HENRICO Remenſi archiepiſcopo, & (a) G. Tornacenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Relatum eſt auribus noſtris ex tranſmiſſa E
conqueſtione parrochianorum D. Daſſelenſis eccleſiæ, quod cum alicui eorum a circatoribus decimarum objectum fuerit, quod integras decimas non exſolverit, & poſt tertiam Dominicam non exhibuerit quod de decimis dicitur eſſe ſubtractum; tandem proxime ſequenti feria poſt tertiam Dominicam eum oportebit juramento firmare,

(a) Robertum, qui fuit etiam præpoſitus Arienſis, S. Donatiani Brugenſis & S. Amati Duacenſis, & etiam epiſcopus Cameracenſis, ac miſere periit occiſus 1172. teſte Alberico in chronico.

(b) Galterio.

EPISTOLA CCCXL. HENRICO Remenſi archiepiſcopo, & G. Laudunenſi epiſcopo.

Cauſam de quibuſdam oblationibus inter Brugenſes canonicos & R. presbyterum Dudaſſelenſem commiſit terminandam.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remenſi archiepiſcopo, & (c) G. Laudunenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. (c)

Cum dilectus filius noſter L. pro canonicis Brugenſibus, & R. preſbyter Dudaſſelenſis eccleſiæ in noſtra eſſent præſentia conſtituti, ſuper quibuſdam oblationibus coram nobis inter ſe cœperunt quæſtionem movere, ad eaſdem ſibi oblationes vendicandas; idem preſbyter privilegium quoddam ſub nomine præpoſiti Brugenſis & prædictorum

(c) Galterio de Mauritania ex decano facto epiſcopo.

canonicorum nobis repræsentavit, quod a nobis confirmari attentius postulabat: adjiciens quod cum ipse & ecclesia sua præscriptis oblationibus sine judicio spoliati sint, idem presbyter ad nostram audientiam appellavit. Præfatus vero L. qui verbum pro supra dictis canonicis faciebat, asseruit pactionem, quæ super eisdem oblationibus facta fuerat, de jure stare non posse, nec debere præscriptum privilegium confirmari, quoniam pravus contractus fuerat, cum pro recompensatione oblationum, quæ spirituales sunt, temporalia fuerint erogata. Nos itaque volentes eidem causæ finem imponere, cum neuter super his quæ dicebat fidem nobis facere posset, eamdem causam experientiæ vestræ committimus, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus utraque parte ante vestram præsentiam convocata, rei veritatem studiosius inquiratis, & si inveneritis præfatum presbyterum & ecclesiam secum præscriptis oblationibus absque judicio vel post appellationem spoliatos, eis oblationes ipsas, sublato appellationis remedio, faciatis restitui, & deinde si prædicti canonici exinde agere voluerint, causam audiatis & appellatione remota fine debito terminetis. Data Tusc. II. nonas Martii.

EPISTOLA CCCXLI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Causam committit terminandam inter virum & feminam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significavit nobis dilectus filius noster W. decanus S. Salvatoris, quod cum parrochianus quidam ecclesiæ S. Mariæ Brugensis, ad quamdam mulierem consuetudinem habuisset, tandem mulier eum reclamavit in virum, & vir mulierem ipsam suam esse uxorem negavit, sed recognovit se eam aliquanto tempore carnaliter habuisse. Cum autem in præsentia sua eadem controversia tractaretur, in prima & secunda vocatione mulier in matrimonii probatione defecit, & deinde datis induciis, præfata mulier matrem suam & servum fratris sui & propriam ancillam sororis suæ ad matrimonium probandum produxit. Eodem vero decano super causa ipsa sententiam ferre volente, præfata mulier venerabilem fratrem nostrum Tornacensem episcopum appellavit, diem præfigens quo ad ecclesiam accederet. Vir vero ad audientiam nostram in voce appellationis prorupit. Unde quia propter absentiam partium non potuimus in causa procedere, eam experientiæ tuæ committimus, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandantes, quatenus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, causam ipsam infra XL. dies post harum susceptionem, sublato appellationis remedio, canonico fine decidas. Data Tusculi II. nonas Martii.

EPISTOLA CCCXLII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut ablata P. & T. presbytero a Rainaldo comite & Henrico de Grandi-prato, faciat restitui.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam P. presbyteri ad nos venientis accepimus, quod RAIN. comes ei decem & septem solidos contradicit exsolvere, quos sibi data fidejussoria cautione exhibere tenetur. Adjecit insuper quod HENRICUS de Magno-prato ei per servientem suum jumentum quoddam fecit violenter auferri, & eumdem presbyterum, in eum violentas manus injiciendo, turpiter & inhoneste tractari. Nihilominus etiam nobis proposuit, quod idem H. T. presbytero nepoti suo XXV. solidos contra justitiam abstulit, quos reddere sibi contemnit. Quia igitur sustinere non possumus vel debemus, ut laici debeant clericorum jura violenter invadere, vel in ipsos ausu temerario deservire, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ablata omnia memoratis presbyteris infra XL. dies post harum susceptionem facias cum integritate restitui, aut exinde sibi coram te, appellatione remota, plenam & sufficientem justitiam exhiberi, ita quidem quod si jam dicti milites aliter tibi non acquieverint, eos ecclesiastica censura percellas. Si vero tibi constiterit servientem præfati Henrici ad supradictum presbyterum de mandato ejusdem Henrici violentas manus ausu nefario injecisse, quid exinde facere debeas tua discretio plenius recognoscit. Data Tusc. non. Martii.

EPISTOLA CCCXLIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut episcopum Suessionensem hortetur, ut solo episcopatu contentus, dimittat cancellariam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

His quæ pertinent ad incrementa virtutum

tum & animarum salutem, promtam nos convenit curam & diligentiam adhibere, & ecclesiarum commodis & profectibus ferventi desiderio & sollicitudine aspicare. Sane non est prudentiæ tuæ incognitum, sed certum & manifestum, quantum oporteat episcopum super cura gregis sibi commissi circumspectionem & sollicitudinem gerere, & ne luporum morsibus exponatur, oculo attentioris sollicitudinis vigilare. Ceterum quoniam venerabilis frater noster Suessionensis episcopus cancellariæ officium & pontificalis administrationis sollicitudinem non potest simul & congrue exercere, cum utrumque officium totam non divisam desideret habere personam, ei mandavimus, (a) ut relicta cancellaria, curæ & amministrationi injunctæ sibi sollicitudinis diligenter & studiose intendat, & super custodia ecclesiæ & populi sibi commissi vigil & intentus existat, ut inde coram patrefamilias, plenam valeat reddere rationem. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem episcopum super hoc eodem commoneas, & si cum assensu & pace carissimi in Christo filii nostri L. illustris Francorum regis fieri potest, districte compellas. Data Tuscul. nonis Martii.

(a) Alexandri papæ monitis haud dubium paruit Hugo Suessionensis episcopus, cancellariam dimittendo, nam uti observat Mabillonius in libro 2. de Re Dipl. cap. 12. vacabat cancellaria annis 1171. & 1173. obiit autem Hugo 1175.

EPISTOLA CCCXLIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa inter Jac. presbyterum & abbatem S. Salvatoris Virtuensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constitutus in præsentia nostra Jac. presbyter, supplici nobis conquestione monstravit, quod cum abbas S. Salvatoris de Virtute eum ad ecclesiam S. Stephani villæ Senioris venerabili fratri nostro Catalaunensi præsentasset episcopo, & ipsum episcopus de ecclesia investisset; postmodum abbas quia idem presbyter ad nutum suum nolebat censum augere, cœpit negare quod illi dedisset ecclesiam, aut ipsum ad eam præsentasset. Cumque super hoc tam ipse quam W. clericus, cui abbas præscriptam concessisse ecclesiam asserebat, coram præfato episcopo convenissent, licet episcopus fateretur se prædicto W. curam illius ecclesiæ non commisisse, timens tamen præfatus presbyter adversarii potentia prægravari, ad nostram audientiam appellavit. Cumque propter hoc se nostro conspectui præsentasset, nec ipse & responsalis abbatis ad agendum venissent instructi, nos minime potuimus in causa procedere, aut ei debitum finem imponere. Quapropter de tua prudentia & honestate plenius confidentes, eamdem causam experientiæ tuæ committimus audiendam, & fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus tam abbatem, quam presbyterum & clericum ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, si legitime tibi constiterit, quod prænominato presbytero præscripta ecclesia per repræsentationem abbatis & concessionem episcopi collata fuerit, nec postea commiserit, propter quod ea debuerit merito spoliari, ipsam ei appellatione & occasione remota facias pacifice ac quiete dimitti: alioquin causam audias, & quod justum fuerit sublato appellationis remedio judices. Data Tuscul. VI. idus Martii.

EPISTOLA CCCXLV. HENRICO Remensi archiepiscopo, & G. Laudunensi episcopo.

De causa inter Brugenses canonicos & R. presbyterum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei., venerabilibus fratribus HENRICO Remensi archiepiscopo, & G. Laudunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet in litteris quas de quibusdam oblationibus, unde inter canonicos ecclesiæ S. Donatiani Brugensis & R. Dudasellensis ecclesiæ presbyterum vertitur controversia, vestræ discretioni direximus, positum fuerit, quod dilectus filius noster L. pro canonicis verbum fecisset: meminimus nos tamen & fratres nostri nihilominus recolunt, quod idem L. se prædicti præpositi tantum fuisse asseruit responsalem. Unde quod ipse in aliis litteris canonicorum fuisse dicitur, ex nimia negotiorum frequentia incorrectum remansit. Supradictus vero presbyter se dicebat contra eumdem præpositum nullam causam habere, sed dumtaxat contra canonicos. Volumus igitur & mandamus, ut eo quod in aliis litteris præfatus L. responsalis canonicorum fuisse perhibetur, non obstante super eadem causa rei veritate, juxta tenorem aliarum litterarum nostrarum studiosius inquiratis: & si inveneritis memoratum presbyterum & ecclesiam suam fuisse præscriptis oblationibus sine judicio vel post appellationem spoliatos, eis oblationes ipsas dilatione & appellatione cessante faciatis restitui, & deinde si prædictus præpositus vel canonici adversus eumdem presbyterum vel ecclesiam suam exinde noluerint agere, vos

causam audiatis, & eam appellatione remota, fine canonico terminetis. Data Tuscul. v. idus Martii.

EPISTOLA CCCXLVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Rogerum Tokellum & Guidonem, qui in clericos violentas manus injecerant, excommunicatos denunciet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte Catalaunensis capituli adversus Rogerum Toxellum & Guidonem filium Senescalli & alios complices suos querelam accepimus, quod in thesaurarium ecclesiæ suæ & clericos ejus violentas manus ausu temerario injicientes, eos turpiter & inhoneste tractaverunt. Unde quoniam tantæ præsumtionis excessus gravi est animadversione plectendus, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus hujus rei veritatem diligenter inquiras, & si ita esse inveneris, prædictos viros publice accensis candelis, appellatione remota, excommunicatos denuncies, & eos attentius facias evitari, donec eidem thesaurario & clericis ejus de illata injuria condigne satisfaciant, & cum litteris tuis de tanto satisfacturi excessu, apostolico se conspectui repræsentent. Data Tuscul. III. idus Martii.

EPIST. CCCXLVII. CATALAUNENSI episcopo.

Ut filium sacerdotis per ignorantiam ordinatum presbyterum sua faciat ecclesia gaudere.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Catalaunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam scriptum est in libro Psalmorum: *Universæ viæ Domini misericordia & veritas* Et alibi: *Misericordia & veritas præibunt ante faciem tuam*; P. latorem præsentium, quem ignorans filium esse sacerdotis in presbyterum ordinasti, ad misericordiam tuam jam pridem E duximus remittendum, ut si alias idoneum & honestũ eum esse cognosceres, ad ecclesiam reciperes ad quam fuerat præsentatus. Unde quod ei ad suggestionem nostram præscriptã ecclesiam assignasti, gratum gerimus & acceptum: fraternitatem tuam monentes, atque A mandantes, quatenus eum in præscripta ecclesia manuteneas, & eam ibi occasione illa molestari vel perturbari nulla ratione permittas: ita tamen quod dispensatio, quam circa istum adhibere volumus, aliis non debeat legem præfigere, nec tu inde sumas exemplum, ut de cetero filios sacerdotum in sacerdotio genitos ad ordines promoveas, nisi in claustro canonicorum regularium vel monachorum fuerint dignæ conversationis judicio comprobati. Data Tuscul. III. idus Martii.

EPISTOLA CCCXLVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Episcopum Silvanectensem, qui diviserat præbendam, a potestate conferendi præbendas privat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constituto in præsentia nostra Henrico C archidiacono Silvanectensi, dilecti filii nostri S. & magister S. & D. fratres militiæ Templi nuntii tui, in audientia nostra & fratrum nostrorum adversus fratrem nostrum (a) Silvanectensem episcopum, ex parte (a) tua querimoniam gravem deposuerunt, quod cum G. clerico tuo primam præbendam quæ in ecclesia sua vacaret ad preces suas concessisset, eam quæ vacavit inter ipsum & prædictum archidiaconum contra decretum nostrum, quod in concilio (b) Turonensi (b) edidimus, dividere non formidavit, & cum eum per litteras & viva voce, ut quod fecerat corrigeret monuisses, ipsum quia noluit, D tuæ commonitioni parere, ad nostram audientiam appellasti. Archidiaconus vero servata modestia & humilitate in sui prolatione sermonis, quod nuntii tui proposuerant, noluit diffiteri, sed episcopum fuisse immemorem decreti nostri, quando præbendam dimidiavit, constanter proposuit, & quod non pro contemtu tuo, sed infirmitate præpediente, appellationem exequi omisisset, prudenti relatione adjecit. Nos vero volentes honori & dignitati tuæ, in quibus cum Deo & justitia possumus deferre, & ne alii audaciam delinquendi assumant, & occasionem violandi decretum nostrum attentiori studio providere, episcopum suspendimus ab auctoritate donandi præbendas, usque ad misericordiam nostram vel catholici successoris nostri, & archidiaconum dimidia præbenda, quam contra decretum nostrum suscepit, deliberato fratrum nostrorum consilio

(a) Henricum ex abbate S. Quintini Bellovacensis factum episcopum.

(b) Sic enim in concilio Turonensi cap. I. *Majoribus ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum minus videtur, ut minores clericorum prebendæ recipiant sectiones. Idcirco ut in magnis, ita & in minimis suis membris firmam habeant ecclesia unitatem. Divisionem prebendarum aut dignitatum per mutationem fieri prohibemus.*

privavimus, auctoritate noſtra in archidiaconatu & canonicatu remanentem, ita quod dimidia illa præbenda perpetuo careat; ſed ei dimidia quam habet ab epiſcopo ſuo poſtquam per miſericórdiam apoſtolicæ ſedis ei donandi præbendas auctoritas èrit reſtituta, vel a ſucceſſore ſuo integretur, vel alia integra aſſignètur. Verum licet prædictus G. clericus tuus eadem ratione ſua debuiſſet dimidia præbenda privari, pro honore tamen tuo, & pro conſideratione fraternitatis tuæ, & quia ipſe abſens erat, eam ſibi diſpenſative dimiſimus; ita quod integra præbenda in eadem eccleſia cum vacaverit, relicta dimidia ei debeat aſſignari. De cetero prædictum epiſcopum caritati tuæ ſollicite commendamus, rogantes atque monentes, quatenus eidem epiſcopo gratiam tuam clementer reſtituens & amorem, eum ſicut facturam tuam diligas, manuteneas, & honores, & benigne ac manſuete pertractes. Nos enim ei dedimus in mandatis, quod tibi tamquam patri & Domino ſuo debitam obedientiam & reverentiam exhibeat, ad quod eum promtum & voluntarium eſſe non dubitamus. Data Tuſcul. III. idus Martii.

EPISTOLA CCCXLIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De abſolutione magiſtri Gerardi ab excommunicatione.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Conſtitutis in præſentia noſtra dilectis filiis noſtris fratre Simone & magiſtro Stephano nuntiis tuis, & magiſtro Gerardo latore præſentium, iidem nuntii tui eumdem G. dixerunt excommunicatum fuiſſe, & debere ſicut excommunicatum vitari: prædictus vero G. aſſeruit, quod cum mulier quædam ſuper XVIII. libris ab alia impetebatur, deceſſerit, dilectus filius noſter Boſ. archidiaconus eccleſiæ tuæ, qui vices tuas in cauſis gerebat, adverſus eum occaſione ſuſcepta; quia cauſa ipſa tibi committebatur, & idem G. pro prædicta mulière ad litteras commiſſionis impetrandas apud nos ſteterat, ipſum convenit, ut tamquam fidejuſſor ſuper cauſa ipſa in ſua præſentia reſponderet. Ipſe vero fidejuſſorem non recognoſcens, & quomodo in litteris ipſis de fidejuſſione nihil contineretur conſiderans, coram eodem archidiacono noluit exinde reſpondere, immo ad noſtram audientiam appellavit. Verum quod idem archidiaconus eum excommunicaſſet, ſe dicebat penitus ignorare, niſi quod prædicti nuntii eum aſſeverabant excommunicatum fuiſſe. Licet autem non teneret ſententia, ſi in eum poſt appellationem lata fuiſſet; quia tamen utrum ante vel poſt appellationem excommunicatus fuiſſet nobis erat incognitum, eum fecimus a ſententia illa abſolvi, eumque remittimus abſolutum; fraternitatem tuam monentes attentius & mandantes, quatenus eum pro abſoluto habeas, & ab omnibus facias pro abſoluto haberi, nec occaſione illius excommunicationis ab eo quidquam exigas, vel ab aliis exigi patiaris, nec aliquam ſibi propter hoc pœnam infligas aut permittas infligi. Data Tuſculi II. idus Martii.

EPISTOLA CCCL. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Scribit in gratiam D. diaconi, cui fratres S. Eugendi eccleſiam de Maſueio dederant.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad apoſtolicæ ſedis clementiam D. diaconus lator præſentium, lacrymabili nobis conqueſtione monſtravit, quod cum ei abbas & fratres S. (a) Eugendi eccleſiam (*) de Maſdeio canonice conceſſiſſent, frater noſter Catalaunenſis epiſcopus eum ad præſentationem illorum recipere noluit; ſed alium ipſis invitis in eadem eccleſia intruſit; unde idem diaconus compulſus eſt ad ſedem apoſtolicam appellare. Quia vero hujus rei veritas nobis non conſtat, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus rem ipſam diligenter inquiras, & ſi ita eſſe inveneris, & epiſcopus rationabilem cauſam oſtendere non potuerit, quare ipſum ad eamdem eccleſiam recipere nolit, præfato D. præſcriptam eccleſiam, occaſione & appellatione ceſſante, facias aſſignari: ita quod iſte non cogatur pro defectu juſtitiæ amplius laborare. Si autem de ratione iſta a ſua portione fuerit amovendus, illo amoto, qui contra voluntatem abbatis & fratrum fuit immiſſus, alium idoneum ibidem ad repræſentationem illorum non differas ordinare. Data Tuſculi XVII. Kalendas Aprilis.

(a) S. Eugendi abbatia nobilis & antiquiſſima in diœceſi Biſuntina a S. Romano fundata Condatum primum appellata, dein a tertio ſuo abbate S. Eugenio dicta, hodie innoteſcit ſub nomine S. Claudii, cujus corpus hactenus incorruptum ſervat.

EPISTOLA CCCLI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut episcopum Catalaunensem, qui pro absolutione excommunicatæ mulieris pecuniam exegerat, ab officio suo suspendat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

RELATUM est auribus nostris, quod cum frater noster (a) G. Catalaunensis episcopus parrochianos suos Evannum scilicet & alios quosdam & eorum familias pro suis excessibus excommunicationis sententia percussisset, mandato nostro recepto, & satisfactione sicut credimus congrua præstita, ceteros præter uxorem prænominati E. a sententia qua tenebantur absolvit. Uxorem vero ejusdem E. contempsit absolvere, quoniam novem libras, quas pro ejus absolutione idem episcopus exigebat, ei noluerat exhibere, licet eadem mulier super eo unde excommunicata fuerat, parata fuisset juris æquitati parere. Cum autem præfatus episcopus in proposito suo persisteret, jam dictæ mulieri in morte sua, pœnitentia fuit, viaticum, necnon & cimiterium denegatum. Quia igitur, si vera sunt hæc quæ de jam dicto episcopo ad nostram audientiam perferuntur, multa debent & gravi animadversione puniri, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus super hoc rei veritatem diligenter inquiras, & si tibi constiterit jam dictum episcopum eidem mulieri, ipsa absolutionem petente, cupiditate pecuniæ absolutionis beneficium denegasse, & eam propter illius avaritiam sine pœnitentia decessisse, & episcopum usque ad mandatum nostrum ab officii pontificalis exsecutione suspendas, & corpus prædictæ mulieris ecclesiasticæ tradi facias sepulturæ, quoniam in illum pœna redundare debet & culpa, qui in mortis articulo ei absolutionem petenti absolutionis beneficium denegavit. Data Tusculi XVI. Kalendas Aprilis.

(a) Guido de Joinvilla.

EPISTOLA CCCLII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut duos ecclesiæ suæ canonicos, qui violentas manus in diaconum injecerant, denunciet excommunicatos.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quotiens a viris ecclesiasticis committuntur ea, quæ a laicis gravi debeant animadversione requiri, tanto in ipsis celerius commissæ iniquitatis excessum debemus corrigere, quanto eorum exemplo ad bonum vel malum ceteri facilius provocantur. Innotuit autem auribus nostris ex conquestione M. diaconi latoris præsentium, quod Johannes *Brieter* & Erlevvinus avunculus ejus ecclesiæ tuæ canonici ipsum infra capitulum coram dilectis filiis nostris decano & canonicis ejusdem ecclesiæ contumeliis & convitiis affecerunt, & violentas in ipsum manus injiciendo, non sunt veriti turpiter & inhoneste tractare. Quia igitur non solum in clericis, sed in quibuslibet & aliis tantus & tam gravis excessus multa debet severitate puniri, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, qualiter per eos qui interfuerunt, super hoc veritatem diligenter inquiras, & si ita esse inveneris, supradictos canonicos, appellatione remota, excommunicatos denuncies, & donec eidem diacono de injuriis irrogatis, congrue satisfaciant, & cum litteris tuis apostolico se conspectui repræsentent, eos facias sicut excommunicatos attentius evitari. Data Tusculi XVI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut canonici Laudunenses de illatis injuriis faciant satis monialibus sancti Petri Remensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte abbatissæ & sororum S. Petri Remensis ad audientiam nostram est querela perlata, quod cum inter ipsas & dilectos filios nostros canonicos Laudunensis ecclesiæ super quadam silva & terra de communi dividenda, judicio divisio jam pridem facta fuisset, iidem canonici jam dictis sororibus infra divisionem illam damna gravia & injurias intulerunt. Licet autem sorores illæ ad sui juris tuitionem obstaculum appellationis interposuissent, nihilominus tamen iidem canonici, appellatione contemta, ipsis damna & injurias intulerunt; quibus damnis & injuriis provocatæ, ad apostolicam sedem suam coactæ sunt destinare querelam. Quia igitur non est sub silentio relinquendum, quod a quibuslibet, nedum a viris ecclesiasticis contra juris ordinem in contemtum nostrum & ecclesiæ attentatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si ita esse inveneris, præfatos canonicos moneas, & collata tibi auctoritate compellas, ut supradictis sororibus illata

damna infra XL. dies post harum susceptionem, appellatione remota, cum integritate resarciant, & de injuriis irrogatis satisfactionem exhibeant competentem. De contemtu vero appellationis, eam ipsis sublato appellationis remedio pœnam infligas, quod, fama referente, ad audientiam nostram debeat pervenire. Data Tusculi XVI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLIV. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Causam Elisendis viduæ ipsi committit.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Relatum est auribus nostris quod cum Elisendis vidua Johannem Aculensem & sororem ejus super debito XII. librarum, quas sibi solvere tenebantur, ipsa & filii sui in præsentia tuæ discretionis impeterent, ipsi volentes justitiam effugere, ad nostram justitiam appellarunt; sed spatio duorum annorum elapso, appellationem per se vel per alios non sunt aliquatenus prosecuti. Quia igitur indignum esset & contrarium penitus rationi, ut justitiæ jam dictæ viduæ vel filiorum suorum sub occasione deserioriæ appellationis debeat deperire: nos eamdem causam tuo examini remittentes, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, si tibi constiterit, eumdem J. & sororem ejus appellationem per se vel per alium non fuisse tanto tempore elapso prosecutos, eos moneas & omni cum districtione compellas, ut præscriptam pecuniam memoratæ viduæ & & filiis suis infra XL. dies post harum susceptionem sine molestia & diminutione persolvant, aut exinde sibi coram te appellatione remota exhibeant justitiæ complementum. Data Tusculi XVI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut homines S. Remigii a vexationibus canonicorum Suessionensium defendat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad apostolicæ sedis audientiam, ex parte ecclesiæ S. Remigii querela pervenit, quod canonici Suessionenses & Nicolaus de Bazochis homines S. Remigii ad redemtionem compellant, eosque multis vexationibus & injustis exactionibus inquietare præsumant. Eapropter quoniam indignum est, ut ab eis A præfata ecclesia indebitam hominum suorum jacturam sustineat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus jam dictos viros diligentius commonere & districte compellere studeas, ut a prænominatæ hominum ecclesiæ redemtione, & ab ipsorum molestiis & exactionibus curent omnimodis abstinere. Si autem super hoc aliquid juris se habere confidunt, in præsentia tua poterunt experiri. Data Tusculi XII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLVI. TURONENSI archiepiscopo & Æduensi episcopo.

Ut latam ab archiepiscopo Remensi sententiam excommunicationis in comitem Henricum examinent.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus (a) (a) Turonensi archiepiscopo & (b) Eduensi (b) episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilecti filii nostri magistri Stephanus & Milo Catalaunenses, nuntii venerabilis fratris nostri H. Remorum archiepiscopi, cum litteris ejus ad nostram præsentiam accessissent, sollicitis apud nos precibus institerunt, ut excommunicationis sententiam, quam in nobilem virum HENRICUM comitem pro suis excessibus promulgavit, apostolicæ sedis munimine firmaremus. Dilecti vero filii nostri Johannes Salvalupus & magister Melior, qui pro ipso comite super eodem negotio venerant, sententiam ipsam non esse tenendam coram nobis constantius asserebant: quoniam post appellationem ad sedem apostolicam factam, ipsam aiebant fuisse prolatam. Verum jam dicti nuntii archiepiscopi sententiam, sicut pars altera constanter asseverabat, post objectum appellationis obstaculum in eumdem comitem latam fuisse recognoverunt, sed addentes dixerunt, quod idem comes fines appellationis transgrediens, per præpositos & malitiam suam terras ecclesiæ Remensis post appellationem invasit, & ecclesiam quamdam jurisdictionis archiepiscopi, hominum ibidem existentium aliis interfectis, aliis vero in captionem ductis, pro sua fecit voluntate comburi, nec homines quos in sua captione tenebat ad preces & commonitionem prædicti archiepiscopi absolvere voluit, donec ipsos sese redimere injuste coegit. Contra quod siquidem nuntii jam dicti comitis responderunt, quod si præpositi & militia sua post appellationem talia commiserunt, non de ipsius conscientia vel mandato processit, & quod de captivis requisitus fuis-

(a) Joscio qui ab anno 1157. ad 1175. rexit ecclesiam Turonensem.

(b) Henrico Odonis II. Burgundiæ ducis fratri.

set, omnino inficiabantur: adjicientes quod homines ipsius comitis terram archiepiscopi non invaserunt, sed cum præpositi & militia ejusdem archiepiscopi terram comitis invaderent, ei sui homines occurrerunt, & ipsos fortuna prosperante in fugam verterunt, de quibus alios occiderunt, alios vero in captionem duxerunt. Licet autem hinc inde coram nobis varia super eodem negotio dicerentur, super his tamen neutra partium nobis fidem facere potuit, & cum duo ex his solummodo ex utriusque partis confessione nobis constarent, quod videlicet ad nos appellatum fuisset, & post appellationem prænominatum comitem archiepiscopus excommunicationi subjecerit, sententiam ipsam juxta preces & petitionem ipsius non potuimus nec debuimus confirmare vel ratam habere, quamvis ei sicut venerabili fratri nostro, & tam dignitatis officio quam sanguinis generositate præclaro, in omnibus quæ cum Deo possumus, promta voluntate condescendere velimus, nisi prius super his, quæ nuntii ejus nobis proposuerant certitudinem possemus habere. Ne igitur alterutri partium pro juris defectu relinquere videamur materiam conquerendi, horum cognitionem experientiæ vestræ, de qua plenam & indubitatam fiduciam gerimus, duximus committendam, apostolica vobis auctoritate mandantes, ut insimul convenientes, super his omnibus infra XL. dies post harum susceptionem, rei veritatem diligentius inquiratis, & si vobis constiterit, jam dictos præpositos & militiam de mandato vel conscientia supradicti comitis, post appellationem & ante excommunicationem terram præfati archiepiscopi non repellentes, sed inferentes injuriam aggressos fuisse, aut etiam ipsum ab eodem archiepiscopo requisitum, homines ei quos tenebat in vinculis reddere noluisse, vel exinde sibi justitiam exhibere, sententiam in eum latam, nisi interim inter se, quod magis cupimus, amicabiliter convenerint, remoto appellationis obstaculo auctoritate nostra ratam habeatis & confirmetis, & eam præcipiatis inviolabiliter observari. Ceterum incendiarios illos qui in præscripta ecclesia ignem apponere præsumserunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicatos denuntietis, & ab omnibus faciatis cautius evitari. Alioquin sententia tenere non debet, quia sententia post appellationem lata, sicut vestra novit fraternitas, nullius potest vel debet esse momenti, nisi cognitum fuerit vel probatum quod postea commiserit quare debet anathematis vinculo detineri. Nihilominus etiam præsentium vobis auctoritate mandamus, vel super ædificatione castrorum, si inde mandatum carissimi in Christo filii nostri L. illustris Francorum regis receperitis, partes nostras efficaciter interponatis, & causam compositione, si poteritis, vel etiam judicio studeatis terminare, quod autem de excommunicatione mandavimus, hoc idem de interdicto terræ præcipimus observari. Data Tusculi XI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut episcopum Belvacensem aliosque suffraganeos suos non gravet, ac dissidia sua cum Henrico comite componat.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Illum sinceritatis & devotionis ardorem & integritatis constantiam quam a nostræ promotionis exordio circa unicam & singularem matrem tuam sacro-sanctam Romanam ecclesiam, & specialiter circa personam nostram magnanimiter exhibuisti, semper in pectore nostro gerentes, & admirandæ fidei tuæ virtutem nihilominus sollicita meditatione pensantes, firmum propositum & ferventem admodum gerimus voluntatem, personam tuam sicut fratris carissimi & immobilis columnæ ecclesiæ affluenti caritate diligere, & honori & exaltationi tuæ ardenti desiderio aspirare. Cum enim te pro domo Domini & fide catholica murum inexpugnabilem & turrim fortitudinis opposueris, & negotium, & causam ecclesiæ pro viribus laboraveris promovere, merito confidere potes & plenam obtinere certitudinem, quod personam tuam de puritate animi diligamus, & pro tuo velimus honore esse solliciti omnimodis & studiosi. Unde si quando tuæ fraternitati aliqua scribimus, quæ forte tibi gravia videantur, non ex minori affectione hoc facimus, sed quanto ferventius diligimus, tanto ea quæ ad conservationem tuæ honestatis & famæ, & incrementa spectant virtutum, tibi libentius suademus, & te ab his proponendo interdum aspera & dura revocare semper intendimus, quæ tuæ opinionis famam aliqua possint detractionis nebula obfuscare. Nam cum pater quem diligit corrigat & castiget, & meliora sint verbera amici quam blanda oscula inimici, minime posses de nobis plenam habere fiduciam, sit ibi non sollicite consuleremus, quæ tuo honori expediunt & saluti, & ad famæ tuæ integritatem reservandam potissimum spectare noscuntur, præsertim cum scriptum sit: *Qui famam suam negligit crudelis.* Quapropter cum nobis & tibi forma sit præfixa secundum quam subditos adhibita providentia & moderatione debeamus tractare, non debet moveri fraternitas tua, nec ulla ratione turbari, si monitis & mandatis nostris tibi

suggerimus, quod suffraganeos tuos & maxime Belvacensem episcopum ultra metam a SS. Patribus præfixam non graves; sed potius in mansuetudine & benignitate pertractes, & circa te habeas personas ita maturas, honestas atque discretas, quod earum conversatione opinio tua redoleat, & honestatis cuæ virtus laudabilius enitescat, & quarum consilio in tractandis negotiis ecclesiasticis confidenter inniti possis, & eis in absentia tua incunctanter committere quæ emergunt negotia exequenda. Sane si clerici Belvacensis episcopi gloriati sunt, quod non credimus, nos in eo juri & dignitati tuæ derogasse; non debuisti fidem facile adhibere, cum adeo nostræ circa te ferveat affectio caritatis, quod scienter pro aliquo juri & dignitati tuæ detrahere in nullo veiimus. Verum eidem indulsimus, quod non potuimus de jure sibi denegare, videlicet quod tibi non licet ecclesias & jura ipsius contra formam canonum & SS. Patrum statuta disponere vel ordinare, aut ejus gravare personam, alias enim nullatenus credere debes, quod pro Belvacensi episcopo juri vel dignitati tuæ a nobis detractum fuisset. Porro nos tanta circa te puritate animi & sinceritate cordis affluimus, quod de plenitudine dilectionis & gratiæ apostolicæ sedis & nostræ ita securus & certus potes existere, & ita confidenter de nobis præsumere, sicut aliqua persona melius umquam possit confidere vel sperare, nec animum aut aures accommodes, si quis umquam in contrarium præsumserit susurrare. Ceterum nolumus, quod pro gratia, quam in conspectu nostro & totius ecclesiæ tuis exigentibus meritis invenisti, prædictum Belvacensem vel quoslibet alios graves, unde in te pontificalis maturitas vel modestia sacerdotalis debeat sustinere defectum. De cetero prudentiam, tuam rogamus, monemus, consulimus, & exhortamur, quatinus juxta consilium & exhortationem carissimi in Christo filii nostri illustris Francorum regis fratris tui, & aliorum amicorum tuorum cum nobili viro comite HENRICO de discordia quæ inter te & eum de Castello vertitur pacifice amicabiliterque componas, considerans sicut vir providus & discretus, quanto ex eadem discordia tibi & ecclesiæ tuæ & eidem comiti damna possint & incommoda provenire. Si autem componere secum super hoc non potueris, regis super hoc vel alius judicium subeas, cui causam ipsam idem rex duxerit committendam. Datum Tusculi XI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Respondet ad diversa ei: quibus eum consuluerat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum sacro-sancta Romana ecclesia caput & magistra omnium ecclesiarum sit, disponente Deo, constituta, & ad eam consultationes & quæstiones de diversis mundi partibus merito referantur, quod eam super variis juris quæstionibus consulueris, gratulamur, & prudentiam tuam non immerito commendamus. Inde est quod fraternitati tuæ scriptis præsentibus dignum duximus respondere. Si frustratoriæ dilationis causa vel etiam necessario ante sententiam vel postea fuerat appellatum; hujusmodi appellantibus annus indulgeri solet, aut si urgens & evidens necessitas compatuerit, indulgetur biennium, nisi forte judex a quo appellatum fuerit, secundum locorum & provinciarum distantiam & quantitatem temporis, recisius tempus fuerit moderatus, infra quod si is qui appellavit, causam appellationis non fuerit prosecutus, tenebit sententia, si post sententiam appellaverit, & a causa sua cecidisse videtur, nec amplius super eodem negotio audietur appellans. Si vero absque omni gravamine & ante litis ingressum fuerit appellatum, hujusmodi audietur appellans, quoniam sacri canones passim appellare permittunt. Si tamen ante sententiam appellavit, cogetur illius stare judicio a quo noscitur appellasse. Si autem in agro vel alias ante causæ ingressum fuerit appellatum, non solent dici hujusmodi appellationes, sed in jus vocationes. Præterea si raptor sit, vel alias violentus detentor alienæ rei qui appellat, hujusmodi appellatio facta in judicio apud ecclesiasticas personas solet auditi, nisi forte manifestus raptor, vel fornicator existat, sicut ille quem absentem & non requisitum Apostolus excommunicavit. Ad hæc si in una causa aliquis appellaverit, & pendente appellatione aliquod crimen committat, vel prius commisisse dicatur, vel modo etiam accusetur, vel conveniatur de alia re, de qua non sit appellatum, nec illa contingat judicem a quo in alio quoque negotio appellavit, potest, si voluerit tamquam suspectum vitare. Alioquin debebit stare judicio ipsius a quo appellatum est, maxime si judex suus ordinarius existit. Item, si duobus coram judice litigantibus, alter ad nostram, alter ad sui judicis audientiam super eodem negotio appellaverit, & ille qui ad suum judicem ap-

pellavit, ad diem appellationis veniens ad A cum se appellasse proponat, eo tacito quod adversarius ad audientiam Romani pontificis appellasset: si legitime citatus neque venerit, nec aliquem miserit responsalem, aut etiam alias parere contemnit, & in eum excommunicationis sententiam tulerit, tenebit utique excommunicationis sententia pro contumacia, nisi cognoverit judex eum ad audientiam Romani pontificis appellasse. Denique quod in fine quæstionum tuarum quæris si a civili judice ante judicium vel post ad nostram audientiam fuerit appellatum, an hujusmodi appellatio teneat: tenet quidem in his qui B nostræ sunt temporali jurisdictioni subjecti; in aliis vero si de consuetudine ecclesiæ teneat, secundum juris rigorem tenere non credimus. Datum Tusculi XI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLIX. ILLUSTRI regi Francorum.

Ut componat dissidium inter archiepiscopum Remensem & Henricum comitem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, illustri Francorum regi, salutem & apostolicam benedictionem.

Constitutis in præsentia nunciis venerabilis fratris nostri HENRICI Remensis archiepiscopi fratris tui & nobilis viri comitis HENRICI, & coram nobis inter se litigantibus, ex eorum assertione comperimus inter eumdem archiepiscopum & comitem contentionem non levem, sed gravem nimis exortam, quæ nobis tanto magis gravis est & molesta, quanto universos de regno tuo & præsertim nobiles & potentes potiori vellemus pace gaudere, sicut qui pacem tuam & ejusdem regni prout bene meruisti non alienam sed nostram & ecclesiæ specialem & propriam reputamus, nos autem contentiones eorum pro nostri officii debito sedare volentes, utriusque petitionibus, quantum de ratione fieri potuit condescendimus, & tam de appellatione, quam de excommunicatione quæ ad nos specialiter pertinebant causam venerabilibus fratribus nostris Turonensi archiepiscopo & Eduensi episcopo, viris utique prudentibus & discretis cognoscendam commisimus, & fine debito terminandam. Cæterum quoniam supradictus comes quædam castra per eumdem archiepiscopum in damnum etiam non modicum & detrimentum suum conqueritur de novo esse constructa, unde tanta & tam gravis radix dissentionis videtur habere fomentum, nos super eadem dissentione non modica commotione turbati, & de ipsorum pace prout debemus solliciti, regiam magnitudinem rogamus, consulimus & monemus, quatenus ad reformandam inter eos pacem atque concordiam partes tuas efficaciter inter eos interponas, & de medio ipsorum omnem studeas tollere materiam jurgiorum, & causam ipsam judicio vel amicabili compositione, quod magis optamus, decidas: quia melius est & salubrius nascenti morbo occurrere, quam postquam induruerit quærere medicinam. Si vero super ædificatione prædictorum castrorum te forte, quod non credimus, nolueris intromittere, causam ipsam personis discretis committas, quæ super hoc studium adhibeant & laborem, & causam ipsam, si fieri poterit, compositione amicabili aut etiam judicio satagant terminare. Multum enim tibi & regno tuo expedit, ut inter adeo magnas & potentes personas pax & concordia celerius reformetur. Data Tusculi XI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLX. BELVACENSI episcopo.

Quod litteras non concesserit ipsi exemtionis a jurisdictione archiepiscopi Remensis, & ut debitam ei obedientiam exhibeat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Belvacensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Clerici & nuncii venerabilis fratris nostri Remensis archiepiscopi, proposita nobis assertione monstrarunt, quod clerici tui cum insultatione in via asseverabant, se a nobis litteras impetrasse, qua a jurisdictione & reverentia ipsius archiepiscopi exemtus fuisses. Unde vehementer miramur, plurimumque movemur, qua præsumtione id attentaverunt, cum omnino a vero alienum existat. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædicto archiepiscopo debitam obedientiam & honorem impendas, & ei plenam devotionem & reverentiam exhibeas, & clericos tuos de tanta præsumtione veniam postulare, aut si inculpabiles sunt, se ipsos excusare compellas. Nos enim eumdem archiepiscopum rogavimus atque monuimus, ut te vel quoslibet pro gratia nostra, quam habet, non gravet: ita quod in eo pontificalis maturitas vel sacerdotalis modestia non videatur sustinere defectum. Data Tusculi XI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA

EPISTOLA CCCLXI.

Ut nepoti archiepiscopi Remensis archidiaconatum concedat in sua ecclesia.

(a) (a) VEnerabilis frater noster Remensis archiepiscopus transmissa nobis relatione monstravit, quod de mera & spontanea liberalitate nepoti ejus archidiaconatum ecclesiæ tuæ cum vacaret concessisti. Ceterum quantus sit in ecclesia Dei prædictus archiepiscopus, & quanta reverentia & devotione eum debeas prævenire, & quomodo nos ei, qui se pro defensione ecclesiæ contra inimicos murum & antemurale opposuit, debitores existamus, & suæ voluntati teneamur deferre, prudentiam tuam decet diligenter attendere; & ad complendam voluntatem illius promtam diligentiam & efficaciam exhibere. Inde est quod fraternitatem tuam rogamus, monemus & hortamur, quatenus pro reverentia B. Petri & nostra, & intuitu prædicti archiepiscopi, nepoti suo secundum quod noscueris promisisse archidiaconatum, qui in ecclesia tua vacaverit, liberaliter concedas & assignes: ita quod propter hoc idem archiepiscopus te pariter & ecclesiam tuam sincerius diligere debeat, & honori & profectui tuo propensiori cura intendere, & nos exinde sinceritati tuæ gratias debeamus exsolvere pleniores. Data Tusculi XI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLXII. EPISCOPO Attrebatensi.

Arguit eum quod R. clerico necdum præbendam in ecclesia sua conceßerit.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, Attrebatensi (b) episcopo, (b) salutem & apostolicam benedictionem.

Non excidit a memoria nostra, nec te credimus immemorem esse, qualiter pro R. nepote Roberti Bug. latore præsentium semel & iterum tibi scripsimus; sed ita ad admittendas preces nostras te durum exhibuisti, quod litteris nostris, sicut ejusdem iterata querela demonstrat, acquiescere noluisti, quod quam grave nimis gerimus & molestum & exinde non possumus non moveri, cum videaris aures tuas nostris precibus obturare, quas reverenter deberes & humiliter exaudire. Novimus sane prædecessorem tuum G. ad preces nostras primum præbendam, quæ in ecclesia Attrebatensi vacaret eidem clerico liberaliter contulisse, & decem solidos per singulos menses, donec in episcopatu fuit, nostro intuitu assignasse: Cum autem eidem episcopo successeris, & plures quoque præbendæ in eadem ecclesia vacassent, nullam habere potuit, & sic sua spe & intentione frustratus, cogitur ad nos non sine labore recurrere, & nostrum suffragium postulare. Quia igitur indignum est & penitus indecorum, ut tu debeas exscindere, quod ad preces nostras constat factum fuisse, fraternitatem tuam monemus atque præcipimus, quatenus præfato clerico præbendam, si qua nunc vacat, vel quam primo in ecclesia tua vacare contigerit, omni occasione & excusatione cessante, concedas liberaliter & assignes, ne de inobedientia possis redargui, vel nos debeamus adversum te gravius commoveri, aut cur præceptum nostrum non adimpleas, manifestam rationabilem causam coram venerabili fratre nostro domino Morinensi episcopo infra XL. dies post harum susceptionem ostendas: si vero neutrum horum efficere forte nolueris, eidem episcopo dedimus in mandatis, ut id celerius nobis per sua scripta significet, quatenus te secundum tua merita puniamus. Data Tusculi VIII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCLXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro abbate S. Johannis de Vineis adversus R. presbyterum qui ecclesiam de Bonnis invaserat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte abbatis & fratrum S. Johannis de Vineis querelam accepimus, quod cum ecclesia de Bonnis ad ipsos pertineat, R. presbyter in ipsa sine conscientia & repræsentatione abbatis, & contra tenorem privilegiorum Romanæ ecclesiæ, missarum solemnia & alia divina officia celebrare præsumit. Quia igitur jura & dignitates præscriptæ ecclesiæ conservare volumus imminutas, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rei veritatem super hoc infra XX. dies post harum susceptionem diligenter inquiras, & si ita esse inveneris, memoratum presbyterum ab eadem ecclesia de Bonnis, dilatione & appellatione remota, nostra & tua auctoritate non differas amovere. Data Tusculi III. nonas Aprilis.

(a) In codice manuscripto nullam præfert hæc epistola inscriptionem, verum eam archiepiscopo Senonensi scriptam fuisse conjicimus, quod pro Philippo nepote Henrici archiepiscopi Remensis constat aliunde eidem Senonensi antistiti litteras direxisse Alexandrum.

(b) Andreæ qui Godescalco cedenti anno 1164. successit, obiitque 1171.

EPISTOLA CCCLXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus Aalidem feneratricem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione nobilis mulieris Helvidis de *Sonunt* viduæ, auribus nostris insonuit, quod cum pecuniam ad usuram a quadam feneratrice *Aalide* nomine mutuo accepisset, & ei ultra sortem XIX. libras usurarum nomine persolvisset, contra eam apud ecclesiam pro repetendis usuris querelam deposuit. Cumque jam dicta feneratrix ad judicium convocata fuisset, illa de jure diffidens, & subterfugere quærens, ad audientiam nostram appellavit. Quia vero ad terminum sibi præfixum nec venit, nec responsalem super hoc transmisit, cum omnibus & maxime viduis & orphanis ex pastoralis sollicitudinis debito in suo debeamus jure adesse, tibi per apostolica scripta mandamus, quatenus usque ad XX. dies post litterarum nostrarum susceptionem utramque partem ante præsentiam tuam convoces, & si ita esse tibi constiterit, præscriptam feneratricem cum ea componere, vel sublato appellationis remedio, quidquid pro usuris inventa fuerit excessisse, aut majorem partem prædictæ viduæ restituere, ecclesiastica censura compellas. Data Tusculi III. nonas Aprilis.

EPISTOLA CCCLXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Commendat ipsi D. & G. qui propter schismaticos Tullensem diœcesim reliquerant.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Preces quæ caritatis effectum prætendunt, promtioni animo debes admittere, & nos in ipsis tanto libentius exaudire, quanto magis tuam devotionem & caritatem desideramus commendari. Prodilectis siquidem filiis nostris D. & G. qui episcopatum olim Tullensem, unde oriundi extiterunt, omnemque substantiam suam pro devotione ecclesiæ Romanæ, cum schismatis error ibidem invalesceret, sicut dicitur, relinquerunt, tuæ fraternitati nos meminimus preces sollicitas porrexisse: tu vero, sicut audivimus, preces nostras in hac parte volens admittere, venerabili fratri nostro Suessionensi episcopo mandasti, ut aquamdam ecclesiam alteri eorum concederet, sed quia in lite & contentione erat, eam sibi non potuit conferre. Unde cum ad nostri officii debitum, specialiter pertineat, circa necessitates indigentium curam & sollicitudinem adhibere, & eis præcipue qui pro catholicæ unitate ecclesiæ inopiam sustinent & labores, paterna provisione adesse, fraternitatem tuam per iterata scripta rogamus, monemus, atque mandamus, quatinus divinæ miserationis intuitu & pro reverentia beati Petri & nostra ad eorumdem clericorum provisionem diligenter & caritative intendens, utrique ipsorum in episcopatu Remensi vel provincia tua, per te & fratres nostros episcopos suffraganeos tuos ita commode & decenter provideas, ut nos in hac devotionis tuæ sinceritatem erga nos & ecclesiam Romanam possimus hac vice plenius experiri, & exinde tibi majoris dilectionis & gratiæ debeamus plenitudinem exhibere, & ipsi, exilii sui dignam & gratam apud te consolationem se gaudeant invenisse. Data Tusculi VIII. idus Aprilis.

EPISTOLA CCCLXVI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

De electo Cameracensi qui abbatem de Mareolis equo præcipitari jusserat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Insinuatum est nobis, quod ille qui dicitur Cameracensis electus abbatem de (a) Mareolis de equo suo præcipitari præcepit, & turpiter & inhumane tractari. Unde quoniam turpe nimis & triste videtur, ut viri religiosi ab his injurias & dedecora patiantur, a quibus deberent defendi, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si res ita se habet, prædictum Cameracensem, etsi propter hoc meruerit laqueo excommunicationis involvi, ab ingressu ecclesiarum coerceas, & eos qui præfatum abbatem de equo ejecerunt, donec illi de illata injuria congrue satisfaciant, & de tanto excessu satisfacturi cum tuarum testimonio litterarum apostolico se conspectui præsentent, publice accensis candelis excommunicatos denunties, & ab omnibus facias cautius evitari. Data Tusculi VII. idus Aprilis.

(a) Mareolæ seu Mareolum abbatia est canonicorum regularium ordinis S. Augustini, quos canonicis sæcularibus substituit Alvisus episcopus Attrebatensis.

EPISTOLA CCCLXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Scribit in gratiam G. pauperis presbyteri, qui in ægritudine sui non compos, monastico habitu indutus fuerat.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos G. pauper presbyter, præsentium lator, diligenti nobis relatione proposuit, quod cum ipse adeo gravi ægritudine laboraret, ut sui compos non esset, monachi S. Petri Catalaunensis ipsum & omnia sua secum ad eorum monasterium portaverunt, & eum insuper monastico habitu induerunt, eumque ad se rediisset, & quod de se factum fuerat obstupesceret, continuo reclamavit, habitum ipsum data opportunitate abjecit. Licet autem jam dicti monachi ipsum, sicut asserit, dimisissent; ecclesiam tamen quam per bonæ memoriæ (a) A. quondam Suessionensem episcopum ad eorum repræsentationem habuerat, & reliqua sibi ablata ei restituere contradicunt. Quia igitur hujus rei veritas nobis non liquet, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus infra xx. dies post harum susceptionem, rem ipsam sollicite ac diligenter inquiras, & si tibi constiterit, præfatum presbyterum sui compotem non fuisse, cum jam dicti monachi cum monastico habitu vestierunt, nec postquam ad se rediit ratum habuisse quod de ipso factum fuerat, tam ecclesiam quam cetera ablata, dilatione & appellatione remota, sibi cum integritate restitui facias & in pace dimitti. Si vero compos sui erat, cum monasticis fuit indumentis indutus, aut si forte tunc temporis compos sui non erat, & postquam ad se rediit, id ratum habuit, eum nostra & tua auctoritate compellas in eodem monasterio habitum abjectum resumere, & eosdem monachos ipsum recipere, & fraterna caritate tractare, quia non tantum lac & lanam, quantum salutem ovis inquirere debent. Data Tusculi VI. idus Aprilis.

(a) (a) Ansculfum de Petra-fonte qui ab anno 1152. ad 1159. præfuit ecclesiæ Suessionensi.

EPISTOLA CCCLXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut B. presbytero vicariam de Suast, *restituere faciat.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Apostolica sedes tamquam pia & benigna mater omnibus injuste gravatis pio consuevit favore adesse, & contra adversantes protectionis clypeum exhibere. Relatum est auribus nostris, quod cum B. presbyter vicariam ecclesiæ de *Suast*, canonice & perpetuo fuisset adeptus; Aicardus presbyter potentia & fortitudine sua ipsum ab eadem vicaria ejecit, & eam detinet contra justitiam occupatam. Unde quoniam hujusmodi oppressiones & violentiæ in quolibet laico, nedum clerico detestabiles sunt, & penitus exsecrandæ, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si præscriptæ ecclesiæ vicaria præfato B. concessa fuit, ut ibi perpetuus vicarius esset, prædictum A. moneas instanter & districte compellas, ut eidem B. vicariam prælibatæ ecclesiæ cum universis ablatis, postposita mora & occasione, restituat, & in pace & quiete dimittat, aut in præsentia tua plenam exinde justitiam, appellationis remedio sublato, exhibeat. Quod si facere forte contemserit, eum officio & beneficio non differas spoliare. Data Tusculi V. idus Aprilis.

EPISTOLA CCCLXIX. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Ut Robertum de Bove *compellat ea restituere, quæ A. canonico S. Petri Laudunensis abstulerat.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex conquestione dilecti filii nostri A. canonici S. Petri Laudunensis, ad audientiam nostram pervenit, quod cum Robertus de *Bove*, in Laudunensi provincia tyrannidis suæ sententiam exerceret, inter ceteras rapinæ suæ violentias, vaccas illius & boves violenter abduxit, quas in suæ salutis periculum non dubitat retinere, minus caute considerans quod scriptum est: *Raptores & maleficos condemnavit Deus.* Quia igitur ex suscepto summi pontificatus officio præcavere tenemur, ne raptores de impunitate valeant gloriari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum R. moneas, & omni cum districtione compellas, ut infra XL. dies post harum susceptionem, jam dicto canonico prædictarum vaccarum & ovium æstimationem restituat, aut sub tuæ discretionis examine ei plenam exinde justitiam, sublato appellationis obstaculo, non differat exhibere. Si vero id facere forte noluerit, tu ipsum gladio excommunicationis percellas, & terram ejus usque ad dignam satisfactionem interdicto supponas. Data Tusculi IV. idus Aprilis.

EPISTOLA CCCLXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut vexationes Hugonis de Junceriaco in terram S. Medardi compescat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri abbas & fratres S. Medardi Suessionensis transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod Hugo de (a) *Juncheri* (a) terram eorum depraedatur, & violenter invadit, & eos super hoc indebitis vexationibus fatigare non cessat. Quia igitur bona & possessiones ejusdem monasterii tanto propensiori cura defensare tenemur, quanto ad jus & proprietatem B. Petri & nostram specialius pertinere dinoscitur; fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, praedictum malefactorem studiose moneas, & omni cum districtione compellas, ut memoratis fratribus praescriptam terram restituat, damna data resarciat, & ab ipsorum molestatione de cetero penitus conquiescat. Si vero tuis in hac parte mandatis parere contemserit, infra xx. dies post commonitionem tuam omni occasione & appellatione cessante, eum excommunicationi & terram ejus interdicto supponas. Data Tusculi IV. idus Aprilis.

EPISTOLA CCCLXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut causam inter abbatem S. Medardi & abbatem S. Johannis de Vineis ratione decimarum de Espiers *terminet.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam abbas & fratres S. Johannis de Vineis & presbyter de *Espiers* nobis conquesti sunt quod dilectus filius noster (b) J. abbas S. Medardi Suessionensis eis tractum decimae communis, & decimam de novalibus, quae coloni parrochiae de *Espiers* excolunt contra justitiam aufert, nos utrique parti suam volentes justitiam conservare, causam ipsam, experientiae tuae committimus audiendam & fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus cum A exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam praesentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, causam infra xxx. dies post harum susceptionem, contradictione & appellatione cessante, debito fine decidas, provisurus attentius, ne causam ipsam alii committas, sed eam per te ipsum ascitis tibi viris prudentibus & discretis audias, & cum omni diligentia & gravitate studeas terminare. Data Tusculi III. idus Aprilis.

EPISTOLA CCCLXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut compescat Gilonem militem a vexatione quam inferebat fratribus S. Johannis de Vineis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum S. Johannis de Vineis, adversus Gilonem militem, gravem querelam recepimus, quod ipse super quadam decima, quam tempore praedecessorum suorum apud Vernolium in pace possedisse dicuntur, eos & ecclesiam suam molestare praesumit, licet ab eisdem fratribus quatuor libras, sicut asserunt, pro bono pacis receperit, ut hac molestatione eos deinceps non vexaret. Quia igitur nequaquam sustinere volumus vel debemus, ut iidem fratres de collatis sibi beneficiis cujuslibet invasionis temeritate molestiam perferant vel gravamen, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus tam diligenter quam celeriter investiges; & si ita esse inveneris, infra xxx. dies post harum susceptionem, praedictum militem studiose moneas, & omni cum districtione compellas, ut praefatos fratres eamdem decimam in pace ac quiete possidere permittat. Si vero id ad commonitionem tuam adimplere noluerit, eum excusatione & appellatione remota, vinculo excommunicationis adstringas, & per provinciam tuam eamquam excommunicatum facias caurius evitari, & eamdem sententiam donec praedictae ecclesiae congrue super hoc satisfecerit, nulla ratione relaxes. Data Tusculi XV. Kalendas Maij.

(a) Junceriacum oppidum est altero a Sedano milliari distans, ubi S. Medardi monasterium pinguissimam possederat olim cellam.

(b) Ingrannus monachus Corbeiensis, deinde abbas Marchianensis, tum Suessionensis S. Medardi anno 1148. factus, abdicavit anno 1177. ex chronico S. Medardi Spicil. tom. 2.

A

EPISTOLA CCCLXXIII. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Ut Adam de Corbeia Johanni clerico ſuam reddat pecuniam.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Conqueſtus eſt nobis Johannes clericus præſentium lator, quod Adam de Corbeia B tres marcas argenti, quas ſibi commodaverat, reddere ei contradicit. Quia igitur periculoſum eſt, & ab ordine juris extraneum, ut aliquis debeat aliena jura per violentiam detinere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratum A. moneas & ſub excommunicationis diſtrictione compellas, præſcriptam pecuniam præfato Johanni infra xxx. dies poſt harum ſuſceptionem in integrum reſtituere, aut exinde ſibi coram te, ſublato appellationis remedio, plenam & ſufficientem C juſtitiam exhibere. Data Tuſculi xv. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCLXXIV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Maria Catalaunenſi cive.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. D

Ex tranſmiſſa conqueſtione Mariæ Catalaunenſis civis ad aures noſtras pervenit, quod cum cauſa quæ inter eam & fratrem noſtrum Catalaunenſem epiſcopum, & Radulfum burgenſem ſuper hereditate ſua vertebatur, ſub examine apoſtolicæ ſedis fuiſſet, & deciſa ſententia, jam per quinquennium & ultra executioni mandata, nunc idem R. eamdem querelam ſuſcitare præſumit, & mulierem ſuper hoc non veretur multiplici vexatione turbare. Unde quoniam ea quæ deciſa ſunt & judicio ſedis apoſtolicæ terminata, non debent in recidivæ contentionis ſcrupulum devenire; E fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi res ita ſe habet, prædictum burgenſem præſcriptam ſententiam, occaſione & appellatione ceſſante, firmiter obſervare, & a moleſtatione prædictæ mulieris de cetero ſuper hoc deſiſtere, & ei damnum xx. librarum in integrum reſarcire, vel coram te exinde juſtitiæ plenitudinem exhibere omni cum diſtrictione compellas. Data Tuſculi xv. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCLXXV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De cauſa inter canonicos Laudunenſes S. Petri & canonicos cathedralis eccleſiæ.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex tranſmiſſa conqueſtione canonicorum ſancti Petri Laudunenſis querelam accepimus, quod dilecti filii noſtri canonici Laudunenſis eccleſiæ allodium de Vallibus, quod ad ſuam juriſdictionem aſſerunt pertinere, violenter detinere contendunt. Quia igitur indignum eſt & penitus indecorum, ut eccleſiaſticæ perſonæ conſimilis profeſſionis viros injuſtis vexationibus debeant moleſtare, quos potius ab aliorum incurſibus, quantum in eis eſt, defenſare tenentur; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, ut prædictos canonicos Laudunenſes moneas & diſtricte compellas, quod infra xx. dies poſt harum ſuſceptionem, præſcriptum allodium prædictis canonicis S. Petri reſtituant, & in pace & quiete dimittant, aut ipſis exinde coram te juſtitiæ faciant complementum. Data Tuſculi xv. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCLXXVI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut clericis S. Trinitatis liceat habere cimiterium.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex parte clericorum S. Trinitatis querelam iteratam recepimus, quod proviſor hoſpitalis S. Stephani cimiterium eorum, quod pro parrochianis ſuis & pauperibus prædicti hoſpitalis extra muros civitatis infra fines parrochiæ ſuæ communiter inſtitutum fuit, auſu temerario clauſit, & eos parrochianos ſuos non patitur ſepelire. Unde quoniam ex hoc prædicti clerici gravem ſe queruntur jacturam & diſpendium ſuſtinere, & indignum eſt, ut jure ſuo priventur, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus prædictum proviſorem moneas inſtanter & diſtricte compellas, ut præfatos canonicos idem cimiterium ſuum libere habere, & ibi parrochianos ſuos ſepelire, ſine omni contradictione & appellatione permittat, aut ſub tuæ diſcretionis examine exinde quod juſtum & æquum fuerit, ſublato appellationis remedio, diligentius & plenius exſequatur. Altare vero quod infra parrochiam eorum ſine ſuo & epiſcopi pro-

prii assensu dicitur erexisse, si ita est, nisi A auctoritate scripti authentici Romanæ ecclesiæ super hoc fuerit præmunitus, exinde facias remoto appellationis obstaculo amoveri, nisi forte inter eos pacifice poteris amicabiliterque componere. Data Tusculi XII. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCLXXVII.
Laudunensi ecclesiæ.

Quod ea sola quæ in ipsorum ecclesia erant emendanda eorum decano commiserit corrigenda.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Laudunensis ecclesiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet olim per litteras nostras tam vobis quam dilecto filio nostro decano ecclesiæ vestræ mandaverimus, ut ad correctionem eorum quæ in ecclesia vestra corrigenda erant, unanimiter intenderetis, & eidem decano nihilominus mandaverimus, ut si hæc prætermitteretis, ipse cum consilio C episcopi & assensu capituli aut sanioris partis ipsius, appellatione remota, corrigeret, non fuit tamen intentionis nostræ, ut in alia causa, nisi illa quæ tunc in vestra ecclesia vertebatur, appellatione remota, canonicos corrigere posset. Inde utique fuit quod nos præfato decano dedimus in mandatis, ut Stephanum concanonicum vestrum, congrua satisfactione exhibita, a sententia illa quam in eum post appellationem protulit, prorsus absolvat. Prohibuimus insuper ne aliquem vestrum absque manifesta & rationabili causa, & tunc nonnisi consilio & assensu capituli, aut sanioris partis ipsius, D sicut in litteris nostris continetur, ab officio vel beneficio suspendere præsumat, sed cum ea gravitate & moderantia, habito, sicut diximus, fratrum suorum consilio, in officio sibi commisso procedere videatur, quod discretioni suæ non possit merito detrahi, nec facta sua possint de jure dissolvi. Ut autem mandatum nostrum quod eidem decano fecimus, plenius scire possitis, præsentes vobis litteras in testimonium duximus dirigendas. Data Tusculi XII. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCLXXVIII.
Corbeiensi abbati.

De jure archiepiscopi Remensis in burgo Corbeiensi monasterio adjacenti.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Corbeiensi abbati, S. & A. B.

Venerabilis frater noster Remensis archiepiscopus transmissa nobis relatione monstravit, quod burgus qui monasterio tuo adjacet, sibi & ecclesiæ suæ ita sit in spiritalibus sicut & in temporalibus subjectus, & homines ejusdem loci super causis ecclesiasticis ad ecclesiam suam consueverunt appellare, tu contra antiquam consuetudinem & justitiam ipsius ecclesiæ super hoc apostolicæ sedis impetrasti rescriptum, & juri & dignitati ejusdem ecclesiæ non modicum derogasti. Quia vero sic volumus & debemus tua jura servare, ut quod juris est archiepiscopi & ecclesiæ suæ nullatenus diminuamus, dilectioni tuæ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quod si a XL. annis retro antecessores præfati archiepiscopi, & ecclesia sua in villa monasterii tui jus pontificale habuerunt, illud ei sub prætextu alicujus privilegii vel scripti a nobis impetrati, nullatenus subtrahas, nec suæ dignitati in hac parte derogare præsumas. Non enim pro speciali gratia, quam ad monasterium tuum habemus, prædictum archiepiscopum sua possumus vel debemus dignitate aut jure privare. Verumtamen si legitima te poteris præscriptione aut privilegiis antecessorum nostrorum tueri, in præsentia venerabilis fratris nostri Bituricensis archiepiscopi, cum eodem archiepiscopo super hoc ordine judiciario experiaris, & monasterii tui rationabili moderamine tueri satagas libertatem.

EPISTOLA CCCLXXIX. HENRICO
Remensi archiepiscopo.

Scribit in gratiam B. canonici regularis, cui ad vitam concessa fuerant duo altaria de Troisli.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad præsentiam nostram dilectus filius B. canonicus S. Johannis de Vineis, diligenti nobis relatione proposuit, quod cum ipse in obsequio bonæ memoriæ A. quondam Suessionensis episcopi diutius fideliter perstitisset, idem episcopus ei duo altaria de *Troisli*, S. Petri videlicet & S. Martini, cum decimis eorum, donec idem B. E viveret, concessit habenda. Scriptum autem concessionis ipsius episcopi sigillo munitum ad majorem certitudinem nobis repræsentavit, ut ejus dictis in hac parte fidem facilius adhibere possemus. Post decursum vero aliquanti temporis, prædictus episcopus eadem altaria canonicis Suessionensibus jure proprietario contulit: ita quidem quod supradictus B. in vita sua prædictis canonicis v. solidos exinde solveret annuatim.

Tandem vero eodem episcopo mortuo, Herbertus Suessionensis canonicus favore & potentia P. archidiaconi Suessionensis ecclesiæ, B. super altaribus ipsis graviter cœpit impetere: ita quidem quod eum ad præsentiam prædecessoris nostri piæ recordationis ADRIANI papæ, non sine magnis laboribus & expensis venire coegit. Cumque supradictus archidiaconus, qui causam ejusdem Herberti agebat, & idem Ber. coram venerabili fratre Ostiensi episcopo ad invicem litigarent, coram eo sicut ex scripto quodam & viva voce ejusdem episcopi novimus, inter ipsos compositio hujusmodi intercessit, quod jam dictus Her. duas partes illorum altarium integre possideret, & prædictus B. partem reliquam sine aliqua contradictione perciperet: ita quidem, quod quicumque illorum præmoreretur, alter qui adviveret, reditus eorumdem altarium integros obtineret. Nunc autem sicut supradictus B. nobis proposuit, cum idem Her. de præsenti vita migrasset, canonici Suessionensis ecclesiæ, præscripta compositione non observata, universos reditus eorumdem altarium per violentiam occuparunt, & eos auctoritate propria detinere nituntur. Quia igitur nobis providendum est, ne prædictus B. sui juris sustineat detrimentum, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus illam tertiam partem, quæ jam dicto B. tunc sicut & modo canonico regulari per compositionem concessa fuit, omni dilatione & appellatione remota, cum fructibus a tempore occupationis canonicorum inde perceptis, facias sine molestia & diminutione restitui, & in pace dimitti. Deinde vero super aliis duabus partibus rei veritatem diligenter inquirens, memoratos canonicos attente moneas, & omni cum districtione compellas, ut infra XXX. dies post harum susceptionem præscriptas duas partes cum fructibus quos a tempore occupationis suæ exinde percepisse noscuntur, prædicto B. restituant, in pace possidere permittant, vel in præsentia tua super his plenam & sufficientem justitiam, omni occasione & appellatione remota, non differant exhibere. Præterea fratres Præmonstratensis monasterii infra præscriptum terminum studiose moneas & districte compellas, eidem B. duos modios frumenti & unum avenæ, quos a X. annis & supra illi absque calumnia & contradictione censualiter reddiderunt, sine difficultate qualibet appellatione remota restituere, aut coram te plenam justitiam exhibere. Sacerdotes quoque de *Troisli* præfato canonico solitum censum & præcipue XXII. solidos, A quos de oblationibus & minutis decimis anni præteriti ad se, sicut asserit, pertinentibus percepisse dicuntur, infra eumdem terminum, sublato appellationis obstaculo; reddere, aut in præsentia tua justitiæ stare ecclesiastica districtione compellas. Data Tusculi III. Kalendas Madij.

EPISTOLA CCCLXXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut G. Sacerdoti ecclesia S. Mauritii restituatur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte G. sacerdotis Attrebatensis ad nos querela perlata est, quod canonici Attrebatensis ecclesiæ eum de ecclesia S. Mauritii, ubi per XV. annos quiete se asserit ministrasse, per violentiam ejecerunt. Quia igitur a viris ecclesiasticis alienum prorsus existit, quemlibet violenter a sua possessione dejicere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratos canonicos studiose commoneas, & omni cum districtione compellas, præscriptam ecclesiam prædicto presbytero cum omnibus inde ablatis sine molestia restituere, aut exinde sibi coram te, sublato appellationis remedio, infra XL. dies post harum susceptionem justitiæ plenitudinem exhibere. Data Tusculi Kalendis Madij.

EPISTOLA CCCLXXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Causam Hilardi presbyteri, quem a censuris episcopi Ambianensis absolverat, committit examinandam.

ALEXANDER, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constitutus in præsentia nostra Hilardus lator præsentium, supplici nobis relatione proposuit, quod frater noster (a) T. (a) Ambianensis episcopus, quia in præsentia ejus confessus fuit, quod in vigilia S. (b) (b) Fusciani licet, sicut asserit, in partibus suis non sit instituta, carnem comederit, ei divinum officium interdixit, nec ab eo misericordiam potuit impetrare. Accedit ad hoc, quod cum illi crimen adulterii opposuerit, & dederit inducias sese purgandi, sociis & vicinis suis presbyteris, ne secum starent in purgatione, timor obstitit episcopalis; sed

(a) Theobaldus VVillelmo de Campania cardinali & archiepiscopo Senonensi affinitate conjunctus ex archidiacono episcopus electus circa annum 1170.

(b) S. Fuscianus sub Rictiovaro martyr inter præcipuos Ambianensium patronos recensetur, extatque haud procul civitate Ambianis monasterium sub nomine S. Fusciani ordinis S. Benedicti.

epiſcopus appellatione contemta, ei nihilominus officium & beneficium interdixit, & ipſum ab eccleſia violenter ejecit, & cum vinculo excommunicationis innodavit. Unde fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus ſi in præſentia tua per legitimos teſtes ſe purgare potuerit, omni appellatione & contradictione remota, ei officium pariet & beneficium aſſignes, & auctoritate noſtra quiete poſſidere facias. Sed quoniam inermes armatis opponere non debemus, primo præcipimus ei omnia ablata in integrum reſtitui, & demum poſt canonicas inducias de objectis purgari. Nos autem eumdem abſolutum ad vos remittimus. Data Tuſculi IV. nonas Maij.

EPIST. CCCLXXXII. WILLELMI cardinalis Henrico archiepiſcopo Remenſi.

Declarat Vivianum presbyterum abſolutum a compoſitione quam cum Guidone epiſcopo Catalaunenſi fecerat.

HENRICO Dei gratia Remenſi archiepiſcopo, Willelmus eadem gratia tituli S. Petri ad vincula preſbyter cardinalis, ſalutem & dilectionis effectum.

Quamquam, venerande frater, corporaliter ad vos venire non poſſumus, litteris tamen noſtris præſentiam noſtram vobis exhibemus, nuntiantes tantum Vivianum præſentium latorem a compoſitione illa deteſtabili & iniqua, quam cum G. Catalaunenſi epiſcopo contraxit, videlicet quod ſi idem epiſcopus ſæpedictum preſbyterum canonicum in eccleſia S. Memmii faceret, eccleſiæ ſuæ idem preſbyter abrenuntiare deberet, abſolutum eſſe determinamus & in ſinu matris eccleſiæ receptum, & de cetero propter hoc eccleſiæ ſuæ libertatem requirere volentem, nullatenus obligamus. Nihilominus etiam vobis ſupplicamus, quatenus pro Dei amore & noſtro honore pauperem iſtum ſacerdotem jam decrepitum, cum juſtitia ſua manu teneatis, & cauſam ſuam viriliter ſine debito terminetis, quem liberum in omnibus in quibus obligatus fuerat proteſtamur, quam libertatem auctoritate & præcepto Domini papæ factam confirmamus.

EPIST. CCCLXXXIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut Wibaudo clerico ſua reſtituatur eccleſia.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Conqueſtus in præſentia noſtra Wibaudus clericus, ſua nobis relatione monſtravit, quod Savem & Hugo Vitulus Attrebatenſes canonici ei eccleſiam S. Mauricii, quam ſub annuo cenſu conceſſerant, contra juſtitiam abſtulerunt, licet de ſolutione cenſus ab eodem clerico, ſicut aſſerit, fidejuſſoriam receperint cautionem. Quoniam igitur non decuit eoſdem canonicos præfato clerico eccleſiam præſcriptam ſine cauſæ cognitione ſubtrahere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus memoratos canonicos ſtudioſe commoneas, & collata tibi auctoritate diſtricte compellas, ut prædictam eccleſiam memorato Wibaudo, ſicut eam ſibi conceſſerunt, infra XL. dies poſt harum ſuſceptionem ſine mora & difficultate reſtituant, aut exinde ſibi coram te, ſublato appellationis remedio, quod juris forma dictaverit facere non poſtponant. Data Tuſculi VII. idus Maij.

EPISTOLA CCCLXXXIV. Canonicis Præmonſtratenſibus.

Improbat electionem quam fecerant contra formam ordinis, & ut alium eligant abbatem jubet.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis canonicis Præmonſtratenſibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Credibile fuerat, dilecti in Deo filii, quod vocato bonæ memoriæ (a) PHIL. quondam abbate veſtro, ſopitis contentionibus, ſemotis diverſis partium ſtudiis, adhibito conſilio ſeniorum, talis inter vos fieret paſtoralis electio, per quam non ignis diſſentionis, qui jam pridem in domo veſtra ſubortus fuerat, excandeſceret, ſed concordia poſſet & fraterna unio provenire. Si eſſetis vere ſapientes & diſciplinati, perficeretis in manſuetudine opera veſtra, & oſtenderetis ex bona converſatione religionis amorem, & pacis deſiderium vos habere. Nunc autem cum ſit inter vos zelus atque contentio, nonne, ſicut ait Apoſtolus, carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Sane cum ſcriptum ſit, *nihil per contentionem aut inanem gloriam*, vos ad id quod deliberatione majori ac maturiore conſilio in eccleſia Dei fieri ſemper oportet, in impetu ſpiritus & calore animi proceſſiſtis, & neglecto veſtri ordinis inſtituto, non expectato illorum abbatum conſilio & aſſenſu, qui pro facienda electione ad vos ex more convenerant, & cum aliquantis veſtrum ex voluntate communi de electione

(a) Philippo qui obiit anno 1170.

tractabant,

(a) tractabant, abbatem (a) Belli-loci volui- A stis vobis assumere in pastorem, hominem utique de quo pridem audivimus, & super quo non est necesse, ut ad instruendos nos ullatenus laboretis. Accepimus enim ecclesiam vestram & scandalis fatigatam interius & exterius mole debitorum gravatam. Oportet autem eam super humeros diutius regularibus disciplinis attritos in statum pristinum relevari. Inde siquidem fuit, quod non tam quid vobis placeat, quam quid vobis & toti ordini expediat attendentes, de communi fratrum nostrorum consilio constituimus, ut abbas B ille ad locum suum, dilatione postposita, revertatur, & vos ejus obedientia absoluti, juxta institutionem ordinis vestri ad electionem aliam procedatis. Per apostolica ergo scripta universitati vestræ mandamus, quatenus ascito dilecto filio nostro G. (b)
(b) abbate S. Martini, necnon & aliis, qui alia vice cum eo & aliquantis fratrum vestrorum eligendi abbatis sollicitudinem assumserunt, ad electionem faciendam de illorum consilio & conniventia procedatis. Scientes quod si aliter quidquam agere tentaveritis, frivolum erit & vacuum, & nul- C las vires poterit obtinere. Nos siquidem in concedendo vobis abbate, animarum compendium, non patrocinium attendimus personarum, & illud solum volumus ratum esse, quod regularibus institutis & profectui ordinis visum fuerit convenire. Cum autem jam dictus abbas schisma dudum foverit, & extulerit, licet ad obedientiam nostram & ecclesiæ redierit unitatem, licet gratiam nostram & reddiderimus ei, & paterne velimus, si non eidem se ipse subtraxerit, conservare: multum tamen & nobis & toto vestro ordini posset derogari, D si super illam ecclesiam, quæ caput est ordinis, magisterium ipsum hoc tempore pateremur habere. Sed & id communiter debetis attendere, quod nec in vestro, nec in Cisterciensi ordine consuetudo aut institutio dicitur hactenus extitisse, ut pro superiori loco litigia fierent, & litigia quererentur, cum non solum pro culpa, sed etiam pro suspicione sola cedere multi maluerint, quam sub obtentu aut obtinendi regiminis aut innocentiæ demonstrandæ E locum quæsierint disceptandi. Data Tusculi VI. idus Madii.

(a) Is erat Johannes frater comitis Briennensis, cujus tamen electio prævaluit, utpote cujus nomen reperiatur in abbatum Præmonstratensium catalogo immediate post Philippum.

(b) Garino secundo abbate celeberrimi monasterii S. Martini Landunensis ordinis Præmonstratensis.

EPISTOLA CCCLXXXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus moniales Malbodienses in suam abbatissam rebelles.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Culpæ maculam contrahunt, & gravi merentur ultione percelli, qui prælatis suis non solum obedire postponunt, sed etiam in illos a quibus pro suis excessibus corriguntur, ausu temeritatis insurgere, & eos a propriis sedibus ejicere non formidant. Ex transmissa nobis relatione dilectæ filiæ nostræ C. Malbodiensis abbatissæ nostris est auribus intimatum, quod moniales (c) (c) ejus, quas pro suis excessibus secundum B. Benedicti regulam corrigebat, diabolico furore succensæ, eam de nullo crimine convictam laicali manu, post appellationem ad nos factam, turpiter ejicere non erubuerunt. Verum quia contumaces & rebelles ex injuncto nobis officio correctionis & castigationis freno cohibere tenemur, & de tanto excessu prius vindictæ quam culpæ fama ad nos pervenire debuisset, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rei veritatem diligenter & sollicite investigare procures; & si ita esse inveneris, præfatam abbatissam, occasione & appellatione cessante, in suo monasterio in plenitudinem administrationis & regiminis restituere non postponas, & in eas personas, quarum violentia a suo monasterio est ejecta, taliter vindicare studeas, ut ceteris metum incutias, & ipsæ similia de cetero attentare formident. Postmodum autem si adversum eam agere voluerint, causam audias, & eam, appellatione remota, justitia mediante, decidas. Data Tusculi IV. idus Maij.

(c) Hac ex epistola patet moniales ordinis S. Benedicti in ecclesia Malbodiensi adhuc fuisse tempore Alexandri III. quarum locum hodie occupant canonicæ sæculares. Sed qua auctoritate?

EPISTOLA CCCLXXXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Arguit eum quod suos suffraganeos vexet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Quanto personam tuam brachii puritoris caritatis amplectimur, tanto vehementius movemur atque turbamur in his quæ ad-

versum te a pluribus proponuntur. Ut autem illam gravem querelam quam ex parte monasterii (a) S. Basoli adversum te nuper (*) recepimus, præsentialiter omittamus, quasi communis querela omnium episcoporum suffraganeorum tuorum hæc est, quod tu eos tamquam simplices clericos gravas, & eorum ecclesias & clericos tamquam tuos proprios pro tua voluntate pertractas, cum tuam discretionem deceret ita te jam dictis episcopis exhibere benivolum & benignum, quod & ipsos fraterna videreris caritate diligere, & illud habere fixum in pectore, quod B. Petrus in epistola sua dicit: *Non quasi dominantes, sed formam vitæ gregi prætendentes.* Quoniam igitur te sicut carissimum fratrem diligimus, prudentiam tuam paterna affectione monemus, & tibi auctoritate qua præeminemus injungimus, quatenus ab his de cetero diligenter abstineas, & prædictos episcopos tamquam fratres & coepiscopos tuos diligas propensius & honores, & eis jura & dignitates suas integras & illæsas conservans, ecclesias vel clericos eorum in causas non convoces, nisi ad audientiam tuam fuerint per appellationem delatæ. Si vero de tarditate sunt aliquando redarguendi, eos benigne redarguas, & ad exhibendam subditis suis justitiam ipsos sollicites, & eis in verbo studeas & operis exhibitione deferre. Data Tusculi XVI. Kalendas Junii.

EPIST. CCCLXXXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Jordane Laudunensi cive.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram pervenit, quod cum Jordanis Laudunensis civis ab examine tuo ad audientiam nostram appellasset, & nuntius quem ad exequendam pro se appellationem miserat, in via decessisset, magister Johannes tunc vicarius tuus eum, tamquam appellationem non prosecutus fuisset, excommunicationis vinculo innodavit. Verum quoniam idem J. quantum in eo fuit, appellationem est prosecutus, venerabili fratri nostro Ambianensi episcopo dedimus in mandatis, ut si res ita se haberet, prædictus J. penitus absolveretur. Cumque in præsentia dilecti filii nostri R. canonici ecclesiæ tuæ, idem Jordanis idoneis testibus rem ita esse probasset, eum prædictus R. de mandato præfati episcopi, ab excommunicatione absolvit, & venerabili fratri nostro Laudunensi episcopo, ut ipsum & familiam ejus pro solutis haberet, ex parte nostra mandavit. Unde quoniam rei veritas nobis extat incognita, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus rem ipsam diligenter & sollicite inquiras, & si ita esse inveneris, præfatum J. & familiam suam a prædicto episcopo facias pro absolutis haberi, districte prohibens, & tu ipse cavens, ne pro maleficio domini & patrisfamilias ejus familia excommunicetur, nisi forte ejus malitiæ consentiret: quia in sacris canonibus expressum habetur, quod pro forisfacto dominorum, eorum familiæ excommunicari non debeant, neque communionem ipsorum vitare cogantur. Præterea homines de *Martegni* videlicet Wer, & Willelmum, & R. & G. moneas instanter, & districte compellas, ut memorato J. VII. libras & dimidiam, quas ei dicuntur abstuliss illicite, reddant, & in præsentia tua plenam exinde justitiam, appellatione remota, exhibeant. Data Tusculi XVI. Kalendas Junii.

(a) S. Basoli monasterium tribus aut quatuor horis a civitate Remensi distans, in quo Artaldus archiepiscopus anno 961. clericis ejectis substituit monachos ordinis S. Benedicti, hactenus perstat sub congregatione S. Mauri.

EPIST. CCCLXXXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Robertum clericum, qui homicidio nolens interfuerat, pœnitens ad sacros ordines promovere possit.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa relatione Roberti clerici auribus nostris intimatum est, quod nolens & coactus homicidio interfuit, & post dignos fructus pœnitentiæ egit. Unde quoniam prævaricatoribus, si suos excessus corrigere, & emendare voluerint, pœnitentiæ medicina non est denegandæ, nec misericordiæ viscera sunt aliquatenus claudenda: discretioni tuæ per apostolica scripta mandando præcipimus, quatenus eum auctoritate nostra absolutum animadversa ejus litteratura tempore opportuno ad sacros ordines promovere non postponas, & si ei in aliquo beneficio ab aliquo fuerit provisum, auctoritate apostolica indulgemus, ut sine impedimento & calumnia illud recipere possit, & libere de cetero ecclesiæ deservire. Si autem præfatam indulgentiam aliquis infringere vel attentare præsumserit, eum ecclesiastica censura percellas. Data Tusculi X. Kalendas Junii.

A

EPIST. CCCLXXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut ceſſet a vexatione canonicorum ſuorum.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quanto majori dignitate & nobilitate ſanguinis præemines, tanto decet te ſubditis tuis magis mitem & benevolum exhibere, & ad hoc inter cetera ſtudia tua cura totius attentionis attendere, ut ſubditos tuos manſuete videaris & benigne tractare. Accepimus enim ex parte dilectorum filiorum noſtrorum canonicorum eccleſiæ tuæ, quod tu eos dure nimis & graviter tractas, & ultra modum in ipſos manum tuam gravaſti, & ad eorum gravamen cariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Francorum regem fratrem tuum, quod te prorſus dedecuit, provocaſti, in hoc minus, quod te decuerit, libertati eccleſiaſticæ providens, nec conſiderans vel attendens quantum eidem eccleſiæ in poſterum poterit eſſe damnoſum, quod per eumdem regem præter gravamen tuum præfatam eccleſiam gravari feciſti. Si enim ſupradictus rex, qui ita catholicus & chriſtianiſſimus eſt, & eccleſiaſticæ libertatis amator, in bona ipſius eccleſiæ manum ſuam extendit, heredes ejus, qui non ita erunt forte amatores eccleſiaſticæ libertatis, in eamdem & in alias eccleſias regni, facti hujus exemplo, committere poterunt graviora. Quod ſi forte, quod abſit, contingeret, tibi in ſalutis æternæ detrimentum non immerito proveniret. Quoniam igitur cum univerſis ſubditis tuis, & præſertim cum clericis cathedralis eccleſiæ, te decet concordiam & pacem habere, & obtentu potentiæ & nobilitatis tuæ ab eorum gravaminibus propenſius abſtinere, cum in omni certamine ille qui plus poteſt, etiamſi injuriam ſuſtineat, facere videatur: fraternitati tuæ monendo mandamus atque præcipimus, quatenus ad te ipſum rediens, quid providentiam & nobilitatem tuam deceat diligenter attendas, & ſupradictos canonicos paterna caritate diligas & honores, & apud eumdem regem efficere ſatagas, ut eis gratiam ſuam & ablata omnia reſtituat, & ita te circa ipſos & univerſos ſubditos tuos benignum & manſuetum exhibeas, quod plus videaris velle diligi quam timeri. Non enim ſine derogatione famæ tuæ præſcripta eccleſia & canonici gravamen quodlibet aut injuriam ſuſtinebunt, ſeu inter te & ipſos diſcordia vel ſcandalum perdurabit.

B C D E

EPISTOLA CCCXC. LUDOVICO regi Francorum illuſtri.

Ut canonicis Remenſibus gratiam & amorem reſtituat, eoſque fratri ſuo archiepiſcopo reconciliet.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, illuſtri regi Francorum LUDOVICO, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Inter alia pietatis opera, quibus magnitudo regiæ ſerenitatis invigilat, hoc eſt quod ad cumulum & ſempiternæ mercedis & terrenæ laudis gloriam copioſius tibi provenit, quod eccleſiaſticam libertatem, ſicut rex chriſtianiſſimus & catholicus, præ ceteris regibus & principibus orbis auges propenſius & conſervas, & pro eccleſiaſtico ſtatu ſervando ſollicitus & ſtudioſus exiſtis. Unde decet regiam providentiam tam pium & commendabile opus indefeſſa cura & ſollicitudine votivis cordis affectibus imitari, nec ab eo aliquorum ſuggeſtionibus aliquo tempore retrahi, quod tibi & ſempiternam ſalutem proculdubio præparat, & ubique terrarum famæ tui nominis glorioſi tribuit incrementum. Accepimus autem quod pro diſcordia, quæ inter venerabilem fratrem noſtrum Remenſem archiepiſcopum fratrem tuum, & dilectos filios noſtros canonicos Remenſes noſcitur eſſe ſuborta, ab eiſdem canonicis quædam contra ſolitum exegiſti, quæ quoniam tibi negaverunt, tu adverſus eos indignatus, eis & eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones quaſdam pro voluntate tua ſubtraxiſti. Quoniam igitur perſonam tuam ita ferventi caritate diligimus, quod nihil aliquando vellemus committere, unde merito poſſet apud Deum & homines regiæ magnitudini derogari, excellentiam tuam rogamus, monemus & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem peccatorum injungimus, quod divinæ miſerationis intuitu, & pro reverentia B. Petri, nec niſi tuæ ſalutis obtentu, eiſdem canonicis gratiam & amorem tuum clementer reſtituas, ablata omnia reddas, & ad reformationem pacis inter eumdem archiepiſcopum & canonicos diligenter intendas, prædictam eccleſiam in ſua libertate reſtituas, & conſerves, ut ſicut in regno tuo eadem eccleſia celebris ac ſolemnis habetur, pace gaudeat & præmineat libertate. Indignum eſt ſiquidem & penitus indecorum, ut cum præfatus archiepiſcopus & canonici qui idem ſapere debeant & ſentire, inter eos ſcandalum vel diutius perdurare videatur.

EPISTOLA CCCXCI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Causam inter Odierium civem Laudunensem & Mauricium clericum committit terminandam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam, quæ inter Odierium Burgensem Laudunensem & Mauricium clericum super CXIII. solidis, quos idem Hodierius ab eodem clerico pro fidejussione Reinerii, cui in bonis suis successit, requirit, noscitur agitari, experientiæ tuæ committimus audiendam, &, appellatione cessante, fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, eamdem causam infra XL. dies post harum susceptionem, sublato appellationis remedio, justitia mediante decidas. Data Tusculi VII. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCXCII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut sibi significet quod fuerit actum in colloquio habito inter Fredericum imperatorem & Ludovicum fratrem suum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum recolimus & in mente nostra studiosa meditatione pensamus, quantum in principio schismatis & nostræ promotionis exordio fervens fuerit tuæ caritatis devotio, quando nobis debito officio vel honore non tantum tenebaris astrictus, ex magna parte, ut non ægre feras, a tua videris devotione ferventissima tepuisse. Licet autem de carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO illustri Francorum rege fratre tuo in nullo umquam dubitare possimus, sicut qui devotionem ejus circa nos & ecclesiam inter ceteros reges & principes orbis unicam & specialem esse cognovimus, & ad commodum universalis ecclesiæ sollicitam omnimodis & ferventem, tuæ tamen fraternitati plurimum expediisset, ut de colloquio quod nuper cum F. dicto imperatore habuisse dignoscitur, per te aliquid certitudinis significatum fuisset. Verum quia non dubitamus tuæ discretionis prudentiam ad pacem ecclesiæ universalis ferventer intendere, & indubitata veritate tenemus, quod præfatus rex nihil tibi occultare debeat, quod sit alicui committendum, fraternitatem tuam rogamus, monemus, atque mandamus, quatenus secundum ea quæ venerabilis frater noster Trecensis episcopus & dilectus filius noster (*a*) Pontiniacensis abbas, aut alter eorum ex parte nostra tibi significaverint, ad honorem & profectum ecclesiæ promovendum, sicut de tua devotione confidimus, apud eumdem regem diligens studium & operam adhibeas efficacem, & quidquid exinde inveneris, per fidelem & discretam personam quantocitius poteris sollicitudini nostræ studeas intimare, quoniam non sunt omnia litteris committenda. Data Tusculi Kalendas Junii. (4)

EPISTOLA CCCXCIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Viviano presbytero suam ecclesiam restitui faciat.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam Vivianus presbyter præsentium lator, lacrymabili nobis conquestione monstravit, quod cum ecclesiam S. Memmii de Cosantia, quiete & libere possedisset, frater noster G. Catalaunensis episcopus ipsum eadem ecclesia sine judicio & justitia spoliavit. Unde quoniam ea quæ contra juris ordinem fiunt, ad formam æquitatis removere debemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus rei veritate diligentius inquisita & cognita, si tibi constiterit præfatum presbyterum præscripta ecclesia absque judicio & justitia spoliatum fuisse, eumdem episcopum moneas, & si fuerit necesse compellas, ut infra XXX. dies post harum susceptionem ei prædictam ecclesiam cum fructibus inde perceptis, occasione & appellatione remota, restituat, & libere & quiete dimittat. Quod si forte facere noluerit, tu nostra & tua fretus auctoritate, id efficere non postponas. Data Tusculi II. nonas Junii.

EPISTOLA CCCXCIV. HENRIGO Remensi archiepiscopo.

Pro infirmis de Sparnaco.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

(*a*) Guarinus qui postea factus est archiepiscopus Bituricensis.

Humanum est & pietati consentaneum ; A eorum necessitatibus, qui lepræ sunt morbo percussi, paterna provisione intendere, & eis quadam manu sollicitudinis subvenire. (a) Audivimus autem quod infirmi de (a) Sparnaco sæpe pro defectu capellani gravia incurrunt pericula, & sine viatici participatione decedunt. Unde quoniam pro eo quod in tua parrochia consistunt, eis tuæ provisionis solatium debes impertiri, ubi eo indigere noscuntur, fraternitatem tuam monemus atque mandamus, quatinus prædictis infirmis infra xx. dies post harum susceptionem, ad opus suum tantum & eo- B rum qui secum morantur, capellanum concedas, & cimiterium benedicas : ita quod de cetero spiritualium non possint penuriam sustinere. Data Tusculi VII. idus Junii.

(a) Sparnacum oppidum ad Matronam fluvium in diœcesi Remensi, quinque horis distans a civitate.

EPISTOLA CCCXCV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Lamberto Presbytero, si nihil canonicum obstet, ecclesiam suam faciat restitui.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem

Constitutus in præsentia nostra Lambertus presbyter, lacrymabili nobis conquestione monstravit, quod venerabilis frater noster Catalaunensis episcopus ecclesiam S. Memmii de Cosantia, quam bonæ memoriæ prædecessor ejus sibi canonice concessit, & ipse per quinquennium pacifice & quiete possedit, violenter & absque ordine judiciario abstulit. Verum quia indecens est, & a sacris canonibus penitus alienum, ut aliquis absque rationabili & manifesta causa ecclesia sibi rationabiliter concessa privetur, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus infra XL. dies post ipsarum susceptionem rei veritatem diligenter inquiras, & nisi tibi constiterit, quod pater præfati presbyteri sacerdos fuerit, & in sacerdotio eum, sicut dicitur, genuerit, si alia injusta & absque rationabili causa fuit ab ecclesia sua remotus, eam sibi, occasione & appellatione cessante restitui facias & in pace dimitti. Postea vero si præfatus episcopus, vel alius adversus eum super jam dicta ecclesia agere voluerit, causam audias & debito fine decidas. Data Tusc. V. idus Junii. E

EPISTOLA CCCXCVI. HENRICO Remorum archiepiscopo.

Commendat illi Canonicos Turonenses sancti Mauritii

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Si pontificalis officium dignitatis, quod de largitate superni muneris geritis, recta velitis consideratione pensare; noveritis ex ipso officio vobis congruere, ut ecclesiarum jura debeatis a parrochianis vestris defendere propensius & tueri, sicut qui ad defensionem ecclesiarum in partem estis sollicitudinis advocati. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus quotiens a capitulo B. (b) Mauritii Turo- (b) nensis de parrochianis vestris querimoniam receperitis, ita de ipsis plenam & sufficientem justitiam faciatis, quod nec ipsi in vobis inveniant quemlibet juris defectum, nec C parrochianorum vestrorum temeritas vel præsumtio remaneat impunita. Multum enim vobis expedit, ut parrochianorum vestrorum excessus ab universarum ecclesiarum seu clericorum gravaminibus vel molestiis debeatis arctius coercere. Si vero aliqui ex parrochianis vestris in his contumaces vobis vel rebelles extiterint, in eos dilatione & appellatione remota excommunicationis sententiam proferatis. Data Tusc. III. idus Junii.

(b) Id est Cathedralis Ecclesiæ, quæ S. Mauritium habet Patronum.

EPISTOLA CCCXCVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

D *Monet ut Septem-salices restituat fratribus sancti Basoli, atque ab eorum vexatione cesset.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Et generositas sanguinis & dignitas pontificalis officii, qua disponente Domino præemines, ab his te debent propensiori cura retrahere, in quibus honestati tuæ possit merito detrahi, aut generositati tuæ aliquatenus derogari : quia quanto majori digni- E tate & sanguinis claritate præfulges, tanto in te propensius reprehenditur, si quid attentas, quod sit reprehensione vel animadversione qualibet dignum. Ex parte siquidem abbatis & fratrum S. Basoli auribus nostris innotuit, quod tu villam quamdam

Septem-salices nomine, quam prædeceſſores nobilis viri comitis HENRICI eorum monaſterio in perpetuam eleemoſynam contulerunt, & progenitores tui illuſtres Francorum reges authenticis ſcriptis, & Romani Pontifices ſuis privilegiis confirmarunt, eidem monaſterio per violentiam abſtuliſti, & duobus monachis qui ad obſequium eccleſiæ ipſius loci deputati fuerant, in motu propriæ voluntatis ejectis, in eadem villa caſtrum de calce & lapidibus ad reſtaurationem prædictæ eccleſiæ adunatis, prædictis fratribus contradicentibus, conſtruxiſſe, & in eorum nemore occaſione conſtructionis ejuſdem caſtri eis damnum trecentarum libtarum feciſti, quod te prorſus dedecuit irrogari. Ubi autem idem caſtrum conſtructum eſt, Caſtellanus & complices ſui ita præſcriptum monaſterium in ſuis bonis & poſſeſſionibus oppreſſerunt, quod propriis monachorum horreis violenta manu confractis, annonam inde, fœnum, ſtramen & paleam aſportaverunt, & terram ipſius monaſterii deprædantes, homines etiam carceri manciparunt. Accidit ad hæc, quod tu prædictum abbatem centum tibi libras ſolvere coegiſti: ita quidem quod ei in civitate tua exiſtenti in virtute obedientiæ præcepiſti, ne ante ſolutionem prædictæ pecuniæ civitatem ipſam exiret, & ab hominibus cujuſdam villæ eorum Verzei nomine, ſexaginta libras poſt eorum captionem & carcerem immiſericorditer extorſiſti, & quod deterius eſt & in quolibet viro, nedum archiepiſcopo, modis omnibus reprehenſibile, eoſdem homines ad indebitam conſuetudinem compuliſti, ut videlicet quiſque ipſorum ſingulas menſuras avenæ tibi annuatim exſolvat, & de alia villa eorumdem fratrum xl. libras extorquere minime dubitaſti. Quia igitur reprehenſione & animadverſione dignum omnimodis reputatur, ſi eum jam dicti fratres hoſtem ſentiunt, quem deberent habere patronum, nos quantumcumque tibi deferre velimus, nolentes nec debentes aures noſtras tam gravibus clamoribus obturare, hæc per te non per alium, volumus ad præſens corrigere, & utiliter emendare: quoniam perſonam tuam eo caritatis fervore diligimus, quod cum ea alii potuiſſemus committere corrigenda: malumus tibi ſicut venerabili fratri noſtro in hoc & aliis in quibus cum Deo poſſumus promta voluntate deferre. Monemus itaque fraternitatem tuam, mandamus atque præcipimus, quatenus, ſi res ita ſe habet, hæc quæ prædiximus ſub omni celeritate, ſicut tuam prudentiam decet, per teipſum corrigas & emendes, vel ita cum eiſdem fratribus exinde amicabiliter pacificeque convenias, quod ſuper hoc non poſſis reprehenſionis notam incurrere, nec ad nos debeat iterata querela proferri. Si vero hæc tamdiu emendare diſtuleris, donec exinde ad audientiam noſtram iterum querimonia perferatur, eiſdem fratribus in jure ſuo, auctore Domino, propenſius aſſiſtemus. Data Tuſcul. XVI. calendas Julii.

EPISTOLA CCCXCVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Commendat B. & R. clericos quos a ſententia excommunicationis abſolverat.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

B. & R. clericos latores præſentium, quos a ſententia fecimus excommunicationis abſolvi qua tenebantur aſtricti, pro eo quod in Dei amicum diaconum Laudunenſem violentas manus injecerant, devotioni tuæ attentius commendamus, fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta rogantes, monentes atque mandantes, quatenus eos divini amoris intuitu, & pro reverentia beati Petri & noſtra, & quia ad noſtrum ſpectat officium univerſos & præſertim viros eccleſiaſticos a malignantium inquietationibus propenſius defenſare, manuteneas & defendas, & illos prædicto diacono, & ceteris quorum odium occaſione ejuſdem diaconi incurrerunt, ſtudeas reconciliare, & eoſdem clericos ad prædicti diaconi ſatisfactionem, & ipſum ad ſatisfaciendum eiſdem clericis, ſi videris expedire, compellas, univerſis de Laudunenſi epiſcopatu ſub interminatione anathematis prohibens, ne memoratis clericis occaſione illa, quia manus in prædictum diaconum injecerunt, in perſonis vel rebus, eis aliquam moleſtiam inferant vel gravamen. Si quis autem eoſdem clericos poſt inhibitionem tuam prædicta occaſione inquietare præſumſerit, eum, appellatione remota, eccleſiaſtica cenſura percellas. Data Tuſculi XVI. calendas Julii.

EPISTOLA CCCXCIX. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Facultatem abſolvendi ab excommunicatione Arnulfum de Landaſt *ei concedit.*

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum tibi ſicut venerabili fratri noſtro promto animo deferre velimus, & preces cariſſimi in Chriſto filii noſtri L. illuſtris Francorum regis & tuas libenter admittere, ejuſdem regis & tuis precibus inclinati, tibi auctoritate apoſtolica indulgemus, ut Arnulfum de *Landaſt*, qui pro violenta manuum

injectione in presbyterum, sententiam excommunicationis incurrit, recepto ab eo juramento, secundum ecclesiæ consuetudinem vice nostra liceat tibi absolvere, & ei secundum qualitatem & quantitatem excessus pœnitentiam injungere competentem. Cum autem absolutus fuerit, ei in virtute juramenti præcipias, ne ulterius violentas manus in clericum, monachum, Templarium, vel Hospitalarium, aut alicujus religionis conversum mittat, nisi se defendendo, aut id de mandato prælati sui fecerit. Data Tusc. XIV. calendas Julii.

EPISTOLA CCCC. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Abbatissa S. Petri Remensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa relatione dilectæ filiæ nostræ abbatissæ S. Petri Remensis auribus nostris innotuit, quod cum controversiam quæ inter eam & abbatem de *Calade* super reditibus cujusdam curtis, quam idem abbas habet in terra S. Petri, vertebatur, venerabilibus fratribus nostris Belvacensi & Ambianensi episcopis commisissemus fine debito terminandam, & illi, auditis & cognitis rationibus utriusque partis, abbatissam in possessionem misissent, & ei ab eodem abbate damna resarciri debere adjudicassent, abbas schismatica pravitate pollutus, adjudicata non reddidit, & eosdem redditus adhuc injuste detinere præsumsit. Cumque fratri nostro Catalaunensi episcopo ex parte nostra mandasset, ut sicut in parrochia sua prædicta curtis existit, ita quoque abbatissam faceret quod judicatum est possidere, id efficere penitus supersedit. Unde quia prædictæ abbatissæ nolumus ad justitiam suam consequendam aliqua ratione obesse, quod præfatus abbas schismatica est contagione respersus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si res ita se habet, de redditibus jam dicti abbatis, quos habet in provincia tua, memoratæ abbatissæ damna sibi adjudicata facias, omni occasione & appellatione postposita, resarciri, & reditus quos prædicti episcopi adjudicasse noscuntur, nostra & tua auctoritate in pace & quiete dimitti. Data Tusc. VII. cal. Julii.

EPISTOLA CCCCI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro ecclesia sancti Johannis de vineis de Cervenniaco.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquesti sunt nobis dilecti filii nostri abbas & fratres S. Johannis de Vineis, quod quidam milites Suessionensis episcopatus, decimam de *Cervenai* sigillo bonæ memoriæ G. quondam Suessionensis episcopi eidem ecclesiæ confirmatam, & postmodum prædecessorum nostrorum & scripti nostri munimine roboratam, eis auctoritate propria subtraxerunt, & eos super hoc molestare non cessant. Quoniam igitur hoc, si verum est, in nostram injuriam & in præfatæ damnum ecclesiæ redundare non est ambiguum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus infra XX. dies post harum susceptionem ante tuam præsentiam convocatis, si rem ita esse inveneris, præfatos milites moneas studiosius & inducas, ut præfatis fratribus præscriptam decimam cum omnibus inde perceptis atque oblatis sine molestia & difficultate restituant, & in pace ac quiete dimittant. Quod si tuæ in hac parte commonitioni acquiescere forte noluerint, eos nostra & tua auctoritate, occasione & appellatione cessante, vinculo excommunicationis astringas, & si nec sic resipuerint, terras eorum, appellatione remota, subjicias interdicto. Data Tusc. VI. calendas Julii.

EPISTOLA CCCCII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De exactionibus quas Abbas Compendiensis exigebat a quibusdam villis, & de bonis abbatiæ ab eo distractis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Homines trium villarum Compendiensis ecclesiæ, Prunastr. Fabarol. & *Mesviters* videlicet, adversus dilectum filium nostrum abbatem ipsius ecclesiæ ad nos querimoniam transmiserunt, asserentes quod cum nobilis vir Petrus de Tornella advocatus villarum ipsarum, ab eis tallias & exactiones indebitas extorqueret, nobis tibi mandantibus, ut eumdem virum ab his ecclesiastica districtione compesceres, tandem vix ipse coram venerabili fratre nostro T. Ambianensi episcopo præstito juramento, firmavit, quod a prædictis hominibus tallias vel exactiones nullatenus extorqueret, & idem abbas sub excommunicatione prohibuit, ne quis ipsos ulterius eisdem talliis & exactionibus fatigaret. Nunc autem idem abbas discrimen excommunicationis non formidans incurrere, adhibitis sibi favore & potentia prædicti P. a præfatis hominibus adeo gravem talliam extorquere præsumsit, quod quam plures

ex ipsis jam dictas villas coacti sunt deserere, & ad alium locum transire. Quoniam igitur graviter nimis excedit, qui subditos suos præsertim contra religionem juramenti & excommunicationis sententiam violenta damnatione opprimit, & indebita exactione fatigat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictum abbatem & P. necnon & R. filium ejusdem P. ante tuam præsentiam convoces, & inquisita veritate diligenter & cognita, eos moneas, & apostolica fultus auctoritate compellas, ut prædictas villas in ea libertate & immunitate, omni contradictione & appellatione cessante, dimittant, in qua tempore (a) canonicorum fuisse noscuntur, sicut in scripto authentico, quod idem abbas & P. dicuntur habere, noscitur contineri. Ut autem melius & commodius viris præscriptæ ecclesiæ & indemnitati prædictorum hominum consulere possis, eumdem abbatem & P. auctoritate apostolica compellas coram te jam dicta scripta ostendere, & secundum eorum tenorem utrosque facias esse suo jure contentos. Ad hæc quoniam idem abbas multa dicitur de bonis ecclesiæ ipsius illicite distraxisse, & sine causa multa debita contraxisse, volumus & mandamus, ut eum super his convenias, & ad rationem ponas, & veritate plenius cognita, quicquid exinde tibi constiterit, nobis tuis litteris absque admixtione falsitatis plenius & expressius studeas intimare, ut eum, si noxium & culpabilem invenerimus, animadversione debita puniamus. Data Tuscul. VIII. idus Julii.

(a) Quippe ecclesiam Compendiensem pro canonicis fundaverat Carolus Calvus, quibus monachos jussu Eugenii papæ III. substituit Sugerius abbas, S. Dionysii & regni administer.

EPISTOLA CCCCIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De damnis illatis G. canonico Catalaunensi a Wermundo milite.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquerente nobis G. Catalaunensi canonico accepimus, quod Wermundus miles nepos archidiaconi, ipsum & homines villæ de Alneto, irrationabiliter deprædatus, eis damna gravia irrogavit. Cumque prædictus miles propter hoc sententia fuisset excommunicationis astrictus, memoratus archidiaconus eumdem militem ab eadem fecit absolvi sententia, obligans se præfatis viris, quod eis damna data pro ipso absque diminutione resarciret, atque super hoc se illis principalem debitorem constituit. Postea vero prædictus miles crucem suscepit, & ut dominicum sepulcrum visitaret iter arripuit, & idem archidiaconus partem ablatorum restituit, & partem reddere contradicit. Quia ergo ex commissæ nobis dignitatis officio singulis suo jure debitores existimus, & minus potentes a potentium oppressionibus apostolicæ tuitionis clipeo defensare tenemur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si assertio prædicti canonici innititur veritati, prædictum archidiaconum moneas, & si opus fuerit, ecclesiastica districtione compellas, ut prænominatis canonico & hominibus, sicut se illis obligavit, & principalem debitorem constituit, appellatione remota, damna data resarciat, ablata sine diminutione restituat, vel exinde cum eis pacifice & amicabiliter componat. Data Tusculi V. idus Julii.

EPISTOLA CCCCIV. HENRICO Remensi archiepiscopo & abbati Joiacensi.

Pro J. paupere presbytero qui olim novitius extiterat in Joyacensi cœnobio.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, & dilecto filio abbati Joiacensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam J. pauper presbyter capellanus dilectorum filiorum nostrorum infirmorum fratrum de Turribus super Marnam, supplici nobis relatione proposuit, quod olim in pueritia in monasterio (b) Jocacensi in cella novitiorum per menses duos in probatione permansit; sed gravi capitis infirmitate laborans, libere & cum licentia abbatis ejusdem loci de monasterio ipso exivit. Qui utique per singulos ordines ascendens, ordinatus in presbyterum, prædictæ domui infirmorum se contulit. Nunc autem quidam ipsum perturbare volentes, quoniam a prælibato monasterio exivit, ipsum (c) excommunicatum esse & ab ordinibus removendum proponunt. Quoniam igitur in tabernaculo Domini non omnes pari virtute contendunt, & qui in monte non potest manere, ad vallem descendat, ut ibidem salvetur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si ita est, præfatum presbyterum immunem ab ipsorum infamia & in sanctis ordinibus debere servire denuntietis; ita tamen, ut præfatis in-

(b) Joyacum est ordinis Cisterciensis monasterium in diœcesi Senonensi.

(c) Ex hoc loco patet novitios probationis tempore etiam non expleto, vitio suo sponte exeuntes, olim pro apostatis habitos fuisse, siquidem ille novitius pro infirmitate cum benedictione abbatis post duos menses egressus, vix excommunicationis notam vitare potuit, id quod aliis exemplis probare possem.

firmis

firmis juxta votum promissum perpetuo A ferviat, ne cum uxore Loth retro respiciat, quæ quoniam retro respexit, in effigiem salis noscitur fuisse conversa.

EPISTOLA CCCCV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Seberto Remensi cive super quadam domo.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam Seberti Remensis civis nobis transmissam accepimus, quod cum ipse a Galvino & uxore sua quamdam domum emisset, & illi data fide firmiter sibi promisissent, quod exinde nullo tempore ei molestiam vel gravamen inferrent, nunc fidei religione contemta, præfatum S. super jam dicta domo inquietare præsumunt. Verum quia periculosum est admodum & detestabile fidem præstitam violare, & ad nostrum spectat officium unicuique in suo jure adesse, fraternitati tuæ per apostolica scripta C mandamus, quatenus præfatum G. & uxorem suam moneas & districte compellas, ut jam dicto S. super præfata domo nullam de cetero molestiam vel gravamen inferre præsumant, & de violata fide taliter eos punire studeas, quod pœna docente cognoscant, quam sit iniquum scienter fidem præstitam violare. Data Tusculi II. idus Julii.

EPISTOLA CCCCVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Johanne Multone.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius noster Johannes Multo, quoad potuit, pro honore tuo, dum in curia nostra præsens extitit, sollicitus admodum & studiosus fuerit, & ipsum quantum comprehendere possumus, tibi multa devotione non dubitemus esse astrictum, confidenter eum affectioni tuæ duximus E commendandum, indubitata veritate tenentes, quod etiam absque precibus nostris ipsum consideratione devotionis & probitatis suæ protegere debeas, & in suis justitiis confovere. Inde est quod fraternitatem tuam roganius attentius & monemus, quatinus ipsum divino intuitu, & pro reverentia beati Petri & nostra, & consideratione devotionis & probitatis suæ propensius diligas, & in jure suo manuteneas & defendas, nec ipsum in aliquo sustineas indebite molestari; sed taliter eum in justitiis suis habeas nostro intuitu & respectu sui servitii commendatum: quod ipse sub ala protectionis tuæ ab incursibus malignantium possit esse securus, & in devotione tua ferventior semper existere, & nos exinde affectioni tuæ gratias debeamus exsolvere copiosas. Data Tusculi II. idus Julii.

EPISTOLA CCCCVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut T. clericum a gravaminibus episcopi Catalaunensis protegat, & A. de Possessa excommunicationi subjiciat.

ALexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex conquestione T. pauperis clerici præsentium latoris accepimus, quod cum frater noster G. Catalaunensis episcopus eum super ecclesia sua de Acciti-curia indebita vellet molestatione gravare, idem C clericus ejus gravamen præsentiens, se, ecclesiam, & bona sua in protectione nostra & ecclesiæ posuit, & insuper sedem apostolicam appellavit. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, rei veritate studiosius inquisita, si tibi constiterit, quod idem episcopus eum velit super jam dicta ecclesia indebite molestare, ipsum ab illius molestatione, nostra & tua auctoritate, appellatione remota, compescas; sed si quid in eo viderit corrigendum, paterne corrigat & emendet. Ad D hæc quoniam ad audientiam nostram pervenit, quod nobilis vir A. de Possessa ecclesiam & domos ejusdem clerici, post appellationem ad nos factam & totam villam ejusdem loci combussit, discretioni tuæ nihilominus præsentium auctoritate mandamus, ut si res ita se habet, eumdem virum, dilatione & appellatione remota, excommunicatum denuncies, donec eidem clerico & ecclesiæ suæ illata damna resarciat, & de injuriis irrogatis Deo & ecclesiæ satisfactionem exhibeat competentem. Si vero per excommunicationem ad satisfactionem quam diximus cogi non poterit, terram ejus non differas subjici interdicto. Data Tusculi XVII. Kalendas Augusti.

EPISTOLA CCCCVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Drogoni canonico permittat habitare cum electo Cameracensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Auditis gravibus & difficilibus querelis, quæ adversus (a) Drogonem nobis proponebantur, nos ei volentes malignandi aditum intercludere; tibi, si bene meminimus, dedimus in mandatis, ut ipsum ecclesiastica, si opus esset, censura compelleres ad claustrum suum quantocius remeare. Verum quoniam preces dilecti filii nostri (b) P. nobilis viri Flandrensis comitis & aliorum plurium affectuosas pro eodem Drogone recepimus, & ipsum ab his quæ de eo nobis prius suggesta erant excusantium, & abbas & fratres sui eum nobis attentius commendarunt, nos eorum precibus inclinati, fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus, quatinus mandato quod contra ipsum per alia scripta direximus penitus supersedeas, & eum circa dilectum filium nostrum Cameracensem electum manere permittas, nec occasione litterarum nostrarum in eumdem D. sententiam feras, sed fraternitati tuæ modis omnibus prohibemus, ne tenorem earumdem litterarum, quas contra eum tibi direximus, aliquatenus exequaris. Nos enim tam eumdem D. quam alios religiosos viros circa præfatum electum, cum assensu tamen prælatorum suorum esse permittimus. Data Tusculi VIII. Kalendas Augusti.

(a) Drogonem

(b) P.

EPISTOLA CCCCIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Committit ei causam inter Odonem de S. Dionysio & Paganum Anglicum atque uxorem terminandam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter (c) Odonem de S. Dionysio & Paganum Anglicum & uxorem ejus, quondam filiam Genovefæ de S. Germano, super quadam fenestra quæ est super Pontem magnum primum, in præsentia venerabilis fratris nostri (d) M. Parisiensis

(c) Odonem

(d) M.

(a) Canonicum regularem Hamensis monasterii in diœcesi Noviomensi, adversus quem extat supra epistola 182.

(b) Philippi filii Theoderici comitis.

(c) Odo ille videtur esse Odo abbas S. Dionysii, qui Sugerio successit, obiit 1169.

(d) Mauricii qui Petro Lombardo successit anno 1160.

(e) WVillelmo cardinali, qui ex Senonensi ecclesia post mortem nostri Henrici translatus est ad sedem Remensem.

A episcopi, postmodum vero coram venerabili (e) W. Senonensi archiepiscopo apostolicæ (f) sedis legato, diutius est agitata, & ad nos per appellationem delata, experientiæ tuæ, de qua plene confidimus, committimus audiendam, & fine debito terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus cum exinde requisitus fueris, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde diligenter auditis & cognitis, eamdem causam, si tibi constiterit, eam per appellationem ad nos delatam fuisse, B sublato appellationis remedio, concordia vel justitia mediante decidas. Data Tusculi VII. Kalendas Augusti.

(e) W.

(f)

EPISTOLA CCCCX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Commendat canonicos Compendienses.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

C Illos speciali prærogativa dilectionis & gratiæ confovere nos convenit, & ab injuriis malignantium studio propensiori defendere, qui ad curam & provisionem nostram atque tutelam noscuntur principaliter pertinere. Attendentes itaque quomodo canonici Compendienses præter Romanum pontificem nullum habeant episcopum vel magistrum, considerantes etiam qualiter nobis immineat de ipsis curam & sollicitudinem gerere, & eos a pravorum impugnatione conservare illæsos, ipsos defensioni tuæ tanto studiosius duximus com- D mendandos, quanto ratione ordinis & dignitatis nobis magis appropias, & fervore devotionis & sinceritate fidei amplius noscaris & probaris astrictus. Ideoque fraternitatem tuam monemus atque mandamus, quatinus eosdem canonicos, sicut speciales ecclesiæ Romanæ filios, in justitiis suis vice nostra manuteneas, protegas & defendas, salvo jure abbatis & fratrum Compendiensium: ita quidem, quod si quid controversiæ inter eos & abbatem Compendiensem emerserit, ad controversiam sopiendam & pacem inter eos reformandam diligenti studio & E sollicitudine elabores, ita quod ipsi de tuo possint auxilio lætari, & nos exinde affectioni tuæ gratias multimodas exsolvere debeamus. Data Tusculi VII. Kalendas Augusti.

EPISTOLA CCCCXI. HENRICO archiepiſcopo Remenſi.

Ut perſuadeat regi ut filium ſuum coronari faciat.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dum attendimus & ſollicite ad memoriam revocamus, qualiter cariſſimus in Chriſto filius noſter L. illuſtris rex Francorum & progenitores ejus & regnum ſibi commiſſum B. Petro devoti extiterint, & inſeparabili fide ſemper & dilectione adhæſerint, & eccleſiam Romanam in omnibus neceſſitatibus & anguſtiis ſuis tempore noſtro maxime brachio fortitudinis adjuvare & benignius confovere curaverint; tantæ devotionis & fidei non poſſumus eſſe immemores, ſed de ſtatu ejuſdem regis & filii, quem Dominus ſibi ſua pietate & miſeratione donavit, vigiles ſemper & ſolliciti volumus inveniri; & ad ea toto cordis deſiderio & affectu intendere, quæ ad pacem regni & gloriam & exaltationem ipſius regis debeant pertinere: ita quod eidem regi & regno verbo & opere tanto ardentius videamur velle pro meritis digna rependere, quanto circa nos ipſos ſinceriorem fidem & devotionem noſcuntur gerere puriorem. Sane quia prudentis hominis eſt & ſapientis, temporum & rerum varietates provida circumſpectione attendere, & quæ contingere poſſunt adverſa eminus prævidere, fraterniratem tuam, quam ſpecialiter præ aliis ex officio dignitatis & ratione ſanguinis pro ſtatu regis & regni convenit eſſe ſollicitam, per apoſtolica ſcripta monemus, conſulimus, atque mandamus, quatenus eumdem regem moneas diligentius & horteris, & cum omni inſtantia inducas, ut ſibi & filio ſuo providens, cum habito tuo & aliarum magnarum perſonarum regni ſaniori conſilio, cum auxilio cœleſtis gratiæ faciat coronari & (a) inungi in regem & univerſum regnum juramento ſibi fidelitatis aſtringi. Ex hoc enim regi & toti regno gloriam & exaltationem & maximum incrementum ſperamus auctore Domino proventurum, & laudabili ſtudio peragenda ſunt quæ prodeſſe ac proficere poſſunt, & nulla ratione obeſſe noſcuntur. Nam illuſtris imperator Conſtantinopolitanus providere cupiens ne imperium ſuum aliqua poſſet mutatione turbari, filium, cum vix ſit triennis, jam fecit coronari, & ei totum imperium juramento fidelitatis aſtringi, & hoc idem alias ſublimes perſonas feciſſe vidimus. Data Tuſculani III. nonas Auguſti.

(a) Philippus Ludovici Junioris primogenitus anno 1165. natus, non fuit coronatus niſi poſt aliquos a ſcripta hac epiſtola annos, ſcilicet, 1179. quo anno, inquit chronicon S. Dionyſii, *conſecratus eſt rex Philippus puer filius Ludovici regis Kal. Novembris a Guillelmo Remenſi archiepiſcopo, & a Guillelmo abbate S. Dionyſii, qui poſt conſecrationem ejus ſuſcepit ab eo coronam, & camiſiam & cætera regalia indumenta ſecum, tunicam, calcaria & ſceptrum.*

EPISTOLA CCCCXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De ſatisfactione facienda canonico S. Johannis de Burgo Laudunenſi pro illatis injuriis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex litteris venerabilis fratris noſtri Laudunenſis epiſcopi nobis tranſmiſſis, enormitatem illius facinoris & exceſſus, quem B. clericus & R. ſocius ejus in Dei amicum canonicum S. Johannis de Burgo commiſerunt, plenius intelligentes; licet eos abſolvi fecerimus, tamen prædicto clerico, qui adhuc erat in noſtra præſentia conſtitutus, dedimus in mandatis, ut ipſe & ſocius ſuus paſſo injuriam congrue ſatisfaciant, & quæ idem canonicus probare poterit ſibi ablata fuiſſe ab eis, vel eorum æſtimationem ſine diminutione reſtituant. Præcepimus etiam eidem clerico, ut ab ingreſſu Laudunenſis epiſcopatus, niſi a prædicto epiſcopo vel canonico impetrata licentia, per triennium abſtineat, vel niſi ut memorato canonico ſatisfaciat, acceſſerit, ſi ipſe voluerit ſatisfactionem eorum recipere. Si autem prædictus canonicus in ſatisfactione modum, qui eum decet, vellet excedere; tu ei, prout tibi melius viſum fuerit, ſatisfieri facias. Laico vero per iſtum dedimus in mandatis, ut poſt ſatisfactionem ſuſcipiat crucem, & ſepulcrum Domini viſitans, ibidem in ſervitio pauperum Jeroſolymitani hoſpitalis per unum annum exiſtat. Quia vero decet nos qui miſericordiam prædicamus eam circa delinquentes benignius exercere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus eos pro abſolutis habens, memoratum canonicum attentius moneas & inducere ſatagas, ut ipſi a prædictis viris de illatis injuriis congruam ſatisfactionem, & de his quæ probare poterit ſibi ab eiſdem fuiſſe ablata, emendationem recipiens, illis pro ejus amore, qui pro perſecutoribus oravit, & delinquentibus ex corde dimitti præcepit, hanc noxam condonet, & gratiam & amorem ſuum reſtituat, & eis nullam per ſe vel per alios hac occaſione moleſtiam inferat & gravamen. Data Tuſcul. nonis Auguſti.

EPISTOLA CCCCXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Hodeardi vidua & filiis ejus adversus tres abbates.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa nobis conquestione Hodeardis de Maderiis & filiorum suorum accepimus, quod cum Balduinus quondam vir ejusdem mulieris abbati & fratribus S. (a) (*a*) Pauli Virdunensis octoginta libras & XLVI. solidos Catalaunensis monetæ, absque usurarum exactione, mutuo concessisset, iidem fratres eis pecuniam ipsam reddere contradicunt. Adjecerunt insuper filii ejusdem mulieris, quod & fratres ecclesiæ (b) (*b*) Regis-vallis eis LXIII. libras, quas ipsis debent, recusent exsolvere, licet pecuniam ipsam per certos terminos ipsis se pepigerint (c) solvturos, & abbas & fratres (*c*) Trium-fontium c. libras & ultra quas apud eum deposuerunt, eis reddere contradicunt. Quoniam igitur singulis in sua justitia tenemur adesse, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus abbates & fratres ipsarum ecclesiarum moneas, & auctoritate nostra districte compellas, ut præscriptam pecuniam præfatæ mulieri & filiis suis cum integritate restituant, aut ipsis exinde coram te justitiæ non differant plenitudinem exhibere. Data Tuscul. III. Kalendas Octobris.

EPISTOLA CCCCXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Similis argumenti.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte Hodeardis de Maderiis mulieris & filiorum suorum ad aures nostras est querela perlata, quod cum abbati & fratribus (d) (*d*) S. Benedicti de Vepria CXXXIII. libras & V. solidos, & abbati & fratribus (e) de (*e*) Villario LXX. libras, & abbati & (f) fratribus (*f*) S. Leonis Tullensis LV. libras Catalaunensis monetæ, XV. solidis, IV. denariis & uno obolo minus sine usuris mutuo concessissent, ab ipsis pecuniam ipsam rehabere non potest. Unde quia nemini possumus vel debemus in suo jure deesse, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratos abbates moneas, & auctoritate nostra districte compellas, ut præscriptam pecuniam præfatæ mulieri & filiis suis cum integritate restituant, aut ipsis exinde coram te justitiæ non differant plenitudinem exhibere. Data Tuscul. III. Kalendas Octobris.

EPISTOLA CCCCXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Similis argumenti.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte Hodeardis de Maderiis mulieris & filiorum suorum ad aures nostras est querela perlata, quod cum ipsa abbati & fratribus de (*g*) Insula XXVI. libras, & ab- (g)
bati & fratribus de (*h*) Prisneio XIII. li- (h)
bras Catalaunensis monetæ sine usuris mutuo concessisset & ab ipsis pecuniam illam rehabere non poterat; unde quia nemini debemus vel possumus in suo jure deesse, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus memoratos abbates & fratres moneas & auctoritate nostra districte compellas, ut præscriptam pecuniam præfatæ mulieri & filiis suis cum integritate restituant, aut ipsis exinde coram te, appellatione remota, justitiæ non differant plenitudinem exhibere. Data Tuscul. III. Kalendas Octobris.

EPISTOLA CCCCXVI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Adversus decanum S. Quintini & sibi subditos, qui pro benedictione nuptiarum pecunias exigebant.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Meminimus nos scripsisse E. decano S. Quintini, quod gratis, sicut decet, & sine omni exactione, in desponsatione mulierum

(*a*) S. Pauli abbatia olim ordinis S. Benedicti, quæ sæculo XII. transiit ad Præmonstratenses.
(*b*) Regis vallis abbatia ordinis Præmonstratensis a Rainardo comite Barrensi fundata in diœcesi Tullensi.
(*c*) Trium fontium ordinis Cisterciensis monasterium, prima filia Clarævallis in diœcesi Catalaunensi
(*d*) S. Benedicti in Vepria ordinis Cistercienſis in diœcesi Virdunensi.
(*e*) Villarium duabus horis distans a Mediomatrico abbatia ordinis Cistercienſis.
(*f*) S. Leonis papæ IX. nomine dicata abbatia in urbe Tullensi ordinis canonicorum regularium S. Augustini.
(*g*) Insula Barrensis dicta, abbatia olim canonicorum regularium ordinis S. Augustini congregationis Aroasiensis, a quo sæculo XII. transiit ad Cistercienses in linea Morimundi.
(*h*) Prisneium monasterium quodnam fuerit omnino me latet, maximeque dubito an adhuc subsistat.

officia celebrare divina, & presbyteros facere hoc ipsum compelleret, qui sub eo sunt constituti. Qui sicut accepimus, præceptum nostrum contemnere non dubitavit, & R. presbyterum latorem præsentium, qui super hoc illum redarguebat, cum tribus presbyteris fautoribus suis ad audientiam nostram appellavit, ut sub hoc prætextu suam exercere posset liberius pravitatem. Quo ad nos veniente, præfatus decanus & jam dicti sacerdotes nec venerunt, nec aliquem pro se responsalem miserunt. Quoniam vero officio nostro noscitur imminere, tam in benedictione nuptiarum & in sepulturis, quam etiam in quibuslibet sacramentis ecclesiasticis simoniacam pravitatem radicitus amputare; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prælibatum decanum in benedictione nuptiarum & in sepulturis mortuorum, seu in quibuslibet etiam aliis sacramentis ecclesiasticis nihil exigere apostolica fretus auctoritate compellas. Si autem tibi constiterit, quod post appellationem prædictam, exactionem facere præsumserit, ipsum ab officio & beneficio ecclesiastico suspensum cum litteris tuis rei veritatem continentibus ad nos transmittere, omni appellatione cessante, minime postponas, de tantæ pravitatis excessu pœnam quam meruit portaturum. Prædictos vero sacerdotes, qui in vocem appellationis prorumpentes, ipsam appellationem prosequi contemserunt, ita graviter corrigas & castiges, ut ulterius ab hujusmodi præsumtione quiescant, & ceteri eorum exemplo valeant deterreri. Nihilominus quoque præsentium tibi auctoritate mandamus, ut prædictum decanum præfato presbytero omnes sumtus, quos ejus occasione fecit in via, restituere cum omni integritate, contradictione & appellatione cessante, compellas. Data Signiæ IV. nonas Febr.

EPISTOLA CCCCXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus G. decanum de Unacort, *de simonia insimulatum.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Simoniacam pravitatem tanto propensiori cura nos convenit per falcem apostolicæ provisionis evellere, quanto amplius prælati ecclesiarum hujusmodi peste possunt corrumpi, & honestas ecclesiastica denigrari. Insinuatum est siquidem auribus nostris, quod G. decanus de *Unacort*, temporale lucrum potius quam animarum salutem requirens, ad vitium cupiditatis in tantum frena laxavit, ut in desponsationibus mulierum, omni timore divino postposito, in ecclesia de *Joi* non permittit celebrari divina, nisi sibi pro pretio vini duo aut tres solidi Comeracensis monetæ assignentur: & si forte aliqua desponsatur, de qua prædictum pretium non recepit, tam sponsum quam sponsam vinculo excommunicationis facit astringi. Quoniam vero id indecens est, & a sacris canonibus penitus alienum, & ferro resecanda sunt vulnera, quæ medicamenti fomenta non sentiunt, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si ita esse constiterit, præfatum sacerdotem ab officio suspensum, cum litteris tuis rei veritatem continentibus, apostolico facias conspectui præsentari, de tanto pravitatis excessu pœnam quam meruit portaturum. Data Signiæ IV. nonas Februarii.

EPISTOLA CCCCXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro monasterio S. Salvatoris Virtuensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum ecclesiæ S. Salvatoris Virtuensis querelam accepimus, quod G. presbyter & P. & R. milites & R. de *Cismai*, & quidam alii prælibatam ecclesiam multis molestiis & gravaminibus vexare præsumunt, & ad bona ipsius ecclesiæ diripienda violentas manus extendere non formidant. Quoniam igitur nostra interest, ne loca religiosa pravorum incursibus exponantur, pastorali sollicitudine provideri; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, infra XL. dies post harum susceptionem prædictos viros instanter moneas & districtius cogas, ut quæ prædictis abbati & fratribus injuste & sine ratione abstuliisse noscuntur, omni contradictione cessante, restituere non postponant, & eos ulterius in pace & quiete dimittant. Alioquin ipsos ad hoc efficiendum ecclesiastica censura compellas. Data Signiæ XII. Kal. Martii.

EPISTOLA CCCCXIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus abbatem Aquicinctensem, qui presbyterum ecclesia spoliaverat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquerente nobis Hugone presbytero

latore præsentium intelleximus, quod dilectus filius noster Aquicinctensis abbas eum ecclesia quadam, quam de ipsius abbatis concessione tenuerat, absque judicio & causa rationabili, spoliavit. Unde quia non debent ecclesiastici viri a possessionibus ecclesiarum suarum irrationabiliter ejici, aut super his indebite molestari; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus utraque parte coram te convocata, rei veritatem diligenter inquiras, & si assertio memorati presbyteri innititur veritati, ecclesiam ipsam cum omnibus inde ablatis & perceptis ei facias appellatione cessante restitui, & presbyterum Jesse, qui post appellationem ad nos factam dicitur ipsam ecclesiam recepisse, si ita est, graviter punias, quod timeat amodo appellationibus contraire. Deinde vero si præfatus abbas aut idem presbyter adversus prædictum Hugonem super jam dicta ecclesia agere forte voluerint, tu causam audias & appellatione remota, debito fine decidas. Data Signiæ IV. nonas Martii.

EPISTOLA CCCCXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa inter canonicos sancti Martini & B. Mariæ Laudunensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Causam quæ inter dilectos filios nostros S. Martini canonicos, & clericos S. Mariæ Laudunensis super duabus partibus decimæ de Monte-Cavillo noscitur agitari, experientiæ tuæ, de qua plene confidimus, committimus audiendam, & appellatione remota, concordia vel judicio terminandam. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cum exinde fueris requisitus, utramque partem ante tuam præsentiam convoces, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, causam ipsam infra XL. dies post harum susceptionem, sublato appellationis remedio, concordia vel justitia mediante decidas. Data Signiæ VIII. idus Martii.

EPISTOLA CCCCXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro abbate S. Medardi adversus Helisabeth viduam de usura notatam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquerentibus nobis dilectis filiis nostris abbate & fratribus S. Medardi, ad audientiam nostram pervenit, quod Helisabeth relicta Codini, & Thomas gener ejus, & alii successores prædicti C. ab eorum ecclesia per potentiam sæcularem XL. marcas argenti pro usuris extorquere nituntur, licet prædicta E. & vir ejus ab eadem ecclesia quingentas marcas argenti ultra sortem in suæ salutis periculum usurarum nomine recepisse dicantur. Quoniam igitur sustinere non possumus nec debemus, ut præscripta ecclesia a supradictis feneratoribus cum suæ detrimento salutis super usuratum exactione gravetur, cum deberent potius restituere, quæ ab eadem ecclesia perperam receperunt, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus infra XX. dies post harum susceptionem ante tuam præsentiam convocatis, super his rei veritatem studiose & diligenter inquiras; & si prædicti fratres probare poterunt, quod iidem feneratores sortem suam cum integritate receperint, ipsos moneas & inducas, ut ab eisdem fratribus nihil amodo pro sorte vel usuris præsumant exigere, sed super hoc ab eorum molestatione, sublato appellationis remedio, omnino desistant. Si vero commonitioni tuæ noluerint adquiescere, ipsos publice, sublato appellationis remedio, excommunices, & usque ad dignam satisfactionem facias per provinciam tuam cautius evitari. Ipsos quoque nihilominus moneas & inducas, ut si quid supradictus C. vel uxor ejus ultra sortem receperunt a jam dicta ecclesia, memoratis fratribus sine difficultate restituant, aut cum eis pacifice non differant & amicabiliter convenire. Data Signiæ XIII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCCXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo & G. Catalaunensi episcopo.

De censu annuo ceræ, quem a presbyteris decanatus Virtuensis exigebat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus HENRICO Remensi archiepiscopo, & G. Catalaunensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significaverunt nobis presbyteri de decanatu Virtuensi, quod cum olim precibus & amonitione (a) G. quondam Catalaunensis episcopi parrochianos suos diligentibus monitis & exhortationibus induxissent, ut ad luminaria ecclesiæ S. Stephani quadraginta libras ceræ conferrent, & postea ad interventum BOSONIS episcopi de-

(a) Guidonis de Monte-acuto qui electus fuit 1143. aut qui eum præcessit Ganfridi.

cem libras auxiſſent, theſaurarius quod ex donatione collatum fuit, conatur convertere in debitum, & queſtum facere de opere pietatis, compellens eos ab unoquoque parochiano ſuo tam paupere quam divite obulum unum exigere, & ſibi pro cera aſſignare. Verum decanus & capitulum Catalaunenſis eccleſiæ tranſmiſſis nobis litteris intimarunt, quod præſcriptus cenſus non ex liberalitate, ſed ex debito debeat exhiberi. Quia vero rei veritas nobis non conſtat, per apoſtolica ſcripta fraternitati veſtræ mandamus, quatenus cum exinde requiſiti fueritis, in unum pariter convenientes, utramque partem ante veſtram præſentiam convocetis, & rationibus hinc inde plenius auditis, & cognitis, cauſam, concordia vel juſtitia mediante, ſublato appellationis remedio, decidatis; ita quod neutra partium conqueri valeat pro juris defectu. Data Signiæ XII. Kalendas *Aprilis.*

EPISTOLA CCCCXXIII. FRATRIS Philippi Henrico Remenſi archiepiſcopo.

Gratias agit de ſcripta ſibi epiſtola, commendatque illi Anſculfum.

AMantiſſimo in Chriſto patri & Domino H. Dei gratia venerabili Remorum archiepiſcopo, frater Philippus ſuus quod ſuus.

Dilatus eſt, ut credimus, quod ſine cordis angore non dicitur, remediabilis ille & deſiderabilis tranſitus ærumnarum finis, delinquentiæ meta, pacis ingreſſus. Paulatim conſurgit & reficitur puer veſter ordine ſucceſſivo, corpori vires rediviva ſanitas adminiſtrat, edendi reparatur appetitus, & inter edendum nativus ciborum ſapor agnoſcitur; ſed non minimum ſaluti noſtræ fomitem parit, de viſitationibus concepta lætitia, quæ & proſperitatis amica eſt, & egregios ſemper comitatur acceſſus. Quid enim pietatis, quid gratiæ, quid dulcedinis non attulit mihi ſcriptionis veſtræ fœcunda dignatio? Radiabat in pagina benignæ mentis auguſta ſinceritas, & velut emicante ſpeculo veri amoris ſinceram referebat imaginem, verius amorem, qui ſuas facit anguſtiati anguſtias. Nemo dignius exſequitur diligentis affectum, quam qui non ſine pietatis obſequio & inter amici commoda ſerenus eſt, & in oppoſitis obſcuratur. Sic de conſcientia mea veſtrum excellentem metior animum, gloriorque ſingulariter, & quamdiu vixero gloriabor, qui in hoc vobis gratiæ gradu tanto tantillus apparui. Præterea cum multiplici gratiarum actione ſublimitati veſtræ quoad poſſum devotus occurro, quod filium veſtrum Anſculfum nobis tranſmiſit veſtræ benignitatis pia compaſſio, qui argumentoſe deſervit, officioſe miniſtrat, benivole ſuffragatur, & in noſtram ſe componit per omnia ſoſpitatem. Sic excellentiæ veſtræ proculdubio placere non ambigit, & dignus eſt gratia, qui præſidentis totum ſe conformat imperiis. Rogamus humilitate qua poſſumus, ut apud clementiam veſtram continuetur ei gratia, & inveniat in bono miniſterio gradum bonum. Bene valeat ſemper in Domino ſinceritas veſtra, benigniſſime pater & Domine.

EPISTOLA CCCCXXIV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut P. presbyterum niſi emendaverit ab excommunicatione non abſolvat.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Si bene meminimus, cauſam quæ inter A. preſbyterum S. Mauricii & P. ſuper quadam domo agitatur, venerabilibus fratribus noſtris Ambianenſi & Silvanectenſi epiſcopis commiſimus audiendam, & fine debito terminandam. Qui utique, ſicut accepimus, utraque parte ante ſe convocata, rationibus hinc inde auditis & cognitis, præfato P. eamdem domum ſecundum ordinem juris adjudicarunt; prælibatum autem preſbyterum eo quod domum ipſam ſibi reddere contradicit, anathematis vinculo innodarunt. Qui etiam ad noſtram accedens præſentiam, ſicut non debuit, ita non eſt a nobis abſolutus. Cumque ad propria remeaſſet, ſicut inſinuatum eſt auribus noſtris, tamquam contumax & inobediens officia divina celebrare præſumſit. Quoniam igitur officio noſtro congruit, hujuſmodi præſumtionem debita ultione punire, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, præfatum preſbyterum ſententiam excommunicationis in ſe latam firmiter & inviolabiliter facias obſervare, donec de tanto exceſſu digne ſatisfaciat, & firmam præſtet cautionem, ut ſententiæ prædictorum epiſcoporum adquieſcat. Data Signiæ VIII. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCCXXV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Reſpondet petenti utrum hominium ab epiſcopo Leodienſi ſchiſmatico recipere poſſit.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apſtolicam benedictionem.

Cum jura & dignitates eccleſiæ tibi com-

missas integras & illibatas conservare velimus, & in spiritualibus & temporalibus tibi tamquam carissimo fratri, quem inter alios abundantiori caritate diligimus, consilium & auxilium impertiri, & in quantum cum Deo & justitia possumus, animo libenti deferre, grave nobis videtur & indecens tibi dare consilium, per quod ecclesiæ tuæ dignitas ratione aliqua minuatur, vel tua fraternitas ea efficiat, per quæ oculos divinæ majestatis offendas. Postulasti siquidem a nobis consilium per dilectum filium nostrum (a) M. clericum & nuntium tuum, utrum a (a) Leodiensi intruso, qui est schismatis contagione pollutus, hominium recipere debeas, quod hucusque idcirco recipere distulisti, ne forte contra id quod a sanctis patribus prohibetur, te sibi communicare oporteret, & ita de participatione sua notam contraheres, & exinde graviter Deum offenderes. Asseruit autem idem M. quod per hujusmodi dilationem jura & dignitatem ecclesiæ tuæ deperire times, quod nullatenus volumus, & creatorem tuum alias offendere vereris, quod super omnia prudentiam tuam & omnes Christi fideles summopere cavere oportet. Super quo fraternitati tuæ taliter duximus de consilio respondendum, ut eidem intruso, nisi a schismatica pravitate ad ecclesiæ unitatem & devotionem B. Petri & nostram redierit, si salvo jure & dignitate Remensis ecclesiæ abstinere poteris, in nullo communices, & hominium ab eo donec in schismate perseveraverit, si absque gravi detrimento ejusdem ecclesiæ id potes omittere, non recipias, ne omnipotentem Deum in hac parte offendas, & alii a te exemplum sumant participando schismatica contagione pollutis. Verum si cognoveris quod ecclesia tua gravem jacturam sustineat, si hominium ejusdem recipere distuleris, id arbitrio relinquimus. Monemus tamen honestatem tuam & exhortamur attentius, ut ita temporalibus utaris, quod æterna & spiritualia non omittas. Data Anagniæ VI. Kalendas Aprilis.

(a) Is esse videtur Radulfus Bertholdi ducis Turingiæ, Conradi & Alberti frater, qui propter avaritiam expulsus de sede Moguntina, favore Henrici comitis Natuam audientiam fiunt, Catalaunensis appellationibus ipsis non defert, in quo te plurimum gravari conquereris. Verum quia gravamur plurimum & movemur, si memoratus episcopus vel aliquis suffraganeorum tuorum tibi tamquam prælato suo non defert & obedire contemnit; eidem Catalaunensi præcipiendo mandavimus, ut in appellationibus & ceteris tibi sicut metropolitano suo, & cui tenetur in spiritualibus respondere, humiliter deferat. Alioquin timere poterit, ne sui inferiores ei obedire ac deferre contemnant, & ad ultimum si in hujusmodi contumacia perseverare præsumserit, injuriam & contemtum tuum sicut personæ nostræ, auctore Domino, in eo graviter vindicare curabimus. Data Anagniæ VI. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCCXXVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro canonicis S. Nicolai Catalaunensis adversus abbatem Dervensem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri canonici S. Nicolai Catalaunensis, transmissa nobis insinuatione monstrarunt, quod dilectum filium nostrum Dervensem abbatem vinculo excommunicationis astrinxeris, quoniam mandato tuo, quod sub juramento se observaturum promiserat, super diffinitione sententiæ, quam super causa quæ inter ipsum & præfatos canonicos vertebatur, promulgaveras, parere contemsit. Quoniam igitur hujusmodi excessum, nec volumus, nec debemus clausis oculis pertransire; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si ita est, præfatum abbatem tamdiu teneas sententia excommunicationis astrictum, donec mandatum tuum, sicut juravit, suscipiat firmiter & observet. Data Anagniæ V. Kalendas Aprilis.

EPISTOLA CCCCXXVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus episcopum Catalaunensem, qui non deferebat appellationibus ab eo ad archiepiscopum Remensem factis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte tuæ fraternitatis ad nostram noveris audientiam perveniisse, quod si quando a Catalaunensi episcopo appellationes ad

EPISTOLA CCCCXXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Cussiacensi monasterio adversus canonicos S. Petri Laudunensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri abbas & fratres

murcensis & aliorum cognatorum, episcopus Leodiensis electus est anno 1167.

(a) Cussi-

(a) (a) Cuſſiacenſis eccleſiæ, tranſmiſſa nobis conqueſtione, monſtrarunt, quod canonici S. Petri Laudunenſis ab eis decimas contra privilegium prædeceſſoris noſtri piæ recordationis Innocentii pap e injuſte exigere non formidant. Quoniam vero noſtra intereſt jura religioſorum paſtorali ſollicitudine conſervare, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatos canonicos ſtudioſe commoneas & inducas, ut a prædictis abbate & fratribus præſcriptas decimas exigere non præſumant. Sed ſi de jure confidunt, in præſentia tua cum eis ordine judiciario experiantur, & tu cauſam diligentius audias, & concordia vel juſtitia mediante decidas. Quod ſi neutrum facere voluerint, tu ipſos ad alterum efficiendum eccleſiaſtica cenſura compellas. Data Anagniæ IV. nonas Aprilis.

EPISTOLA CCCCXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De eccleſia de Arſi *Henrico adjudicanda.*

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, S. & A. B.

Cum olim nobis inſinuatum fuiſſet, quod Radulfus preſbyter dilecto filio noſtro Henrico ſubdiacono aditum inhibens eccleſiæ de *Arſi*, quam a dilecto filio noſtro abbate S. Petri de Montibus ſibi aſſerebat, perſona ejuſdem eccleſiæ viam univerſæ carnis ingreſſa, canonice conceſſam fuiſſe, eumdem Henricum ad noſtram audientiam appellaſſet, proponens quod prior ejuſdem loci ipſum in eadem eccleſia inſtituiſſet, & illi adminiſtrationem ejus ad repræſentationem archidiaconi & ipſius prioris Sueſſionenſis epiſcopus commiſiſſet, nos cauſam ipſam dilectis filiis noſtris præpoſito, decano & capitulo Remenſis eccleſiæ commiſimus audiendam, & fine debito terminandam. Qui ſiquidem, prout nobis ſuis litteris intimarunt, utraque parte ante ſe convocata, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, prædictum R. a prælibata removerit eccleſia, & memoratum Henricum in ejus præceperunt poſſeſſionem induci, & cum Sueſſionenſi epiſcopo per ſuas litteras ſignificaſſent, ut eidem Henrico curam committeret animarum, epiſcopus appellationem quam idem R. ad nos fecerat, & quomodo ad repræſentationem prioris ei commiſerat curam animarum, prætendens, memoratum Henricum ad prælibatam eccleſiam recipere recuſavit. Tandem autem cum præfati Henricus & Radulfus ad noſtram præſentiam veniſſent, idem * Henricus, prout domino placuit, ſublatus eſt de medio, & debitum naturæ perſolvit: unde nos attendentes labores & anxietates ejuſdem Henr. & conſiderantes quomodo ſibi auctoritate prælibata eccleſia fuiſſet adjudicata, ſententiam memoratorum præpoſiti, decani, & capituli ratam & firmum habemus, & memorato Henr. prælibatam eccleſiam auctoritate apoſtolica confirmate curavimus, & ſcripti noſtri robore communire. Quia igitur decet ſæpedictum epiſcopum ſtatutis apoſtolicæ ſedis reverenter & devote deferre, & in nullo ejus auctoritati quomodolibet obviare, eidem epiſcopo præcepimus, ut prædicto Hen. curam & adminiſtrationem præfatæ eccleſiæ infra XX. dies poſt litterarum noſtrarum ſuſceptionem committat, & nullam exinde patiatur ei moleſtiam vel gravamen inferri. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ſi prædictus epiſcopus præceptum noſtrum infra præſcriptum terminum non adimpleverit, tu ipſum, nullius contradictione vel appellatione obſtante, ſine difficultate vel dilatione qualibet exſequaris. Data Anagniæ VI. idus Aprilis.

* f Radulfus.

(a) Cuſſiacum monaſterium ordinis Præmonſtratenſis in diœceſi Laudunenſi.

EPISTOLA CCCCXXX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut infirmis de Oſdayn *oratorium & cimiterium concedat.*

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dolor & miſeria infirmorum fratrum de *Oſdayn*, ad compatiendum eis univerſos debet inducere, ut ſic facilius & commodius eorum neceſſitatibus & profectibus poſſint intendere, cum ipſorum incurabilem ægritudinem fraterna curaverint meditatione penſare. Unde cum quidam eorum debiles ſint admodum & horrendi, ut ſanis non poſſint, nec audeant ſe aliquatenus immiſcere, decet prudentiam tuam ipſis oratorium & cimiterium providere, ubi valeant divinis officiis intereſſe, & habere cum deceſſerint ſepulturam. Inde eſt quod fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta rogamus attentius & mandamus, quatenus præfatos infirmos capellanum habere & oratorium cum cimiterio conſtruere, ſine qualibet contradictione permittas: ita tamen ut capellanus eorum parrochianos aliarum eccleſiarum ad cotidiana officia, vel in præcipuis ſolemnitatibus non admittat, nec ad ſepulturam recipiat, nec decimas vel oblationes ab eiſdem aliquatenus exigat, ſed ipſis infirmis & familiæ ſuæ duntaxat, prout animarum ſaluti noverit expedire, ſollicitius conſulat, & ferventer intendat. Præterea volumus & mandamus, quatinus de novalibus quæ iidem infirmi propriis manibus aut ſumtibus excolunt, ſive de nutrimentis animalium ſuorum, decimas ab eis nullatenus

exigas, nec ab aliquo exigi aliqua ratione permittas. Data Anagniæ v. idus Aprilis.

Sequitur S. Bernardi Canonizatio prout in editis.

EPISTOLA CCCCXXXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut causam abbatis & fratrum de Humbleriis jam terminatam faciat observari.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significarunt nobis dilecti filii nostri abbas & fratres de Humbleriis, quod cum causa quæ inter eos & abbatem de Ribodimonte, & abbatissam de Monasteriolo, & G. militem de Bresnoto vertebatur, sub examine Laudunensis & Noviomensis episcoporum, quibus causam ipsam terminandam commiseramus, finem debitum suscepisset: postmodum quidam monachus de Ribodimonte pro negotiis Thesaurarii Laudunensis ad præsentiam nostram accedens, eamdem causam, tacito quod fuerit terminata, postulavit episcopo Tornacensi committi, licet ab episcopis illis, multis reclamantibus vel appellantibus, fuisset sententia lata. Quoniam igitur qui tenemur litibus & contentionibus finem imponere, litem sopitam nolumus suscitare; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus a præfatis episcopis & ab aliis qui veritatem noverunt rem ipsam diligenter inquiras; & si tibi constiterit, præscriptam causam per eosdem episcopos terminatam fuisse, nec eorum sententiam per appellationem suspensam, sententiam ipsam ratam habeas, eamque facias inviolabiliter observari, nec obtentu commissionis nostræ, in eadem causa procedere præfatum Tornacensem episcopum patiaris. Data Anagniæ idus Aprilis.

EPISTOLA CCCCXXXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De præbenda in ecclesia S. Petri Duacensis danda Walchero clerico.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos dilectus filius noster Walcherus clericus præsentium lator, diligenti nobis assertione proposuit, quod Hu. præpositus & canonici S. Petri Duacensis eum jam pridem unanimiter & concorditer in suum fratrem & canonicum receperunt, sibique præbendam, quæ in ipsa ecclesia primo vacaret liberaliter concedentes, concessionem suam scripto authentico roborarunt. Cum autem præscripta præbenda vacasset, eamque jam dictus præpositus sibi contradiceret assignare, prædictus clericus ad nostram audientiam appellavit, & appellationem interpositam est in multo labore & discrimine sui corporis prosecutus. Volentes itaque eidem clerico in hac parte sollicite providere, jam dicto præposito & canonicis dedimus in mandatis, ut sicut eum in suum canonicum receperunt, & concesserunt sibi præbendam ipsam quæ nunc vacat, infra XV. dies post litterarum nostrarum susceptionem, omni occasione & appellatione cessante, incunctanter assignent; & si præbendam ipsam alii post appellationem ad nos factam, quod non credimus, contulerunt; ipsam infra eumdem terminum, appellatione postposita, revocent, eamque præfato clerico, appellatione remota, non differant assignare. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si idem præpositus & canonici mandatum nostrum non fuerint exsequuti, tu super hoc rei veritatem non differas districte ac diligenter inquirere; & si tibi constiterit quod idem præpositus & canonici præfatum clericum in suum canonicum recepissent, sibique præbendam, cum primo vacaret, concessissent, & scripto authentico roborassent, eos ad exsequendum super hoc mandatum nostrum infra alios quindecim dies, sublato appellationis remedio, nostra & tua auctoritate districte compellas. Data Anagniæ XVIII. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCCXXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut leprosi de Sparnaco sint immunes a decimis novalium, &c.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam leprosorum de Sparnaco recepimus, asserentium, quod cum ipsi de domo sua protectionis a nobis litteras impetrassent, & ab exactione decimarum de novalibus suis, quæ propriis sumtibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum eos clementia sedis apostolicæ fecisset immunes, canonici de Sparnaco adversus ipsos inde commoti sunt, & turbati: usque adeo scilicet, quod cum magister leprosorum cum quibusdam fratribus & servientibus suis pro colligendo fœno in propriis pratis existeret, octo de prædictis canonicis insurgentes in eos, magistrum & fratres, qui cum eo erant, graviter verberaverunt, & servientes eorum multis afficientes vulneribus, fœnum illud fecerunt de pratis per violentiam asportari. Quoniam igitur graviter nimis offendimur,

si ea quæ sunt a nobis statuta, temeritate A quorumlibet rescindantur, & negligentiæ possemus redargui, si tantum excessum dimitteremus *inultum*; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus a prædictis, infirmis decimas de novalibus suis quæ propriis sumtibus excolunt, sive de nutrimentis animalium suorum exigi vel extorqueri nullatenus patiaris, & super his quæ prædiximus, veritate rei studiosius inquisita, si ita tibi constiterit, eos qui tantum facinus commiserunt, sublato appellationis remedio, publice excommunicatos denuncies, & facias sicut excommunicatos vitari, donec passis injuriam congrue satisfaciant, fœnum ablatum restituant, & hi qui in præfatum magistrum & fratres suos, si clerici sunt, violentas manus injecerunt cum litteris tuis rei veritatem continentibus, apostolico se conspectui repræsentent. Data Anagniæ XVIII. Kalendas Maij.

EPIST. CCCCXXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Commendat ei Milonem nuncium ipsius. C

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Tantam sollicitudinem habuit in negotiis tuis dilectus filius noster Milo quem ad nos destinasti, & ita ferventer apud nos institit pro ipsis negotiis promovendis, quod ipsum manifeste novimus tibi fidelem existere plurimum & devotum. Ipsum itaque consideratione suæ devotionis & obsequii tibi sollicite commendantes, fraternitatem tuam D rogamus attentius & monemus, quatenus eumdem M. pro reverentia B. Petri ac nostra, & intuitu servitii sui, quod jam secundo ad nos veniendo tibi noscitur impendisse, propensius diligas & honores, sibique ita commode & utiliter benefacias, quod ipse facilius & libentius pro te periculis personam suam debeat exponere, & nos exinde tibi copiosas gratias agere teneamur, & providentiam tuam digne in Domino commendare possimus. Data Anagniæ XV. Kalendas Maij. E

Gravem querelam R. subdiaconus in audientia nostra deposuit, quod An. de *Loesi*, cum diabolo instigante carceri mancipavit, & ab eo pecuniam impudenter extorsit. Quia igitur tantæ iniquitatis audaciam non possumus nec debemus impunitam relinquere, ad quam durius vindicandam apostolica compellimur auctoritate succingi, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus hujus rei veritate diligenter & subtiliter inquisita, si ita esse inveneris, præfatum An. & principales ejusdem sceleris complices, appellatione remota, B excommunicatos denunties, & ab omnibus facias sicut excommunicatos vitari, donec memoratus A. prædicto subdiacono de tam gravi injuria condigne satisfaciat, universa quæ ab eo extorsit, vel auferri fecit, sine diminutione restituat, & ad sedem apostolicam de tanto excessu satisfacturus, cum tuarum testimonio litterarum accedat. Data Anagniæ XV. Kalendas Maij.

EPIST. CCCCXXXVI. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Ut A. presbytero parrochia de Nisi *restituatur.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam A. presbyteri latoris præsentium recepimus, quod cum parrochiam de *Nisi* canonice fuisset adeptus, & eam diu pacifice possedisset, G. presbyter ipsam irrationabiliter auferre præsumsit, & injuste detinet occupatam. Quia igitur indecens est & obvium rationi, ut memoratus presbyter præscripta parrochia sine manifesta & rationabili causa privetur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus ante tuam præsentiam convocatis, prædictum G. moneas & districte compellas, ut præfato A. prædictam parrochiam cum reditibus inde perceptis restituat, & in pace dimittat, vel in præsentia tua, sublato appellationis remedio, exhibeat justitiæ complementum. Data Anagniæ XIV. Kalendas Maij.

EPIST. CCCCXXXV. HENRICO Remorum archiepiscopo.

Ut An. de Loesi, *qui R. subdiaconum in vinculis conjecerat, excommunicet.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

EPIST. CCCCXXXVII. HENRICI Trecensis comitis, Henrico Remensi archiepiscopo.

Laudat eum quod Sempegniacum straveris, petitque ab eo veniam pro Guermundo de Castellione.

DOmino suo & amico carissimo HENRICO Dei gratia Remensium archie-

piſcopo venerabili, H. Trecenſis comes, ſalutem.

Audivi quod Sempegniacum ſtraviſti, quod quidem mihi multum placet. Perlatum eſt etiam ad me, quod Guermundo de Caſtellione malum vultis facere: ipſe autem mecum eſt, nec ego exiſtimo vel credo quod ipſe vobis aliquid forefecerit, & ſi aliquid forefecerit vobis, ego vobis emendari faciam in beneplacito veſtro. Unde precor in rebus ejus pacem teneatis. Valete.

EPIST. CCCCXXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Evrardo presbytero.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Querelam Evrardi preſbyteri in ſcriptis nobis tranſmiſſam accepimus, quod Matthæus civis Catalaunenſis ei plateam quamdam contra juſtitiam abſtulit, quam per potentiam ſuam detinet occupatam. Quoniam igitur prædicto preſbytero cum pauper ſit, ſicut dicitur, & adverſus divitem cauſam habeat, propenſiori ſtudio in ſuo jure tenemur adeſſe; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratum M. moneas, & appellatione remota, ſub excommunicationis pœna compellas, ut præſcriptam plateam præfato preſbytero ſine difficultate reſtituat & in pace dimittat, aut exinde ſibi ſub examine tuo, appellatione remota, non differat juſtitiæ plenitudinem exhibere. Data Anagniæ XIII. Kalendas Madii.

EPIST. CCCCXXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Scribit ſe nullum Philippo Flandriæ comiti privilegium dediſſe contra jura eccleſiæ Remenſis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum devotionis & fidei tuæ argumenta & indicia certiſſima teneamus, & eam circa honorem & exaltationem matris tuæ ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ utiliter ſimus ſemper experti, honeſtati noſtræ non modicum videremur detrahere, & totius humanitatis obliviſci, niſi perſonam tuam ſicut cariſſimi fratris noſtri, & præcipui membri eccleſiæ, ſinceriſſime diligeremus, & tibi ſtuderemus honorem & dignitatem tuam pleniſſime conſervare. Ne autem ulla exinde in animo A tuo dubitatio vel ſcrupulus ambiguitatis remaneat, ſcire te volumus, quod nobili viro PH comiti Flandrenſi nullam immunitatem contra jus & dignitatem tuam indulſimus, nec eum a poteſtate tua exemimus, quominus in eum illam juriſdictionem & auctoritatem habere valeas, quam anteceſſores tui habuiſſe noſcuntur, & canones ſacri permittunt. Data Anagniæ XIII. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCCXL. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut hortetur regem, ut arbitrum pacis ſe conſtituat eccleſiam inter & imperium, ſtudeatque etiam reges Galliæ & Angliæ inducere ad concordiam.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum in omnibus laudabiliter & efficaciter experti ſimus fervorem tuæ gratiſſimæ devotionis, certa nobis ſpes eſt & indubitata fiducia, quod abſque ſollicitatione noſtra, libenter velis efficere quæ ad pacem eccleſiæ pertineant & profectum. Verum quia nobis imminet prudentiam tuam ſuper his ſollicitam reddere, quæ nobis expediant & eccleſiæ, fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta rogamus, monemus atque mandamus, quatinus cariſſimum in Chriſto filium noſtrum L. illuſtrem Francorum regem fratrem tuum, ſtudioſa & frequenti exhortatione commoneas, ut reformationi pacis inter eccleſiam & imperium juxta commonitionem dilecti filii noſtri (a) P. tituli S. Chryſogoni preſbyteri cardinalis, quem ad eumdem regem dirigimus; ſi quo modo omnipotens Dominus honeſtam viam pacis ſibi aperuerit, ferventer intendat, & in verbo pacis juxta conſilium ejuſdem cardinalis procedat. Ad habendam quoque pacem cum HENRICO illuſtri Anglorum rege, quantum, ſalvo honore ſuo, poterit, animum ſuum clementer inclinet; quia timendum eſt, ne ſi inter eoſdem reges diutius hujuſmodi guerra duraverit, occaſione hujus contentionis, utriuſque regno diſpendia rerum & pericula proveniant perſonarum, & orientalis terra exponatur, quod avertat Dominus, direptioni paganorum. In his autem & in aliis quæ idem cardinalis ex noſtra tibi parte proponet, indubitatam ſibi fidem adhibeas, eumque ſicut virum litteratum, diſcretum & providum, & carum nobis plurimum & acceptum, honeſte recipias & per-

(a) Petri, qui ab Alexandro III. creatus cardinalis, ab eodem anno 1173 miſſus eſt in Galliam, ut componeret pacem inter reges Ludovicum Francorum & Henricum Anglorum, teſte Ciaconio.

tractes, & ita circa eum tuam exhibeas gratiam & amorem, quod exinde affectioni tuæ uberrimas teneamur gratias exhibere. Data Anagniæ XIII. Kalendas Maij.

EPIST. CCCCXLI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Causam inter Humolariensem abbatem & F. de Nigella committit examinandam.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Jam pridem, si bene meminimus, venerabili fratri nostro B. Belvacensi episcopo causam inter abbatem & fratres Humolarienses & T. de Nigella super modio salis commisimus audiendam, & fine debito terminandam. Qui utique, sicut ex insinuatione prædictorum fratrum accepimus, prænominatum T. in possessionem induxit: unde memorati fratres se plurimum gravatos esse affirmant, tum quia judicem ipsum tamquam adversarium suspectum habuerunt; tum quia tenorem litterarum, quæ super hoc a nobis emanarunt, non fuerunt permissi, eodem episcopo prohibente, videre. Ceterum quia iidem fratres se justitiam adversus prædictum T. habere confidunt, & nos eis denegare non possumus nec debemus, quod universis ex officio nobis commisso exhibere tenemur; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si prædicti fratres de proprietate agere voluerint, tu convocatis partibus causam, si ab eo non fuit terminata, nec alii commissa, diligentius audias, & eam, appellatione remota, ita justitia mediante decidas, quod tua debeat exinde discretio non immerito commendari. Data Anagniæ XII. Kalendas Maij.

EPISTOLA CCCCXLII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro mercatoribus quibusdam Flandriæ adversus abbatem Dervensem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Constituti in præsentia nostra Ric. & Atn. mercatores Flandrenses, sua nobis relatione monstrarunt, quod ipsi jam pridem abbati monasterii Dervensis XXX. marcas argenti mutuaverunt, quas postmodum, licet exinde mandatum nostrum receperit, ab ab ipso non potuerunt aliquatenus rehabere. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica A scripta mandamus, quatenus cum litteras præsentes receperis prædictum abbatem moneas, & auctoritate nostra districte compellas, ut prædictam pecuniam memoratis mercatoribus sine dilatione restituat, & de hoc quod supererogare tenetur, cum eis ita conveniat, quod iidem mercatores non coganter propter hoc ad nos aliquam querimoniam reportare. Datæ Anagniæ XI. Kalendas Maij.

B EPISTOLA CCCCXLIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus canonicos Compendienses qui monachis molesti erant.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem

Significantibus nobis dilectis filiis nostris abbate & fratribus Compendiensibus, ad C nostram noveris audientiam pervenisse, quod cum ipsi portiones quasdam in grangia de Hortiis, de Borcherra, per X. annos in pace tenuerint, nunc canonici ipsius ecclesiæ eos exinde indebite molestare non cessant, nec volunt grangiam ipsam in eo statu dimittere, in quo fuisse dinoscitur, cum monachi ad ipsam grangiam recepti fuerunt. Quoniam igitur sustinere nolumus, nec debemus, ut prædictus abbas & monachi super hoc vel aliis indebita molestatione graventur, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eumdem D abbatem & monachos super partibus illis non patiaris a præfatis canonicis molestari, sed eosdem monachos partes ipsas, sicut eis a canonicis rationabiliter concessæ fuerunt, in pace facias appellatione postposita possidere. Si vero eumdem abbatem & monachos exinde contra tenorem mandati nostri molestaverint, ipsos a præsumtione sua auctoritate nostra, omni contradictione & appellatione cessante, ecclesiastica districtione compescas. Nihilominus etiam tuæ discretioni mandamus, ut libertates & jura præscripti monasterii & privilegia quæ ab apostolica sede habere dinoscitur, sicut de te confidimus, & tuam prudentiam decet, integra & illæsa conserves, & si quando ab abbate & fratribus ejusdem loci de his qui sunt in provincia tua querelam receperis, ita malefactores eorum ab iniquitate sua studeas coercere, quod exinde tuæ sollicitudinis studium non immerito commendetur, & monasterium ipsum a malignorum incursibus sub tua conservetur defensione securum. Data Anagniæ IV. Kalendas Maij.

EPIST. CCCCXLIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Gratias illi agit, quod sua protectione foveat fratres Compendienses, quos illi commendat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri abbas & fratres Compendienses cum multa gratiarum actione per nuncium suum nobis sollicite retulerunt, quomodo monasterium eorum propensius diligis, & jura ipsius loci attente protegis & conservas, & præfato abbati & fratribus abundanter tuam gratiam exhibes & favorem. Super quo utique prudentiam tuam sollicite in Domino commendantes, & exinde affectioni tuæ uberes gratias exsolventes, fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus, quatinus præscriptum monasterium & abbatem & fratres inibi Domino servientes, sicut bene cœpisti, propensius diligas, & eorum jura integra & illæsa conserves, & ita monasterium ipsum ab indebitis gravaminibus tuearis, quod prædictus abbas & fratres sub patrocinio defensionis tuæ jura sua se gaudeant pacifice possidere, & nos exinde affectioni tuæ uberiores debeamus gratias exhibere. De cetero quia canonici, qui adhuc ibi sunt, antiquum & commune sigillum in sua, sicut accepimus, detineant potestate, prædictus abbas & fratres se timere proponunt, ne de ipso sigillo aliqua faciant scripta bullari, quæ in detrimentum prædicti monasterii convertantur, fraternitati tuæ præsentium auctoritate injungimus, ut præfatis canonicis sub excommunicationis interminatione prohibeas, ne scriptum quod obsit jam dicto monasterio de præscripto sigillo bullare præsumant. Si quod autem scriptum iidem canonici absque assensu & voluntate prædicti abbatis & fratrum super bonis & possessionibus præscripti monasterii sigillo bullaverint, scriptum ipsum auctoritate nostra, appellatione remota, irritum denunties penitus & inane. Data Anagniæ IV. Kalendas Madii.

EPIST. CCCCXLV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut compositionem factam inter Compendienses & Tenolienses fratres illibatum observari curet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa nobis insinuatione abbatis & fratrum Compendiensium auribus nostris innotuit, quod cum abbas & fratres (a) Telonienses quædam nemora ad jus (a) Compendiensis monasterii pertinentia, eis inconsultis & nolentibus, extirpassent, & redegissent ad cultum, tandem in curia tua coram dilectis filiis nostris S. Remigii & S. Crispini abbatibus, & aliis honestis viris, inter eos de assensu partium amicabilis facta est compositio. Quoniam igitur ea quæ sunt amicabili compositione sopita, non debent qualibet præsumtione rescindi, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus præscriptam compositionem, sicut de assensu partium facta est, hinc inde, sublato appellationis remedio, facias inviolabiliter observari, nec alterutram partium contra compositionem ipsam temere venire permittas. Si qua vero partium contra eamdem compositionem venire præsumserit, & commonita non destiterit, eam a præsumtione sua, appellatione remota ecclesiastica districtione compescas. Data Anagniæ IV. Kalendas Madii.

EPIST. CCCCXLVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa inter canonicos sancti Laurentii Belvacensis & episcopum Belvacensem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione canonicorum ecclesiæ S. Laurentii Belvacensis ad aures nostras pervenit, quod venerabilis frater noster Belvacensis episcopus plusquam septem pistores qui solebant molendinum ipsorum frequentare, eis injuste subtraxit, & alibi molere pro voluntate potius quam ratione compellit. Ecclesiam quoque Franci-castelli, quam per donationem prædicti canonici ad se asserunt pertinere, ipsis nihilominus auferre præsumsit. Unde quoniam viris ecclesiasticis apostolicæ sedis auctoritate compellimur sua jura servare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum episcopum moneas propensius & horteris, ut præscriptos pistores in molendino prædictorum canonicorum libere molere, prout consueverunt, permittat, & eisdem canonicis præscriptam ecclesiam quiete pacificeque restituat, vel in præsentia tua plenam sibi exinde justitiam non differat exhibere. Ad hæc quoniam antecessor prædicti episcopi annualia defun-

(a) f. Tenoliensis abbatia, gallice *Tenaille* ordinis Præmonstratensis in diœcesi Laudunensi.

ctorum canonicorum prædictæ ecclesiæ vicariis dicitur abstulisse, nihilominus tibi præsentium auctoritate injungimus, ut eidem episcopo firmiter injungas, quod vel vicariis annualia ipsa restituat, vel sub tuæ discretionis examine justitiæ super hoc plenitudinem non differat exhibere. Data Anagniæ II. Kalendas Maij.

EPIST. CCCCXLVII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Causam H. mulieris de Suune *committit terminandam.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione H. mulieris de *Suune*, ad aures nostras pervenit, quod cum magister G. Laudunensis ei pro A. quondam domina de *Rochenies* pro XVIII. libris fidejussisset, illa decessit, & præfata H. pecuniam suam nondum potuit rehabere. Quia vero indignum & injustum videtur, ut prædicta H. debita debeat pecunia defraudari; fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præfatum G. moneas & compellas, ut prænominatæ Hu. prætaxatam pecuniam sine diminutione persolvat, vel in præsentia tua plenam exinde sibi justitiam non differat exhibere. Tu vero, si potius causam intrare decreverit, eam studiosius audias, & appellatione remota, concordia vel justitia mediante, decidas. Data Anagniæ Kalendis Maij.

EPISTOLA CCCCXLVIII. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro monachis Silvæ-majoris adversus VViscardum & Radulfum de Codiciaco.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significavit nobis dilectus filius noster abbas (a) Majoris-silvæ, quod Wiscardus & Radulfus de Coceio, & quidam alii monachos de Silva super nemoribus & aliis eorum possessionibus multipliciter inquietant, magnasque eis injurias & gravamina inferre non cessant. Quia igitur ex commisso nobis officio ecclesiarum nos convenit indemnitatibus providere, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus prædictos viros & alios quos prædictus abbas vobis nominaverit, moneas instanter, & cum omni diligentia inducas, & si necesse fuerit, per excommunicationem, appellatione remota, compellas, ut prædictum abbatem & monachos super jam dictis nemoribus, & aliis possessionibus suis nullatenus inquietent, sed eis universa ablata cum integritate restituant, & ab eorum gravaminibus penitus conquiescant, vel si aliquid contra eos proponere voluerint, in præsentia tua ordine judiciario experiantur; & tu causam studiosius audias, & appellatione cessante, canonico fine decidas. Porro si de aliis parrochianis tuis prædictus abbas vel monachi tibi querimoniam deposuerint, tu eis de ipsis ita plenam justitiam facias, quod sollicitudinem tuam & zelum in te justitiæ possimus merito commendare. Data Anagniæ IV. nonas Maij.

EPISTOLA CCCCXLIX. HENRICO archiepiscopo & omnibus episcopis & abbatibus per archiepiscopatum Remensem constitutis.

Commendat illis fratres S. Remigii Remensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Remensi archiepiscopo, episcopis & dilectis filiis abbatibus & aliis ecclesiarum prælatis per archiepiscopatum Remensem constitutis, S. & A. B.

Cum oporteat nos ratione injunctæ nobis sollicitudinis pro conservando statu singulorum esse sollicitos, eorum conservationi & tuitioni specialiter debemus intendere, & ipsorum jura integra & illibata servare, qui religioni sunt dediti, & divinis obsequiis artius mancipati. Hac itaque ratione inducti, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ubicumque malefactores dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum S. Remigii Remensis, aut illi qui capitalicia quæ illis debent injuste retinere præsumunt, infra parrochias vestras inventi fuerint, nisi moniti ab illis vestrum quorum parrochiani fuerint, resipiscere voluerint, vel justitiam exhibere, eos excommunicationis vinculo astringatis, eorumque terras interdicto subjiciatis, & sententiam ipsam usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observetis, & faciatis per provincias vestras firmiter observari. Data Anagniæ idus Maij.

(a) Majoris-silvæ abbatia ordinis S. Benedicti in diœcesi Burdigalensi, quæ olim pinguem possidebat cellam haud procul a Codiciaco, seu ut hic loquitur Alexander Coceio *Couci*, quam infestabant VViscardus & Radulfus.

EPISTOLA CCCCL. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Alagrino cive Anagnensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum Paganus & Rainaldus burgenses civitatis tuæ apud nos diutinam moram fecissent, tandem a quodam Anagnino cive fideli nostro, Alagrino nomine, sub fidejussione Galteri presbyteri infirmorum de Spernaco, sedecim libras Provinensis monetæ mutuo receperunt, & tam prædicti burgenses, quam idem presbyter de solutione præscriptæ pecuniæ, sicut ipsi idem coram dilecto filio nostro V. SS. Sergii & Bacchi diacono cardinali recognoverunt, præstiterunt juratoriam cautionem, addentes in juramento, quod a curia nostra non recederent, donec præscripta pecunia esset memorato creditori soluta. Quoniam igitur violato juramento, & pecunia non soluta, ad propria redierunt, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus memoratos burgenses & presbyterum ecclesiastica & etiam temporali districtione, si opus fuerit, appellatione remota, compellas, ut prædicto creditori & nuntio suo, qui ad te cum istis litteris venerit, præscriptam pecuniam & necessarias expensas itineris, infra xv. dies post harum susceptionem, cum integritate persolvant, & apostolica auctoritate decernas, ut litteræ quas a nobis impetrarunt, usque ad solutionem crediti & restaurationem expensarum itineris, nullum debeant habere vigorem. Data Anagniæ xv. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCCLI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Rainoldo terram suam reddi faciat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transinissa quæstione Rainoldi ad audientiam nostram pervenit, quod cum ei Adam de Villari quamdam terram in feodum & hominium jam pridem donasset, & ipse eam longo tempore quiete & pacifice possedisset, prædictus A. eumdem præscripta terra absque ordine judiciario spoliavit, & ea quemdam fratrem suum investire præsumsit. Unde quia universis Dei fidelibus in sua justitia debitores existimus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus super his rei veritatem diligenter inquiras; & si ita esse inveneris, præscriptum A. & fratrem suum auctoritate nostra moneas, ut memorato R. terram ipsam cum fructibus restituant inde perceptis, de damnis & injuriis illatis eidem satisfaciant. Restitutione autem facta, si prædicti fratres de jure confidunt, cum ipso in præsentia tua ordine judiciario experiantur. Tu vero causam audias, & eam, justitia mediante vel amicabili compositione, studeas terminare. Quod si prædicti viri monitis tuis parere contemserint, tu eos excommunicationi, omni occasione & appellatione cessante, auctoritate nostra fretus subjicere non postponas. Data Anagniæ XIV. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCCLII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Contra canonicos Compendienses, qui capellanum in ecclesia S. Clementis invito abbate instituerant.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos ex transmissa conquestione abbatis & fratrum Compendiensis monasterii, quod cum ecclesia S. Clementis ad idem monasterium spectet, mortuo ipsius ecclesiæ capellano, canonici ejusdem ecclesiæ ibidem capellanum contra voluntatem prædicti abbatis & fratrum intrudere præsumserunt, qui contra prohibitionem eorum ex parte nostra factam, & post appellationem in ipsa ecclesia non est veritus divina officia celebrare, cum ad ipsum abbatem spectare dicatur in eadem ecclesia institutio capellani. Quoniam igitur tam gravis & enormis præsumtio non debet incorrecta relinqui, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus utraque parte coram te convocata, super hoc rei veritatem diligenter inquiras, & si tibi constiterit, quod institutio capellani in præscripta ecclesia ad prædictum abbatem pertineat, & præfatus capellanus contra voluntatem suam ibi fuerit institutus, ipsum inde sublato appellationis remedio, apostolica fretus auctoritate, removeas, & tam eum quam prædictos canonicos de hujus temeritatis excessu digne punias & castiges, & eidem abbati instituendi ibi capellanum plenam indulgeas facultatem. Canonicos autem præscriptæ ecclesiæ ad restituenda memorato abbati authentica instrumenta ipsius ecclesiæ, quæ occultasse noscuntur, sublato appellationis remedio, ecclesiastica districtione compellas, eis sub anathematis interminatione præcipiens, ut thesan-

thesaurum vel ornamenta ecclesiæ distrahere aut ab eadem ecclesia alienare nequaquam præsumant; sed ea potius sub conscientia abbatis studeant fideliter conservare, & eidem abbati obedientiam, sicut debent, reverenter impendant. In his autem, prout decet prudentiam tuam, ita pure ac studiose procedas, quod exinde studium tuæ sollicitudinis non immerito commendare possimus. Data Anagniæ XIII. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCCLIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut ecclesiam S. Medardi de Barleus *VV. presbytero curet tradi.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum W. presbyter præsentium lator; & responsalis Roberti presbyteri pro ecclesia S. Medardi de *Barleus*, in nostra essent præsentia constituti, nos rationibus hinc inde diligenter auditis & cognitis, eamdem ecclesiam prædicto W. adjudicavimus, dilectis filiis nostris decano & thesaurario Noviomensis ecclesiæ præcipiendo mandantes, ut eidem W. præscriptam ecclesiam, amoto inde presbytero R. auctoritate nostra, omni contradictione & appellatione cessante, non differant assignare, & fructus interim inde perceptos, si qui sunt apud sequestrum positi, sublato appellationis remedio, ei faciant nihilominus exhiberi. Inde est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus, quod idem decanus & thesaurarius juxta mandatum nostrum inde fecerint, omni occasione & appellatione postposita, facias inviolabiliter observari. Data Anagniæ XII. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCCLIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro G. paupere clerico adversus R. de Thori *canonicum Belvacensem.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiscopo, salutem & apstolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione G. pauperis clerici nobis innotuit, quod Ro. *de Thori* canonicus Belvacensis domum avunculi sui, quæ ad ipsum debet jure successionis devolvi, contra justitiam detinet occupatam. Quoniam igitur nos divitibus & pauperibus in sua recognoscimus justitia debitores, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum R. moneas, & sub excommunicationis districtione compellas, ut præscriptam domum præfato clerico sine molestia & difficultate restituat, & in pace dimittat, aut exinde sibi sub examine tuo, sublato appellationis remedio, justitiæ non differat plenitudinem exhibere. Si vero causam intrare maluerit, tu eam studiosius audias, & sine personarum acceptione, appellatione remota, sicut diximus, debito fine decidas. Data Anagniæ VII. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCCLV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro leprosis de Turribus super Matronam adversus ejusdem loci monachos & presbyterum Evirvinum.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Recepimus querelam leprosorum de Turribus super Marnam, quod monachi (a) ejusdem villæ & presbyter Evirvinus in quosdam eorum, post appellationem ad nos factam, excommunicationis sententiam protulerunt, & tres de fratribus eorum, qui post illam sententiam decesserunt, fecerunt extra cimiterium sepeliri. Quoniam igitur gravamina prædictorum leprosorum non possumus, nec debemus surdis auribus pertransire, cum ita sunt justo Dei judicio flagellati, quod non immerito, præter commune debitum, ipsis adesse compellimur; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus coram te convocatis, super his rei veritatem diligenter inquiras, & si ita tibi constiterit, præscriptam sententiam, appellatione postposita, denunties non tenere, & corpora prædictorum facias infra cimiterium sepeliri, & prædictos monachos & presbyterum tamdiu facias sicut excommunicatos vitari, quamdiu præfati leprosi & fratres eorum occasione præscriptæ sententiæ vitati fuisse noscuntur. Data Anagniæ Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCCLVI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut fratribus Hospitalis Hierosolymitani illata damna resarciri curet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, S. & A. B.

Ex parte dilectorum filiorum nostrorum fratrum Jerosolymitani Hospitalis, qui in Catalaunensi episcopatu morantur, ad no-

(a) Ordinis Cluniacensis.

ſtram noveris audientiam perveniſſe, quod cum Jacobus de Porta-Marnæ, quamdam domum ſuam eiſdem pro animæ ſuæ ſuorumque parentum remedio in eleemoſynam dediſſet, quidam de partibus illis diabolico furore commoti, fratres ipſos de præſcripta domo ejicere præſumſerunt, &. clauſuram circa locum, qui ad prædictam domum pertinet, deſtruxerunt. Adjecerunt etiam quod Lambertus Blundus, & Clarembaldus, & quidam alii domum prædictorum fratrum quæ dicitur *Fraiſnoi*, juxta Cameracum ſitam, armata manu invaſerunt, & exinde XL. oves extraxerunt, de quibus nihil adhuc eiſdem fratribus reddiderunt. Quia vero memoratis fratribus, quos obtentu ſuæ religionis ſinceræ caritatis brachiis amplexamur, jura ſua conſervare tenemur, qui univerſis ex commiſſo nobis officio in ſua juſtitia nos debitores eſſe cognoſcimus; fraternitati tuæ per apoſtololica ſcripta mandamus, quatinus prædictos viros, & ceteros malefactores, quos iidem fratres tibi nominabunt, moneas attentius & inducas, ut eiſdem fratribus ablata univerſa reſtituant, damna data reſarciant, & de illatis injuriis ſatisfactionem exhibeant competentem, & ab eorumdem injuriis & gravaminibus penitus conquieſcant, aut in præſentia tua ſublato appellationis remedio exhibeant juſtitiæ complementum. Quod ſi ad commonitionem tuam nihil horum fecerint, eos, appellatione & occaſione ceſſante, ſententia excommunicationis aſtringas, quam ſine ſatisfactione congrua non relaxes. Data Anagniæ III. nonas Junii.

EPISTOLA CCCCLVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut G. diacono aliquod beneficium largiatur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Licet de univerſorum proviſione debeamus eſſe ſolliciti, illos tamen benigniori oculo nos convenit reſpicere, & eis utiliter providere, qui cum ad ſacros ordines ſint promoti, nullum in eccleſia Dei locum aut beneficium obtinent, ne ſi turpiter egere cœperint; cum ipſis honeſtas ordinis vileſcere videatur. Inde eſt quod G. latorem præſentium, qui a bonæ memoriæ S. prædeceſſore tuo quondam fuit ordinatus in diaconum, & nullum eccleſiaſticum habet beneficium, fraternitati tuæ duximus attentius commendandum, rogantes atque mandantes, quatinus divini amoris intuitu, & pro reverentia B. Petri & noſtra, necnon ex officii tui debito, ei aliquo beneficio, unde poſſit neceſſaria vitæ percipere, ſtudeas liberaliter providere, ut ex hoc ab omnipotenti Deo debeas indeficiens præmium recipere, & idem G. apud te gratum ſuſtentationis ſuæ ſubſidium ſe gaudeat inveniſſe. Data Anagniæ II. nonas Junii.

EPISTOLA CCCCLVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut G. presbytero eccleſiam Villæ-Senioris reſtituat.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Rediens ad nos J. pauper preſbyter præſentium lator, qualiter in cauſa ſua ſuper eccleſia Villæ-Senioris proceſſum fuiſſet, ad memoriam noſtram reduxit, aſſerens quod cum repræſentatio capellani ad ipſam eccleſiam ad abbatem S. (a) Salvatoris pertineat, per priorem ſuum venerabili fratri noſtro Catalaunenſi epiſcopo repræſentatus fuit, & ab eodem epiſcopo curam animarum recepit. Cum autem Willelmus clericus jam dictum preſbyterum favore memorati abbatis ſuper eadem eccleſia moleſtaret, idem preſbyter ad nos veniens, ad te noſtras litteras impetravit, in quibus tibi mandatum dedimus, ut ſi tibi conſtaret, ipſum a præfato epiſcopo ad repræſentationem præfati prioris de præſcripta eccleſia inveſtitum fuiſſe, eccleſiam ipſam eum in pace faceres poſſidere. Poſtmodum vero a te jam dictus epiſcopus requiſitus aſſeruit, quod prædicto priore eumdem preſbyterum præſentante, habita prius licentia abbatis ſui, aſſerentis ſe ratum habere, quod idem prior exinde faceret, ipſum ad eccleſiam jam dictam recepit, & ei curam animarum commiſit. Unde tum propter aſſertionem ejuſdem epiſcopi, tum propter depoſitiones teſtium, qui ſuper hoc tibi repræſentati fuerunt, eidem preſbytero præſcriptam eccleſiam pacifice dimiſiſti. Poſt multum vero temporis idem Willelmus ad præſentiam noſtram accedens, ad te litteras noſtras obtinuit, quarum occaſione prædictus preſbyter iterum fuit tractus in cauſam, & cum memoratus abbas & prior diffiterentur ſe prædictum preſbyterum præſentaſſe, tu eum propter eorum aſſertionem præſcripta eccleſia ſpoliaſti, & eumdem G. exinde inveſtiſti. Quoniam igitur non eſt major fides adhibenda abbati & priori quam epiſcopo, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi pro ſola aſſertione memorati abbatis & prioris, teſtibus ſuper hoc non receptis, nec juratis, prædictum preſ-

(a) S. Salvatoris extra civitatem Virtuenſem monaſterium eſt ordinis S. Benedicti in diœceſi Catalaunenſi.

byterum eadem ecclesia spoliasti, ecclesiam ipsam ei, appellatione cessante, restituas, & si prænominatus G. plures præbendas & ecclesias habet, eumdem presbyterum ab ejus impetitione prorsus absolvas, & eum facias præscriptam ecclesiam pacifice possidere. Data II. nonas Junii.

EPISTOLA CCCCLIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro monasterio S. Medardi adversus canonicos S. Gervasii.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri abbas & fratres ecclesiæ S. Medardi, transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod dilecti filii nostri canonici ecclesiæ S. (a) Gervasii de-
(d) cimas eorum, quas ab antiquo præfata ecclesia noscitur possedisse, injuste & per violentiam illis auferre præsumunt. Quoniam igitur officio nostro incumbit, omnium ecclesiarum jura, & earum præcipue, quæ ad provisionem sedis apostolicæ noscuntur specialiter pertinere, sollicitius conservare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus, si ita est, præfatos canonicos instanter moneas, & districtius cogas, ut prælibatis abbati & fratribus præscriptas decimas restituere non postponant, & postmodum, si in ipsis decimis se aliquid juris habere confidunt, in præsentia vestra ordine judiciario experiantur, & tu causam audias, & remota appellatione, debito fine decidas. Data Anagniæ XVI. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCCCLX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Adversus comitem Registestensem, qui fratres de Jungeriaco infestabat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad audientiam nostram ex parte dilectorum filiorum nostrorum abbatis & fratrum S. Medardi Suessionensis, quod nobilis vir comes Registetensis & nepotes ejus in homines eorum de *Jungeri* indebitas exactiones exercent, & eos jugiter molestare præsumunt, quos etiam capere atque ad redemtionem cogere non verentur. Quia vero ex nostri officii debito viris ecclesiasticis jura sua conservare tenemur, & eos ab injuriis malignantium propensius defensare; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictum comitem & filios ejus moneas & inducas, ut præfatis hominibus ablata universa restituant, & eos de cetero nullatenus molestare præsumant, vel in præsentia tua infra viginti dies post harum susceptionem, appellatione remota, exhibeant justitiæ complementum. Quod si monitis tuis parere contemserint; eos usque ad ablatorum restitutionem & dignam satisfactionem, appellatione cessante, vinculo excommunicationis astringas. Data Anagniæ XVI. Kalendas Junii.

(a) Id est ecclesiæ Cathedralis Suessionensis, quæ SS. martyribus Gervasio & Protasio sacra est.

EPISTOLA CCCCLXI. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut obligatam pignori terram Phy. de Petra-fonte reddi faciat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte Phy. de Petra-fonte ad aures nostras est querela perlata, quod licet Petrus miles Compendiensis de fructibus cujusdam terræ, quam Phy. ei pignori obligaverat, sortem suam ultra, deductis expensis, receperit, nihilominus tamen terram ipsam detinet occupatam. Quoniam igitur eradicanda sunt vitia, quæ periculum pariunt animarum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus utraque parte coram te convocata, super hoc rei veritatem diligenter inquiras, & si tibi constiterit prædictum Petrum de fructibus præscriptæ terræ sortem suam recepisse, ipsum moneas & appellatione remota, sub excommunicationis districtione compellas, ut eamdem terram præfato Phy. sine dilatione qualibet & exactione restituat, & in pace & quiete dimittat. Data Anagniæ XV. Kalendas Junii.

EPISTOLA CCCCLXII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut Ernaldum, qui volentas in B. canonicum Laudunensem manus intulerat, excommunicatum denunciet.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex relatione dilecti filii B. canonici Laudunensis, ad aures nostras pervenit, quod Ernaldus diabolico furore succensus, violentas in eum manus injecit, & cum propter hoc suo stare mandato jurasset, id efficere

postea recusavit. Unde quia tantæ præsumtionis excessum non possumus, nec debemus impunitum relinquere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, prædictum E. publice, accensis candelis, appellatione remota, excommunicatum denuncies, & ab omnibus facias cautius evitari, donec memorato B. de illatis injuriis congrue satisfaciat, & cum litteris tuis apostolico se conspectui repræsentet. Data Anagniæ xv. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCCCLXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Johanne clerico & Radulfo ejus fratre adversus Lambertum fratrem ipsius.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Venientes ad nos Johannes clericus & Radulfus frater ejus latores præsentium adversus Lambertum fratrem suum in audientia nostra deposuere querelam, asserentes quod idem L. eos super quadam domo infra claustrum Catalaunensis ecclesiæ posita, & rebus mobilibus super quadam summa pecuniæ irrationabiliter molestare præsumit. Adjecerunt insuper quod idem L. portionem hereditatis quæ ipsos paterno & materno jure contingit, & quamdam vineam ad eos pertinentem per violentiam detinet occupatam. Quoniam igitur, qui ex susceptæ servitutis ministerio tenemur omnibus in suo jure diligenter adesse, ecclesiasticis viris specialius cogimur in suis justitiis providere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatum L. studiose moneas, & ecclesiastica censura compellas, ablata omnia cum fructibus inde perceptis, memoratis fratribus suis sine molestia restituere, aut ipsis exinde coram te, sublato appellationis remedio, sufficientem & plenam justitiam exhibere. Nihilominus etiam eumdem L. monere cures, & ecclesiastica districtione compelle, ut a molestiis prædictorum fratrum suorum super jam dicta domo & rebus mobilibus, & super summa pecuniæ omnino desistat, aut si de jure confidit, coram te cum eis ordine judiciario, appellatione remota, experiatur. Data Anagniæ xiv. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCCCLXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro Johanne clerico & Rad. ejus fratre quos injuste excommunicaverat episcopus Catalaunensis.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquerentibus nobis Johanne clerico & Rad. fratre suo, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod licet a præsentia venerabilis fratris nostri Catalaunensis episcopi ad nostram audientiam appellassent, idem tamen episcopus appellationi non deferens, eos auctoritate nostra excommunicatos denuntiavit, & præcepit pro excommunicatis haberi, cum ipse nostras litteras non haberet, quibus eadem auctoritas sibi fuisset indulta. Licet autem, si res ita se habet, eadem sententia non potuisset eos astringere, ipsos tamen quia res erat nobis incognita, ab ipsa sententia absolvi fecimus, tuæ fraternitati mandantes, quatenus eos, appellatione remota, absolutos denuncies, & facias pro absolutis haberi, & si tibi constiterit, præfatum episcopum in hoc contra appellationem venisse, ipsum auctoritate nostra & tua, omni contradictione & appellatione remota, compellas, eis expensas necessarias, quas ad nos veniendo, morando vel redeundo fecerunt, in integrum restituere, & veritatem inde nobis significes, ut præsumtionem ejus alias, auctore Domino, punire possimus. Data Anagniæ xii. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCCCLXV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De contentione inter Lessienses & Malbodienses super villa Anor *ecclesia.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Relatum est auribus nostris, quod cum olim quædam ecclesia & villa *Anor* nomine in confinio prædiorum (*a*) Lissiensis & (*a*) Malbodiensis monasteriorum fuerit de novo constructa; de præscripta ecclesia quæstio mota est inter eadem monasteria, cui videlicet monasteriorum ipsorum deberet esse subjecta. Cum autem quæstio coram diœcesano episcopo tractata fuisset, & ab eo hoc

(*a*) Lissiensis sive Letiensis ecclesia est insignis abbatia ordinis S. Benedicti in diœcesi Cameracensi, cui præfuit Ludovicus Blosius scriptis & piis moribus præclarus.

modo deciſa, ut in cujus prædio poſt divi- A
ſionem terminorum eadem eccleſia inveni-
retur, ei perpetuo ſubjaceret: poſt diviſio-
nem terminorum, inventa eſt in allodio
Malbodienſis monaſterii; ſed abbas Liſſien-
ſis eccleſiam ipſam, ſicut judicatum fuerat
dimittere noluit, immo eam contra juſti-
tiam detinere contendit. Quoniam igitur
non decet viros religioſos inferre cuilibet
quod nollent ab alio ſuſtinere, fraternitati
tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, qua-
tenus utraque parte coram te convocata,
ſuper his rei veritatem diligenter inquiras,
& ſi ita tibi conſtiterit, præfatum abbatem B
moneas & eccleſiaſtica diſtrictione compel-
las, ut præſcriptam eccleſiam Malbodienſi
monaſterio, contradictione & appellatione
ceſſante, reſtituat, & in pace dimittat, non
obſtantibus litteris confirmationis noſtræ,
ſi quas prædictus abbas de ipſa eccleſia noſ-
citur impetraſſe, niſi ſententia præfati epiſ-
copi fuiſſet per appellationem ſuſpenſa. Si
vero per appellationem ſuſpenſa fuit, nec
infra biennium pars quæ appellavit appel-
tionem interpoſitam eſt perſecuta, nihilo-
minus ſententiam ipſam, appellatione ceſ-
ſante, facias executioni mandari. Data C
Anagniæ IX. Kalendas Julii.

EPISTOLA CCCCLXVI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro G. canonico Laudunenſi.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Relatum eſt auribus noſtris, quod cum D
in eccleſia Laudunenſi certæ portiones ejuſ-
dem eccleſiæ canonicis aſſignarentur, unde
præbendas ſuas perciperent; tamdem capi-
tulum ejuſdem eccleſiæ tribus ex canonicis
in villa, quæ dicitur *Tavaux*, de majori &
minori decima & de reditu molendini præ-
bendas conceſſit & aſſignavit, retinens ſibi
collectas cenſus domorum, capitalia, fur-
num & quoddam nemus ejuſdem villæ pro-
pinquum, quæ alicui canonicorum per
quinquennium conſueverunt ſub certa pen-
ſione conferri: ita quidem, ut qui ea de aſ-
ſenſu capituli poſſideret, in his plenariam
ſicut capitulum poteſtatem haberet, & li- E
ceret ei nemus vendere ſuperficietenus,
unde partem ſolveret debitæ penſionis.
Cum autem hoc anno G. canonico præ-
ſcriptæ eccleſiæ quæ ſupra diximus juxta
conſuetudinem præſcriptæ eccleſiæ aſſi-
gnata fuiſſent, pars quædam nemoris ſu-
pradicti extirpata fuerat, & in arabilem ter-
ram reducta, de qua ſiquidem terra præfati
tres canonici ultra portiones ſibi aſſignatas
decimam & terragium exigere non veren-
tur. Inde eſt, quod fraternitati tuæ per apo-
ſtolica ſcripta mandamus, quatinus illos tres
canonicos ab exactione præſcriptæ decimæ
& terragii ultra portiones ſibi aſſignatas,
quantotius revoces, & ſi quid memorato
G. inde ſubtraxerunt, id ſibi reſtitui facias,
aut ſi de jure confidunt, cauſam audias, &
appellatione remota, concordia vel juſtitia
mediante decidas. Data Anagniæ VII. Ka-
lendas Julii.

EPISTOLA CCCCLXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro fratribus S. Nicaſii adverſus monachos Elantii.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilecti filii noſtri abbas & fratres *(a)* S. (a)
Nicaſii, tranſmiſſis nobis litteris, intima-
runt, quod cum fratres de *(b)* *Eſſans* quam- (b)
dam curtem eorum, quæ *Singlis* dicitur, ab
eis ſub annua penſione duorum modiorum
frumenti, ipſis in feſto S. Remigii ad Re-
menſem menſuram perſolvendorum, cum
ædificiis & aliis appenditiis ſuis recepiſſent,
& pactio exinde facta mutuis chirographis
cum aſſenſu utriuſque capituli, & tuo etiam
fuiſſet privilegio roborata: prædicti fratres
præſcriptam penſionem ſeptem annis con-
tinuis quiete & pacifice perſolventes, eam
a quatuor annis retro ſolvere deſtiterunt.
Unde quoniam non decet viros eccleſiaſti-
cos alicui propriæ voluntatis arbitrio ſub-
trahere, quod ſe cognoſcunt illi debere,
fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta man-
damus, quatinus prædictos fratres moneas,
& diſtricte compellas, ut ſubtractam pen-
ſionem memorato abbati & fratribus inte-
gre, & ſine aliqua moleſtia & difficultate
reſtituant, & de cetero præſcriptam pactio-
nem firmiter & inconcuſſe obſervent, vel
in præſentia tua plenam exinde ſibi juſti-
tiam, contradictione & appellatione remo-
ta, exhibeant. Verum ſi potius cauſam in-
trare decreverint, partibus ante tuam præ-
ſentiam convocatis, eam ſtudioſius audias,
& concordia vel mediante juſtitia, appella-
tione remota, decidas. Data Anagniæ VIII.
idus Julii.

(a) S. Nicaſii haud ignobile cœnobium ordinis S. Benedicti in civitate Remenſi a Gervaſio archiepiſcopo fundatum.

(b) Elantium monaſterium ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Remenſi, in quo S. Rogerus abbas clarus miraculis habetur.

EPIST. CCCCLXVIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De causa inter vicedominum de Pinconio & abbatem Aquicinctensem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte vicedomini de Pinconio ad aures nostras pervenit, quod cum ipse abbatem Aquicinctensem super quibusdam possessionibus, quas illicite sibi detinere dicitur, coram venerabili fratre nostro Ambianensi episcopo traxisset in causam, idem abbas ad nostram audientiam appellavit, sed altera parte per suum nuntium veniente, ipse nec venit nec per se responsalem transmisit. Confidentes itaque de prudentia & honestate tua, causam ipsam tuæ sollicitæ discretioni committimus, præsentium tibi auctoritate mandantes, quatenus utraque parte coram te convocata, præscriptam causam diligentius audias, & eam, sublato appellationis remedio, concordia vel justitia mediante, decidas. Si vero prædictus abbas citatus ad præsentiam tuam accedere vel judicio tuo parere contemserit, tu prædictum vicedominum in possessionem eorum de quibus controversia vertitur, appellatione cessante, inducere non postponas, ut sic prædictus abbas affectus tædio justitiæ stare cogatur. Data Anagniæ v idus Julii.

EPISTOLA CCCCLXIX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut infirmis de Mellento curet benedici cimiterium.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Significaverunt nobis infirmi fratres de Mellento, quod cimiterium non habent, ubi corpora sua possint tradere sepulturæ, rogantes nos humiliter & devote, ut pro eorum cimiterio benedicendo devotioni tuæ preces porrigeremus. Quia vero decet nos eorumdem tribulationibus & angustiis compati, ne humano auxilio destituantur, qui continuis doloribus affliguntur, fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus attentius & mandamus quatinus divini amoris intuitu, & pro reverentia B. Petri & nostra, cimiterium ad opus prædictorum infirmorum & familiæ suæ tantum, a quolibet de suffraganeis tuis facias benedici: ita quod iidem fratres propter hoc non cogantur per se vel per suum nuntium ad nostram præsentiam laborare. Data Anagniæ xv. Kal. Aug.

EPISTOLA CCCCLXX. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut studeat componere pacem inter Ludovicum Francorum & Henricum Anglorum reges.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri H. Remensi archiepiscopo, S. & A. B.

Cum de discordia & decertatione quæ inter carissimum in Christo filium nostrum L. illustrem Francorum & HENRICUM Anglorum reges, & filios ejusdem regis Anglorum instinctu diabolicæ fraudis emerserit, toti Christianitati & præsertim orientali terræ gravissima videamus pericula imminere, & nisi fuerit celeriter Domino faciente sopita, timeamus, quod avertat Dominus, graviora, nos ad reformationem pacis inter eosdem reges pro nostri officii debito volumus diligenter intendere, & ad hoc idem eos sollicitis monitis & exhortationibus invitare. Nosti siquidem, & omnia regna mundi noverunt, quomodo illa orientalis terra viribus & laboribus fidelium Christi, qui de Francorum & Anglorum regnis illuc accesserunt, fuerit a paganorum spurcitia liberata, & hactenus ab eorum incursibus per Dei gratiam conservata, & nisi prædicta dissensio celeriter sopiatur, timemus admodum, sicut possumus de ratione timere, ne contra fideles Christi infidelium audacia crescat, & juxta pravum suæ iniquitatis propositum, in ignominiam Christiani nominis illam terram sanctam, illam utique ad quam tuendam & conservandam succingi debet omnium Christianorum devotio, præsumant invadere, cum undique ab inimicis Christi obsessa sit, & anno præterito bis ab eis decursa fuerit, & sicut audisse te credimus combusta, & in locis pluribus devastata. Nos itaque, non solum ista, sed alia plura pericula, juxta officii nostri debitum prævidentes, & cogitantes quomodo occasione prædictæ discordiæ, religionis ordo in eorum regnis & alibi perit, & vigor ecclesiasticæ disciplinæ, & ecclesiarum status dissolutus & est turbatus, venerabilibus fratribus nostris Tarentasiensi (a) archiepiscopo, Claromontensi (b) episcopo, &

(a) Is erat magnus ille S. Petrus, ex abbate Stamedii creatus archiepiscopus Tarentasiensis, qui sua prudentia etiam Alexandro papæ reconciliavit Fridericum imperatorem, ut constat ex epistolis quæ ad calcem vitæ ejus vidimus in ms. Hardenhousino, extantque apud Bollandum.

(b) Pontio, qui ante episcopatum erat abbas Claravallis, nec parum laboravit in reconciliando Friderico imperatore legitimo pontifici, uti videre est in epistola Frederici, quam ipsi edidimus in Anecdotorum tom. 1.

dilectis filiis Cistercienſi (a) abbati, & priori Carthuſienſi & fratri G. magiſtro domus militiæ Templi de partibus Ciſmarinis dedimus in mandatis, ut ipſi omnes, vel aliqui eorum, te & venerabili fratre noſtro W. Senonenſi archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſibi adhibitis, præſcriptam diſcordiam ad bonum pacis cum auxilio cœleſtis gratiæ reducere ſatagant, & inter ſupradictos reges firmam pacem & concordiam ſtabilire. Quoniam igitur te ſicut virum providum & honeſtum novimus pacem diligere, & ad eam te credimus velle ſummopere laborare, ne maxime catholicæ unitatis vinculum reſcindatur, ad quam conſervandam te ſcimus eſſe ſollicitum & omnibus circumſpectum, fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta monemus attentius & mandamus, quatenus cum perſonis religioſis omnibus, vel aliquibus, quas prædiximus, ad reformationem pacis ſollicite ac prudenter intendas, & apud præfatum regem Francorum & barones ejus partes tuas divino intuitu, & tuæ ſalutis obtentu, ita efficaciter interponas, quod per ſtudium & ſollicitudinem tuam & eorum quos prædiximus, prædicta diſcordia ad bonum pacis, cooperante Domino, reducatur, & tu exinde apud Altiſſimum ſempiternæ mercedis fructum valeas adipiſci, & apud homines copioſæ laudis gloriam obtinere. Nihil utique poſſes efficere, in quo tibi major honor proveniret & gloria, & copioſior fructus mercedis æternæ, quam ſi ad reformandam pacem inter eoſdem reges ſollicitudinem adhibueris & opetam efficacem. Reſcriptum autem litterarum, quas ſuper hoc eidem regi Francorum dirigimus, tibi & præfato Senonenſi inſpiciendum mittimus, ut ſi videritis expedire, eas ipſi regi faciatis præſentari, alioquin eas retineatis. Data Anagniæ v. Kalendas Septembris.

(a) Alexandro qui anno 1174. una cum Petro Tarenſatienſi, Henricum regem cum filiis reconciliavit.

EPISTOLA CCCCLXXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Quamdam cauſam ei committit terminandam.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex tranſmiſſa conqueſtione F. Remenſis civis nobis innotuit, quod S. Burgenſis S. Remigii cum ſuper quadam domo, quam ſibi quatuor libris & duodecim ſolidis vendidit, graviter moleſtare non ceſſat, licet in venditione ſibi fide data promiſerit, quod nullam eidem F. per ſe vel per alios ſuper præſcripta domo moleſtiam vel gravamen A inferret, & ei hac occaſione damna plurima & gravamina irrogavit. Quia vero periculoſum eſt cuilibet ac ſaluti contrarium fidem præſtitam violare, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus partibus ante tuam præſentiam convocatis, rei veritatem diligenter inquiras, & ſi tibi ita eſſe conſtiterit, prædictum S. ſollicite moneas, & ſi neceſſe fuerit, appellatione remota eccleſiaſtica diſtrictione compellas, ut memorato F. ſuper præſcripta domo nullam moleſtiam de cetero inferat, vel gravamen: ſed ipſum eam ſicut fide data promiſit, pacifice poſſidere permittat, ac de damnis datis occaſione præſcriptæ domus reſtaurationem ſibi faciat competentem, aut exinde ſecum pacifice amicabiliterque conveniat, vel in præſentia tua, ſublato appellationis remedio, exhibeat juſtitiæ complementum. Data Anagniæ II. Kalendas Septembris.

EPIST. CCCCLXXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut totis viribus ſtudeat impedire matrimonium inter filium regis Franciæ & filiam Frederici imperatoris.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum de contrahendo matrimonio inter filium cariſſimi in Chriſto filii noſtri L. illuſtris Francorum regis, & filiam illius F. dicti imperatoris, verbum jam diu ſopitum, ſicut audivimus, ſuſcitetur, quia ex hoc nobis & eccleſiæ, necnon etiam Francorum regno ſcandala timemus & pericula proventura, prudentiam tuam omnimodis ſollicitam reddimus & attentam, quaſi pro certo tenentes, quod id ſine conſilio tuo & venerabilis fratris noſtri W. Senonenſis archiepiſcopi apoſtolicæ ſedis legati non poterit conſummari. Unde quia de te ſpeciali prærogativa confidimus, & memoratum regem novimus promto animo tuis conſiliis & monitis adquieſcere, fraternitatem tuam per apoſtolica ſcripta monemus attentius & mandamus, quatenus ſtudioſe conſiderans & attendens, quomodo in hoc tua res agatur, ita labores efficere, ut vel jam dictum negotium revocetur, aut ſi revocari non poterit, taliter provideatur, quod eccleſia Dei nullum exinde incommodum ſuſtineat vel jacturam, & tua ſollicitudo & vigilantia poſſit non immerito commendari. Illud autem te præfato regi volumus efficaciter ſuadere, ut contra inimicos ſuos de cœlo quærat auxilium, non ab homine: quia divinum auxilium omnino fructuoſum & efficax, ſed humanum multotiens ineffi-

cax invenitur, & ita super his sollicitus & A studiosus existas, quod sermo tuus in operis efficacia comprobetur, & ecclesia Dei in hoc sicut in aliis de studio & sollicitudine tua levamen sentiat & augmentum. Data Anagniæ VIII. idus Septembris.

EPIST. CCCCLXXIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Ut G. episcopus Catalaunensis Horricum admittat ad ecclesiam S. Juliani de Helissia.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Decet nos provisioni ecclesiarum diligenter intendere, & alios ecclesiarum prælatos ad hoc idem sollicitis monitis & exhortationibus invitare. Relatum est siquidem auribus nostris, quod cum dilectus filius noster abbas Maurimontensis intuitu Dei & amore inductus, Horricum clericum fratri nostro G. Catalaunensi episcopo ad ecclesiam S. Juliani de Helissia præsentasset, episcopus ipsum recipere recusavit, non aliam causam prætendens, nisi quia idem Horricus non erat in sacerdotis officio constitutus. Unde quoniam non est conveniens, ut provisio clericorum pro tali causa impediatur, qui ecclesiastico sunt beneficio destituti, præsertim cum postquam ecclesias adepti fuerint, ad sacerdotii gradum velint & valeant provehi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfato episcopo per litteras tuas ex parte nostra & tua injungas, ut præfatum Horricum nisi manifesta & rationabilis causa D præpediat, ad prælibatam ecclesiam, occasione & appellatione remota, restituat, & ei curam animarum committat, si modo eidem ecclesiæ in persona propria deservitus velit & possit infra congruum tempus in presbyterum promoveri. Data Anagniæ IV. Septembris.

EPIST. CCCCLXXIV. HENRICO Remensi archiepiscopo.

Pro H. thesaurario Autissiodorensi. E

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster H. Autissiodorensis ecclesiæ thesaurarius præsentium lator, ad nos accedens, sua nobis assertione propofuit, quod cum quidam de servis patris sui a terra ipsius aliena loca inhabitanda con- figissent, idem pater suus ei servos illos concessit habendos, unde a nobis suppliciter postulavit, ut ad justitiam suam de illis obtinendam, ei apostolicæ sedis deberemus suffragium exhibere. Quia igitur, quantum in nobis est, nullatenus sustinere debemus, ut idem thesaurarius suo jure fraudetur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si prædictos servos alicubi infra tuam diœcesim morari cognoveris, ipsos moneas & appellatione remota districte compellas, ut ad prælibatum thesaurarium accedentes, ei tamquam Domino suo debitum servitium exhibeant, aut sub examine B tuo justiciæ faciant complementum, & tu causam audias, & eam justitia mediante decidas. Verum si prædicti servi legitime citati ad præsentiam tuam accedere, vel judicio tuo parere noluerint, tu eos & illos pariter qui ipsos contra mandatum tuum fovere præsumserint, excommunicationi subjicias, & per totam diœcesim tuam facias sicut excommunicatos cautius evitari. Data Anagniæ VII. Kalendas Novembris.

EPISTOLA CCCCLXXV. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro abbate Maricolensi adversus Villelmum Castellanum de S. Audomaro.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione abbatis monasterii de Maricolis nobis innotuit, quod nobilis vir Willelmus Castellanus de S. Audomaro quasdam decimas & terragia ad præscriptum monasterium pertinentia violenter auferre præsumit. Quia igitur ad nostrum spectat officium, jura præscripti monasterii conservare pariter & tueri; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus eumdem W. sollicite moneas, & si necesse fuerit, appellatione remota, ecclesiastica districtione compellas, ut ablatas decimas & terragia vel eorum æstimationem absque diminutione præscripto monasterio restituat, & de percipiendis nullam ei de cetero molestiam inferat vel gravamen, aut in præsentia tua infra XL. dies post hatum susceptionem, sublato appellationis remedio justitiæ faciat complementum. Data Anagniæ XIV. Kalendas Decembris.

EPISTOLA

EPIST. CCCCLXXVI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro magiſtro Radulfo.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significante nobis magiſtro Radulfo accepimus, quod cum cauſa inter ipſum & Johannem de Novis-ædibus ſuper xxx. lib. Remenſis monetæ in curia tua agitata diutius fuiſſet, & eidem R. prætaxata pecuniæ reſtitutio adjudicata, prænominatus Johannes a curia tua contumaciter recedens, juris æquitati parere contemſit. Unde in eum tamquam in contumacem excommunicationis ſententiam promulgaſti. Nos igitur ſententiam ipſam, ſicut rationabiliter lata eſt, ratam & firmam habentes, eam uſque ad dignam ſatisfactionem præcipimus inviolabiliter obſervari. Data Anagniæ II. Kalendas Decembris.

EPIST. CCCCLXXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis ejus.

De neceſſitatibus eccleſiæ Orientalis, & ut paci intendant inter Ludovicum Franciæ & Henricum Angliæ reges.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Remenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis ejus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Non ſine gravi dolore & mœſtitia cordis audimus, terram illam ſanctam in qua ſteterunt pedes Domini, extremis periculis ſubjici, & contra eam nefariam paganorum gentem exſecrabilis robore virtutis armari, cum tanta ſit illius gentis multitudo atque potentia, quod niſi ille apud quem non eſt differentia in multis vincere vel in paucis, eidem terræ ſubvenerit, timendum eſt nobis & univerſitati fidelium, ne ſanctuarium Dei paganorum, quod abſit, direptionibus exponatur, & ibidem periclitetur fides Chriſtiani nominis, ad quam tuendam & conſervandam eccleſiarum prælati vigiles debent exiſtere, & patrochianos ſuos ferventius animare, ut ſicut potentia regum & principum & aliorum fidelium Chriſti non ſine multa effuſione ſanguinis erepta eſt terra illa de manibus impiorum: ita etiam eorum viribus & labore ab ipſorum impetu illæſa poſſit cooperante Domino conſervari, prout eſt hactenus per Dei miſericordiam conſervata. Sane ut iſta gens nefaria valeat exſequi, quod in corde nequiter conceperunt, facti ſunt unanimes & concordes, qui ante hac videbantur ab invicem diſſentire, & uſque adeo furor eorum & iniquitas crevit, quod ab una parte Ægyptii & Turci, & ab altera Perſæ & Medi in confuſionem fidelium & interitum convenerunt, & hoc anno per duorum menſium ſpatium devaſtationi ejuſdem terræ cum campeſtri exercitu intrepidi inſtiterunt, qui olim forticudinem fidelium illuc de Ultramontanis partibus venientium in propriis finibus formidare ſolebant. Illud eſt ſiquidem quod eidem nefariæ genti inter cetera præſtat ad hoc præſumendum, audaciam, vigorem, quia ubique fere inter Chriſtianos reges & principes guerra mota eſt & contentio, & ſic peccatis noſtris exigentibus factum eſt, ut ſe interimant mutua clade bellorum, qui olim, conſueverant nationes paganas & exteras debellare. Licet autem bella, quæ inter alios principes Chriſtianos geruntur, inimicos crucis Chriſti in his quæ conceperunt audaces faciant, illa tamen guerra quæ inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros L. Francorum, & Henricum Anglorum illuſtres reges hoſtiliter exercetur, eos fortes reddit amplius & audaces, cum videant eos mutuis bellis & contentionibus detineri, quorum viribus ſe fugatos ſæpe recolunt & contritos. Quoniam igitur eiſdem regibus & Chriſtianitati plurimum expedit, ut ipſi inter ſe pacem habeant, cum de ipſorum guerra uterque gravia damna noſcatur & pericula ſuſtinere, & Orientalis eccleſia duris paganorum afflictionibus fatigetur. Nos attendentes, quomodo nobis ex miniſterio ſuſceptæ ſervitutis immineat paci & concordiæ intendere ſingulorum, & præſcriptæ terræ imminentibus ſibi periculis paſtorali ſollicitudine providere: conſiderantes etiam qualiter veſtra & univerſorum eccleſiaſticorum virorum interſit, ſuper his nobiſcum pariter diligentem operam adhibere; prudentiam veſtram ad hæc tanto confidentius invitamus, quanto vos ſcimus in his magis eſſe ſollicitos, quæ ad honorem Dei ac commune Chriſtianitatis pertineant incrementum. Inde eſt quod fraternitatem veſtram monemus attentius & mandamus, quatenus reformationi pacis inter utrumque regem diligentius intendentes, eumdem regem Francorum fratrem tuum, frater archiepiſcope, ſollicite moneatis, & inducere laboretis, ut ad habendam pacem cum præfato rege Anglorum animum ſuum, quantum ſalvo honore ſuo fieri poterit, clementer inclinet, & orientali terræ per potentiam regni ſui celeri virtute ſuccurrat. Homines quoque qui ſunt de provincia veveſtra propenſius animetis, ut ſecundum exhortationem venerabilis fratris noſtri Liddenſis epiſcopi, & dilecti filii ſubprioris dominici ſepulcri religioſorum & honeſtorum virorum, qui propter hoc ad Ultramon-

tanas partes legatione funguntur, defensioni ejusdem terræ fideliter & diligenter intendant, & clero & populo ipsius terræ celeriter succurrere non postponant : ita quod tam vos, quam ipsi propter hoc immarcessibilem coronam possitis, largiente Domino, promereri, & eadem terra fidelium adjuta præsidio infidelium violentiis non succumbat. Data Anagniæ x. Kalendas Januarii.

EPISTOLA CCCCLXXVIII. REGIS Hierosolymorum H. Remensi archiepiscopo.

Ut studeat componere pacem inter regem Anglorum & ejus filios.

PEr Dei gratiam Jerosolymorum rex, H. venerabili per eamdem archiepiscopo Remensi, viro nobilitate præclarissimo, salutem cum sinceræ caritatis affectu.

Quoniam sapienti paucis verbis sat dicitur : idcirco quantum ad præsens negotium prudentiæ vestræ sufficere credimus, tantillum eruditionis JESU-CHRISTI dictum : *Beati pacifici.* Ut autem hujusmodi beatitudinis participes efficiamini, omnibus quibus poteritis modis hoc agere in Domino, princeps potentissime, studeatis, ut pax inter Dominum regem Anglorum & filios suos quantocius reformetur ; alioquin sacrosancta humanitatis Christi vestigia, cultu Christiano sibi debito, nostris requirentibus meritis, in proximo desolabuntur. Ex hac enim dissentione eis æque sicut & nobis nota, inimici crucis Christi & nostri ausu confidentiore, robore validiore concepto, protervius in nos & in regnum Jerusalem debacchantur, mutuo loquentes, non est qui subveniat, non est qui de manibus nostris eripiat, venite, occidamus hæredem, & habebimus, hæreditatem ejus. Sed dominus rex Anglorum nuper per scripta & nuntios suos nobis mandavit, quod nisi hæc turbatio anticipasset, jam desiderium subveniendi nobis, sanctæque terræ Jerusalem diu concupiscenti animo reconditum effectui mancipasset. Tanto igitur ferventius devotionem vestram reparationi pacis instare, orationum & meritorum vestrorum adjuvantibus suffragiis suppliciter exoramus, quanto maturius & nostræ calamitati efficacius remedium exinde secuturum perpendimur. De elegantissimis itaque regni nostri personis viros præsentes, moribus honestos, fide devotos, vita religiosos, verbo veraces, videlicet venerabilem episcopum Liddensem & Dominici sepulcri subpriorem ad mansuetudinem vestram dirigimus, ut quæ scriptorum brevitas vel tangit, vel tacet, ipsorum veritas benigne ab affabilitate vestra exaudita diligenter suppleat.

EPISTOLA CCCCLXXIX, Patriarchæ Jerosolymitani H. Remensi archiepiscopo.

Postulat auxilium pro terra sancta.

DEI gratia sanctæ Resurrectionis ecclesiæ Patriarcha, venerabili in Christo fratri, H. eadem Remensi archiepiscopo, salutem & sanctæ pacis ac fidei unitatem.

Omnium pariter interest, quibus pastoralis cura committitur, fidelium mentibus misericordiæ opera suis prædicationibus inserere, & ad eorumdem executiones sollicitudine pervigili eas excitare. Inde est quod Orientalis ecclesia in medio nationis perversæ locata, licet ab inimicis crucis Christi incessanter fuerit afflicta, nunc tamen fere in articulo suæ destitutionis posita, vobis miserias suas exponere decreverit inter tribulationes suas & angustias intolerabiles, nullum sibi cognoscens salutis esse remedium, nisi in exteras partes mundi inhabitantium per vestras & aliorum sanctæ matris ecclesiæ prælatorum & rectorum prædicationes & pias exhortationes devotione sibi conferatur fidelium. Omnis igitur eadem Orientalis ecclesia una voce, uno animo, dilectionem vestram attentius exorat, ut ad ei subveniendum in tantæ necessitatis articulo, plebem Dei vobis commissam piis exhortationibus vestris cum omni diligentia & sollicitudine excitare studeatis. Prævaluerunt enim adversus nos exterminatores veritatis, & potissimum radix illa peccati & perditionis filius Salahad, qui singulis annis in manu potenti & valida nostros fines semel aut bis per mare atque terram invadit. Noradinus quæsivit jam pacem a Soldano Iconii, propterea quod vicinus est Antiochenis, & nunc facit ebullire omnes infideles a Perside usque ad nos, ut Antiochiam in futuro pascha invadat, & nisi regi Christo, ac nobis citissime subveneritis, tantam multitudinem & tantorum undique impetum diutius sustinere tam pauci nequibimus, & JESUS-CHRISTUS possessionem suam cum sanguine nostro de manibus vestris requirere valebit. Ceterum præsentium latores venerabilem fratrem nostrum B. Liddensem episcopum & dilectum filium nostrum R. ecclesiæ nostræ subpriorem, viros quidem honestos & discretos tam religione quam moribus & litteratura præfulgidos, caritati vestræ attentissime recommendamus : rogantes propensius & exorantes, quatenus ob reverentiam Dominici sepulcri, & precum nostrarum interventu, eos benigne recipere diligere ac venerari velitis, & quidquid de reconciliatione regis Angliæ & filii sui vobis suggesserint, tamquam manifestum opus pietatis facere studeatis.

Quidquid nihilominus de ſtatu & negotiis A chriſtianitatis Ciſmarinæ vobis retulerit, tamquam ab ore noſtro & Domini regis omniumque perſonarum orientalium certiſſimo credatis.

EPISTOLA CCCCLXXX.
P. prioris S. Sepulcri, H. Remenſi archiepiſcopo.

Rogat ut aliquam domum in regno hoſpitali Jeroſolymitano apud regem obtineat.

REverendiſſimo domino H. Dei gratia Remenſi archiepiſcopo, P. eadem gratia Dominici ſepulcri humilis prior, cum univerſo ejuſdem eccleſiæ conventu, ſalutem cum aſſiduo orationis munere.

Quoniam univerſorum mentibus fidelium eccleſiam Dominici ſepulcri, quam Redemtor noſter proprio ſanguine conſecravit, & in qua a mortuis reſurgens de mortis actore victorioſiſſime triumphavit, quadam ſingulari & excellentiori veneratione liquet eſſe digniſſimam, vobis cui omnipotens Deus diſcretione, ſcientia, & ſanguinis nobilitate perſpicuo paſtoralem ſanctæ eccleſiæ curam commiſit, totque hominum millibus & præeſſe & prodeſſe diſpoſuit, clarius & lucidius, ut credimus, innoteſcit. Cum autem jam dicta eccleſia fere in omnibus regnis, ubi nomen Crucifixi acſipitur, eccleſias & manſiones habere videatur, in regno domini regis fratris veſtri nihil habere dinoſcitur. Inde eſt quod quia voluntatem ipſius diu eſſe eccleſiam veſtram ampliare atque dilatare cognovimus, liberalitatem veſtram, cujus voluntati & conſilio ipſum libenter adquieſcere non dubitamus, obnixius deprecamur, quatenus apud eum pro eccleſia Dominici ſepulcri in tantum idoneus interceſſor exiſtatis, ut intuitu Dominicæ paſſionis & glorioſæ reſurrectionis precumque veſtrarum interventu, eam in regno ſuo honori Chriſti ſuæque utilitati, hoſpitari dignetur. De cetero dominum A. ſubpriorem noſtrum, virum religioſum litteratum & honeſtum veſtræ propenſius commendamus paternitati: rogantes & exorantes, ut perſonam ipſius diligere, honorare & manutenere curetis, & eccleſiæ noſtræ, quæ veſtra eſſe dignoſcitur, in diœceſi veſtra, ſi de beneplacito veſtro deſcendit, providere dignemini, pro certo ſcientes, quod omnium orationum, & beneficiorum quæ in eccleſia Dominici ſepulcri fient, vos participem conſtituimus.

EPIST. CCCCLXXXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro Cluniacenſi monaſterio.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quanto Cluniacenſe monaſterium ad juriſdictionem B. Petri & proviſionem atque B tutelam noſtram ſpecialius pertinere probatur, tanto jura ipſius manutenere propenſius & conſervare tenemur, & a malignantium incurſibus defenſare: quia congruam officii noſtri actionem proſequimur, cum ea ſollicite agimus, quæ ſollicitudini noſtræ imminere noſcuntur. Inde eſt quod univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, quatenus eos clericos ſive laicos, qui prioratus, eccleſias, & alias poſſeſſiones, quæ ad Cluniacenſe monaſterium pertinent, locatas vel commendatas habent ſine aſſenſu C capituli Cluniacenſis vel majoris & ſanioris partis, inſtantiſſime commoneatis, inducere modis omnibus laboretis, ut eas Cluniacenſi monaſterio, ſi de poſſeſſionibus locatis, deductis expenſis, perceperunt, quod pro earum locatione dederunt, occaſione & contradictione ceſſante, reſtituant, & in pace deinceps & quiete dimittant. Quod ſi monitis noſtris obtemperare contemſerint, eos nullius appellatione vel refragatione obſtante, apoſtolica auctoritate excommunicatos denuntietis, & ſententiam ipſam uſque ad dignam ſatisfactionem faciatis inviolabiliter obſervari. Data Anagniæ XII. Kalendas Februarii. D

EPIST. CCCCLXXXII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut ſchola Regiſtetenſes monachis S. Remigii conſerventur.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significavit nobis abbas S. Remigii, quod E nobilis vir comes Regiſtetenſis ſcholam ejuſdem caſtri, quam pater ſuus poſt deceſſum Gal. qui eam tenebat, monachis ſuis in eodem caſtro manentibus pia liberalitate reliquit, auſu temeritatis auferre præſumit. Unde quia univerſis Dei fidelibus, & præcipue viris religioſis in ſuo jure adeſſe debemus, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, prædictum virum inſtanter moneas, & ſi ne-

ceſſe fuerit appellatione remota, ſub anathematis diſtrictione compellas, ut memoratis monachis præſcriptam ſcholam reſtituant, & eis ſuper hoc nullam inferant ulterius moleſtiam vel gravamen. Præterea nobilem virum Anſelmum de Poſſeſſa moneas diligentius & inducas, ut hominibus prædicti abbatis manentibus in villa quæ dicitur Aiſencella novas vel indebitas conſuetudines imponere nulla ratione præſumat. Quod ſi auſu nefario præſumſerit, ejus præſumtionem animadverſione debita punias & caſtiges. Data Anagniæ v. Kalendas Februarii.

EPIST. CCCCXXXIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro abbate S. Remigii adverſus homines ſibi ſubditos.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significatum eſt nobis ex parte dilecti filii noſtri abbatis S. Remigii, quod cum in civitate Catalaunenſi ditiſſimos homines habeat, in contumaciam ſunt & ſuperbiam tantam elati, quod ei ſervire contemnunt, ſicut anteceſſoribus ſuis ipſi & anteceſſores eorum ſervire conſueverunt. Unde quoniam iniquum eſt, & nullatenus in patientia tolerandum, ut prædictus abbas debitis ſervitiis defraudetur, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus prædictos viros moneas, & ſub anathematis diſtrictione, appellatione remota, compellas, ut præfato abbati ſervitia, quæ ipſi & anteceſſores eorum ſibi & ſuis anteceſſoribus ſoliti ſunt exhibere, ſine moleſtia & contradictione reverenter & devote exhibeant. Si autem rationabilem cauſam oſtenderint, quare illi ſervire non debeant, eam diligentius audias, & exinde ſtatuas, quod ratio dictaverit æquitatis. Data Anagniæ IV. Kalendas Februarii.

EPIST. CCCCLXXXIV. JOSBERTI Hoſpitalis Jeroſolymitani magiſtri H. Remenſi archiepiſcopo.

Petit ab eo aliquam domum pro Hoſpitali Jeroſolymitano in ſua diœceſi.

VEnerabili domino & patri ſuo ſpirituali, H. Dei gratia Remenſi archiepiſcopo, JOSBERTUS Chriſti pauperum ſervus, ac ejuſdem gratia ſancti Hoſpitalis Jeruſalem magiſter licet indignus, cum omni fratrum conventu, veram in Domino ſalutem cum debita reverentia.

Eccleſiaſtici vigor ordinis tunc vere Deo placere perhibetur, cum in pietatis ac miſericordiæ viſceribus foveri dignoſcitur. Prædicator etenim pietatis proculdubio fructum miſericordiæ ſimul & præmium conſequitur, ſi quod ore prædicat operibus exſequitur. Inde eſt, pater ſancte, quod ſancta domus Hoſpitalis Jeruſalem, in qua membra Chriſti diverſis occupata languoribus, pro vobis & pro totius ſalute chriſtianitatis, preces jugiter fundunt ad Dominum ſub veſtræ ſanctitatis, religionis, & honeſtatis gremio educari, defendi, atque manuteneri, humiliter, ſi placet, expoſtulat. Et vos quoque partim pro debito officii vobis a Deo injuncti, partim pro beatorum Jeruſalem pauperum reverentia, partim noſtrarum precum interceſſione, domos, fratres, omniaque hoſpitali pertinentia, diligite, conſulite, defendite, atque manutenete, ut pauperes Chriſti, quibus Chriſtus ſuum regnum tradidit, una ammonitione veſtraque prædicatione in veſtra diœceſi aliquod receptaculum, refugium, atque ſolamen habeant, ſolius Dei amore clementer perficere dignemini, ut eorum meritis illius partem regni adipiſci mereamini, in quo ipſi ſequentur & comitabuntur Chriſtum quocumque ierit. Et nos ſiquidem quantam ac qualem retributionem pro ſervitio pauperum Chriſti a Deo ſperamus habere, tantum ac talem nobis ex parte Dei & noſtra totiuſque capituli Hoſpitalis devote concedimus. Moneatur igitur caritative erga domum Hoſpitalis religionis & honeſtatis veſtræ clementia, excitentur divinæ pietatis intuitu circa membra Chriſti ſanctitatis ac ſerenitatis veſtræ præcordia, ita dumtaxat ut domus Hoſpitalis patronum vos & defenſorem ſe habere ſemper ſentiat & gaudeat, & vobis a Chriſto in extremo examine feliciter dicatur: *Euge bone ſerve & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Quod vobis concedere dignetur ille cujus locum vos in eccleſia Dei tenere nulli dubium eſt, Amen, domum ſiquidem Hoſpitalis cum fratribus & omnibus ſibi pertinentibus ſerenitatis veſtræ clementiæ devote commendamus.

EPIST. CCCCLXXXV. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Adverſus plures qui monaſterium S. Remigii vexabant.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Inſinuatum eſt auribus noſtris, quod Gaufridus de Jaenvilla & filius ejus villam monaſterii S. Remigii, quæ Corcellis dicitur,

injuſte opprimunt, & abbati ejuſdem monaſterii injurias & damna plurima inferre præſumunt. Willelmus vero de *Mealleu*, Joſbertus de Calvomonte & filius ejus, & G. de *Noelli*, prædictum monaſterium damnificare non verentur. Radulfus autem de Cuzeio eidem monaſterio conſuetudines deteſtabiles & pravas imponit, & LX. ſolidos, quos pro caſtello de Cuzeio in feſto S. Remigii tenetur annuatim perſolvere, ſingulis annis differt reddere, non ſine damno monaſterii ultra terminum conſtitutum. Quoniam igitur in eo loco in officio ſumus, quamquam immeriti, providente Domino, conſtituti, ut jura univerſorum & maxime religioſorum virorum diligenti debeamus ſollicitudine conſervare, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum G. & filium ejus, W. & Joſbertum filium ipſius, & G. de *Nuelli* inſtanter moneas & inducas, ut jura prælibati monaſterii nulla ratione diminuant vel perturbent, aut indebitis fatigent moleſtiis, ſed data damna reſarciant, ablata univerſa reſtituant, & de injuriis illatis congrue ſatisfaciant, aut ſub tuæ diſcretionis examine plenam exinde ſibi juſtitiam, appellatione remota, exhibeant. Radulfum vero de Cuzeio, ut monaſterio deteſtabiles vel pravas conſuetudines non imponat, & debitum cenſum tempore ſtatuto ſine diminutione perſolvat, diligenter monere & inducere ſtudeas. Si autem ipſe & alii, quos prædiximus, monitis acquieſcere forte contemſerint, eos nullius appellatione obſtante, vinculo excommunicationis aſtringas, & ſententiam ipſam uſque ad dignam ſatisfactionem facias inviolabiliter obſervari. Ad hæc ex parte prædicti abbatis noſtris eſt auribus intimatum, quòd Gal. *Bertot* monaſterio ſuo magnas poſſeſſiones abſtulit, pro quibus auctoritate ſanctæ memoriæ patris & prædeceſſoris noſtri EUGENII papæ excommunicationis fuit vinculo innodatus. Unde quoniam eccleſiaſtica ſententia, quæ in malefactores aliquos pro ſuis exceſſibus de auctoritate Romani pontificis promulgatur, rata debet & firmiter conſiſtere, & eam uſque ad dignam ſatisfactionem firmitatis robur neceſſe eſt obtinere; nihilominus ſollicitudini tuæ præſentium ſignificatione injungimus, ut ſi ita eſt, prædictum G. publice in eccleſia tua excommunicatum denunties, & uſque ad dignam ſatisfactionem facias cautius evitari, & dilecto filio noſtro Cameracenſi electo, ut hoc idem in ſua eccleſia faciat, auctoritate noſtra & tua firmiter & diſtricte injungas. Præterea, ſicut nobis eſt intimatum, comes Giſebaldus de Ruceio monaſterio prælibato XX. ſolidos, quos ei debet annuatim pro cenſu a quindecim annis retro ſubtraxit, & damnum ſexaginta libr. & eo amplius irrogavit, & hominibus ejuſdem monaſterii frequentibus rapinis & exactionibus gravamina importabilia inferre præſumit, cum ad reſtituendum quod de cenſu ſtatuto ſubtraxit, & ad eumdem cenſum in integrum deinceps perſolvendum & ad reſtaurandum damnum ſexaginta libr. & ad alia reſtituenda quæ per rapinas & exactiones noſcitur extorſiſſe, vel ad juſtitiam ſuper his exhibendam cum omni inſtantia moneas, & ſtudioſe induceas. Quem, ſi neutrum efficere forte voluerit, anathematis gladio ferias, donec ſuum corrigat digna ſatisfactione reatum. Data Anagniæ IV. Kalendas Februarii.

EPIST. CCCCLXXXVI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut C. comitiſſæ Toloſanæ, ſi eam honorifice recipiat comes, perſuadeat, ut ad virum quem reliquerat redeat.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Referente nobis dilecta in Chriſto filia noſtra nobili muliere C. comitiſſa Toloſana ſorore tua, quod ipſa diſpoſuerat caſte vivere, pro eo quod nobilis vir Toloſanus comes vir ſuus ei fidem non ſervet, ſed aliis mulieribus ſe conjungat illicite, eamdem comitiſſam ſatis attente monuimus, ut ad virum ſuum rediret. Verum quia ipſa noſtris in hac parte monitis noluit acquieſcere, donec præfatus comes viam hujus pravitatis & diſſolutionis relinquat, eidem comiti apoſtolicæ exhortationis ſcripta direximus, ut hujuſmodi via penitus prætermiſſa, prædictam comitiſſam uxorem ſuam per magnos & honorabiles nuntios, miſſis ei & tibi litteris ſuis, ad ſe honorifice, prout convenit, revocet, data plenaria cautione, quod eamdem comitiſſam, prout decet tantam & tam nobilem dominam, decenter debeat & honeſte tractare. Venerabilibus quoque fratribus noſtris Narbonenſi archiepiſcopo & Nemauſenſi epiſcopo, & dilecto filio R. S. Mariæ in Via lata diacono cardinali dedimus in mandatis, ut eumdem comitem ad hoc faciendum monere ſtudeant & diligenter inducere, & quidquid inde illi invenerint, nobis & tibi per litteras ſignificare nullatenus prætermittant. Rogamus itaque fraternitatem tuam, monemus & exhortamur attentius, quatenus ſi præfatus comes jam dictam comitiſſam honorifice, ſicut diximus, ad ſe duxerit revocandam, tu eam fraterna exhortatione commoneas, & diligenter inducas, ut ad præfatum comitem redeat: quia non eſt conveniens vel honeſtum, ut uxor debeat ſine viro ſuo manere, dummodo ab eodem viro ita honorifice teneatur, quod juſtam cauſam ab ipſo

non habeat recedendi. Data Anagniæ XVI. Kalendas Martii.

EPIST. CCCCLXXXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Declarat F. ejus parrochianum illi numquam detraxiſſe in curia.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Lator præſentium F. parrochianus tuus lacrymis nobis propoſuit, adverſus cum te graviter eſſe commotum, pro eo quod tibi fuerit falſa relatione ſuggeſtum, ipſum tibi in noſtra curia detraxiſſe. Unde cum omnino ſit impium & iniquum innocentem a nocentibus adjici, aut innoxium ſanguinem condemnari, nos providere volentes, ne quamlibet pœnam reportet, unde alicujus criminis maculam non contraxit, fraternitatem tuam monemus & mandamus, quatinus ſi quam indignationem vel animi rancorem adverſus eumdem F. quod non credimus, concepiſti, cum præſertim non ſit dignus Cæſaris ira, ipſum ſibi divino intuitu & pro reverentia beati Petri & noſtra pia benignitate remittas, eique reſtituas gratiam & amorem, & eum non impedias, nec impediri permittas, quominus jus ſuum tam de medietate domus, quam de aliis ſuper quibus ipſe conqueritur ſub examine delegatorum judicum valeat adipiſci. Numquam ſane occurrit memoriæ noſtræ quod tibi detraxerit, vel in aliquo contra tuam fuerit locutus dignitatem. Data Anagniæ VIII. Kalendas Martii.

EPIST. CCCCLXXXVIII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Ut ſatisfiat monaſterio Gorzienſi de illatis injuriis a G. de Aſpero-monte.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

(a) Dilecti filii abbas & fratres monaſterii Gorzienſis (a) tranſmiſſa nobis conqueſtione monſtrarunt, quod nobilis vir G. de Aſpero-monte eccleſias & villas ipſorum multipliciter inquietare, & homines eorumdem ad redemtionem cogere non formidat, & præter hæc præfatum monaſterium in C. marcis argenti damnificavit. Quoniam igitur ex injuncto nobis apoſtolatus officio tenemur omnium jura, & maxime religioſorum, qui in medio ſchiſmaticorum conſtituti, ab unitate ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ non recedunt, paſtorali ſollicitudine defenſare; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi ita eſt, præfatum G. ſollicite moneas & diligenter inducas, ut prælibatis abbati & fratribus univerſa ablata cum omni integritate reſtituat, damna data reſarciat, & de illatis injuriis ſatisfactionem exhibeat competentem, & eos deinceps in pace & quiete dimittat. Quod ſi forte commonitioni tuæ parere noluerit, tu terram ejus apoſtolica fretus auctoritate interdicto ſupponas: ita quod in ea nulla divina officia, præter baptiſma parvulorum & pœnitentias morientium, celebrari permittas, & ſi nec ſic reſipuerit, perſonam ejus & eorum qui ſunt principales fautores malitiæ ſuæ vinculo excommunicationis aſtringas, quouſque ipſos ad dignam ſatisfactionem teneas innodatos. Data Anagniæ II. Kalendas Martii.

(a) Gorzienſe monaſterium, inſigne ordinis S. Benedicti in diœceſi Mettenſi a Chrodegrando epiſcopo fundatum eſt.

EPIST. CCCCLXXXIX. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Commendat ei fratres Maurimontenſis monaſterii.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum eccleſia Maurimontenſis, ſicut noſti, pravis ſit hominibus circumventa, tanto ad ejus tuitionem promtior eſſe debet paſtoralis ſollicitudinis providentia, quanto facilius malignorum poſſet violentiis & rapinis ſuccumbere, niſi ab eorum incurſibus, rigore eccleſiaſticæ diſciplinæ defenderetur. Inde eſt quod nos paci & quieti ejuſdem eccleſiæ paterna ſollicitudine volentes intendere, ipſam tuæ protectioni committimus, & fraternitatem monentes attentius, mandamus, quatinus ſi quando de malefactoribus ſuis abbatis & fratrum ejuſdem eccleſiæ querimoniam receperis, ita prudenter ipſis aſſiſtas, & taliter eoſdem malefactores a ſuæ præſumtionis audacia ſtudeas coercere, quod iidem fratres per ſtudium tuæ ſollicitudinis debita tranquillitate fruantur, cum malefactores eorum de ſua non poterunt impunitate lætari. Data Anagniæ Kalendis Martii.

EPIST. CCCCXC. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Pro abbate Maurimontenſi adverſus vexationes plurium nobilium.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Conquerentibus nobis dilectis filiis noſtris abbate & fratribus Maurimontenſis eccleſiæ, ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod nobiles viri comes de Magnoprato, Engobrandus de *Altri* & filius ejus, Petrus de *Liri*, Thomas de *Suen*, Dudo Ferrandus, Guerricus nepos ejus, & Albertus advocatus de Warno, eidem eccleſiæ damna gravia per violentiam intulerunt, ipſamque in ſuæ ſalutis periculum affligere non deſiſtunt. Quoniam igitur adſcribi poſſet negligentiæ prælatorum, ſi ad reprobandum improborum audaciam, qui in ſacras Dei eccleſias debacchantur, tepidus eſſet vigor eccleſiaſticæ diſciplinæ, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus, ſi res ita ſe habet, memoratos viros ſtudioſa exhortatione commoneas, ut damna data præſcriptæ eccleſiæ infra xxx. dies poſt harum ſuſceptionem, appellatione ceſſante, cum integritate reſarciant, & a ſimilibus de cetero conquieſcant. Si vero commonitioni tuæ noluerint acquieſcere, in terris eorum, ſublato appellationis remedio, divina prohibeas officia celebrari: & ſi nec ſic reſipuerint, perſonas eorum vinculo excommunicationis aſtringas. Et ſi præfatus Albertus excommunicatus eſt pro alia cauſa, ſicut nobis proponitur, ipſum etiam propter hoc excommunicatum denunties, & tam ipſum, quam reliquos alios per provinciam tuam facias uſque ad dignam ſatisfactionem ſicut excommunicatos vitari. Data Anagniæ II. nonas Martii.

EPISTOLA CCCCXCI. HENRICO Remenſi atchiepiſcopo.

Adverſus plures qui S. Remigii monaſterium vexabant.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem

Dilectus filius noſter abbas ſancti Remigii Remenſis tranſmiſſa nobis conqueſtione monſtravit, quod Hugo de *Riſnel* ei villam de Domno-Remigio, Milo vero de S. Margareta, & Anſelmus de curia de *Hilbercunt*, præpoſiti quoque de Buſeio, de Juniaco, de Marolio, de Caſtellione, de Vitriaco, & quidam alii miniſteriales nobilis viri comitis Henrici quoſdam redditus ad theſaurum monaſterii S. Remigii pertinentes, & alios redditus violenter ſubtrahere præſumſerunt, & homines ſuos injuſte vexare præſumunt. Garinus præterea de *Boob* quamdam ſummam pecuniæ prædicto abbati in eleemoſynam legatam, per interpoſitionem appellationis, ne ſibi ſolvatur impedire præſumit, & Adam de Capis quamdam terram per violentiam ſubtrahere non formidat. Quia igitur rata prædicti abbatis & monaſterii ſibi commiſſi pro noſtri officii debito defendere ac conſervare tenemur, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictos viros, ſi de tua provincia ſunt ſtudioſe commoneas, ut de his quæ dicta ſunt, præfato abbati congrue ſatisfaciant, & de cetero ab ejus moleſtia & inquietatione deſiſtant, vel ſub tuæ diſcretionis examine plenam exinde juſtitiam exhibeant. Quod ſi facere forte noluerint, eos uſque ad dignam ſatisfactionem vinculo excommunicationis aſtringas. Ad hæc jus illud quod habere ſe aſſerit in rebus Nicolai Catalaunenſis quondam hominis ſui, qui ſine hærede deceſſit, ei integre conſervari facias, vel ſub tuæ diſcretionis examine plenam exinde juſtitiam appellatione poſtpoſita exhiberi. Data Anagniæ VIII. idus Martii.

EPISTOLA CCCCXCII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

Hortatur ad manſuetudinem erga A. civem Laudunenſem.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Henrico Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pontificalis officii dignitas, quam divina diſponente gratia obtinere dinoſceris, te debet ad hoc inducere, ut erga ſubditos tuos mitis & manſuetus appareas, & ſi quando tibi de aliquo illorum aliqua ſuggeſta fuerint, quæ te poſſint ad indignationem movere, non decet diſcretionem tuam adverſus ipſum ſubito & diſcrete moveri; ſed ſi talis ſit offenſa, quæ ſalva conſcientia poſſit ſine pœna remitti, delinquenti debes miſericorditer indulgere, aut ſi correctionem exigat, cum tanta humanitate corrigere, quod in ſeveritate non videaris excedere, nec in manſuetudinem pontificalem poſtponere gravitatem. Ex inſinuatione ſiquidem O. civis Laudunenſis accepimus, quod cum tu ex prava ſuggeſtione quorumdam eum de perſona tua maledixiſſe proponeres, & ipſe in præſentia tua per decem

legitimos viros se constanter offerret suam innocentiam purgaturum, tu ejus purgationem recipere noluisti. Timens itaque idem O. a te gravari, ad nostram audientiam appellavit, quia igitur non conveniens est, ut illum minus rationabiliter graves, qui suam apud te quærit innocentiam excusare, fraternitatem tuam per apostolica scripta monemus & hortamur attentius, quatenus prænominato O. tuam indignationem misericorditer sine purgatione remittas, aut ejus purgatione recepta, ei tuam gratiam & amorem restituere non postponas: ita quod tuæ debeat ex hoc discretionis modestia commendari. Data Anagniæ VI. idus Martii.

EPISTOLA CCCCXCIII. HENRICO Remensi archiepiscopo.

De presbytero concedendo leprosis de Sparnaco.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Audita olim conquestione leprosorum de Sparnaco, quod cum presbyterum non haberent, plures eorum sine confessione & viatico morerentur; tibi, si bene meminimus, scripta nostra direximus, ut tanto eorum periculo provideres. Nunc autem quia, sicut iidem leprosi nobis significaverunt, presbyter quidam Galterus nomine, bonæ opinionis & vitæ, se eorum domui reddidit, fraternitatem tuam iterato monemus attentius, & mandamus, quatenus presbyterum ipsum in capella quam ibi habent instituas, sibique curam animarum de prædictis infirmis & eorum familia committere non postponas, & capellam ipsam pro se tantum & familia sua, cum exinde fueris requisitus, appellatione remota, non differas dedicare, & præfatum presbyterum ab indebita molestatione canonicorum de Sparnaco prudenter & sollicite tuearis: ita quod exinde caritas & affectio tua possit non immerito commendari, & prædicti leprosi sub defensione & patrocinio tuo possint esse a malignantium inquietatione securi. Data Anagniæ XVIII. Kalendas Aprilis.

EPIST. CCCCXCIV. HENRICO Remensi archiepiscopo & Morinensi episcopo.

Ne exigantur decimæ a Cisterciensibus de terris quas propriis laboribus colunt.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus nostris HENRICO Remensi archiepiscopo & Morinensi episcopo, S. & A. B.

Non ignorat, sicut credimus, vestræ discretionis prudentia, quomodo a patribus & prædecessoribus nostris Romanis pontificibus universis fratribus Cisterciensis ordinis indultum sit, & a nobis etiam innovatum, ut de laboribus suis, quos propriis manibus aut sumtibus excolunt, sive de nutrimentis animalium suorum nulli decimas solvere teneantur. Verum sicut accepimus canonici Morinensis ecclesiæ, & præpositus de Losio & canonici sui, & abbas de (a) Monte S. Eligii & sui canonici, & abbas & monachi ecclesiæ S. (b) Johannis Morinensis, &, abbas & monachi (c) de Ham, & præpositus & canonici de Cassellis, & quidam alii in partibus vestris constituti, statutis apostolicæ sedis in hac parte contemtis, a religiosis viris de (d) Claromarisco, non solum de aliis, sed etiam de quibusdam novalibus & nutrimentis animalium suorum decimas exigere non verentur, quod nemini quantumcumque religioso liceret. Quoniam igitur neminem pati possumus vel debemus statutis sedis apostolicæ contraire, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus præfatos viros ab exactione decimarum de laboribus seu de nutrimentis animalium jam dictorum fratrum, contradictione & appellatione cessante, apostolica freti auctoritate, districtione ecclesiastica compellatis, & cetera quæ prædictis fratribus sunt privilegiis apostolicæ sedis indulta per episcopatus vestros faciatis inviolabiliter observari. Data Anagniæ XII. Kalendas Aprilis.

EPIST. CCCCXCV. HENRICO archiepiscopo Remensi.

Pro fratribus S. Martini Laudunensi.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Mons S. Eligii haud ignobile est monasterium canonicorum regularium duabus horis ab Atrebato distans.
(b) S. Johannis Morinensis, seu in Monte dictum, monasterium ordinis S. Benedicti in suburbio Morinorum olim situm, Ypras nunc translatum.
(c) Hamense monasterium ordinis S. Benedicti in diœcesi S. Audomari.
(d) Clarus-Mariscus insigne monasterium ordinis Cisterciensis duabus horis distans a S. Audomaro.

Querelam

Querelam abbatis & fratrum S. Martini Laudunenſis accepimus, quod cum Guarinus de *Cherchi* quaſdam eorum vineas extirpaſſet, tandem tractus in cauſam, ad noſtram audientiam appellavit. Ceterum quia altera parte veniente, nec venit prædictus G. nec pro ſe reſponſalem tranſmittit, cauſam ipſam experientiæ tuæ committimus, præſentium tibi auctoritate mandantes, quatenus eumdem G. moneas, & ſub excommunicationis diſtrictione compellas, ut præfatis fratribus illata damna reſarciat, & de injuriis irrogatis congrue ſatisfaciat, aut ipſis exinde coram te ſublato appellationis remedio juſtitiæ faciat complementum. Data Anagniæ x. Kalendas Aprilis.

Duæ ſequentes epiſtolæ ab ordine ſuo elapſæ, ſic collocari debent, prima poſt XXI. *altera poſt epiſtolam* LXXVII.

EPISTOLA XXI. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De negotio epiſcopi Attrebatenſis.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſium archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sicut nuper fraternitati tuæ tam vivâ voce quam litteris expoſuimus, venerabili fratri noſtro (a) Attrebatenſi epiſcopo epiſcopalis dignitatis ſollicitudinem deponenti, tria altaria videlicet de *Monci*, de *Remcort* & de *Mire'mont*, ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem concedere, & auctoritate apoſtolica curavimus confirmare. Unde volumus penitus & tuæ fraternitati mandamus, quatinus id quantum in te eſt firmiter facias & inviolabiliter obſervari. Data Pariſius IX. Kal. Maij.

(a) Godeſcalco; qui ob ſenium ad Montem S. Martini ordinis Præmonſtratenſis ſeceſſerat, ubi monachum profeſſus eſt, non anno 1164. ut poſt Locrium aſſerunt Sammartani; ſed ſaltem anno 1163. quippe hæc epiſtola data eſt Pariſiis, ubi verſabatur Alexander antequam Tutones concilium eodem anno in Pentecoſte celebraturus accederet.

(b) Obſcure hic inſinuat negotium depoſitionis abbatis Clarevallenſis, de qua in præcedenti epiſtola ad abbatem Ciſtercienſem quæ eſt ordine LXVII.

EPISTOLA LXXVII. HENRICO Remenſi archiepiſcopo.

De verbo ſive negotio commiſſo archiepiſcopo & epiſcopo Autiſiodorenſi in Claravalle agendo, & qualiter Senonis ſint revocati.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri HENRICO Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quod ſuper (b) verbo pro quo ad Claravallenſe monaſterium acceſſiſti, tu & venerabilis frater noſter Autiſſiodorenſis (c) epiſcopus, quibus verbum ipſum commiſſum fuerat exequendum, illo cui mandavimus non accedente, non potuiſtis juxta noſtrum & tuum deſiderium procedere, nobis grave ac moleſtum fore cognoſcas. Unde nos cautiori diligentia volentes ſcandalum ipſius monaſterii evitare, fraternitati tuæ conſulimus, atque monemus, quatenus ne major turbatio propter hoc generetur, huic rei ad præſens ſuperſedeas, & eam nunc quadam ſimulatione dimittens, ad noſtram præſentiam revertaris. Timemus enim ne homo ille ſua loquacitate verbum ipſum diſſeminet, & illud ad fratrum notitiam referat, propter quod ſi taliter procederetur, tam nobis quam & tibi gravis materia detractionis exurgeret. Nos vero ex quo ad præſentiam noſtram redieris, una tecum & cum prædicto epiſcopo & dilectis filiis noſtris HEN. tituli SS. Nerei & Achillei preſbytero cardinali & (d) G. quondam Lingonenſi epiſcopo ſuper facto ipſo cautius deliberabimus, & ſecundum quod videbimus expedire paci & quieti ipſius monaſterii cum conſilio veſtro ſalubriter conſulemus. Datum Senonis Kalendas Aprilis.

(c) Alanus, qui ex Ripatorii abbate aſſumtus eſt ad ſedem eccleſiæ Autiſiodorenſis, quam cum pie & ſtrenue per aliquot annos adminiſtraſſet, ſponte dimiſit, & ad matrem Claramvallem ſe recepit, ubi & obiit circa annum 1178.

(d) Godefrido, qui ex priore Clarevallis & abbate Fontaneti factus epiſcopus Lingonenſis, cum per annos plurimos optime præfuiſſet, anno 1163. abdicato epiſcopatu, rediit in monaſterium.

EPISTOLÆ VARIORUM AD S. HILDEGARDEM CUM EJUSDEM AD EOS RESPONSIS.

Ex mſ. codice Himerodenſis monaſterii cujus caracter ad annos abhinc 500. accedit.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

HILDEGARDIS, *ad quam hic habes variorum ſcriptas epiſtolas, anno* 1098. *patre Hildeberto, matre Mechtilde nata, non minus ſanctitate quam genere illuſtris, vix octavum ætatis ſuæ attigerat annum, cum Deo piis a parentibus oblata in monaſterio S. Deſibodi, monaſticis diſciplinis a Jutta abbatiſſa ſanctiſſima Meginhardi comitis Spanheimenſis ſorore inſtituitur. Cum vero quadraginta duorum annorum & ſeptem menſium eſſet, cœleſtibus viſionibus illuſtrata, ac ſingulari adeo prophetiæ dono divinitus aucta eſt, ut pro certo ab omnibus habita ſit oraculo. Hinc revelata ſcriptis conſignare cœlitus præmonita, cum cunctaretur, longa ægritudine tabefacta decubuit: morbi autem cauſa abbati aperta ſuo, ille divinæ voci imperanti obedire juſſit. Suas igitur latino ſermone conſcripſit revelationes, quas cum viri eruditi perinde ac pii legiſſent, in admirationem rapti, quod virgo ab incunabilis monaſterio incluſa, quæ nullam præter patriam, hoc eſt Teutonicam linguam didiciſſet, nihil præter pſalterium edocta, & libros veteris ac novi teſtamenti probe intelligeret, & latine congrue dictaret, eam venerabantur.*

Rei tam novæ tamque ſingularis fama cum ad aures Eugenii III. ſummi pontificis, qui celebrato Remis concilio Treviros conceſſerat, perveniſſet; Virduni præſulem & cum eo Adalbertum primicerium, alioſque idoneos viros ad ipſius cœnobium direxit, ut ſine ſtrepitu quid rei eſſet cognoſcerent: quibus humiliter inquirentibus, cum illa ſimpliciter quæ de ſe erant aperuiſſet, ad apoſtolicum reverſi magna ipſius, magna & cunctorum adſtantium expectatione quæ audierant, retulerunt. His auditis, pontifex publico in conſeſſu beatæ Virginis ſcripta, quæ præfato de parthenone perlata ſuſceperat, ſibi repræſentari jubet, eaque ſuis tenens manibus ac recitatoris vice functus, archiepiſcopo Moguntino, cardinalibus aliiſque de clero palam recitavit, ac reſponſa virorum quos

ad hæc indaganda miserat, pronuntians omnium mentes ac voces in laudem creatoris excitavit, annitenteque S. Bernardo qui præsens aderat, pontificia auctoritate ea comprobavit, salutatoriis litteris beatam virginem visitavit, atque ad ea quæ per Spiritum sanctum cognovisset scribenda, animavit. Eugenii approbationem suo calculo confirmavere, qui proxime post ipsum Petri sedem occupaverunt summi pontifices Anastasius IV. & Adrianus itidem IV. scriptis ad Hildegardem epistolis, quibus se Romanamque ecclesiam ipsius precibus commendarunt.

Hæc cum ita se haberent, haud quaquam mirum videri debet, quod archiepiscopi, episcopi, cardinales, abbates, abbatissæque, doctores, imperatores aliique utriusque sexus Hildegardem de rebus maximi momenti, ac præsertim de secretioribus conscientiæ suæ abditis consulerent, atque ad eam non solum ex Germania, sed ex aliis etiam regnis tamquam ad indubitatum convolarent oraculum, ipsam adeuntes, aut saltem per litteras interrogantes, ac Dei voluntatem ab ea scisciantes. Hinc tot ad eam ex variis orbis regionibus pervenerunt epistolæ, ut simul collectæ integrum volumen conficere possent. Ex his epistolas circiter quinquaginta habes typis mandatas in Bibliothecis Patrum editionis Colonienſis & Lugdunensis, præter unam ad abbatem Brunvillarienſem, quæ extat in vita S. Hildegardis a Theoderico abbate Trudonienſi composita apud Surium 17. Septembris. Nos longe plures invenimus in optimæ notæ codice Himerodensis monasterii ordinis Cistercienſis in diœcesi Trevirensi. Codex ab annis circiter quingentis exaratus, varia Hildegardis continet opuscula, scilicet Epistolas diversarum personarum ad eam directas cum rescriptionibus ejus de diversis inquisitionibus. *Vitam S. Desiboldi, Vitam S. Ruperti ducis, & S. Bertæ ipsius matris; Expositionem brevem in regulam S. Benedicti, & libros sex Vitæ meritorum, quos illa conscripsit* in sexagesimo primo ætatis suæ anno, qui erat millesimus centesimus quinquagesimus octavus annus, sub pressura apostolicæ sedis, regnante Frederico Romanorum imperatore. *Primus liber continet capita 124. secundus 85. tertius 84. quartus 70. quintus 85. sextus 45. Hinc colliges Trithemium qui tres dumtaxat Vitæ meritorum libros S. Hildegardi adscribit, integrum ipsius opus hoc non vidisse. Sed longe plura alia opuscula ejus recenset, quæ hic referre supervacaneum videtur. Ut autem ad epistolas redeam, eas omnes continet codex Himerodensis, quæ in utraque Patrum Bibliotheca editæ sunt, & insuper octoginta quatuor, quæ plane publica luce indignæ non videntur nobis. Nam præterquam quod omnia sanctorum scripta eam spirare solent pietatem, quæ legentibus ad animæ salutem non parum conducit, in omnibus quæ ad Hildegardem directæ sunt epistolis non meram offendet rerum spiritualium seu moralium narrationem, sed omnes fere sunt historicæ. Ex his aliquæ occasione schismatis, quod Alexandrum III. papam inter & Victorem IV. antipapam suscitavit Fridericus, scriptæ sunt; unâ a doctore universitatis Parisiensis consulitur quid de opinione Gilberti Porretani episcopi Pictavensis in concilio Remensi proscripta, sit credendum; in aliis agitur de ratione restaurandæ disciplinæ regularis in collapsis monasteriis. Pluribus etiam persecutiones monasteriis illatæ, tentationes ac dispositiones interiores scribentium exponuntur. Neque pauci tum abbates tum abbatissæ utrum dignitatem retinere aut dimittere debeant, ab ea inquirunt. Hinc patet omnes illas epistolas ad illustrandam historiam cum ecclesiasticam tum monasticam non parum conducere. Ceterum obiter non est prætereundum quod ab abbate Rettinhasili ad abbatiam Salemensem postulato consulta, an utramque dignitatem abjicere deberet, respondit Hildegardis.* Quicumque agrum vel ovile propter fidem procurationis susceperit, ipsa dimittere non debet; sed sicut paterfamilias ea reget. Qui enim ovile suum relinquit & aliud recipit, præceptorum Dei prævaricator nominatur. *Quod velim attendant ii, qui de sede ad sedem contra præscripta canonum & sanctorum Patrum edita adeo facile transmigrant. Porro has epistolas debemus humanitati reverendissimi & amplissimi Roberti abbatis Himerodensis, qui eas non modo ex suo ms. transcribere permisit; sed codicem etiam ipsum nobis sponte Parisios transmisit.*

EPISTOLA I. A. ABBATIS Elevacenſis.

Orat ut divinum de ſuis inimicis conſulat oraculum, & reſcribat quid ſibi de Dei miſericordia expectandum ſit.

HILDEGARDI dilectæ ſponſæ Chriſti, A. ſolo nomine Elevacenſis dictus abbas, poſt vallem lacrymarum gaudia ſupernorum civium.

Libenter beatitudini veſtræ ſalutationis officium tanto terrarum ſpatio interjecto porrigimus, amplectentes in vobis magnalia Dei, qui vos & purioris vitæ ſanctitate pollere fecit, ac ſpiritu prophetiæ ſupra humanam opinionem vobis indidit præſentia tangere, revolvere præterita, futura prævidere, ut divini muneris novitate dupliciter honorata, vere hominibus hujus temporis ſtupenda ſitis & veneranda. Viſitavit enim nos Oriens, & jam ruente ſæculo ſuperpoſuit manum ſuam, qui talem ac tantam inter nebulas ſæculi nequam noſtra feliciter ætate dedit clareſcere, cujus interventu & veniam peccatorum, & remedium laborum, & conſolationem dolorum obtinere, atque divinæ ſecretum diſpoſitionis cognoſcere gaudemus. Accuſat nos conſcientia noſtra, terret culpa, peccata redarguunt. Turbamur intus, foris pericliramur, nuſquam nobis ſecuritas, undique circumſonat hoſtis. A dextris fraudulentus amicus inſidiatur, a ſiniſtris truculentus inimicus oppugnat. De his & aliis ſuper quibus maturitatem veſtram nuntii noſtri conſuluerint, divinum oraculum conſulite, & quidquid nobis de miſericordia Dei expectandum ſit, mater ſanctiſſima, reſcribite.

A inſtrumento ædificii, & ſine aſcenſu ſcalæ ſtans, ita quod luto ſcalæ aſpergeris. Nam lenis es, & non acutus in oculo correptionis ad arguendum pravos & nigros mores hominum; ſed tamen gratia Dei inſpicit te, non habentem clauſuram duritiæ cordis, ſed tantum dormientem in torpore laſciviæ, ita quod Deum non attendis. Ergo Dominum tuum non habe ſicut villicum; ſed aſpice in illum, improbitates, ut fortiſſimus miles fortiſſime pugnans, armatus lorica & galea. Nunc enim ſunt tempora quaſi in oblivione Dei, & laſſa in certamine Chriſti. Sed fama volat in mendaciis per viciſſitudinem vanitatum, quaſi B Deum videant, ſed tamen neſciunt eum. Ubi eſt ergo homo qui ambulet in recto itinere? Pauci ſunt. Sed Qui eſt, dicit: nullus hominum valet per vomitum garrulitatis ſuæ, gladium ultionis meæ de vagina ſua præcipitanter educere, antequam veniat tempus voluntatis meæ in ultione. Tu ergo, ô homo, ſurge, & clarifica animum tuum in me, ita quod vigilanter quæras ubi me invenias, & vives.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Afflictum conſolatur, torpentem hortatur, & ad pugnandum viriliter excitat.

QUi videt, nec viciſſitudine mutatur, dicit: Tu homo, nondum habes alas volandi, quæ tempeſtates tolerant, & quæ ad rectam moderationem aeris pertinent, ſed tantum quaſi columna es in platea ſine

C

EPISTOLA II. H. ABBATIS Mulebrunnenſis.

Anxius de regimine animarum ejus expoſcit orationum ſuffragia.

HILDEGARDI matri & ſorori venerandæ, H. abbas nomine Mulenbrunenſis utinam merito, perpetuam ſalutem a Domino.

Audivimus de te bona, ô Chriſti famula. D Audivimus, & bonorum omnium Largitori grates exſolvimus. Ligo ergo qualiſcumque non ſine ſpe exauditionis ad te ſcripta dirigo, & orationum tuarum aliquod ſingulare ſuffragium depoſco. Commiſſum enim habens arduum & anxium, regimen ſcilicet animarum, peto, quæro, pulſo per te

a Domino adjuvari possibilitate & effectu felici. Non autem tibi sit onerosum & indignum epistolæ tuæ scripta mihi remittere, quibus instruatur, confortetur, consoletur corpus meum & anima. Vale.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad bona opera & ad frenandas in se sæcularium rerum curas.

PRudens vir veracis lucis. O homo, hæc verba audienda sunt: Homo qui ad vitam transire vult, debet habere speculativam spectionem animi viventium oculorum: quia Deus in talibus factis vigilat. Nam cum venerit inguinaria submersio cinereæ causæ diversa crimina evomens; tunc homo frenet gustum mentis suæ, & tabescat in importabili facto duritiæ, surgens ad auroram lucis, id est ad misericordiam quæ mortem stravit, & squalida viscera gehennæ contrivit. Ubi eadem misericordia absterst crimina hominum. Sic habeat homo fenestras ad restaurandum semetipsum in bono. Sed ô tu qui generosus es in voluntate tua, attende quod multa flumina underant in te, rixando in magno strepitu. O fortis ligatura, totque mammas voluptatum pullulantium vitiorum. Sta quoque in exemplo turturis, flectens genua tua quando te ipsum vincit. O vivens figura, aperi clausuram mentis tuæ in pulcra facie, quod decet te in conspectu summi regis. Cave etiam ne sis vehemens plumbum propter duritiam oris tui; si non unxeris vulnera dolentium cicatricum. Osculare autem Deum in mente tua, & desideria tua non erubescant in bona voluntate sua perficere recta & justa opera. Nunc sit tibi refectio in labore tuo, & frena in te sæculares causas, & faciem animi tui fac decoram columbæ, ita ut fenestræ cœlestis Jerusalem suscipiant te. Dominus non derelinquet te, sed dabit tibi refectionem salutis.

EPISTOLA III. B. ABBATIS S. Michaelis Bambergensis.

Ut divinam imploret misericordiam, quatenus flagellum quo affligitur, temperet, & ut proxime de hoc sæculo migraturam animam habeat commendatam.

DOminæ H. summo regi desponsatæ & sororum de S. Ruperto magistræ, B. de S. Michaële in *Bavenbergh* abbas immeritus, quidquid valet oratione & devotione.

In amore ipsius qui sanguine proprio nos redemit, vos fervere audimus, quem etiam juxta modulum nostrum, ut munera vobis collata perpetuo custodiat obnixe flagitamus. Magno autem cordis desiderio præsentiam vestram desideramus. Verum peccatorum obstaculis præpedientibus huc usque id adipisci nequivimus. Per ipsum ergo quem amatis, dulcedinem vestram quam intime exoramus, ut Domini misericordiam pro me imploretis, quatenus flagellum misericordiæ quo me tetigit, & quotidie me tangit, taliter temperare dignetur, ut hic salutem, & in futuro misericordiam & gratiam invenire merear. Quod si prædestinatio divina in proximo, ut spero; de his tenebris me vocare dignata fuerit, volo animam meam vestris manibus & orationibus commendari. Scripta autem consolationis vestræ per præsentem nuntium nobis dirigite.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut strenue vigilet & virgam patris honeste ferat sibi profuturam.

IN ignea ammonitione prædestinatum est; quod viva voce populus iste auditurus sit; quod de torrente lapide haurietur in obscuritate mysteriorum Dei. Sed te video in intentione tua aliquando ut aurora rutilantem; sed tamen laborem & angustiam interdum in temetipso & in aliis habentem: ita quod inde tam fortiter fatigaris, quasi ignores quid facere possis. Nunc autem nobilissimum Patremfamilias te admonentem audi. Vigila strenue & surge in lumine, ut virgam ipsius honeste in die feras, nam si exterior homo in flagello Dei aliquando fatigatur, interior tanto fortior exsurgit, de fortissima vi, quæ te sustentare vult in circumeunte rota gratiæ suæ:

EPISTOLA IV. BERTHOLDI abbatis Zvvnieldensis.

Persecutiones patiens quærit ab ea aliquod consolationis præsidium.

HILDEGARDI ancillæ Dei de Monte S. Ruperti in Pinguis, BERTHOLDUS Zvvnieldensis, solo nomine abbas, pulvis & cinis, quid potest oratio peccatoris.

Colloquium vestrum jam multo tempore desiderans volui ore ad os clamorem vobis facere de injuriis & tribulationibus, quas crudeles persecutores mihi inferunt, dum me ad nihilum redigere contendunt. Licet enim consolationibus verborum vestrorum factus sum sæpe lætior, obscuritatibus tamen eorum, eo quod non plene intellectui meo paterent, factus sum tristior. Unde nuntium hunc ad vos mittens lacrymosis & miserabilibus petitionibus aures vestras

pulso, ut pro capacitate ingenioli mei super A angustiis quæ nobis incumbunt voluntatem Dei inquirentes, aliquod solatium per litteras mihi remittatis. Valde enim pertimesco, ne mens mea tempestate insolitæ tribulationis dispergatur, & ne profundo desperationis immergatur.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Declarat filium hereditatis virga vulneratum propter inquietudinem morum mentis suæ.

LUx vivens dicit: Quemdam hominem vidi, quem quasi debilem ac claudum in præcellentia magisterii dimisi. Quomodo? qui in imbecillitate carnis suæ velut nudi naufragi rebelles erant, hos ipse fugit propter timorem belli. Sed nunc illum video sicut humilem & flebilem peregrinum. Unde illum inspicio velut filium hereditatis, virga verberatum propter inquietudinem morum mentis suæ. Volo autem eum in primitivam ecclesiam restituere, quasi felicem hominem, cum mons in Thauro C demergitur. Nunc in æternum vive.

EPISTOLA V. G. ABBATIS Salemensis.

Abbas Rettinhasilis electus in abbatem Salemensem, cupiens utrique præfecturæ renuntiare, quærit ab ea Dei investigari voluntatem.

DIlectissimæ in Christo dominæ & matri suæ H. G. minister fratrum in Salem, si quid potest peccatoris oratio. D

Omnis qui amat Christum, hic etiam spiritum Christi habet, & nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu-sancto. Tu vero, mater dulcissima, speciali a ceteris Christi membris dono Sancti Spiritus finem hujus mundi visitare missa es. Sanctus enim veraciter Spiritus per te atque in te sicut in organo suo loquens, apertissime agnitus revelatur. Denique vidi & legi maxima sacramenta mysteriorum Dei, quæ per te in libro a te scripto Dominus scientiarum indignis hominibus aperiens reseravit. Credo itaque & certissime teneo Spi- E ritum veritatis qui a Patre Deo Filioque procedit, contra mendacii spiritum, qui a patre diabolo in proximo venturus est, per te & loquendo coruscare, & coruscando fulgurare. Tecum igitur sicut cum sponsa & famula Christi & conscia secretorum Dei pro anxietate cordis mei, humiliter ac simpliciter voluntatem opinionis requiro, si tamen hic affectus & hoc desiderium non est contra ipsius voluntatem. Communi fratrum de Salem *consilio*, abbate ipsius domus defuncto, in patrem electus sum, cum & ante per multa tempora eamdem curam pastoralem, licet inutiliter, in Rettinhasili administrassem. Deus qui occultorum cognitor est, ipse novit quoniam & istam & illam administrationem semper omnino invitus habui & habeo. Quapropter, quæso Sancti Spiritus voluntatem simpliciter quærenti mihi simpliciter de hac re insinues: scilicet ut si cautius & salubrius est hoc onus abjicere, digneris mihi dicere; sin autem, & hoc per te scire merear, B quidquid tamen volueris, sigillatæ litteræ mihi a te per latorem præsentium transmissæ referant. Vale, mi domina, in Domino.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Eum qui propter fidem susceperit ovile regendum, curam pastoralem dimittere non debere: eum vero esse prævaricatorem qui ovile relinquit, ut aliud suscipiat.

QUicumque agrum vel ovile propter fidem procurationis susceperit, ipsa dimittere non debet, sed sicut paterfamilias ea reget. Qui enim ovile suum relinquit & aliud recipit, præceptorum Dei prævaricator nominatur. Tu autem pastor secundum pietatem patris, & secundum curam pastoris virgam correctionis habe. Pastor etiam furem non faciat se. Quomodo? Fur enim quæ vult aufert, & quæ non vult dimittit. Sic quoque multi pastores secundum propriam voluntatem quod volunt eligunt, & quod nolunt reprobant. Sæpe etiam perfectos discipulos contemnunt, & vagos D atque vanos requirunt. Pius namque pater in omni dilectione filium suum corripit, & quod bonum est ipsi non abstrahit. In congregatione autem tua quosdam per bona opera & per patientiam rutilantes sicut auroram video, sed majorem partem per vicissitudinem morum & per vanitates nebulosas, & proprietatem suam in verbis excusationis cerno. Hos admone & corripe quantum poteris. Deus enim vetus & novum testamentum elegit, & ea filiis suis reliquit, ut per Spiritum-sanctum recta lege vivere docerentur. Deus autem te vult. E Vide ergo ne ab illo discedas.

EPISTOLA VI. B. ABBATIS S. Eucharii.

Dona Dei in ipsa laudat, ejusque precibus se commendat.

HILDEGARDI margaritæ prælucidæ B. pauper Christi servus & abbas de

S. Eucharii immeritus, in virginitatis proposito placere virginum sponso.

Audivimus & novimus famam vestræ virtutis, immo virtutem quæ operatur in fictili vase vestro divinæ pietatis. Audivimus & novimus, statimque propheticum illud expletum in vobis consideravimus: *Bonum est viro, cum portaverit jugum*, &c. vere multum & super vos extulistis: quia quod nos aggredi formidamus; in virili animo supergressa sic in consuetudinem duxistis, ut cum apostolo dicatis: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Sed nos licet tumultuantis sæculi fluctuationibus impediti, salutare sanctitatem vestram per nuntios nostros diu supersedissemus, in nullo tamen refriguisse credendus est ignis ille caritatis, qui semel erga vos ardere cœpit in cordibus nostris: unde & in nullo minus beatitudo vestra memoriam pusillanimitatis nostræ apud eum, cum quo unus spiritus estis, habeat, & idem pro nobis & pro loco nostro agere commissas vobis sorores incessanter admoneat, admonitoria quoque verba vestra desideramus, & vos semper bene valere ex omnibus visceribus nostris exoptamus. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Pia ei dat monita, præsertim, ut in subditos mansuetudinem exerceat.

QUi est dicit: O homo, tu indutus es lorica fidei, & circumamictus cingulo sanctitatis. Velut homo faciem suam in speculo videt, non habens in hoc plenum gaudium, quia interdum dubitat, utrum facies ipsius pulcra sit, an non. Nam mens tua similis est ædificio, quod a longe aspicitur, & quod nebula aliquando tegit. Sed & præceps es sicut sarcina, quam portator in venditione portat. Unde vide utrum utilior sit bos, an asinus; an viridis terra, an arida; an nomen, an pronomen; an mons, an vallis inter inimicos hominis. Sed probus magister multo utilior est cetera turba. Quemadmodum & aer utilis est, diversos fructus in alis suis producens. Opera enim hominis parum valent sine providentia magistri. Nunc cave ne tabescas in magistratione quam diu velut oculum unum habes vitæ: sed præbe lumen tuis in materna
Integr. dulcedine, & vulnera eorum * terga sine fama tyrannidis: quoniam bonus medicus vulnera hominum cum misericordia ungit, nec in hoc tardat. Nam propriæ ovi suæ osculum dedit, & in sanguine suo eam lavit. Tu autem, ô homo, misericordiam, scilicet pulcram amicam regis, in thalamo mentis tuæ pone, & suavissima caritate indue sanctitatem sicut purpuram; ac sicut diadema decoris atque dulcissima aromata in sinum tuum collige, & in æternum vives; sicut mons myrrhæ & thuris. Vigila ergo; portans onera tua cum clave remunerationis: ita ut cum sol super omnia sine turbine diversarum tempestatum radiat, ibi utiliter tibi appareas.

EPISTOLA VII. L. ABBATIS S. Eucharii.

Suam erga eam testatur reverentiam, oratque ut de sibi commisso negotio rescribat.

SAnctæ & Deo dicatæ virgini H. matri suæ dilectæ, L. solo nomine abbas de S. Euchario salutem, & tantæ devotionis affectionem, quod si quis præter me sciret; vel nihil, vel ea quæ non sunt scibilia sciret.

Satis ridiculosum videretur si aquilas papiliones; si cervos pulices, si leones lembrici missis litteris salutarent. Sic, immo plusquam sic mirandum, vel ut verius dicam ridendo, quod peccator in divinis vel humanis artibus parum, vel nihil valens, illi scribere præsumit, quam Deus cum mirabili castitatis prærogativa, tam alta & tam insigni mirificavit ingenii excellentia, ut non solum philosophorum & dialecticorum, verum etiam antiquorum prophetarum exsuperes acumina. Temeritæ tamen præsumtioni, mater piissima, solita benignitate non denegabis veniam, cum rescribendi causa fuerit familiaritatis audacia. At tibi scribendum & ad te sæpe veniendum non me viæ absterrebit difficultas, dum sermonum tuorum me invitet utilitas tanto gratior, quanto majori fuerit studio comparata. Gratius enim possidemus quæ cum labore acquirimus. Unde domina nostra te non moveat improbitas, quoniam vires, quas tibi corporis denegat infirmitas, compatiens administrabit caritas. Litteras a te promissas cum magno desiderio expecto, quas per præsentium latorem mittere non differas. Sed & etiam quod tibi visum fuerit de negotio tibi commisso rescribas.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Docet quomodo suos erga subditos se gerere debeat.

IN vera visione vidi & audivi hæc: Quidam vir hortum studiose colebat, sed nebula superveniens illum arefaciebat, & vir ille eumdem hortum incultum dimisit, postea eumdem hortum fodiendo evertit, & rosas & lilia ac alia bona aromata in illo posuit: sed iterum flores herbarum istarum de superveniente turbine commovebantur. Tunc idem vir intra se dicebat: agrum de horto isto faciam, in quo triticum & hor-

deum seminabo. Nunc tu, qui pater nominaris, audi. Hortus iste initium tuum erat quod primum per variam vicissitudinem aliquantum nebulosum fuit, sed postea per ammonitionem Spiritus-sancti, illud ad meliorem partem convertisti, & in Spiritu-sancto velut in bonis herbulis delectabaris. Tædium tamen te interdum fatigavit, quemadmodum turbo flores inclinat. Nunc Deo placuit quod agricolam te constituit, ut cum magna sollicitudine undique circumspicias, & aratrum recte in terra ponas; quoniam tibi non proderit, quod per tædium torpeas. Hæc secundum exempla sanctorum facies, & in eorum moribus mores pii patris disces. Bonos & rectos ama, vanos autem & delinquentes corripe, ac eos qui ut lapides duri sunt patienter tolera, ne cum duritia, ne cum impetu iræ sicut aquila super eos cadas; sed ut omnia cum moderatione facias. Sic fac ne gregem Christi dispergas. Te ipsum quoque coerce, & secundum regulam doctissimi magistri vive, & de fortissimo viro instruere; qui aquas produxit & eas in rivulos divisit, & qui terram facit germinare & pomiferam florere; & qui montes exaltavit, & eos super valles posuit; & qui firmamentum cum omnibus ornamentis suis constituit, & qui ventos eduxit flare, ac aerem cum igne volare. Idem etiam vir beatus est, quia omnis beatitudo ab ipso procedit, & vir nominatur, quoniam omnia creavit, & omnia quæ virtuosa & fortia sunt viriliter pertulit. Ergo sensum tuum rivulis aquarum scripturarum & conversatione sanctorum & quomodo vivebant imbue, & corpus tum prohibe, ne divitias diaboli, sed virtutes per bonam doctrinam faciat germinare, atque montem virtutum attende: & hoc per humilitatem facito, & in fratribus tuis flores velut de arboribus producito. Sol quoque esto per doctrinam, luna per differentiam, ventus per strenuum magisterium, aer per mansuetudinem, ignis per pulcrum doctrinæ sermonem. Hæc in pulcra aurora incipe, & in rutilante lumine ea perfice, in quibus etiam strenue persiste, ut in æternum vivas.

EPISTOLA VIII. VV. ABBATIS Bosonis-villæ.

Persecutiones & calumnias passus ab ipsa orationes & consolatorias litteras petit.

W Dei gratia, licet indignus, Bosonis-villæ abbas, H. dilectissimæ suæ ac Deo dicatæ virgini, illud quod felicissimum in vita æterna est.

Quoniam in tribulationum procellis portum salutarem omnibus ad te confugientibus gratia Dei te donavit, idcirco & nos periclitantes, manus ad te supplices extendere non dubitamus. Præsenti igitur litterarum cautione tibi insinuamus, quod ecclesiam nostram, quæ per Dei misericordiam annis multis in magno honore habita est, jam peccatis nostris exigentibus, detestandus infamiæ rumor asperserat. Nam quidam ex nostris incentores malorum, suggerente eis qui bonis semper infestus est diabolo, domum nostram, nos & totum conventum qua possunt perturbatione gravare non desinunt; & ut totum concludamus, egerat hoc effrenata eorum superbia, ut universi peccata nostra latentia jam patuisse dicant. Hujusmodi ergo oppressionis sarcinam sublevationis causa deferentes ad te, petimus humiliter, ut super hoc aliquod consolationis verbum nobis rescribas, ante omnia & ut orationibus tuis Deo & hominibus nos reconcilies, instanter rogamus. Vale.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS

Monasterium ipsius Dei auxilio sustentari docet, monetque ut quædam vitanda fugiat.

IN visione qua anima mea frequenter videt, vigilans aspicio in loco tuo turbinem, quasi in aliqua vicissitudine nubis retilantis & nigræ ac turbidæ, & ipsum locum valde commotum. Sed in anima tua tres colores video. Primum in nigredine malitiæ & iracundiæ. Secundum in fumo gustus inutilitatis. Tertium in similitudine rutilantis auroræ benevolentiæ & suspirii ad Deum anhelantis. Glorioſum autem lumen in aliquibus turbæ tuæ video ad Deum ascendere: unde Deus ipsum locum in auxilio suo sustentat. Tu autem, probe pastor, agrum illum aspice, qui in plenitudine fructuum a Deo benedictus est, & super quem nigra nebula venit, quæ cum valde lædit, ac fructum suum pejorem priore facit. Hoc est tædium & malignitas, quæ in corde illius sunt, qui bonum scit & perficere potest, sed in utraque parte, scilicet tædii & malignitatis mentem suam occupat, & sic a bono opere impeditur. Fili Dei, ista fuge, & in fructuoso agro igne Spiritus-sancti operare antequam dies illa veniat, quod plus operari non valueris.

EPISTOLA

EPISTOLA IX. R. ABBATIS Zvvetellensis.

Consilium petit an curam pastoralem dimittere debeat.

SAnctæ ac venerandæ matri H. R. servus servorum Dei de Zvvetel, Regem regum in decore suo videre in terra viventium.

Gratiam Dei in labiis vestris esse diffusam probat manifestatio Spiritus data vobis ad multorum utilitatem. Nam illum qui ex Deo est spiritum sapientiæ & intellectus accepisse vos credimus, qui ubi vult spirat, & cui vult misereatur, & quem vult indurat. Hæc mihi scienti placuit his litteris prudentiam vestram consulere, immo prudentiæ vestræ actorem Spiritum-sanctum ad discutiendam caliginem mentis meæ per vos invocare. Nam porro onus grave, pastoralis scilicet curæ officium, quod usque in finem portare mihi tantæ rei nec vitæ merito, nec sapientiæ doctrina congruenti difficile est ac laboriosum, deponere vero æque periculosum. Obsecro igitur vestram sanctitatem, ut in hac fluctuatione pusillanimitatem meam consolemini, & quidquid placuerit Spiritui-sancto mihi rescribere dignemini.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Pia & salutaria ad suorum regimen ei dat monita.

IN mente tua cogitando exaggeras quod de unoquoque labore quiescere vel desistere velis, ac sic manum ad operandum opus magistri tui non levas; sed frementibus dentibus intra te dicis: omnia quæ mihi contradicendo adversantur sustinere non possum. Tempus enim istud tempori filiorum Israel simile est, quo illorum præpositi præcepta Dei eos instruendo valde laborabant; sed ipsi in lacum proprietatis eorum Deum contemnendo aspexerunt. Hoc etiam nunc in filiis Israel, scilicet in spiritali populo, qui in contemplatione Dei est, contingit. Sed filii Israel quomodocumque peccaverunt, Deus numquam eos sine magistro esse dereliquit. Novissime quoque immaculatus magister venit, qui in humanitate sua omnem iniquitatem vulneravit, & qui super omnes potentissimus fuit, quia nullus ei simul apparuit. Sed quod ille ab injustis passus sit, & quale exemplum magistris reliquerit, attende. Sed tu intra te dicis: Nullum bonum in ipsis perficere possum. Nunc autem in teipsum respice, & quomodo eos portes & sustineas vide, ita quod nec ipsi tecum A culpentur, nec tu cum illis culpabilis sis. Qui vero justitiam diligit & injustitiam affligit, nec ei in ullo communicat, etiamsi a discipulis non audiatur, justus est. Christus enim dilectos & electos suos collegit, quamvis a cunctis hominibus receptus non sit. In teipsum etiam respice cum circumcinctione justitiæ Dei, ut scriptum est: *ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate*, hoc est in animo ac in corde tuo, mansuetus & mitis esto. Et hoc quoque in fimbriis aureis fiat: ira ut hæc dilatando sapienter facias, ac cum circumcinctione B justitiæ subditos tuos corripias: caritatem cum varietate illa habens, quod eam ubique spargas. Quemadmodum venti in viribus suis divisi sunt. Aquilo namque percutit, & nullo modo parcit; sed alius ventus isti in aliquo similis est qui eum sustinet. Alius vero ventus his in blandimento obvius est; sed alius omnes eos temperat. Aquilo enim firma correptio est, in qua quædam ira latet. Sed quidam alius ventus eum cum severitate & discretione sustentat, ut homo juste corripiat. Ventus autem qui ipsis declivior est hominem misericordiæ & pium C esse docet: ita quod in seipso etiam unumquemque alium hominem esse recordetur; & ita ventus iste oculus eorumdem ventorum est. Sed ardens ventus omnes ventos istos cum caritate temperat & dividit, ac discernit, scilicet ne aquilo cum cadente morbo cadat, sicut satan cecidit; sed ut in rectitudine perseveret, & ut ille ventus qui severus est in constantia justæ vindictæ consistat, quomodo scriptum est: *Irascimini & nolite peccare.* Hoc est ira talis esse debet, ne ipsa iniquitati societur consentiendo, & ne hominem odibili crimine totum concilet. Unde & lenior ventus ille prædicto ardente vento temperatus, cum discreta correptione persistat, ut ille facit qui filium suum cum virga percutit, quem tamen diligit. Tali modo teipsum tempera, divide, ac discerne, & in fide, ac in timore Dei te corripe, & tunc joculatrix vitiorum & obnubilatio inquietorum morum a te fugabuntur, ac ignis Spiritus-sancti in te ardebit.

EPISTOLA X. NICOLAI abbatis Halesbrunnensis.

Consolatorias ab ea petit litteras.

VEnerabili in Christo multum dilectæ matri dominæ H. de S. Ruperto, frater NICOLAUS dictus abbas in Halesbrunnun, quidquid optari potest felicius vel sperari sublimius.

Certus de vobis, quod universis utiliora providere jucundum semper habueritis, precor attentius, ut & mihi solito affectu consulatis. Cur autem tamdiu sanctitatem vestram non visitaverim, credo vos non

latere, cum medullitus id desideraverim. Verum quod nequeo opere, mente perago. Utrumne hoc ita sit, non opus est præter vos alio teste. Nunc vero supplex peto, quæro, pulso, ut mihi per vos divina detur consolatio: scilicet ut litteris vestris præmonear, & sanctis orationibus a malo eripiar. Nam Deo nihil est impossibile, nec vobis hoc denegari scimus. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Bonam ipsius ad Deum intentionem laudat, B hortaturque ad laborem.

LUx vera in lumine dicit per os Sapientiæ: Vetus lex officialia signa reliquit, & in auditione verbi tædium habuit, nec laborare voluit, ac sic finita est. Tunc ecclesia in vexillo regis surrexit, & eamdem legem in purissimo oculo observavit, nec tædium habuit, sed libenter laboravit. Sic tu ô probe miles fac, & iterum: Cum vir præliator exercitum suum educit, si vexillum suum aliquis vilis homo cadere permittit, alius vir fortissimus illud elevat ac strenue portat: propter quod Dominus suus ipsum valde amat, & magnum præmium ei dat. Sic & tibi fiet, si in vice Christi strenue cum eo laboras. Mens autem tua in quadam bona intentione ad Deum rutilat, sed quidam ventus turbinis cujusdam inutilitatis te fatigat, quem tamen Spiritus-sanctus a te abjiciet. Et plateæ quarumdam civitatum lutulentæ sunt, & calciamenta quorumdam hominum putredine plena sunt, ac justitia cum iniquitate obnubilata est, & præcepta legis cum prævaricatione præceptorum Dei violata sunt. D Qua propter pastores ululent, & cinere se aspergant, quia constituti gradus ecclesiæ jam scire nolunt quid sint. Nam caput oculis caret, ac pedes itinera non habent, quoniam flagitia superfluæ iniquitatis hominum de manu Dei nondum ad plenum purgata sunt; sed tamen eadem mala non post longum tempus finientur, & melior lux priore lucebit. Nunc autem quidam homines in duas partes cordis sui divisi sunt, scilicet in alteram partem, quod cum elatione propriæ mentis omnia scire volunt, in alteram vero quod odio habent profe- E ctum illorum, qui in via recta ambulant. Hos pessima diabolica turba quæ cor mali nominatur acerrime & noxie fatigat. Et hoc genus malignorum spirituum contradicere non audet illud quod Deus construxit, sed unamquamque causam aliene distrahit: ita ut quod ipsi in perditione volunt & eligunt, hoc in æstimatione sua bonum & sanctum in Deo esse dicunt, & sic in magna irrisione populum ducunt. Sed

quomodo hoc genus effugiendum est, in humilitate & stabilitate fidelium hominum destruitur.

EPISTOLA XI. ABBATUM Bellævallis, G. Cari-loci, A. Clarifontis, R. Caritatis, & G. Bethaniæ.

Divina in ea dona laudant, mittuntque ipsi sterilem nobilem feminam, ut suffragantibus ad Deum illius meritis & precibus parere possit.

BEllævallis, G. Cari-loci, A. Clarifontis, R. Caritatis, G. Bethaniæ, dicti abbates, H. præelectæ Christi sponsæ florere in gratiam & collaudare canticum.

Cunctorum spiritualium Deo largitori carismatum, toto cordis jubilo gratiarum exsolvimus actiones, qui dignationis suæ antiqua miracula nostro non dedignatur renovare in tempore. Ex quo facile advertimus ejus nos minime fraudari promissis, quibus suos olim consolatus est dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* His licet nos indigni inveniamur promissis, eis tamen sic vestri cordis, cooperante Spiritu-sancto, recognoscimus inflata præcordia, ut quamvis idiota condiendi libros, aliaque mira perplura faciendi, hisque qui inpræsentiarum sunt stupendi, cœlestis mirabiliter aspiret armonia, & ante incognita mortalibus per vos fiant manifesta. Et quid mirum? jam enim, jam, inquam, ut vera Christi sponsa & immaculata innixa super dilecto suo, cujus læva sub capite vestro, & ejus dextra amplexatur vos, qui vos in suum cubiculum duxit, suaque vobis secreta excellenter reseravit. Ut in his vos confortet Dominus sedulo vobis optantes, quatenus aliqua nobis do nostro statu divinitus vobis revelari, nobisque insinuare curetis, humillime deposcimus. Sed hæc mulier præsentium latrix femina nobilis est, & cujusdam amantissimi viri uxor est. Hæc devotione multa venit ad te humilis & pedestris, cum in equis & multo comitatu possit venire. Causa autem hæc est adventus ejus. Jam multo tempore sterilis permansit, cum tamen primum pueros generavit: sed illis mortuis, & alios non gignens, dolore vehementi afficiuntur ipsa & maritus ejus. Hinc est quod ad te ancillam & familiarem Christi confugit, habens fiduciam quod meritis & orationibus tuis obtineas apud Deum, ut possit adhuc fœcundari, & benedictum fructum ventris in prolis procreatione exhibere Christo. Inde est, quod nos ab ipsa & ab marito ejus rogati, rogamus te, ut in hac petitione pro ipsis stes apud Deum, & quod desiderant mereantur obtinere.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Post varia eis data pia monita, ait in Dei voluntate esse fœcundare vel non fœcundare matronam, interim oraturam se pro ea pollicetur.

O personæ quæ per gratiam Dei in dominica vocatione pastoralis curæ estis, discite primam vocationem Adæ, cum Deus illi dixit: *Ubi es*, quando per inobedientiam prævaricator extitit. Tunc etiam illi nomen quasi tenebrosa terra erat, & B Deus ipsi vestitum dedit, sciens quod propter eum tunicam humanitatis sumturus esset. In qua etiam clara voce misericordiæ illum revocabat, quando peregrinus filius in semetipso ad memoriam sui rediit, cum dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo*, & pater ejus ipsum in gaudio suscepit. Nunc decet vos magistros, ut in primo oculo claritatis videatis, quod Deus per alienam viam Adam revocavit, scilicet per osculum humanitatis in saginato vitulo, sic dicens: Homo per inobedientiam perie- C rat, sed eum per pœnitentiam reducam. Sed & in excelsum montem ascendite, ac in valle tabernacula facite, & in eis diu manete. Cum enim sursum aspicitis, Deum sequendo montem ascenditis. Tunc etiam in profundam humilitatem respicite, quoniam Filius Dei in humanitate sua totum hominem portavit, ac in omnibus operibus vestris, scilicet in vobismetipsis ac in aliis humilitatem attendite, & in ea diu perseverate. Cavete ergo ne mens vestra similis sit nigro monti, ubi in ignitis carbonibus D æra fiunt per artes fabrorum. Hoc squalidi mores in mala consuetudine sunt, interdum cogitando, interdum desiderando, interdum operando quæ inutilia sunt, quæ sanctitatem non parant; sed quæ læsionem lasciviæ faciunt. Ista milites Dei fugite & lucem illam inspicite, quam aliquantulum gustastis, & ad sanctitatem citius surgite, quia nescitis quando finem accipiatis. Deus enim rationalitatem homini dedit. Nam per verbum Dei homo rationalis est. Irrationalis autem creatura velut sonus est. Sic Deus omnem creaturam in homine constituit; sed rationalitati duas alas dedit, quarum dextra ala bonam scientiam, sinistra autem malam scientiam significat. In his homo est quasi volatilis sit. Homo etiam velut dies, & velut nox est. Cum autem dies noctem in homine opprimit, homo bonus miles nominatur, quoniam in militari virtute malum superat. Unde vos, ô filii Dei, Christo per diem militemini, & in quiete mentis nebulam fugite, quæ diem obnubilat, ac etiam nocturnas insidias quæ A per propriam voluntatem in dilatatione cordis nimietatem loquuntur declinate, & estote dies quæ a cadente rore in mane tangitur, & quæ postea in placida temperie temperatur: ita quod omnia in discretione probetis, & quod vobis & aliis bona recte provideatis. In cavernis ergo columbæ cum pura simplicitate habitate, ut vocem exultationis & salutis in tabernaculis justorum habeatis. Nam Deus vitalem vocem spiraculi vitæ in rationalitatem posuit, vocem scilicet exultationis, quæ cum bona scientia Deum in fide videt & cognoscit, & eadem vox in bene sonante tuba cum operibus benevolentiæ sonat. Vox enim ista amplexionem caritatis habet: ita quod etiam humilitate mansuetos colligit, & misericordia vulnera ungit. Caritas etiam cum torrente aqua Spiritus-sancti fluit, videlicet cum pace bonitatis Dei Humilitas quoque hortum cum omnibus pomiferis gratiæ Dei parat, quæ circulum omnis viriditatis donorum Dei habet. Misericordia autem balsamum sudat ad omnes necessitates quæ homini assunt. Hæc etiam vox caritatis in symphonia omnium laudum salutis sanat. Ipsa quoque per humilitatem in excelsum sonat, ubi Deum videt, & ubi cum victoria contra superbiam pugnat. Ista enim vox per misericordiam lacrymabili & jocunda voce clamat, quia pauperes & claudos ad se colligit, & quia sic auxilium de Spiritu petit, ut hæc omnia bonis operibus impleat. Ipsa enim in tabernaculis sonat, ubi sancti per ædificia illa fulminant quæ sibi in hoc sæculo præparaverunt. Vos autem, ô filii Dei, voci bonorum vos adjungite ubi jussi sunt; & Deus suscipiet vos, quoniam vos vult, & in æternum vivetis. Quod vero matronam Dei adjutorio fœcundari peritis, hoc in Dei voluntate & potestate est, quia ipse novit ubi prolem concedat, ubi prolem auferat: quoniam non secundum visum hominum, sed secundum interius judicium judicat. Ego enim quoniam rogastis, pro ipsa Deum orabo; sed ipse faciat, quod inde pie & misericorditer fieri disposuit.

EPISTOLA XII. N. ABBATIS Eberburdæ.

E *Gratias immensas agit Deo pro collatis Hildegardi donis, petitque ab ea orationis suffragium.*

FLoribus virtutum Sanctorum redimitæ H. glorioſissimæ ancillæ Christi de Binga, N. humilis & indignus provisor fratrum in Eberburde, pro studio boni propositi, denario diurno evangelico remunerari.

Gratias immensas referre non cessabo Deo, qui vestræ personæ celsitudinem tamquam lucernam ardentem non modio sub-

tectam, sed super candelabrum posuit, qui angelica visitatione & Spiritus sui gratia vestram reverendam sanctitatem tueri ac consolari non desistit; qui etiam bonam famam opinionis vestræ non solum in regione Germaniæ, sed etiam in nostris atque aliis mundi partibus longe lateque velut bonum suum odorem respersit, ut merito cum apostolo dicere possitis: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Et nos congratulantes tanto pietatis vestræ culmini, dicere compellimur, *quam pulcra facta es in deliciis, filia principis, exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum:* in quibus nos infirmi invenimus quod fugamus, & fortes quique ac robusti secundum a Deo datam vobis sapientiam solidum cibum sumentes dicere irreprehensibiliter possint; *Labia tua, ô sponsa, Deo dilecta.* Civitas enim in monte virtutum collocata abscondi non potestis, quia columnam immobilem & inconcussam in medio ecclesiæ suæ Dominus vos constituit, ut inter ærumnosa hujus mundi discrimina plebs sua suo sanguine redemta per vos discat quid appetere, quid cavere debeat, & exemplis bonarum virtutum vestrarum instructa de die in diem proficiat, & de virtute in virtutem non segniter ascendens videre possit Deum deorum in Sion. Obtentu igitur precum vestrarum confisus, ac si dignus non sim coronam laborum percipere, saltem sit mihi primum fugisse supplicium. Vestris igitur orationibus studiose me commendo, quia magnis peccatis sæpius pietatem Dei offendi. Vale, domina dilectissima, & pro me indigno Deum exora, verbisque tibi a Deo datis saluta.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ut gregem strenue doceat, & in se ipsum oculos deflectat.

JAcula quæ in incredulitate & in contumelia malitiosorum verborum veniunt, similia periculoso vento sunt, qui repente ad cor hominis venit. Et hæc est tempestas primi angeli, in quo ipse Deum despexit. Sæpe autem video in felicitate hominis, quem Deus valde amat, quod hæ pœnæ se illi objiciunt, quia inimicus felicitatem illius cognoscit, ac eum in hac tempestate opprimere vult, ut cum eo cadat. Sed ipsum de sinu Dei rapere non valet. Attamen angustia & tribulatio illi ab elementis occurrunt, in illa tamen temperantia quod Deus eum observat. Sicut autem ecclesia novam genituram novæ prolis in sanguine Christi suscepit: ita oportebat & decuit dotem Spiritus sancti, scilicet aquam sanguine Christi conjungi: quia etiam tabes in sanguine cujusque hominis est. Sed admoneo te, ô paterfamilias in monte Sion, ut facias quod sis tuba canens strenue in spirituali populo tui gregis, ut non deficiat in caritate & in obedientia, & in æternum vivens. Et iterum in temetipso undique habe oculos ad aspiciendum justitiam & veritatem: ita ut anima tua semper vigilet, ne in strepitu hujus sæculi impediaris.

EPISTOLA XIII. RICHARDI abbatis *Sprinchersbat.*

Pastoralis curæ pertæsus consultat Hildegardem, eam an retinere aut abjicere debeat.

RICHARDUS servorum Dei in *Sprinchersbat* minister indignus, H. congregationi S. Ruperti sanctissimæ & Deo dignæ dispensatrici post hujus mundi terminum supernæ civitatis recipere consortium.

Quod litteris vel ipsi sane præsentium latori pro me nunc vestræ sanctitudini interim præcepi assistere & loqui, hæc causa est, quia ego ipse per me atque pro me venire quidem volens, sed non valens, dies fateor & annos non paucos hactenus in vanum hæc cogitando consumsi. Nam quantum certe & ex quanto magnificæ sanctitatis vestræ præsentiam & collocutionem ab initio semper desideraverim; ipsum nunc cui nuda & aperta sunt omnia; non fallaciter, sed vere & veraciter Deum testificor. Infelix igitur ego in dispensanda vel administranda cura pastorali constitutus, viribusque nimirum tam mentis quam corporis prorsus pæne destitutus; quia ad hæc dispensanda vel administranda, me satis inutilem, debilem & imparem conspicio. Dolere tantum & flere, & de corpore mortis hujus liberari magis ac magis desidero. Nunc itaque, sanctissima & inter feminas benedicta, per vos Dominum quærere de causa mea, ex more Dominum cupio consulere, & an mihi jam ab hac ipsa occupatione & dispensatione potius cessandum & desistendum sit. Si id liceret, per vos maxime vellem cognoscere & investigare. Litteris ergo sigillatis more & clausis, hujus rei tenorem me, quæso, causa Dei quantocius rescire facite, & mœrens cor meum consilio & auxilio vestro in Domino lætificare.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad portandum strenue onus sibi a Deo impositum.

AUdi mystica Dei. Dominus qui possidet familiam sibi subjectam, cum aliquem de eadem familia eligit, dans illi locum sanctificationis, ut onus suum secum portet: ita tamen quod ille se excusat, quod non sit dignus onus illud sufferre: tunc si Dominus suus eum in hoc non audit, quia sibi placet ut onus illud ferat, Dominum suum non commoveat; sed quantum prævalet illi humiliter obediat. Quod si postea in eadem causa ullus defectus alicujus utilitatis propter imbecillitatem sensus & scientiæ illius subripuerit; ipsi non oberit; quia Dominus suus illud providebit. Nunc, pater & amice, in vice Christi respice ad sermonem istum & audi: Os enim tuum cœleste est, & mens tua cum nube floret: unde radix tua ascendat, ac Dominum Deum tuum adora, & induc loricam, atque militare contra bacchantia vitia, lasciviam fugiendo & avaritiam non amplectendo. Deus autem quem occulte invocas, in amore tuo suscipiet te.

EPISTOLA XIV. CUJUSDAM abbatis.

De collatis Hildegardi donis, quorum ipse testis fuit, Deo gratias agit, ac fluctuanti petit consolatoria verba dari.

PAuperis prælati habens officium, dominæ & matri suæ, H. de S. Ruperto in Pinguis intimæ dilectionis & orationis affectum.

Sicut multitudo fidelium proclamat, non est mirum quod Deus requisitus a vobis invenitur & appareat vobis, quia fidem non fictam habetis in illum, & quod majus est, ejus favore & gratia integritatem pueritiæ ipsi consecrastis, & ex tunc in sanctitate & justitia, utpote vas electionis hactenus coram eo vixistis. Et proculdubio qui vos tales conversari constituit, & quod præcipuum est, qui arcana mysteriorum suorum per vos innotescit, dignam quoque exauditione judicat, pro quibuscumque in nomine ejus petieritis. Et certe quæ erga vos sunt, quæ & audivi & ex parte vidi, absque ulla ambiguitate divina & sancta esse credo, & nulla ratione de his possum dubitare, cum sciam nihil Deo esse impossibile. Deus namque sicut per viros prophetantes, sic & per sanctas feminas secreta divinitatis suæ pandere aliquando voluit & potuit, testante Johel: *Effundam*, inquit, A *Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & super servos & ancillas meas effundam de Spiritu meo.* Porro legitur Deboram, Oldam, Annam matrem Samuel, Elisabeth matrem S. Johannis Baptistæ, aliasque mulieres Deo devotas Spiritum prophetiæ habuisse, & tamen conjugatas fuisse: quanto magis vos omnino carnis fragilitate expertem, a puerilibus annis pudicitiam Deo servantem? Immensas gratias, Domina, omnipotenti misericordiæ refero, quod tantumdem ad beatitudinis vestræ notitiam pertingere promerui: unde & materna viscera humiliter pulso, quatenus verba consolationis per scripta vestra ad me dirigatis, & multum in procellis fluctuantem, sicut & sæpius viva voce fecistis, ita etiam & nunc ex scripto ad confirmationem memoriæ erigatis.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Sub quibusdam figuris eum ad bene operandum hortatur.

C MEns tua niveæ nubi similis est, quæ aëriam nubem in qua sol fulminans transcendit, & etiam interdum similis est turbidæ nubi, quæ tempestatem portat. Nivea enim nubes tædium vagantis mentis est: aëria autem nubes puram scientiam per patientiam quæ fidem habet intendit; sed turbida turbulentiam multæ tristitiæ in inquietis mentibus portat. Nunc disce quod nivea nubes aerem aquilonis habet, qui omnem viriditatem arescere facit, & de quo flores cadunt. Nunc tu ista fuge, & in puro aere sta & permane, ac in vita quam nescis creatoris tui memento, nec illum fugias, cum eum videndo non cognoscis. De vita etiam illa spiritus tuus redolebat, qui anima nominatus est, quando anima de ipsa processit. Anima namque opera ponit & probat, & sive bona sive mala sint, & eisdem operibus Spiritus fortissima vi molendinum est. Tu autem ædificium bonorum operum ædifica, ut cum circulus animæ tuæ fuerit otiosus, ædificium istud inveniat; quod si non invenerit in ruinam vadit. Unde quoque strenue vigila, antequam umbra obitus tui appropinquet. Igneus Spiritus-sanctus in hoc te adjuvabit.

EPISTOLA XV. H. PRÆPOSITI de Flanheim.

Precibus ipsius se commendat.

SAnctæ & venerandæ in Christo matri dominæ H. de Pinguia, H. de Flanheim, præpositus licet indignus multam orationis & obsequii devotionem.

Cordium inſpector Deus novit, quam libenter ſanctitatem veſtram obſequiis honorarem; ſi ordinatione divina locum & facultatem acciperem. Interim igitur, accepta ſit vobis quæſo devotio mea; & ſicut dudum verbo rogavi, orate pro me ad Dominum, ut vobis revelet quæ circa me ſunt, quatenus de bonis reddere gratias; de malis vero dignis pœnitentiæ fructibus Deo ſatisfacere merear antequam moriar. Quidquid vero Dominus oſtenderit de me, ſcripto mihi ſignificare dignemini, & orationibus veſtris me habete commendatum. Familiarius & amplius vobis ſcripſiſſem; ſi corporis infirmitas non obſtitiſſet.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut ovile ſuum corripiat, & Deum in puriſſimo fonte inſpiciat.

LUx vivens tibi dicit, ut ſtrenue vigiles, & ne tædium in cophino mentis tuæ colligas quaſi alienus ſit: ita ſcilicet velut poſſibilitatem loquendi non habeas. Deus autem in te requirit hoc, quod poſſibilitatem habes, corripe ovile tuum. Unde te ipſum accuſa quod Deum in puriſſimo fonte in hoc non inſpicis; ſed tantum dicis: Deus Deus meus adjuva me; & tamen ſic operando eum non tangis. O bone miles, nunc ſurge quia gratia Dei ad te currit, & in æternum vives: ita quod vivens lapis ſis in cœleſti Jeruſalem.

EPISTOLA XVI. W. ABBATIS Hegennehe.

Animæ ſuæ defectus illi aperit, & corporis infirmitatem, petitque utriſque ipſius precibus mederi.

HDeo dilectæ & ſororum de S. Ruperto. in Pinguis magiſtræ venerandæ, W. fratrum in Hegennehe prælatus quamvis indignus, donum ſcientiæ & ſapientiæ & & perpetuæ integritatis præmium.

Ut primum veſtræ ſanctitatis famam audivi, ad ſalutandam eam miſſis vobis litteris meis maturavi: ſed quia utrum præſentiæ veſtræ allatæ ſint, an non incertum habeo, & ideo novas prioribus adjiciens, multotiens mittere non ceſſo, quouſque eas præſentiæ veſtræ exhibitas eſſe cognoverim. Et nunc in his vobis tranſmiſſis litteris meis, ad opem orationum veſtrarum pauper valde & egenus confugio, quia præter figuram hominis neſcio quid de donis altiſſimi acceperim. Caligat viſus, ſurdeſcit auditus, inopia loquelæ lingua conſtringitur, defectu vocis & devotione mentis in divinis laudibus muteſco, tarditate intellectus præpeditur, memoria labilitate exinanitur, ſuperbia animus inflatur, ira accenditur, triſtitia conſtringitur, accidia dejicitur, puſillanimitate & verecundia continue confunditur. Sed his malis omnibus acceſſit mihi gravis & moleſta infirmitas, quam niſi miſericordia Dei per te evadam, neceſſe eſt mihi per eam poſt modicum periculum vitæ imminere. Sed quia pius & miſericors eſt Deus, & voluntatem timentium ſe faciet, peto ut per orationes veſtras, hæc omnia mala tam in corpore quam in anima evadam, ſublimatoque a me jugo dominationis inimicorum meorum, valde enim aggravatum eſt ſuper me jugum eorum, mihi aliquam partem de multitudine miſericordiarum ſuarum impendat. Num & mihi ſervavit benedictionem? mihi obſecro etiam benedicat. Peto etiam veſtram ſanctitatem, ſi tamen petere audeo, ut de futuro ſtatu vitæ meæ me doceatis. Hæc autem omnia a vobis quærere ea præſumtio fecit: quia hæc omnia vobis poſſibilia eſſe per eum qui in vobis habitat Chriſtum celebris fama divulgavit. Vale, domina, & dignum me Deus faciat tam reſponſione, quam adjutorio orationum veſtrarum. Nam vivum & defunctum ſanctis orationibus veſtris me committo.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut prælationem fugiat ſi ſuis ſit inutilis.

LUx vivens dicit: prima cauſa quam corde tuo ſuſtinuiſti flumen dedit, ſecunda claritatem oſtendit, tertia vero quæ eſt in paſtorali cura optima eſt: ita ſi oves tuæ vocem tuam audiunt: quod ſi te non audiunt, prælationem fuge: ſic tamen quod rationem reddas de talento tuo. Nam ſi non potes operari per magiſtrationem tuam in fratribus tuis, eſto ſimilis eis in ſubjectione. Sed dico tibi: Tu fatigatus es tædio diverſitatis viciſſitudinum converſationis tuæ mentis: unde magis tibi expedit, ut anguſtiam habeas pro aliis fratribus tuis, quam te ſolum in ſubjectione coerceas. Vive ergo in igneo ardore, & ne tardes in vigili ſenſu.

EPISTOLA XVII. ABBATIS de Veſcera.

Dubius an debeat prælationem retinere, auxilium & conſilium quærit an curam animarum ſit dimiſſurus.

VEnerabili & dilectiſſimæ in Chriſto ſorori, dominæ H. F. fratrum de Veſcera, videre Dominum Deum in Sion.

Quantum desiderium habeam, quamvis A peccator, videndi beatitudinem vestram, hinc æstimari potest, quod longe positus, præsentiam vestram spiritu intueor. Quis enim eam videre, *et colloqui non* appetat; quæ, ut cetera sileam, Spiritu Dei infusa, crebro cœlestia arcana eructat. Hujus gratia ad vos præsentia scripta direxi, recepturus, ut spero, solatium simul & consilium super curis quibus vehementer coarctor. Ecce enim ego, qui pro me rationem reddere non sufficio, aliorum multorum curam tremens ago, Dei timore & amore fratrum id extorquente. Cum autem perpen- B derem me locum prælati tenere, quem factis implere non possem, subito apprehenderunt me dolores ut parturientis: quippe cum longe fatigatio pene omnem scientiæ intellectum mihi subduxit. Ne igitur Domini gregem propter meam negligentiam contingat periclitari, cogitavi curam susceptam derelinquere, & ad alterum locum me transferre. Quapropter supplici- ter precor, ut dubiam mentem consilio vestro confirmatis, & quæ sit voluntas Domini super hac re mihi scriptis vestris remandate. Novi humilitatem vestram, quod colloquium nostrum non abhorretis, Domino C loquente cum publicanis. Ecce vestrum super hac causa expectamus judicium, quoniam quidquid, Domino inspirante, mihi suggesseritis, id me subire proposui. Vos autem angustiis meis compassa tanto affectuosius Dominum exorate. Abyssus reversa sollicitudinum continuarum circumdat me, & pelagus curarum vigentium pene absorbet me. Miserere ergo, mater, miserere filio ad te de longe clamanti, atque jam prolabentem consilio, oratione, quantocius sublevare curato. Semper valeatis in Domino.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Fluctuantem erigit, certumque facit de gratia Dei.

SEcreta Lux dicit: Tu exterritus es quasi de vento, & dormitas in ligno viriditatis mentis tuæ. Sed homo qui viriditatem interioris cordis sui habet, in excelso parietis ædificat. Pastor autem qui ovile pascit, non habens intrinsecus adjutorium in necessitatibus ovilis sui, sed fatigatus fugit, illi pa- E storalis cura non proderit: unde idem faciat se similem ovi & non pastori: Tu homo es sicut undans in aquis, qui vix liberatur ne dimergatur: ita quod ubique prudentiam inspicis, sed tamen deficis in viribus, non autem in voluntate; unde & gratia Dei ad te resplendet.

EPISTOLA XVIII. N. ABBATIS in Elvestat.

Causatur quod sæpius scribenti non rescripserit, oratque ut angustiis circumdatum relevare dignetur.

DOminæ suæ & magistræ H. frater N. in Elvestat, inops & pauper una cum grege sibi commisso perenni virginum admitti collegio.

Multis vos sæpe pulsavi litteris, multa vos præsentialiter petitione conveni, numquam a vobis uti promisistis litteras extorquere potui. Numquid quod credi nefas hoc generis mei non admittit vilis natio aut personæ abjectio, aut forsitan, quod magis credi potest, nulla meritorum intercessio? *Sapientibus*, ait Apostolus, *& insipientibus debitor sum*, & ipsa Veritas: *Sinite parvulos venire ad me.* Numquid apud te, mater, est personarum acceptio? absit. Nunc autem sæpius ad te clamantem vel semel me pauperem exaudi, & Dominum nostrum pro misero exora: quatenus servulum in te confidentem multis & variis tribulationibus & angustiis circumdatum relevare dignetur.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Videtur illum hortari ad celebrandum sæpius.

SErena Lux dicit: qui dat verba ruminandi dicit: ô homo, tu habes fiduciam cogitando in filium Dei: sed tamen dubi- D tas cibum illum frangere, quem ipse comedere vis indictante mente tua. Quomodo & quare circuis diversa cribrando & undique aspiciendo, ubi inveniatur res illa quæ in cerimonia sit. Quare facis hoc? Deus ædificat in quacumque bene & juste operante causa. Surge ergo ad Lumen & in æternum vives. Nam Deus habet sibi holocaustum in instrumento suo. Beatus est ille qui Deum semper tenet in omnibus causis suis, quia diabolus illum numquam decipiet. Vive ergo tu, ô homo, & esto victoriosus in umbroso mundo.

EPISTOLA XIX. H. ABBATIS in Selbolth.

Ut pro calamitatibus & miseriis suis Deum orare non dedignetur.

HILDEGARDI venerabili omnipotentis Dei famulæ, H. humilis & modicus provisor in Selbolth omni gratia di-

vinæ largitatis affluere, & post hæc omnium A regum Domino Jesu-Christo in cœlesti talamo copulari.

Benedicta omnipotentis Dei misericordia, quæ in his temporibus iniquitatis, tamquam lampadem fulgentem in tenebris te suis donavit fidelibus consolandis. Famam igitur tuæ beatitudinis per multum temporis audiens, & jam dudum vera esse quæ dicebantur cognoscens, in tantum tuæ beatitudini congaudeo & condelector, ut licet nulla sit in conspectu Dei petitio mea, tamen quod stultitia & facuitas videri potest, memoriam tui semper habens in orationi- B bus meis, id petens, id optans, ut collata tibi misericordiæ suæ beneficia Dominus in te semper custodiat, & custodienda in te semper magis & magis adaugeat, sanctorumque suorum in æterna gloria te sociam faciat. Sed quoniam præsentiam tuam, cujus magno teneor desiderio, corporaliter adire nequeo, per præsentes litteras, in quantum valeo, supplex & humilis adeo & almitatis tuæ pedibus sæpius sæpiusque miserandus advolvor; quatenus pro calamitatibus meis & miseriis Deum omnipotentem attentius exorare non dedigneris. Ne- C que enim dubito, quin omnia quæ volueris, apud habitatorem tui sancti pectoris Spiritum-sanctum obtinere possis. Sed nec de hoc ambigo, quin omnem statum meum, & omnia quæ circa me aguntur, præterita, præsentia & futura, per præsentes litteras ipso revelante cognoscas. Unde si ullo modo vilitas parvitatis meæ id petere præsumit, pedibus sanctitatis tuæ toto animo & corpore submissus deprecor, ut pro eodem statu meo sive ammonendo de præ- teritis atque præsentibus, sive præmonendo D & cautum faciendo de futuris & vitæ meæ fine. Si id contrarium tibi non sit, per scripta tua animam meam lætificare ne dedigneris.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Fluctuantem hortatur ad humilitatem.

GRatia Dei induxit te ad aquas potationis, & mens tua non ædificata est in hac ædificatione in qua es. Unde provide castellum mentis tuæ, discernens quæ & qualia sunt opera tua: quoniam interdiu in bona intentione ad Deum aspicis, quasi sanus sis in anima tua; sed in mixta nube es, quando scissuram mentis tuæ habes in tribulatione suspiriorum & molestiarum propter constitutionem laboris tui. Aliquando etiam mens tua in altum vadit, velut utilis sis. Proba ergo te ipsum & habe viventes oculos in opere, & prosterne te in terram quasi te nescias & vives: quia Deus non habitat in illo habitaculo quod in se ipso stare vult, sed amat domum illam quæ se nescit, & dat illi unguentum optimum, unde sit tibi bona & salutaris vita.

EPISTOLA XX. H. PRÆPOSITI in Herde.

Gratias agit quod etiam infirma monasterium suum visitaverit, & precibus ipsius se commendat.

H dominæ suæ beatissimæ, & si audet dicere matri carissimæ, H. in Herde præpositus licet indignus, & sanctitatis ejus devotissimus famulus, cum suis omnibus subjectionem orationem & devotissimam servitutem.

Quas gratiarum actiones, domina & mater sanctissima, vestræ condigne referre poterimus pietati, quæ ad visitationem nostri monasterii, nec imbecillitatem nimiam corporis vestri attendere voluistis, nec difficultate mitineris præ nimia cordis vestri dulcedine abhorruistis; & rursum iterata visitatione nos lætificare studuistis. Nescit enim tarda molimina Spiritus-sancti gratia. Proinde vos, summi Regis sponsa dilecta & præ- C lecta, quæ ab ipsius sponsi clementia digna estis audire specialis laudis præconia. *Ecce*, inquit, *tu pulcra amica mea, Ecce tu pulcra, oculi tui columbarum.* Vos, inquam, quæ multigenis virtutum coronata sertis, inter filias Jerusalem sicut lilium inter spinas, bonus & suavis odor Christi redoletis, sicut luminare cœli inter tenebras hujus sæculi vitæ & sanctitatis compositionis refulgetis, nobis peccatoribus spei consolationem ingeritis, dum vestræ maternæ visitationis gratiam totiens nobis præten- D ditis. Licet enim nos consortes publicani illius evangelici oculos nostros ad cœlum levare non simus digni: tamen dum per organum oris vestri, vocem illius qui in vobis habitat audire meremur. Domini Christi, facti sumus sicut consolati. Proinde Christo Domino, qui nos indignos per vos consolari dignatur, humiliter gratias referentes genua flectimus, vos quoque dominam & matrem nostram humili prece deposcimus: quatenus ei qui vos in cubiculum mysteriorum suorum introduxit, pre- E ces pro nobis peccatoribus dignemini fundere, quo vestrorum meritorum intercessione, nos & a peccatis & ab hostibus clementer dignetur eripere, & de ærumnoso hujus sæculi naufragio ad æternæ beatitudinis & securitatis portum una vobiscum perducere. Præveniat vos Dominus in benedictionibus dulcedinis, & orantem pro nobis exaudiat pater totius consolationis. Sanctarum quæ vobiscum & sub vestro magisterio fideliter serviunt Domino nostro Jesu-Christo conventum humiliter per vos salutamus & earum orationibus suppliciter

suppliciter nos commendamus, & rescripta A vestra omni devotione desideramus.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ut in loco suo stet & vagationem fugiat.

HÆc dicit ille qui bonum & suavem intellectum infundit hominibus: Suavissimus odor donorum Spiritus-sancti adest fidelibus hominibus: ideo in quocumque loco sanctimonia est, ibi potest homo restaurari ad vitam in naufrago mundo: unde, B ô probe miles Christi, salvationem animæ tuæ require, dum fons vivus animum tuum infundit suavi infusione, quia dubietates quas statuisti in animo tuo non operantur in te securitatem. Ergo in loco tuo sta, ibi amans primum datum, quod tibi desuper datum est, cum anima tua in rectitudine iterata est; quoniam utilitati animæ tuæ non convenit, ut aliam vicissitudinem quæras; sed fuge vagationem hanc, ne mens tua in tremore confundatur. Nunc talis esto C ut amicus Dei fias, & non fuge cerimonias Dei, & Deus salvabit te.

EPISTOLA XXI. H. HAMELENENSIS monasterii provisoris.

Gravi pressus infirmitate optat rescire an laborum finis sit proximus.

HILDEGARDI Pinguensium gemmæ, Christi veræ sponsæ, regulari quoque disciplinæ informatæ, H. in Augustini regula *Hamelen* indignus provisor, devotæ precis non abstinentiam. D

Longævi temporis intervallo spiritalis caritatis, demum corporis mei ægritudo crebra præsentiam tuam sæpius adoptavi. Novisti enim, filia Christi, dum tibi præsentiam meam quondam exhibueram, eximium corpori meo inhærere languorem, quo nondum cessante, die noctuque non modice torqueor, velutique humana fragilitas divinæ ultionis est cœca, si ob benefactorum increscentiam in morbum seu tentationem inciderim non novi, & gratia Dei E sum id quod sum, quia pondus parvi laboris tam in vigiliis quam in orationibus pro diversis rebus omnipotenti Deo exhibere non cesso. Finem laborum, si licet, sanctissima, ut remandes imploro. Et te matrem filiatum tuarum pietatis auxilio fisus, in domini opis postulationem internuntiam esse deprecor, pietatis tuæ auxilium peto, precibus tuis meum erui languorem rogo. Multum enim valet deprecatio justi assidua. Ego vero peccator non modicus in infirmitate corporis animæque periculose obrutus, explicare multa nequeo. Scripta mihi visenda quæso mitti, si qua sunt in divinis agenda mysteriis delegari. Vale, mi domina, & pro me Sponsum tuum exora.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ut ad Deum recurrat.

QUi est, dicit: Rex videt scalam quæ obtenebrata est in vicissitudine pestilentiæ. Et sol effulsit, & obtenebrationem illam scidit. Et hoc regi placuit, & dixit: Hæc figitiva scala in fatigatione est, quia interdum ad ardua scandit, & interdum obtenebratur. Talis est mens tua, ô homo, in die scisitationis animi tui, ascendis in lato gaudio ad me, & iterum in nociva pestilentia colis cadentem morbum, quasi non exquirenda sit causa salutis. Impossibile est quod cinis immobilis sit. Aspice ad me, & semper require unguentum medicinæ in die & in turbine, & in æternum vives. Purais legem cole, & dubietatem fuge, & Deus salvabit te.

EPISTOLA XXII. H. ABBATIS in *VVadego.*

Orat ut si corpore non possit, saltem litteris se visitet.

DOminæ H. sponsarum Christi quæ sunt in Pinguia venerabili magistræ, H. in *VVadego*, prælatus quamvis indignus, orationem cum affectuosæ dilectionis obsequio.

Caritas sine affectu frigido igni simillima videtur. Nam sicut ignis sine fervore ferrum ferro conglutinare non valet: ita & caritas sine affectu numquam efficere potest, ut credentium sit cor unum & anima una in Domino. Caritas vera ipsa est affectuosa: Hæc animam adhærere Deo facit, ut unus cum eo Spiritus efficiatur. Hæc velut unificum gluten mentes fidelium connectit, ut sint unius voluntatis in Deo, facitque gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Hæc certe, Domino largiente, recordationem sanctitatis vestræ in suavitate sancti amoris jocundam mihi facit. Ipsa in celebratione divini officii memoriam vestri cordi meo semper insusurrat. Ipsa etiam crebris suspiriis, affectum meum mihi exoptat. Et multo utique tempore desideravi facie ad faciem vos videre, & ore ad os loqui, & ad familiaritatem vestram pertingere, ut ædificationem aliquam & consolationem a vobis aliquando habere possem. Nimis enim infirmus sum intus in anima mea & curatione multa opus habeo. Igitur quia & in vobis & in dilectione qua vos

diligo fiduciam magnam habeo, rogo A ut quandoque me visitare non negligatis. Quod si fieri nequit præsentia corporali, cum placuerit vobis, fiat hoc scripto, semper autem orationum vestrarum subsidio.

RESCRIPTUM S. HILDEGARDIS.

Ut caveat ab inimicis & pœnitentiam agat.

QUi non silet, sed acute omnia aspicit, dicit: Cum sapiens vir per desideria sua in excelso monte civitatem ædificat, B decet ut in magno studio præcaveat, ne inimici ipsius ædificium ejus in multis terroribus destruant. Audi ergo, ô fili, serva sollicite templum tuum, ne inimici tui possint destruere civitatem Dei in te. Qui rutilat in pectore suo propter timorem Dei, quatenus peccata sua plangat in vultu mentis suæ, hic probus miles est, & a Deo accipit responsum hoc. O fili care, bonum gustum in te habeo & in te delector. Qui vero pallidam faciem in sua mente habuerit, sic dicens: nescio quid sim, vel quid sint alii sodales mei; hic probus miles est, sed C in tædio deducit animum suum; & huic tale responsum do. O homo, tu nescis quid dicis; sed primum peccata tua plange, & postea fratres tuos quantum possis terge, atque patientiam habe, quoniam Deus peccatores vos omnes videt, sed tamen pœnitentiam facientes, non spernit. Idcirco in Deo vive ac materna felicitate ambula.

EPISTOLA XXIII. N. PRÆPOSITI in *Undereſtlorf.* D

Ut consolationis auxilium sibi impendat.

N. Dei favente gratia dictus præpositus in *Undereſtlorf*, sorori HILDEGARDI & magistræ in Monte S. Ruperti, in spiritu fortitudinis abundare.

Vestræ piæ opinionis devotio, multorum maxime religiosorum mentes affecit, & quadam sanctæ dilectionis suavitate indulcoravit. Unde pro gratia vobis divinitus collata, grates summo refetimus bonorum E omnium largitori, qui fœmineo pectori robur immisit virile, non solum ad devitanda flagitia vel facinora, sed etiam impendenda indigentibus necessaria consilia, simul & auxilia. Sed quia occupatis auribus vestris loquimur; in longum protrahere sermonem non audemus. Rogamus ergo clementiam vestram, ut auxilium consolationis vestræ nobis benigne impendatis.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Sub figura hortatur ad timorem & fortitudinem.

QUi est ostendit mihi hæc dicens: dic homini isti: ô homo video te quasi ligneum tabernaculum de manibus artificum factum, ad cujus januam duæ imagines pulsant, altera plena oculis nigros capillos habet, & nomen ejus Timor Domini, & tibi dicit: volo in te sanctificationem cum hostiis facere. Cede ergo mihi & cubiculum tuum intrabo, atque bonum gustum musco & aromatibus tibi faciam. O miles, cave ne sis tardus cum ovili tuo currere, & vivente oculo id ad rectitudinem ducere. Sed altera imago quasi tuba canens in candida nube velut circulum nubis habet, & nomen ejus Fortitudo, & ad te sic dicit: He, he, he, quare dormis in scientia tua, quasi rusticus in moribus suis, qui libenter tacet, nec militare vult in lorica, galea, gladio, & hasta? Resona ergo quasi tuba per multas aquas, & non file, & adjuvabo te cum sodalibus meis, atque sta in pariete templi, nec sis formidolosus propter inquietudinem ventorum; sed disce ut sis columna in palatio regis. Fuge quoque duas linguas, quæ sunt vulnera animæ; sed loquere ubique in veritate secundum similitudinem solis & habitacula nostra libenter in te parabimus.

EPISTOLA XXIV. FREDERICI præpositi Vallis-Dei.

Ipsius orationibus se commendat.

FREDERICUS gratia Dei in Valle-Dei præpositus, licet indignus, H. Christo devotæ famulæ, benedictionem accipere a Domino & misericordiam a Deo salutari suo.

Gratias Deo quam intimas persolvimus, quod in ipso valetis, quod virtutum decore floretis, quod dilecto ex dilecto una cum commissis vobis sororibus toto cordis affectu innixæ estis: quia confidimus in Domino, quod apud ipsum nostri memoriam habeatis. Multis autem negotiis præpeditus sum, quod juxta placitum, nuntium non misi: unde rogo ne gravetur dilectio vestra, nunc per præsentem latorem solvere quod promisistis, ut ex hoc mercedem a Deo acquiratis. Vos una cum sororibus imploro universis, ut apud Christum mei memores sitis.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Sub figura dehortatur eum ne suos deserat, sed eos potius adjuvet, & pœnitentiam agat.

NUnc tibi dico: homo qui vineam aut saxosum habet agrum, & intra se dicit: Laboriosum est hic laborare, ac sic eos reliquit, tædiosus laborator est. Sed cum tempus fructuum advenerit, Dominus ejus ad ipsum dicet: Vade ad campos, & quære fructum in floribus, qui interdum florent, B ac interdum arescunt; sed ibi nihil invenit. Audi. Vinea sacerdotale officium est. Qui autem virgam correptionis in populo gravi habet, hic saxosum agrum possidet. Quem ista fatigant, intra se dicit: Illa vita est aliena vita, ac ista vita mihi melior est. Et sic quod hoc tempore excogitat, hoc tempore derelinquit, sicut flos qui arescit. Sed si tu ista faceres, tibi dicendum esset: Sicut villico qui de villicatione sua coram Domino suo diffamatus est, & qui de abjectione sua intra se cogitabat, ac unicuique minus scribebat C quam deberet, unde Dominus suus ipsi dixit: *Filii hujus mundi sapientiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Primus angelus cadens in pœnitentia suspirare noluit, nec ut alii suspirent permittit. Sacerdos autem erigat se, & alios festinet adjuvare: Nunc hæc provide, & in sapientiore parte cum filiis hujus mundi mane: quia si secundum cogitationes tuas quæ in te volant faceres, in utraque parte deficeres, & in pœnitentia recordareris quid deliquisses. Tu autem cum populo isto mane, & cum non D relinque, ut in æternum vivas.

EPISTOLA XXV. N. ABBATIS in *Rappenberh.*

Ab ea consilium petit de præsenti statu ecclesiæ.

DOminæ suæ reverendæ virgini & sponsæ Christi H. N. prælatus servorum Dei in *Rappenberh*, sanctæ virginitatis & piæ conversationis præmium & E coronam perpetuam.

Fama religionis & Deo acceptæ conversationis vestræ ubique in ecclesia respersa, multos super odorem balsami ceterorumque odoramentorum delectat, quem & nos in cellulis quasi in subterraneis caveis extremi tandem odorari cœpimus. Unde & ego minimus omnium odorem tantum sequi cupiens, ad vos venire disposui; sed in tanto turbine tempestatum & procellarum, qua tota ecclesia nunc quatitur & turbatur impeditus, rebus & corpori timens retar-

A datus venire non potui. Rogo autem per eum qui in vobis habitat Christum, ut præsentem litterarum portitorem fratrem nostrum dilectum tamquam meipsum præsentem audiatis. Ad consulendum enim Spiritum Dei qui in vobis habitat, de præsenti statu (a) ecclesiæ nostræ eum ad vos (a) direxi. Vos quidem quod Dei est, quod caritatis est, quod pietatis est nobis communicare non dedignemini, ut nos per eum qui in vobis multos consolatur consolati respiremus. Ultra dulcedinem vestram inculto sermone amaricare non præsumimus. Obnixius autem supplicantes vobis, ut non pigeat vos aliqua fratri præsenti indicare, & tandem per pauca in extrema ungula schedulæ rescribere. Cum omnibus vobis a Christo commissis in Christo valete, & mei propter ipsum ad ipsum mementote.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ne tormenta timeat, sed confugientes ad se oves recipiat.

IN aliqua parte in te tenebras video. Quomodo? quia cor tuum illa tristitia implicatum est, quæ dubio circumfertur sicut molendinum, ita dicendo, quæ vel qualis est causa mea? nunc adest tibi, ut aspicias diem, qui primo mane in purissima aurora surgit; sed postea vicissitudine tempestatum circumdatur. Sic est vita tua. Nam si semper prosperitatem haberes, cancro similis esses, qui recte non ambulat: unde permittit te Deus fatigari, quia filium quem patet amat cum virga percutit hoc modo: Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit, hoc est, omnem veritatem Deus per hominem probat, quem de limo terræ formavit. Terra quæ dura & lapidea est vix aratro scinditur, sed bona & mollis terra in gaudio colitur, & in utraque parte Deus verax est, durum & asperum hominem cum labore frangit; sed suavem & benevolum amplectitur osculo caritatis, qui omnia bona opera libenter adimplet, & gratia Dei quæ omnia dura & benevola pro sole justitiæ perfundit, omnes qui ad ipsum per suspiria cordis clamant eum sciendo audit: quia sicut Deus solem constituit, ut omnem terram illuminet, nec tenebras sustineat; ita possibilitas Dei per gratiam suam hanc recusat duritiam, ne illi respondeat, qui ipsum vocat. Ideo tormenta tua ne timeas, quia locum tuum indispersione non video, sed ligaturam oneris tui Deus sic vult, & oves qui ad te currere volunt, collige. Quæ autem te nolunt, in miseratione tolera, donec te vocent, & in æternum vive.

(a) Hic innotescere videtur schisma, quod in ecclesia suscitavit Fredericus imperator, cum abjecto Alexandro III. legitimo pontifice, Victorem IV. antipapam in sede Petri poni procuravit.

EPISTOLA XXVI. G. PRÆPOSITI S. Victoris Moguntiæ.

Multis obvolutus peccatis quærit utrum sibi superſit ſpes ſalutis.

H. Divinæ contemplationis ſpeculo, G. abjectio plebis & præpoſitus de S. Victore in Moguntia, ſi quid valent contriti & humiliati cordis ſuſpiria.

Super bono veſtræ opinionis odore illectus, & in ſpem ſalutis ex profunda iniquitate animatus, miſerias meas in conſpectu almitatis veſtræ exponere & deplorare, hinc auxilium & conſilium quærere piæ præſumtionis Spiritu aggrediar. Quantum enim miſeriarum inciderim, quantum ruboris & confuſionis exceperim, quantum lacrymarum effuderim, vix ſermone effari potero. Sed non mirum. Cum enim tot flagitiis & immunditiis animus corpuſque polluerentur, juſtiſſimo & benigniſſimo Dei judicio, ſi tamen fas eſt fateri, dignum correctione divina licet non condignæ paſſiones ſequebantur. Nam ſæpius abominabili iniquitate tam factis quam cogitationibus lapſus ſum, quæ vos, Domine, Spiritu-ſancto revelante, melius ſcitis. Quapropter non omnia recte aguntur circa animum meum, quæ non eſt neceſſe ſcribere. Spiritus enim docet vos omnia. Ergo veſtræ ſanctitatis pedibus advolutus, cum ſim pulvis & cinis, humillima devotione poſco, ut ſuper me conſolatorem & liberatorem animarum noſtrarum invocetis, meque ſcire faciatis, an mihi ſit ſpes ſalutis, an prædeſtinatus ad vitam aut præſcitus ad mortem. Sed quæſo ne reputetur mihi in ſtultitiam hæc præſumtio. Ceterum Spiritus-ſanctus, qui habet in vobis manſionem, tribuat vobis ſecundum fidem & humilitatem meam reſpondere ad omnia votis meis. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ad ſurgendum animat, hortaturque ut declinet a malo & faciat bonum.

Lux in ſerenitate dicit: Quidam aſcendit & in turbine vadit, unde memor eſto, fili, ut recta itinera facias in guſtu boni intellectus, ſicut pſalmiſta dicit: *Declina a malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam.* Sed etiam collige ad te bona, quatenus anima tua non deficiat, quia Deus non derelinquit juſtos, ſed in ſua pietate ſuſcipit peccatores. Unde elige tibi rectas vias & in æternum vives, puroſque oculos habe in mente, ut illuſio non decipiat te. Nam inter ſpinas ſedes & undique circumſpicis, & ad te diverſas res colligis, ac A benevolentia in te manet; ſed tamen in operibus tuis quidam defectus eſt: unde nunc ſurge, & ne tædium habeas, ut de ſpinis ſurgas, ne te ſuffocent, quia Deus non delectatur in opere illo quod inter ſpinas ædificatur. Ergo, ô fili Dei, cito ſurge, antequam tibi ſol occidat.

EPISTOLA XXVII. S. PRÆPOSITI in Confluentia.

B *Cum omnia quæ de ipſo prædixerat S. Hildegardis ſint impleta, quærit conſolationem ſuper his quæ foris & intus eum premebant.*

H. In Chriſto dilectæ, S. fratrum in Confluentia præpoſitus quamvis immeritus, ſalutem in Domino.

Quia in omnibus tribulationibus meis ſemper tuis conſolationibus me mercaſti, & cuncta jam ſunt impleta, quæ mihi prædixiſti; quæſo, ut & nunc miſericordiæ Do- C minum in cunctis quæ me foris & intus premunt conſolari depoſcas; & ſi quid de me vides, & maxime ſi a benigno Jesu aliquam ſpem in futura vita audeam ſperare, ô dilectiſſima & amantiſſima, tranſcribas. De reliquo autem ſcias, Dominum quam intimis precibus me orare, ut ante mortem meam a peccatis meis digna pœnitentia me convertam. Vale.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

D *Occulta eſſe Dei judicia, qui parentum etiam peccata in quarta generatione punit, ceterum ſperet in Domino.*

O tu, qui factura digiti Dei es, corrige viciſſitudinem morum tuorum, & non extende te in ventilationem mentis tuæ, de qua te non potes excuſare: quia Deus omnia prævidit. Sed Deus non jubet ut judicia ſua ſuper te edifferam, ſed ut pro te orem. Quoniam quædam ante peracta opera parentum tuorum nunc habent oculos ad vindictam: quia Deus etiam flagella ſua aliquando extendit ad tertiam & quartam E generationem. Confide tamen in Domino, quod te liberet de manu gladii inimicorum tuorum. De ſalute autem animarum magis loquor quam de caſibus hominum, & ideo multotiens de his ſileo: quia Spiritus-ſanctus non effudit manifeſtationem in confuſione criminum populorum; ſed juſtum judicium. Nunc Deus ponat te in prædium vitæ, ut in æternum vivas. Et dico, nullum pondus in ponderibus adæquandum eſt diebus, menſibus, annis, vel aliis temporibus, quæ a Deo ordinata ſunt. Sed tantum vivus Deus, qui Rex regum eſt, & cujus judicia juſta

sunt intime exorandus est, ut peccata peccatorum absolvat per orationes illas quæ in Spiritu-sancto exquisitæ sunt: quia multæ occasiones seipsas in stultitia decerpserunt, sicut idola per strepitum incredulitatis voluerunt, quod in irrisionem populos eduxerunt.

EPISTOLA XXVIII. A. S. ANDREÆ in Colonia præpositi.

Tentatus interius & exterius ad ipsam recurrit scisciturus quid sibi faciendum incumbat.

H. Dominæ & matri carissimæ, A. sancti Andreæ in Colonia præpositus immeritus, semper in Domino valere.

Quantis tentationum tribulationibus intus & exterius angustietur anima mea, tam ex verbis meæ præsentiæ, quam ex revelatione divina, carissima domina, nosti. Nunc igitur quia deficio, & nullum profectum, quantùm ad Deum, in me video, scripsi ad te dominam meam, paratus facere quidquid mihi sive revelatione divina, sive consilii tui sapientia præceperis. Ne paveas, nec celes, nec iniquitatem meam abscondas, obsecrò, pauperis animæ meæ, quantulumque timeo, & me totum in profundum dimergi pavesco. Quapropter intercede & ora pro paupere anima mea, valens in Christo, mater carissima, Dominus tecum & cum omnibus tuis.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad bona opera facienda.

Lux quæ tota vivit dicit: ô tu homo, audi: Quædam vallis erat, quæ interdum aruit & interdum floruit, nec stabilis fuit in herbis quæ utilitatem proferunt; sed pulcra erat hominibus ad videndum, & non multum utilis ad refectionem. Sic est mens tua. Nam cum temetipsum inspicis, ita quod cogitas quod non sis fortis in bona conscientia tua, mox arescis, quasi spem non habeas: & cum postea surgit mens tua quasi mons myrrhæ & thuris ad timorem ascendens, velut mortuus fis in temetipso fixando cum tremore vires, & tunc ita oras dicens: nimia sunt crimina mea in vulneribus peccatorum meorum. Sed deinde tabescis in plateis, id est, in propria voluntate tua, & properas ad sæcularia, & non perficis bona opera, temetipsum in eis exercendo. Sed in tali opinione est æstimatio tua dicens: volo bona opera facere; sed bona opera sic non accipiunt formam claritatis in te; ita quod in peccatis tabescas. Clama ergo per bona opera, & Deus suscipiet te. Audi. Vide ut arescas in malis, & ut virescas in bonis. Clama incipiendo Deum videre in bona voluntate, & opera bona fac in perfectione. Qui bonum operatur Deum videt, sed qui opinionem boni habet, est quasi speculum, in quo forma aliqua fulget; sed forma illa in eo non est. Ideo surge, & incipe bona opera, & fac ea in perfectione, & Deus suscipiet te. Sed tu respondes: Curam secularem habeo. Quæ est hæc conversio? Sed ego ostendo tibi ut habeas misericordiam, & benignitatem, ac virtutem quæ conculcat superbiam, & ut manus porrigas deficientibus, & in plenis doloribus jacentibus, & ut parcas delinquentibus in te. Ita ne pascas culturam idolorum, quæ est avaritia, & ne verberes faciem Dei, scilicet felicitatem quam Deus alii dedit, ne per invidiam occidas, & vives.

EPISTOLA XXIX. A. ERPHORDIÆ præpositi.

Commendat illi præsentium latorem.

Dominæ H. sponsæ Christi dilectæ, A. Erphordiæ præpositus, licet indignus, devotæ orationis & obsequii affectum.

Gratiarum actiones sanctitati vestræ longè lateque respersæ assurgere non cessamus, quæ tam dulci litterarum salutatione quamplurimos salutat. Desiderio namque desideramus videre vos, & benignissimis consolationis vestræ verbis quandoque jocundari, & vultus vestri præsentia flagrantes per vos lætificari, intimo corde oramus. Divina ergo clementia, quæ tam sanctum tamque magnificum opus in vobis incœpit, divinitus perficiat, & ejusdem bonitatis vestræ per assiduam orationem vestram nos participes efficiat. Nunc igitur litterarum latorem, scilicet familiarem nostrum, amore Dei & pietatis vestræ iter ad vos facientem dilectioni vestræ fidelissime commendamus, quatenus a vobis clementer susceptus, Spiritus-sancti per os vestrum loquentis verba per vos audire mereatur.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut purum habeat cordis oculum, & declinet à peccatis.

Deus prævidet te quærens sacrificium de corde tuo in simplicitate, quoniam ipse vetax est, nolens duplicitatem in via una quæ fides est inter proximos, sicut & oculus Dei in simplicitate inspicit felicitatem hominum. Hoc tibi Deus concedat, & liberet te ab omni tempestate flagrantium vitiorum. Fac ergo oculum cordis tui purum. Nam quasi lassus & quasi derelictus

es de domo illius qui te creavit; sed revocaberis inter alienos, & ideo cessa a peccatis tuis, quoniam Deus non vendidit te in perditione; sed requirit te in perdita ove, quæ revocata est ad vitam. Cur dubitas quasi non sis in salvatione? Quære ergo Deum in angustia & in dolore animi tui & vives.

EPISTOLA XXX. H. DE DOMO (a) in Moguntia præpositi.

Cupit ab ipsa rescire quid in se displiceat Deo & quid emendandum.

HOmni honore dignissimæ dominæ H. de Domo in Moguntia præpositus, & peccator sordidus, quidquid servus & filius dilectissimæ dominæ & matri suæ.

Animus meus æstuat & veretur, æstuat, ut loquatur, sed sapientiæ & eloquentiæ tuæ magnitudinem veretur. Tibi enim cumulata felicitate concessum est & sentire sapienter & proferre utiliter. Stillantium auctoritas scripturarum sedem invenit in te, manet apud te, de te facit armarium. Accedit ad hæc quod disciplinæ dotibus approbata, decus ecclesiæ, populorum exemplum effecta. Utinam mihi desuper datum esset assidue tibi adhærere, semper audire te, tuo consortio sine intermissione refoveri. Tum denique non essem fraudatus a desiderio meo, quia semper desideravi audire te. Unde quidquid sibi displicet in me, & quomodo depellere valeam a me, ipso Deo ac Domino nostro donante, tuis litteris insigillatis denuntiare mihi digneris obsecro. Valeat in æternum sanctitas tua, valeant ac fideles permaneant omnes filiæ tuæ præcordialissimæ sorores meæ.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut bonis operibus dignum se reddat Dei protectione.

MYstica Dei hæc verba proferunt: O homo Dei per ligaturam legis Deus scit te in nigra vicissitudine aliquorum operum. Sed tamen a longe aspicis, velut in opinione, quasi egredientem lucem rutilantis lucis. Nunc curre ut bona opera facias sine contumelia duplicitatis duarum viarum, scilicet ubi sonus unus est oris, alius mentis. Provide autem ut Deus te amet in bonis operibus, quia ipse porrigit ad te manus protectionis suæ; sed tu infirmus es & fugis. Cave ergo ne abscondas te a protectione illa, ne Deus virga sua te percutiat, quoniam ipse te requirit. Nam itinera illa quæ quærere voluisti non recte prævidisti, quando in cœlum ascendisti. Nunc autem in duabus partibus concuteris, scilicet promissione Dei & diabolicis artibus. Deus enim funem tibi solutum dimittit, ut cognoscas quid sis. Sed tamen omnino non cades in foveam tristitiæ. Nunc autem ora & confide quod Deus non derelinquat te, & aurora cito ad te procedet in liberatione.

(a) Id est ecclesia cathedrali, quæ Domus appellatur gallice *dome*, unde & canonici gallice dicti *domberes*.

EPISTOLA XXXI. HELDERICI præpositi S. Simeonis Trevirensis.

Laudat mira Dei in ipsa dona, & precibus ipsius se commendat.

HELDERICUS frater de S. Simeone in Trevirorum ecclesia solo nomine præpositus, & ex numero super flumina Babilonis sedentium & flentium, H. filiæ Sion in ipsa Deum deorum quandoque videre.

Multorum relatu propriique corporis mei auditu suavissimum tuæ beatitudinis odorem hauriens, Lætatus & admiratus sum in his quæ dicta sunt mihi. Lætatus, inquam, quia hoc tempore nequissimi sæculi vere in maligno positi, talem sibi sponsam Sponsus ille speciosus præ filiis hominum elegisse cognoscitur. Admiratus vero, quia insolite & inaudito carismate ipsam & in hoc exilio dotare videtur. Quis enim unquam legit vel audivit mulierem indoctam vel penitus illitteratam de profundissima abysso divinorum archanorum tantas eructuationes exhalare, de fluminibus aquæ vivæ tantam abundantiam sitientibus propinare? Vere mirabilis Deus, vere benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia magna solus. Sed quid mirum, si rationalem & rationabilem hominem organum suum quomodo vult facit, qui etiam brutum animal magistrum magistri fecit. Facit enim quomodo vult Deus, de quo scribitur: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Precor autem tuam dilectionem, quatenus ipsa dilecto tuo propensius & frequentius humilitatem meam commendare studeat, eamdem vicissitudinem a me fideliter & indesinenter sciens sibi rependi.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut bonis operibus mortem præveniat.

TU serve Dei attende, ut brevi tempore tuo ab injustitia iniquæ mammonæ te divertas; & in magno studio provide, ut rubiginem peccatorum a te excutias, antequam umbra mortis superveniat, cum plus operari non potes, ne tunc plangendo

dicas: ô væ mihi quia in negligentia inventus sum. Tu etiam patremfamilias attende, qui a prima usque ad vesperam operarios in vineam vocavit, & alios cur otiosi starent interrogavit, cui respondebant, quod nemo eos conduceret. A prima enim usque ad vesperam Dominus operarios vocat, & alios cur otiosi starent interrogat, qui se excusant, quia nemo eos conducat. Sæpe homini contingit, quod a prima ætate sua usque ad vesperam, scilicet ad senectutem in oblivione Dei vivat, & hoc intra se emendare tamdiu cogitat, quousque per gratiam Dei rixando intra se dicit: Quare bona opera non operabar? quia Deus a malo me abstrahere non prohibuit: & ita in senectute sua propter tædium peccatorum pœnitere incipit. Iste in itineribus Domini velut non ignitum fictile vas apparet: quoniam operari non potest, & sic primus ex merito suo per gratiam Dei mercedem accipiet, quam per ætates postea mutare non potest. In pueritia enim & in juventute, ac in matura ætate, homo sæpe malum & postea bonum operatur. Hoc in decrepita ætate esse non potest. Nunc oculos tuos ad vigilandum aperi, & omnes negligentias ætatum istarum considera, & emenda operando, ut in æternum vivas.

EPISTOLA XXXII. H. PRÆPOSITI in *Knethstehtde*.

Quærit quomodo Deum pro peccatis suis placare possit.

HQualiscumque Dei gratia præpositus H. in *Knethstehtde*, venerabili ancillæ Christi, H. Spiritus-sancti gratia confortari, bonoque fine consummari.

Si fieri posset ut præsens essem; & alternatim sermonem vobiscum agere possem, modis omnibus optarem. Ea enim quæ circa me sunt, quæ Dominus solus novit, profusiori vobis relatione expositurus essem, quæ singula breviandi causa præsenti loco committere nolui. Gratiam, dilectissima, quam Pater luminum, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum desursum, vobis prærogavit audivimus: qua scilicet multum confidens, caritatis vestræ dulcedinem opus duxi præsentibus convenire, supplicans attentius quod pro meis miseriis divinam clementiam devotis precibus implorare non desistatis. In multis namque eam me offendisse scio, quod me impune non feciisse sentio. Quia igitur in gratia quam in vobis cognovi, spem potiorem habui, utile existimavi auxilium exaudibilium orationum vestrarum implorare, sperans me recepturum a vobis quodlibet remedium consolationis, quod pro Christo precor facere non omittatis scriptis vestris, A innectentes eisdem quo ordine magis placem offensam divinæ majestatis. Valete in Christo semper.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut ad Deum suspiret, ac cum fiducia ad eum recurrat.

IN mystica visione ad petitionem verborum tuorum aspiciebam, & audivi vocem ad te sic dicentem: Arbori te assimilo, B quæ in æstate grossos suos producit, & cujus fructus a turbinibus & nebulis aliquantulum læditur, & iterum ex rore cœli & puro æthere renovatur. Isto enim modo mens tua est, quia cum fiduciam in aliqua prosperitate habes, velut grossos producens, ex vicissitudine morum tuorum quasi ex turbine fatigaris, & etiam ab illis, qui sub onere tuo sunt, sicut ex nebulis læderis. Sed tu ad Deum tunc suspira, & dic: *Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus, in te confido, non erubescam.* In te enim spiraculum est, quod Deus infinite C vivificavit, & cui penas rationalitatis dedit. Ideo cum illis per fidem & per bonum desiderium ad Deum vola, ad eum levando animam tuam, & ipsum Deum tuum cognosce, in cujus scientia fuisti, & a quo principium sumsisti: unde eum roga, quod spiramine Spiritus sui bona sua te doceat, & de adversis te liberet. Tu etiam in ipsum confide, ita quod omnia opera tua ante eum ponere non erubescas, & dic sicut filius patri suo dicit, cum delinquens corripitur, quod prolis suæ in ipso non obliviscatur. Ego autem Deum libenter rogabo, quod ab D omni nimietate inquietorum morum & aliorum criminum ac periculorum vobis occurrentium per gratiam suam clementer vos defendat & liberet.

EPISTOLA XXXIII. H. PRÆPOSITI in Bunna.

Cum indesinenter pro ea oret, ipsius vicissim orationes postulat.

E HILDEGARDI sponsæ Christi & magistræ probatissimæ sororum de S. Ruperto in Pinguia, H. præpositus in Bunna indignus, servitium cum omni devotione.

Si Dominus solus potens, solus bonus, solus pius, solus misericors, voci cujuspiam peccatoris, quod fide teneo, aurem suæ majestatis acclinare dignatur, indefesso corde & oris mei clamore pro vobis pulsatur. Testor nempe secretorum omnium cognitorem Deum, ex quo primum de bonitate vestra, fama prodente, audivi, quoniam postmodum in vobismet ipsa probavi,

totus in vestram dilectionem pronus fui. Vos A quoque omnium eorum quæ ab inde hactenus vel bene dixi, vel bene gessi, si dignamini, participem constitui. Idipsum igitur a vobis & spero & quasi quodam debito, magis autem pro Dei amore & vestra bonitate exigo. Postremo nec ignis, nec ferrum, nec aqua, nec alterius cujuslibet timoris, aut periculi instantia, sed nec ipsa mors vestræ integritatem dilectionis animæ meæ aut imminere in quoquam, aut summovere ullo modo poterit. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Arguit eum quod sæculum diligat, hortaturque ut desideria sua cum timore Dei in bono opere purificet.

O Homo, qui sæculum diligis, & qui illud in voluntate tua habes, in comprehensione morum tuorum tempestati similis es, quæ raro pura est, & quæ etiam non multum periculosa est. Hoc tale est, Tu sæpe in rebus tuis a consolatione alienus es, & interdum per tædium & per tristitiam, & interdum per dubium, in omnibus causis tuis opprimeris. Unde surge, & C Deum Israel invoca, dicendo: *Proba me Domine & tenta me, ure renes, & cor meum.* Hoc est proba me, Domine, per fidem & spem, ut fides mihi sit oculus ad videndum, & spes speculum vitæ; & tenta me in bona obedientia ut Abraham, quatenus contra voluntatem meam operer: ita ut voluntatem meam derelinquam propter te, ut intrem in præcepta tua: quatenus diligens amicus tuus fiam; & per hæc ure renes meos, qui ex peccatis quibus conceptus sum inundant, faciens ne me seducant; quia contra me operor, sed ut semper in igne Spiritus- D sancti ardeam, & de die in diem desiderem justitiam tuam; & ut ascendam de virtute in virtutem. Sed &, ô homo, mens tua similis nubi est, quæ grandinem & pluviam non portat; sed quæ per solem dividitur. Tu enim propter securitatem levium verborum & morum, nubem cum grandine sicut iram, & item sicut pluviam non habes; sed per bona opera in desiderio supernorum claudicas, & ob hoc desiderium tuum cum timore Dei in bono opere purifica, & hoc modo Deum osculare dicens: *Inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me,* E *quoniam inops & pauper sum ego.* Cum enim per osculum amoris Dei bona opera Deum tangendo facis, statim ipse aurem suam in desiderium & orationem tuam inclinat, & complet. Sicut etiam per auditum verbum sonat, quoniam in magna inopia es; quia adjutorio indiges, & etiam in magna paupertate, quoniam bonum perficere tibi deest; sed Deus hoc in te perficiat.

EPISTOLA XXXIV. H. ABBATIS.

Ecclesia schismate laborante, quærit quid sibi sit faciendum.

DOminæ H. veræ Dei famulæ de cœnobio S. Ruperti, H. prælati officium habens, quidquid pauperis quamvis peccatoris valet oratio.

Quoniam omnis qui pestifero sauciatur veneno, cervi more ad verum fontem, id est, Christum properans, veneni a se rejicit nociva: ego hujusmodi incommodis oneratus ad fontem quem Deus per Spiritum suum nobis dignatus est revelare recurro, remedium quærens; Scire enim vos non ambigo, quoniam cursim jam interierit pene omnis ante habita religio, quoniam impudenter locum ejus occupaverit odiosa præsumtio. Igitur quoniam ecclesia in apostolica dignitate & nomine claudicat, & ad quod caput suum respiciat veraciter ignorat: quia quisque vagus inde exemplum sumens religionem bonæ conversationis abhorret; hi qui Spiritu Dei aguntur, non minime sollicitantur, quis finis eorum in voluntate Dei esse debeat. Quapropter inito bono consilio ad vos confugio, simulque efflagito, ut quidquid Spiritu sancto edocta de hoc vel de meipso sentiatis, mihi rescribere velitis. Vestris enim consiliis in omnibus obedire paratus sum.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Obediendum magistris quandiu catholicæ fidei non resistunt, atque ad Deum confugiendum, qui ecclesiam suam non derelinquet.

IN visione qua ab infantia mea vigilanti oculo in Spiritu meo vidi: per aliam viam quam in hoc sæculo nata sim in altum aspexi, & hæc verba ad te dicere vidi & audivi. Mens tua aratro similis est, quod dura aspera ac mollia evertit & dividit. Tu enim cognoscere, evertere ac dividere illa attendis, quæ in tanta duritia sunt, quod ea perfringere non potes, & quæ in tanta asperitate sunt, quod te vulnerarent si ea tangeres, & quæ in tanta mollitie sunt, quod ea contereres, si illa dire & aspere tangere velles. Duritia namque quæ a sole justitiæ claudicavit, ecclesiam nunc circumdedit, quam tu perforare non prævales: unde in corde tuo ad Deum die: Domine qui omnia nosti, in magistris meis tibi obedire volo, quamdiu catholicæ fidei me resistere non cogunt. Apostolica etenim potestas, quæ nunc in duas partes divisa est, proprietatem suam ligare recusat, & principes sæculi

sæculi in tanta asperitate sunt, quod te non audirent, si eis diceres quod in scientia tua justum habes, ac discipuli magistrationum tantam mollitiem nunc sectantur, quod dubitares, velut ignorares quid cum ipsis facere debes. Magister namque sancta & justa docere & bona exempla ostendere debet, quemadmodum etiam Christus fecit, ad quem multi currebant, & a quo multi fugiebant. Ipse tamen dilectos & electos suos ad se colligit. Unde qui te per obedientiam osculantur, & per caritatem amplexantur, in summo studio tene, nec eos relinque, alios autem Deo dimitte, quatenus cum propheta dicas: *Veritatem tuam & salutare tuum dixi.* Tu ergo spe tua ad unum Deum tende, quia ipse ecclesiam suam non derelinquet. Hæc namque spes ecclesiæ est, quod ipsa oculata fiat, & spes ista secura est, quatenus dolor diu maneat, in quo plurimæ congregationes spiritualium commovebuntur plurimæ quoque destruentur. Ego vero auroram sicut splendorem in te video, quod studium in bona voluntate bonorum operum in te est. Turbinem quoque propter has & alias vicissitudines in te discurrentem, qui aliquando splendorem in te obnubilat. Hoc minue, & fiduciam habe, quod in Deo finiaris & in æternum vives.

EPISTOLA XXXV. HADELHEIDIS abbatissæ Ganderheimnensis.

Ab Hildegarde educata petit ipsius & sororum suffragia & mutuam inter utriusque parthenonis sorores societatem.

HADELHEIDIS Ganderheimnensis ecclesiæ abbatissa, quamvis indigna, H. dilectæ matri de S. Ruperto liberæ sponsæ Jerusalem oscula sponsi.

Arbor bona bono ex fructu cognita, nequaquam duci debet in oblivionem: quia fructificando dulcedinem, dulcem bonorum commeruit amorem. Bruto ergo animali jure inferior habebitur, qui bene dulcia minus bene amplectitur. Tu itaque Christi columba, non seducta, sed corde magna & munda, sicut bonum malum, lux tenebras, dulce amarum non facit: ita mihi a corde non excidis, unde debes & tu frequenter mei recordari: quoniam constat & amoris & intimæ devotionis propinquitate tibi conjungi. Nolo ergo ut antiqui nutrimenti flos in corde tuo aruerit, qui quondam inter me & te floruit, cum me dulciter educasti: cujus amore & dilecti sponsi tui caritate te obtestor, precorque ut pro me & meo grege, locoque mihi tua permissione commisso orationes & obsecrationes tuæ fiant ad Deum, atque nos committas orationibus omnium sororum tuarum, oro etiam ut societatem fraternitatis tuæ sororibus meis apud eas-

dem sorores tuas, immo meas obtineas, & dum aliquis per vos ad nos transierit, litteris transmissis, id & si quid aliud volueris in Christo innotescas. Ego autem expedito tempore, si Deo placuerit, ad vos non differam venire, ut ore ad os loquamur, manu ad manum quod bonum est operemur, sicque antiqua stabilietur societas, quam in nobis confirmet Deus caritas. Quæ habitas in hortis ausculta, omnesque cohabitatrices tuas, scilicet sorores meas ex me quam intime saluta, & litteris commendatitiis me lætifica.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut pura fide bona opera in die prosperitatis suæ exerceat, & det Deo quod suum est.

O Filia Dei, in magna sollicitudine per duas vias mens tua occupata est. Nam per quamdam sollicitudinem tabescis, quasi de vita tua desperes: unde & interdum cum super montem conscenderis fidei, ad Deum ascendis; eum interrogas, quasi nescias quid in ista dubitatione facias. Sed tu cum pura fide bona opera operando in die prosperitatis tuæ ambula, & Deo quod suum est da. Nam solem vides, quod est honor ille, quem nondum Deus abstrahet a te, & sæculum in suspirio & in timore legis Dei habes, sicut luna in nocte. In utraque ergo parte serviens esto Deo, quia sacrificium tuum vult, & quia bona opera a te in vita tua postulat antequam moriaris. Lux gratiæ Dei operiat te, & unctione misericordiæ suæ te unguat, qua David unguebat, cum peccata sua confitendo Deum vidit. Ipse unctione viriditatis Spiritus-sancti te unguat, & bona & sancta opera in te faciat, per devotionem illam qua veri adoratores Deum adorant. Nunc præcepta Dei conserva, & in æternum vives.

EPISTOLA XXXVI. N. ABBATISSÆ.

Ipsius preces pro se suaque congregatione deprecatur.

AMantissimæ dominæ & in Christo matri dilectissimæ, N. abbatissa licet indigna sororum ecclesiæ regeni gloriæ in suo decore videre & cum eo gaudere perenniter.

Benedictus Deus, qui mysteria secretorum suorum mundo antea numquam audita, temporibus nostris mirifice per te declarare dignatur, fidemque nostram per te, ô mater sanctissima, confirmat, & sanctam ecclesiam suam solito fulgentioribus signorum suorum virtutibus, velut qui-

busddam novi solis radiis ineffabiliter illuminat. O quis ista unquam audivit? quis vidit talia? Ergo dicamus singuli, dicamus omnes, Benedictus Deus. Vultum sanctitatis vestræ videre, & verba ex ore vestro divino audire cupio ardentissime; sed quia hoc pro tempore & locorum instantia per præsentiam corporis implere non valeo, corde & animo te semper videbo, te semper amabo. Precor etiam sanctitatem tuam, ô mater piissima, ut pro me peccatrice & pro congregatione nostra tibi mecum supplicante, ad Deum, qui te proculdubio exaudit, intercedere digneris. Scias quoque quia memoria tua apud nos semper in benedictione erit, & nomen Domini per te magnificabitur, ora pro nobis, piissima mater & domina. Super hæc omnia rogamus tum pro Deo, tum pro materno affectu, ut nobis consolationis tuæ litteras mittere in proximo non differas. Christus Dominus noster in regno suo nos tecum congregare dignetur.

A

B

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

C

Ne sit instabilis, neve vana scrutetur.

PRovide ne tibi sit circuiens mens instabilitatis, in qua nubes saphyrinei coloris apparere non potest, & quæ etiam frequenter lucem solis obtegit. Magnum autem studium habe, ut in stabilitate stes, nec unamquamque vanam ac stultam inquisitionem scruteris: quoniam qui hoc faciunt, sæpe a caritate Christi decepti cadunt. Sicut etiam Saphyrinea nubes per circumeuntem mentem instabilitatis obtegitur. Amplexionem Christi attende, & omnia bona ab eo quære, & illi opera tua manifesta, & ipse tibi beatitudinem dabit, quia absque eo vana est salus hominis; quia gratia & salus non per hominem, sed per Deum habetur, ubi & sanctæ scripturæ, quæ de divino fonte fluunt, mammas ad sugendas hominibus præbent. Disce ergo ut hanc vanitatem fugias, quæ lucem solis obtegit, scilicet quæ hominem a Christo separat, & in æternum vives, & a Christo coronaberis.

D

E

EPISTOLA XXXVII. M. ABBATISSÆ in *VVethdersvvinkele*.

Ut se suasque in filiarum numero admittere velit, ac precibus adjuvare.

HILDEGARDI dominæ & matri reverendissimæ, omni laude dignissimæ, M. Dei gratia dicta abbatissa in *VVethdersvvinkele*, cum omnibus sororibus suis, filialem dilectionem & omnem subjectionem.

Quoniam odorem sanctitatis vestræ longe lateque per orbem terræ diffusum Dei gratia in tantum crevisse cognovimus, ut jam in toto mundo virtutum vestratum insignia ab universis ecclesiæ filiis digna veneratione commendarentur, nos quoque licet indignæ specialis dilectionis privilegio, maternitati vestræ ascribi optantes, quantum licet pro nostri parvitate, tantæ dignitati vestræ congaudemus. Quapropter, dulcissima mater, sanctitatem vestram toto cordis affectu imploramus, ut nos filiarum loco recipere, & sanctarum precum vestrarum tutamine confovere dignemini, quatenus vestris sanctissimis opitulantibus meritis, arreptæ viæ stadium tandem contingere mereamur. Ego autem quæ ceteris non meritis, sed sola nominis dignitate præstare videor, obnixis precibus sanctitati vestræ singulari devotione me committo, orans ut pio orationum interventu, ita omnium mihi commissarum curam agere possim, quod pariter cum illis in æterna vita vestri consors efficiar. Semper optasse me scitote aliquid de vobis accipere, per quod vestri memoriam habere possim, videlicet litteras commonitorias, quas pro Dei amore libenti animo semper observabo. Quædam etiam ex sororibus nostris speciali dilectione vos complectentes, vestris purissimis se per omnia commendant orationibus.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

In abstinentia servandam esse discretionem.

VIvens Lux dicit: Aridum sabulum inutile est, & terra quæ per aratrum nimis frangitur rectum fructum non dabit, quia justum modum involutionis suæ non habet. Et sicca terra quæ saxosa est, germinat spinas atque alias inutiles herbas; sic incongrua abstinentia, quæ non habet justum modum & rectum statum, prosternit carnem hominis, quia non datur ei viriditas justæ refectionis. Unde etiam homo arescit. Ubi hoc est, certe ibi peribunt volatiles virtutes, scilicet humilitas & caritas pulcherrimorum florum, quoniam nimia abstinentia caret viriditate virtutum, sed ibi crescit ventosa fama inutilitatis, ibique insurgunt multi terrores quasi sancti sint, & sancti non sunt. Qui in hac vanitate sunt, iracundiam habent & non pacem, atque in multis moribus suis inutiles sunt. Homo qui vult regalem vitam in spiritali habitu habere, tabescat in deliciosis epulis incongruorum ciborum, de quibus lascivia surgit, tabescatque in fortissimo vino, in quo luxuria palpitat, & alia moventia mala nullam sanitatem habentia. Hæc casti homines animam suam diligentes fugiant; sed tamen recto frumento utantur, & vi potus

qui non flagrat in igne coloris sui. Quod A homini ad vescendum dedi, non auferò ei; sed horribiles cibos nescio; quia vanitas in eis est. Sed tamen per incongruam abstinentiam nulla anima fugiat ad me, sed in resta mensura mihi adhæreat homo, & illum recipiam, nec ullus homo certet in fremitu dentium suorum pro non emerito præmio in operibus, quia do unicuique juxta mercedem, secundum merita sua, ut me amat.

EPISTOLA XXXVIII. H. ABBATISSÆ de *Althena*.

Congratulatur de Dei donis, optatque eam videre.

DOminæ & matri H. dilectæ & venerabili in Christo suæque dilectionis intimæ, H. abbatissa, licet immerita, de *Althena*, & peccatrix pœnitens ad pedes JESU cum Maria sedens, dilectum suum videre sicuti est.

Congratulor vestræ beatitudini, omnium feminarum dilectissima, quæ, sicut in deliC tiis evidentissimis probari potest, quem diligit anima vestra, quantum mortalibus possibile est, inveniistis, & jam jam cum ipso in secreto cordis periculo feliciter vacans gustastis, & videtis, quoniam suavis est Dominus, quodque ita esse perpendo, oportet me æquanimiter ferre, quod multo jam tempore per litteras vestras visitare me vobis tam devotam neglexistis. Credo enim quod si vel ad momentum aciem mentis ab intuitu dilecti vestri reflectere, atque pedem extra habitaculum quietis movere possetis, minime omitteretis, quin sæpius me per nuntium vestrum consolari faceretis, qui & me de status vestri qualitate lætificaret, & de meo vobis referret. Nam & si non dabitur mihi dilectam faciem vestram, ultra in hac vita videre, quod sine lacrymis non possum dicere; læta tamen semper de vobis ero, quippe quam ut propriam animam statui diligere. Quapropter oculo orationis videbo vos, quousque perveniamus illuc, quo & nos invicem æternaliter videre, & dilectum nostrum facie ad faciem in decore suo mereamur contemplari.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Sub figuris hortatur ad militandum Deo.

O Tu, quæ magistra es in fulgore salientis fontis, quod est in vice Christi, audi. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David.* Hoc tale est. Filius enim splendor sanctæ divinitatis velut radix est. Ipse namque rugit velut Leo, quin primum angelum in casu ipsius imitantes in infernum projicit: ita quod & ibi omnem injustitiam frendentibus dentibus a se depellit, & ita radix fortitudinis est. Omnes autem qui eum fide confitentur & bono opere tangunt ad se trahit, & ob hoc omnia quasi Leo vincit. Nunc audi me admonentem te. Omnibus *viam unam Deus instituit, ut omnes in ea ambularent. Sed duo viri in latere ejusdem viæ stabant, & alter ad alterum dixit: In plateis tam libenter quam in via ambulo; & alter dixit: Ita & ego. Et postea respexerunt ad spinas & ad tribulos, & illa desiderabant. Et Dominus dixit eis: Isti me nolunt, neque in vexillo meo pugnare volunt, ideo de me abscissi sunt. Tunc de oriente milites in armis valde ornati venerunt dicentes: Ista via ambulare volumus, & Dominus illis pennas cujusdam architecti dedit, & Cherubim oculis suis ad illos vidit. Ac isti de Lumine tam fortes facti sunt, quod certamine boni prælii faciati non potuerint. Alii autem viri in brevi tempore fatigati sunt, & ita perierunt: quia cibo vitæ pasti non sunt, nunc, ô cara filia Dei, ad illos militantes milites respice, quatenus in aliqua parte cum eis sis & in æternum vives.

EPISTOLA XXXIX. S. ABBATISSÆ in *Altuvich*.

Cupienti curæ regiminis renunciare, & cellæ singulari includi, orat Dei beneplacitum per Hildegardem significari.

BEatæ memoriæ H. de S. Ruperto, S. solo nomine abbatissa in *Altuvich* Trajectensis ecclesiæ, introite chorum Lumine, luminum illuminatum.

Quia nullis hominum valet mundanis concupiscentiis renuntiare, & ad supernam patriam omni intentione anhelare, nisi ei desursum datum fuerit Christi juvamine; ideo religioni vestræ intimare cupio, quid, Deo instigante, & Spiritus sui gratia cooperante, conceperim in animo meo. Dominus noster, qui non vult aliquam de ovibus suis esse eroneam, sed sicut bonus pastor cupit omnes revocare ad salutis æternæ viam, inspiravit cordi meo, ut puto, quatenus onus E regiminis quod graviter porto derelinquam, & me solitudini alicujus cellulæ includam. Hujus itaque propositi velle adjacet mihi, sed posse & consummare in Domini nostri est potestate. Ergo quoniam scio vos apud Deum esse tanti meriti, quod ex Spiritus-sancti revelatione cognoscere valeatis quid expediat homini facere, propterea humilibus precibus exoro pietatem vestram, quatenus pro me Dominum velitis consulere,

si sibi placita sit conversatio mea, ne me post A hac sententia illa Gregoriana denotet, quæ dicit: Melius fuerat eis viam veritatis non cognovisse, quam post cognitionem ab ea in deterius decidisse. De cetero valeatis in Domino, & ea quæ postulavi, pietas vestra non renuat mihi per præsentem portitorem scriptis designare, & quidquid gratiæ Dei per Spiritum suum sanctum vobis de his placuerit revelare.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ipsi non esse utile onus regiminis abjicere.

IN vera visione mysteriorum Dei hæc verba audi. O filia de latere viri orta, & figura in ædificatione Dei formata, quare tabescis, ita quod mens tua in vicissitudine nubium volat, quas tempestas circumducit, sic quod interdum ut lux lucet, & interdum obscuratur. Sic est mens tua per strepitum morum illorum, qui non fulgent ante Deum. Sed tu dicis: Volo requiescere, & C locum requirere ubi cor meum nidum habeat, ita ut & anima mea ibi requiescat. O filia, non est utile apud Deum ut onus tuum abjicias & ovile Dei relinquas, cum illud lumen habes per quod illi luceas: ita ut ad pascua illud educas. Nunc autem te ipsa coerce, ne mens tua flagret per hanc dulcedinem quæ valde tibi nocet in vicissitudine singularis vitæ. Tu vero vive, quia gratia Dei te vult. Cave igitur ne te ab ipsa abstrahas in vagatione mentis tuæ. Deus adjuvet te, ut in pura scientia vigiles.

D

EPISTOLA XL. S. ABBATISSÆ in *Kizingun*.

Quærit an onus quod portat deserere debeat.

HILDEGARDI singularis meriti magistræ, spiritualium virtutum saphiris distinctæ, S. in *Kizingun* dicta abbatissa, sed parum proficiens, orationis obsequium indeficiens.

Audita prærogativa tuæ sanctitatis, pennis præpetibus ad sinum convolo tuæ caritatis, pro luce cupiens apud te commendari, quæ per veram lucem ad illuminationem gentium meruisti revelari. Quis enim non delectetur in laribus matris Sophiæ? Quis non sponte apponat aurem cœlesti armoniæ? aut quis non optet audire Sancti Spiritus organum tot virtutum tremulis præfinitum, tot miraculorum anaglyphis mystice insignitum? Bene quidem sonus iste in omnem terram exivit, cujus euphoniam Spiritus qui a Patre procedit condivit. Ergo clama in fortitudine qui annuncias pacem in latitudine, venient ad te omnes gentes ultra flumina Æthiopiæ munera laudis auferentes. Nam & ego licet non secundum bravium, secundum spem tamen, ut ceteri, curro ad stadium, quia juxta illud Apostoli: *Neque volentis, neque currentis; sed Dei est miserentis*, quisquis comprehendit partem sanctissimæ tuæ orationis. Quam gratis præstas omnibus debito proximitatis & Dei dilectionis. Adduco mecum nobile par, monialem scilicet laudabilem perfectissimamque sororem acceptabilem, quam B spiritu mihi generavit cœlestis Pater non minus illi quam mihi cupiens tui notitiam, veneranda & omni laude dignissima mater. Sonet vox tua in auribus meis, & quid salubrius sit, utrum onus quod porto deseram, an diutius feram, mihi petenti divinitus enarra.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS

Onus quod portat, cum Deo sit acceptum, non esse deserendum.

O Sophia in mystica visione tibi dico: Anima tua confortetur a Deo, in recta suspiratione tangens Deum. Bonum est tibi onus laboris tui quod in Deo suscepisti portare: ita si oves volunt audire admonitionem Dei per magistrationem tuam. Et si ulla scintilla in eis corrusçat, non relinque illas, ne raptor eas rapiat. Anima tua clarescat in Deo, & dies tui ardeant in igneo datore, & confide in Domino, & esto sollicita pro te & pro filiabus tuis secundum præceptum Dei atque devotionem, quam Deus tibi dedit & dat in amplexione caritatis suæ, ne deseras: quia tu mundum istum quasi peregrinum in corde tuo habere debes. Deus adjuvet te, ut vivus lapis fias in cœlesti Jerusalem.

EPISTOLA XLI. R. ABBATISÆ S. Mariæ Ratisponensis.

Ipsius se precibus commendat, quibus a mortis faucibus se ereptam declarat.

E R. Per Dei gratiam humilis dispensatrix ministrantium S. Mariæ inferioris monasterii Ratisponæ, speciali amicæ suæ HILDEGARDI, quidquid continua oratio & condignæ servitutis operatur devotio.

Si modus & locus vobis serviendi mihi adimitur, eo tandem remedio affectus meus utitur, ut utriusque hominis vestri incolumitatem per transmissas quantocius litteras experiar. Sciatis, carissima, quamvis prærupta montium, voragines fontium, me de vestri avellant præsentia, perfectæ tamen

fidei & dilectionis cor meum vobis adjungitur benivolentia. Optandam vestri notitiam, & in salutem optantis feliciter exoptatam, non meis meritis adscribo, sed gratuitæ pietati Dei, qui pius pie cum suis operatur fidelibus. Attamen credatis me vestra non abuti amicitia, quia ea pleniſſimè fruor, cum per gratiam Dei ad internæ dulcedinis suavitatem vocata, cum eo aliqua familiarius audeo & valeo conferre. Sub ejusdem caritatis solatio quæso, ut certis litterarum signis me faciatis experiri, si juxta petitionem meam & condictum memoria mei quidquam apud vos postea valuerit. In gratia & licentia vestri quam fideliter, quam amabiliter saluto sorores nostras debiti famulatus obsequio, quæ in spiritu fortitudinis Dei robur virtutis resumentes, viriliter pro me steterunt, & ut ita dicam, bonis actibus vestris præcedentibus, in articulum mortis ruentem me salvam reddiderunt. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut a quibusdam pravis consuetudinibus se emendet & ad Deum aspiciat.

O filia Dei informatione primi hominis, ad Patrem tuum accede, & in ipsum ita aspice, ut voluntatem ejus facias: quia ipse te creavit. In proximo enim tempore, ipse castigando te admonuit, & ob aliquam causam, quam in te video, adhuc monebit de mala consuetudine, quam tibi bonum est vitare. Tu quoque in ipsum aspice, & illi omnes vias tuas manifesta, & columbam pietatis imitare. Ipsa enim unumquodque bonum opus testificatur & exulem tristitiam laborum habet. Tu enim in hoc disce, ut puram mentem habeas, & cum mens tua inquietudine circuit multa comprehendendo, quæ perficere non potes; tunc in stabilitate sta & moderationem disce: quia columba etiam moderata & stabilis est. Quando namque vehemens ira te fatigat, in purum fontem patientiæ aspice, & ira mox finitur, & tempestas cessabit, & unda fluctuosæ aquæ, quia columba patiens est. Sed cum in tædio & ita quod naturalis motio te concutit, exilium hujus vitæ attende, & quod etiam ad aliam vitam expectando anhelas, ac istud secundum tristitiam columbæ facito & unaquæque utilia aliorum bonorum hominum collige, & secundum exemplum columbæ vive & in æternum vives.

EPISTOLA XLII. N. ABBATISSÆ in *Roufungim.*

Hortatur ut principes ecclesiæ excitet.

DOminæ & sorori HILDEGARDI; peccatrix N. & solo nomine abbatissa in *Roufungim*, lumen scientiæ sub modio silentii non occultare.

Nuntii hujus inopina festinatione præventa ut dominæ & matri nihil polite vobis scribere potui, quin potius vulgara enuntio verba, ut dilectæ sorori. Igitur sic accipite. Celebre factum est in ore omnium volumen illud volans, quod prophetæ datum est in escam in tuo quoque ore, utpote sapiens requiescere. O quam pretiosus thesaurus iste. Cave ergo ne cum stulto glutias eum. Discurre autem, festina, excita ecclesiam, immo principes ecclesiæ, quibus in Petro dicitur: *Simon, non potuisti una hora vigilare mecum.* Virgam enim ab Aquilone super iniquitatem vigilantem te vidisse & gaudemus & contremiscimus: unde & litteras tuas consolatorias recipere desideramus. Vale in Christo ad ipsius invocationem semper mei memor, ut gratiæ, quæ in te est, particeps fieri merear.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS

Dies sibi paucos supereſſe, & ut mortem bonis operibus præveniat.

IN spiritu veraciter tibi dico: Animam tuam custodi, ne cum iniquitate coinquinetur. Tu etiam corpus tuum cum justitia Dei circumcinge. Hoc ante diem mortis facito: quia postea nullum remedium invenire poteris, nisi quantum per gratiam Dei & per ornamentum operum tuorum inveneris. Accipiter enim inimicus tuus circuit, tentans quomodo animam tuam vulnerare possit. Ab illo te custodi per studium bonorum operum & per abstinentiam peccatorum: quia dies tui longa tempora non habent. Unde Spiritus-sanctus in te ignem suum accendat, ut verborum istorum recorderis. Unde & iterum hanc parabolam tibi dico. Arbores in hieme arescunt, & in æstate florent, & grossos fructus producunt. Nunc animo tuo hoc intende, quamdiu per prævaricationem spiritalis vitæ in hyeme sis, & per mutationem morum tuorum in viriditate Spiritus-sancti, quæ æstas est festinanter curre, & hoc modo flores virtutum producito, ac collige manipulos tuos quanto citius possis; & tamen interim a peccatis te custodi, quia in veritate tibi dico: si gratiam Dei quæsieris, ipsa a te non fugiet.

EPISTOLA XLIII. N. ABBATISSÆ in *Gerbeſtethde*.

Ejus petit orationibus adjuvari, ſuaſque viciſſim illi promittit.

VEnerabili Dominæ H. lucernæ ardenti & lucenti, N. gratia Dei in *Gerbeſtethde* abbatiſſa, licet indigna, ſic certare in ſtudio ut æternum comprehendatis bravium.

Quoniam, teſtante Apoſtolo, unuſquiſque membrum eſt alterius, ſingulis eccleſiæ filiis plurimum eſt gaudendum, quod ſcilicet fama ſanctitatis veſtræ ubique pervolans, odorem virtutum veſtrarum per totam innotuit eccleſiam: qui etiam in partibus noſtris reſpirans, ad gratiarum actiones referendas auctori totius boni, noſtra non modice excitavit corda. Unde ego ultima fidelium, participari cupiens meritis veſtris, precor quam intime, ut aſſiduitati precum veſtrarum intereſſe merear: quam petitionem ſi exaudieritis, orationem meam licet viliſſimam promtiſſimam vobis tamen promitto. Præterea rogo almitatem veſtram, domina amanda, ut aliquid mihi de libris veſtris tranſmittatis, omni devotione ſemper deſerviendum. Inſuper quatenus memoria veſtra tanto apud nos abundantius vigeat, quanto his bonitas veſtra nos lætificat. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

De caſu primorum parentum & eorum per Chriſtum ſuſcitatione.

TU filia Dei in noctibus per quatuor elementa aſcende, quæ in die omnia opera complent. Nox enim per tenebras triſtitiam, & dies per lucem gaudium profert. Scriptum eſt enim, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Hoc tale eſt; Deus dies illa eſt quæ non obſcuratur, & quæ per tempora temporum numquam mutatur, & ſibimetipſi diem ſcilicet claram, lucem de luce elegit: quia ipſe facturam ſuam, ſcilicet hominem cum omnibus quæ ſibi aſſunt integram fecit. Sed ſerpens veniens, mulierem per eloquium afflavit, & ipſa illud ſuſcepit, ac ſe ad ſerpentem reclinavit. Et ſicut a ſerpente hoc guſtaverat, ſic viro ſuo idem dedit, & illud in viro permanſit: quia vir omnia opera pleniter perpetrat. Hoc autem Deus fieri non juſſit; ſed ſerpens per blanda & luſoria verba mulierem decepit. Tali enim modo guſtus carnis a ſerpente ſuſceptus eſt, & ipſe ideo lubricus, & levis, ac fallax ut conſilium ſerpentis eſt. Serpens namque in fallacia ſua homini maledictionem abſcondit: quoniam ſi ei perditionem oſtendiſſet, conſilio ejus non conſenſiſſet. Et ut homo ſcientiam boni & mali habet, ſic & ſerpens dolum & maledictionem habet. Sed deinde velox cervus & fortis Leo in cubiculo ſuo habuit, quomodo hoc divideret. Deus enim virginalem maceriam ſibi elegit, in qua verbo ſuo humanitatem præparavit: quia virgo commixtionem guſtus carnis non cognoſcit, & ita verbum Dei aliene homo factum eſt. Sic quoque homo Chriſtus de die in diem proceſſit, & ita ſerpentem decepit, qui hominem blaſphemaverat. Dies enim Chriſtus omnia noxialia noctis ſuperavit: quia guſtum carnis, quem ſerpens blande in hominem miſit, per emendatam pœnitentiam abluit, ac hominem alienum in hoc modo facit, cum illum membrum ſuum ad ſe colligit. Serpens etiam cum fallacia ſua, in qua malitiam abſcondit, multos ſæpe lædit, ac eos dubios eſſe facit, ſic ut Deum neſciant: ita quod & ipſos ſine fide & ſine ſpe diſcerpit. Multi tamen contra hoc pugnant dicentes: Creator meus me non perdet, niſi pro peccatis meis peream. Pugna hæc tortoribus martyrum & dolori vulnerum Chriſti aſſimilatur. Prima autem mulier nox ſupradicta fuit, & ipſa nocti ſcilicet viro ſuo ſcientiam indicavit. Tu vero, filia Dei, per martyrium boni operis te decoram fac: ita quod anima tua in Deo clareſcat.

EPISTOLA XLIV. N. ABBATISSÆ Montis S. Cyriaci.

Se ſibique commiſſas ipſius commendat precibus.

HILDEGARDI ſanctitatis ſpeculo, N. indigna abbatiſſa ancillarum Chriſti in Monte S. Cyriaci Erphordiæ commorantium, æternæ claritatis perfrui gaudiis.

Glorioſa dicuntur de te, famula Dei, proinde te rogo, ut mihi onere peccatorum prægravatæ precis tuæ porrigas manum, dilectum tuum imitando, qui manus extendit leproſo. Cognovi enim te unctam eſſe oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Unde te flexis genibus precando adjuro, ut cum illa cœleſtia & æterna comprehenderis, ſanctaque ſanctorum interius, meis condoleas miſeriis, ſponſum tuum & meum pro me exorando, & in gratiam ejus meos exceſſus reconciliando. Quomodo tu, dilecta Chriſti, caritatem haberes, ſi compati infirmitatibus aliorum detrectares? Sim ergo tuæ ſanctitati commendata, & ſorores quæ mihi commiſſæ ſunt, & ora ut pes noſter ſtet in via recta, ut gradientes perfecte, diem attinganius lætitiæ. Interpella cum qui nos

abſcondit in abſcondito faciei ſuæ a con- A turbatione hominum, ut nos protegere dignetur in tabernaculo ſuo a contradictione linguarum, detque velle & poſſe quæ præcipit, qui veritatem in ſæculum cuſtodit. Fraternitatis igitur noſtræ plenitudinem ſanctitati veſtræ deſigna modo, & ut veſtræ precis certitudinem habeamus intimè exoramus. Sanctitatis veſtræ gloria vigeat, floreat, valeat.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS. B

Hortatur ne mente ſit inquieta, & ne in abſtinentia excedat.

O Filia Dei cum caritate Chriſti circumdata es, ſed tamen cum amaritudine tui corporis conſtricta es bellis, & rebellas contradicendo diabolum. Quod conſtructionem populi, cum quo es, Deo placidam video, & etiam in meliorem partem ſtrenue aſcendentem, & in bona converſatione plus ædificari quam inſtitutus ſit. Anima autem tua in Deo exultet, & in C illo devote permaneat. Sed tamen neſcis nec cogitare potes vincula ligatorum d ſtrumpere, eorum ſcilicet qui in ſemitis irriſionis ambulant. Quomodo? Quidam homo ad magnam turrim aſpexit ne ſe moveret, ſed tamen hoc prohibere non potuit, & in inquietis clamoribus clamavit: Væ, væ, & ſic in irriſionem populi ductus eſt dicentis: quid proderit tibi ſemper contra eos bellare, qui te nolunt. Sed in montem excelſum aſpice, & ad illum qui diligenti caritate tibi reſpondeat. Filia mi, filia mi, quid vis? Omnia quæ pro anima D tua poſcis implebo. Nunc ceſſa de inquieta mente, & quietem tibi aſſume. Nam video in vero Lumine, quod hoc utile animæ tuæ ſit. Sed provide ut terram tuam inſolitudine habeas, & eam non confringas. Ita ut viriditas herbarum & aromatum virtutum per aratrum laboris attrita germinare non poſſit. Sæpe video, quando homo per nimietatem abſtinentiæ corpus ſuum affligit, quod tædium in illo ſurgit, & tædio vitia ſe implicant, pluſquam ſi illud juſte paſceret. Sed quia benivolens anima caritatis in te conſtituta eſt, cuſtodi ut non frequenter E videas hoc quod carnem imperat vulnerare. Sed adhibe tuis rectè conſtituta tempora unguentorum ſalutis, ut in æternum vivas. Video animam tuam valde rutilantem in puro homine.

EPISTOLA XLV. N. ABBATISSÆ in *Lubboldesberge*.

Conſolatorias ab ea expoſcit litteras.

Hildegardi Sponſæ Chriſti in Monte S. Ruperti, N. humilis gubernatrix ſororum in *Lubboldesberge*, piam in Chriſto orationem.

Quanto deſiderio faciem tuam videre, tuoque colloquio gaudere diu deſideravi & deſidero, novit ſcrutator cordis & renum Deus, numquam tamen peccatis meis impedientibus ad deſiderii mei effectum potui pervenire. Verumtamen quoniam ſæpe cognovi, multos per tuas litteras conſolationem accepiſſe: quibus tamen faciem tuam videre non contigit; propterea & ego peccatrix idem ſperans conſilium tuum per præſentem cartulam quærere auſa ſum; ſi forte divina clementia per bonitatem tuam conſolari afflictionem meam diſpoſuerit. Multiplex ſiquidem eſt cordis mei contritio, quam per te alleviari totis viſceribus C meis exopto.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

A Deo eam valde diligi.

Dies lucem clarificat, & nox tenebras obnubilat. Si autem nox contra diem pugnare vult, eum extinguere non poteſt: Si vero dies noctem ſuperare vult, poſſibilitatem eam vincere habet. Verum autem lumen tibi aſſit, quod in primo die Deus homini providit. Nam Pater filium diligit, quamvis eum foras exire videat; cum tamen ille tempus tempeſtivum peccandi non D quærat, quaſi Deus non ſit. Deus animam tuam in vagatione mentis tuæ videt; ſed tamen mens tua illicita peccandi deridet quæ animam decerpunt. Unde video te ſicut rutilantem fulgorem ſolis per inſpirationem Spiritus-ſancti: nec omnino exilium perditionis; ſed adſpicientem ad ſolem ſicut Aquilam per pœnitentiam, quæ dulciſſima mater eſt, & ideo Deus valde amat te. Nunc in æternum vive.

EPISTOLA XLVI. N. ABBATISSÆ. E

Tentationibus impugnata ipſius conſilium, auxiliumque precum poſtulat.

Hildegardi venerabili & in Chriſto dilectæ, N. peccatrix & ſolo nomine abbatiſſa ſororum... orationem & omnium operum in laude Dei tranſactorum ſeu futurorum communionem.

Scimus, dilectiſſima, in omnibus vos providam ſemper extitiſſe, & in hoc nondum

defeciſſe: unde rogamus ut litteras noſtras benigne recipiatis, & quid in eis contineatur audiatis. Conquerimur enim veſtræ ſanctitati, quod tentationibus malorum ſpirituum multotiens impugnamur, & in partes varias inclinamur, & niſi Deo adjuvante confortemur, a procellis eorumdem opprimimur. Eapropter veſtram ſanctitatem iterum & iterum & etiam tertio imploramus, ut pro æterna remuneratione conſilio veſtræ bonitatis nobis ſubveniatis. Et quidquid ſuper hac re deliberaveritis, non viva voce; ſed litteris per præſentium latorem renuntiate.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Propriam dimittendam eſſe voluntatem ac carnalia deſideria, ut Deo obediatur.

O Filia Adæ, in vera viſione ſic docta ſum. Quicumque hoc facit quod voluntates corporis ſui relinquit, hic Abrahæ, qui patriam ſuam reliquit, & viro ſapienti qui domum ſuam ſupra petram ædificat aſſimulatur. Homo enim qui in hac terrena vita aliam vitam colit, hujus vita angelica eſſe probatur, quia tempeſtas hujus ſæculi eum non movet, nec terroribus diabolicæ deceptionis proſternitur. Sed ſicut Abraham patriam ſuam reliquit, & præceptis Dei obedivit; ſic iſte carnalia deſideria ſua derelinquit, & præceptis Dei per eleemoſynas & orationes ac per alia bona opera obedit. Sed providendum eſt, ut in his bonis homo ſtabilis ſit, ne per diabolum ſeducatur, qui primum hominem decepit, & qui eum gloria ſua deſpoliavit. In omnibus quoque bonis ſuis doctrinæ ſupernorum judicum obedire debet, quorum linguæ claves cœli ſunt. Deus victoriam hujus prælii in te perficiat, ita quod ab angelis lauderis, & quod ſancti in te gaudeant, & quod etiam in æterna gaudia recipiaris.

EPISTOLA XLVII. N. ABBATISSÆ apud *VVidergoldesdorf.*

Optans dignitati renuntiare, petit ab ea quid ſibi ſit agendum.

DOminæ ſuæ HILDEGARDI piæ matri ancillarum Chriſti apud B. Rupertum Domino Deo militantium, N. humilis miniſtra & dicta gubernatrix ſororum apud *VVidergoldesdorf* Deo & ſanctæ MARIÆ ſervientium, intimam dilectionem & devotum obſequium.

Scio, Domina, quia omnes viæ veſtræ miſericordia & veritas, & hoc merito; quia miſericordia quæ de cœlo ad terram Filium Dei attraxit, ſuper vos proſpexit, & ſuperna Sapientia ſedem ſuam in vobis paravit. Quapropter, dulciſſima, obnixe ſupplico, ut dignemini a Deo perquirere vobis, utrum ſit ipſius voluntas, ut iſtam ſarcinam portem aut abjiciam: quia plus adhuc conſtrictione obedientiæ, quam Dei amore perſeveravi. Idcirco ſi auderem de loco magiſterii libenter diſcederem: quia mihi valde durum eſſe videtur, ut omnibus moribus aliorum ſerviam, & ut in voluntate illorum permaneam, & ideo mercedem aliquam me recepturam non ſpero. Valete, ſapienti animo pauca ſufficiant.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut conſtanter ſuſtineat impoſitum ſibi onus & in Deum confidat.

MUltum iſte valet, & magnum donum Dei eſt in homine illo, qui talis eſt in ſcientia, quod cœlum ſuſtinere poteſt. Hic eſt ſenſus. Nullus hominum fugere debet, qui ad hoc valet, ut per virgam Dei congregationem ſanctorum ſuſtineat. Sed donum Dei tibi hoc inſpiret, ô filia, ut lumen ipſius diligenter feras. Quædam autem natura hominis eſt, quæ in primo ortu ejus ſicut fumus aſcendit, & hæc dolorem & amaritudinem portat, ac huic multæ cogitationes, & timor, atque dubietas ſe implicant. Hoc martyrium tu, filia, habes; ac in eo anguſtiam & timorem, & dolorem in æquitate vitæ ſuſtines. Sed tamen in hac parte plurimi ſancti ſicut martyres ad Deum veniunt. Ac ideo & tu confide in Deum, quia non derelinquet te, & Spiritus-ſanctus dolorem tuum minuet.

EPISTOLA XLVIII. H. ABBATISSÆ de *Crouchdal.*

Ut quid in ſe correctione dignum ſit indicet.

HILDEGARDI ſummi Patrisfamilias domus providæ diſpenſatrici, H. de *Crouchdal* abbatiſſa humilis & indigna, maternam venerationem cum ea qua in Chriſto conjunctæ ſumus caritate.

Poſtquam diu deſiderata præſentia & affabilitate veſtra Deo opitulante merui relevari a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate priori aliquantiſper quievi; & quia verba veſtra non ab humano ingenio, ſed a luce vera, quæ plus ceteris hominibus vos illuminavit, non dubito procedere, conſilio veſtro quod propoſui facere diſtuli adhuc perficere. Scire vos volo, domina & ſoror cariſſima, quia ſicut prius vos videre multum deſideravi, non minus adhuc deſidero;

dero, & cum corpore non possim, corde vobis semper adhæreo: & quia certum est caritatem in vobis & vos in caritate manere; per eam vos deprecor, ut quid correptioni vel correctioni dignum lux viva per spiritum suum de me vobis manifestaverit, scribere mihi non differatis.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Eam dijudicare alios in quibus dijudicari nollet.

QUi omnia videt dicit: Oculos habes ad videndum & undique ad circumspiciendum. Ubi vides lutum, illud ablue, & quod aridum est fac viride. Sed & aromata quæ habes fac saporem habere. Quod si oculos non haberes, te excusare posses. Nunc autem oculos habes, & quare per eos non circumspicis? sed magniloquium habes in rationalitate. Multoties enim alios in his dijudicas, in quibus te dijudicari non cupis: sed tamen aliquando sapienter ea dicis quæ profers. Attende ergo attente quod onus tuum portes, & collige bonum opus in sacculum cordis tui ne deficias: quoniam in solitaria vita, quam requirit sonus verborum tuorum, non valetes quiescere propter vicissitudinem diversorum morum, quia tunc novissima tua multo pejora fierent quam prima, & etiam tam gravia ut jactura lapidis est. Imitare autem turturem in castimonia; sed electam vineam diligenter procura, ut Deum recta & pura facie inspicias.

EPISTOLA XLIX. L. ABBATISSÆ in *Babemberch.*

Petit ab ea & ejus conventu mutuum fraternitatis consortium.

HDominæ & matri amabili, religione ac dignitate venerabili, L. licet indigna abbatissa in *Babemberch* dicta, una cum omnibus sibi commissis a Deo, quidquid valet humilium devota & frequens oratio.

Beatitudini vestræ in Christo congaudemus, quantum pro modulo nostro valemus, quod Dominus, qui vos præscivit & sibi prælegit, nostris temporibus spiritu prophetiæ illustravit, ac replevit. Nos ergo præcipue in hoc Christus lætificavit, quod non solum ad hoc vos ex femineo sexu prævidit & prædestinavit; verum multos gratia sua per doctrinam illuminavit. Quapropter grates permaximas ipsi pro vobis referimus, & humili supplicatione deposcimus, ut quæ in vobis cœpit clementer perficiat, donec ad æterna perducat. Petimus igitur obnixe, ut nos in consortium fraternitatis vestræ dignemini recipere, & nos A sancto conventui vestro studeatis commendare; & commonitoriis litteris vestris nos confirmare. Valeat dilectio vestra.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad laborem, & ad filias sub disciplina constringendas.

OMater, homo qui agrum illum, qui plenitudinem fructuositatis habet, non fodit, nec fructiferum facit, delinquit: quia pro præmio patrisfamilias non laborat. Quis enim bovem & asinum constituit? scilicet Deus ad servitutem hominis eos creavit. Cur autem homo propria utilitate sua non laboret, cum ipse totum opus Dei sit, & cum Deus ipsum vacuum non constituit, Deus namque hominem firmamento similem facit, quod solem & lunam ac stellas portat, quatenus omni creaturæ luceant, & quatenus tempora temporum ostenderet: Sed si hæc omnia nigra nubes obtegeret, creatura se finiri timeret. Tu filia Dei, agrum hunc te esse cognosce: quia propter benevolentiam tuam amplexionem cum populo habes: ita quod ipse verba & opera tua capere potest. Ideo cum ipso laborare non fugias, nec propter vacans otium delinquas, quia sæpe inutiles herbæ in otiositate crescunt. Tu quoque ostensionem firmamenti tibi propone, ne lumen rationalitatis tuæ ob nigras nequitias, fallente diabolo, abscondas, quasi vix vivas, ac in his omnibus in disciplina filias tuas constringe; quia quemadmodum puer timet quod virga percutiatur: ita magister ab omnibus timeri debet, afflictionem autem in his ne timeas, sed cum hac præmia tua in æterna vita auge, ita ut spiramina Spiritus-sancti in te fluant.

EPISTOLA L. N. ABBATISSÆ Veteris-monasterii Moguntiæ.

Ut pro peccatis suis Deum placare studeat.

DOminæ suæ H. Deo dicatæ virgini, N. solo nomine abbatissa sororum in Veteri-monasterio Moguntinæ ecclesiæ, post diutinam ægritudinem cœlestis vitæ beatitudinem.

Si aliquantulum, domina mea, de infirmitate vestra convaluistis, gaudeo: sin autem, ex animo condoleo. Ea scribo vobis ausu familiaritatis, petens ut meam circa vos devotionem attendatis, & pro peccatis meis faciem Domini placare studeatis. Precor enim vos in vinculo caritatis, ut per præsentium litterarum portitorem me commoneatis, quod rescripto vestro, prout Spiritus-sanctus vobis donaverit, me lætificetis.

A

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut pondus ſuum devotiſſime portet, & in Dei ſervitute perſeveret.

VOluntas Dei quaſi in ſigno mortis me ſtraverat, velut anima mea de hoc ſæculo ſuſpiraret: ſed gratia Dei aliquantulum me in novo dono nunc erexit. Sed myſtica Dei dicunt: ut in vera viſione video. Qui in nomine meo ulli dolenti ſuccurrit, illi in parte mea, quod præmium laudis eſt, B ſuccurretur. Mens autem tua flagrat, quaſi ignito oleo aſperſa ſit, unde interdum dolendo fatigaris, velut neſcias quid facere poſſis. Nunc vive in Deo, & pondus tuum devotiſſime ſuffer, quantum præ viribus tuis potes, & Deus faciat ut in ſervitute ipſius perſeveres.

EPISTOLA LI. E. ABBATISSÆ Superioris monaſterii Ratiſbonenſis.

An creditam ſibi curam dimittere poſſit, & de his quæ jam inquiſierat an ſibi formidandum ſit aliquid.

REverendæ in Chriſto multum diligendæ matri H. E. Dei gratia, ſi quid eſt, ſcilicet abbatiſſa, quamvis indigna in Superiori monaſterio Ratiſbonæ, orationes quas poteſt cum ſinceræ fidei & dilectionis affectu.

Videre faciem veſtram, domina dilectiſſima, multum deſiderat anima mea, & ad audienda verba oris veſtri multo tempore arrectæ ſunt aures meæ. Pro magno etiam deſi- D derio meo aliquando litteris ſanctitatem veſtram ſalutavi, ſed reſcripta nulla recepi. Rogo igitur, atque pedibus veſtris eminus provoluta humiliter deprecor, ut per præſentem nuntium, ſaltem de duabus inquiſitionibus mihi reſpondere dignemini, ſi videlicet de re pro qua jam maxime affligitur cor meum, aliquod periculum timendum, vel de Dei miſericordia præſumendum ſit. Scire cupio conſilium veſtrum de cura mihi credita, quomodo vel quando expediri poſſim de illa iterum atque iterum caritatem veſtram ſuppliciter implorans efflagito, ſi qua ſint in vobis viſcera miſericordiæ, ut maximam an- E guſtiam cordi meo imminentem ſcriptis veſtris relevare vos non pigeat.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Non inquirenda quæ Deus neſciri vult, nec dimittendam ipſi impoſitam curam.

OFilia Adæ, Deus rationalitas illa eſt, quæ nec initium, nec finem habet, & per quam homo rationalis eſt, & eadem rationalitas in ipſo animata vita eſt, quæ numquam deficiet. Nunc autem vide & attende ſcripturas, quæ de radice Spiritus-ſancti radicatæ ſunt, & quæ etiam de rationalitate quæ Deus eſt ſcriptæ ſunt. Scriptura enim ſpeculum eſt, in qua per fidem Deum aſpicimus: quia adverſarius noſter vigilat, & non dormit. Ideo cum illa adverſus eum pugnare debemus, & Deum tentare non debemus, ſed devote adorare. Diabolus enim mutabilem & diverſorum morum eſſe ſcit & videt, & ob hoc inquietis moribus pacis eum quieſcere non permittit. Sæpe etenim homo quaſi in impetu a Deo ſcire vult quod ſcire non licet, & per hoc ſervitutem Dei dimittit: unde diabolus multum gaudet, & in utraque parte eum deficere C videt. Talis vero ſciſcitatio ſtulta eſt, ſicut illa quæ a falſo propheta quæritur. In omnibus his Deus non tentari ſed adorari debet. Diabolus namque ex ſæviſſima nequitia ſua jacula in cor hominis ſæpe mittit, quibus homo Deum confundat. Beatus autem homo ea nec facere vult, nec eis conſentit; ſed ſicut cum paſſione mortis in eis vivit. Homo autem cum originali peccato naturaliter peccat: cum deinde pœnitet, & cum illud propter honorem Dei dimittit, diabolo per fidem reſiſtit. Deus vero hominem D numquam perdet, qui majorem partem peccatorum ſuorum ipſi offert, ſed aliam partem minorem peccatorum illi remittit. Nunc autem, dulciſſima filia, curam tibi creditam in tali veritate provide, ne propter tædium aut laborem eam dimittas. Et vide quod recte attendas, utrum bona an mala eccleſiæ loci illius cogitatio tua ſit: quia tibi magnum peccatum aderit, ſi iſtud recte non attenderis. Nam arbor quæ floribus plena eſt, pulcra ad videndum eſt; ſed cum fructus ejus ad veſcendum matureſcit, multo utilior eſt. Deſiderium bene operandi mentem hominis velut flores lætificat; ſed ſtudium operis, ſcilicet cum fructus creſcere incipit, multo melius eſt. Cum autem homo bona opera perpetraverit, fructus maturi apparent, & bona opera ipſius in æternis paſcuis cibum vitæ ſibi præſtant, cum de hac vita migravit. Unde, bona filia Dei, bona deſideria tua in bonis operibus perfice, ut cum anima tua de corpore tuo exierit, pulcherrimum præmium a Deo tibi emicet. Hæc gratia Dei te doceat.

EPISTOLA LII. N. ABBATISSÆ Nussimensis monasterii.

Orationum ejus suffragia exposcit super fluctuanti statu sui monasterii.

HDominæ & matri suæ amantissimæ, N. abbatissa licet immerita sororum in Nussim, tantillum orationis & servitium cum intima devotione.

Quia de statu nostro qualiter in id quod ante fuit, ab eo quod, heu! frustra esse voluit immutatus sit, beatitudinem vestram accepisse fama currente non ambigimus, suffragium orationis vestræ eo nobis propensius & instantius propter Deum impertiri deposcimus, quo nunc fluctuanti animo labore oneris quod circa nos factum est variis hinc inde motibus impellimur & angustiamur. Scimus enim quia terribilis est Deus in consiliis suis super filios hominum: ideoque districtionis ejus occulta quidem, sed numquam injusta judicia formidantes, causam animæ nostræ & vobis cui præ cunctis mortalibus amplius confidimus, & reverendis sororibus vestris totaliter committimus, atque rescripta vestra toto corde desideramus. Valete.

RESCRIPTUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad pœnitentiam & bona opera facienda.

OFamula Dei in circulo solis cum intentione cordis tui curre, & pro peccatis tuis ad Deum suspirando anhela, & bona opera operare priusquam dies tui inclinentur, ubi postea operati non potes. Villicum etiam illum attende, qui apud dominum suum diffamatus est, & qui debita debitorum domini sui scribendo minuit. Sic tu quoque facito. Nam ubi officium tuum non bene servasti, filias tuas per adjutorium consilii tui adjuva, & in motu misericordiæ super illas esto, sicut congrua pluvia super gramen ascendit, & multum fructum provocat; & prudentior per pœnitentiam, & per misericordiam filiis lucis, scilicet perditis angelis, eris, quoniam ipsi hoc facere noluerunt. Cum opera namque ista feceris, in æterna tabernacula post mortem tuam ipsa te suscipient. Nam si aratrum recte in terram verteres, & congruam pluviam haberes, germinans terra esses. Ros enim unde germinare debuisti in te defecit, & cum rota, quam salutem tuam esse dicis, & quæ tamen cinerosa est, circuis. Nam aratrum tuum cum scientia sanctæ Scripturæ in cor tuum verte, & per suspiria bonæ intentionis pluviam habe, & felici consuetudine per bona opera rotem benedictionis retine. Hæc autem ante diem mortis tuæ facito, ut in æternum vivas.

EPISTOLA LIII. N. ABBATISSÆ Colonienſis.

Eam cupiens habere in matrem, petit consolatorias litteras.

DOminæ ac matri suæ H. commoranti in terra Jerusalem, N. solo nomine abbatissa in loco sanctarum virginum Colonienſis ecclesiæ, devotissimam orationem & debitam servitutem.

Quantum congratuler beatitudini vestræ, verbis non possum exprimere. Licet enim a vobis corporali disjungar aspectu, tamen vobis intimo caritatis astringor affectu. Desidero enim vos videre, & dolorem quem in corde meo absque omni humano solatio fero vobis explicare. Vos autem quæ estis omni caritate plena in loco matris meæ cupio vos habere, post Deum etiam spem meam in vos posui, & amodo a vobis cupio consolari & lætificari. Quapropter moveant vos lacrymæ, moveant gemitus dilectæ filiæ, & mementote mei, & rogate Deum, qui pro nobis pauper factus est, ut dignetur me liberare a perpetua paupertate, vel in ultimo loco æternæ beatitudinis collocare. Valete & omnem congregationem vestram mei parte salutate.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut onus suum firmiter portet, & oves suas coerceat.

ONus tuum in recto itinere firmiter porta, & oves tuas quantum potes coërce, & hoc melius tibi est, quam diversa vagatio mentis: quia Deus in omnibus locis æqualem potestatem secundum opera hominum habet. Prohibe a te cum adjutorio Dei ne mens tua in vagatione sit, similis diei quæ præcedit aliquantulum in puro sole, & aliquantulum in turbine. Mens enim tua aliquando est velut in tanta amaritudine, quod eam sustinere non potes, aliquando etiam in lassitudine & in ceteris. Nunc autem in purissimo sole & in recto calore surge, quia Deus te vult, quamvis quocumque modo vacilles, quoniam constituit te quasi oculum aliis, & ideo ab illo non recede.

EPISTOLA LIV. N. ABBATISSÆ de *Didenkirkim*.

Petit ab ea commonitoria verba quæ animam suam ædificent.

HDe S. Ruperto magistræ, divinique luminis gratia illuminatæ, N. de *Didenkirkim* juxta Bunnam abbatissa licet indigna, tantilla tantæ, & indigna dignæ, orationis instantiam, & debitæ servitutis perseverantiam.

De vestra pietate & humilitate tanta confidens ad vos misi per præsentium latorem has litteras, eo tenore conscriptas, quatenus si liceat, atque oculos vestræ pietatis non offendat, aliqua mihi commonitoria verba, quæ animam meam ædificent, & quæ mihi fiduciam ad Deum præbeant, mater amantissima, brevi scripto remittatis. Me etenim ex his corroborari, dum præsens aderatis, opportuno tempore proposuistis. Præterea si amplius non audeo rogare, utar tamen precibus Chananeæ, quæ respondebat Domino in Evangelio dicens: *Quod etiam catelli edant de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Eadem fidei devotione vos secundario rogo, ut de mensa vestra, id est de visione illa, qua multa mirabilia frequenter videtis, mihi valde desideranti de supradictis summatim apponatis. Memento quod pergamenum ea de causa nuper transmisi. Verumtamen quantum in nobis est, supplicando Deum rogamus, ut bonum quod cœpit in vobis gratuita pietate & bonitate perseverante fine compleat.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ut cordis sui terram colat, ut suis sit utilis.

INquietam mentem propter lutulenta loca, & propter sollicitudinem multarum aquarum, quæ fluendo deficiunt, habes. Lutulenta enim loca illis sunt, qui vicissitudinem pessimorum morum habent, & aquæ quæ deficiunt, illis scilicet qui duri & lapidei sunt: nec rivulis doctrinæ sanctæ scripturis molliuntur. Sed tu intra te dicis: quæ vel quid ego sum? & quomodo talia perferre possem? nunc autem sapientis viri fabulam audi. Quidam cavernatum locum fodere voluit; sed cum ligno & ferro foderet, ignis de quodam lapide in quem foderat evolavit: ita quod idem locus perfodi non potuit, sed tamen ille ejusdem loci latitudinem notavit, & cum magno labore aliquas cavernas in eo perforavit: & homo iste intra se dixit: Ego valde laboravi; sed qui post me veniet levius me laborabit: quia sibi hæc omnia præparata inveniet. Hic nempe homo coram Domino suo laudabitur: quia opus suum longitudine & latitudine multo utilior est, quam opus in molli terra quæ aratro subvertitur. Ideo quoque Dominus suus eum pro fortissimo milite computat, qui exercitum suum bene sustentare potest, & aliis agricolis, qui fructum in temporibus suis dant, eum proponit. Quicumque enim prius laboravit, laborem illius qui eum subsequitur supereminet. Faber enim mundi primo creare cœpit, & postea ministris suis secundum ipsum operari dedit.

O filia Dei, terram tuam in temetipsa coerce, ne ipsa sine fructuosa utilitate filiarum arescat. Cor etiam tuum in unum collige, nec illud in immoderationem inquietorum morum figas, ne filias tuas a te fuges. Tu quoque similis esto bonæ terræ quæ frequenter congrua pluvia irrigatur, quatenus bonas & delectabiles herbas proferat. Quomodo? Cum enim homo carnem suam moderate pascit, lætos & mansuetos mores habet: sed cum in nimietate ciborum & conviviorum vivit, unumquodque nocivum vitium in se pullulare facit. Qui autem per immoderatam abstinentiam corpus macerat, semper iratus vadit. In omnibus his bona terra esto, quatinus filias tuas cum fleverint consoleris, & cum in iram surrexerint, eas recte corripias; & cum rabidæ fuerint, per te regulari disciplinæ subjaceant. Quæ autem se in oblivione a te verterint, has cum historialibus verbis & cum verbis Evangelii inter te & alios duos revoca; & si tunc tibi non obedierint, tu summo magistro obediens esto, & memor esto Jacob, qui duos filios Joseph cum benedictionibus suis commutavit. Nunc ergo initium boni studii tui considera, ut cum fiduciali fine fruaris, & ut æterna præmia a summo magistro recipias.

EPISTOLA LV. T. ABBATISSÆ Anturnacensis.

Certa fieri cupit de quibusdam monasterii ejus consuetudinibus, præsertim an solas nobiles virgines admittat.

HILDEGARDI magistræ sponsarum Christi, T. dicta magistra sororum Anturnacensium, summis spiritibus quandoque conjungi in cœlestibus.

De sanctitatis vestræ opinione celebris fama late pervolans, quædam mira & stupenda auribus nostris insonuit, summæque religionis ac singularis propositi vestri excellentiam exiguitati nostræ maxime commendavit. Multorum namque testimonio didicimus de secretis cœlestibus plurima mortalibus intellectu difficilia & rara, vobis divinitus adscribendum revelari, &

quæque vobis agenda, non deliberatione humana, sed Deo edocente ordinari. Aliud etiam quoddam de consuetudine vestra ad nos pervenit, virgines videlicet vestras festis diebus pro ornamento candidis quibusdam uti velaminibus, coronas etiam decenter contextas capitibus earum desuper impositas, & his utraque parte & retro angelicas imagines insertas; in fronte autem Agni figuram decenter impressam: insuper & digitos earumdem quibusdam decorari anulis: quæ omnia, ut credimus ad amorem superni sponsi ducitis: cum justum sit ut sint mulieres cum verecundia se componentes, non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa. Præterea & quod his omnibus non minus mirandum nobis videtur, in consortium vestrum genere tantum spectabiles, & ingenuas introducere: quod nos plurimum etiam admiramur. Scimus tamen vos hoc rationabili causa facere, cum non ignoratis ipsum Dominum in primitiva ecclesia piscatores, modicos, & pauperes elegisse, ac B. Petrum conversis postea ad fidem gentibus dixisse: *In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus.* Verborum insuper Apostoli non immemores ad Corinthios dicentis: *Non multi potentes, non multi nobiles; sed ignobilia & contemtibilia hujus mundi elegit Deus.* Omnia quippe præcedentium patrum instituta, quibus cunctos, maxime spirituales informari condecet, pro posse nostro persectantes, vestra etiam justa & sancta omnino esse scimus. Tanta namque, ô sponsa Christi venerabilis, consuetudinis vestræ novitas exiguitatis nostræ modulum longe incomparabiliter excellit, atque non modicam admirationem nobis incutit. Igitur nos tantillulæ profectibus vestris intime congaudentes, de hac re tamen aliquid a vobis certius experiri cupientes, litteras nostras sanctitati vestræ placuit dirigere, humiliter ac devotissime obsecrantes, quatenus ejus auctoritate talis religio adaugeatur, dignitas vestra in proximo non dedignetur nobis rescribere. Valete & in orationibus vestris memores nostri estote.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Mulieres non debere quærere ornatum, virgines decere vestes candidas, discernendas esse nobiles ab ignobilibus, ne se odio habeant.

FOns vivus dicit: Mulier intra cubiculum lateat, ita quod magnam verecundiam habeat: quia magna pericula horribilis lasciviæ species in primam mulierem sufflavit. Quomodo? Forma mulieris fulminavit & radiavit in prima radice, in qua formatum est hoc in quo omnis creatura latet. Quomodo? in duabus partibus scilicet, in altera parte ex parte facturæ digiti Dei, & in altera supernæ pulchritudinis. O quam mira res es, quæ in sole fundamentum posuisti, & terram superasti! Sed Paulus apostolus qui in summa volavit, & in terra tacuit: ita quod non revelavit, quod absconsum fuit, hæc attendit. Mulier quæ subjacet virili potestati mariti sui, illi conjuncta in prima costa magnam verecundiam habere debet, sic quod non debet dare aut revelare præconium proprii vasculi viri sui ad alienum locum, qui ad illam non pertinet. Et hoc faciat in verbo illo quod Dominator terræ dicit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, in irrisione diaboli. Audi, terra sudat viriditatem graminis, usque dum eam hyems superat. Et hyems aufert pulchritudinem floris illius. Et illa tegit viriditatem sui floris: deinde non valens se revelare, quasi numquam aruerit, quia hyems illam abstulit. Ideo non debet mulier se in crinibus suis sublevare, nec ornare, nec exigere in ulla sublimitate coronæ, & auri ullius rei, nisi in voluntate viri sui, secundum quod illi in recta mensura placuerit. Hæc non pertinent ad virginem; sed ipsa stat in simplicitate & integritate pulchra paradisi, qui numquam atidus apparebit; sed semper permanet in plena viriditate floris virgæ. Virgo non habet tegmen crinium viriditatis suæ in præcepto, sed in propria voluntate sua per summam humilitatem se tegit: quoniam homo pulchritudinem animæ abscondet, ne accipiter eam per superbiam rapiat. Virgines conjunctæ sunt in Spiritu-sancto sanctimoniæ & auroræ virginitatis: unde decet illas pervenire ad summum sacerdotem, sicut holocaustum Deo dedicatum. Quapropter decet per licentiam & per revelationem in mystico spiramine digiti Dei, quod virgo candidam vestem induat, in clara significatione desponsationis Christi, videns quod intextæ integritati mens ejus solidetur. Considerans etiam quis ille sit, cui conjuncta est, sicut scriptum est: *habent nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus ejus.* Et iterum: *sequuntur Agnum quocumque ierit*, Deus etiam habet scrutinium, scrutationes in omni persona: ita quod minor ordo super superiorem non ascendat, sicut satanas & primus homo fecerunt, qui altius volare voluerunt, quam positi essent. Et quis homo congreget omnem gregem suum in unum stabulum, scilicet boves, asinos, oves, hædos, ita quod non dissipet se? Ideo & discretio sit in hoc, ne diversus populus in unum gregem congregatus, in superbia elationis & in ignominia diversitatis dissipetur, & præcipue ne honestas morum ibi dirumpatur, cum se

invicem odio dilaniant, quando altior ordo super inferiorem cadit, & quando inferior super altiorem ascendit: quia Deus discernit populum in terra sicut & in cœlo, videlicet angelos, archangelos, thronos, dominationes, cherubim & seraphim discernens. Et hi omnes a Deo amantur, sed tamen æqualia nomina non habent. Superbia amat principes, & nobiles in persona elationis; & iterum illos odit, cum ipsam interimunt. Et scriptum est: Deus potentes non abjicit, cum & ipse sit potens. Ipse autem personas non amat, sed opera quæ gustum habent in illo, sicut Filius Dei dicit: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Ubi humilitas est, ibi semper Christus epulatur & ideo necesse est, ut illi homines discernantur, qui plus vanum honorem, quam humilitatem appetunt: cum hæc videret quæ illis superiora sunt. Morbida etiam ovis abjiciatur, ne totus grex contaminetur. Deus bonum intellectum hominibus infundit, ne nomen ipsorum deleatur. Bonum enim est ne homo montem apprehendat, quem movere non poterit. Sed in valle subsistat paulatim dicens quod capere potest. Hæc dicta sunt a Vivente lumine, & non ab homine. Qui audit videat & credat unde sint.

EPISTOLA LVI. A. ABBATISSÆ de *Crouchdal*.

Ut Deum exoret, quatenus pro excessibus in officio suo commissis satisfacere possit.

AMantissimæ dominæ H. divinarum ac verissimarum visionum sacratissimo munere divinitus illustratæ, A. de *Crouchdal*, solo nomine abbatissa, super effluentissimum perfectæ caritatis donum.

Eloquia vestra, mi domina, ab illa sanctissima anima vestra, ab illa celsitudine contemplationis vestræ, tamquam de vertice æternorum collium defluentia in profundissimam ceterarum convallem animarum, quasi imber super herbam, & quasi stellæ super gramina rigant eas, infundunt eas, & germinare eas faciunt germen sine spina, germinare eas faciunt supernorum desideriorum viva germina, usque ad thronum gloriæ summi Dei miro odore prosilientia. Opto igitur ego, ancilla vestra, litteras vestræ sanctitatis intueri, & alloquio dulcissimæ consolationis vestræ tamquam levis auræ flatu refoveri. Nam, mi mater & domina, omnis spes, & securitas, & refugium, ac tutela mea, in vestra post Deum maternitate dependet: ideoque ad vos sola recurro, & me consilio & auxilio vestro post Christum committo. Posco igitur iterum suppliciter, deprecor misericorditer, A quatenus pro me Deum exoretis, & quid mihi agendum sit pro pluribus excessibus meis, quibus & in onere * nominis mihi impositi, seu in aliis transgressionibus delinquo, ut supra deprecata sum, benigne insinuetis. Timeo enim & valde pertimesco me offensam Dei incurrere. Valete. * f. mihi rs.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Commendat illi caritatem, obedientiam & propriæ voluntatis abnegationem.

B IN vera visione hæc verba, quæ propter admonitionem magnæ necessitatis ardenti desiderio a me quærebas audivi. Valde gloriosa laus ubi fidele magisterium hastacies habet, videlicet illam, quæ cum clypeis & loricis atque aliis armis custos turris posita est, ut contra illos pugnet, qui turrim ipsius destruere volunt, & etiam illam quæ civitatem suam probis militibus ita munit, ne muri ejus ab inimicis comprehendantur, & ne hostium ejus perfidis speculatoribus aperiatur, ipsique non interficiantur. Isti homines in beatitudine sunt. Qui autem sic non faciunt, squalidiores rusticis sunt, qui per seipsos & per pecora C sua villas suas sapienter procurant, ne in pascuis suis deficiant. De his dicendum non est: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii.* Nec illud: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Hoc est, qui in exilio hujus sæculi, quod per desertum intelligitur, voluntati suæ contradicit, & in omnibus operibus suis suspirando ad Deum ascendit, sicut scriptum est: *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini*, D mortificationem carnis sibi elegit, unde & de fumo aromatum, & de mortificatione carnis omnes virtutes in ea crescunt, quibus numquam saturatur. Illi qui hoc facit de supernis angelorum & sanctorum dicitur: *Quam pulchri sunt gressus tui*, id est studium, in quo in ista mortificatione ambulas, filia principis. Sed ab ore prophetæ iste abjiciendus est, qui nec frigidus, nec calidus est: quia nec in terrenis, nec in cœlestibus quidquam laborat. Sed eum locustis assimilo, quæ nec cum volatilibus recte volant, E nec cum animalibus in terra recte ambulant. Sed quæ similes turbini, qui cito deficit sine utilitate vadunt. O filia sacri nominis aures tuas aperi, atque diligenti corde propósita signa hujus parabolici sermonis audi, videlicet: quam magna gloria in summa laude de turribus hujus civitatis ita constitutæ sit; Turris civitatis istius caritas cum concordia est. Et quare turris nominatur? Quia de altissimo Deo ipsa fons saliens omnem terram circuiens fluxit, quoniam

ipſi Deus omnes creaturas in piena caritate ita diſpoſuit, quod nulla neceſſitas in eis ſit. Unde diſce quod ſancti homines, in quibus caritas habitat, in nulla neceſſitate deficiunt: quia corda eorum manſuetudine & pace velut fluenti odore balſami circumdantur, quapropter & antiquus ſerpens eos diſcerpere non poteſt: quoniam ut fetens odor ab odore balſami ſegregatus eſt: ita diabolus caritatem fugit, & in cavernam ab ea ſe abſcondit. Ubicumque autem ſancti homines, in quibus caritas non habitat, in nomine Domini congregati ſunt, civitati quæ ſine turri eſt, & pulchris domibus, quæ ſine celſitudine ſunt aſſimilantur. Unde in hac confuſione pecunia juſtitiæ atque regulæ, quia firma habitacula non habent, diſpoliantur, ideoque etiam ſæpe deſtruuntur. Quoniam ut turris civitatem ornat ac ſuſtinet; ita caritas omnes virtutes. Milites caritatis qui in turri poſiti ſunt, obedientia, fides, & ſpes ſunt. Obedientia clypeo circumdatur, quia ſemper ſubdita eſt; fides lorica induitur, quia omnia bona quæ in Deo ſunt, quæ oculus numquam vidit probat; ſpes autem cœlum cum omnibus ornamentis ſuis per fidem complectitur. Fides vero per obedientiam Deum ſemper aſpicit, ita faciens ut ei præcepit. Deus enim caritas eſt, quia omne opus ſuum pium eſt; ſed per humilitatem de cœlo deſcendit, ut captivos ſuos liberaret, qui caritatem reliquerunt, quando ipſum non cognoverunt. Hoc per humanitatem ſuam fecit, & idem exemplum nobis reliquit. Quomodo? quando propriam voluntatem noſtram in officiis hujus ſæculi relinquimus, poſt veſtigia ejus ambulamus. Quando autem in nomine ejus in unum gregem congregamur, quemadmodum ad aquilam alia volatilia congregantur, Abraham imitamur, qui populum ſuum & regionem patriæ ſuæ reliquit, atque in aliena re circumciſionem ſecundum præceptum Dei perfecit. Sed quando per hominem qui nobis ſimilis eſt, præceptis Dei obedimus, in benedictionibus ſicut ſtellæ cœli multiplicamur, velut etiam Deus Abrahæ per angelum ſuum repromiſit, & alienam rem ſecundum incarnationem ſuam requirimus, pro nihilo nos reputantes, ac in ſpiritali vita laborantes. Cum hoc facimus, turrim noſtram probis militibus per humilitatem undique munimus: probique milites ſumus, cum voluptatem hujus ſæculi ſuperamus, & cum furorem iræ vincimus, utique paupertatem noſtram propter amorem Chriſti toleramus, & cum inimicabilia homicidia odii ac invidiæ a nobis abjicimus; atque cum alios peccatores ſimiles nobis non ſpernimus, nec injuſta judicia ſuper eos judicamus, & cum ſuper juſtos atque innocentes falſum teſtimonium non quærimus. Hi probi milites ſunt, qui civitatem noſtram undique cuſtodiunt: ita ut murus ſanctæ regulæ & converſationis noſtræ ab inimicis, videlicet odioſis ac invidioſis moribus, non perfodiatur, & ne oſtium pacis per contradictionem repudietur; quoniam ſi hoc fit, clauſula oſtii noſtri reſeratur, inimicique noſtri in civitatem noſtram ſecure ambulant. Et ne ſimus cum illis, qui ſemper erranti corde ſunt dicentes; hoc quod hominis rationalitas nobis ponit & eligit, nolumus, quia quæ nos ponimus & eligimus, utiliora & juſtiora illo ſunt. Iſti inſidiatores ſunt, qui civitatem noſtram per inſidias ſuas deſtruunt, quia quæ de antiquis & ſanctis magiſterialibus medicis noſtris in jejunando, in vigilando & in orando, ſive in aliis virtutibus conſtituta ſunt, repudiant, & voluntatem ſuam pro Deo, qui ipſos creavit, eligunt. O filia ſanctimoniæ, nunc audi. Turris tua ſine probis militibus vacua eſt, & cuſtodes civitatis tuæ obdormierunt, atque ita in inaquoſitatem, & maxime propter proprietatem voluntatis ſuæ ducti ſunt. Ideoque turris & civitas tua tam aridæ ſunt, quod vix conſiſtunt. De ſomno itaque tuo ſurge, quia funes navis tuæ, qui conſuetudo ſanctæ converſationis ſunt, nondum rupti ſunt; ſed in magna ſtultitia morum te occupantes, rumores qui tibi conveniant quæris. Hoc tibi non expedit; ſed ſicut in deſertis habitaculis magni & parvi atque cæci mures ſunt, qui veſtimenta hominum corrodunt: ita per hæc omnis conſuetudo ſancta diſcinditur. Majores mures inquietæ mentes impietatis ſunt: parvi vero ſtultitiam, quæ a via veritatis nocturnalis eſt, ſignificant: cæci autem vanitatem hujus ſæculi, quæ a luce juſtitiæ cæca eſt, oſtendunt. Unde in Evangelio ſcriptum eſt: *Omne regnum in ſeipſo diviſum deſolabitur.* Nunc aſpice in quam magno ardore Spiritus ſancti plantata ſis. Quapropter & miniſterio ſuo in te carere non vult, & primam Regulam B. Benedicti, aliorumque magiſtrorum diligenti corde attende, ut non pereas, ſed ut in æternum vivas. Vos autem, ô cuncti magiſtri, providete ne ſtultis agricolis illis ſimiles ſitis, qui cum aratrum per ſeipſum recte ambulans vident, gaudium habent: cum autem curve incidit, tædium habent id recte vertere, & etiam cavete, ne paterfamilias vobis dicat, inutiles mihi eſtis, quia villicationem veſtram non recte perficitis; ſed ſollicite conſiderate, quæ neceſſitas & quæ adverſitas ſubditorum veſtrorum ſit, & cum omni ſollicitudine eos protegite.

EPISTOLA LVII.
G. Sanctimonialis.

Quam grave ipsius ferat absentiam.

HILDEGARDI matri suæ sibi in Christo allectissimæ, G. illa sua & vere tota sua, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Quid scribam vel quid dicam tam unicæ, tamquam in Christo dilectissimæ matri, penitus ignoro; quia ipsa vis amoris omnem mihi sustulit scientiam locutionis, immo B etiam vinum mœroris, quo divina absentia tua me inebriari fecit, tantum me afflixit, ut non solum dictandi, verum etiam vivendi mihi fastidium generarit. Melius enim mihi fore crederem numquam te vidisse, numquam te erga me tam benignam tamque materna viscera gerentem sensisse, quam per tanta locorum spatia late separata sine mora lugeo te quasi perditam. Spero autem Deo meo, & ideo meo, quia nihil habeo carius, eo quod numquam cœnulentam corporis hujus deponere me sinat formu- C lam, priusquam dulci tua visione ac melliflua collocutione me fecerit lætificatam. Quod si peccatis meis exigentibus non evenerit, tamen in hoc, ut pietati ejus confido, spem meam non frustrabit: quin me ibi te concedat videre, ubi numquam ab ipsius separemur visione. Quid plura? Rogo autem te, mater allectissima, ut eum in cujus amplexibus jugiter commoraris, & sub cujus umbra, ut hinnulus a fervore tentationum & vitiorum requiescis, pro me depreteari digneris: quatenus mihi adhuc erranti D & eum perquirenti, sed heu! minime invenienti, se inveniendum manifestet, & sub umbra illius quem desidero, me quandoque sedere faciat. Vale.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS

Gratulatur illi quod viam angustam sit amplexa.

O Filia Dei, in pura scientia fidei hæc verba ad te dicta audi: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Hoc est de filio Dei, qui contra carnis jura ex integra terra MARIÆ Virginis natus est. Flores omnium virtutum & ornamenta omnium pigmentorum processerunt, quæ in se odorem suavitatis virtutum habuerunt. Hortus enim harum virtutum in peregrino filio surrexit, E qui ad Patrem suum, scilicet omnipotentem Patrem, in se reversus, peccata sua confitendo cucurrit, quem ipse osculo humanitatis filii sui suscepit. Et tunc vox turturis auditur, cum propter amorem Dei mundum cum voluntate nostra relinquimus, ut etiam turtur præ reliquis volatilibus solus manet cum socium suum amittit. Sic tu etiam, carissima filia, fecisti quando pompam hujus mundi reliquisti. O quam pulchra calceamenta tua, filia regis, fuerunt, cum propter amorem Dei arctam & angustam viam spiritalis vitæ intrasti. Unde, ô filia Sion, gaude, quia in medio cordis tui Spiritus-sanctus habitat. Considera enim quod consolator tuus sicut lilium inter spinas te constituit, cum pompam & divitias sæculi hujus, quas Filius Dei spinas nominavit, habens, spiritalem vitam elegisti. Tu etiam sicut rosa in Jerico in passionibus conversionis tuæ rutilabas. Nunc autem de te gaudeo; quia in te completa sunt quæ de te audivi & desideravi, & tu mecum gaude. Ego vero in vera optione opto, ut murus pretiosis lapidibus & margaritis ornatus fias in conspectu Dei, & in laudibus omnis cœlestis exercitus fias. Gaude igitur & lætare in Deo tuo, quoniam in æternum vives.

EPISTOLA LVIII.
B. Sacerdotis.

Ægre fert quod propositum deserendi sæculi differatur, ipsius preces exposcit, & librum ejus ad transcribendum.

HILDEGARDI magistræ sponsarum Christi dignissimæ, B. Dei gratia, licet indignus Dei sacerdos & peccator, intimæ dilectionis & omnis obsequii devotam certitudinem.

Tædet me vitæ meæ, quia repletus sum amaritudine, & quia propositum cujus conscia es, virgo sanctissima, expectando quosdam fideles amicos meos, adhuc differo. Via mea, ut proheticis utar verbis, undique septa est spinis & maceria. Verumtamen flagella quæ per omnia erudiunt Israel penitus non renuo; sed quia cum tentatione proventum non faciunt, ne succumbam, & ad finem propositi non perveniam valde pertimesco: non quod ex consolatione tua, quam frequenter aspicio, plurimum confidens, cor meum & inter peccata & ærumnas lætificatur. Quapropter, virgo Deo devota, nos omnes post Deum ad te suspirantes summopere petimus, quærimus, pulsamus, quatenus a solitis precibus nullatenus desistas, donec locum certum habitationis nobis, aut si id tibi tentatio in Deum videatur, saltem nunc discretum religionis ordinem misericors Deus tibi pro nobis insinuare dignetur. Ista Deum per te ordinasse non dubium esse nos credimus; tu re experta es. Nihil enim in terris sit sine causa. Et idcirco sicut animam meam occultorum Dei judicio ab angustiis ex parte liberabas: ita nos omnes, per dispositum in te a Deo modum

liberare

liberare a dubietatis errore debita peccatrix non diffugias. De cetero litteras tuas & de his & aliis desidero. Prætérea librum tuum transcribere multum cupio.

RESPONSUM S. HILDIGARDIS.

Animat eum ad propositum suum prosequendum.

HÆc dicit Spiritus : Laude dignissimum est & mirabile, quod peregrinus ad patriam festinat. O quam magnus luctus & mœror tunc oritur inter cives & notos illius, qui cum ipso epulabantur & ludebant ! & ô quam valde erubescunt lascivi, quod sodalis ipsorum relinquit vasculum, quod cum ipsis portabat. Respice quod in oculo viventis in magno studio prævisus es, sicut mitissimus pater ovem suam requirit. Socii qui in latitudine otiosi sedent, mutuam pacem habent : fortissimus autem miles in magnis turbinibus est. Sta in via rectitudinis, & præpara animam tuam ad pugnandum cum illis qui semper militant in legatione regis. Vide quia si aliquod volatile crabronum a sociis suis recederet, & in altum respiciens ad solem volare inciperet, omnis turba muscarum irrueret in illud, volens ipsum opprimere ; sed sol tegeret illud lumine suo, ne ipsum ultra viderent, & sic aufugeret. Tunc omnis turba illa scandalisaretur, & sic illud probus miles efficeretur. Deus manum suam tibi porrigat, ut vivas in æternum, ubi sol non obscuratur.

EPISTOLA LIX. V.

Excusat se quod eam nec corpore, nec scriptis visitaverit.

DOminæ H. religione, sapientia, disciplina, moribus, postremo omni utriusque hominis virtute plenissimæ, ille suus per omnia V. in sexta cum Martha laborare, in septima reintegrari, in octava cum Maria jocundari.

Quomodo me, domina dilectissima, ab aspectu & colloquio vestræ dulcedinis, mihi omni mellis sapore gratioris, tamdiu subtraxisse potuerim, vel interim litterulis saltem visitasse vos distulerim, memetipsum satis ammirari nequeo, totumque id parvitatis meæ desidiæ deputo. Vestram etiam pietatem hujusmodi mea inconcinnitate, quod absit, offendisse valde timeo & merito, quippe quem antea nec voce, nec habitu, nec facie, necdum etiam fama agnitum, ut primum veni, quod factu perdifficile est, gratia vestri benignissime recepistis, & statim vestri colloquii participatione, quod magnum duco, recreare dignata estis. Verum quia pœnitet, ignoscetis. Animus enim meus numquam non promtus fuit, facultas vero defuit. Promitto igitur, si quid promittere possum, me, si Deus facultatem dederit, quantotius emendaturum. Interim aut orationibus vestris pro Deo mei miserrimi peccatoris memor esse dignemini.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad contemtum mundi.

QUi vita est, hæc verba mihi ostendit dicens : Tu similis es aquæ quæ movetur in tempestate, & quæ iterum manet in tranquillitate. Victoria tibi dicit : Libenter ingredere ad te ; sed tu cædis me, quando faciem mentis tuæ abscondis : ita quod dubius es, non habens volantes pennas in securitate, ubi non es in amplexione contemtus mundi, ô homo cito veniet tibi resurrectio, si pulverem cineris a te executis dicens : Si non possum stare in sole, volo tamen me abstrahere de luto pulveris, & vestem meam abluere de vicissitudine morum hujus sæculi. Tunc columba dabit tibi unguentum, & vulnus tuum terget. Nunc surge & vive in æternitate.

EPISTOLA LX. T. MONACHI S. Benedicti.

Optat ejus præsentia perfrui aut saltem ipsius litteris in Deo corroborari.

DOminæ serenissimæ ac vere beatæ H. Spiritu divinæ visionis decoratæ, monachorum S. Benedicti infimus quamvis indignus sacerdos T. devotæ servitium obedientiæ cum omni humilitatis subjectione. *Qui confidunt in Domino intelligent veritatem, & fideles in dilectione*, &c. Hæc sacrosancta dicta per os supernæ sapientiæ edita multorum relatione veridica in te fore cognovi, & credo completa. Quod enim sacris scripturis testantibus invenio, fidelissime teneo, quod omne verbum impossibile non sit apud Deum. Igitur famam quam rumore vulgante agnovi, quamvis sanctas tuas revelationes non viderim, veram esse non dubitavi. Scio itaque in veritate, quod quia fiduciam tuam in Domino posuisti, ideo veritatem ipsius intellexisti, & quia fidelis in dilectione illi acquievisti, donum divinæ revelationis, & Spiritum cœlestis consolationis suscepisti, & pacem electorum Dei acquisisti. Nunc vero quia omnipotentis Dei misericordia amplior in te est inventa, quam in ceteris mortalibus, ideo non tentando, neque superbiendo ; sed solius Dei gratiam simpliciter per te deprecando, supplex rogo, ut memor sis illius vocis Dominicæ, *Unum ex*

meis pusillis nolite contemnere. Considera ergo ne litteras meæ pusillanimitatis contemnas : sed per amorem JESU-CHRISTI preces meas te oro clementer exaudias, & ut pro delictis meis apud Deum intervenias, & sanctis tuis precibus vitam meam subleves, & negligentias meas ammonere digneris per litteras tuæ correptionis. Valde enim mihi est optabilis correptio tuæ dulcissimæ caritatis. Ergo indignum me judico munere tuæ cartæ amantissimo ; sed credulitatis meæ mercedem a te recipere cupio. Credo enim per Spiritum, per quem cuncta, præterita, præsentia & futura perspicis, etiam tibi patere secreta mei cordis. Vere numquam vidi diem mihi dulciorem, quam ut ad tuam præsentiam pervenirem. Mallem namque nudis pedibus incedere pro sola verborum tuorum auditione, & nimis jocundum mihi esset atque optabile, si vel tuas excellentissimas visiones, vel aliquas tuæ beatitudinis litteras mererer percipere. Omnipotens Pater per virtutem sui Filii Domini nostri JESU-CHRISTI & per cooperationem Spiritus-sancti incolumem te longo tempore dignetur conservare ad correctionem sanctæ suæ ecclesiæ.

A post hanc vitam fragilem & caducam perenniter gaudere cum Christo Domino.

Beatum me fore existimo, si litteris sanctitatis vestræ consolari promeruero, sed quia prudentis medici est sæpius vulneratum hominem visitare, & carnem superfluam & putridam resecare, ne postmodum deterior fiat corruptio, si caute & diligenter recisa non fuerit ; rogo ut pro amore pii Redemptoris plagas vulnerum meorum crebrius inspiciatis, ut nullum in eis per Dei misericordiam & vestrum consilium vestigium corruptionis remaneat. O dulcissima mater ac desideratissima, jam diu desideravi de baculo meo venire ad vos. O dulcissima domina, oculis cordis vos semper intueor, vobiscum loquor mente & conversor. Scio quod Deo meo peccavi in opere suo. Cognosco me peccasse, orate pro me. Non quæro terrenum lucrum, non rem transitoriam ; sed gratiam Dei mei & salutem animæ meæ. Succurrite mihi. O quanti mihi sunt orationum vestrarum continuata præsidia. Ut igitur a desiderio meo omnino non fraudarer, domina mea, satisfacere mihi volens, clientem hunc cum litteris istis ad vos mittere curavi, qui vos ut dominam & matrem pio complectitur amore. Consolationem vitæ præsentis & perpetuam beatitudinem cum sanctis tribuat vobis Deus. Amen.

B

C

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ejus desideria esse bona, & ut fortis sit in prælio.

LUx vivens dicit : ô homo, rivuli fluunt de me ad viriditatem mentis tuæ ; sed tamen mens tua est ligata, & etiam acuta per vicissitudinem morum in tenebrositate dispersi venti : & occultæ cogitationes tuæ in mente tua interdum decipiunt te, & gustus operis tui interdum tangit te. Vultus autem desideriorum tuorum videt ad me per gaudium ascensionis, quod nondum potes in opere tuo capere. Valde bona sunt desideria, quæ turrim ædificant in altitudine suavitatis boni odoris. Unde gaudent angeli propter opera facturæ digiti Dei : quæ opera Deum gustant, rumpendo cibum nequitiæ peccatorum. Nunc tu, ô miles, esto fortis in prælio quamdiu vivis in corpore tuo, quia *inimicus tuus* non fatigatur, & pugna non deficit. Talia sunt operâ tua, ut mitissimus pater super te gaudeat, & ut verbum ejus animam tuam clarificet, & ut igneus amator unguentum tibi salutis infundat & viriditatem floris sapientiæ.

D

E

EPISTOLA LXI. B.

Peccatis gravatus ipsius petit orationes.

AMantissimæ ac desiderantissimæ dominæ suæ ac matri H. B. peccator,

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad pœnitentiam cujus varios gradus refert.

HÆc in vera visione audivi : Quinque operationes opus Dei in homine habuit. Prima est quod homo formatus est, secunda quod spiraculum vitæ accepit, tertia quod intellexit quod operari potuit, quarta quod bonum opus suscepit, quinta quod malum cognovit. Hæc similitudo ad quemlibet hominem respicere potest. Prima vice intelligitur quod homo *criminum suorum* cum suspiriis meminit, ita quod *inutilia sunt*. Secunda quod a criminibus aliquantulum declinat. Tertia quod ea confitendo aperit, quarta quod pœnitentiam agit. Quinta quod se malo alienum facit. Ideo tu homo in his operibus quæ Deus in homine operatus est, fac timendo & tremendo pœnitentiam, quoniam in aliqua parte opus ipsius contrivisti. In audientia enim sacerdotis quamdiu vixeris, & possibilitatem habueris, aliquid laudis in gemitu & suspirio Deo exhibebis.

EPISTOLA LXII. H. MAGISTRI de Trajecto.

In camine tribulationis excoctus, ipsius scriptis cupit refrigerari, & an sit in numero salvandorum rescire.

H. Salve Christi nobilis sponsa susceptura incorruptæ vitæ sponsalia, quis, qualis, quantus, quomodo, unde sim, scilicet H. magister de Trajecto indignus ex præsenti latore habes cognoscere.

Christi bonus odor, quasi unguentum effusum, de te longe lateque flagrans nostris indignis auribus spirando inflavit, te superna visitante gratia, frequenti illustratione splendoris divini cœlitus ita desuper irradiari, ut nonnumquam quarumlibet causarum eventus, & rerum exitus occulta dispensatione Dei præfinitos, per inhabitantem in te ejus gratiam tibi concedatur contemplari, maxime cum hoc tibi instanter flagitaveris revelari. Qua de re ego humilis & dejectus, variis doloribus ac multimodis adversitatibus exagitatus, nimirum ineffabilibus propriis reatibus id provocantibus, tuis me piis precibus ex intimis commendo visceribus, per illum te testans, qui te sibi proprio reconsignavit pretio, ut tuis justis laboribus, me ejus clementi bonitati studeas complacare indefesso labore. Sum enim humiliatus usquequaque, & usque in finem curvatus, tamquam vas perditum & a facie oculorum ejus projectum: quia circumdederunt me mala, quorum non est numerus, & comprehenderunt me iniquitates meæ, quæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave, & super hæc omnia sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, nec inveni. Unde non inani quidem temeritate, nec superflua curiositate; sed tamquam in camino tribulationis excoctus æstuanti desiderio ex tuis cupitis rescriptis supplex & anhelus expecto refrigerari: desiderans ex ipsis tam superni dispensatoris de statu vel exitu mearum angustiarum præfinitam sententiam animadvertendo experiri, quam a te consilium sanitatis ex ipsius inspiratione suscipere. Sed ante omnia & per omnia ardenter sitio ex te certificari, si tandem in cœtu salvandorum me divinitas præordinavit computari. Vale, gaude, vive, & sit nomen tuum in libro vitæ.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut declinet a malo & faciat bonum.

MYsticum spiramen & vox sapientiæ sonat: Deus æternus est, & in semetipso hoc consilium habuit, quod magnum opus facere voluit: ita quod omnia miracula sua in illo per rationalitatem sonarent. Et in hoc antiquo consilio valde delectabatur, & opus suum plurima ædificia boni ædificari debuit; & sic Deus hominem fecit. Homo autem imago Dei est, in qua Deus aureum spiraculum misit, quod in se duas vias in scientia boni & mali habet; altera cœlum sustinet, altera malum ostendit. Illa cœlum sustinet, ita quod Deus virtutem potentiæ suæ perfecit in aureo spiraculo hominis fulgentibus operibus. Ista autem tangit statum nigredinis primi incipientis mali, quod contra pugnare voluit. Et in his duabus viis quinque sensus hominis cum sapientia, scientia, intellectu & voluntate, ad magnum honorem computati sunt, sicut etiam ordines angelorum ad laudem Dei positi sunt, qui in conspectu ejus assistunt. Nunc autem, ô serve Dei, in meliore via parvæ fenestellæ in splendido lumine in te apparent: ita quod exoptando bonum desideras. In altera vero via in nigro turbine occupatus es. Sed tu, ô miles; cum clara militia surge, & turbinem hunc vince, quoniam gratia Dei te tangit & monet, sicut etiam in scientia secreti tui intelligere potes. Sic declina a malo & fac bonum, & Deus te requirit & in te quiescet.

EPISTOLA LXIII. C. B. sacerdotum in *Ruthdelingun*.

Eius precibus se commendant.

HILDEGARDI Deo familiari & super homines hujus temporis admirandæ virgini, C. & B. sacerdotes indigni in *Ruthdelingun*, sicut cœpit in Dei timore & amore persistere, & tenebras mundi per viventem, quam aspicit, lucem incessanter illuminare.

Exultavimus & delectati sumus in his quæ dicta sunt nobis, scilicet legationem consolatoriam nobis affuturam. Et expectantes expectavimus, & nondum intendisti. Unde contristati sumus, gratiam Dei præstolantes, qui non deseruit in se sperantes. Nunc vero quia mittere legatum nos tibi jussisti, facti sumus consolati. Verum quia meminisse te cupimus, Deo dilecta, quemadmodum ad vicissitudinem hujus instrumenti, in quo velut rudes ac delicati milites versari cupimus, recta spe properamus. Idcirco te, mater sancta, adjutorem in opportunitatibus in tribulatione instanter pro nobis interpellare, ut vias nostras in te post Deum confidentium dirigat suppliciter exoramus. Nec ista dicimus quasi nos supra modum gravatos hujus facti pœniteat; sed ut sanctitas tua apud misericordem Deum consolationem aliquam, quam nostra peccata

præpediunt, nobis infirmis, ne deficiamus, A obtineat : de qua tibi diligentius aliquid non præsumimus insinuare, immo interno judici modum petitionis nostræ, qui scit quid cuique expediat volumus committere. Ipse namque ait : *Scit enim Pater vester cœlestis, quid vobis necesse sit antequam petatis*, qui singulis congrua medicamina suis temporibus novit, nec desinit exhibere. Hoc tamen solum libet exclamare : Væ, væ, terrenæ causæ, quando coram vivente oculo putas abscondet se ? De cetero propositum vestrum & sorores vestras, & omnes tecum commanentes in Domino salutamus, & ut B nostri pauperum suorum memores sint devote rogamus.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut currant ad Deum & propter eum fortiter pugnent.

LUx vivens dicit : O fortissimi milites, qui in vobismet ipsis contradictionem bilinguium contradicitis, audite. O quales illi sunt qui in peregrinatione vitam requirunt, & qui in exilio alieni sunt partis illius, quam propter Deum reliquerint. Manus enim operantium divitias semper præparant. O quanta est sanctitas, quæ in mortifera peste venenum conculcat. Unde in eversione peccati pulcher flos crescit, qui socius est angelorum, vos autem, ô filii peregrinationis, currite & transite ad me & multas divitias vobis præparate : quia vos videt vivens oculus, qui semper in speculum columbæ aspicit. Nunc laborate, & non fatigemini propter tædium fallacis & parvi operis : quoniam sol lucis vitam æternam vobis præparavit, & sollicite ad Deum currite, quia dies ejus venit, & hominem illum qui constrictus est propter dubietatem suam in multis varietatibus, sicut undans aqua multis procellis, sinite sic, quasi arborem, quæ non valet curvari sicut virga, quia voluntas ipsius ad curam suam sollicite videt. Sed ipse hoc modo seipsum consideret. *Si culpabile crimen in ipso non æstuat*, curam sui habeat. Vos autem amatores mei currite ad me, quia gemitum vestrum video ut aurum lucidum & robustum, & mentem vestram lætam & desideria benivolentiæ habentem. Intrate ergo pugnam ut fortes vernaculi, qui enim in exilio sunt, non possunt habere certam victoriam in corpore manentes ; sed fugere debent pestilentiam naufragi mundi, & solidare columnam mentis suæ cum angulari lapide. Ideo, ô fortissimi milites, non fatigemini per vicissitudinem instrumenti, quia Deus requiret agnos suos inter lupos.

EPISTOLA LXIV. B. SACERDOTIS Trevirensis.

Ut sibi consolatoria verba rescribat, & quomodo his præesse possit, quos sub regimine sacerdotii regere debet.

SAcræ Dei virgini venerabili sponsæ JESU-CHRISTI, B. Dei gratia in Trevirensi ecclesia qualiscumque sacerdos, quamvis sacerdotii dignitate indignus, seipsum.

Etsi oculis corporalibus vos raro conspiciam, illa tamen nostræ animæ ammiranda potentia, quæ imaginatio dicitur, quotidie vultus vestri serenitatem mihi repræsentat, & jocunda vestri recordatione lætificat, & ad Dei laudem me excitat, qui in diebus nostris dignatus est manifesta ostensione atque evidenti exemplo per vos declarare, quod sacra Scriptura quotidie recolit, hoc scilicet quomodo Spiritus-sanctus castarum lumen animarum in antiquis patribus atque C in sanctis Dei apostolicis hominibus indoctis mirabiliter loquutus sit. Videtur enim mihi, quod vos cum Petro voce David dicere possitis : *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentiam Domini.* Per illam itaque piæ divinitatis clementiam, quæ sacri vestri pectoris intima clarissimis suis radiis inusitato modo perlustravit, vos obnixe deprecor, ut vestra oratione me miserum peccatorem adjuvare velitis. Rogo etiam ut per consolationem divinam, quoniam supernæ visioni frequenter innixa estis, mihi consolatoria verba rescribatis, & quomodo his præesse possim, quos sub regimine sacerdo- D tii regere debeo, benigne insinuetis. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Docet qualiter se gerere debeat erga peccatores.

SPiritus veritatis in mystico dono suo dicit : Hominem in se vulnera habentem & ea cum oleo aspergentem, sed tamen infusum vinum in vulneribus suis sustinere E non valentem, medicus frequenter cum misericordia ungat, nec fœtentem livorem in illo esse sinat, quia lepra per summum medicum abstergitur, ubi se homo sacerdoti ostendit. Multi autem veniunt ad me, cum verbositate mentis suæ, volentes suscitari cum videntibus oculis, quæ sit salus vulnerum suorum, & nolunt me tangere per linguam suam in diversis verbis sudantem. Et interior mens eorum non intelligit me : ita quod educant consuetudinem eos absorbentem in prævaricatione anti-

quorum vitiorum ebrietatis suæ. Sed dicunt: amaritudinem correptionis bibimus, & iniquitatem nostram extersimus. Et ita nolunt relinquere malas vias suas. Certe hi debent ligari, ne possint se movere per sæculares vias, quoniam iniquitates suas deserere nolunt. Homo autem qui semper cum dolore iniquitates suas deserit, ita quod non vult in sordida peccata sæpius demergi, non est prædicto modo ligandus, sed in doloribus suis unguendus in quocumque loco sit. Magnus enim medicus vigilantes suscitat, & dormientes corripit, & in malis suis perseverantes occidit Ideo, ô tu modice, in his duabus partibus provide quæ sit necessaria necessitas.

EPISTOLA LXV. FRATRIS S.

Peccatis gravatus ipsius se commendat precibus.

DOminæ H. matri spirituali Fr. S..... ecclesiæ fratrum extimus, sed super omnes peccatorum sordibus obfuscatus, cum Martha dapes spirituales ministrare, & cum Maria gaudia vitæ cœlestis anhelare.

Gaudio gaudeo, ô mater spiritualis, vos in conspectu Domini Dei nostri gratiam invenisse, lampademque felicis animæ vestræ propter ipsius adventum absque teporis ullius fatigatione igne sancti Spiritus hactenus accensam habuisse. Vos igitur ô symmysta Dei, quia cum prudentibus virginibus castitatis integritate polletis, oculumque contemplationis circa divinam claritatem fixum jugiter habetis, pusillanimitatis meæ precatur devotio, ut faciem Domini, quam perversitatis cauteriatæ nimis exacerbavi, vestris justissimis orationibus pro me placare curetis. Certus enim sum quia Deus noster refugium & virtus, vestram pro me libenter dignabitur exaudire deprecationem, ut pro sua pietate blasphemiæ spiritu per quem nimis infelix anima mea circumvallatur longius fugato, mihique propter vos justificato non in æternum det fluctuationem. Sed & hæc a largiflua vestra bonitate deposco, ut per præsentium litterarum portitorem vestræ sanctitatis litteras parvitati meæ rescribatis. Vestris sanctimonialibus monasticæ religionis servatricibus tot de me dicite salutationes & orationes, quot sunt in domo Domini æternæ mansiones. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS:

Ut ad Deum suspiret per pœnitentiam.

MEns tua ut ales circuit, & unamquamque causam in qua vadit disponit & dividit. Initium enim tuum consecratum fuit, quia gratia Dei te ita imbuit, quod virtutes & alia multa bona capere potes. Quidam vero ventosi sunt, & de viriditate & humiditate terræ, ac de aëre & aquis comprehensionem per sensualitatem habent, Deus namque, ut sibi placuit, *Fiat* dixit, in quo omnis creatura in genere suo processit, quomodo scriptum est. *Semel loquutus Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* Nam per jussionem suam Deus omnia creavit, & hoc semel fecit, quando *Fiat* dixit; & in hoc etiam duo intellexit, scilicet quia magna potestas fuit, quod Deus homini legem dedit: unde & illi qui omnibus dominatur misericordia: quia per incarnationem suam reddit quæ reddenda sunt: quoniam unicuique peccata dimittit, qui ea per pœnitentiam videt & cognoscit; sed qui ea nec videre, nec cognoscere vult ejicit, ac eum in rectam retributionem operum suorum mittit. Primum enim angelum qui se injuste exaltavit, in lacum miseriæ Deus stravit & etiam primum hominem propter stultitiam vanæ gloriæ in carcerem hujus mundi misit. Nam nullum opus suum vacuum constituit. Primus enim angelus magnam scientiam & sapientiam habuit, sed propter magnam malitiam suam honorem Domino suo impendere noluit, & corruit, ac sic remansit: Homo autem per gustum cibi lapsus est. Quapropter filius Dei sacrificium pro peccato illius se præbuit. Unde & homo qui per scientiam boni & mali se multum peccasse recordatur, cum ad Deum suspirat, denuo per pœnitentiam in Deo renascitur. Tu autem, ô fili, die ac nocte disce, ut in æternum vivas.

EPISTOLA LXVI. V. PARISIENSIS magistri Theologi ad S. Hildegardem.

Querit a sancta Hildegarde an dici possit, quod paternitas & divinitas Deus non sit.

DOminæ H. eximiæ virgini Christi, V. Parisiensis humilis & indignus magister nomine & loco quo fungitur, orationem, & quidquid tantæ sanctitatis & nobilitatis personæ condignum censetur.

Quia tu, domina, ancillam te fecisti Christi, ipse te super te elevavit, & secreta tibi virginalis thalami adhuc in carne positæ reve-

lasse ex parte creditur, ut una ex his creatis, de quibus canitur: *Introduxit me rex in cubiculum suum.* Sed quia prophetica & fidelis anima dicit & ingeminat: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*, & Ezechias rex, qui cellas aromatum & thesauros templi nuntiis Babyloniorum aperuit, Deum in hoc graviter offendit. Beati illi qui nos peccatores in tantum præcellunt, ut cœlestia rimentur, in viis suis spiritum discretionis ex his per tentationem magis quam per revelationem, Deo dante, proventum profecerunt, præstolentur, & inferius etiam apud homines de visionibus suis discant quæ proferant vel quæ reticeant. Sic namque, Deo donum ipsorum per humilitatem disponente, quædam subsigillant, nec ea proferunt quæ apostolicam & ecclesiasticam institutionem permoveant. Hæc prudens femina attende, quia mulier timens Deum ipsa laudabitur. Dicitur quod elevata in cœlestibus multa videas, & multa per scripturam proferas, atque modos novi carminis edas, cum nihil horum didiceris. Super his nequaquam miramur, quia non excedunt munditiam & sanctimoniam tuam, sine quibus talia ab homine non capiuntur. Scire autem possumus quidquid ibi de sanctis revelatur, innuat gloriam, quidquid hic abest agitur exigat humiliationis formam. Nos autem quamvis a te longe positi simus, fiduciam in te habentes, quædam a te petimus, scilicet quoniam plurimi (*a*) contendunt quod paternitas & divinitas Deus non sit, quid inde in cœlestibus sentias, nobis exponere & transmittere non differas. Valeat dilectio tua.

(*a*)

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Respondet in visione sibi demonstratum esse quod paternitas & divinitas Deus sit.

EGo paupercula forma in fumo aromatum montis excelsi dico: sol lumine suo descendit, & multas indignationes vicissitudinum locorum illustrat. Et sic, ô tu magister, in magistratione multos rivulos in scripturis habes, quos inter alios interdum spargis, scilicet inter magnos & parvos. Sed valde tremisco propter humilem formam quæ in me est. Nunc audi: Rex in solio suo sedit, & magnas columnas & valde elegantes in magnis ornamentis coram se statuit, quæ sunt ornamenta eboris erecta sunt, & quæ omnia indumenta regis in magnis honoribus gestabant. Tunc Regi placuit, & parvam pennam de terra levavit, & illi præcepit ut volaret, sicut idem rex voluit. Penna autem a seipsa non volat, sed aër eam portat. Sic ego non sum imbuta humana doctrina, nec potentibus viribus, nec etiam æstuo in sanitate corporis, sed in adjutorio Dei consisto. Et dico tibi quomodo in vera visione edocta sum, quid paternitas & divinitas sit, quoniam ego a te percepi hoc plurimis necessarium esse: quatinus veraciter in vera fide roborentur. Nam ad verum lumen vidi & didici vigilanter & aperte videndo, quod non per me in me requirendo, quod paternitas & divinitas Deus est, quia homo hanc potestatem non habet, ut de Deo dicat, sicut de humanitate hominis, & sicut de colore facti operis de manu hominis. Vivens ergo lux in secreto verbo sapientiæ dicit: Deus plenus est & integer, & absque principio temporum, & ideo non potest dividi sermone, sicut homo dividi potest: quoniam Deus totum est & non alius, ac idcirco illi nihil abstrahendum aut addendum est. Nam etiam & paternitas & divinitas est ille qui est, ut dictum est, *Ego sum qui sum*, & Qui est plenitudinem habet. Quomodo? faciendi, creandi, proficiendi. Quicumque enim dicit quod paternitas & divinitas non sit Deus, hic nominat punctum absque circulo, illum qui æternus est negans. Et quicumque negat quod paternitas & divinitas Deus sit, Deum negat, quia vult quod aliqua vacuitas in Deo sit, quod non est, sed Deus plenus est, & quod in Deo est Deus est. Deus enim nec excuti, nec excribrari potest secundum hominem, quia in Deo nihil est quod Deus non sit. Et quoniam creatura initium habet, ex hoc invenit rationalitas hominis Deum per nomina, sicut & ipsa in proprietate sua plena est nominum. Nunc iterum audi, ô homo, pauperculam formam in spiritu tibi dicentem, Deus vult ut recta itinera facias, & ut illi subjectus sis, & ut etiam vivus lapis sis in lapide angulari, & de libro vitæ non deleberis.

(*a*) Hujus doctrinæ præcipuus auctor fuit Gilbertus Porretanus episcopus Pictaviensis, quam retractavit in concilio Remensi sub Eugenio papa III.

EPISTOLA LXVII. FRATRIS O.

Deplorat ecclesiæ per schisma scissuram, oratque ut pro ea suas preces interponat, pro se etiam qui a dæmonibus vexabatur.

HILDEGARDI dilectæ matri, Fr. O. filialis dilectionis obsequium.

O mater dilecta, quid facient infantes, nullum qui eis lac præbeat habentes? parvuli petunt panem & non est qui frangat eis. Sol quoque opposuit sibi nubem, ne pertranseat oratio. Quid ergo faciet homo languidus, quærens salutis remedium, & non inveniens consolationis auxilium? Ecclesia schismate vulnerata est per verbum divisionis. Ecce hic, ecce illic, quod futurum est in capite jam percurrit in corpore,

& non est sanitas ubi gladius iste pertransivit. Quid ergo dicis, mater honorata? Putas inveniri potest quem quæri omnino necesse est. Tamdiu medicum deesse puto, dum vulneris putredinem sentio. Accede ergo ad inaccessibilem, intra ubi non patet omnibus accessus, dic dilecto tuo, quare obdormis Domine? Foris stant quærentes te. Anima tua vulnerata caritate non est, si dissentionis gladio percussa est. Veniat eis sanitas orationis tuæ, ut sint unum. Et cum effuderis orationem tuam coram oculis Domini, ad nos regredere, & quid intus agnoveris, nuntia nobis, quantum ille concesserit, cujus sermocinatio cum simplicibus est. Habeo etiam ego animam fœdam, multis itineribus divisam atque vulneratam, pro qua Deum orate velis caritatem tuam devotissime exoro. Nam a malignis spiritibus multoties tam occulte quam aperte impugnor, qui me plurimum fatigant & seducere volunt, & quid de his sentias rogo ut per scripta tua mihi renunties.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

De variis dæmoniorum generibus & quomodo eos possit superare.

ANimam tuam in duabus partibus video, scilicet in altera ut ascendat, in altera ut maneat: sed Deus mentem tuam colligit secundum voluntatem suam & non secundum tuam, & ideo valde afflictus es. Nam quod a malignis spiritibus te fatigari dicis, hoc in hujusmodi adversitatibus video. Aërii enim spiritus in quatuor partes divisi sunt. Prima pars in omni genere vitiorum incendium parat, & per luxuriam hominem incertum facit. Secunda autem pars in omni inconstantia volitat, sicut ventus hac illac spargitur, & hominem in insanam iracundiam immittit. Tertia vero velut in ostensione angelorum & prophetiæ errorem facit, & in nullis modis uno statu permanet, ac in vana gloria per jactantiam & per contumaciam homines lædit. Sed quarta pars cum aliis prædictis partibus versatur, & in multiplici diversitate est, & non multum maledica, nec multum flagellosa in horrore est, sed cum hominibus libenter moratur, & passionem ac crucem Domini fugit, & quædam bona in hominibus suffert, ac ipsis in eisdem bonis moderationem abstrahit: ita quod suggestione sua eos in majorem altitudinem in mentibus suis ascendere permittit, quam perficere possint, & sic ipsos requiescere non finit. Nam sanctitatem & præcipue vanitatem non formidat; sed fortitudinem & stabilitatem in magno odio habet, & ut porci siliquas propter pinguedinem manducant; sic in delectatione cum hominibus sæpe commoratur, & quasi pœnas sustineat clamando ululat, cum ab homine fugatur. Cum enim homo fortitudinem & stabilitatem ac moderationem arripuit, ab eo fugit & clamat & ululat & dicit: Ubi pascar? & ubi cibos habebo? Unde quisque homo paveat, & timeat, quoniam hæc pars malorum spirituum, & cum malo, & cum bono morari non formidat. Nam cum homo in sanctitate odium habuerit, magnam veritatem ingreditur, ac Deo & hominibus velut illusio erit. Sed pars illorum spirituum quomodo fugari & ligari poterit? Cum homo in prima ætate quasi in prima hora, cum puer est, sanctitatem incœperit, de seipso non loquatur, sed magistros & doctores audiat, & sic diabolum reclamantem & ululantem ligat; sed in secunda ætate quasi in tertia hora cum homo juvenis est, sanctitatem in taciturnitate diu contineat & taceat, & in omni sollicitudine & perfectione, quod bonum est requirat, ne in superbiam cadat, & sic diabolum occidit. In tertia autem ætate velut in sexta hora homo diu non taceat; sed a magistro in humilitate quod requirendum est requirat: quoniam ætas illa in lasciviam non spargitur, & sic hoc genus mortuorum mortuum apparet. In quarta vero ætate, quasi in hora nona, cum homo a Deo inspiratur, consilium a magistris & a sapientibus requirat; quoniam tunc imbecillis in caloreviriditatis carnis est, & Deo gratias agat. Sed prima ætas patientiam fugit, sed ipsa in sanctitate cum patientia tota sancta est. Et secunda ætas timorem Domini sibi non esse necessarium existimat; sed necesse est ut timorem Domini in sanctitate habeat. Sed tertia ætas timorem Domini libenter habet, immo in sanctitate læta sit; quia dubietas ibi facile subintrat. Quarta vero ætas suspiria ad Deum extendit, & illi gaudia in omnibus adhibenda sunt, ne deficiat. Primus enim angelus in prima ætate velut in pueritia per lasciviam cecidit & periit. In secunda ætate quasi in juventute multi fideles & infideles in cœlum se erigere volebant, & a semetipsis plurima in sermonibus proferebant; unde ceciderunt. Et in tertia ætate velut in virili fortitudine prophetæ venerunt, & cum magno timore Domini dixerunt: Non nos in his sumus; sed tu Deus: & sic perseveraverunt, ac omnem terram gaudio repleverunt. In quarta ætate, quasi in plena stabilitate plures & plures virtutes per inspirationem Spiritus sancti per homines in studio bonorum operum surgent; & sic mundus deficiet. Tempus autem hoc nondum hoc tempus habet, ut judicium universitatis pariat; sed tamen omnia genera dæmoniorum magno studio errores in hominibus faciunt; quia timent ne superentur. Tu autem, ô homo, qui in juvenili ætate es, in stabilitate sta, & verba philosophorum

& ſapientum ac in Spiritu-ſancto loquentium audi, ut in æternum vivas. Sed & hæc dic: Illa vis quæ me hominem creavit, liberet me de aëriis ſpiritibus; & ignens amor qui me indeficientem vitam conſtituit, non ſinat opera mea cum illis miſceri.

EPISTOLA LXVIII. N. DECANI S. Martini Moguntini.

Optat eam videre, ſeque ejus commendat orationibus.

HILDEGARDI reverendiſſimæ dominæ ac dilectiſſimæ matri, N. de S. Martino Moguntinæ eccleſiæ decanus indignus, modicum id quod eſt.

Neceſſarium mihi non eſt ſcribere quanta veneratione mens mea ſanctitati veſtræ ſubſtrata ſit, quam ſincera caritate vos diligam, quam paratus ſubſervire vobis, ſi dignata fueritis uti noſtro qualicumque ſervitio. Quanto deſiderio ſcriptis veſtris ſæpius conſolari cupiam, quia ſplendor divinæ ſapientiæ, qui vos intus illuminat, hæc vobis revelat. Ipſe quidem propoſueram modo videre vos & veſtris ſermonibus conſolari; ſed infirmitate corporis præpeditus ſum, & venire ad præſens non poſſum. Cum autem data fuerit opportunitas, Deo volente, videbo vos; & quod ſcriptis a vobis quærere non poſſum, viva voce requiram. Interim rogo, dilectiſſima mater, ut oretis pro me creatorem ac redemptorem noſtrum; ut ſic ad omnem voluntatem ſuam vitam noſtram componat: quatenus ſibi ipſi in nobis complaceat. Etiam rogo, ſi quid de noſtro ſervitio indigueritis, præcipiatis quidquid vobis videtur. Sed & ſcriptis veſtris per præſentem nuntium iterum conſolari cupio. Deus vos conſervare & ſpiritu ſuo ſancto ſemper illuſtrare dignetur, omni mihi venerationis officio colenda beatiſſima mater.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Hortatur ad pœnitentiam.

DE nimio cibo & de immoderato potu vini immoderata vitia creſcunt, & caro etiam hominis ſæpe langueſcit: ita quod vix vivere poteſt. Poſtea tædio peccatorum, quo caro illius fatigata eſt, quaſi gravi ſomno gravatur. Sed diabolus eum iterum ad peccatum excitat, ac tempora pœnitendi ei proponit: & ita de torpore illo idem homo ad peccatum evigilat, & hoc modo diabolus eum ſtudioſe peccare hortatur. Multi etiam homines per deceptionem diaboli pœnitentiam peccatorum ſuorum differunt, & ſic in perditione inveniuntur. Quando autem homo pro peccatis ſuis ſuſpirat, cum laude angelorum concinit, & cum bona operatur, ſicut ſol fulminat; ſed cum ipſe ornamenta hæc incipit, diabolus cum magna tempeſtate deſperationis ſuper eum cadit, qui eum etiam malis conſiliis ad peccandum prius excitaverat. Homo autem ille publicanos & peccatores attendat, & quantum peccaverint & qualiter per pœnitentiam ſurrexerint, & quomodo poſtea columna cœli facti ſunt videat, & ita loricam fidei & galeam ſpei ſe induat, ac inimicos ſuos ita ſuperet. Tu autem ſerve Dei, vide quod in infantia tua delitioſe, & juventute tua cum peccatis guſtus carnis vixiſti: unde nunc fatigatio peccatorum tibi ſit, & bona opera operare incipe priuſquam umbra hujus vitæ a te inclinetur, ut cum gaudio reſpondeas voci tibi ſic dicenti: Tu hortus, in quo oculos meos paſcerem, eſſe debuiſti; ſed non es, quia inutiles herbæ & ſpinæ & tribuli ibi creverunt, quæ omnia utilos herbas ſuffocaverunt. Has cum acuta falce per pœnitentiam abſcide, & filium illum qui in Evangelio legitur imitare, qui in ſe reverſus ad patrem ſuum cucurrit, qui eum in gaudio ſuſcepit, & qui per humanitatem ſuam eum oſculabatur. Semen etiam fructuoſæ virtutis in hortum tuum ſemina, & mulieri perditam dragmam quærenti aſſimilare, ut ſuper te gaudium in cœlo fiat, quatenus etiam gemma in cœleſti vita fias, ita ut in æternum vivas.

EPISTOLA LXIX. N.

Fidei ipſius animam ſuam, corpuſque ſuum, totamque congregationem ſuam illi commendat.

VEnerabili & dilectiſſimæ magiſtræ, H. vaſculo divinæ electionis aptiſſimo, N. gratia Dei, id quod eſt, quidquid valet ſervitus unica cum oratione aſſidua.

Spiritu & mente vos valere exopto, & pro ſtatu omnium rerum veſtrarum devotis precibus die noctuque pedibus Dei procumbo. Cariſſima, ſi ordinatio Dei in hac vita nos ſeparavit, inſolubile tamen vinculum benedictionis inſolubiliter nos conglutinavit. Ipſius namque dilectionis viciſſitudinem a vobis expoſco, ut mei memoriam habeatis in orationibus veſtris & ſancto conventui veſtro commendetis. Quid plura? In fidem veſtram animam meam & corpus meum, cunctamque congregationem noſtram commendo. Valeat in æternum beatitudo veſtra.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut intelligat quæ sint utilia & quæ nociva.

MEns tua est quasi vallis, quando mons in te surgit, & iterum civitatem te putas ædificare, cum aliquam causam cum contumacia damnas. Nam qui edax vulnus, quod in putredine fœdatur, in verberibus vulnerat, venenum mixtum sanguine educit. Et hoc non prodest. Sic est mens illius hominis, qui in nulla re parcere vult. Bonus autem medicus vulnera unguit. Sed negligentia hominis est velut ventus turbinis, & furor ejus ut magna tempestas. Nunc ergo intellige quæ sint utilia & quæ nociva, quoniam quædam terrenæ creaturæ habent similitudinem operum hominum Nam volatilia sunt ad hominis benevolentiam, pecora ad ejus intelligentiam, bestiæ ad ejus sapientiam. Vermes autem quos sudor terræ ejicit, ut respiciunt ad multas cogitationes hominum; incongrui vero vermes ad malignitatem eorum, venenosi autem ad iracundiam, feræ autem ad negligentiam operum illorum. Aspice ergo ad Aquilonem, & vide quomodo tempestas ut fumus in nubes ascendit. Sic sunt opera hominis aliquando inutilia. Sed homo qui undique circumspiciendo bene vigilat, contrua abstrahit in benivolentia & in miti scientia sua. Et iste non sit bellator in jactu lapidis, nec negligens in vento turbidis. Sol lucet, unde homo unamquamque rem cum misericordia unguat: quia fabricator qui fundamenta sua non recte ponit, instrumenta sua dejicit. Prævideat ergo homo quis sit casus. Qui suspirium habet, ille tolerandus est. Qui vero Deum contemnit, corripiendus est, si prodest: si non prodest, ad hoc opportunum tempus quæratur, ne ille moriatur. Homo autem per semetipsum operetur, & animam suam illumittet. Mens vero quæ homicidium non ædificat, homicida non est: sed si causa illa evenerit cum opere, semper lugeat, & ad Deum anhelet, quoniam hoc destructum est, quod Deus ædificavit.

EPISTOLA LXX. H. MONACHI Mulenbrunnunsis.

Ut aliquid de cœlesti admonitione sibi transmittat.

HILDEGARDI olivæ speciosæ & margaritæ pretiosæ, H. solo nomine monachus in Mulenbrunnun, cum ardente lampade cœlesti sponso obviam ire.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis enim est memoria illius, quia & apud Deum nota est & apud homines.

Ex hac tam pulchra atque beata generatione, te summi Regis filiam, clarescentibus virtutum indiciis patet exortam: quippe quæ in facie præclari operis formam præfers hominis interioris. Tali virtutis decore imaginatur similitudo genitricis tuæ, cum exemplo illius lanam & linum quæsisti, & stragulatam vestem, operimentum animæ tuæ texuisti. Stragulata quippe vestis induitur, cum virtute caritatis multiplicibus intexta figuris fidelis quæque anima investitur. Resplendet in hac veste regia humilitas & obedientia, pietas & continentia, carnis castimonia & mentis sanctimonia, denique mille millia memoratis similia. Hac virtutum varietate circumamicta a dextris summi Regis assistis, velut illa prophetica regina; ubi inestimabilem sapientiæ thesaurum invenisti. Unde lucis æternæ candorem, quasi de abysso mortalibus ostendisti. Audi igitur filia, & vide & inclina aurem tuam, ut quia caritas in proximi dilectione consistit, per tuæ orationis auxilium veniale sentiam quidquid in me minus invenio perfectum. Indubitanter enim cognosco te ab eo specialius audiri, in cujus contemplatione sæpius te contingit immorari. Rogo etiam, salva gratia tua, soror & domina, ut aliquid de cœlesti admonitione mihi transmittas, ut per hoc tuæ sanctitatis memoriam cordis mei oculis anteponas. Quid plura? Corpore absens, spiritu præsens te salutо, obnixe orans, ut mei peccatoris memineris quæ gressum mentis cum Apostolo semper in anteriora extendis. Vale.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Sub parabola docet in hoc sæculo laborandum esse.

UMbra mysteriorum Dei dicit! Ventus flat & aer in vicissitudinem vadit, atque nubes complicantur: ita quod aliquando turbidæ, nigræ, candidæ & puræ sunt. Sic tu facis, ô miles Dei: nam in sæculari tristitia aliquando es, ut inflante vento, & in voluptate multarum insidiarum diaboli, quasi in vicissitudine aëris atque in inquietis moribus tuis, velut in nubibus se complicantibus, ita quod mores tui interdum sunt squalidi in turbedine, exterriti in nigredine, suaves in candore, atque utiles in puritate. Unde audi. Quidam dominus de monte magno stabat, & servos suos vocavit dicens: Debitum vestrum reddite. Alter autem eorumdem servorum coram eo stabat, alter vero sedebat. Et qui stabat respondit: Domine de longinqua regione exilii veni, ubi diversam vicissitudinem morum in multis criminibus & peccatis didici. O væ quod præcepta tua sic præterivi:

Unde per timorem amoris tui juro, quod in omni corde meo pœnitere volo. Sed tamen solem tuum, lunam & stellas in magnis honoribus semper amavi. Et Dominus ejus ipsi respondit: Serve bone, responsum tuum, me circumeunte rota, sic accipio dicens: Ego qui sine initio & sine fine vivo, te in magnis honoribus supra omnia quæ amasti ponere volo, nec mea possibilitas te condemnabit: quia per pœnitentiam vocasti me. Servus autem qui sedebat, sic dedignando respondit: Sol tuus me combussit, luna tua me tetigit, stellæ tuæ me compresserunt, capilli etiam capitis mei de rore tuo infecti sunt; & pluviæ tuæ super me mundaverunt; & ideo ab his omnibus impeditus te inspicere non potui: unde etiam nescio quid dicere possim. Et Dominus ejus ipsi respondit: nequissime serve, quando solem, lunam & stellas constitui, num adjutorii tui indigui? Et quare non erubescis quod me tam temere in responsis tuis tangis? Nam pro hoc meruisti ut manibus & pedibus tuis ligeris, & in tenebras mittaris usque dum omnia reddas. At tu miles Christi parabolam ad te attende. Dominus iste Deus est, qui in altitudine illa vigilat, quod Deus ab omnibus invocandus est. Hic homines in admonitione sua sic alloquitur: De operibus vestris judicari debetis. Sed quidam in divino honore laborant. Quidam autem in molestia tædii torpescunt. Et qui Deum honorant dicunt: De suggestione diaboli in casu Adæ in peregrinatione cecidimus, & in operibus nostris multa vitia contraximus, quam trangressionem flebiliter plangemus. Propter gloriam autem nominis tui promittimus, quod a peccatis nostris nos abstinere desideramus. Attamen honorem tuum, justitiam & scripturas per te datas venerati sumus in dilectione Et Dominus qui incomprehensibilis est, illos laudat, ac supra multa bona constituit, nec eos damnat; quia ipsum pœnitendo invocabant. Qui autem in tædio divinorum torpescunt, dicunt: Honor tuus nos afflixit, justitia tua nos vulneravit, multitudo scripturarum tuarum nos suffocavit, voluptatem mentis nostræ viriditas spiritus tui evertit, atque effusio zelus tui nos fatigavit: ita quod in lætitia te inspicere non possumus, nec nos excusare valemus. Et Dominus illos dicit nequissimos servos esse, & quod in justitiis suis adjutorii eorum non indiguerit, dicens, & cur non erubescant quod ipsum in temeritate verborum suorum invadunt, unde & ligandi sint & in pœnas mittendi, dum omnia vitia sua in semetipsis æstimant. Tu autem, ô miles Christi, hæc etiam ad te ipsum intellige. Nam servus qui stabat, te significat. Cum enim in sæculo fuisti, pauca bona fecisti: sed admonitio Spiritus-sancti te concussit, & ad bonum te convertit. Cave autem ne sedentem servum imiteris, scilicet ne dicas quod in Regula sicut in sole ardeas, & ne magisterium quasi in luna contemnas, ac ne de communione fratrum tuorum sicut in stellis fatigeris. Atque ne admonitionem Spiritus-sancti in irrisionem mentis tuæ, quasi in rore inducas; & ne correptionem sicut in pluvia dedigneris; sed Deum in bona voluntate & opinione semper amplectere & amplectendo retine, & vives.

EPISTOLA LXXI. N. MONACHI de Ebra Cisterciensis ordinis.

Ipsius se commendat orationibus, verbaque consolatoria ab ea exposcit.

DOminæ ac matri suæ HILDEGARDI, beatissimæ Christi olivæ, N. peccator de Ebra Cisterciensis ordinis inutilis monachus, Domino vivere in Dominoque mori.

Noscat dilectio vestra, quod ideo paucula litteras vobis misi, quia sanctitati vestræ satis digna excogitare nequivi, & etiam tremula mente tali tantæque personæ quidquam scribere vix præsumsi; sed neque me dignum ad hoc existimavi. Proinde, si salva gratia vestra audeo, genuflexo tremens orationibus vestris in visceribus JESU-CHRISTI me quamvis sordidum committo, quantumque cooperante gratia pro modulo desidiæ meæ potuero, vestri vestræque familiæ in Christo libentissime memor ero: etsi corpore absens sum, corde & dilectione, Deo teste, vobiscum sum. Nunc ergo in memoria vestra me reservate, ac Christo & S. Mariæ, pro ut vobis confido, assidue me commendate, atque verbis consolationum vestrarum secundum divinam ostensionem me consolari studete. Gratia Spiritus-sancti vobiscum sit.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Promittit illi futuras consolationes, utpote qui Deo placeat.

VIdeo quod Deus faciem suam a te non abscondit, sed cum flagellis suis te constringit, sicut ipsi placet. Item in animam tuam & in gaudium corporis tui magnum lumen consolationis Dei venturum video, cum ipse voluerit. Deus autem in tabernaculo tuo vivit, nec gratia ejus in eo obnubilata est: unde & ante Deum in anima tua laudabilis eris, quamvis de hoc dubites: quoniam victoriosus vir Domino suo amabilis est. Sed & mysticum lumen dicit: Terra quæ pinguedinem germinandi habet, multos fructus profert. Sed lolium ac ceteræ inutiles herbæ se multotiens his ingerunt. Sed aliquando quædam temperantia cujus-

dam venti super hanc terram ascendit, cujus vis talis est, quod inutiles herbas debilitati inducit, & tamen utiles fructus non lædit. Nunc audi. Quidam homines qui in pinguedine naturæ suæ ad quæque idonei sunt, huic plenitudini scientiæ quædam inutilia opera per voluptatem carnis intermiscent: sed admonitio gratiæ Dei aliquando hos monet, aut per contritionem mentis aut per tristitiam imbecillitatis, corporalis infirmitatis & per similia, ut mala devitent, & bona opera faciant. Hæc ad te intellige. Deus ergo rorem de cœlo tibi infundat, & in æternum vives.

EPISTOLA LXXII.
V. Wessionensis.

Peccatis oppressus quærit an debeat adhuc a Deo sperare veniam.

HILDEGARDI sanctæ, ac Dei amicæ, sponsæ Christi V. Wessionensis calamus confractus, forma mali, esca diaboli.

Scriptum est non habentes tegumenta, amplexantur lapides. Sed hoc, proh dolor! tempore ablati sunt de via lapides, qui viæ iniquitatis obsistant. Cesserunt montes, qui super peccantes cadant; colles, qui profugos Christi operiant. Denudata sunt apud Deum turpia hominum facta in suo cursu medium iter habentia, nulloque mediante certatim in lapidem offensionis & petram scandali impinguit. Ex quibus & in quibus, mi domina, ego desperatus quotidie huic impingens petræ contritus & confractus, adhuc de Dei misericordia sperare præsumo. Per ipsam itaque Dei misericordiam vos adjuro, ne me vobis innitentem abjiciatis, nec spernatis per eum qui propter nos sperni dignatus est. Obtestor vos per pretium sanguinis JESU-CHRISTI dilecti sponsi vestri de cruce fluentis, per quem vos subarravit, & sponsam assumsit verbis præsentium de me narrantis, pias aures inclinetis; & apud ipsum sponsum vestrum sollicitantes, quid sit quod me toties ad se clamantem de profundis nequitiarum & de luto fecis eripere dedignatur, si sperare ulterius veniam, si spiritum contribulatum & contritum mihi largiri velit, Domina, intenta prece exquire, litteris mandans, quæ videntur demandanda. Vale iterum atque iterum hæc eadem iterans per Christum ne dimittatis adjuro.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut mentem ad bona restauret, & justitiam esuriat.

IN vera visione mysteriorum Dei scribo videndo & audiendo & sciendo in uno modo. Tu autem, ô homo, similis es nubi, quæ progreditur & regreditur, & quæ in hac utraque parte aliquantulum lucida est, & per quam tamen sol sæpius obnubilatur, ita quod diutius expectatur quando luceat. Et scriptum est, quia *ecce qui elongant se a te peribunt.* Hoc est, qui diem bonæ scientiæ habent, sed in alienam suscitationem inutilitatis respiciunt, ac in varietates tenebrarum quæ auxilium in rationalitate non quærunt, sed vanæ sunt, arescunt; nec viriditatem in Deo habent. Adam enim cum plenus innocentiæ sanctitatis fulgeret, in prævaricatione deprehensus est: ita quod in prævaricatione præceptorum Dei periit, cum diadema innocentiæ, scilicet pulchertimæ filiæ regis ab eo abscissum est. Nunc mentem tuam ad bona restaura, & aspice in fontem aquæ salientis, & non require diversas causas in aliena domo: quia unaquæque causa quæ utilis non est, arescet; quoniam a Deo plantata non est. Mens tua pura sit in Deo, & in esurie justitiæ Dei, ac in recto itinere & Deus suscipiet te. Unde labores quos propter Deum incœpisti & quos facis, tibi sufficiant. Sed mentem tuam & cogitationes tuas, quantum potes ad Deum dirige. Orationes quoque meas ad Deum semper pro te fundam.

EPISTOLA LXXIII.
H. Trajectensis canonici.

Ut arcana divinæ revelationis de suo statu sibi revelet.

PAuperis Christi paupertatem in fragili sexu imitanti H. divitis Christi divitias exoptans H. Trajectensis canonicus, salutem in Domino qui mandat salutem Jacob.

Spiritus Dei miro & inæstimabili quodam modo in te loquentis & per te scribentis experimentum in me ipso habere desidero. Absit a me, ut ulla dubietas in me sit de te, quia Spiritus Dei loquitur in te: sed magis cum admirantibus admiratio, & cum devotis devotio, me ad familiaris experimenti desiderium monet & provocat. In humilitate itaque supplico humilitati tuæ, quatenus arcana divinæ revelationis de statu meo præcipue secundum interiorem hominem mihi in ministerio tuæ manifestationis ad doctrinam & cautelam spiritus mei exhibeas. Quod debes quidem ex promisso: quia cum in transitu meo versus Romam iem, hæc a tua caritate impetraverim. Spiritus Domini perseveret tecum. Amen.

A

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut velociter surgat & a diabolo fugiat.

DEus in arbore offensus est propter malitiosa verba serpentis. Tunc etiam in pulchra formatione, qua Deus hominem creaverat, bona scientia in homine erubuit, propter malam concupiscentiam quam ille concupierat. Et ideo quasi in aliena via Deus illi clamavit: Adam ubi es? ac vestitura dedit ei, sic in se ipso dicens: Per tunicam humanitatis meæ te requirere volo: & po- B stea in sancta humanitate sua hominem denuo recreavit: ita ut cum ceciderit, per pœnitentiam in humanitate Dei resurgat. Unde tu, homo, velocius surge, ac in tunicam Dei velocius te involve, & a diabolo fuge, & ego in effusione orationis meæ, quando anima mea ad Deum aspicit libenter pro te orabo, & vives.

EPISTOLA LXXIV. M. MONACHI & presbyteri.

C

Ipsius sororumque preces petit, suas vicissim eis promittens.

HILDEGARDI amantissimæ & in Christo honorabili singulariter matri & dominæ, M. monachus & sacerdos indignus, modicum id quod est.

Si gloriari oportet, immo quia gloriari licet in Domino, convenit & me gratulari, non in me metipso, sed in Domino, qui meæ indignitati talem apud vestram sanctitatem D familiaritatis gratiam concessit, qualem mea humilitas, nec mereri potuit, nec sperare præsumsit. Unde primum divinæ miserationi, deinde vestræ dignationi grates ex intimo corde referens, eo quod tam præsentem me benigne habueritis, quam & absentem vestra salutatione dignum duxeritis. Denuntio benevolentiæ vestræ, quatenus omnes consorores vestras & dominas meas vice mea salutare dignemini, atque easdem commoneatis, ut fraternitatis & orationum solatium, quod mihi promiserunt, nequaquam memoriæ ipsarum depereat: quoniam & ego quantum Dominus E dignatur modis omnibus feci, & facio quod eis, teste Deo, spopondi. Confido etiam in Domino, quod vita comite non cessabo pro vobis omnibus deprecans, ut gratia Dei quæ vos tam longe prævenit, jugiter vos prosequatur, & conterat satan sub pedibus vestris, ut & mea parvitas salutem quam non mereor vobis exorantibus optinere valeat. De ceteris quæ vobiscum secretius contuli, cum opportunum fuerit, scriptis me certificare curabitis. Valete in Domino semper.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Sub quadam parabola hortatur ad caritatem, fugam sæculi, & amorem veræ sapientiæ.

CAre fili, parabolam hanc audi, quam in vera visione vidi.

Quædam nobilis & pulchra domina cubiculum ex auro ornatum habuit: quæ frequenter duas puellas elegantes vultus habentes secum habitare elegit. Multæ autem turbæ dominam hanc videntes, faciem ejus laudaverunt, ac cum illa habitare voluerunt. Quibus ipsa dixit; munera quæ vobis placent, vobis dabo, quia nec mihi, nec vobis prodesset, ut simul essemus. Nobilitatem enim & pulchritudinem meam vulpibus & canibus & in irrisiones dare nolo. Sed quædam rugosa mulier rubra & nigra facie huic nobili dominæ assimilari voluit, ac nobilitatem & pulchritudinem ipsius indigne tulit. Hæc eadem rugosa mulier super montibus ambulat, & in regionibus ac in omnibus locis currit, laudem & honorem quærens, & nemo illi dat; sed omnes dicunt, Ista inquieta & indisciplinata a diabolo est, & ab omnibus abigenda est. Quædam etiam mulier mercatrix de omni arte ad se collegit quæ oculis pulchra ad videndum sunt, & studebat ut ea ignota & mirabilia hominibus invisu & in auditu faceret. Postea vero crystallum pulchram & nimis puram ad ignem solis posuit, quæ de sole sic accendebatur, quod lumen omnibus dedit. Unde etiam ipsa omnes artes suas in moderatione habuit. Nunc, fili mi, primam mulierem & D puellas ejus attende; sed mulierem rugosam omni studio fuge, mulierem autem mercatricem ad te collige. Prima enim mulier caritas est cum puellis suis, videlicet benivolentia & largitate. Sed mulier rugosa rubeam & nigram faciem habens, amor sæcularis est, quo turpi studio lascivi homines ad invicem se complicant. Mulier vero mercatrix philosophia existit, quæ omnem artem instituit, & quæ crystallum, id est fidem invenit, cum qua ad Deum pervenitur. Ego autem in Deum confido, quod cum iis partem habeas, quoniam in ignea crystallo munera passionis & resurrectionis Domini Deo obtulisti.

EPISTOLA LXXV. N. SACERDOTIS & magistri pauperum in Lutherum.

Exoptat ab ea salutaria audire documenta; paratus iis obtemperare.

DOminæ H. divini luminis splendore radianti, N. sacerdos indignus & magister pauperum in Lutherum, scilicet in

domo hospitali, cum apparuerit gloria Domini cum electis sociari.

Gratiam & benivolentiam, quam multi in vobis experti sunt, sæpius recolentes, gratias omnipotenti Deo referimus, quod in tam fragili sexu, muliere ab infantia viribus corporis destituta, virilem animum & virtutibus non paucis adornatum conferre dignatus est. Adaugeat Dominus gratiam suam in vobis, & in omnibus qui vobiscum sunt, & faciat ut in spiritu benivolentiæ memores sitis apud Dominum, & nostri, & multorum, qui spem suam in vobis posuerunt. Salutaria itaque sanctitatis vestræ documenta exoptamus a vobis audire, & statum vitæ nostræ diligenter a vobis intelligere, & quidquid vobis Deus super hoc revelaverit, nobis dignamini rescribere. Hoc scientes quod consiliis & monitis vestris pro posse nostro obtemperare decrevimus. Nam nobis injunctum est ut pauperibus serviamus, quod sine gravedine tumultuantis animi implere non possumus. Quapropter, a vobis scire desideramus, utrum nobis utilius sit ad claustrum nos recludere, an in tumultu isto perseverare. Deus vobis aperiat quod sibi in hoc melius placeat.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut Christi imitetur exemplum, qui ut verus Samaritanus hominem qui in latrones inciderat, curavit per se & stabularios, id est apostolos.

IN vera visione vigilantibus oculis in spiritu meo hæc verba audivi : O fili qui forma Dei es, hanc propositionem audi, quoniam Filius Dei ad illos dixit, qui apud se hoc dixerunt, quod sibimetipsis elegerant. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho.* Hoc idem Filius Dei de primo homine dixit. Qui cum per rumorem serpentis quem per mulierem audivit, sensit quod peccare potuit. In optione sibi hoc elegit, quod per rumorem audierat. Mens enim quasi vir est, & optio quasi femina. Sed quando homo aliquam causam sibi elegerit, eamque per optionem sibi adtraxerit, ipsam valde amat, sicut & Adam optionem amavit quam per mulierem audivit ; quia mulier ei sic adjuncta fuit velut menti electio. Quando Adam hoc fecerat, de visione pacis descendit, & similis lunæ quæ deficit factus est. Sed quamvis peregrinus esset, tamen creatorem suum scivit, ac in illa cognitione lunæ quæ interdum crescit, similis fuit. *Et incidit in latrones*, quod proprietas voluntatis ipsius fuit, quæ ipsum decepit, quemadmodum latro per sibilos dolositatis homines decipit, donec eos capit. *Qui etiam despoliaverunt eum*, scilicet eadem proprietas ab omni gloria quam in paradiso habuit, velut latrones homines despoliantes, substantiam eorum distribuunt : ideo unusquisque homo qui felix erit, fugiat quod propria voluntas sua sibi elegerit, quæ ipsi tam nociva est, quemadmodum Adæ, quod mulierem suam audivit, maximaque vulnera ei facit : ita ut si sanari vult, ipsum cum magno suspirio medicum quærere oportet : quia etiam transgressio Adam in peregrinationem hujus exilii misit : ita quod in scientia boni & mali vix vivebat. Quem nec sacrificium Abel, quod Noë per ædificationem altaris perfecit, nec ministerium obedientiæ Abrahæ, quod Moises per legem complebat, levare potuerunt ; sed Samaritanus eum levavit. Samaritanus iste Filius Dei est, qui totus in sacrario Spiritus-sancti, id est integritate Virginis incarnatus est, sine omni cæcitate Adæ, quam humana natura in peccatis habet, & iste Adam cum membris suis de puteo inferni levavit. In vulnera quoque illius oleum & vinum infudit : oleum videlicet quando in Incarnatione sua motus super illum misericordia illi se ostendebat : vinum autem quando pœnitentiam peccatorum illi injunxit, ut scriptum est : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. *Et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum.* Corpus ipsius quasi jumentum est : quia hominem in humeris suis in lignum crucis portavit : quod etiam ostendit, quia quando hominem fecit, jumenta cum illo creavit, sicut etiam incarnationem suam vidit, cum hominem formavit, & cum eamdem incarnationem sibi adjunxit sicut voluit, homo cum omni creatura ipsum Deum & hominem aspiciendo cognovit, totumque mundum homini pro tabernaculo velut stabulum dedit, & in illud stabulum ipsum duxit, quando eum per passionem suam liberavit, atque in misericordia & pœnitentia curavit. *Et altera die protulit duos denarios & dedit stabulario.* In altera luce post resurrectionem suam vicariis suis, scilicet apostolis & ceteris qui exempla eorum secuti erant, hominem reliquit, illis injungens ut & ipsi facerent, quemadmodum ipse fecerat, & quod ipse etiam operatus erat, quia sicut cum Deus hominem fecit, jumenta cum illo creavit : ita homines in veteri lege primum in creaturis, videlicet in volucribus atque pecoribus Deo sacrificaverunt ; sed postea per victimam Incarnationis Christi in Spiritu-sancto invisibiliter ipsi immolaverunt, quoniam Incarnationem ejus per nos cognoscimus : divinitatem vero intueri non possumus, sed eam per fidem amplectimur, velut etiam hunc mundum scimus, æternam autem vitam in fide aspicimus. Corpora enim nostra videmus ; sed animas nullo modo intuemur, nisi quod solum modo scimus, quod sine anima non vivimus. Sic etiam

omnia opera sunt, quædam scilicet obscura, quædam manifesta: & ita quoque creatorem omnium in humanitate & divinitate ipsius habebimus. Tali modo in duobus testamentis Deus vicariis suis hominem reliquit, ut ita cum eo agerent, quemadmodum ipsis ostenderat: videlicet vulnera ejus in misericordia ungendo, atque in pœnitentia mundando, & hoc ad novissimum diem. Tunc quoque cum redierit, mansionem æternæ hereditatis omnibus dabit, qui in bona voluntate hoc fecerunt, quod eis demonstraverat. Nunc ô tu, villice Dei, sic fac, & cave ne mens tua tenebrosa sit, sine sole & luna & stellis: ita scilicet ne secundum proprietatem voluntatis tuæ, hoc & illud, ut tibi placuerit eligas, hoc & illud bonum esse dicens: quia mens tua nunc tenebrosa nubes est. Sed in illum verum Samaritanum aspice, & sicut ipse fecit, ita & tu fac in ministerio, ad quod a magistro tuo constitutus es: quoniam Deo placet, ut misericordia egentibus impendantur, & ut peccantes ad pœnitentiam ducantur. Hoc & tu fac quantum poteris, ipsum adjuvans, qui eamdem eleemosynam pro peccatis suis dat, ut in æternum vivas.

EPIST. LXXVI. MONACHORUM Sigebergensium.

Causantur quod ipsis non rescribat, petuntque ut de statu monasterii Sigebergensis aliquid aperiat, ac verba commonitoria transmittat.

HILDEGARDI dominæ & matri dilectissimæ, fratres unanimes de S. Michaële in *Sigeberch*, quidquid dominæ suæ famuli, vel matri debent filii.

Quam speciali caritatis affectu vos in matrem spiritualem elegerimus, & in consortium orationum nostrarum susceperimus, omnium secretorum cognitor novit, & ex frequentibus nuntiis quos vobis transmittimus, vestra quoque dilectio animadvertere potuit. Sed vos econtra affectum matris in nobis numquam ostendistis, litteras commonitorias, quas etiam nolentibus, utpote mater filiis, dirigere debueratis nequidem desiderantibus umquam obtulistis. Verumtamen, ut cœpimus, ad cordis vestri januam pulsare non desinamus, ut si non surgitis eo quod mater nostra sitis, propter importunitatem tamen nostram surgatis, & quæ necessaria nobis sunt tribuatis. Petimus enim ut aliqua de statu loci nostri in vera visione edoc[illegible] nobis aperiatis, & ut verba commonitoria & correptionem habentia nobis transmittatis. Hæc sunt, mater dilectissima, quorum indaginem a vobis præcipue desideramus, humiliter deposcentes, ut & hæc & cetera quæ nobis magis necessaria nostis transcribatis; & sicut nos vos, sic quoque vos nos in consortium vestræ orationis suscipiatis. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Quosdam ipsorum ut stellas lucere, quosdam vero in obscuritate fatigationis lassescere, & de casu primi angeli per superbiam.

IN visione Spiritus, qua frequenter video, hæc vidi & intellexi. Congregationem enim istam video, ut nubem quæ apparet, ut lux illa quando dies abscedit & nox appropinquat. Inter vos etiam video quosdam in bona intentione ut stellas lucere, quosdam autem in obscuritate fatigationis lassescere. Unde surgite, & apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via justa. Vidi quoque quasi coronam duos circulos habentem, alterum scilicet inferius, & alterum superius, angelis undique plenos, & in medio coronæ hujus Michael archangelus sicut turris stabat: ita quod ii duo circuli velut duo parietes ipsi adhærebant. In pectore autem ejus forma filii hominis fulgebat: circa quam scriptum fuit: *Virgam virtutis emittet Dominus ex Sion dominare in medio inimicorum tuorum.* Ipse quoque dextrum brachium extendens scutum dextra manu tenebat, & juxta eum quasi nubes velut aureus fumus de thuribulo ascendens apparuit, in qua merita orationum & sancta opera populi istius resplenduerunt. Et audivi illum ad populum istum dicentem: Quamdiu splendorem sanctitatis in vobis video, pro vobis pugnare volo contra nigra jacula, quæ de impiis tyrannis ad habitacula loci vestri flagrantia aspexero. Tunc cognovi quod hæc virga virtutis virga Aaron fuit, quæ in ramis virtutum floruit: quos Deus in prima die angelum posuerat, qui per superbiam seipsum a felicitate deposuit. Sed Deus virgam hereditatis in monte Sion aspexit, quæ ut virtus magnitudinis in homine floruit, ubi omnipotens Deus in virginitate surrexit. Et hic flos de Sion exivit, unde etiam multæ aquæ effluunt suavissimum ventum dantes, quæ sunt virentia opera sanctitatis in mentes hominum: ita quod Deum in omnibus cognoscunt. Quapropter in his vultus Dei fulget, quando suggestionem diaboli a se abscidunt contra illum militantes, quasi in medio potestatis suæ, cum duas alas habent, ita quod Deum plusquam seipsos amant, & quod sanctissima opera faciunt, & tunc stant quasi columna nubis in medio inimicorum suorum, cum eos ex utraque parte percutiunt, Deum scilicet amantes & sanctissima opera facientes: quod quasi sol micat in splendoribus san-

ctorum. Sed primus angelus magis voluit Deum superare & in honoribus ejus stare, quam illum amare aut bona opera facere: unde homo divinitatem honorat, cum seipsum vincit, ubi in possibilitate sua mala facere posset. Quando virginitas in vexillo regis in eo permanet, & quando alii in gustu peccati revertuntur a mola iniquitatis mundum relinquentes, quod totum in splendoribus sanctorum est: quos verbum Dei in voluntate patris sic protulit. Et ideo ad turbam istam in Spiritu-sancto manifeste sic dicitur: Benedictio Domini super vos in splendoribus sanctorum, & omnes qui vobis benedicunt benedictionibus repleantur, & qui vobis maledicunt, benedictio ab illis fugiat.

EPISTOLA LXXVII.
monachorum Hirsaugensium.

Causantur de abbate, qui non lassus ipsos opprobriis & calumniis onerare non cessabat, occasione discordiæ quæ ipsum inter & priorem intercesserat.

DOminæ HILDEGARDI ad ædificationem ecclesiæ divinitus electæ, monachorum grex pauper & pusillus in Hirsaugia, sic divina pietate adornari, ut noverit humiles Christi in tribulatione consolari.

Benedicta gloria Domini, quæ de excelso solio suo mirabili & inusitato ordine prospexit, dum tantum lumen gratiæ suæ mundo per vos illucescere voluit. Inde omnes ecclesiæ filii jocundantur; sed præcipue nos qui spiritualis nova exultationis luce perfundimur, dum in mœrore quem pro defectu nostri ordinis toleramus, divina consolatione per vos lætificari speramus. Quæ igitur sint quæ summa nobis sollicitudine pariant, quæ maxime mentem nostram remordeant, paucis animadvertite. Deo teste, Domino abbati in nullo detrahimus, quem tamen paternæ lenitatis per multa in nobis immemorem, & quibusdam familiaribus suis laxius indulgentem, libera quoque potestate in omnibus immodetatius utentem ingemiscimus. Si quidem maximis calumniis & infamiis opinionem nostram super hæc lacerari perpendimus, & præcipue pro lacrymabili discordia pridem inter nos orta, & nihilominus inter ipsum abbatem nostrum & priorem nuper commota, religionem nostram quam maximo contemtui a sæcularibus haberi deflemus. Quapropter incerti quid agamus, ut vestris orationibus divina voluntas nobis aliquatenus super his elucescat, humillime imploramus. Quod si litteris consolatoriis, quid potissimum, quidve Deo sit in his beneplacitum per vos certificari meruerimus, id quod solum possumus vestræque caritati gratissimum scimus, precum nostrarum remuneratione huic beneficio rependere semper studebimus.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS:

Deum eorum non oblivisci, tantummodo vitia conculcent & pœnitentiam agant:

SErena lux dicit: O plangens ovile, & ornatum in signo ligaturæ obedientiæ, esto stabile in cogitationibus tuis & desideria tua anhelent ad amorem Dei. Tu ergo considera ubi sit prosperitas vel adversitas. Audi mensuram vallium. Valles interdum virent & florent de rore cœli & de calore solis, ac interdum arescunt & deficiunt in vicissitudine tempestatum. Sed tamen valles istas, quæ propter diversitatem tempestatum aliquando pulchritudinem suam perdunt, non habeo omnino in tali oblivione, quasi amodo in pulchritudine sua non resurgant. Sic etiam non obliviscat loci hujus in quo tu stas, quia sapientia non carebit in eo materia sanctitatis, ut ipse primum in rectitudine processit. Tu autem esto luciduni ovile in victoria, conculcans vitia, quæ in inquieto tempore concuriunt te: & noli erubesce, quod te propter mala opera tua accuses, quoniam Deus omnia vulnera unguit & tergit in pœnitentia. Sed tamen vivens oculus notavit præteritam causam in dolore illo, quod tu commotum es in contumacia superiorum prælatorum tuorum; quia dulcedo unguentis, matris scilicet misericordiæ subtracta fuit a quibusdam ovibus tuis in culpa jacentibus, quæ non recte dijudicatæ sunt in pœna quam habuerunt in pœnitentia sua. *Incongrua enim pluvia facit* tetram aridam. Sic homo qui peccaverit, si non habuit illum qui eum unguat, protinus in desperationem *fugit & arescit*: quoniam nulla medicina exhibetur ei, secundum quod ipse sustinere potest. Nunc cari filii, audite vocem viventis lucis. Apprehendite misericordiam quæ non est vobis orta; sed quæ ex Deo venit, & ideo noli abstrahite eam ab illis quibus impendenda est. Retrahite ergo illos ad sanitatem animarum suarum.

EPISTOLA LXXVIII.
monachorum Eberbacensium.

Ut quæ in eis corrigenda sint non celet.

HILDEGARDI dominæ quam sibi elegit in famulam, & plurimorum secretorum suorum conscium, pauper grex frátrum in *Eberbach* in numero prudentium virginum cum vera lucerna & ardenti lampade, cum fidelium animarum & supernor-

rum civium ſponſo feliciter introire ad nuptias.

Spiritus Domini, quos elegit ſibi & prædeſtinavit, numquam deſeruit; ſed cogitatum ipſorum in paterna manſuetudine enutrivit: ita vos felicem animam & beatam elegit ſibi in organum & vas electionis ſuæ. Dilecta domina obedire debemus maternæ ammonitioni veſtræ, quia veritas Domini per vos loquitur. Ammonitiones enim veſtras libenter percipimus, precamurque humili petitione, ne quod in nobis corrigendum eſt nos celetis, ſed ut Domino qui vobis multa ſecreta reſerat placuerit, nobis id inſinuare ſtudeatis. Angelus conſilii & fortitudinis, qui ſemper circa vos eſt, conſervet & cuſtodiat vos ſanam & incolumem. Amen.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut caveant ne felicitatem quæ in Dei prædeſtinatione in ipſis eſſe videtur abjiciant.

MYſtica Dei me dicere jubent. Hæc in umbra viſionis. Vos aſcendiſtis in montem valde excelſum, & in valle aſpicere voluiſtis. Interea valde tempeſtas ſupervenit, he, he, languorem qui eſt in lumbis veſtris, ſicut dicit probatus ſervus, ſcilicet David: *Tota die contriſtatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea*, & ideo oculi veſtri languent præ inopia. Cavete ergo ne felicitatem illam quæ in prædeſtinatione Dei in vobis eſſe videtur retrorſum abjiciatis per nimietatem bellorum temeritatis: quia cum Deus faciem primi angeli velut valde elegantem & fulminantem lampadem feciſſet, ille temeritatem iniit unde gloria ipſius in ipſo periit, quoniam nulla bona deſideravit, claritatem illius in alia vinea plantavit. Et quia Deus ſocietatem cum malo non habet, providete ne ſpecialis gratia Dei a vobis moveatur in opere antiqui ſerpentis, quoniam ille gaudet in ſemetipſo, & dicit: voluntatem meam invenio cum diſcordia in ſpirituali populo, & in erecto collo cum eis ambulo. Quapropter diabolo reſiſtite, ne lumen claritatis deficiat vobis, ſicut illi propter ſuperbiam ſuam ablatum eſt. Qui enim interdum labuntur, & iterum ſurgunt, non carebunt hereditate gratiæ Dei, ſed in turbine vindictæ Dei incurvantur: & tamen deinde reædificat Deus in eis radicem primæ inceptionis ſacrificii virtutis Dei. Et dico vobis qui plantatio Dei eſtis, ſuper locum veſtrum myſtica Dei dicunt hæc: Numquam delebo te, cum mihi non reſiſtis in impia temeritate, quæ non deſiderat ablui, velut etiam oſtendit temeritas diabolicæ artis, ut prædictum eſt, in benedictione Abrahæ, lux vivens te benedicit.

EPISTOLA LXXIX. N. PRIORIS de Zvvifelda.

Quomodo collapſam in ſuo monaſterio diſciplinam valeant reparare.

DOminæ ſuæ de S. Ruperto dilectiſſimæ HILDEGARDI ſancti-Spiritus cohabitatione reverendiſſimæ, N. prior de Zvvifelda cum ceteris fratribus ſuis, quorum Deus nomina novit, debitæ orationis exhibitionem.

Si bene valetis & proſperis ſucceſſibus ad vota polletis, hoc omnimodis expectamus. Ceterum quia abyſſus deſperationis in reparanda cœnobii noſtri religione vallavit nos, & pelagus irrationabilitatis ejus cooperuit capita noſtra, humiliter & ſuppliciter ante faciem veſtram proſtrati, conſilii veſtri ſolatium cum omni devotione expoſcimus. Speramus enim quod veſtris orationibus apud Dominum obtinere poſſitis, quatenus per Spiritus-ſancti revelationem aliqua nobis profutura denuntiare debeatis: quoniam quorumdam fratrum noſtrorum importunitate multotiens gravamur. Hæc omnia rogamus veſtram ſanctitatem, ut ſtyli non dedignata viciſſitudine nobis reſcribatis. Valete & pro nobis peccatoribus, obnixius Dominum rogate.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Arguit eorum negligentiam, hortaturque ut reſipiſcant.

SErena claritas dicit: Fortiſſima lux divinitatis integre ſcit & novit omnia. Quis tangit intellectum iſtum, aut quis comprehendit eum, niſi ille qui videt in ſaphirino oculo, quod Deus pater ſuper omnia tam immobilis eſt in juſtitia ſua, quod nullam iniquitatem dimittit indejectam, quia ipſa illum tangit? Et Deus Pater in ſemetipſo ita delectatus eſt, quod omnem creaturam per verbum ſuum creavit: unde & creatura ſua ei placuit, & creaturam illam amplexatus eſt, quæ ipſum tangit amando eum, ô magna delectatio hujus operis. Deus Pater immobilis eſt in rectitudine ſua; ſed iniquo parcit per Filium ſuum ad parendum admonitus. Nam Verbum ſuum carnem factum inſpicit, & recordatur quod per verbum ſuum omnes creaturæ factæ ſunt. Secundum hunc modum etiam ſancti Dei illum in admonitione tangunt in ſua clara voce, ſimili candida nube volante quaſi volatilis aër aquæ. Audite ergo qui erumpitis in criminibus veſtris.

Mons

Mons Domini idcirco vocamini, quod A filium Dei imitari debetis per conversationem vestram. Quare ergo materna viscera caritatis & rectitudinis negligitis, similes existentes illis, qui in Oreb corpus suum in lego castigabant, & iterum in alia via errabant, sicut etiam illi speculatores faciunt, qui in alta voce in custodia sonant; sed tamen civitatem in insidiis perforant. Mens vestra est quasi nubes quæ tempestates portat, modo iracundiam in negligentia, modo sordes pecorum in petulantia habens, ubi pacificam hostiam negligitis dicentes: Nolumus resistere nobis, qdia corpus nostrum non possumus accingere in constrictione, quoniam nati sumus de Adam. Nam vos in palatio regis non vultis restringere jecur vestrum ut debetis. Cur ergo non erubescitis, quod quasi a stabulo asinorum erepti, & in magnum honorem ceremoniarum sanctificationis per supernum Dominum positi, verum ad stabulum asinorum recurritis? O væ in hoc similes facti est Balaam, qui insaniebat in vulneribus ferventium cicatricum, furens in regione umbræ mortis. Nolite ergo relinquere montem sanctificationis in vanitate voluptatis. O væ turpitudini, quæ projecta est retrorsum in alienum locum. Nam illi pereunt qui prævaricantur in sancta institutione. Apprehendite autem disciplinam, & ne erretis in via justitiæ, quasi legem non habeatis, & quasi sol non radiet super thuribulum benedictionis, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa, cum in prævaricatione jacetis. O metuenda & veneranda sacrificia, quæ incredulitatem idolorum non habent, nec sarcinam percutientium vulnerum. O væ dolori miseriæ, quia Deus destruet in vobis murmurationem Ninivitarum, nisi citius curratis ad olivam sanctificationis. Quare estis curvi in mendaciis istis, quasi cœci non sitis? Sed cœci estis, cum non prævidetis causam illam in qua nati estis per casum Adæ, & cum eam habetis in brachio amplexionis ridentes & cachinnantes quasi eum non habeatis. Fugite ergo hoc & nolite peccare, ut cito veniat salus vestra. Videte & ambulate in recto itinere.

mirabiliter in vobis glorificavit, quam de fragili massa assumtam thesauris gratiæ suæ novo ordine adimplere curavit. Vestræ itaque claritati congaudemus, nosque nostraque omnia vestris orationibus suppliciter commendamus. Rogamus etiam pietatem vestram; ut cum divinæ visioni insistitis; commonitoria verba ad nos dirigatis, & quomodo a via negligentiæ ad viam correctionis redire debeamus, nobis ostendere non negligatis. Valeat in Christo vestra dilectio.

EPISTOLA LXXX. MONIALIUM Zvvifildensium.

Ut ostendat quomodo a via negligentiæ ad viam correctionis debeant redire.

HILDEGARDI speciali gratia divinitatis illustratæ, humilis Zvvifildensium sororum cœtus, in acceptis cœlitus donis amplificari.

Omnipotentiam suam divina clementia

B RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut superbiam vitent, nec sint saltatrices, nec extra monasterium prodeant, & ad primam desponsationem redeant.

QUi omnia videt, & quem nihil latet dicit: Quidam vir nobilis copulavit sibimetipsi cum summa diligentia sponsam valde pulchram in facie, cum saphirinis oculis, cujus statura æqualis erat & non tortuosa in ulla diversitate; sed speciosa in omnibus ornamentis. Ipsa quoque valde C amabilis fuit in omnibus moribus suis: ita quod eam decebat omnis symphonia in citharis, & in omni genere musicorum: talis etiam existens, quod noluit esse concubina, nec saltatrix in habitu meretricio, & quod nolebat vagari per diversas plateas, nec loqui ad irrisionem juvenum. O vanitas & spurcitia diabolicorum jaculorum! & ô ignominia lasciviæ puellarum! contremisce sermonem istum. Cum feminea forma subtrahat se a junctura mariti, propter Deum nolens viro copulari: O quam magna nobi- D litas in illa tunc est, quia ipsum decet desponsatio superni regis, quoniam carnalem virum recusavit, & sic debet amplecti Deum, & adhærere Domino suo, quia terrenum virum non habet. Nam ipsa debet sic permanere ut Eva fuit antequam eam Deus Adæ repræsentaret, cum illa tunc non ad Adam, sed ad Deum aspexit. Sic mulier faciat, quæ propter amorem Dei carnalem virum recusat. Ad Deum aspiciat, & non ad alium virum, quem prius habere nolebat. Sed valde durum & amarum est propter dolositatem antiqui serpentis, quod viriditas carnis in seipsa semper arida sit. Attamen cum mulier fortissime armata fuerit, E ita quod in thalamum superni regis se collocat, & quod ipsum regem dulcissima caritate amplectitur, nolens colere officium carnalis ardoris in concupiscentia: Sed volens vultum animi sui ponere in Deum, recusans voluptatem carnis suæ, tunc aspiciat ut aquila in solem, & ut columba per fenestras suas cogitans & studens quomodo animum suum abstrahat de divitiis & deliciis sæcularibus, & de consortio carnalis

viri. Et ideo femina quæ non vult ire in thalamum carnalis viri propter dilectionem Dei, debet in spirituali vita mecum esse, qui sum sine initio & sine fine, nec sit in furtivis amplexibus rusticum occulte amans. Sed si hæc fecerit, non est mecum, quia vipereos mores habet. Quapropter mulier quæ ita fervet, quod non potest sæculum derelinquere, non in periculum, nec in altum montem ascendat, ne postea in lacum mergatur, quia mihi prius desponsata fuit, & deinde ad carnales amplexus ivit. Nam Virgo MARIA in calore Spiritus-sancti jocunda fuit, & virginitas ejus floruit. Sed nulla feminea forma hoc incipiat, quod Spiritus-sanctus in illam non misit, ne postea vacua remaneat. Mulier quæ ad me vult respicere, non sit in diversitate dispersi cordis super ambitionem hujus sæculi, nec sit tortuosa per flagrantia magniloquia superbiæ, sed sit stabilis in omnibus ornamentis virtutum, & in nobilitate caritatis & justitiæ, quæ dominantur in omnibus speciosis superni regis. Nunc, ô tu turba puellarum, audi quod superna vox ad te sonat. Noli esse concubina, nec in altam vanitatem superbiæ mentem tuam pone: ita quod velis honorem regis discernere unicuique secundum statum suum, cum putas quod mihi non sit possibile, ut discernam solem & lunam & cetera ornamenta cœli. Meretrix omnia quasi similia & æqualia habet, videlicet principem ut rusticum. Qui sic facit, inhonorat me, sapientiam similem faciens ignorantiæ, & pietatem vanitati, ac ceteras virtutes similes cupro. Nunc, ô vos puellæ, nolite esse saltatrices, in similitudine pessimorum morum, secundum quod vobis placet, ne in alterutrum decipiamini in omnibus rebus si sic feceritis. Nam saltatrix unicuique secundum voluntatem illius saltat, sed & apertis ostiis ne ambuletis propter sordiditatem mentis vestræ, nec nutum faciatis in lascivis nutibus per petulantiam latitudinis vestri cordis, quasi in plateis illud amantes quod contemsistis in amplexibus regis, cum rusticum pro regio amore in amplexus vestros ponitis. Unde mulier qu.. non vult habere *consortium* carnalis viri, non sit ullo modo in aperto, quia hoc non decet eam; sed in *occulto* corpore & mente velut columba in caverna maneat, ne eam accipiter, scilicet virilis animus arripiat. Nunc tu, ô turba, citius surge ad primam & ad regalem desponsationem primi & principalis viri tui. Ipse enim vocat te. Emenda ergo & corrige quod illum offendisti, & suscipiet te in æterna salvatione & vives.

EPISTOLA LXXXI. A. PRIORIS & conventus de Monte S. Disibodi.

Conqueruntur quod apud ipsos educata ipsit non rescribat, nec commonitoria verba transmittat.

HILDEGARDI gratia Spiritus-sancti veriſſime repletæ, A. monachus indignus & prior de Monte S. Disibodi cum fratribus ejusdem loci, de virtute in virtutem ascendere, & Deum deorum in Sion videre.

Cum in exteras regiones verba admonitionum vestrarum mittatis, & quamplurimos viam rectitudinis desiderare faciatis; nos qui vos fere a cunabulis novimus, & apud quos per plurimos annos fuistis, miramur cur verba cœlestium visionum nobis sitientibus subtrahatis. Scimus enim quomodo apud vos educata, quomodo docta, quomodo conversata estis; quia non alio quam muliebri operi instituistis, non aliis codicibus quam simplici psalterio imbuta estis, & sine querela bonam & sanctam conversationem dilexistis, sed divina pietas cœlesti rore, ut voluit, vos imbuit, & magnitudinem secretorum suorum vobis aperuit, & cum in his vobis congaudere debemus, Deus vos nobis nolentibus eripuit, & ad alios homines transtulit: quod cur fecerit perscrutari nec scire possumus; sed tantum hoc nolentes & volentes in multa *perturbatione* sufferimus. Nos enim sperabamus salutem loci nostri in vobis sitam esse: sed Deus aliud quam vellemus disposuit. Nunc autem quia voluntati Dei resistere non possumus, ipsi cedimus & vobis congaudemus, quoniam plurima hucusque invisa, hucusque inaudita per divinam revelationem manifestastis, hucusque clausa reseraſtis. Nam Spiritu Dei plena, multa scribitis, quæ ab homine non didicistis, quæ sancti & docti viri mirantur. Eapropter quamvis longe a sanctis simus, quia peccatores existimus, supplices rogamus, ut tum pro gloria Domini, tum pro antiqua & justa familiaritate memor nostri sitis, & verba consolationum nobis porrigatis, & nobis apud Deum subveniatis: ita ut quod in nobis minus est, Deus per merita orationum vestrarum in nobis supplere dignetur. Valete.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Ut ad Deum redeant.

IN vera visione vocem audivi hæc adversum injurias, quas & spirituales & sæculares contra justitiam proferunt dicentem:

O justitia tu peregrina & advena es in civitate illorum, qui sibi componunt & eligunt parabolas de officio propriæ voluntatis suæ, nec ad tua mysteria, nec ad amicitiam tuam anhelant, quæ es purpurata amica regis. Unde clamas propter sortem illam in qua non quiescit ulla justitia, & in ærumnis dicis: Valde erubesco, ita quod faciem meam sub pallio meo abscondo, ne mihi insidiantes me videant; sed ipsi dicunt; quodcumque ex nobis est omnibus prodest. Quapropter, ô justitia, magnum zelum habes ita quod reus judicii est qui tibi resistit. Et iterum in ærumnis dicis: Unde venis? De sinu Patris, & omnes regiones mecum collectæ sunt; sed & ubi positæ sunt omnes staturæ populorum, ac omnia instituta generationum, ibi aderam, & sic columnæ nubis in me erectæ sunt. Nunc autem sum tædium illorum, qui in prima radice in me orti sunt. Quapropter antequam in his doleam propter ignorantiam populorum suspiro, & tamquam inundantes aquæ sic rugitus meus in alta voce sonitus aquarum multarum, propter nimietatem stultorum hominum in garrulitate morum ipsorum, & in strepitu inhonestatis. He, he, ô aquilæ, quæ in me transistis per ignem Spiritus-sancti, & per aquam recuperationis quasi auroram rutilantem & quasi gemmam coruscantem, nunc dormitis, & ut stulta animalia estis, quæ interdum procedunt & interdum retro incedunt, & interdum se invicem ambulando intermiscent. Sed & de hoc monte filiorum Dei hæc in mystico Spiramine vidi. Montem multæ magnitudinis vidi, in cujus vertice vir magnus sedebat, qui in utraque manu sua legem Dei quasi in carta scriptam habebat, sicut de Moïse scriptum legitur. Et sub pedibus ejusdem viri quædam turba hominum spiritali circumcisione circumdata erat, qui omnes instrumenta ipsius legis cum gaudio & cum suspirio susceperunt dicentes: ô Domine Deus noster, quando ad te veniemus, libenter tibi obediemus; sed tamen interdum in quamdam turbinem se miscuerunt, & aliquando multa crimina inter illos fuerunt, quæ tamen multis lacrymis abluerunt in aspersione sanguinis CHRISTI-JESU. Nam cum homo in tam magnis peccatis jaceret, quod se de illis in nulla viriditate per seipsum erigere valeret, dixit Deus: Volo hominem per memetipsum erigere, ac denuo in visceribus misericordiæ plantare: ita ut in speculo confessionis resideat, qui se de visceribus diaboli per seipsum eripere non potuit. Sed ego pauperecula, quamvis multa crimina in his viderem, superbiam tamen in eis non vidi, quæ per contumaciam in jactu lapidum peccatores contemnit. Sed sub pedibus istorum aliam turbam hominum conspexi, candida nube circumdatos, & pulchras facies habentes ac in cœlum aspicientes: qui tamen petulantiam cum suscitatione multarum inutilitatum, sicut pingues tauri interdum adierunt: ita ut cum cœlum aspicerent, arcus suos intendentes sagittas contra cœlum emiserunt, atque plumbeis fustibus contra cœlum percusserunt, & sic posuerunt in cœlum os suum & lingua eorum transivit in terra. Unde tonitrua super eos venerunt, & grandines super eos ceciderunt, atque multæ nebulæ eos obtexerunt. Et murmurabant quare hujusmodi squallores eos ita circumvallarent. Et gratia Dei illis sic respondit. Ad magnam beatitudinem vos collegi; sed in temeritate vestra me abjicitis cum dicitis, quis ad vos pertingere possit, aut quis sermo vos vincat, aut qui colles, aut quæ lingua vos percutere valeant? sicut etiam filii Israel Deum neglexerunt, cum per benedictionem Abrahæ cornu benedictionum super eos erexit, ac in sinum suum per lætitiam honoris levavit. Sed illi in fraude murmurabant, ac in temeritate Deo resistebant, ac sanctitatem pereffusionem sanguinis Christi reliquerunt. Tunc benedictio in illis retrorsum abiit & evanuit: quia ad casum mortis se declinaverunt. Et Deus de sacrificiis & de holocaustis illorum aliam civitatem ecclesiæ ædificavit, usque dum omnes aquæ puteorum educantur in vallem nigrarum nebularum. Et tunc omnes aquilæ in circumeunte rota in unum gregem congregabuntur: quia ipsæ prius in benedictione erant. Sed & aliam turbam hominum sub pedibus istorum vidi ante quorum oculos aries in spinis aurei coloris pendebat: quem cum odore myrrhæ & thuris & cum fulminante vultu inspiciebant, & de manibus magni viri illius, qui in vertice ejusdem montis sedebat; quidam rivuli ad pectora illorum effluxerunt. Et illi clara voce ad sinum sapientiæ sic clamaverunt. Deus olim nos in multis sacrificiis congregavit; sed nos omnes in multis obligationibus delinquimus: unde super torcular positi sumus cum propheta dicentes: *Torcular calcavi solus & de gentibus non est vir mecum.* Et verum ubi sagena missa est in mare, & ex omni genere piscium congregabat, sicut illi piscantes elegerunt pisces bonos in vasa, sic gratia Dei elegit illos ad gloriam, qui humiles corde sunt & devoti in timore Domini, rapinas non intendentes. Nunc autem prima vox quæ vos ad laudem Dei congregavit, faciat vos in radice boni sicut primos, qui in partibus templi consecrati sunt. Sed tu, ô mons, audi in admonitione Dei, Deus te constituit sicut montem Sinai ad sacrificandum ei hostiam laudis. Nunc autem ad Deum convertere, & esto candelabrum regis: ita quod non erubescas in prima radice tua, sicut dextera Dei te plantavit.

EPIST. LXXXII. MONACHORUM S. Eucharii Trevirenſis.

Admonitionis ipſius ſtimulis excitari deſiderant.

HILDEGARDI ſponſi cœleſtis amplexibus jugiter inhærenti, necnon omnibus ſecum in Chriſto converſantibus, cœnobii S. Eucharii Trevirenſis omnis conventus, id quo nihil eſt melius.

Quicumque voluntatem Patris qui in cœlis eſt facere conantur, ipſi fratres, ſorores, & matres Domini vocantur. Quiſquis vero alios commonendo quaſi lactando in melius pertrahere ſtuduerit, hic dignitatem matris ſpecialiter obtinebit: Unde non immerito te præ ceteris velut matrem in Domino veneramur, cujus conſolationis & eruditionis uberibus in intimis affluenter reficimur. Ipſum quoque qui facit mirabilia magna ſolus tecum magnificamus. Qui hæc a ſapientibus & prudentibus hactenus abſcondit, quæ mirabiliter diebus noſtris humilitati tuæ revelavit. Proinde quia viam mandatorum Dei corde dilatato currere non poſſumus, admonitionis tuæ ſtimulis excitari, prout tibi Deus dederit, vehementer deſideramus. De cetero indubitanter cognoſcas, quia in litteris tuis, ſcilicet in libro *Scivias* delectati ſumus, ſicut in omnibus divitiis. Denique ſanctis orationibus veſtris nos apud Deum adjuvari & conſiliis præmuniri humiliter depoſcimus.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

Eorum ſanctam laudat converſationem.

VOs qui tunicam Chriſti induiſtis ac eum imitari vultis, audite quod Pſalmiſta dicit: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui aſcendis ſuper pennas verborum.* Quid eſt hoc? In conſtitutione mundi poſuiſti nubem aſcenſum viventium volatilium, quæ in altitudine aëris ſunt. Quod etiam ſic eſt: Deus præſcivit quod ſpiritualem populum in ſemetipſo conſtituturus erat, ut propheta dicit: *Qui ſunt hi qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Mentes ſpirituales velut nubes ſunt, quæ eſt quaſi materia luminarium, ſcilicet ſolis, lunæ, & ſtellarum. Sic etiam obedientia velut materia eſt humilitatis, caritatis & aliarum virtutum, in quibus fideles quaſi columbæ volant, cum per ligaturam propriæ voluntatis deſideria ſua a ſe abſcondunt: ita quod per cavernam innocentiæ in ſolem aſpiciunt, quaſi homines non ſint in voluntate carnis ſuæ. Et ſic creator omnium ambulat ſuper pennas ventorum, cum ſupernus Filius in humilitate caſtitatis pulcher flos proceſſit, ac ita in manſuetudine permanſit. Unde ſcriptum eſt: *Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem, & manſuetum, & trementem ſermones meos?* Hæ ſunt alæ ſpiritalis populi: Sed qui iſtis carent, velut volatilia cadent, quæ pennas volandi non habent. In his etiam convertitur multitudo maris & fortitudo gentium venit. Nam innumerabilis turba hominum ad iſtas alas currit. Sed quidam inter illos reſpiciunt ad aquilonem per turbinem vanæ gloriæ ac ſuperbiæ & per ſuperfluitates ſæcularium morum in ſemetipſos confidentes, nec pſalmiſtam ſequentes qui dicit: *Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus.* Quid eſt hoc? Multo melius & utilius eſt aſpicere & volare in nubem per tunicam Chriſti, quam confidere in ſe, velut in cauſa perditi angeli factum eſt, qui in ſuperbia illum ſuperare voluit ante quem ſic ſtare non potuit, ſed in abyſſum quaſi plumbum cecidit. In hac ſuperbia etiam Adam vitam fugit, & alienam peregrinationem invenit, in qua in patrem ſuum quaſi in alienum in peregrinatione ſua aſpexit: quem ante bene cognoverat, cum innocens in humilitate fuit. Sic etiam filii hominum in ſemetipſos confidunt, decepti velut ſpem habentes in principibus. Sed cum Deus clamavit: Adam, ubi es? præſcivit quod factura digiti ſui omnino perdenda non eſſet, ſed quandoque redimenda, ut ſcriptum eſt. *Redemiſti virgam hereditatis tuæ, mons Sion in quo habitaſti in eo.* Quid eſt hoc? Deus hominis recordatus eſt, quando per mulierem caput ſerpentis contrivit, ubi Verbum caro factum eſt & mons Sion fuit, in quo Deus habitat in humilitate. Et filius in corde patris. Nunc autem tu congregatio congregata audi, ut ſis mons Sion. Nam Deus ab initio præviderat quod omnem creaturam facere voluit. Verbum etiam Patris in Virgine. Virga homo ſurrexit, & ipſa virga materia omnium virtutum ſanctitatis fuit, de qua & vos ô ſpirituales populi veniſtis. Eva enim omne genus humanum protulit: iſta vero virga illud in ſua viriditate denuo reparavit, quando de ventre ejus Filius Dei exivit. Quod ſic ô ſpiritualis mons Sion eſtis, quia Pater in Verbo ſuo vos plantavit. Nam & filius excelſi Patris in tabernaculo MARIÆ Virginis habitavit, & ſicut fortis Leo de illa exivit: ita quod totus mundus ipſum vidit, qui & vos ſpiritales populos in ſemetipſo congregavit, cum ad eum velut nubes volantis, peccata veſtra non in voluntate operis portantes. Ipſe enim ſine peccato fuit. Et tunc eum imitamini, ubi poſt illum ambulatis, cum voſmetipſos ne peccetis repudiatis, non exiſtentes tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ, nec ut venenum aſpidum, nec quaſi plumbum

in aquis vehementibus ; ſed cum in vana gloria curritis, tamquam pulvis eſtis, qui hac & illac ſpargitur, & qui fructum juſtitiæ non ſeminat, nec vineam electam plantat ; ſed qui magnam famam producit & & animas veſtras lædit : cum vero in malignitate ſuperbiæ eſtis, venenum aſpidum inſanibile concipitis, quod vos mortificat. Cum autem inquietudo mentium inter vos exſurrexerit, eſtis quaſi plumbum, quod in puteum vehementer cadit. Nam vana gloria & malignitas viſcera ſuperbiæ ſunt, & quæ ſic cum inquietudine mentium invicem implicantur, odium ac invidia illis miniſtrat. Unde pax & ſecuritas ibi fugiunt, & caritas Chriſti recedit, & qui in illis malis ſunt cadent quaſi plumbum in aquis vehementibus, quia alas ſublevationis non habent. Nam zelus Domini in ultione ſua ſuper illos clamat, ut olim intonuit cum ſuperbum inimicum in abyſſum dejecit, ut pſalmiſta dicit : *Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto.* Nam Deus elevabit ſanctiſſima opera cum lucem a tenebris diviſit, quia ibi ſuperbia cum omnibus viſceribus diaboli in finem cecidit, cum ad aquilonem reſpiciens, ſeutum ſuum in nihilum poſuit, ubi etiam omnino periit. Sed tamen deinde iterum ſuperbia in hominibus multas civitates abſque longitudine dierum ædificavit, & pœnas pœnis addidit, ac ruinas in multitudine ærumnarum fecit, ubi homines dixerunt : Deum neſcimus, nec eum colere volumus. Et ſic malignatus eſt inimicus in ſancto. Nunc autem vivens lux ad filios turbæ iſtius dicit : vos parietes templi eſtis, quia primitiva eccleſia vos plantavit, unde vanam gloriam & ſuperbiam, ac turbinem multarum inquietudinum fugite. Nunc viventibus oculis hæc videte, & audientibus interioribus auribus hæc audite. Locum autem veſtrum in diſperſione non video, quamvis multa flagella paſſurus ſit. Vivite ergo & vigilate in Deo. Nam etiam in vera viſione quoſdam in iſta congregatione vidi ut auroram rutilantes, quoſdam ut ſaphyrum fulgentes, quoſdam ut lucem ſtellarum lucentes. Qui enim ut aurora rutilant, hi timorem Dei habent, & præcepta regularis legis propter Deum libenter cuſtodiunt. Quamvis per carnem velut victima quæ ad occiſionem ducitur, interdum deviare videatur. Qui autem ut ſaphyrus fulgent, caritatem Dei habent, & ideo gravia peccata non operantur, quamvis peccent, & etiam propter delicta ſua libenter ſe caſtigant, & hæc in conſuetudine habent. Sed qui ut lux ſtellarum lucent, benevolentiam habent, & ideo cum hominibus non rixantur, ſed laſciviam puerilium morum tenent, & a gravibus peccatis libenter ſe abſtinent, ac ea odioſa habent. Et alios in nigritudine amari fumi propter conſuetudinem ſqualidorum morum vidi : in qua quidam propter proprietatem mentis ſuæ amari ſunt, & facultates diligunt, & ideo ſpiritualem conſuetudinem non amant ; ſed illos qui in ſupradictis tribus modis ſunt ſæpe affligunt. Et audivi vocem de cœlo clamantem : Quamdiu congregatio hæc in his tribus modis detinetur ; a Deo non relinquitur. Sed & ad illos qui in prædicta nigredine erant, eamdem vocem audivi dicentem : Surge, aquilo, & veni auſter, perfla hortum meum, & fluent ante illum. Quod dicitur : Recede malum iniquitatis, & veni bonum juſtitiæ, & irriga virtutibus plantationem ſanctitatis, ut fulgeant in ea opera quæ non marceſcant. Aquilo enim ſunt rixatores, qui verbis rixæ & excuſatione avaritiæ & provocatione injuriarum dulces & utiles herbas virtutum proſternere volunt, quemadmodum aquilo univerſa præcipitat. Sed illi quos hoc modo affligunt, patientiam ſic diſcunt, & lacrymabili gemitu pro ſuis & iſtorum peccatis ad Deum clamant : unde etiam aliquando tædioſi ad peccandum ſunt, & ob hoc fumus aromatum ex cordibus eorum aſcendit, quem angeli ſuſcipiunt, & ſic per aquilonem viriditas bonis tribuitur. Illi etiam qui facultates libenter habent, his qui in tribus præfatis modis fulgent aliqua objiciunt, ut confundantur, & etiam neceſſariis cauſis obedientiarum ſuarum, quærunt quomodo eos affligant, ac multotiens in immunditiam carius ſe involvunt, velut porcus qui ſtercori involvitur ; & nutibus ſerpentini oculi cum graviſſima conſuetudine interdum alios fatigant. Sed vos qui injuſtitiam diligitis, hanc ammonitionem memoriter tenete : ita ut facultates propriæ voluntatis veſtræ idolatriam eſſe cognoſcatis, & ab angelicis ordinibus, ſcilicet ſpiritalis populi ſeparatas, quemadmodum idolum fallaciæ a vero Deo ſeparatum eſt, ac etiam alia peccata relinquite ; & ad ſalientem fontem ut lavemini fugite. Lavacrum quoque pacti illius quo mundum reliquiſtis inſpicite, quatenus a peccatis recedatis, ac ſtudete ut ſacrificium veſtrum pingue fiat ; ita ut perſeveretis in bono quod incœpiſtis. Quandocumque enim homo voluntatem ſuam in rota carnis ſuæ mactat, ſacrificium Deo eſt. Hoc enim ut ſacrificium Abrahæ Deo acceptabile eſt, cum ille filium ſuum ad ſacrificandum Deo obediendo ligavit. Manus enim domat qui prava opera dimittit, & pedes ligat qui itinera propriæ voluntatis ſuæ conſtringit, ac inclinatus obedit, ut caput ad gladium Iſaac inclinavit, & corpus domat qui carnalem concupiſcentiam abjicit. In his victoria eſt quæ vexillum portat : quod in bono rumore, & in ſuavibus odoribus virtut-

tum redolet. Qui hanc habet, coram cunctis inimicis suis securus incedit. Hoc autem modo sacrificium pingue fiet, velut vitulus saginatus, qui absque omni macula erat, per quos anima macie deficit, quia bonum plenum pingue est. Christus enim injuriis fatigatus non peccavit, & in hoc patientiam sanctorum sanctificavit: unde & vos fideles, corda vestra ad illius prælia qui vobis exemplum dedit præparate, & sollicitudinem illorum quorum non indigetis abjicite, & ut in alpha & omega appareatis studete. In sensualitate enim peccatorum obtenebrati estis; sed cum a peccatis surrexeritis pulchræ formæ virtutum in vobis apparebunt, quapropter & dextra Dei vos protegat.

EPISTOLA LXXXIII.

N. prioris & monachorum Cistellensium.

Ab ea vescire desiderant quid in ordine displicet Deo.

HILDEGARDI honorandæ & sinceræ caritatis ulnis amplectendæ dominæ & magistræ sororum de S. Ruperto in Pinguia, N. prior indignus totaque pauper & humilis congregatio Cistellensium fratrum, inter choros virginum sequi Agnum quocumque ierit.

Locorum interstitio sejuncti, quia desiderabili præsentia vestra frui corporaliter non possumus, litterarum officio salutare vos & alloqui gaudemus, quippe quam in Christo veneramur, ut superiorem, & apud Deum mediatricem habere speramus, ut carissimam matrem. Audita namque fama vestræ bonæ conversationis & in Dei... fidelis administrationis, pro vestra stabilitate & orationis obsequium, & ad Deum pro vestra salute exhibemus ministerium. Hanc igitur, ô domina, salutatoriam vobis scribimus epistolam, ut & nostri memoriam faciatis, & subditis vobis eadem facere studeatis. Nam multa audivimus de vobis, unde valde gaudemus, ut possitis arcana Dei scrutari, & de occultis suis non modica manifestare. Proinde clementiam vestram petimus, ut quod in nobis & in ordine nostro, scilicet monastico, vobis immo divinis oculis displicet, secundum quod Deus vobis ostenderit nobis rescribere non ambigatis. Vale.

RESPONSUM S. HILDEGARDIS.

EGo fons vivus, qui propter nomen meum tunica mea induti peregrini sunt in vexatione mundi. O plangendum & lugendum est quod cœlum ruptum est, & quod dies obscuratus est. Nunc ergo denarius revocandus est in atrium vocis laudis. O filii Israel, quare corrumpitis dulcissimam caritatem, quæ in me alto in profundum aspiciente fluit pleniissimo opere. Et quia ipsa fluit in me, ideo fluunt etiam de ipsa aquæ vivæ. Ipsa autem stat in forma virgæ, quia sicut in virgine dulcissimi amplexus sunt propter integritatem ejus; sic etiam caritas habet dulcissimos amplexus virtutum. Sed modo luget, quoniam temerarii scindunt illam per garrulitatem murmurationis suæ. Unde etiam fugit ab eis in altitudinem illam unde venit & plangit: quia filii ipsius, quos plenis uberibus enutrivit, deficiunt, nolentes tergi a putredine volantium mentium. O ipsi miseri, quare adjungunt se miseriæ alienationis & peregrinationis, auferentes se de visceribus regalium nuptiarum novæ sponsæ, quæ semper præparata est sponso suo, sicut virgo viro suo, cum illi nondum in cognitione conjuncta est, sed cum adhuc integritate sua incorrupta manet; & isti a sponsa illa se separant, & ideo obtenebrati & obnubilati sunt, quasi cœlum fregerint. Quid est hoc? sicut firmamentum cœli in omnibus ornamentis suis, scilicet in sole, in luna & stellis illustrat orbem, & sicut faber de lignis facit ligna, de lapidibus lapides, & de aliis instrumentis alia instrumenta; sic & isti deberent reliquo populo lucere & bonum iter ostendere; sed caritas in eis scissa est, ita quod virginitas quæ deberet in eis lucere sicut sol, & viduitas sicut luna, & reliquus populus sicut stellæ in lumine suo, deficiunt, quia dulcia materna viscera illos non calefaciunt, sed tortuosa mulier plena rugis & nigredine, plena vipereis moribus, ac stridentibus dentibus horribilis existens in his omnibus quæ facit, pessime istos secundum mores porcorum emittit; qui debuerunt sancti & electi & relinquentes sæculum esse. Ipsi enim vestem innocentiæ scindunt in semetipsis in spinatis moribus, in iracundia, & corrumpunt vitalia sua in ignominia, & frangunt capita sua in ira. Viventes oculos suos in desperatione excoecantes & omnia indumenta sua per stultitiam morum coinquinantes, & se sapientes super magistros suos existimantes. Heu! heu, filii Israel, in primo ortu vestro non constituit vos sic mysticum & aureum. *Reliqua desiderantur abscissis a mss. codice tribus sequentibus foliis.*

EPISTOLA LXXXIV. HENRICI abbatis & conventus montis S. Disibodi

Ab ipsa rescribi desiderant quid in seipsis Deo displiceat, orant que ut vitam S. Disibodi scriptis commendet.

HENRICUS Dei gratia servus in monte S. Disibodi & provisor ovilis dominici cum tota congregatione fratrum suorum, venerabili matri dominæ HILDEGARDI de S. Ruperto radio divini splendoris, ultra humani sensus capacitatem, quod verissime scimus, illustratæ pleniſſime, donis septiformis sancti-Spiritus abundare, ac sitientibus pocula de eodem fonte causa divinæ remunerationis ministrare.

Quia, mater dilecta, omnipotentis Dei sancti paracliti Spiritus instinctu, necnon & jussione ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nuper vestram sanctitatem ad nos venisse cognovimus, eidem paraclito prout possumus, licet non condigne valeamus gratias incessanter referimus; quia ut veracitet fateamur, illustrationis ejus ardorem & tactum pleniſſime inter nos & in nobis persensimus, dum omnis odii & inimicitiarum fomenta per plures jam annos inveterata omnes uno animi consensu abjecimus, & in veræ caritatis unitatem pleniter, quasi in uno corpore & anima convenimus. Ea propter sanctitatis vestræ dilectionem obnixis precibus pulsamus, ut prædicti splendoris divina gratia vobis collati inspectu, per quem vestræ caritati clausa & ceteris mortalibus absconsa, oculis cordis vestri reserantur: quoniam ex debito debetis, quia cum sororibus vestris a nobis quamvis corpore, sed non spiritu, ut veraciter speramus & scimus, egressa estis. Si veraciter in vera caritate, quæ est initium omnium bonorum, convenerimus, vel si qua radix alicujus dissensionis inter nos adhuc lateat manifestetis; sed & de aliis quibusque majoribus, ut de minoribus admissis taceamus, quæ divinæ majestatis oculis contraria cognoveritis, nobis scriptis manifestare velitis. Super hæc unanimi consensu januam vestræ caritatis opportune & importune pro descriptione gestorum ac virtutum, necnon & vitæ patroni nostri, necnon & vestri beatissimi Disibodi, in cujus domo ab ipsis cunabulis nutrita estis, pulsamus, vestræque pietatis aures intime commonemus, atque obnixis precibus indefesse profusis expetimus: quatenus etiam memoria vestræ beatitudinis per hoc in laudibus ejusdem patris nostri habeatur, ut quidquid Deus de ipso vobis revelaverit, nobis aperiatis. Omnipotens Pater æternæ misericordiæ mentem vestræ caritatis lumine sui fulgoris inflammet; & obnixe desiderantibus pocula ad refocillandum subministret.

Responsum ad hanc epistolam extat inter editas S. Hildegardis epistolas, sed & vita S. Desibodi ab ipsa composita occurrit apud Surium 8. Julii

FRIDERICI II.
IMPERATORIS
EPISTOLÆ VARIÆ.

Ex mſ. Reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

FRIDERICI *ſecundi epiſtolas collegit olim Petrus de Vineis ejus cancellarius, diſtribuitque in libros ſex, quos eo avidius fecere publici juris heterodoxi, quo magis videbantur conviciis in pontifices Romanos aliquibus in locis conſperſi. Quaſi vero hujuſmodi convicia non in eos præſertim a quibus inferuntur, ſed in apoſtolicam ſedem reciderent. Contra Catholici his libris bene uſi ſunt hactenus, cum ad illuſtrandam hiſtoriam eccleſiaſticam, tum ad demonſtrandum quam male meritus ſit Fridericus de pontificibus Romanis, a quibus tamen beneficia ipſe non pauca retulerat. Hinc Mabillonius cum in codicem incidiſſet manuſcriptum Reginæ Sueciæ libros illos Petri de Vineis complectentem, collatiſque ſingulis epiſtolis quamaccuratiſſime cum editis, plures advertiſſet deſiderari, eas ſtatim publica luce dignas judicavit, curavitque exſcribi. Has ipſas hic emittimus, & ex his nonnullas pluribus in locis emendatas ad fidem codicis Colbertini & recognitas. Porro Fridericum ferunt pœnitentem e vita migraſſe, idque tradidere auctores permulti, quos inter hæc ſcribit VVilhelmus de Podio Laurentii:* Suum in fine recognoſcens errorem, exhiberi ſibi in morte funera imperialia, & plangi etiam interdixit, quod eccleſiæ inobediens & rebellis fuerit.

EPISTOLA PRIMA.
comiti Delphino.

Ut ſibi occurrat in Germaniam decenti militum turma ſtipatus, ſe interim Lugdunum contendere, purgaturum in concilio inuſtum ſibi nomen infamiæ.

FRIDERICUS H. comiti S. Pauli, dilecto ſibi ſalutem & omne bonum.

Quoniam ad offerendam purgationem ſuper nomen infamiæ perſonalem, qua in congregatione prælatorum apud Lugdunum citra Deum & juſtitiam iſte ſummus pontifex nos vocavit, regni noſtri ac totius Italiæ negotiis juxta deſiderium ordinatis, infallibiliter Lugdunum deſponimus nos transferre, & aliunde poſtmodum cum conſanguineis & fidelibus noſtris illarum partium in ſolemni colloquio celebrato in Germaniam dirigere greſſus noſtros; dilectionem tuam attente B requirimus & hortamur, quod ſicut honorem imperii & noſtrum diligis, ad diem & locum quem tibi latores præſentium fideles noſtri ex parte noſtri culminis dixerint præfigendum, occurras nobis cum * decentius & honorabilius poteris, & cum armis, & cum decenti armatorum ac militum comitiva, credendo infallibiliter ſicut nobis, quod ſuper præmiſſis & aliis ſervitiis noſtris ex parte celſitudinis noſtræ prædicti nuntii tibi retulerint viva voce, ut inſtantibus negotiis dilectionis tuæ ſinceritas imprimatur perpetuo in viſceribus cordis noſtri.

* Locum.

EPISTOLA II. PAPÆ.

Ab Antiocheno patriarcha recipi non veretur, utpote qui certam de ſummi pontificis erga ſe & ſuos dilectione tribuat fiduciam.

FRIDERICUS papæ &c.

Illuxit nobis, reverentiſſime pater, velut ex quadam nube ſerenitas, & obductam ex noviter contingentibus proceſſibus deſideratæ pacis eclypſim firma fiducia per venerabilem patrem A. patriarcham Antiochenum nobis oblata reducit in lucem. Cum enim patriarcham eumdem ab experta ſinceritate fidiſſimum, etiam a longis retro temporibus nobis præcipuum reputemus amicum, ab ipſo recipi nullatenus formidamus, qui nobis indubitabilem offert de veſtra paternitate fiduciam, & D

nos filios veſtros ſinceris affectibus diligere debeatis, eoque magis ad id inducimur & promtius animamur, quo de filiatione noſtra velitis affectione paterna confidere, dum nobis amicabiliter petitur petendum, per quod nos verſa vice de vobis in his quæ decus imperii reſpiciunt ſecure confidere debeamus. Propter quod in verbo ſuo rete laxare diſponimus. Vos quem orbi patrem divina proviſio contulit, nobis ex toto præcipuum aſſumere cupientes, vos etiam, ſanctiſſime pater, noſtræ devotionis obſequium tanto recipiatis hilarius, quanto Crucifixi ſervitiis exigente potiſſima neceſſitate, præ ... rerum ... tempore fore dignoſcitis opportunum, utque viciſſim utraque contracta fidentia Domino prævio ſemper in melius procedente, juxta paternitatis veſtræ conſilium promta devotione conſurgere peroptamus. Ceterum ſuper benevolentia & affectu, quem ad bonum pacis gerimus, & negotium terræ ſanctæ ea quæ magiſter domus Teutonicorum vobis ſuggeret indubie credatis.

EPISTOLA III.
quibuſdam cardinalibus.

Compoſitionem pacis inter ſe & papam eorum committit arbitrio.

FRIDERICUS quibuſdam cardinalibus.

Licet pater apoſtolicus, ut ſalva ſui gratia loquamur, ſpreto moderamine pacis quam offerebamus ex animo, imperceptibiliter ad partes profectus ſit ultramontanas, utinam non in ſcandalum generale; nos tamen ob reverentiam, quam ad matrem habemus eccleſiam, quam aliunde provocati offendimus, noſtram injuriam proſequentes, in eodem propoſito perſiſtentes, ad reformandam pacem, quæ jam poſita erat in termino, & ad ſatisfaciendum ſicut decet, totis viribus peroptamus. Et quia de quolibet veſtrûm tamquam de patre confidimus, & compoſitionis modum ſtudio arbitrii veſtri ſuper omnibus articulis duximus committendum, ratum habituri quidquid pro pace noſtra, ratione prævia, ſtatueritis. Illud autem adjicimus, ut in

compositione imperii non minuatur dignitas, nec in satisfactione excellentia propulsetur. Et ecce de latere nostro mittimus ad vos per quos quidquid *inveneritis* de modo compositionis in mente apostolica & venerabilium fratrum vestrorum, expectationi nostræ vestris litteris remittatis.

EPISTOLA IV.
Regi Franciæ.

Ne miretur quod impedivit transitum ad concilium.

FRIDERICUS Regi Franciæ, &c.
Petri navicula per gubernantium culpam & nautarum injuriam merente vel imminente naufragium, satis digna videtur ad JESUM vox illa clamantium, *salva nos Domine perimus*; nec imputari debet hoc pelagi fluctibus, vel flatibus aquilonis, cum casum culpa præcesserit, & negligentia tempestatem. Dum enim ecclesiæ puppis in altum plenis velis & aura prospera veheretur, nec pro nobis dormivit, nec dormire visus est dominus, sed ductorem navis & nonnullos ex nautis secundæ fortunæ dulcedine ebrios, peccatis exigentibus populi, dormire permisit, & adhuc utinam non dormirent, sed procul dubio dormiunt & ex somnio loquuntur, dum per guerrarum dissidia, quibus Romanum imperium fatigatur, cujus præsidio fides nostra evangelizata protegitur, ex impunitate crescente, quorumlibet etiam crescente licentia scelerum, juri præfertur injuria, perfidia fidei, & mendacium veritati. Pullulat hæresis, dum hæreticorum, videlicet Mediolanensium *manlio* vicinorum, semina noviſſima confovet. Istis omnibus prægravata Petri navicula mergitur, retia franguntur, gladius hebetatur, nec ad exonerationem ejus, clamante multotiens Domino: *Simon dormis*; sed Petri successor evigilat, nec qui dormierunt nautæ consurgunt, nec quod est solo dictu mirabile, manus ipsorum naufragium stupefacta deliquit, & velut a somnolentis a longe suffragia convocantur, quæ cum suspecta quibuslibet debeat esse vocatio, nobisque potissime dispendiosa censeatur, qui postquam ille specialis noster & generalis omnium Christianorum pater se * diffimulabilibus ingessit, ad exaltandam fidem Catholicam & eradicandam hæreticam pravitatem, sibi post oblata totius potentiæ nostræ præsidia, personam quoque nostram obtulimus, etiam CONRADUM carissimum filium nostrum in Romanorum regem electum, & regni Jerosolymitani heredem futurum, obsidem dare promisimus, ut inter nos & ipsum de prima discordia nec discerneretur scintilla, nec umbra dissidii videretur, qui utrique, sicut pro certo postea concepimus, annuisset, nisi quod Mediolanensibus & eorum sequacibus imperii nostri rebellibus, promissione contraria tenebatur. Hoc etiam, si in præsentibus verbo non asserat, confirmat effectu, dum porrectam ejus naufragii & auxilii manum, contradicentibus etiam sibi nonnullis ex nautis, recipere noluit, vel etiam veretur ut periclitantem Mediolanensem scafam temere suis oneribus obligatam, non solum in præjudicium nostrum, sed in dedecus omnium sæcularium dignitatem salvare velimus. Serenitas igitur regia non miretur, si nos vocatis ad vocationem hujusmodi, transitum terra marique paratis obstaculis prohibemus. Cum pro certo sciamus, quod non tam ad vocationis solatia, quam ad salutis nostræ dispendia convocantur; quod circumspectio vestra manifeste potest perpendere, dum nobis in sinu vestro secure ponentibus causam nostram sibi per nos oblatam, multotiens pacis ab eo sunt vilipensa consilia, ut repente nos perdere cogitaret, & eo impetu, ut nostrum ac generis nostri nomen perpetuo crederet abolere. Synodum etiam expectatam per nos ad ostendendas innocentiæ nostræ causas convocari prohibuit. Igitur non est mirum, si nos convenire vocatum ab ipso concilium pro nostra etiam læsione non patimur: per quod omnibus omissis adhærentibus nobis, rebelles imperii & nostros capitalissimos inimicos, sicut præmissæ nostræ vos docuerunt litteræ, convocavit, præsertim cum evitando mundi generali dissidio, necnon & terræ sanctæ præsidio, ad nostram præsentiam expeditius procurando, nos ad omnem tractatum concordiæ nostri & imperii jure ac honore servatis, nostrum rebellium junctione secluſa, per quoslibet pacis providos zelatores paratos nos semper obtulimus hactenus, & protinus offerimus.

* f. diffimulabilius.

EPISTOLA V.
Regi Franciæ.

Significat quare revocavit animum veniendi ad concilium Lugdunense.

FRIDERICUS regi Franciæ, &c.
Qualiter ad offerendam purgationem personalem super infamiæ nota, quum in congregatione prælatorum apud Lugdunum contra Deum & omnem justitiam iste summus pontifex nos vocavit, infallibiliter Lugdunum dispositeramus nos conferre, & ab inde cum consanguineis nostris ipsarum partium solemni colloquio celebrato, in Germaniam feliciter dirigere (gressus) nostros, magnificentiam regiam præcedentes excellentiæ nostræ litteræ docuerunt. Nobis deinde usque ad radices montium pro-

cedentibus inopinatus quin potius inopina-
(Rumor. bilis nobis * major occurrit, (a) quod quidam banniti noſtri, quos de civitate Parma conceptæ jam quidem contra nos & ſacrum imperium proditionis rumor ejecerat, poteſtate civitatis ejuſdem & quibuſdam ſociis ſuis nequiter interfectis, Parmam incredibiliter intraverunt. Quod cum cordi noſtro ſit prima cura præcipua de reformando ſtatu Italiæ, quem frequentes turbationes & ſubitæ concutiunt, juxta morem noſtrum propoſitum, quo ad partes intendebamus procedere tranſalpinas, ex cauſa prædicta proinde revocantes ad præſens, feſtinis greſſibus ingredimur verſus Parmam, in ejuſdem everſionis præcipitio indubitabilem fiduciam obtinentes, quod cum civitas ipſa locus ſit penitus immunitus, impugnantium obſtare niſibus imparata, milites fere ipſius omnes inceptæ rebellionis expertes, & magna pars populariorum cum eiſdem in noſtra devotione perſiſtant, extra civitatem manentes cum dilecto filio noſtro HENRICO rege Sardiniæ & ſancti imperii in Italia legato generali, qui cum eo proceſſerant ad obſidionem cujuſdam caſtri noſtrorum rebellium in Brixienſi, cum dicti banniti talia patraverunt. Cumque & circumcirca civitatum, caſtrorum, & locorum aliorum nobis & ſacro imperio parentium cincta ſit finibus civitas antedicta, in brevi eam ab errore reſipere, & nos cognoſcere oportebit, ad fidem & mandata noſtra redeundo voluntarie vel coacte, cum ſerenitas noſtra firmiter alta mente conceperit civitatem eamdem indefinenter & potenter arctare, donec ipſam ad noſtrum reducamus (b) dominium, venia vel vindicta. Ceterum ea quæ magiſter Marchiæ H. de Renellis & Margaritus capellanus, & dilecti filii noſtri vobis ex parte noſtra retulerint, indubie credatis.

A aliis, quorum fides modica fuiſſe convertitur, tanto promtior exponitur, & offertur, quanto dudum conceptæ deſiderium veritatis in neceſſitate clarius probari expetit & cognoſci: Nam contra omnes inimicos noſtros eccleſiaſticos & mundanos, & ſpecialiter contra papam & fautores ejus, & P. N. Comitem proponimus & diſponimus potenter & patenter inſurgere, & communem cauſam & honorem contra eoſdem communes inimicos modis omnibus defenſare; quod
B fidem probatæ jam fidei cum Deo coram nobis in tua perſona clarificat, ut de nullo viventium nobis certior fiducia præbeatur. Ex dignis laudum titulis gratiarum actionibus ſtrenuitatem tuæ prudentiæ proſequentes, cor tuum cordi noſtro conjungimus, & unanimitati tuæ corde etiam toto conformamur. Cum igitur tempus & cauſa requirant, quod de communibus inimicis vindictam ſumere valeamus, orbe terrarum pugnante pro nobis, propter eorum manifeſtam injuriam, contra eos mittimus T. nuncium
C ſpecialem noſtræ conſcientiæ gerulum, & intimæ conſcium voluntatis, qui de intentione, affectu, & propoſito noſtro te plene certum reddet & cautum, maxime quia idem velle pariter & idem nolle certum habere volumus & tenere. Tu igitur robores animum, & vires tuas in ea manu quam nobis exhibes, & nos ab experto concepimus tuæ confidentiæ puritatem, quia juſtitia viarum noſtrarum, comitatrix exiſtit... ſacerdotalis inſolentia ſui moris oblita, modeſtiæ fines egreſſa, pro evangelio ſcandalum prædicat, & ex orationis officio illicita bella pa-
D rat, in ſe ipſa corruet, velut quæ vias Domini prævaricari non deſinit, Domino exercituum nos juvante, qui vineam ſuam videt a malis paſtoribus diſſipari.

EPISTOLA VI.
Comiti Toloſano.

Regratiatur de clara fide & ut ab incendiis ſacerdotalibus ſe invicem tueantur, monet.

FRIDERICUS, comiti Toloſano.

Nuntios tuos tui cordis indices & affectus ad noſtram præſentiam accedentes, ſolita benignitate recepimus, & ex his quæ nobis expoſuerunt legationis officio, intelleximus diligenter hilares admodum & jocundi, quod tua experta ſinceritas, deficientibus

(a) His concinunt ea quæ idem Fridericus ſcribit lib. 2. epiſt. 49. ex editis Petri de Vineis litteris, pag. 558.

(b) Fredericus Parmam ſexaginta militum millibus cinxit, obſeſſam biennio non expugnavit, immo ipſe a Parmenſibus turpiter fuſus eſt, ut ſcribit Pandulfus Collenutius in hiſtoria Neapolitana, tametſi poſtea eos vicit, Bernardo Orlandi Ruſſi papæ ſororio occiſo, uti videre eſt in epiſt. 42. lib. 2.

EPISTOLA VII.
Vercellenſibus.

Magiſtrum V. Juris Civilis profeſſorem mittit, qui ſcholares edoceat.

E FRIDERICUS Vercellenſibus.

Quamquam milites noſtros arma ſcire velimus, tamen quia ad utrumque tempus, bellorum & pacis, rectum & conveniens moderamen, non ſolum armis decoratam, ſed legibus armatam eſſe decet imperatoriam majeſtatem: ſubditorum noſtrorum utilitatibus providentes, nobis proficere credimus & prodeſſe, ſi illis eruditionis materiam exhibemus, per quam proceſſu tem-

poris edocti militent patroni causarum, qui præcellentis scientiæ juvamine confidentes, se, suos & patriam tueantur. Supplicationibus igitur pro parte vestra culmini nostro porrectis, de providentia nostrorum scholarium, doctrinæ etiam pro sufficientia utili & accepta liberaliter annuentes, magistrum V. Juris Civilis professorem fidelem nostrum, de cujus prudentia & scientia certam fiduciam & experientiam obtinemus, ad civitatem vestram duximus transferendum, tam pro nostris serviciis, juxta fidei suæ debitum, promovendis ibidem, quam pro edocendis vestris scholaribus & aliis undique venturis, Juris Civilis scientiam, qua præpollet. Sit igitur scholaribus & devotionis & industriæ, ob mittentis reverentiam, honore debito recipere venientem, ut sicut petitionibus vestris satisfacimus in eodèm, sic gratum velitis ostendere, quod de talis viri scientia publicis vestris profectibus consulatur, ut non minus suæ scientiæ regimen accepretur in cathedra, quam præsentia sive consilium in nostris servitiis requiratur a nobis.

EPISTOLA VIII.
Regi Franciæ.

De Comite Provinciæ.

FRIDERICUS Regi Franciæ.

Dignum duximus ad vestram referre notitiam, quæ nuper contra nos & imperium per comitem Provinciæ socerum vestrum, de cujus fide potissimum sperabamus, præter spem & opinionem nostram, præter exhibitam dudum a nobis & obtentam ab eodem nostræ liberalitatis gratiam, præter nobilitatis & fidelitatis debitum, quo tenetur astrictus, in injuriam nostram & imperii manifestam fecit in regno Arelatensi enormiter attentata: quod præsumtum nefas & commissa temeritas, a tempore quo fides inter homines locum habuit, fuerunt inaudita. Sane ut ingratitudo prædicta, & patrati facinoris crimen, quæ sibi notam infidelitatis impingunt, excusationem non possit in suis excessibus invenire, sed ab experientia gratiæ nostræ dictus comes rationabiliter erubescat, præstita sibi per nos & imperium beneficia volumus recenseri. Olim enim secundum mores & consuetudines imperii approbatas, cum anno ab obitu patris elapso recepturus honorem & terram suam, nostram sicut tenebatur adire præsentiam neglexisset, omnia bona & jura sua nobis & imperio cesserant, eo ab omni jure & petitione decidente irrevocabiliter in futurum; sed tandem post multa curricula temporum simplice ejus nuncio ad nostram curiam in Apulia veniente, mansuetudo nostra non defuit, quin arrogatum sibi jus in gratiam convertentes, ex insperatæ restitutionis beneficio nobis & imperio indissolubilis fidei vinculo peremtorie obligare, jam causam quam imperium comitatus Sollcriæ introna- Senfi obſcura
tus Provinciæ & aliorum bonorum, in invidiam quam plurium evidentem, renovationes & confirmationes induximus, ac titulo honoris & nominis honorantes, promittente & obligante se nuncio pro eodem, quod tunc temporis æstate sequenti dictus comes cum galeis in Siciliam applicaret, pro recipienda investitura comitali a nobis, si collato beneficio nollet reddere se indignum. Sed ipso minime veniente, nihilominus patientiæ nostræ favorem ostendimus erga ipsum, ne post tempora longiora protracta, nobis in Alemanniam negotio exigente vocatis, ad præsentiam nostram accederet, ubi eum paterno affectu reciperemus, & benigne in omnibus tamquam filium pertractantes, cingulo decoravimus militari, de omni honore ac terra sua investientes ipsum solemniter per vexilla, demum nobis in Italia imperialis reipublicæ negotia & curam gerentibus, cum ad debiti servicii præsentationem contra hostes imperii vocatus accederet, nondum legitimum tempus serviendi impleverat, & nos de camera nostra ei magnifice duximus in necessaria pecunia & aliis muneribus impendendo, ac denuo cum gratia & honorificentia honorificatum transmisimus.

EPISTOLA IX.
Ludovico regi Francorum.

Ut conjunctim jura principum tueantur.

FRIDERICUS carissimo fratri suo LUDOVICO regi Franciæ, salutem.

Etsi causam nostram principaliter agitis, ac honoris & jura temporalium principum cupitis immutabilia servari: dum tamen in negotiorum nostrorum speculo vos ipsi negotia nostra perspicitis, tanto vobis regratiamur alacrius, quanto vos ampliori zelo diligere profectus nostros agnoscimus, illud in nostris faciendo negotiis, quod hactenus facere supersedistis in vestris, obligari veruntamen vobis non possumus arctius, velut qui ex antiquo familiaritatis jure etiam affinitatis novæ funiculo adeo facti vobis sumus unanimes, quod nullam omnino poteſt scissuram recipere, velut in habitum jam conversa nostratum concordia voluntatum. Illorum tamen nostra conjunctio non caret invidia, qui disjunctionem nostram propterea vehementer affectant, quod munimenta jurium nostrorum minuere conjuncta desperant. Ex relatione siquidem latorum, poterit excellentia vestra percipere, qualiter venerabiles patres P. P. nostri & fratres gratum habuere indissolubile viacu-

lum unionis, quod est inter Romanum imperium & regnum Franciæ. Iidem nuncii proposuere fideliter coram eis, affectus etiam legationis eorum manifestius indicat illud idem, dum alterutrius nostrum partes scilicet imperiales & regias nedum contemtas ab ipsis agnoscimus, immo ad nocumentum negotiorum nostrorum communium potius ex effectu percepimus fuisse porrectas, ex quo, sicut ex parte vestra juste movemur, vel qui juste contemtos nos habemus in vobis, ut pote qui negotia vestra & imperii propria resultamus, sicut & versa vice de nobis in vestris nedum credere volumus, sed B scire compellimur. Illud ideo nec caret causa motus nostri justitia, cum ad matrem nostram ecclesiam vos & prædecessores vestros promtissimos semper haberi noverimus voluntate. Nos etiam & prædecessores nostri & imperii taceamus devotionem omnimodam quam ad profectus ecclesiæ, nec personæ parcendo laboribus nec expensis, gesserimus hactenus & in posterum gerere disponamus, in quantum ad decus & exaltationem catholicæ fidei pertinet, & ad conservationem ecclesiasticorum jurium, & defensionem ipsius. Restat igitur ut quos simul conjunxit illata injuria, eosdem voluntas C unanimis ad honorem Dei & ecclesiæ generalis in dignitatum nostrarum & jurium observatione conjungat. Nos etenim incommutabili proposito & firma concepimus voluntate, temporalia jura & dignitates nostras inviolabiliter conservare, & nihilominus S. R. E. ac honorem Dei & catholicæ fidei in spiritualibus revereri, nobisque in conservatione temporalium jurium & dignitatum nostrarum potenter assistere, prout ex contractæ vinculo confœderationis astringimur, & sinceræ debitum affectionis exposcit. Clarus etenim & evidens demonstrabit effectus, quod si admotis æqualibus & communibus humeris intendamus, communem causam nostram, & omnium principum adeo favorabilem faciemus, quod in nullo jura nostra diminui poterunt, sed augeri. Nationes autem juridictioni nostræ subjectæ uberiori pace & tranquillitate gaudebunt, quod exinde potest percipi in manifesto, cum salubrem dispositionem inferiorum corporum nutu cælestis arbitrii operetur in totum æqualium conjunctio planetarum.

EPISTOLA X.
Duci Brabantiæ.

De electione Sinibaldi cardinalis in papam, quem sperat pacem ecclesiæ esse confirmaturum.

FRIDERICUS duci Brabantiæ.

Ecce quod multis laboribus fuerat procuratum, per quamplures nuncios & legatos, A quod nostra serenitas a venerabilibus fratribus pro generali commodo imperii, & ecclesiæ universali pace, frequentius & instantius expetebat; divina demum providentia, quæ fallit conatus hominum & affectus, cursus rerum & temporum statuens ad suam incommutabilem voluntatem; Cardinalibus quando tibi placuit unanimiter inspiravit, quod die sequenti post primo transactum festum B. Joannis Baptistæ, quemdam de fratribus eorum nomine magistrum Sinibaldum tituli S. Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem votis concordibus in summum pontificem assumserunt: qui cum sit de nobilioribus imperii filiis, & pro nobis tam verbo quam opere semper se benevolum, obsequiosum præstiterit & acceptum; plena datur culmini nostro de sua sinceritate fiducia, quod generalem pacem, bonum statum imperii, & nostræ unitatem amicitiæ; paterno procurabit affectu, ut nos eum revereamur in patrem, & ipse nos amplectatur in filium. Tempus etenim & causa quondam eum in juniori statu per experientiam docuerunt, qualiter in sede apostolica constitutus zelare debeat unitatem nostram & pacem imperii, per quam status ecclesiæ, C dissensione sopita, sub apostolatu suo proficere poterit in immensum. Intendimus insuper apud eum omnes fideles & fautores imperii in omni honore & indemnitate absque difficultate vel defectu quolibet conservare, ut certa spes omnibus imperio nostro fide ac devotione subjectis nostris debeat insinuatione firmari, & eorum negotia, quæ propria reputamus, ad optatum promovebimus incrementum, confusione nostrorum hostium, cui quotidie . . . . . in omni diligentia tractaturi.

D

EPISTOLA XI.
Marino de Balo sacri imperii in Papia vicario.

De collecta a clericis exigenda.

FRIDERICUS Marino de Balo sacri imperii in Papia vicario.

Cum ad hoc laboret imperialis intentio, ut clericis & laicis optata tranquillitas informetur, & tam ecclesiarum status in ecclesiastica libertate, quam laicorum gene- E ralitas in sua integritate salvetur, dignum videmus & utile & imminens necessitas persuadet, ut a prælatis omnibus ac universali clero jurisdictionis tuæ pro instantibus negotiis subsidium exigatur, quare mandamus quod a prælatis omnibus, videlicet archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, præpositis, archidiaconis, decanis, ac universali clero in tua jurisdictione degentibus, pro qualitate personarum & rerum, ad honorem nostrum & imperii auxilium exigas

opportunum, per te & ſpeciales nuncios, quos tranſmittes, ſollicitam uſuram impenſurus, ut ſolvant ſinguli quod cuilibet æquis taxationibus imponetur. Nos enim damus omnibus & ſingulis ſub pæna omnium regalium, quæ a nobis & a curia tenent, & aliorum bonorum quæ poſſident, firmiter in mandatis, ut ad requiſitionem & ordinationem tuam taliter tibi & ordinatis tuis reſpondere & ſatisfacere ſtudeant & conentur, ut devotio eorum pænam impoſitam non incurrat, ſed laudem debitam a noſtra mereatur excellentia reportare.

B

EPISTOLA XII.
Summo Pontifici.

Quod mandet univerſis de Spoleto & Marchia ut largiantur ſibi auxilium.

FRIDERICUS Papæ

Cum mutuis teneamur nos juvare ſubſidiis, & veſtra intereſſit, prout ſumus advocatus eccleſiæ, adeſſe favorabiliter ad tuitionem eccleſiaſticæ libertatis, & nobis & noſtris neceſſitatibus requiſitum auxilium C non negare. Confidenter olim paternitatem veſtram meminimus requiſiſſe, ut univerſis de Spoleto & Marchia mandaretis, quod ad requiſitionem noſtram debitum nobis ſervitium exhiberent, ſuper quo licet tale receperimus a veſtra paternitate reſponſum, quod vos inde intromittere nolebatis, & ut quod noſtrum erat per nos exinde fieri mandaremus, nihilominus ſanctæ matri eccleſiæ ac vobis deferre volentes, mittimus Gerbertum de Loco ſacri imperii in Italia legatum & fidelem noſtrum, rogantes at- D tentius veſtram ſanctitatem, quatenus eiſdem hominibus Spoleti & Marchiæ mandare dignemini, ut ad requiſitionem ejuſdem legati noſtri, ſicut nobis tenentur & debent, ſecundum ingruentis neceſſitatis exigentiam, auxilium largiantur.

EPISTOLA XIII.
Univerſis fidelibus ſuis.

Ut euntibus ad concilium iter & tranſitum intercludant.

E

FRIDERICUS univerſis imperii fidelibus.

Hoc eſt fidelitatis debitum quo ſubjecti tenentur ad Dominos. Hæc eſt ſingularis cura quæ debetur, ut in his quæ ſunt noxia ſibi caveant, & ad ea quæ profutura diligenter intendant. Cum igitur nedum proximis & remotis, ſed ſit notorium toti orbi terrarum, quanta diſſenſio per Romanum Pontificem generaliter ſit ſuborta, & generali nedum in *..... ad cleri, ſed ad totius diſcrimen populi chriſtiani ſcandalum augeatur, & ſi qua ab ipſis prodeunt præcepta, in continuam adeant corruptelam; neceſſarium audemus & utile malignis eorum adinventionibus & conatibus obviandum, qui mentientes ſpiritum honeſtatis, contendunt univerſali periculo ſubjicere totum orbem, convocantes prælatos, archiepiſcopos, abbates, atque priores ad ſynodum generalem, ut liceat eis ibidem conceptum virus evomere in regum & principum & totius orbis periculum & jacturam. Volentes igitur non minus odio, quod præmiſſis offenſis de benignivolentia noſtra diffidunt, quam generali totius chriſtianitatis diſpendio & zizaniæ præcavere, licet vos tamquam fideles noſtros ad dignitatis & honoris noſtri cautelam non minus quam ſcandali univerſaliter emergentis fore ſollicitos præſciamus, verum fidelibus adjecimus exhortationes, mandata deſcribimus, & ex imperiali poteſtate mandamus, ſub pæna gratiæ noſtræ & perpetuo banno imperii injungentes firmiter, quatenus prælatos omnes, archiepiſcopos, epiſcopos, abbates atque priores, & cujuſlibet ordinis præpoſitos ac miniſtros per vos euntes ad Romanam curiam tranſeuntes, ſive mari ſive terra, privatim vel publice, tranſire voluerint, in perſonis & rebus impedire, diſturbare, & detinere modis omnibus procuretis, paſſagium tam per mare, quam per terram eis penitus denegantes, mandatum noſtrum taliter impleturi, ut fidelitatem veſtram ad nos & imperium habitam per obedientiam debitam & efficaciam operis oſtendatis, & vindictam pænæ vos incurrere non contingat, cum offendi in aliquo gravius non poſſemus, quam ſi prædictis prælatis concederetur aditus publice vel privatim, & nullum gratius obſequium meditemur, quam ſi fideles noſtri honori noſtro & ſtatui ſuo provideant ad futura, verum ſi tanta foret temeritas prælatorum, quod adverſus mandatum noſtrum per habitationem veſtram per mare vel per terram, privatim vel publice iter ad curiam Romanam veniendi tentarent, eorum malignitatibus occurrentes, manifeſtum impedimentum itineris opponatis. Concedimus enim vobis plenariam poteſtatem capiendi eos in perſonis & rebus, & omnia quæ capietis de rebus, equis, & quibuſcumque eorum rebus, veſtris uſibus & proprietatibus applicamus, videlicet tam univerſis generaliter, quam ſingulis ſpecialiter, qui ad impedimentum & captionem eorum & rerum ſuarum juxta mandatum noſtrum proceſſeritis fideliter & devote, præter condignam remunerationem quam veſtris meritis reſervamus, ſuper quibus omnibus tam laudabile ſollicitudinis veſtræ perhibeatis coram nobis teſtimonium, ut noſtro bono ſtatui & publicis honoribus majorum beneficiorum munificentiam debeamus.

* f. Eccleſia.

EPISTOLA XIV.
Duci Londoiæ.

Suos ei processus, utque se habeat significat.

FRIDERICUS Duci Londoiæ.

Vota tua, quæ ad audiendum de prospero statu nostro simul ardenter attollis, non patimur inscia remanere, notificantes devotioni tuæ, quod per gratiam ejus per quem vivimus, & regnamus, & sumus, optata corporis salute vigemus, & in virtute ejus ad universa pro voto proficimus, & in omnibus prosperamus. Depositis enim nostris beneplacitis in partibus Lombardiæ, prout jam ad te certitudo pervenit, in partes Tusciæ quibus universaliter vota omnia adventus nostri præsentiam inardebant, comitante nos salute contulimus, ubi singulas civitates, comitatus, & castra, & quælibet alia invenimus ad omnia mandata & beneplacita tam effectu promtissima quam affectu: ita quod compressis undique scandalis, pace * in integrum reformata fuit inter aliquos cives rescissa, indictis ordinationibus & statutis nostris, quæcumque nobis facere licuit, omnes & singuli, sicut sub unius manu Domini se foveri tolerant & protegi, sic eadem fidei & servitiorum nostrorum promtitudine accenduntur, & ubertate bonorum & pacis potiri invicem gloriantur. Et sic in votorum nostrorum processimus successu tam firmiter quam potenter, non omissuri deinceps de prosperis eventibus nostris, quos divina nobis dextera semper procurat in bonum, frequens devotionis tuæ gaudium destinare.

* Pan.

EPISTOLA XV.
Potestati & communitati Florentiæ.

Mittit Henricum regem Sardiniæ, qui communes invitet ad obsidionem Faventiæ.

FRIDERICUS potestati & communitati Florentiæ.

Circa obsidionem infidæ Faventiæ, postquam præfiximus victricia nostra castra, nobis & aliis fidelibus nostris una nobiscum ibidem moram pro more continuantibus & laborem, quia civitatem invenimus in rebellione sua pertinaciter obstinatam, ut non converteretur, & parceremus eidem, votum tenax & incommutabile velle firmavimus, ad coactionem & captionem ipsius personaliter hiemari: sed quia diu nostris differtur præstati mandatis, personam nostram & fideles nostros exponere, opes effundere copiosas, longe lateque ab universis imperii partibus vires augere, victoriosum exercitum renovare, tempora, sicut expedit, continuare temporibus, aggressu & insultibus bellatorum adveniente temporis proxima jam expectata temperie, cum prædicta civitas, tam in personis, quam in necessariis langueat & deficiat tota, sic triumphanter expugnare, ut de cetero luat & lugeat sui status introitum & infidelium incolarum. Absit enim ut glorietur insidiis, quia adjutorem mundi Romanum imperium nulla necessitas a suorum rebellium obsidione removeat; quin captis hostibus & devictis, absit de oppositione fidelium, ut velint domi quietem ducere, vitare labores, sub cœna dormire, thoro se sternere delicato, ubi persona nostra quæ dispensatione divina præest imperio, & deliciis larius educata, sub gelu & glacie loricâ desudat. Absit igitur ut fideles nostri, quos obita manet ex victoria nostra tranquillitas, quibus ex nostrorum participatione successuum congaudemus, & nobis consentiunt cum honore & onere contendunt numquam, opportuno tempore opportuna subsidia velint prorogare. Quapropter volentes in præsenti necessitate, quæ ad optatum finem deducta, omnium quietem respicit, & propterea nostrorum fidelium experiri constantiam, effectus exquirere, devotionem agnoscere, & ipsorum perseverantiam obtinere, quod in persona propria faciemus, ubi quid de castris usque ad captionem civitatis ejusdem disponemus non abesse, dilectum filium nostrum H. regem Sardiniæ, personam patris & imaginem repræsentantem, ad sui vocationem, & adventum fidelium nostrorum ipsarum partium specialiter destinamus, mandantes, monentes, & hortantes, quatenus prædicto rege in persona patris reverenter accepto, juxta requisitionem & etiam ordinationem suam paretis vos in militibus balistariis & toto conamine virium, quod pro commune potestatis ad felicem expeditionem nostram Faventiæ potenter & feliciter advenire in Kalendis proxime venturi mensis aprilis, vos cum omni jucunditate recipere debeamus, & si conatus virium vestrarum se laudabiliter exposuerit coram nobis, teneamur vestri status & nominis titulos ampliare.

EPISTOLA XVI.
Papiensibus.

Ut se cum armis & equis parent ad destructionem Mediolanensium.

FRIDERICUS Papiensibus.

Ex fidelitatis vestræ litteris, serie nobis grata recepimus, & dum earum tenore didicimus, quia vos tamquam nostrorum devotorum devotissimi, qui dum imperii &

noſtrum honorem diligitis, ad inimicorum exitium viriliter aſpiratis, ad depopulationem Alexandriæ, rerum & hominum, potenter & efficaciter intenditis; de quo fidelitati veſtræ grates referimus efficaces. Et licet poſt laborem grata ſit requies; tamen quia poſt conſummationem negotii gratior judicatur, fidelitati veſtræ mandamus, quatenus labores laboribus, & ſubſequentes laudes laudibus conjungentes, ad Mediolani deſtructionem, quæ dicitur caput eſſe nequitiæ, vos viriliter præparetis, equis, armis & aliis neceſſariis taliter invenientes, ut per vos celſitudinis noſtræ propoſitum nequeat retardari.

EPISTOLA XVII.
Regi Caſtellæ.

Ut copias ſibi ad conterendos rebelles mittat.

FRIDERICUS Regi Caſtellæ.

Regum præcellens gloria & ſecularium præeminentia dignitatum in mutuis proficiunt & magnificantur auxiliis, & ubi viget inter eos identitas gratiæ, ac ſervatur qualitas voluntatum, potentes dominantur in populis, & timentur principes a ſubditis. Hic revera zelus, hæc cauſa vos commonet, huc gerendi reipublicæ commoditas trahit, ut pacando ſtatum noſtrorum fidelium, & ad ſuperbiam infidelium in virga ferrea comprimendam, collatis nobiſcum victoriæ noſtræ ſucceſſibus, quos proſtratis Mediolanenſibus & complicibus eorum, manifeſtis imperii hoſtibus, triumphaliter obtinemus, vos irrequiſitos ad noſtrorum ſempiternam communionem ſucceſſuum tranſire & committere non velimus, publicam exinde materiam impenſuri, per quam juſtus fructus ad ſubditos tranſeat, quia ex quo imperiale brachium potentiæ regnum mutuis... & ad commune ſubſidium per collaterales principes obligantur, & pari communium voluntate, omnis e ſubditis abſcedat rebellionis audacia, & conſpirationes deficiant populorum, quæ adeo in Italiæ partibus creverant, quod niſi perſona noſtra, ſicut jam cœpit, Domino exercituum faciente, radicitus reſecet & evellat, nedum ad proximas, ſed ad diſtantes & remotiſſimas regiones exinde mali multipliciter emittebant. Poſt obtentam igitur de Mediolani ſtrage victoriam, non deficit noſtra inſtantia contra eos, ſed firmantes in Italia moram noſtram, indiximus apud Veronam primo venturi Kalendas menſis Maii ſolemnem curiam celebrandam, ad quam dilectum filium noſtrum CONRADUM in Romanorum regem electum & regni Jeroſolymitani heredem, cum ingenti expeditione ducenda de Germaniæ partibus, ac univerſos & ſingulos principes noſtros, quos cum armata militum comitiva duximus convocandos, tempore quo ſolent reges procedere ad bella, præfigentes, in deliberatione curiæ generalis diſpoſito ſtatu fidelium ad ſupremam depreſſionem rebellium, ſi quos in obfirmata perfidia, in errore tunc uſque protraxerit, prout negotiorum neceſſitas exigit procedamus. Ut ergo rebelles ubique ſubditos longe lateque timor evidens proſequatur, quod auguſtali exercitu vi res regales adveniant, in ſimilibus imperiale ſubſidium debeatur, ex communi zelo amicitiæ quam viciſſim debemus excolere confidentes, expoſcimus, rogamus, hortamur regiam ſerenitatem attente, poſt baliſtariorum, equitum copiam, quod ipſa ſpecialiter educat prælectos, ſicut honori regio congruit, ad nos in Italiam pro confuſione rebellium noſtrorum taxato tempore dirigatis. Conſtituentes nos ad ſimilia debitores, qui tenemur præ ceteris ex auguſtæ ſedis debito univerſis adeſſe ad enervandam inimicorum... & vobis tamquam affini & amico noſtro ſpecialiter ad omnem gratiam & honorem.

EPISTOLA XVIII.
Duci Lotharingiæ.

De prælio adverſus Mediolanenſes commiſſo.

FRIDERICUS Duci Lotharingiæ.

Felices victoriæ noſtræ ſucceſſus, quos longe celebris, ſed celerior omnibus fama divulgat, tenore præſentium ad tua deſideria volumus pervenire, ut audias & læteris, quod Mediolanenſes hoſtes imperii, qui dia contra imperium calcitraverunt, & erant inter alios rebelles noſtros ſpeciales principes perfidæ factionis, proſtrati ſubjaceant & devicti. Nam cum ingenti turba ſuorum complicium, quos evidens factionis damnaverat infamia, & auxilium Brixienſium acceſſiſſent, quos undique per diſtrictos eorum cum ferro & cum flamma noſter depopulatur exercitus, quia eadem peſſima congregatio loca vallibus fluminum munita petebant, ut propter difficultatem locorum aggrediendi eos aditus non pateret: nos regione Brixiæ & eorum facie deſolata, ultra flumen Latium * caſtra noſtra traduximus, oſtendentes in ſuperficie quodam modo propoſitum recedendi, & cum ad egreſſum pontis divertiſſemus illuc greſſus noſtros, Mediolanenſibus priuſquam recederent occurſi, licet ipſi adventum noſtrorum crediderint evitaſſe & prope munitionem quamdam eorum, quæ Turris nova vocatur, feſtinanter accederent, non poterant ſic a nobis de facili ſeparari, qui paratis aciebus irruimus in eos, & fugavimus ipſos omnes uſque ad carrotium eorumdem, captis

* Lit. lacus et Mediol. paſſ. ſpat. diſtat.

captis ex eis quam pluribus & occisis, nec instantis noctis tenebræ fugientes de manibus nostris eripere potuerant, quin carrocium & castrum munitissimum in quo erant libere ac licite dimisissent; sicque capto carrocio, & castro combusto, decem millia inter captos & mortuos numero computantur. Potestas insuper Mediolanensis, ducis Venetorum filius, quo duce infelicia signa tulerunt, victoriæ nostræ non defuit, quin captus cum carrocium duceretur, nec est apud Mediolanenses illa severitas. Nam sicut eam destruxit foris gladius, ita cruciat intus pavor, ad cujus finalem confusionem instamus ceteris rebellibus sub nostræ humilitatis potestate ditionis, quæ tibi significamus ad gaudium.

EPISTOLA XIX.

Fridericus nuntiat Germaniam se repetere contra Tartaros.

TEmpus est jam de somno surgere, tempus est corporis & cordis oculos aperire. Ecce securis ad radicem arborum posita, ecce quidem gladius ad ossa pervenit, dum in omnem terram exivit sonus eorum, qui generale christianitatis excidium comminantur. Audivimus ista jam dudum, sed quamquam audita vereremur, nec credere delectaret: Longe tamen ipsa modernis remota temporibus putabamus, cum per itineris distantiam remoti, tum propter quam plurimum fortium principum & populorum occursum, qui venientium Tartarorum furiis primitus occurrebant, sed ecce quod est auditu terribile, deletis in totum terræ primatibus, quos obices invenerunt, & ad juga perpetuæ servitutis paucissimis admodum reservatis, jam nos præda furentium, primaque castra sumus. Jam imperii Romani fines & ostia propulsantur ad religionis & fidei nostræ matrem S. R. E. profanandam, & urbem regiam imperii nostri caput, jure vel injuria possidendam, a Tartaris, prout nunc magis vulgariter vel indubitabiliter creditur, aspiratur. Verum quantumliber, ut diximus, haberemus de resistentia remota fiduciam, nec præoccupari tam subito crederemus; sic tamen in totum sollicitudo non exuit providentiæ futuræ consilium, quin multis retro temporibus diligenter & tacite pensaremus, qualiter contra validæ tempestatis occursum, si diebus nostris infausti casus hujus materia contingeret, pararemus. Propter hoc enim in totum fere totæ vitæ nostræ deliciis abdicatis, quas regni nostri amœnitas offerebat, per aspera maris & montium Germaniam repetentes, post A domitam & oppressam primogeniti filii (a) (a) nostri dementiam, qui contra nos sibi sedem assumpserat aquilonis. . . .

EPISTOLA XX.

Vercellensibus.

Quod parent se decenter, & cum laudabili armatorum copia ad exercitum suum pergant.

FRIDERICUS Vercellensibus.

Cum brachium Domini exercituum processus nostros & exercitum prosperos facientis in hostes, per continuas rebellium strages in manibus nostris datas, supremam nobis de ipsis designet victoriam & promittat; firmi nostri propositi est, ad continuam coercitionem rebellium promtis affectibus tam benivolam Domini prosequi voluntatem, ut non immerito rebelles nostri hostes cælestis imperii esse censeantur, qui dato nobis de manu ejus sceptro imperii & regnorum, obstinata pertinacia contradicunt. Ideoque revera ne dubitetur, consternatio ipsorum ab universis nostris fidelibus expectetur, cum jam ex divino judicio in cervices eorum gladius noster immineat e vicino. Propter quod scire vos volumus, quod in depopulatione Bononiæ parata nostra voluntate pro voto, ut pote quæ præter alia, castro dudum Plumatio de districtu suo in flamma & gladio deplumato penitus & subverso, sicut ad vos notitiam credimus pervenisse, postmodum circa quoddam aliud majus castrum ipsorum, nomine Crespator, quod contra fideles nostros obicem opponebat, feliciter castris nostris dispositis, diebus paucis aquarum multitudine quadruplex vallorum ipsius series plena, erat exhausta, ac iterum circumquaque per molimina bellica ipsis propugnaculis communitis, die & momento in ictu oculi facto congressu, flamma & gladio noster incepit victoriosus exercitus, universis qui ibi fuerant & potuerunt flammam seu gladium * nostro carceri consignatis, ac misso cum copioso exercitu dilecto filio nostro HENRICO rege Sardiniæ, ut ab inde prædictis rebellibus nostris insistat ad depopulationem continuam eorumdem, cum hac multitudine armatorum, * nos die felicibus auspiciis castra movebimus ad conterendum caput perfidiæ Mediolanensis civitatis, & liberandum omnes fideles nostros perpetuo a morsibus eorumdem, processuri tam celeriter quam potenter. Ea propter felicitatem vestram, quam eximii ardoris zelum ad nostros successus prosperos, ad nostrum felicem adventum ardentia scimus desideria gerere, deprecamur,

* f. declinare.

* dum nos.

(a) Henrici scilicet, qui in patrem absentem & in Italia degentem rebellaverat, quem Fridericus venientem pro venia obtinenda non modo non recepit, sed fine spe reditus proscriptum vinculis addixit. Hæc anno 1235. contigisse tradunt Germaniæ scriptores.

mandantes, quatenus incontinenti sic vires vestras decenter paretis, & ad nostrum victoriosum exercitum cum laudabili armatorum numero sine mora qualibet exeatis, sicut honori nostro in instanti negotio ac vestris cognoscitis meritis expedire, sic celeriter venientes, ut cum venerimus, nulla interposita dilatione una nobiscum & cum aliis fidelibus nostris de partibus ipsis ad consternationem rebellium triumphaliter intendamus, & sic officium, quod ad destructionem communium hostium & ad nostram & imperii exaltationem habebitis, per testimonia operum de bono in melius agnoscamus, & vobis inde nedum ad laudes, sed ad grata meritorum compendia de nostra possimus munificentia respondere.

EPISTOLA XXI.
Papiensibus.

Ad eos se festinare, temeritatem rebellium oppressurum.

FRIDERICUS Papiensibus.

Moleste tulimus, & altiori memoriæ non absque justis motibus reservamus, quod Mediolanensium temeritas ausa est ad vestrarum depopulationem villarum & bonorum infortunatum habuisse progressum, & maxime cum in damnis & oppressionibus vestris tanto nos urget compassionis affectus, quanto pro fide nostra & imperii personas vestras periculo, & indifferenter incendiis tamdiu exposueritis bona vestra. Quapropter ad partes ipsas nostrum præpotenter acceleramus accessum, præsumtiones & & insolentias rebellium oppressuri. Vobis quoque liberaliter & credenter adesse curabimus, qui tot personarum & rerum incommoda nomine & obtentu nostræ fidei passi estis per diutina tempora, & quotidie fide promtissima sustinetis. Exurgat ergo invicta fides Papiensium nostrorum fidelium, & suo robore confortetur, nostra numquam casura devotione, quia de præsumta nuper contra nos insolentia numquam sibi gloriabitur inimicus.

EPISTOLA XXII.
Sarracenis.

Ut e montibus ad planitiem certo tempore descendant.

FRIDERICUS Sarracenis.

Si essetis homines & aliquam discretionem haberetis, studeretis utique vestræ præsumtionis processus castigatione propria prævenire, non expectare sub insana fiducia, & spei fallacis insania, quo usque in vos exerceatur gladius debitæ ultionis. Sed ut videmus, & experientia facti evidentiâ facit fidem, ob immanitatem vestrorum facinorum, quæ vix misericordiæ veniam promerentur, tradidit vos Deus in reprobum sensum, ut intellectum habentes, ipsius effectum in vestram perniciem pervertatis. Et sic dum temeritatis vesania vos efficit in nequitia pertinaces, non solum ex hoc offendimur, sed ad ulciscendum quæ ausu temerario contra majestatem nostram illicite perpetrastis, & adhuc non definitis perpetrare, non irrationabiliter provocamur. Ideoque rebellioni vestræ damus similiter in mandatis, quia magnificentia nostra vobis adhuc indulgentiæ aditum non præcludit, ut infra spatium hujus mensis vobis indultum ad cor reversi, delictum vestrum satisfactione congrua expietis, de montanis ad planitiem descendentes.

EPISTOLA XXIII.
Communitati.

Absolvit eos a juramento ecclesiæ, mittens H. filium in reformatione Marchiæ & ducatus.

FRIDERICUS Communitati.

In omnibus processibus vestris nota est & experta pro nostri commoditate servitii fides vestra, & quandocumque transitus vel reditus noster fieret per vos, devotio vestra cum omni honorificentia & nostrorum executione debita mandatorum nostris beneplacitis assurrexit, ut gratitudinem vestram teneamur modis omnibus prosequi dignis meritis gratiarum. Cum igitur præsenti justæ rei merito suadente, velimus Marchiam & ducatum Spoleti, duas in Italia sacri imperii provincias singulares, nostro imperio reformare, detentori nostro nostri imperii beneficium demerente, vos necnon universos & singulos de Marchia & ducatu a juramento ecclesiæ, salvo jure imperii præstito, ex imperii auctoritate duximus absolvendos, promittentes dilectum filium nostrum, &c.

EPISTOLA XXIV.
Ravennensibus.

Scribit Ravennensibus, qui declinaverant a fide.

CUm publicam non lateat mundi notitiam, quod fideliter & devote pro servitio nostro & imperii, generaliter omnes & specialiter singuli de Ravenna, corpora etiam coram duxeritis exponenda, damna

rorum & perſonarum pericula non vitantes; A
non immerito admirationi omnium cedit & ſtupori, mutatione tam ſubito omnium divulgata, per quam nota fides veſtra & experta devotio videatur tam enormiter defeciſſe. Nos autem etſi graviter tam novo caſui noſtro condolere cogamur, nullatenus credere poſſumus, quod ſi quid inopinato caſu aliter præter conſcientiam noſtram, ſicut firmiter exiſtimamus, acciderit, promtam & devotam ad nos & imperium veſtram potuerit avertere voluntatem. Scimus inſuper quod nulla vobis univerſis B
& ſingulis major potuit eveniſſe turbatio, quam cum in manus nos odientium inciditis, ut incautos invaderent, & ad ſuæ perfidiæ participium vos arctarent. Quia igitur veſtra devotio nihilominus nos perurget, velut qui non immerito ex vobis, noſtris ex antiquo fidelibus, ſcandalizamur & urimur, audientes vos noſtram & imperii cauſam ſpecialem a nobis eſſe ſubtractam, & abieritis in prævaricationem & poteſtatem illorum, quorum fuerat nobis hactenus ſuſpecta pro veſtra fidelitate vicinitas, C
pro liberatione veſtra perſonaliter eiſdem partibus intimamus, promittentes dilectum filium veſtrum H. illuſtrem regem tutorem, & GUILLELMUM legatum in Romaniolam generalem, qui pro parte noſtra in noſtra fidelitate vos recipiat & reformet, per quem vobis gratiæ noſtræ favorem impendimus, remittentes vobis omnem offenſam & culpam, quam illius cauſa invaſionis veſtræ videamini incurriſſe. Mandamus igitur & præcipimus vobis, quatenus de ſomno deſidiæ conſurgentes, ad fidem noſtram corda convertatis, & abjurato illicito juramento, quod aliquibus præſtitiſtis, nobis D
& imperio fidelitatis juramenta præſtetis, dicto filio noſtro, tamquam perſonæ noſtræ intendentes in omnibus & parentes. Nos enim ad bonum veſtrum & pacificum ſtatum ſerenam & ſollicitam habere proponimus voluntatem, dummodo excutiatis celeriter ac conſtanter de jugo infidelium corda veſtra, & ad nos verum dominum & imperium tota devotione converſi, moram & ignaviam præteriti temporis, quod vos interim averſos detinuit a fide, converſione celeri redimatis, de gratia priſtinam confidentiam habituri, de qua vos, poſtquam converſi fueritis, certos efficimus E
& ſecuros. Si quis autem in medio veſtrum eſſet, quem cordis infirmitas retineret, qui nollet reſurgere poſt ruinam, ipſo in ſuo caſu dimiſſo, ad reformandum vos noſtræ fidei & gratiæ conſuetæ unanimes conſurgatis.

EPISTOLA XXVI.
Rofrido Beneventano.

Hortatur ut ad ſe redeat ſecurus de gratia.

FRIDERICUS Rofrido Beneventano. In recuperatione tui, qui velut ovis ex gregibus ad ferarum antra digrediens, credebaris amiſſus, noſtro noviter acquiſita dominio civitas nobis & ſibi noviſſime Beneventana providerat, dum noſtris obſequiis utilem reddidit, & ſibi deprædatum civem invenit. Ad cauſam igitur propriam & ovile dominicum hilaris & ſecurus accedas, ſic te in ubere gratioris obſequii de cetero fertilem præſtiturus, quod temporis amiſſi diſpendia recompenſes, nec in te quidquam omnimode perdidiſſe queramur. Timere compellimur, ne velut ex contactu redoleas mores & habitum ſacerdotum, &c.

EPISTOLA XXVII.
Principi.

Refert dolenter filii ſui exceſſus, ipſumque ad obſtandum principiis invitat.

FRIDERICUS principibus ſuis.
Ecce facimus univerſale verbum ad principes velut imperii noſtri membra, ex quorum compoſitione membrorum unici imperii corpus illuſtre conſurgit. Sane tua & aliorum principum immenſa devotio in membra noſtra tenaciter eſt *infixa*, & præſtita quondam bonæ memoriæ patri noſtro, & nobis veſtræ ſinceritatis obſequia; & quomodo auguſto patre vivente concorditer eligentes nos in regem, præ oculis mentis noſtræ ſemper gerimus. Obliviſci nec poſſumus, qualiter cum major adverſæ partis immineret hoſtilitas, nos in adoleſcentia noſtra per ſpeciales nuncios ardentibus votis a Sicilia vocaſtis, & univerſis virium noſtrum conatibus virium ad honorem imperii magnifice provexiſtis, & propter hoc quæ in voto geſſerimus & geramus, liberaliter ſingulis ad condigna præmia reſpondere. Ideoque cum unicum filium haberemus, & alia præſentiam noſtram negandam reipublicæ traherent, ut ipſe vos omnes & ſingulos in perſona veſtra favorabiliter honoraret, & ſincere diligeret, & veſtram ad nos gratitudinem filiali devotione ſuppleret, præſertim cum vos devotionem ad nos habitam in eum univerſaliter effundentes, ut abſente patre præſentiam filii debita honorificentia foveretis, ipſum ad regni ſolium, ad honorem & gratiam concordi

sublimaveritis unitate voluntateque, eum merito debuit obligasse, ut specialis amoris prærogativa vos coleret, alios nobiles omnes ministeriales civitatum & universos indifferenter fideles imperii nequaquam offenderet, quin potius ad gubernationem omnium sic se moderatione laudabili contineret, ut nobis a remotioribus juxta desiderium spei nostræ meritis tam firmati quam opere, contrarium & plenum gaudium ministraret: sed longe dolentes dicimus, spes nostra vacua reperitur, frustra nobis complacuit in filio, processu temporis mandatorum nostrorum reverentia discedente. Nam ut paterno pectori majorem in modum anxietatem infligeret, post multa in nostri mandati contemtum & transgressionem voluntatis nostræ commissa, in devotissimos principes nostros, nostri lumen & culmen imperii, se inconsulte convertit, & illorum usus consilio, quos per insolentiam ingratitudinemque a gratia nostra proscripsimus, vel quos manifesta facinora reddebant nobis & imperio maxime suspectos, incœpit principes & alios devotos nostros per requisitionem obsidum, nec non alias multiplices molestiarum instantias impetere & vexare: quod ubi innotuit, quia ad pupillas oculorum nostrorum, videlicet principes nostros manus injecerit, ... obsequii quod olim nobis & ipsi tam grande præstiterant, non possumus cum patientia tolerare, quin per talem subiissemus laborem circa fines Alamanniæ veniendi: & ipso ad nostram præsentiam veniente, paternam in eo coercitionem gessimus, recipiendo ab eo contra consilium principum, qui tunc aderant, in eorum præsentia notoriam cautionem, quod mandata nostra & beneplacita penitus observaret, & præcipue principes speciali diligeret & prosequeretur favore: quod post regressum suum sic observare curasset, quod si defeciisset in aliis, numquam nostros principes offendere præsumsisset. Quia igitur ipse iniquum introitum tentaverit, & qualiter non erubescat quin timore Dei & reverentia paterna postpositis, & in honorem nostri nominis machinari, auferendo a fidelibus obsides, occupando castra, & intemeratæ fidei viros ab unione nostræ fidei compellendo, præcipue post adventum talium, quos ad nostram præsentiam destinavit, per quos se nobis paratum exposuit ad omne nostræ beneplacitum majestatis, nedum apud te & alios principes nostros in admirationem vertitur & stuporem, sed quamcumque formam pertransit, humanus in quanta auditus ab aquilone panditur tantum nefas. Et quia temeritati filiorum pœnitentiæ jura subsisterent, & per vitiosum exitum contra plures a filiis emanaret, si qui ad mundi regnum præest imperio, tam evidens filialis inobedientiæ scelus per se & principes suos surdis auribus & cæcis oculis in suum præjudicium pertransisset. Quia igitur tu ceteriique qui membra estis imperii dolore debetis, quod caput vestrum affligitur, nec vigere potest salus in membris, nisi capitis integritas conservetur, tibique ceterisque principibus domesticum hoc & familiare malum communicare decrevimus, ut una nobiscum velut membrum cum capite doleas de tanto enormitatis excessu, & ad obstandum abortivis principiis, priusquam morbus intestinus invaleat, consilio & auxilio fidei simul & affectu surgas, & zelum & constantiam principum omnium agnoscant, & per universum orbem fidei vestræ titulus agnoscatur. 1159

EPISTOLA XXVIII.
Universis principibus.

Ut contra molestatores imperii manum teneant, protegant & defendant.

UNiversis mundi regibus, & orbis terræ principibus, quocumque fidei caractere insignitis, pupillus & innocens rex Siciliæ solo nomine FRIDERICUS, salutem in Domino.

Si quando potest, ab aquilone & mari nationes concurrite, reges accedite, principes properate, si est dolor sicut dolor meus inspicite, & quæ fixa sunt meæ teneritatis infantiæ, in nos ipsos sentietis bella servilia, aut infanti pupillo succurrite vel afflicto, mei læsi regiminis inauditas contumelias una mecum invicem deplorate. Ab augusto siquidem HENRICO imperatore genitum, & ab Augustæ ejus consortis quondam imperatricis CONSTANTIÆ uberibus educatum, fatum novercavit, proh dolor! Sic utriusque parentis in brevi decessu destituor, quia augustales non licuit vibrare blanditias, infra reptantis tum angustias pupillaresque passus aculeos, parentum effigiem non merui ut viderem, quibus quidem sub infantia demigrantibus, pro hereditario regni & imperii funiculo servili tutelæ subjicerer, ut agnus inter lupos mitissimus, quasi vitæ testamentario deputarer, variis ex tunc diversæ nationis tribubus & linguis traditus, textura majestativæ copulæ filius sic implicitos scidi laqueos, contradicentium convitia declinavi, quod ejus in obtentu regni, postquam in commissi regis aspirantibus incrementum perdidi regni nostri primitus gratiam, & deinde super vestes & personam regiam sortem mittere præsumserunt. Nam hinc me vetat vexatque Teutonicus, hinc me Tuscus dilacerat, hinc Siculus exagitat, hinc Gallicus vel Barbarus vel quilibet

inquietat victus mihi quotidianos impendere. In me circa populum libertas impeditur, in ſtatu regis abuſo functus vocabulo, potius regor, quam dirigam; jubeor magis quam imperem; peto potius, quam impendam. Quid plura? Plebs fatua & non ſapiens, plebs non concilians ſed diſſentiens. Cum itaque juvet Redemtor Altiſſimus, de lacu miſeriæ adhuc mihi reſurgere competat, iterum atque iterum qui orbem moderamini vos principes quacumque poſſum prece ſollicito, ut non mihi, ſed vobis ipſis in hac parte cæteris ſervis reſiſtere, Cæſaris filium liberare, regni diadema dirigere, & diſpenſum populum congregare, ut dum taliter facere noveritis, ſi Dominus de cœlo ſuper filios hominum proſpexerit, videatis, ſi intelligens eſt aut requirens talia, per quem regnatis pariter, & mundi climata judicatis in æquitate. Nempe inde cœli revelarunt abſcondita, ut qui manus altrices in reos extendere curaveritis, ſimili diſcrimine nos ipſos puniendos poteritis formidare.

EPISTOLA XXIX.
Petri de Vineis.

Suam in curia imperatoris promotionem matri ſignificat.

SUæ piiſſimæ genitrici M. Petrus notarius, devotiſſimus filius, filiorum ſubjectionis conſtantiam.

Cum ſalute revertens ad conſcientiam, recognoſco quod non meis meritis divina clementia me pauperem ſublimavit, & de molli luto cœleſtis Figulus me formavit, cum imperialis curiæ locum idoneum mihi contulit, & gratiam principis in conſpectu. Reſpexit enim Deus hanc humilitatem matris meæ ancillæ ſuæ & ſororis meæ pauperculæ vitam deducentis hactenus ærumnoſam, quia voluit per me ſuum famulum depellere egeſtatem. Accenſa ſunt igitur, cara mater noſtra, ſalubria monita coram oculis meæ mentis, & ſic me geram humiliter donec vivam, ut in cunctis bonis operibus Deo & cunctis bonis hominibus complaceam.

EPISTOLA XXX.
Petri de Vineis, regi Conrado filio imperatoris.

Quanto cum ſtupore recepit elenodium ſibi miſſum.

HÆreditario domino ſuo CONRALDO, Dei gratia invictiſſimo Romanorum regi, & regni Jeroſolymitani hæredi, Petrus de Vinea, omnem devotionem & fidelitatem.

Oblatum mihi per latorem præſentium fratrem O. regale elenodium, gaudium attulit, ſed ſtuporem ingeſſit. Unde mihi hoc quod Domini mei filius in me reſpicere dignaretur? ſubarraſti me, Domine mi rex, anulo devotionis & fidei, quamquam hoc nulla cauſa cujuſlibet neceſſitatis exigeret. Ego enim ſervus tuus & filius, ancillæ tuæ, cum illud ætatis robuſtæ perfectio poſtularet, perſuaſit hoc tamen induſtriæ paternæ ſucceſſio, & illa præcipue regibus innata nobilitas, per quam Cæſaribus virtus influit ante diem.

EPISTOLA XXXI.
comitiſſæ Beatrici.

Narrat Guidonis Guerræ levitates, & petit ſibi mitti filium juniorem in curia ſua moraturum.

FRIDERICUS comitiſſæ Beatrici.

Non abſque turbatione animi poſſumus recordari levitates & caſus (a) GUIDONIS (a)
GUERRÆ, nec minus à maternæ degenerantis fidei probitate, quam a noſtræ cunabulis nutrituræ; condolentes eidem, quia ſic a gratia noſtra ſe reddidit alienum, ut nequaquam ipſum a participio, cui ſe ſcienter ſpontaneum reddidit, oblata ſibi quondam patris benevolentia potuerimus revocare. Convertentes nos igitur ad minorem fratrem natu ROGERIUM filium ſuum, in quo paternam ſimul & maternam fidem ad nos & imperium altiori radice firmari confidimus, & in eum tamquam fidelem noſtrum noſtræ gratiæ plenitudinem effundentes, pati non poſſumus, quod a latere noſtro, & noſtræ nutritura curiæ diutius ſe abſentet, devotioni tuæ mandantes, quatenus hilariter & libenter ad præſentiam noſtram mittas, in noſtra curia moraturum, in qua nedum locum fratris, a quo ſe ſuis culpis exigentibus excluſit; ſed gratiam noſtram inveniat & præſentiat generaturam ad ſui ſtatus & honoris augmentum: circa quem ſic favorabiliter & bona gratia gerere nos confidas, & ad providendum ei ſibi de uxore benivolum propoſitum concepiſſe, ut votis tuis gaudium augeatur, & moram ſuam tam ſibi utilem & neceſſariam, quam jucundam tibi circa nos continuam eſſe peroptet.

(a) Guido Guerra de quo hic Fredericus, fuit comes Palatinus Tuſciæ, qui eccleſiæ defenſioni adverſus hoſtes jugiter intentus, Frederici indignationem incurrit. Eum laudat in ſuis epiſtolis Clemens papa IV. non ſemel; ſcilicet epiſt. 168. 272. 669. 904. tom. 2. Anecdot.

EPISTOLA XXXII.
Regi Castellæ.

Significat prosperitatem suam & filii sui ad cujus institutionem omnibus votis aspirat.

FRIDERICUS FERNANDO illustri regi Castellæ & Legionis, dilecto fratrio suo, salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Ut sinceritatem vestram communis pariter prosperitatis nova lætificent, noveritis quod illo faciente, qui dirigit vias regum, plena corporis incolumitate perfruimur, & utique nostrorum rebellium victoria desiderata potimur, aut si quæ sunt nostrorum hostium reliquiæ, quas fidei nostræ frater scilicet tum inclytus noster fovet in expugnatione Faventiæ, quam sicut zona noster cinxit exercitus, ut jam fere simus de ipsius deditione securi, prorsus ad nihilum deducentur. Ceterum ut de benedicto filio nostro ac nepote vestro carissimo paternis affectibus aspiramus, gaudentes apud nos sanum eumdem & virtutum indoli regiæ debitarum susceptibilem esse noscatis, ad cujus institutionem in motibus, amplificationem in rebus, votis illis intendimus, & affectibus inspiramus, ut effectu pateat, quod eum non tam ad avunculum transmisisse vestra serenitas gaudere merito valeat quam ad patrem.

EPISTOLA XXXIII.
episcopo Reginensi.

Congaudet ipsi quod nepotes suos, qui defecerant, reduxerit ad fidem pristinam, jubetque ut visis his litteris venire ad curiam festinet.

FRIDERICUS venerabili Reginensi episcopo.

Audivimus & lætamur, quod consanguineos & nepotes tuos relictis seductionum illecebris, & deposito quolibet transgressionis errore, ad devotionem & fidem nostri culminis deduxisti: quod tantopere complacet majestati, quanto de tui amissione potius propter eos, quam de nostro dispendio gravabamur. Gratum est enim nostræ excellentiæ nimis, quod ipsis ad veritatis viam & ad agnitionem debite revocatis, ulterius tui præsentia propter tuos quoslibet suspicione cessante carere non cogimur, quia sicut novit Altissimus carebamus inviti. Et cum propter quædam ardua & utilia imperii nostri negotia, quæ tibi ad præsens cum audiveris admodum complacebunt, præsentiæ tuæ consilium & tui præsentiam nobis necessariam reputamus, devotioni tuæ firmiter & districte præcipiendo mandamus, visis litteris, mora qualibet & occasione remotis, ad nos protinus studeas te transferre, pro certo sciturus, quod adventus tuus tibi gratus, nobis utilis, & non minus erit ecclesiæ quam imperio fructuosus.

EPISTOLA XXXIV.
Fridericus regi Castellæ.

Gratum sibi fuisse filii ejus Friderici conspectum, seque ipsi magnifice provisurum.

INter cetera quæ ad præsens grata culmini nostro serenitas regia facere potuit, illud pervenit gratius ad cor nostrum, quod FRIDERICUM dilectum filium vestrum, carissimum nepotem nostrum, præsentare nostris aspectibus voluistis; in cujus visione facti sumus tanto magis gaudentes, quod in ipso matris suæ quondam sororis nostræ dulcedinem redolemus, & ipsius conjicimus regiam indolem ex ingenuitate morum, & gestum perfectiorem, ac Cæsaream susceptibilem disciplinæ: quem inter ulnas nostras grate recepimus, & paterna ipsum dulcedine sumus amplexi, & sic ad eum favorem, affectum nostrum & gratiam nostram intendimus fundere, Domino prosequente, ut morte matris ejus affinitatis vinculum inter nos dissolutum minime videatur, & quod serenitas regia gaudeat in signum totius dilectionis & affinitatis integræ ex latere filium adminiculum destinasse, & ipse lacte paternæ dulcedinis non se reputet abdicatum.

EPISTOLA XXXV.
Petri de Vineis.

Domino magistro justitiario Lombardiæ negotium exponit.

SPerata pluvia, quam in adventu magistri H. magna & multa tonitrua promittebant, in rorem tenuem est conversa, & licet aliquando navem nostram usque ad visionem portus spei vela secundo vento deducerent, dum tamen crederemus terram promissionis attingere, contrariorum ventorum impulsus mox in altitudinem pelagi celerius reducebant. Et ideo expedit ut in apparatu succursus moratio apud Tyrum vestrorum & sociorum aliorum nostrorum industria non lentescat. De negotio Lombardiæ illud in eventu tandem invenimus, quod divinatione mea & magistri Petri de S. Germano longe priusquam veniret, magister ad curiam præsagivit. Magister pe-

dem habet immotum, quasi discipulus in A uxoris querelam & tædium prosequitur.

EPISTOLA XXXVI.
Petri de Vineis, Simoni Vento.

De querela Synibaldi de Fossa cæca.

DOmino Simoni Vento, Petrus de Vineis.

Injurioſe ſecum actum a vobis vir nobilis Synibaldus de Foſſa cæca conqueritur, qui B cum curialis ſit, a curiali non debuit moleſtari; præſertim cum in negotio quod propter nos & ipſum agitur, ſit paratus in manu curialium hominum amicorum imponere (finem.) Non igitur vos in hoc novo veſtro dominio, nedum curialem, ſed nec quemlibet alium indebite moleſtare debuiſtis.

EPISTOLA XXXVII.
Petri de Vineis, H. illuſtri Anglorum regi.

Petit adoptari Rogerium in municipem regni Angliæ.

EXcellentiſſimo domino ſuo H. illuſtri regi Angliæ, Petrus de Vinea Apulus veſter.

A vobis in fidelem Rogerius per regiæ munificentiæ gratiam adoptatus, adoptari in municipem Angliæ ſupplicat per eamdem, ut non ſolum devotus fidelis regi ſed domini ſui & regni filius habeatur, & civis; ſuper quo cum dominus meus verus & efficax amicus veſter in Deo affectuoſiſſimas preces excellentiæ veſtræ dirigat, ſicut puto, ſatis poteſt induſtria veſtra colligere, quod rejectis adulationibus frigoris aliquorum, fides mea perfectiſſime claruit apud eum.

EPISTOLA XXXVIII.
Petri de Vineis, magiſtro juſtitiario.

Ne perturbet aut commoveat ſummum pontificem.

DOmino magiſtro juſtitiario Petrus de Vinea. E

Ignis incendium, quod ultra quam licet ultro progreditur, olei adjectione non indiget, ne in diſpendium evagetur, & iracundiæ motum, quem cauſa non provocat, augeri juſtitiæ colore non expedit, ne tranſeat in furorem. Sic & Romanæ curiæ pelagus, quam modicus ventus exagitat, commotione nautarum, quibus regni navigium imperiali proviſione committitur non debet commoveri, præſertim rebus ut nunc ſe habentibus. Rogo vos igitur Domine, cujus obſequium & devotio ſincera in conſpectu principis placuit, quantum in vobis eſt, turbationem omnem quæ ex colliſione tam ſublimium gladiorum poſſit emergere ſubmoventes, præſertim hoc tempore, quo negotio totius Italiæ imperiali proviſioni commiſſo poſſit periculum imminere, ſine ſpeciali mandato principis aures & animum ſummi pontificis nullatenus perturbetis.

EPISTOLA XXXIX.

Quam crucietur a creditoribus ſuis.

PRæter crucem qua in mundo crucior; duas patior cruces in curia graviores, neceſſitatem ſcilicet, & urgentem inſtantiam creditorum, quarum quælibet ad confractionem meam per ſe ſola ſufficere, etſi contra me junctura ſe triplici non unirent. Inſtat enim a tergo exactor aſſiduus, repetens mutuum, quod retroacto tempore deficientibus expenſis curiæ comprehendere C ſum coactus; cui dum ſatisfacere nequeo, blandiri compellor. Angit præterea durus & domeſticus creditor individuæ naturæ comes, cui deeſſe non poſſum, nec audeo ſuum denegare tributum. His igitur crucibus trahor, quarum primæ utinam per principem excellentioris rei remedio conſulatur, qui duas poteſt de facili dum præcipiat relevare; ſed qualiter ego .... & emeritus in domo Domini, in cujus gratia ſpero quotidie recipere potiora, impudens panis petitor coram ſuis aſpectibus advenirem, iſta potius ore alieno tractentur. Si D vobis eſt igitur, bone magiſter, animus, ſi ſuperioris honor & memoria magiſtri, meique cura vos inde ſollicitant, ſi conditionem meam, immunitatem manuum, & quidquid contra me agitur non diſſimulat favor veſter, id quod neceſſitati & inſtantiæ creditorum expediat, quæſo apud Dominum procuretis, cum impatiens moræ ſit famelicus hoſpes, & exactor intendat equos & ſupellectilem violenter auferre, vel ſaltem ſciat hæc Dominus, quia benignus eſt, ut inter has afflictiones ne ſic vexari diutius nos permittat.

EPISTOLA XL.
Conrado filio ſuo.

Ut ſtudeat prudentia & bonis moribus proficere.

FRIDERICUS Conrado filio ſuo.

Primatibus orbis & regibus clara progenies ſola non ſufficit, niſi genus egregium

generositas adjuvet, & illustris industria A
Nota. clarificet principatum; nec ab hoc solum quod altius sedeant reges & cæsares, ab aliis disjunguntur; sed quod profundius videant & virtuosius operentur. Præterquam quod enim hominibus humanitate participant, vitæ communicant, nec sibi præcipuum vindicant, si singuli virtute prudentiæ ceteros non præcellant. Sic enim nascuntur ut homines, & ut homines moriuntur. Nullus autem ex regibus juxta sententiam Salomonis ad vitam aliud habet nativitatis initium, alio potitus est exitu. Propter quod oportuit & voluit habere sapien- B tiam spiritus, quam præposuit regibus cunctis & sedibus, in comparatione illius nihil esse divitias reputavit. Igitur, fili mi, attende sapientiam & prudentiæ inclina aurem, ut regiis insigniis decoratus, effectum regii nominis assequaris. Nomen enim regium inde certo, quod subditos regamus, accepimus. Reges enim protinus esse desinemus, si regali prudentia destituti, privatorum regimine potius regimur quam regamus. Immo tanto se majori nota notabiles faciunt principes insciі, quam privati, quanto nobilitas sanguinis per infusio- C nem subtilis & nobilis animæ facit ipsos esse præ ceteris susceptibiles disciplinæ. Cumque sublimium dispendiosa simplicitas, nec ipsos solum dispendiis afficit, sed subjectos, dum præcipitium principis post se trahit populos ad ruinam. Propter quod merito dicitur: Væ terræ cui rex puer est, quia domini pueritia terra plectitur, & regis stultitiam populus sæpe deplorat. Et cum inter ceteros principes a te velut in Romanorum regem electo vere dependeat plurium populorum..., propter quod de imD prudentia tua possent periculosiora dispendia formidare; de necessitate prudentiam amare te convenit, ad quam per studii scalam & disciplinæ gradus celeriter pervenitur. Et quia Cæsarea dignitate deposita, in humiliato fastigio regiæ majestatis, sub magistri ferula, sub regula præceptoris, non regem aut Cæsarem esse convenit, sed scholarem; doctoris igitur increpationibus pareas doctrinam libenter accipias, & si scire desideras, desideres edoceri. Etenim juxta sapientiæ verbum, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Ut igitur velut sapiens filius patrem lætifices, scientiam diligas, nec abhorreas disciplinam, nec regem ex nominis dignitate solummodo tibi fore sufficiat, sed ex regiminis virtute rectorem.

EPISTOLA XLI.
Petri de Vineis, archiepiscopo Barensi.

Ut processum de ecclesia S. Nicolai differat, indictumque interdictum relaxet.

ARchiepiscopo Barensi Petrus de Vineis & R. de Porta-Castelli.

Nos duo, quos vobis unanimes per vestrarum promotio facit unum, unanime vobis consilium mittimus, ut processum quæstionis super ecclesia B. Nicolai de Barro saltem usque ad adventum nostrum ad curiam differatis, & interdictum vestrum contra volentes adire prædictam ecclesiam indictum remittentes; quod idcirco consulimus, ut de corde principis omnis circa nos evellatur rancoris occasio, cum causa hæc sit.

EPISTOLA XLII.
J. de Columna cardinali.

Ejus se consiliis adhærere velle declarat & ipsum honorare.

FRIDERICUS J. de Columna cardinali dilecto amico suo.

Miranda jamdudum vestris accepimus advenisse consiliis nostrorum præparamenta successuum, quibus ad reformationem imperii, quod huc usque malitia temporis informiter deformavit, præmuniri nos hactenus sedula consideratione, sed tacita sperabamus: & cum imperialiter progrederemur ad grandia, atque universaliter ardua tentaremus, nostrum aliquando propulsastis auditum, aures obduximus, oculos interea despicimus, ut vestrum omnino despicere consilium videamur, hæc omnia rerum eventibus & congruo tempore reservantes; sicque saltem apud vos frequenter arguistis, ut credimus, de pusillanimitate magnanimem, de somno pervigilem, & de negligentiæ vitio non otiosum. Dum enim in Apulia commorantes hereditarii regni nostri Siciliæ recuperationi intendimus, dum in Syriam navigantes E votum quo tenebamur implevimus, dumque nostrorum desideria principum perinde nostris adjunximus a remotis, tunc hujus ædificii fundamenta congessimus, tunc firmum nobis pontem ad transitum, tunc gradus ereximus stabiles ad ascensum in montem: verumtamen nos decipit vestræ provisionis meritum, quod ingeritis, & fructuosis obsequiis communi patri collatis, si tamen hæc dicere liceat cardinali, fraudati spe juramenti fuimus, & gratiæ in ipso sterilis solum aravimus, vel latum forsitan semen

semen spinosa consilia suffocarunt. Prædicta tamen per veram & elegantem industriam excussa, cum tanta virtute purgare contendimus in futurum, ut per laboris instantiam & gesta magnifica dispendium temporis redimamus, vestris acquiescendo consiliis: de quibus tamen vobiscum interdum disputando conferimus, & mirantibus vobis, quia cardinalis & presbyter militi & imperatori Romano virtute audaciæ, sed reformatione audaci maxime suadenter occurrit, quod strenuitatem tanti consilii, quam mali sacerdotii moles & sæcularium invidia continet, de nobili cura nobilium, & fervor ingenui sanguinis eduxit. Hinc est quod hujus concilii tempore liber regum tantummodo nobis memorandus occurrat, cum libro Levitico vel de Canticis canticorum. Sed videte ne solummodo vobis grandia consuluisse sufficiat, non adesse consilio, vel quia habere gratis voluissetis audaciam vos aggredi talia non credentes. Experiemur etenim in audace constantiam, & in consulente virtutem, & utrum in suadendo concepistis audaciam, in fovendo perseverantiam habeatis. Nos enim quia in vobis hominem secundum cor nostrum invenimus, honorare vos volumus, sed ornare non minus, in magnis & arduis consiliis vestris acquiescere disponentes, quæ sicut puritatis affectu plena cognoscimus, sic veritatis effectu non vacua postulamus.

EPISTOLA XLIII.
comiti Provinciæ.

Eum urget, ut se cum decenti armatorum turma conveniat.

FRIDERICUS comiti Provinciæ.

Litteris & nuntio tuo ad nostram præsentiam destinatis hilariter & benigne receptis, tam ex continentia litterarum, quam ex nuntii relatione colligimus, devotionem tuam, quam ad nostra & imperii servitia promta geris & fervida voluntate. In eo verumtamen cogimur animum habere sollicitum, quia sero nuntium nostrum veniisse audimus, ut litteris submonitionis nostræ veniisse fateris, pro eo quod terminus in Kalendis Maij prætaxatus e vicino videatur instare: licet admirari cogamur de nuntii tarditate, quem ad præveniendum apparatum tuum præmisimus & deputavimus specialem. Ad quod insuper confidimus te probabiliter expediri, quia etsi nuntius ad te non cito pervenerit, affectus tuus per effectum debitum in aliorum exemplum clarius ostenderetur. Allegavit idem nuntius tuus temporis discrimina præcedentis, & insuper instantiam omnium causarum quæ tibi oneri fuisse noscuntur, ut certum a nobis præfigi peteret terminum militum ducendorum; quod expedire non vidimus, nec ad hoc proposita petitio nuntii nos potuit inclinare, ut viro tantæ strenuitatis & fidei, quem filialis affectio servitii nostri & imperii votis ardentibus præcordialiter incitat & invitat, qui cum affinitatis vinculo, tum ex nativo ac potentiæ suæ meritis adest ceteris in exemplum pariter & sequelam, metam comitivæ suum decentis honorem præfigere deberemus: suggerentes tuæ fidei fiduciam certiorem, quæ ad servandam laudem & gloriam ex parte consummationis negotii Lombardiæ, quod præ manibus est, a te proximo finaliter nobis offertur; laudabiliter ad coronam pugnæ venias, ut re vocaris: obliviscaris gravamen rerum & temporis, & successuum perfectionis gaudia, conatibus virium renovatis exurgas, ut nullus possit modestior a nobis numerus prætaxari, quin in eo derogari nobis & tibi crederemus potius quam deferri, maxime cum ad P. comes Sabaudiæ sororius tuus dilectus filius noster ad præsentiam nostram circa partes Pedemontis accedens, proprio zelo ductus, ac honorabili comitiva ad exercitum nostrum obtulisset se venturum, marchione montis Ferrati præsente, & nostris similiter exposito in omnibus suarum virium facultatibus. Nec te patimur ignorare, quia a diversis regnis & mundi provinciis strenua præstolamur officia, & infinitam habere confidimus copiam armatorum, volentes notam cunctis tuæ domus laudem & gloriam præsentialiter ostensuri, ut nobis gratiosus advenias, admirabilis ceteris & tibi ac tuis titulis gloriosis. Nos autem ad tuum opportuniorem adventum in Kalend. Maij terminum ad ejusdem mensis finem tibi volumus prorogare, ita videlicet quod in Kalendis sequentis Junii te coram nobis debeas hilariter præsentare. Cetera vero tuus nuntius ore supplebit, qui de felici statu & processibus nostris te certum & jocundum efficiet, sicut vidit.

EPISTOLA XLIV.
Petri de Vineis, cuidam archiepiscopo.

Causatur quod sibi non scribat.

PETRUS de Vineis, archiepiscopo.

Inter cetera quæ tam de plena salute corporis, quam de aliis accidentibus mihi per gratiam Dei pro voto succedunt, in uno tamen videor facientibus vobis sustinere defectum, quod de salute vestra non possum frequenter, sicut cupio, recreari. Si hoc unum adesset, cuncta mihi, ut voluimus, pro spe agerentur. Recordamini quia ex quo per-

sonam vestram non vidi, litteras non recepi, sed scire potestis & etiam sano vocabuli & ... protracti recte perpendere, quod epistolæ missiones dicuntur, & ideo non tam præsentium, sed absentium adjumenta sunt amicorum epistolæ. Quid ergo fuit quod Dominus obstitit, ut absentibus nobis, tamdiu nulla mihi littera mitteretur a vobis. Quod si .... possunt hinc inde negotiis, & sub panno tenui, nihilominus solis obstant fervoribus, anhelantem leni aura de vestra salute spirante mulceret. Ceterum etsi me de similibus accusatis, judicium dispar. Nam propter infirmitates multorum, me ad multa cum pauciſſimis nostris remanente, & propter hæc multipliciter occupato, morbo quasi universaliter ferveſcente, dum turbarer ob hoc, & multum paveſcerem, cum a publicis vacabam negotiis, libenter mihi in privatis parcebam. Faciebam tamen quod poteram & fas erat, videlicet vos per omnes ad partes illas venientes nuntios salutando. Ideo quia credo vos ex iis conviciſſe, niſi forte alia penes vos exceptio lateat, quæ mei allegata proponentes elidat. Quidquid obſtiterit, pro Deo rogo, ut a modo mihi non faciatis in iis paritatem, quia graviſſimum gererem, nec tale delictum veniam mereretur, ſi in culpam ſimilem ſimiliter iterum caderetis.

EPISTOLA XLV.

Responsiva ad præcedentem.

PEccarem in filio, & in devoto delinquerem, ſi patris fidem in præſentia præſtitam, ſervitori abſenti non offerrem, cum præſertim legam ſemper in regiſtro memoriæ, ne intelligere negligam, quanta me ſemper honorificentia prævenistis, & ut tractentur aliqua, quanta ſollicitudine procuraſtis, ut a lecto reſurgerem quo languebam. Igitur qui lucrati eſtis, uti vinum & de meſſe quam defenditis a pluvia fructum, ſi quem dare poteſt, congruum colligatis, ne impingant nobis quoddam quod nolo dicere, vel contemtum, ſi eam penitus duxeritis amittendam, a qua etſi nondum plenos manipulos, grana ſaltem colligere valetis, præſertim cum apud ſe jugiter dare pro poſſe vobis fructum ſuo tempore gratioſum ſit. Rogo propterea ut memoriam mei non abſorbeat interjectio ſalſi maris, in vobis me conſideretis, ſi placet, quanta profunditate, quam latens eſt marina ..... involvat. Sed quoniam brevi ſpatio, claro hinc inde lumine in ſubito tellus utraque ſit diviſa. Propter hoc ſi quid acceptum nobis largiri poteſt Liguria, licet felicitatem ejus depravet infelicitas incolarum, requirite, quia non deerit Hebræo quod offerat gratum Domino ex Ægypto, cum defectus A habere non valeat locum ſub principe glorioſum alias glorioſo.

EPISTOLA XLVI.

Petri de Vinea.

Significat quod intendat venire ad curiam, petens primo certificari, ſi qua de Sicilia ſtatu fuerunt innovata.

B AD placandum motum & animum principis, quem æmulorum invidia detractionis contra nos flatibus reddidit inquietum, cum exeniis placidis, verbiſque ſuavibus ad curiam ſine moræ diffugio dirigi providemus greſſus noſtros, ſummopere admonentes, ut ſi qua in regis curia nuper de ſtatu Siciliæ fuerint innovata, vigili nobis ſtudio per veſtras litteras intimetis; quia donec nobis ex his certitudo facta non fuerit, ſecundum interſigna Meſſanenſium condicta adeſſe non diſponemus, nec audemus.

EPISTOLA XLVII.

Cuidam regi

Quatuor ei mittit annulos lapidibus pretioſis ornatos.

FRIDERICUS, regi &c.

Inter opes terrenas, quas mortalis oculus concupiſcit, quaſi coronam deſiderat aureum obryſum, & lapides pretioſos; & licet iis aliiſque divitiis excellentia regalis abundet, in ſignum tamen dilectionis & gratiæ, quatuor annulos auri cum lapidibus diverſis pretioſis tuæ magnitudini deſtinamus. In quibus te voluimus ſpiritualiter intelligere formam & veram materiam & colorem, ut myſterium potius quam donationem attendas. Rotunditas enim æternitatem ſignificat, quia initio caret & fine. Habet enim regalis prudentia quid in annuli forma requirat, ut de terrenis ad cœleſtia tranſeat, & de temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem numerus eſt quadratus, & conſtantiam mentis ſignificat, quæ nec adverſis deprimi poteſt, nec proſperis elevari, quod tunc laudabiliter adimplebis, cum quatuor virtutibus principalibus fueris adornatus, ſcilicet fortitudine, juſtitia, temperantia & prudentia. Intelliges enim in primo juſtitiam, quam exerceas in judicio; in ſecundo fortitudinem, quam adhibeas in adverſis; in tertio prudentiam, quam ſerves in dubiis; in quarto temperantiam, quam in proſperis non dimittas. Per aurum vero ſapientia deſignatur; quia ſicut aurum præeminet univerſis metallis; ſic ſapientia bonis omnibus antecellit, dicente

scriptura : *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus.* Porro smaragdi viriditas fidem, sapphiri serenitas spem, granati rubicunditas charitatem, topazii claritas operationem significat. Habes igitur in smaragdo quod credas, in sapphiro quod speres, in granato quod diligas, in topazio quod exerceas, ut de virtute in virtutem ascendas, donec Deum deorum videas in Sion.

EPISTOLA XLVIII.
Cuidam regi.

Ejus optat frui præsentia.

FRIDERICUS, regi cuidam.

Per litteras & nuntium nuper directum nobis ad vos regem imaginarie venientem debita satis honorificentia amplexatus fuit imperialis affectus, & tam in salute regis exposita, quam in regio salutis proposito nimium congratulata est Cæsaris affectio diligentis. Sed ut animo dictante loquamur, magis ac magis, immo plusquam magis affectioni vestræ concessisset ad gaudium, si quam obtulit littera, persona venisset, & quæ nunc scribere nos cogit absentia, loqui præsentia delectaret, tanto & tam caro nobis amico imperialis serenitas condignis honoribus assurgeret, & quam ad vos sinceræ dilectionis prærogativam habemus, verbo & opere & effectu prosequi potuisset. Nimirum ex hac amica quadam affectione languimus, & diligentiam vestram non immerito quadam benevolentiæ increpatione ferimus, quod sic votum Cæsaris vestram zelantis faciem defraudastis. Item, nec paulisper voluistis divertere, ubi & honor vos debitus recepisset, & directio non ingrata vestro successura progressui, secundaret. Accusatur siquidem in vobis habilitas ad culpam, & loci propinquitas voluntati præsertim, cum transitus vester per nos etsi nobis ad gratiam, vobis esset ad commodum profuturus. Merito itaque ex hac tali rei jactura dolemus, & ideo ad ostendendum plenius, quanti vos non vidisse displicuit, quantumque vidisse nobis extitisset acceptum, sciatis, quod si salva integritate quam ad vos gerimus, fieri potuisset, nec libenter hoc vobis transmisissemus ad culpam, & impegissemus libentius ad offensam. Nec ideo petitionem vestram per vestram litteram præstolatam admisissemus ad præsens, nisi ut per eam absenti concessam, quia apud rogati magnificentiam tam prona fuit, certum daretur indicium, quam longe maxima fuerat rogantis præsentiæ concedendæ. Et ecce quia, petitione ipsa gratanter admissa, damus per nostras litteras in mandatis officialibus nostris in regno, ut diligenter adimpleant quæ petistis, & alias A etiam vobis se devotos exponant : cum in omnibus & ubique impensionibus operum ostendere delectamur, quantum nobis dilectio vestra persistat amabilis, & fidelitas pretiosa ; propter quam petimus & rogamus, ut dirigente Domino iter vestrum ad auræ prospera, cum ad reditum vestrum secundabitur gressus vestros, faciatis nobis, ut tunc saltem optata vestra visione lætemur, & qui nunc gratulamur ex voto, tunc ex peracto feliciter cursu voti geminata nos vobis faciat lætitia congaudere.

EPISTOLA XLIX.
Archiepiscopi Capuani, Petro de Vineis.

Amovet a se detractionis suspicionem.

ARchiepiscopus Capuanus, Petro de Vineis.

Super eo deberemus in te acutioris stilum reprehensionis inurere, quod suspicaris nos favere detractionibus illusoris. Sane non modicum nobis displicuit, quod nostræ clementiæ litteræ de tua susceperint suspicione repudium, & quod ad incongruum vel retractæ fuerunt intellectum, sed patienter omnia pro Domino ferimus, in vaginam extractum gladium reducentes, quia non licet amplius legis reparare severæ judicia, ubi vobis ad misericordiæ viscera levis succesit disciplina.

EPISTOLA L.

Reparandas esse regni vires ad hostes repellendos.

AD reparandas regni vires & conatus hostium repellendos, nuntiis ac litteris recurrentibus universitatem & vos excitasse meminimus, & plus corde quam voce clamantes, opportune excutimur in portum, ita quod fauces nostræ factæ sunt raucæ, & calamus noster obtusus. Sperabamus autem quod amor libertatis, qua nulla res pretiosior reputatur, universos animaret & singulos, & mutilatio nobilium regni, quæ nullius remedii afficit cicatricem, debita compassione moveret.

EPISTOLA LI.
Accursii, Petro de Vineis.

Ejus se honorem sitire.

PETRO de Vineis, Accursius.

Non vivit in orbe terrarum qui honorem vestrum magis me sitiat, & serviendi voluntatem habeat promtiorem. Et hoc

malo quod veridica venientium de curia relatio afferat, & operum affirmet effectu, quam benevolentiæ referat continuata series litterarum. Unde vester sum totus, & de me confidenter & secure jubere potestis, & facere quodcumque placet.

EPISTOLA LII.

Archiepiscopi Panormitani, Petro de Vineis.

Causatur quod sui obliviscatur, mandatque se ad curiam proxime venturum.

ARchiepiscopus Panormitanus, Petro de Vinea.

Provideat circumspectio vestra, ne in canonem amicitiæ incidatis, vel potius incideritis, quo cavetur ne transeant mentes dilectorum cum loco, ne quævis oblivio facie cœli mutata subrepat. Diu quidem & multum præter amoris morem filuistis ad fratrem, & calamus vester tacuit ad amicum, ubi de vobis ipsis nihil certum misistis, nec saltem sollicitastis cum ad odorem veræ dilectionis recurrere, quo grata consuetudine pasceretur. Sed forte ad hoc vel defectum allegabitis, vel incusabitis negligentiam nuntiorum: Certe si controversia sub judice verteretur, de jure elideretur utrumque; sed cum hæc & alia terminanda in utriusque præsentia suspendamus, ecce vel plene sciatis de nobis. Accincti sumus venire ad curiam, & ut apertius intelligatis, venimus proposito irrevocabili & voluntate firmissima, jam tenentes pedes ad iter. Ut de hoc vester animus non vacillet, ecce præmittimus effigiem nostram, & non dubiæ stipulationis cautelam latorem præsentium, qui arrha est & solutio certa pro nobis: rogantes ut personam nostram in persona ipsius recipiatis, & in figura ejus nostram effigiem habeatis ipsum in omnibus.

EPISTOLA LIII.

Petri de Vinea, archiepiscopo Panormitano.

Invitat eum ut ad curiam redeat.

PETRUS de Vinea, eidem.

Cum omni devotione vidi litteras vestras, & statum vestrum juxta vota prosperum & salubrem hilariter intellexi. Desideria nostra non patiens ignorare, quod communis dominus noster sereniſſimus imperator, ut optatis, mente & corpore prosperatur, remoto a modo procerum & aulæ turbine, & ad ponendum calcaneum in præsentia clericorum, quo data sibi dudum potestas extitit, constituit, ut ab iis quos per fas & nefas condemnaverat, vindicetur. De Mardochæo vestro, qui se absentavit a curia imperatoris impatientia sponsæ suæ, omnes qui spem in eo posuimus, pro absente languemus, expectantes ut redeat, & suæ præsentiæ lenitate a paternis affatibus excitata continuo reficiat anxiatos. Usquequo pater vestris erit inutilis mora vestra. Sane si sic expedit, & ecclesiæ etiam votum exegit reditum vestrum, tempus est, ut ad curiam, cujus estis alumnus, quæ diu vestri lactis alimenta suscepit, mentis oculos revolvatis, ubi quotidie reponebatis in horreis Domini manipulos pietatis, pauperes & debiles, pupillos & viduas viriliter adjuvantes. Nec erit insuper vestris inutilis status vester, qui clamant, nec inveniunt adjutorem. Hæcce interim immature suadeo, nec aliquid vestris infallibilibus propono consiliis, licet præ oculis vestris cuncta quæ iis adjacent, adjiciam confidenter. Ceterum ut pauca suggeram sapienti, multa loquutæ famæ subtrahenda sunt & linguis detrahentium occultanda. Consideretis igitur, si placet, materies animi redeundi, & quod pro reditu vestro consultius videbitur, consueta providentia procuretis. Me vero vestrum scietis ad omnia, & in jugi cogitatione manere, donec juxta desiderium meum reditum vestrum audivero præparatum.

EPISTOLA LIV.

Prædicti archiepiscopi, Petro de Vineis.

Commendat ei quemdam quem ad aliquem dignitatis gradum provexerat.

PRopter verba labiorum tuorum incœpimus & prosequimur vias duras. Veniemus, & veniſſemus citius, nisi illa infelix Panormitana civitas nos per caloris intemperantiam & per insultum rheumatum impediſſet. Sed expedit ut ab ea resumtis viribus, quantum possumus properemus. Sciatis postquam transeunte cum universitate illo modico quod provisum nobis in Syria fuerat, & ab Apulia datum, a quo tale quale vitæ subsidium habebamus, aliis etiam amminiculis in promotione illius hominis noviter amputatis, in solis & puris remansimus intellectibus, nec erat nobis aliquis locus in diversorio domus. Nam nihil aliud restat nobis, nisi ut carrum quod viatores subivimus sub ea qua intravimus mane repetamus. Ceterum ecce homo, quem de capa ad mantelium convertimus, ad vos venit, sperans ut capæ simplici intimo foro nimis tenui & depilatæ præbeatis auxilium ad portandum, ut locum, ad cujus regimen datus est, protegere valeat a turbine & a pluvia. Sollicitudini enim ejus nihil deest, quin laudabiliter incœperit & bene laborat, si in auxilium suum favor interceſſerit amicorum. Unde pro Deo juvate eum modis

omnibus, ut poteſtis, ut ſentiat veſtrum A levamen, qui devote celebrat nomen veſtrum. Audietis præterea quid vobis dicet, & ſecundum quod decuerit & expedierit, docebitis eum facere quod videritis faciendum.

EPISTOLA LV.

Idem eidem.

Moram excuſat ſuam.

AD negligentiam vel contemtum nobis imputare vos nolumus, qui exhortati B per vos frequenter & moniti ad curiam ſub quadam tarditate venimus. Cauſam enim moræ felix illa vel infelix Panormitana civitas nobis dedit, quæ ſuis ſemper male conſuevit reſpondere hoſpitibus, & nunc ſuo pontifici ſic reſpondet, & illorum quos prævenire credimus facti ſumus impedimento ſequelæ. Exerens enim in nos peſtiferas vires ſuas, propoſitum itineris noſtri ſuo tempore nos proſequi non permiſit: ſed ecce reſumtis viribus, tarditatem præteritam feſtinantia redimentes, ad pedes C imperatoriæ majeſtatis accedemus, rogantes ut per vos, quantum licet, cauſam moræ ad reditum noſtrum ſciat.

EPISTOLA LVI.

Petri de Vineis, archiepiſcopo Neapolitano.

Petit ab eo novi aliquid de rege & curia, &c.

PETRUS de Vineis, archiepiſcopo Neapolitano.

Audientes proſperitatem principis & ſalutem, ut a lætis nobis læta, ſicut cupimus, de quibus & cupitis, referantur. Statum igitur ipſius & proſperos actus ejus necnon & rumores curiæ, qui hic varie referuntur, ſub ea quam habetis certitudine nobis petimus nuntiari, rogantes ut a volendo & & petendo vos non faciat loci remotio mendaces; quia ad volendum & exequendum quam multis erimus in abſentia promtiores.

(a) EPISTOLA (a) LVII.

Archiepiſcopo Capuano.

Gratias agit de xeniis, eumque in infirmitate conſolatur.

FRIDERICUS archiepiſcopo Capuano confortando ipſum in infirmitate ſua.

Recepit noſtra ſerenitas delegata tui ventis exenia, gratius per teipſum, quam ſi legato tuæ ſupremæ voluntatis nobis hæc eadem teſtamentarius diſtributor aut quivis heres legitimus delegaſſet; ac in eis non tam rerum relictarum inſpeximus quantitatem, quam relinquentis affectum, & ipſius extremi conſideravimus judicii qualitatem, quod apud te, prout evidenter agnoſcimus, conſcientiæ tuæ fidelis integritas * compulit, & beneficiorum tuorum grata memoria, quam agentis in ultimo ſpiritus retinebat, induxit. Et cum, ſicut audivimus, adhuc te lectus adverſæ valetudinis teneat, nec in totum evanuit ſpes ſalutis, ad reſumendas convaleſcentiæ vires, recepto præſenti hilariter noſtræ conſortationis antidoto, tanto debes inſtantius aſpirare, quanto ſalutem tuam nulla, ſicut accepimus, deſperatione præciſam, quam pluribus fructuoſam, & ſpecialiter noſtris fore ſentis obſequiis opportunam.

* Coll. complit.

EPISTOLA LVIII.

Petri de Vinea, eidem archiepiſcopo.

Xenia ſe ejus domino imperatori obtuliſſe.

RETinente quorumdam conſilio ex noſtris, & niniam zeli veſtri perfectionem conſcientiæ ſcrupulis adſcribente, factum eſt, pater, quod * imperaſtis; quia & quantitatem miſſarum rerum circumſpectio principis habuit, & circumſpectio qualitatem miſſionis attendit. Serenitatem etiam vultus ejus, cum audivit archiepiſcopum Capuanum, lator præſentium nuntius veſter vidit, & nihilominus affectum ipſius epiſtola nobis remiſſa teſtatur, D quoniam ab intentione jubentis & uberius dictantis induſtria proculdubio non receſſit. Vos igitur, reverende pater, qui dominis ſervire fideliter & placere devotis utiliter didiciſtis, placeatis & nobis, ut vitæ veſtræ telam, quam deſperationis ante novacula non præcidit, conſuetis & debitis medicinæ remediis confoventes, nec ſit vobis ideirco mori ſolatium, quod ſit propter ægritudinis tædia longius vivere doloroſum, me autem, ſi tamen patri morienti ſuperero, veſtris amicum in morte relinquitis, quem vobis devotum revera habeaE tis in vita.

* Coll. impetraſtis.

EPISTOLA LIX.

Lanfranco Spinulæ & conſanguineis ejus.

Dolorem ei ſuum & conſanguineis de morte P. regni Siciliæ admirati ſignificat, eoſque conſolatur.

FRIDERICUS, Lanfranco Spinulæ, fratri quondam Nicolai Spinulæ im-

(a) Hanc epiſtolam & quaſdam ex ſequentibus contulimus cum mſ. Colbertino.

perialis ſtolii & in regno Siciliæ admirati, A totique domui & univerſis conſanguineis ejus.

Dum expectaremus a P. Nicolao quondam admirato amico noſtro certificari de apparatu negotiorum noſtrorum, quæ induſtriæ ſuæ commiſſa, quoad vixit laudabiliter exercebat, grave nuntium & moleſtum de ipſius obitu recepiſſe dolemus, qui nos valde turbavit omnino, quod tam expertum fidelem noſtrum expoſuit a noſtris ſervitiis defeciſſe, *cujus præſentia ſic ſe noſtro conſpectui verbo reddiderat & opere comprobatum*, ut ne dum grave diſpendium in B ejus tranſitu perferamus, quin potius vobis omnibus favorabili condolemus affectu. Sed cum ipſe vobis & nobis, ſoluto naturæ debito, irrevocabiliter ſit amiſſus, & nos confidentiam, quam poſueramus in eo, & in vobis, quos ad honorem & ad ſervitium noſtrum eadem fides in germanitate ſervabat, firmiter gerebamus, ad vos in ejus memoria contractamus cum ſuperſtitibus vobis, nobis vivere ac ſupereſſe confidamus, gratiam quam apud nos meruit, erga vos plenarie * refundentes, ut noſtris ſervitiis nequaquam defuiſſe credamus, in C quo tot fratrum & conſanguineorum experta fides & grata viciſſitudo concurrunt. Licet igitur recordatio tam boni fratris & conſanguinei veſtri, fideliſſimi noſtri, a nobis ſine dolore tranſire non poſſit, nec liceat juſtum inhibere dolorem, ex favore tamen gratiæ quam ad eum habuimus, & ad vos duximus reducendam, ſecundum emergentis damni vehementiam modum vobis favorabiliter ſuademus, quatenus conſiderato humanitatis debito, quod cum ingenti honore perſolvit, & quod ex vocatione naturæ præfixum ſibi terminum non eſt permiſſum in rebus humanis ulterius D prorogare, poſt effuſas lachrymas, & dolore præ modeſtia temperato, in plenitudine gratiæ noſtræ conſolatione ſuſcepta, reſpirare curetis, qui quod illi debebamus ad meritum, veſtris reſervamus profectibus & honori.

* *Colb.* diffundentes.

EPISTOLA LX.
Petri de Vineis, amico.

Morbo ejus compatitur, conſulitque ut ad locum ſe transferat ſalubriorem.

E CAdat ſuper Faventiam fulgur, & perflet eam ſpiritus procellarum, cujus peſtilens mora coegit patrem curiæ, virum circumſpectum, & antiquis patribus dignum, ad noſtrorum reſtitutionem temporum præſervatum, a noſtri præſenti etiam conſolatione conſortii removeri. Pereat illius civitatis memoria, & in eam ros & & pluvia non deſcendat, in qua foris noſter irriguus ſtatus & ſalutis habitæ detrimenta concepit. Rarus ipſam inhabitet incola, quin potius relegatio filiarum mearum lugeat deſolatam, in qua reipublicæ pater cœpit languoris incentiva ſentire, quæ * ad remotiora loca remediis indigeant balneorum. Vadat ergo pater, quem a finibus iſtis viciniaque remanet ſalus. Admoveat & procuret ſibi commoda in illis partibus expectata ſalutis, quibus nullus in orbe ſydus * radiis illucet amœnis. Nonne auditis, bone pater, ranas ſuis turgere paludibus, quæ ſuam videntur hominibus ingerere * corruptelam. Ex ipſa quoque terra vaporem corruptionis emergere conſuevit, * quæ corpora delicata corrumpunt cujuſlibet ſexus & ætatis, nociva confiniis paſſim afferens, & diverſa ægritudinis incommoda moraturis. Colligitur ergo per evidentes conjecturas ab incolis, quantum caveri valeat ab exteris & timeri converſatio religionis, qualiter intendere debeat ad receſſus, cujus præſentia continuatis proprii corporis incommoditatibus elaborat. Nec reor inutile fore conſilium, hominem locis peſtilentibus inſtitutum ad ſalubria loca ſe poſſe transferre, ubi ſperata voti incolumitas cum opportunitate loci & cum clementioris aeris beneficio naturæ proveniat, * & paterno ſtatui congaudeat expectatio filiorum. Confortetur igitur invitatione loci viri robuſti complexio, & paternas auras hilariter adeatis, in quibus vos lac educavit infantiæ, & Minervæ cultus edocuit & promovit adultum. Ibi ſub æqualitate poli, temporis * vernante temperie, infirmitas quæ incumbit in omni ſuo genere * ceſſari inveniet, ſicut expedit patienti, per quam nos, quamvis nobis ſalubriter reſtitutis, lætificabitis filios, quin eſſe paſſo compatimur revera compatienti languores noſtros, ex quo * nos digne portemus præſtolantes in brevi ſummo deſiderio refici veſtræ reſumtæ rumoribus ſanitatis.

* al. quia

* al. ſalubrius magis perlucet amœnis.

* al. emergere.

* al. cogitur.

* al. adcredimus.

* al. curſum inveniat.

* al. non indigne.

EPISTOLA LXI.
Petri de Vineis, Judici peregrino.

Ejus optat frui præſentia, officiaque in facto Novariæ præſtita commendat.

E PETRUS de Vineis, ſuo Judici peregrino.

Placuiſſet mihi, quod in infirmitatis acumine conſtitutus, tui præſentiam habuiſſem; ſed poſtquam me poſito inter utramque fortunam, dextra Salvatoris deflexit ſtare dexteram ad ſalutem; ſi commode poſſes, vellem libenter quod nunc, obtenta convaleſcentia, gratius me videres, ut prout mecum in examine valetudinis poſitus ſæpe tractaveram, coram te diſponerem

de rebus meis, cum decentius videatur prævidere salutis tempore, quam repentinis casibus subjacere. Verumtamen audivi, & * vl. deest Frederici. Frederici * egregii marchionis Lautec missæ litteræ Cæsari continebant expresse, quod in facto Novariæ servitium fructuosum satis efficax per te imperiali culmini sit collatum: propter quod cum in præsentia ejus favorabiliter non immerito videreris, nollem quod per absentationem tui in hac parte tibi afferretur aliquod nocumentum. Nam si Papiæ nequiverit fieri vel Vercellis, vel alicubi, si major * habilitas de- * vl. hostilitas. derit, præsentibus ambobus in curia, id B poterimus, concedente Domino, salubriter adimplere. Incolumis existas & alacer, scitarus me per Dei gratiam integræ restitutum sanitati, licet debilitas quæ remansit, provida refectione corporis egere videbatur ad tempus.

EPISTOLA LXII.

Luget obitum magistri U.

AMicus amicis.

Gaudeo si prospere valetis & vivitis, & C omnino deprecor, ut incolumitatem vestram in aliqua mihi litterula nuntietis. Dolui, novit Deus, fratres carissimi & amici, quod magistrum U. tertium vobis & nobis socium Capuæ ex inopinato nobis fatum commune subtraxit, quod bonæ indolis juvenem & amicitiæ liberalis fati series mundo noluit esse superstitem, ut a dierum suorum dimidio revocatus, necessarios & amicos in mœrore desereret, quibus nondum plene cœperat esse solatium, ut merito conqueramur eum vita destitutum in florido vitæ cursu. Scio magistrum nostrum & unicum amicum benefactorem magi- D stirum Petrum de Vineis, de tanti amici casu fuisse concussum, quia ingentes affectus animo non sine causa conceperat, quod vinea sua tres palmites ex una vite fertili protulisset, & dignos in Cæsaris præsentia stiterat, cariorum suorum gremio tres adultos, honestatis & vitæ suæ tres æmulos & sequaces, & eos ex tanto præceptore unam eamdemque pariter habuisse doctrinam, unum affectum in tribus convaluisse personis, ut nescii quærerent & conscii mirarentur. Felix pro certo societas & unitas illa E trium, quæ a præceptoribus & patriæ moribus in nullo deciderat, u. inter indigenas & concives suos unicam sibi gloriam & laudem acquireret, nec careret invidia, quod per tantum artificem scientia & devotione promta gratiam in conspectu principis ad secretorum assumta participium meruisset. Quia igitur, fratres mei, depositum suum repetit qui commisit, & speramus quod vere confitens ad requiem ex labore transiit, A sumendum est ex illius carnali depositione solamen, & in ejus præcipue transitu vitam nostram corrigamus exinde, quia *incerta* nobis semper hora præmittitur, quod ni*hil sit incertius* hora mortis reminiscamini.

EPISTOLA LXIII.

Petri de Vineis, ad amicum.

De morte filii ejus.

AUdivimus condolentes quod amicus noster *filius* vester & *juvenis* claræ indolis & moribus & scientia diligendus, proh dolor! naturæ debitum solvit. Sed ô dura & dira nati conditio & obliqui ordinis corruptela! quem sperabat pater successorem * sta- * al. dimittere. tuere, cui quidquid poterat in revocatione domorum, in amplificandis prædiis, & rebus opulentioribus de patris officio præparabat, vidit ordine transmutato mortuum, & quem præstolabatur ab eo, præbuit, heu! genito lugubre officium sepulturæ. Et sicut placuit Domino, ita factum est, & incolumitati vestræ ac vestrorum potissime provisuri, ad debitæ consolationis remedium in Domino consurgite, ostensuri ceteris per exemplum, qualiter a prudenti viro totius generis & patriæ speculo in similibus ad debita solatia doceantur.

EPISTOLA (a) LXIV.

Litteræ super morte imperatoris.

ETsi primi parentis &c. noveritis quod excellentissimus divus Cæsar genitor noster rebus humanis assumtus, sicut Domino placuit, debitum fatalitatis exolvit, reddens animam Deo vivo, cujus sola querimur præsentia destitutos, serenissimo domino C. in Romanum imperatorem electo Jerusalem & Siciliæ regem, ex testamento dicti Domini patris nostri imperii & regnorum fastigio feliciter succedente. In cujus persona, quas obitus patris nos *compulit* producere lachrymas & quassantia pectus *nostrum* suspiria moderemur. Ipse quidem est, quem regnum Siciliæ placido lactavit ubere, quem potens Germania strenuis actibus erudivit, quem gesta nobilium Cæsarum proavorum & patris ad summa rerum vocant fastigia, quem pater verum constituit successorem. * Nos igitur una vobiscum in tanto Domino consolationis spiritum assumentes, fidelitatis & devotionis constantiam, qua inter alios regni fideles

* al. quem ætas & unitas tanto patri verum constituit successorem.

(a) Hæc epistola scripta videtur a Manfredo filio Notho Friderici imperatoris, ad cohortandos populos, ut inviolatam Conrado Friderici filio & successori fidem conservent.

ſub prædicti genitoris noſtri imperio clarui-
ſtis, eidem regi CONRADO inviolabiliter
obſervetis. Simul vobiſcum verum agricolam imitantes, qui ſucciſæ jacturam arboris fructiferæ palmulæ commoditate conſolatur. Nos etiam qui ex mandato prædicti patris noſtri imperio vices prædicti regis Conradi in Italia ac ſpecialiter in regno Siciliæ gerimus, vobis infallibiliter pollicemur, quod libertates & immunitates omnes vobis & univerſis regni fidelibus ex parte dicti Domini genitoris indultas, inviolatas ſervabimus, beneficia continua beneficiis addituri, atque bene meritis nos pro parte prædicti regis paratos & promtos offerimus, ut tam percipientes quam percepturi aurea jam rediiſſe tempora gratulentur.

EPISTOLA LXV.
Juſticiario Apuliæ.

Contra clericos plura habentes beneficia eccleſiaſtica.

FRIDERICUS Juſtitiario Apuliæ.

Sæpe contingit, quod non petitionibus noſtrorum fidelium clementer annuimus, de clericis aliquibus ex dignitatis antiquæ faſtigio quam habemus in regno ſeu in eccleſiis regni noſtri exiſtentibus, de bonis eccleſiaſticis præcipimus provideri beneficia noſtræ quæ & volumus etiam privantur eventu, dum frequenter alicui de prima vacante facta proviſio, propriis non contenta limitibus, præbendarum, licet improvide, pluralitate repletur, & ſi tunc vacare contingat, omittitur, ut per fraudis excogitatæ colludium pinguior in poſterum habeatur, illud inelegans, & prohibitum committitur. Quod ſi quantitatem certam pecuniæ ob majoris favoris gratiam de vacantibus præbendis alicui noſtra ſerenitas aſſignare præcipiat, ſuper valore vacantium, vel probationibus forſan inductis adulteris, vel procuratore non callido circumvento, vel etiam potius gratioſe verſato, conceſſa clerico quantitas in curiæ noſtræ diſpendium ampliatur. Volentes igitur ſuper iis licite minus facta corrigere, & in futuro ne hujuſmodi morbus valeat prævalere, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ubicumque per juriſdictionem tuam clericum aliquem ex prædictis cauſis plures præbendas ſub unitatis involucro, vel plus quantitate ſibi a celſitudine noſtra collata fraudulenter uſurpare repereris, aut ſpe amplioris exile beneficium amiſiſſe, hunc ultranea uſurpatione deſtituas, & utriuſque petitionis oſtium pinguia taliter expetenti præcludas, nec ulli auctoritate litterarum tibi vel prædeceſſoribus tuis hactenus generaliter directarum beneficium ſeu præbendam præter noſtræ majeſtatis oraculum conferre præſumas, quin potius, prout vacare contigerit, vacationis & ipſius valoris annui quantitatem diſtricte noſtro culmini reſcripturus.

EPISTOLA LXVI.
Eidem.

Ut R. Thiebaldo de A. de Monte-parvo & Thamaldo comitibus conquerenti, jus ſuum tribuat.

FRIDERICUS eidem

Querelam R. Thiebaldi fidelis noſtri noſtra nuper ſerenitas intellexit, quod A. de Monte-parvo & Thamaldus comites quaſdam poſſeſſiones & domos ſuas ſitas in Caſtro-alto ad eum de jure ſpectantes per violentiam injuſte detinent occupatas, etiam ipſas, ut juſtum eſt, ſibi dimittere & reſtituere contradicunt in ipſius grave præjudicium, & non modicam læſionem: unde fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, ut partibus coram te convocatis, quæ de jure fuerint evocandæ, cauſam ipſam audias, & decidas juſtitia mediante, ut pro juſtitiæ defectu neutri partium juſta ſuperſit conquerendi materia.

EPISTOLA LXVII.
Martino de Ebulo.

De R. de Capua.

FRIDERICUS Martino de Ebulo ſacri imperii a Papia.

Cum C. & T. cives Bononiæ fideles noſtri per eorum litteras noſtræ ſupplicaverint majeſtati, ut quia R. de Capua fidelis noſter foret ad præſens ſuper regimine Ferrarienſium Ravennæ exiſtentium, qui in noſtræ fidelitatis conſtantia perſeverant, necnon & ſervitiis noſtris in Romanis partibus exſequendis plurimum opportunus, dignaremur eumdem R. & ſocerum ipſius de mandato noſtro in regno ſpecialiter commorantem relaxare de noſtra gratia ſpeciali: volentes itaque in iis cautius procedere, ſicut decet, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus tuis litteris denotare procures, quid deinde noſtræ expediat majeſtati.

EPISTOLA LXVIII.
Juſtitiariis.

Ut privilegia hoſpitalis B. Mariæ Teutonicorum tueantur.

FRIDERICUS Juſtitiariis.

Expoſuerunt

Expoſuerunt & conqueſti ſunt excellentiæ noſtræ fratres hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum fideles noſtri, quod contra privilegia ipſis a prædeceſſoribus noſtris & nobis conceſſa, per officiales noſtros in multis contra juſtitiam moleſtantur; quæ privilegia tamen noſtro conſpectui mandavimus præſentari, licet non ipſa authentica & originalia, ſed ipſorum tenores publica manu tranſumtas nobis præſentaverunt. Iis tamen quæ continebantur in eis diligenter inſpectis, & ad limam conſcientiæ noſtræ reductis, volentes eorum jura, ſi ſine juris noſtri præjudicio poſſumus, illæſa ſervare, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus privilegiis authenticis, quorum capitula noſtræ curiæ præſentata tibi ſub ſigillo noſtro tranſmittimus, diligenter inſpectis, ſi privilegia ipſa compereris fideliter fuiſſe tranſumta, non permittas fratres prædictos contra privilegia ipſa & contra juſtitiam moleſtari, dum tamen feodalia & Burgoſatica regni noſtri non ſint, nec uſurpent auctoritate ipſorum privilegiorum, in quibus generali vocabulo acquiſita cum juſtis acquirendis reconfirmentur eiſdem, nulla de conſtitutione prædeceſſorum noſtrorum & noſtra habita mentione, per quam loca religioſa, quocumque alienationis titulo per manſuetudinis noſtræ ſacrum oraculum acquirere ſibi feodalia vel burgoſatica prohibentur. Immunitates tamen & libertates alias ipſis indultas tam ſuper herbaticis, pedagiis, phalangeticis, & ſpecialiter de tranſitu faciat de rebus provenientibus ex fœtibus & fructibus poſſeſſionum domus ejuſdem, a regno in Syriam transferendis, libera per officiales noſtros tuæ juriſdictioni ſubjectos, ipſis facias inviolabiliter obſervari. In poſſeſſionibus etiam quas ab eccleſiis & locis venerabilibus juſtis titulis ſe acquiſiſſe probaverint, & quas jam pacifice poſſident, non permittas eoſdem aliquam moleſtiam ſuſtinere.

EPISTOLA LXIX.
Thomæ de Monte-nigro, Juſtitiario principatus.

Ne permittat ballivos & officiales vina vendere.

FRIDERICUS Thomæ de Monte-nigro, Juſtitiario principatus.

Ad audientiam nuper celſitudinis noſtræ pervenit, quod in civitate noſtra Saluſenſi dudum, malitia temporis faciente, pravæ conſuetudinis vitium inolevit, ſcilicet quod ballivi & officiales alii, qui pro tempore præerant civitati prædictæ, & vina vinearum ſuarum & alia quæ emebant ab aliis, ſi propria non habebant, vendebant tabernis & aliis vina vendentibus, emptoribus renuentibus & invitis, non ſine magna noſtrorum fidelium, qui civitatem ipſam inhabitant, læſione. Et hujuſmodi vitium etiam ad hæc felicia tempora noſtra, quod non ſine admiratione credere poſſumus, aliquorum faciente nequitia, dicitur derivatum. Volentes igitur fidelium noſtrorum gravaminibus providere, mandamus quatenus, ſi eſt ita, inhibeas firmiter quod ballivi vel officiales noſtri vina prædicto modo, invitis emtoribus, a modo vendere non præſumant, nec tu ipſe quod faciant de cetero patiaris, niſi forte tibi conſtiterit, quod temporibus felicium regum prædeceſſorum noſtrorum G. primi, & F. R. M. E. R. E. per ballivos & alios officiales curiæ aut in eadem civitate fuerit conſuetum.

EPISTOLA LXX.
Juſtitiario.

Ut judices conſtituat in univerſitatibus dominii ſui.

FRIDERICUS Juſtitiario.

Contigit interdum quod ex defectu judicum in locis quam pluribus, claudicante juſtitia, noſtrorum fidelium jura depereunt; exceſſibus aperitur audacia, & ſervitia noſtra remanent imperfecta, dum in celebrandis contractibus haberi non poteſt copia jus dicentis. Volentes itaque ſuper his efficaci conſilio providere, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus in continenti receptis præſentibus, ſingulis univerſitatum noſtrarum dominii noſtri juriſdictionis tuæ firmiter ex parte noſtræ majeſtatis injungas, ut unum aut plures, prout cujuſlibet qualitas exigit loci, annuales judices & probos & fideles, de aliis videlicet qui judicaturæ officium anno proximo præcedenti non geſſerint, eligere debeant, & electos cum eligentium teſtimonialibus litteris ad curiam noſtram præmittant, perinde celſitudinis noſtræ litteras recepturos.

EPISTOLA LXXI.
comiti Provinciæ.

Citat eum ad curiam ſuam de infidelitate reſponſurum.

FRIDERICUS comiti Provinciæ.

Venientibus nuper nuntiis tuis ad curiam noſtram, ipſos benigne recepimus, & petitionibus ex parte tua porrectis favorabiliter annuentes, ipſos ad te remiſimus cum effectu. Subſequenter autem ex inſinuatione regni Arelatenſis & Viennenſis vicarii generalis, non abſque vehementi admiratione perpendimus, quod cum te apud Arelatem honorifice recepiſſet, & juxta receptum a

nobis mandatum ſervire curaret, tu cum quibuſdam proditoribus noſtris inita factione, noſtra & imperii reverentia prætermiſſa, tuæ fidelitatis & nobilitatis oblitus, & infidelitatis opprobrio non vitato, dictum vicarium noſtri culminis effigiem, turpiter a civitate Arelatenſi projeceris, & eamdem civitatem non abſque injuria noſtri nominis & honoris detineas infideliter occupatam. Quod tanto juſtius movet, quanto præter ſpem & opinionem noſtram, præter omnimodam liberalitatis & gratiæ munificentiam, in te frequenter & exuberanter infuſam, contra hominem noſtrum enormiter exceſſiſti, & quantumcumque tuo vellemus tam turpi defectui condolere, non poſſumus imperiale moderari regimen quo tenemur, quin adverſus commiſſæ proditionis facinus in judicio & juſtitia procedamus. Quapropter ſicut moris & juris eſt, ſuper objecto infidelitatis exceſſu ad noſtram curiam te citamus, & præcipimus tibi quatenus, civitate Arelatenſi in eo ſtatu reducta, in quo, priuſquam ex ea vicarium noſtrum ejeceris, permanebat, triginta dierum poſt receptionem præſentium, præſtita tibi ſecuritate veniendi, morandi & redeundi, noſtræ curiæ te ſtudeas perſonaliter præſentare, de infidelitate commiſſa ad juſtitiam reſponſurus. Quod ſi facere contemſeris, velut tuum non recognoſcendo & confitendo reatum, te tamquam infidelem noſtrum ab omni honore & dignitate de plenitudine poteſtatis ex certa ſcientia imperiali auctoritate privamus.

EPISTOLA LXXII.

Populo Arelatenſi.

Ut vicarium ſuum a comite Provinciæ ejectum recipiant.

FRIDERICUS ad populum Arelatenſem.

Sedes & caput regni civitas Arelatenſis, quæ a noſtra imperiali devotione continue recolitur declinaſſe, cum ab ea bonæ fidei ſemper exempla prodirent, ad honorem & ſervitium imperii militantes: propter quod vix abſque admiratione audire potuimus, qualiter tantam comitis Provinciæ temeritatem invicta fides veſtra potuerit pertuliſſe, ut vicarium noſtrum, noſtri culminis effigiem præſentantem, in medio veſtrûm & præ oculis veſtris tam turpiter ejeciſſet, inita cum quibuſdam proditoribus factione, per quam in noſtri nominis injuriam & honoris infideliter ageret, & veſtræ rectitudinis famam denigraret, & tam ſubito & improviſo non poſſetis occurrere, inimici hominis malitia nequiter exigente. Cum igitur tam procax factorum ſuorum infidelitas pateat & appareat manifeſta, excutite vos inſtanter de manibus occupantis, revocantes vicarium noſtrum in civitatem ad regimen conſuetum, & nobis & imperio juxta ſolitum militantes, ut ſi quis homo nequam contra vos fuerit machinatus, de ipſius verſutia nullatenus timeatis, ſi poſſitis una cum vicario noſtro rationabiliter excuſari, quod numquam poſſet aſcendere in cor noſtrum, ut comes Provinciæ, quem ſemper honoravimus, & inter alios fideles noſtros reputavimus ſpecialem, in tantam potuerit perfidiam corruiſſe. Nos enim juxta credulitatem noſtram de inconſtantia & ingratitudine ſua una deceptos aſſerimus extitiſſe, velut qui eidem vicario noſtro dedimus in mandatis, ut ei tamquam perſonæ noſtræ ſerviret, & præſentiæ ſuæ conſilio in noſtris negotiis uteretur. Quapropter deceptionem eamdem, fidei negligentiam quæ notari poterunt, parti veſtræ penitus remittentes; vos in gratiam noſtram revocamus: univerſitati veſtræ mandantes, quatenus dictum comitem infidelem noſtrum ac invaſorem veſtrum penitus reputantes, una cum vicario noſtro ſuas inſidias & verſutias evitetis, de favore noſtro ſecuri, quod in converſione noſtra erga univerſos & ſingulos liberaliter reformamus. Si vero contingeret vos ulterius in ejus ſeditione manere, G. nuntium noſtrum illuc duximus tranſmittendum, qui vobis banna & mulctas imponat, quæ ſicut impoſuerit, ſtatuimus eſſe ſervanda.

EPISTOLA LXXIII.

Fridericus petit in ſe compromitti ſuper cauſa diſcordiæ inter duos principes.

AD pacem & juſtitiam populorum & gentium ſubditarum conſtitutæ ſunt in orbe terrarum diſpenſatione cœleſti regalis unctio & dignitas principalis, ut commiſſa ſibi regna pio & juſto regimine moderentur, condant leges, & jura conſtituant, & proficiant ſibi ſubditis ad ſalutem, glorioſius reputantes fulciri legibus principatum. Cum igitur pacis juſtitiæque vinculum & diſſentio regnantium hinc inde orta præpediat; & occaſionis ſcandalum deſolatio ſit regnorum, & magnificentia regum & principum poteſtates per diſcordiam..... veſtra nos amicitia propenſius invitat, quod audita diſcordia quæ inter vos & illuſtrem ducem Norvegiæ ſocerum veſtrum agitur, neceſſarium ducamus & utile interponere preces noſtras ad concordiam inter vos ad invicem reformandam, cum indecens videatur, inter patrem & filium, ſocerum generumque locum habere diſſidium vel odium, quod eſt dictu vel auditu mirabile coram nobis. Nos igitur qui ambos ſocerum

& generum pure diligimus, in pace & concordia vestra plurimum delectamur, mediatores inter vos reformandæ pacis esse proponimus, & causa præcognita, quæstionis sedare litem, sopire discordiam, & inter vos amicabiliter componere satagemus: serenitatem regiam requirimus & mandamus attente, quod eumdem socerum vestrum super hoc eodem negotio requirentes, quod quilibet per se & unitatis nuntios speciales ad præsentiam nostram dirigat, qui causam & quæstionem deferant singularem, & circumstantiam nos doceant, & omnia per quæ originem habuit & processum, treugas inter vos ob reverentiam nostram & communis dilectionis quam insimul gerimus interim contrahentes, donec nuntiis vestris & ejusdem soceri nostri venientibus, nos instructi de communi negotio, ad expeditionem pacis protendere & intendere valeamus. Veniant insuper quidam nuntii auctoritate vestra muniti, causam ipsam ex compromissione nostra, sicut moris est, nostro arbitrio committendo, quia id quod ad communem pacem duxerimus providendum, totum habebitis & facietis firmiter observari.

EPISTOLA LXXIV.
Justitiario Siciliæ.

Super dilapidatione bonorum ecclesiæ Panormitanæ.

FRIDERICUS Justitiario Siciliæ.

Nuper ad audientiam nostram pro parte venerabilis capituli Panormitanæ ecclesiæ nostrorum fidelium petitione quam studiosa pervenit, quod electus ejusdem ecclesiæ, officio debitæ procurationis abusus, nullum ad ecclesiasticæ disciplinæ honorem, nec ad observantiam famæ suæ h bendo respectum, sed totus infamiæ deditus, & illecebris addicatus, multa de bonis ecclesiæ post onus susceptæ regiminis vendidit, & alienavit, beneficia quam pluribus ecclesiis & clericis abstulit, & non modicam quantitatem pecuniæ a nonnullis eorum cupidus exactor extorsit, jura eis debita & statuta pro cultu divino, reparatione ecclesiæ, & victu eorum, & possessionibus excolendis, quæ semper hactenus & maxime tempore illius augusti domini patris nostri percipere & habere soliti sunt, propria auctoritate subtraxit, & alia multa & inhonesta & turpia de persona sua & bonis ecclesiæ in faciem ecclesiæ cleri & populi non erubuit confiteri, quæ satis inofficiose commisit, nec contentus errore præterito, ut famam suam præsentibus & futuris dehonestet, quemdam Guillelmum procuratorem suum bonorum ecclesiæ, ea conditione per scriptum publicum interjecta, constituit, ut nec aliis nec sibi de gestis suis teneatur reddere rationem; ex quo liberius sibi data audacia delinquendi, dum nec expectat judicium, commissa sibi bona multipliciter destruit; & irreparabili fere dilapidatione consumit: Super quibus omnibus, provisionis nostræ remedio per eos suppliciter impetrato, devotioni tuæ præcipimus, quatenus de reditibus ejusdem ecclesiæ jura omnia, quæ pro cultu divino, reparatione ecclesiæ, possessionum suarum, necnon in eamdem, & alia quæ canonicis ipsis olim tempore dicti patris sub cura pastoris eorum sunt solita ministrari, eis juxta contemtam consuetudinem singula singulis facias exhibere. De præmissis autem excessibus & aliis, quæ contra eumdem electum in famæ suæ dispendium proponuntur, ut diligentem inquisitionem fideliter & studiose te facere satagas committimus, factam volumus etiam sub tuo sigillo ad nostram præsentiam destinare, ut super eis secundum justitiam prout negotiorum suorum qualitas exigit, procedamus. Ad præcludendam vero memorato Guillelmo materiam excedendi, placet nobis, ut non obstante scripto prædicto, quod potius in incentiva malitiæ, quam in executione sui præsumitur exinde sibi factum, præsentibus aliquibus canonicis ejusdem negotii conscriis, de gestis ipsius plenam rationem exigas ab eodem, ut quid & quantum ecclesia ipsa in animalibus, victualibus, & aliis bonis habuerit tempore assumtæ procurationis, quid hodie de iis omnibus inveniatur ibidem, elicere plene valeas veritatem. Ceterum quia P. cantor ejusdem ecclesiæ & Johannes de Aquis, qui propter hoc ad nostram præsentiam accesserunt, sibi & canonicis & clericis aliis eorum conscriis ab eodem electo vel suis molestiam postea dubitant inferendam, cum olim ex causa simili Ab. de Trevis & Simonem primicerium clericos per eumdem beneficiis suis asserunt spoliatos, placet nobis ut clericis ipsis spoliatis injuste, beneficia eorum facias resignari, ac iis & aliis, quibus per locum a simili timor incutitur inferri, gravamen aliquod propterea non permittas.

EPISTOLA LXXV. CONRADI
in regem Romanorum electi Ballivis, Judicibus & universis hominibus.

Ut D. E. advocato terræ Jerosolymitanæ obediant.

CONRADUS Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, Jerusalem & Siciliæ rex, ballivis, judicibus, & universis hominibus.

Notum facimus nobilitati vestræ, quod nos confisi de prudentia & legalitate D. E.

fidelis noſtri, de cujus fide & ſcientia laudabile teſtimonium ſerenitas noſtra recepit, officium advocationis in terris ipſis de Jeruſalem eidem duximus concedendum, ut illum ad honorem & fidelitatem noſtram debeat de cetero fideliter exercere. Quapropter fidelitati veſtræ præcipimus & mandamus, quod poſtquam conſtiterit vobis per litteras inſtituti regiminis, ipſum dignitatis & officii præſtitiſſe debitum juramentum, de omnibus quæ ad officium advocationis pertinere noſcuntur, intendatis, & pareatis eidem tamquam advocato in terris ipſis per excellentiam noſtram conſtituto.

EPISTOLA LXXVI.
Senatui populoque Romano.

Certos eos facit de victoria de Mediolanenſibus reportata.

FRIDERICUS Senatui & populo Romano.

Ad extollendum imperii noſtris temporibus decus, quod gloria triumphorum futurum excelſius æſtimavere majores, & ratio, præpotens, quæ regibus imperat, & natura nos obligat, & civiliter obligatos voce digniſſima confitemur. Ecce enim cum ad ſuæ cauſæ naturam triumphus neceſſario reducatur, quod extollere decus imperiale non poſſemus, quin interim Urbis honorem, quam cauſam imperii fuiſſe cognovimus, extollamus; ſed quamquam ſoluta imperialis a quibuſcumque legibus ſit majeſtas, cum in totum non eſt exemta judicio rationis, quæ juris eſt mater, quod velit & debeat irrationabiliter judicari ab obſervatione cujuſlibet rationis intentio veſtra diſcederet, ſi vos, quos Romani Cæſaris fulgor illuſtrat, Romanos expertes victoriæ tripudiis pateremur, ſi vos fructu negotii quod veſtro nomine geſſimus, dum nos rebelles imperii ſub Romani nominis exclamatione devicimus, fraudaremur; ſi ad urbem regiam regiminis noſtri decus non deferremus & gloriam, quæ nos in Germaniam ad nanciſcendum imperiale ſtagium velut mater ab ulnis filium deſtinavit; veſtris adſcribimus titulis quidquid fauſtis auſpiciis medio tempore gerimus, dum ad Urbem cum timore dubiæ ſortis exivimus, cum eventus magnifici gloria revertamur. Antiquos in hoc namque recolimus Cæſares, quibus ob res præclaras victricibus ſignis geſtas, Senatus populuſque Romanus triumphos & laureas decernebant, ad quod per præſens noſtræ ſerenitatis exemplum vias votis veſtris a longe præparamus, dum devicto Mediolano, currum civitatis utique factionis Italiæ principis, ad vos, victorum hoſtium prædam, & ſpolia deſtinamus, arrham vobis magnalium noſtrorum, & gloriæ noſtræ præmittimus, reliqua cum Romani imperii noſtri ſedem Italiæ pacatam videbimus integre ſoluturi. Imperatoris igitur veſtri victoriam, Quirites, gratanter accipite, ſpes ex hoc vobis pulcherrima foveat, quia quam libenter antiqua ſolemnia ſequimur, ad reformationem antiquæ nobilitatis in Urbe libentius adſpiramus. Ceterum quia ſuſurrante fama in aure ſonat, quod orta muneris triumphalis invidia quoſdam æmulos incitavit, ut ad deſtructionem carrocii, cujus oſtentatio publica & memorabilis triumphi Cæſarei decus in Urbe diſpoſitum, corda eorum dolore penetrat altiori, clandeſtinis incendiorum inſidiis machinentur, ut de propoſita debeant malitia gloriari, univerſitati veſtræ ſuggerimus ad cautelam, quatenus illius cuſtodiæ curam & diligentiam adhibere curetis, ut emiſſa noſtræ victoriæ ac noſtri honoris anxia cogitatio malignorum, in ſuis adinventionibus elidatur, quin potius nanciſcatur, ... manu illudenti nihilominus ex auctoritate Senatus populique Romani, plebiſcita lege lata contra facinoroſos, vel .... nocumenta carrocii privatim vel publice deprehenſi fuerint, capitis amiſſione plectantur.

EPISTOLA LXXVII.
comiti Caſertano.

Ut fluctuanti Siciliæ invigilet, ac fratres Minores & Prædicatores ſibi contrarios coerceat.

FRIDERICUS comiti Caſertano.

Conſtanter hactenus tenuit noſtra credulitas, ut officiales noſtri, quos ad exercenda noſtra conſilia locorum diverſitas expetebat, ex area regni noſtri cautela pervigili ſcandala legerent, excuterent paleas & zizania, quæ Romanus pontifex in inſtanti noſtri profectus æmulus & hoſtis inſeruit, funditus excutere parent; ſed quia neglectis eorum inſidiis, nobis frequenter abſentibus, ſpinas & tribulos quodammodo germinare, eam amodo haberi diligentiam volumus in noſtris beneplacitis & cautelam, perquam cultores deſides depereant, quæ plantarium noſtrum inutiliter occupant, per falcem ſeverioris judicii præcidantur. Specialiter autem donec opportuna noſtri præſentia & regno retribuat, ut judicemus in juſtitia pauperes, & pro manſuetis noſtris fidelibus cervicoſos quoſlibet arguamus; Siciliam crebris adverſionibus claudicantem, quamque, ſicut comperimus, undique influunt & inficiunt factiones, ſic noſtra præcurrente ſollicitudine faciem, atterere pro facinoris qualitate diſponimus, ut non cogamur iterum noſtri ſerenitatem

otii nebulis procelloſi turbinis commoveri. Prius itaque tua ſagacitas indagine tacita perſcrutetur, qui ſunt ipſi vel fuerunt, cujus potentiæ ſive famæ, aut qua veneriat ſinguli: ſingulorumque eorum adinventiones, & ſtudia quæ nos tangunt procures reducere mox in actis, non ex unius aſſertione labii, ſed multorum illorum duntaxat confirmantium quos fides amplificet, & provectio ſimilis adornat, præcavens in futurum, ne ex alicujus odii corruptelâ nobis importet quidcumque, ne quod abſit, lilium vertamus in lolium, & meritum in tormentum. Meminiſſe ſiquidem diebus tuis poteris, per alia documenta pravæ ſuggeſtionis & ſcandali multiformis, Petri ſcilicet Simonis, & alterius proditoris, qui ut haberet loculos vel impleret, æquitatis virgam vertebat in colubrum, ut in aliud imperium impelleret aſſueta deluſione periculum, quos ſimul cum militia probationis Ægyptiorum more curſum haberemus æquoris in profundum. Quapropter fidelitati tuæ modis omnibus inhibemus, ut mandati hujus ſias de populo delator publicus, ſed ad quæcumque imperia noſtra dirigeris, expeditis greſſibus & affectibus proſequaris. Nec enim de te læſa conſcientia credere poſſumus, ut quem in ſanguinem noſtrum admiſimus in regno noſtro, per cum ſcandalum ſubeamus, cum plures de curialibus aliud de te ſentire ſuadeant, qui velata facie, nec noſtri nec tui commoda quæritant, ſed ruinam. Minores præterea fratres & Prædicatores regni Siciliæ, quorum aliqui contra nos ſerpunt verbis & actibus more cancri, ſeu quoſlibet alios, ſub religionis velamine lucis angelos mentientes, ſi a capitulorum forma, quam tibi dirigimus intercluſam, aliquo modo compereris detorſiſſe, non ſicut hactenus repellere debeas vel includas, ſed more binarum vulpium annexarum ſubmiſſis torturis igneis in bona ſequacium puniri facias, abſque vitæ remedio in principiis.

EPISTOLA LXXVIII.

Cruce-ſignatis apud Lugdunum congregatis.

Optat cum eis proficiſci, liberamque ipſis per regnum ſuum tranſitum ad Terram ſanctam permittit.

FRIDERICUS univerſis Cruce-ſignatis apud Lugdunum congregatis dilectis filiis ſuis ſalutem, & proſperum viarum ſuarum proceſſum & ſalubrem.

Celebre votum & iter peregrinationis aſſumtum digna commendatione conſequimur: executioni tam pii voti & ſalubris itineris optantes laboribus veſtris feliciter acceſſurum. Sane fuerat & noſtri propoſiti tam ſtrenui Deo cruce ſignatæ militiæ præſentialiter & potentialiter non deeſſe, ſicque diu latere non potuit vos, ſi nos papalis non præpediſſet adverſitas, quin potius divinis & humanis profectibus & communibus deſideriis invidiſſet. Latenter enim paratis ſe proceſſibus noſtris obje cerat, in favorem rebellium noſtrorum Lombardorum, pro quibus humana æmulatione nos æmulans, improviſæ in nos offenſionis undique nocumenta parabat, infideles noſtros undique fovens & protegens in noſtrum & imperii præjudicium & jacturam. Demum qui turbata pacare debuerat, ſuggerente ſibi materiam cauſa crucis, non ceſſat nobis in Italia & ſubditos rebelles imperiove fovere, zelo favoris eorum in offenſam noſtram accenſus, ut publicæ turbationis & ſcandali fomitem miniſtraret; inventis cauſis aliunde ficticiis, velut ſi dubitaret quiſpiam eructare plenius, unde fuerat ad nos infectum ad conflandum in nos publicum odium, de quo ſuus labor eſt major contra honorem noſtrum & nomen. Blaſphemam vero ſententiam maledictionis emiſit, ſicut dudum per alias litteras noſtras ad notitiam veſtram pleno facto certitudo pervenit: & adhuc non ſiluiſſe dicitur motus ejus, quin per orbem inteſtino cauteriatæ conſcientiæ contra nos verbo & opere incircumciſa ejus labia diſſolvantur. Verumtamen pius & juſtus Dominus, per quem reges regnant & principes dominantur, qui nos a perſecutione ſæpiſſime nobis inſidiantium magnifice liberavit, & in ſede regnorum & imperii noſtri cornu ſalutis erexit, ſuum ſibi conſecratum principem non reliquit, quin ſolitæ miſerationis non immemor, ante faciem noſtram aſpera commutet in plana & prava in directa convertat. Vobis autem ad obſequium proficiſcentibus Crucifixi, quos verus amor liberationis incitat ſuæ domus, quicumque fuerit inimicus homo malignatus in ſancto, ut noſtros in via Dei & peregrinatione noſtra proceſſus averteret & turbaret, erit prævia manus ejus, qui fovere velit & gerere cauſam ſuam. Et ſicut in eo confidimus, executio voti noſtri ſperatum ſortitur effectum. Noſtro vero culmini reſediſſet optabile, ac valde placitum extitiſſet, ſi per regnum noſtrum veſter tranſitus fieret, ubi copia rerum & magna fertilitas haberetur, tranſeuntibus opportuna, ubi debito vos prævenire mandaremus honore, & quod ex præſentia non poſſemus, videremus vos in effectu & ſincero favore promtiſſimæ voluntatis. Nihilominus tamen ut communis voti ſuppleamus honeſte defectum, mandamus & præcipimus per litteras Fulgerio regni Jeroſolymitani ballivo & ſacri imperii in partibus illis legato, mareſcallo, & fideli noſtro, ut pro nobis illuc accedentibus promtus occurrat, exponens noſtris affectibus & honoris palatium, vires noſtras & vere reliquias, quæ nobis & di-

lecto filio noſtro CONRADO in Romanorum A regem electo, & Jeroſolymitani heredi regni potuerint in partibus illis ſupereſſe. Ceterum mittimus ad vos H. & T. nuntios & fideles noſtros, qui noſtræ ad vos benevolentiæ propoſitum referent & favorem. Quorum verbis adhibere poteritis plenam fidem.

EPISTOLA LXXIX.
Univerſis Cruce ſignatis.

Quæ transfretationem impediant exponit, B utque ſub menſem Majum ſint parati admonet.

IN admirationem vertimur vehementem, quod unde pro multis beneficiis præſtolabamur gratiam, inde tam offenſionis, quam etiam contumeliæ diverſa genera reportamus. Inviti loquimur, ſed tacere non poſſumus. Ne in eo quod diu tacuimus, ſpes quæ multos decipit, decipiat forte nos. Sumus nos ad quos fines ſæculorum devenerunt, cum non tam in ramis, ſed & in radicibus videatur caritas refrigeſcere. Non enim C ſolum gens contra gentem inſurgit, nec regnum regno minatur, non peſtis & fames tantummodo corda viventium præmiſſo terrore conturbant. Sed ipſa caritas, qua cœlum & terra regitur, non tam in rivulis, ſed videtur in fonte turbari, ac Romanum imperium, ad fidei chriſtianæ defenſionem divinis proviſionibus deputatum, non a quibuſlibet infimis, ſed ab ipſis quos honorarat, & ſibi propoſuit, patribus graviter infeſtatur. Si enim contra nos homo inimicus conſurgeret, ſi perſecutor eccleſiæ, ſi hoſtis fidei ſubjectos imperio noſtro po- D pulos in odium noſtrum concitaret; apprehenderemus arma defenſionis & gladium, cujus eſt nobis a Domino pro tuitione fidei & eccleſiaſticæ libertatis attributa poteſtas, & totis inciperemus viribus prælia Domini præliari. Sed cum univerſalis ille pater, Chriſti vicarius, & B. Petri ſucceſſor, in quo loco vivimus præter fiduciam ſpei noſtræ, contra perſonam noſtram indigne & acute moveatur, & ad conflandum in nos odium totus videatur intendere, quis non conturbetur & ſtupeſcat adverſus innocentiam noſtram E tam gravia bella parari, quibus nonniſi urgens neceſſitas nos invitos cogeret obviare, cum B. Petro, velut cui ligandi atque ſolvendi conceſſit in terris Dominus poteſtatem, ob conferentis reverentiam, credimus humiliter deferendum? Audiat igitur & intelligat orbis terræ, quod provocati trahimur ſcripturis & nuntiis dudum noſtræ matris eccleſiæ filium novercantis, quos contra nos ubilibet terrarum, ſicut accepimus deſtinavit. Audiſtis ſane quod imperatrix CONSTANTIA divæ memoriæ mater noſtra, de nobis utique filio quem diligebat laudabilem curam gerens, in extrema voluntate meipſum in ſinu matris eccleſiæ provida diſpoſitione dimiſit, ut matre non materno ſubſidio privaretur, ſed amiſſa matris ſolatia noviter ſubſcripta cura ſalubrior tanto firmius compenſaret, quanto per ſpiritualem & temporalem ejus potentiam pupilli poſſet indemnitatibus provideri. De cujus tutela licet ſedes apoſtolica ſollicitudinem habere laudabilem debuiſſet, non tamen pupillo defuit per periculum; ſed de regno ſuo non modicum detrimentum. Et ne videamur diffuſius convicia jam dicta retractare, omnino potuit invaſoribus in regnum noſtrum, & ſicut navis in tempeſtate ſine remige, ſic abſque gubernatoris regimine pupillaris hereditas indefenſa in partes diviſa fuit, ab iniquorum morſibus quaſi penitus diſſipata. Demum viro nobili, conſanguineo, licet inimiciſſimo domus noſtræ, OTTONE de Saxonia indebito favore ſedis apoſtolicæ, oppreſſa pupilli juſtitia, qualitercumque ad imperiale faſtigium ſublimato, dum credebatur pupilli ſtatus vacillantis per ipſius potentiam præcidendus totaliter, quia aliter homo videt, aliter Deus; divina miſeratio humanam reprobans intentionem, cum multa pietate permiſit, ut dictus conſanguineus, licet, ut diximus, inimicus, per ſuperbiam cuncta diſponens, non ſolum contra nos inimicum ſuum commiſſum eccleſiæ, ſed in ipſum tutorem noſtrum, per quem coronatus fuerat, nequiter conſpiravit, & majori parte regni noſtri jam per eum deſolati per conceptam malitiam occupata, ipſam ſedem apoſtolicam, quæ ipſum promoverat, multis perſecutionum generibus vehementer oppreſſit: ita ut, quod tunc verius quam nunc, ab exiſtentibus in navicula Petri nautis tempeſtatibus agitata clamari poterat: *Domine, ſalva nos perimus*, cum non inveniretur alius, qui oblatam imperii dignitatem contra nos & noſtram juſtitiam vellet aſſumere, & periclitanti naviculæ de portus ſolatio provideret, vocantibus nos principibus ex quorum electione nobis corona debebatur. Tunc dormiens in puppi Dominus diſcipulorum clamoribus excitatus, per nos dejectum, quem mirabiliter præter humanam conſcientiam conſervaverat; dejiciendo ſuperbum & humilem exaltando, quaſi ventis præcepit, & naviculam non ſolum liberavit a fluctibus, ſed in tutiori & altiori ſpecula mirabilius collocavit. Novit enim Altiſſimus quod præter humanum ſenſum & ſubſidium in Theutoniam veniendo, multimodis periculis perſonam expoſuimus noſtram, & divino necnon & principum imperii ſubſidio mediante, per miniſterium noſtrum ſic ſuperbum potentia divina dejecit, ut prius ſtatus reformaretur eccleſiæ, quam quieti noſtræ, ſublatis penitus periculis, provideret.

Nos autem quid retribuerimus Domino pro tot beneficiis quæ retribuit ipse nobis? devoto animo metientes, quam cito imperii diadema recepimus Aquisgrani, licet non sic æqua foret retributio ad factorem, personam & posse nostrum, non in sacrificium, sed in holocaustum humiliter obtulimus Domino, pio & sincero animo crucis signaculo humeros nostros decorantes, & ad recuperationem terræ sanctæ votivis & debitis studiis efficacitet intendere deberemus sacro de principibus & magna multitudine nobilium exemplo promissis & largitionibus ad crucis suntionem induximus, quorum nonnulli nostris adjuti subsidiis, ad subsidium terræ sanctæ tunc temporis processerunt. Sic enim ex ferventibus votis & solius divini zelo servitii negotium ipsum ferventer assumsimus, quod ut maturius teneremus, cum ceteris cruce signatis personaliter transituri, cum instantia magna postulavimus, tam nobis quam omnibus aliis, certum sub censura ecclesiastica præfigi terminum veniendi, quod libentissime feciissemus, nisi principes & evidens necessitas, quia nondum fuerat plene imperii pacata turbatio, nostra desideria præpediissent, licet tenui occasione moræ [illegible]e bona nostra in malum vocetur intento, unde laudem meruit & favorem. Demum ad vocationem apostolicæ sedis, rebus imperii tranquille pacatis, venimus, & solemniter diadema suscepimus. Ut vero multis extitisset apostolicæ sedis vocatio, quæ de majoribus & melioribus Italiæ provinciis florentibus divitiis & strenuitate nostrorum a vobis extitit astricta; post susceptionem vero imperialis coronæ per manus reverendi patris domini GREGORII, nunc apostolici, tunc episcopi Ostiensis, iterum crucis signaculum reverenter accepimus, vota votis & desideria desideriis aggregantes. Ingressi demum prosperis auspiciis regnum nostrum, quod pro diuturnis guerris bonis suis & opibus erat exhaustum, in munitissimas arces & inexpugnabiles munitiones invenimus tam a Christianis quam a Sarracenis rebellibus nostris detineri, & cum oportuerit eas quasi denuo per bellicam potentiam nostræ subjicere ditioni, nihilominus tamen inter ipsos labores, & nondum pacatæ turbationis tempora, subventioni non defuimus terræ sanctæ, præmittentes dilectos principes nostros ducem Bavariæ & episcopum quondam Pictavensem, ac plures alios in auxilium, Damietæ. Nuntios vero nuntiis frequenter, & litteras litteris sæpius inculcavimus, rogantes & monentes totum exercitum Christianorum & navalem classem nostram ut exfortium expectantes, nequaquam seipsos a Damieta moverent, pro certo nostram præsentiam se cominus habituros; sed nostris precibus & monitis prætermissis, absque consilio virorum nobilium & prudentium, non expectato laudabili nostræ classis præsidio, incaute ductus populus incidit in lacum improvisum, cujus inopinati casus incerti ANSELLINUM de Visiniis, tunc temporis marescallum, ... cum subsidio militum & victualium subventione transmisimus e vestigio comitem HENRICUM fidelem nostrum cum XL. galeis pro ipsius terræ succursu laudabiliter & magnifice dirigentes, qui salubriter applicans Damietam, & exercitu non invento, quia recepit in mandatis, ut legato sedis apostolicæ qui exercitui præerat, usque ad felicem adventum nostrum intenderet & pareret, deorsum per flumen cum galeis ad exercitum properabat, ubi decurrentibus eis nuntiis legati, magistris videlicet domus militiæ templi & domus S. Mariæ Theutonicorum ad comitem de *Percy*, & ex parte legati præcipientibus ut rediret, rediit cum eisdem, qui ad hoc venerant pro liberalitate captivorum, Soldano redderent civitatem, quæ in hunc modum amissa extitit. Non ex interdicto quod inventionibus nobis astruitur, de inhibitione concambii Damietæ per litteras nostras fuisse transmissum, quia non est verisimile, ut qui ad liberandam terram sanctam expensis innumeris & immensa sollicitudine laboravimus, interdictum concambii per quod optatus finis nostræ sollicitudini & laboribus adveniisset, ei fieri mandaremus. Nos autem acceptis tam infelicibus de amissione Damietæ rumoribus, ut tam enormi damno possemus competentibus remediis obviare, præmissis ad sedem apostolicam nuntiis ad colloquium apud Verulas cum felicis recordationis reverendo patre papa HONORIO, pro disponendo & reformando passagio, maturavimus convenire, ubi de curia Veronæ dispositio, quæ casu fortuito excidit, impedita. Post elapsum temporis spatium, cum eodem apostolico apud Ferentiam, negotio exigente, convenimus, & ad exhortationem & apostolica monita, pro his quæ causæ meritum requirebat, nostram inclinavimus majestatem, etiam ut Jerosolymitani regni hereditariam dominam duxerimus feliciter in uxorem, ac statuto ibidem termino transeundi, dum piæ recordationis C. Portuensis episcopus in Theutoniam & alii prædicatores per regna diversa monitis apostolicis & statutis, donec rex Jo. & magister domus Theutonicorum, nostris oblatis promissionibus, vel paucos, vel infimos, vel ut omnes recenti casu Damietæ tam enormiter consternatos ad susceptionem crucis inducere potuissent, ne pro hujus defectu contingeret negotium impediri, nihil de contingentibus omittentes, convenimus apud S. Germanum cum venerabilibus viris P. Albanensi episcopo & piæ memoriæ G. tituli S. Martini presbytero cardinali, & ut animarentur omnes, nostris largitio-

nibus & promiſſis, termino paſſagii uſque ad biennium prolongato, perſonaliter tranſire promiſimus, & ducere mille milites ad ſtipendia noſtra tenendos ad biennium in ſervitium terræ ſanctæ mittere ante terminum prætaxatum. Poſt quos videlicet terminos, c. millia unciarum ad partes ultramarinas ſtatutis aſſignandis perſonis, centum inſuper Chelandras (a) habere, ac quinquaginta galeas pro duobus millibus equitum certis terminis paſſagium exhibere ſolemniter conſtitutis, miſimus, magiſtrum domus theutonicorum pro militibus ſolidandis, ſed in optione ſua potentes viros eligere ſtrenuos, & pro meritis perſonarum ad ſuam prudentiam ſtipendia polliceri, & ceteris inſuper paſſagium tranſituris cum nobili viro & principe ac conſanguineo noſtro Lantgravio Thuringiæ ac marchione Miſnenſi gratiam fecimus, ut crucem aſſumeret & veniret, quin eamdem monarchiam etiam jure imperii ſimili modo tenere poſſemus, valentem ultra xx. millia marcharum, eligentes potius utilitati noſtræ deeſſe, quam ſervitio Jesu-Christi, cum exemplo illius Lantgravius de Heſſe, dux Thuburch, & aliorum principum, quos ad ſumendam crucem largitionibus & promiſſionibus induximus, infinita ſe multitudo ſignavit, ſeptingentis militibus ad noſtra ſtipendia ſolidatis, magiſtros etiam & pro fabricandis Chelandris per diverſas regni noſtri partes ſtatuimus, de quibus 800. per aeris intemperiem tum morte, tum infirmitate impediti fuerunt, ita ut omnes non potuerunt percompleri, licet major pars fuerit fabricata. Tandem inſtante paſſagio, navigia, Chelandras, & l. galeas ad loca paſſagii non a nobis, ſed ab antiquis temporibus ordinata, Brundufium videlicet, ubi paſſagium fieri ſemper competentius conſuevit, duci fecimus & parari. Nos perſonaliter in occurſum claræ memoriæ Lantgravii Thuringiæ & aliorum venientium principum conferentes, quibus accedentibus, dum ad paſſagium retardaremur, gravi ægritudine ſumus a Domino in itinere viſitati, quæ ſic nos vehementer invaſit, ut moram nobis medici ſuaderent; ſed ne pro abſentia noſtra contingeret paſſagium impediri, medicorum perſuaſione contemta, in æſtivi calore temporis non omiſimus verſus Brundufium equitare, ubi naves & Chelandras pro principibus & aliis peregrinis, necnon pro ſeptingentis noſtris ſupradictis militibus, ſicut expediebat, ſingulis pro qualitate rerum & numero perſonarum juſſimus aſſignari, qui per octo dies aquis & aliis neceſſariis onerarunt, aura proſpera ſalubriter navigantes, adeo tempus erat, Domino concedente, paratum. Quæ navigia in quibus camera noſtra & familia poſt octavum diem prima motionis navium recepta fuerunt, quod xl. dies transfretarent. Copiam vero navium tantum habuimus, quod pro defectu peregrinorum multa in portu navigia remanſerunt. De corruptela vero aeris, quæ nocuit peregrinis, poſtquam divina providentia, quæ prævideri non poteſt ab homine, diverſas mundi partes & regni noſtri ſpecialiter occulto judicio flagellavit, nulli magis quam nobis moleſtum extitit & damnoſum. Nam in propria perſona ſenſimus, de quo aliis condolemus. Poſtmodum reſumta convaleſcentia galeas ingreſſi fuimus, nos & dilectus conſanguineus noſter Lantgravius veſtigia præcedentium ſequuturi, ubi tam ſubita invaſit utrimque turbatio, quod & nos in graviorem recidimus recidivam. Et idem Lantgravius poſt acceſſum noſtrum apud Hydruntum, de medio, proh dolor! eſt ſublatus, in cujus deceſſu gravius animo conſternati, pati cœpimus vehementer tam principes quam illuſtres plures orientalium partium, qui præſentes nobiſcum aderant, ſuper noſtro transfretationis propoſito conſulentes: qui viſo & inſpecto ſtatu perſonæ noſtræ, & quibuſlibet circumſtantiis indagatis, conſulendum de tranſitu non viderunt. Quia iſtur ſanctius non erat perdere noſmetipſos, cum a nobis vita ſaluſque multorum pendeat populorum, dilata eſt perſonæ noſtræ transfretatio, pro convaleſcentia reſumenda, ſed dante Domino non ablata: quia fervor tanti propoſiti, donec ſpes eſt in corpore, per deſiderium aliquo modo non valebit extingui, commiſimus dilecto principi & conſanguineo noſtro duci de *Lambourg* interim uſque ad felicem tranſitum noſtrum, curam totius exercitus Chriſtiani, & quinquaginta galeas, quæ pro transfretatione erant armatæ in portu, aſſignari præcepimus venerabili patriarchæ Jeroſolymitano, magiſtro domus Theutonicorum, & aliis magnatibus navigantibus opportunum in mari portum transfretare, cumque ſingula prodit... tranſmarinis, de quibus vero non ibi... viginti pro eorum itinere recipere voluerunt. Nos autem ad ſuccurſum eorum quos præmiſimus, & ad terræ ſanctæ ſubſidium intendentes, competentiorem in nacellis & chelandris aliis fieri fecimus apparatum, proponentes in æſtate futura circa medietatem futuri menſis Maij, quando tempus eſt opportunius, & magis offert ſe mare navigantibus opportunum, in majori potentia transfretare. Cumque ſingula per duos de judicibus magnæ curiæ noſtræ, & noſtros nuntios & fideles in conſpectu apoſtolico juſſimus proponenda, dum ſperavimus a patre patrum paternæ conſolationis antidotum, compaſſionis benignæ ſolatium, & remedium conſequi ſalutare, domnus

(a) Quid ſit Chelandra explicat Ditmarus lib. 3. his verbis, *navis mira longitudinis & claritatis, & utroque latere duos ternos remorum ordines ac 150. nautas.* Hugutio vocat *navem velocem.*

domnus apoſtolicus eoſdem nuntios noſtros recipere noluit, nec audire: quin potius ad poſtulationem eorumdem nunciorum noſtrorum creditores & judices non concedens, infirmitatis noſtræ caſu inevitabili nec inſpecto, ſolutione non conſiderata pecuniæ prætaxatæ, nec militibus ad noſtra ſtipendia jam miſſis annis præteritis, quod non abſque cordis anxietate proferimus, denunciavit in nos pro eiſdem tribus capitulis, in quibus cum defectus non ſit, defectum, quia ſic placet: allegat, videlicet quod perſonaliter non transfretaremus, quod non miſerimus centum millia unciarum, quod dixerimus mille milites tenendos ad biennium ad ſtipendia noſtra pro ſubſidio terræ ſanctæ. Qui cum ad deliberandum ſuper hoc provinciale concilium quorumdam prælatorum Italiæ convocaſſet, ſolemnes nuntios ad ſedem apoſtolicam replicavimus, videlicet Reginenſem & Barenſem archiepiſcopos, ducem Spoleti & comitem HENRICUM, familiares & fideles noſtros & procuratores noſtros in eadem cauſa ſtatutos a nobis, ad proponendum in præſentia omnium, qualiter perſonæ noſtræ ad transfretationem infirmitas, quæ in promtu eſt, & certa adhuc manent veſtigia, præpedivit; etiam quod impræſentiarum ultra milites noſtros, in tranſmarinis partibus ad ſtipendia noſtra pro Dei ſervitio teneamus, videlicet ſeptingentos milites Tranſalpinos per manus magiſtri domus Theutonicorum ad noſtra ſtipendia ſolidatos; 250. milites regni noſtri, quos anno prædicto de pecunia eccleſiæ quietatos, ſequenti anno ad ſolidos noſtros ibi fecimus detineri; quod inter familiam noſtram & alios regni milites, qui ad expenſas noſtras tranſacto paſſagio tranſierunt, fuerunt ultra centum, & inſuper quadraginta milites nobis a Lombardia, eccleſia mediante, promiſſos, extra quam ex promiſſione tenebamur, deputavimus pro eodem ſervitio tranſmittendos. .... dubium & more ipſorum poſtquam accelerari debuerat, conceſſiſſet, quin etiam de centum millibus unciarum ſatisfecimus, mittentes primo in tribus terminis ſexaginta millia unciarum, in quarto vero termino magiſter domus Theutonicorum, qui eſt unus de ſtatutis ad ipſam pecuniam reſervandam, petiit aſſignari ſibi neceſſaria noſtra Brunduſii pro quarta ſolutione viginti millia unciarum & ipſa recepit, & uncias habuit pro ſolutis, ſiquidem domnus apoſtolicus in præſentia fratrum & omnium prælatorum, præſentibus quoque nuntiis noſtris, ſicut per eos recepimus, in vigilia B. Martini extitit recordatum, quod dictus magiſter pro nobis ſolutionem habuit. Reſidua vero viginti millia unciarum, quæ tenebamur in transfretatione noſtra deferre, cum camera noſtra, promiſimus, & parati erant iidem nuntii noſtri & procuratores facere plenam fidem, qui cum priuſquam conſulerentur, audiri debuerint, ordine poſtpoſito, in quo noſtrum fuit gravatum propoſitum, vix admiſſi; quia primo conſultatis ſermotim per ſe ſingulis prælatorum, & communi conſilio per ſchedulas aſſignato, prænonitis, ut dicitur, univerſis, ne a deliberatione, qualiter eſt prælhabita, diſſentirent, eiſdem nuntiis & procuratoribus noſtris audientiam præſtitit, non deliberans poſtmodum cum prælatis, & nuntios noſtros ulterius non admittens, juſtis excuſationibus & cauſis rationabilibus non receptis; & clauſis eiſdem procuratoribus & nuntiis noſtris oſtiis juſtitiæ, quæ apud ſedem apoſtolicam pro omnibus *in omni* debetur denuntiatione, prout voluit replicavit. Præter hæc Rheatini qui ſunt fideles eccleſiæ, quos de noſtra fuit munificentia conſequutus, tam cito quod eis innotuit apud Brunduſium nos inſtituiſſe galeas, inſtigantibus illis, qui, ſi beneficiorum imperii reminiſcerentur, prohibuiſſe debuerant, abſque quorum nullatenus attentaſſent fines regni noſtri, armata manu hoſtiliter invaſerunt fideles noſtros, quos quondam rebelles Mamertius obſidebat, confundere ſaragentes; ſed dextera Domini faciente devicti & effugati a noſtris fidelibus, in laqueum inciderunt quem tendebant, quæ omnia ſupradicta cupimus ad univerſalem notitiam perveniſſe, in veritate publica talem fuiſſe rei ſeriem & proceſſum, & nos penitus inculpabiles coram cœlo & omnibus terrarum, ineffabiliter proteſtantes, ut univerſi & ſinguli ſeriatim plenius cognoſcatis manifeſtam injuriam & gravamen, quæ pro tot prædictis obſequiis & exemplis ab illis perferre conquerimur, a quibus nos & univerſalis optata orbis pro Crucifixi negotio ſuffragia ſperabamus. Nos igitur quantumcumque intentio laceſſentis eccleſiæ excandeat, quia puram habentes conſcientiam, de judiciis Dei confidimus, potius quam timemus juſte maledicentibus, ſcriptura clamante benedicta maledictionibus noſtris; ab incœpto Chriſti ſervitio nullatenus deſiſtemus, quod non ore tantum, ſed & opere ſinceris affatibus & imperiali conanime ad finem gratum, ipſo auctore, qui principium eſt & finis perducere peroptamus, niſi gravior, quod abſit, ſuborta diſſentio nos invitos & coactos a tam ſancto itinere revocaret. Sperantes enim quod propenſiori bono & majori ſubſidio terræ ſanctæ divinitus intermiſſa ſua viſitatione diſtulit, quod principes & alii providi viri dudum conſultati jam viderint, quod in manu virorum tam modica quæ tranſivit, ſi nos tranſiiſſe contigeret treugæ infringi non poſſent, nos ad perpetuam imperii & totius Chriſtiani nominis injuriam præſtolari nolumus ſubſidium aliorum, qui nomen & vires præ ceteris prin-

cipibus obtinemus, & cujus fama est barbaris ad terrorem. Rogamus igitur universitatem vestram, monemus attentius & hortamur, quatenus ad subscriptum Christi negotium generale non tepeat, sed quo major necessitas imminet, fervèntius exardescat, & tam cruce signati quam ceteri qui zelo moventur transfretandi, vos interim præparetis, venturos tempore competenti, ut medietate primo venturi mensis Maij cum manu potenti & brachio excelso feliciter transeamus, ceteris omnibus etiam indubitanter scientibus, quod in passagio & in aliis providebimus liberaliter transituris. Præterea quia circa medieratem proxime venturæ quadragesimæ disposuimus ante felicem transitum nostrum, cum populis principibusque aliis imperii, & cum omnibus habere colloquium in Ravennam, ut ad removendum de cordibus nostrorum fidelium omnem perturbationem pariter & rancorem, optatam pacem in Italia reformemus, nostram ad omnes gratiam effusuri, quibuscum de generali pace universitatem vestram monemus obnixius & hortamur, quatenus loco & termino præstitutis per honorabiles nuntios vestros in eodem colloquio interesse nobis curetis, ad tam laudabile negotium peragendum efficaciter effusuri, ut ab inde cum generali & universali gratia licentia præstita, & amico vale recepto, ad Christi servitium transeamus. Confidimus enim in Auctore salutis, quod summus pontifex devotionis nostræ non immemor, terræ sanctæ necessitatis non oblitus, devotum filium non permitteta solita devotione ac dilectione matris ecclesiæ diutius amoveri, cum eum sincere dileximus, priusquam ad altioris loci speculam vocaretur. Datum Capuæ.

EPISTOLA LXXX.
Odoni, cardinali.

FRIDERICUS magistro ODONI, cardinali.

Si rupti fœderis & violati polliciti quandoque arguimur, nulla nos detractionis lingua redarguat, nulla nos illati convitii noxa respergat. Tacti namque dolore cordis intrinsecus, de irrogata nobis & nostris invidia conquerimur. Nos nullam injuriam aliis irrogamus, quod contra commissum potius revocamus ad animum, ne dissimulatione tollatur injuria, quæ communicet infamiam, quæ præter convitii crimen afficiamur obnoxii, derogare videamur. Disposueramus huc usque tot & tantas offensas, talem subtractionem Viterbii, qualem noscis, virtuosa verecundia Cæsarem cohibente, silere, justissimos causa vestri motus arcto claustro cordis taciturnitatis nodo perstringere, & clave pudoris interius reserare quelas; quin potius nitebamur ut offensores nostros ineffabilibus gratiis, & inæstimabili precum exauditione multories placaremus, expectantes quotidie pro tanta devotione nostra, pro tot beneficiis grata nobis vicissitudine responderi; sed ut, amice carissime, vobis ad minus in aure loquamur, anxia cogitatione veremur, nedum immerita semper accipimus, desperare de meritis compellamur, nobis omnibus factæ promissionis auctoribus exstipulatis solemniter obligatis de perfecta salute & indemnitate nostrorum, quos in castro Viterbii pro fide nostra pugnantes religiosa transgressio tenebat inclusos, saltem conqueri cogimur, non ob illud præcipue quod res raptas ex fœdere repetamus ad præsens. Non quia nostrorum stragem & vulnera novo sanari miraculo postulemus; sed ut nobis tanta novorum varietate perplexis, tot offensarum enormitate turbatis, incorrupta sinceritas vestra respondeat, quem rerum exitum, quem expectationum nostrarum finem sperare possumus, si fides hominum sic ex toto negligitur, si pudor abjicitur, si conscientia non servatur, si demum paternis honoribus non defertur. Quæ jam inter homines vincula quærimus, cum quibus nos de sedatione tanti dissidii, de totius orbis fere ruina tractabimus, postquam legati sancti, quin etiam cardinalis promissio, quod est nomen venerabile populis, temere violatus. Cum non semper præsentialiter Cæsar cum apostolico conferat, non semper colloquentem sibi summum pontificem habeat magnificus imperator, certe veremur, quod nec ista fastidia dignitatum inter tot mala sufficerent, sed jam oratione sanctorum de cœlestis consistorii sedibus oportuit apostolos & angelos evocari. Affectionem itaque vestram quam habemus in Dei veritate præcipuam ægre ferre non volumus, si causæ nostræ justitiam nos in notitiam publicam oporrebit, rebus ut nunc sunt se habentibus, summa necessitate cogente profetre, personæ tamen vestræ transgressionem aut culpam, sicut apud nos, sic etiam apud omnes in omnibus excusatam offerre disponimus, quamquam ipsius causæ discrimen & evidentis enormitatem offensæ nullis verborum coloribus, si loquamur, obtenebrare possumus.

Locus obscurus.

EPISTOLA LXXXI.
Castellano pontis Tremuli.

Totis contendat viribus ut villam ... quæ ab eo defecerat recuperet.

IMperator Castellano pontis Tremuli. *Ex ms. Calbertino.*

Dum ex zelo fidei & puræ devotionis ardore, quam ad nos & imperium semper

habuiſſe te novimus, de tua induſtria & A legalitate confiſi, cuſtodiam.... villæ tibi ſpecialiter recolimus commiſiſſe, ut ſicut eras inter alios in fide noſtra præcipuus, ſic eſſes in ejuſdem loci cuſtodia ſpecialis: Cum ergo villa ipſa, ſicut nuper accepimus, a fide noſtri culminis deviavit, tanto te propenſius expedit circa ipſius recuperationem modos exquirere, quanto confidentius de ipſius retentione ſtudio tuæ circumſpectionis inhæſimus, quantoque per hoc noſtra & tua quin potius utilitas procuratur. Quocirca dilectionem tuam requirimus & hortamur attente, mandantes quatenus ſicut B unquam honorem noſtrum diligis, & a nobis amplas præmiorum retributiones expectas, modos & vias quos eidem negotio convenire cognoveris, operoſus excogites, ingenium acuas, & omni ſolertia qua poteris elabores, qualiter locus ipſe ad fidei noſtræ cultum reducatur. Nos enim promiſſiones, pactiones & conventiones, quas ad honores noſtros propterea duxeris faciendas, ratas habebimus, & faciemus in- L. opportunitate. violabiliter obſervari. Temporis etiam * humilitate captata, nos in manu forti & copia theſaurorum ſic ad ultimum exterminium noſtrorum rebellium, & ſtatum pacificum fidelium procurandum partes Italiæ magnifice repetemus, quod rebellium ipſorum temeritas, qui de noſtra forſitan abſentia gloriantur, divina nobis aſſiſtente potentia, quæ tueri conſuevit imperium, in adventu noſtri culminis evàneſcet.

donec in meliorem ſtatum reformata Provincia glorioſius inde ſequatur exitus, unde votivus ſuſcipiatur continua ſucceſſione proceſſus, te de partibus ipſis ad præſens non vidimus revocandum. Nollemus etenim ut de laboribus & ſudore tuis promta dudum devotione diſperſis, aliena meteretur falce victoria, & aſſumeret alius, te in campo Martio ſtrenue currente, triumphum. Sed cùm plena ſe nobis & proxima præbeat de regionis ipſius reformatione fiducia, te cum plenitudine gloriæ de rebellibus noſtris aſſumta, libenter ad noſtram præſentiam revocare curabimus, & hilariter ad noſtræ quietis participium admittemus.

EPISTOLA LXXXII.
Ad comitem.

Quantumvis ipſius exoptet frui præſentia, non poſſe tamen prius revocari, quam victoriis ſuis Provincia reformetur.

Ex mſ. Collectione. FRIDERICUS comiti.

Lectis gratanter litteris tuis, & diligenter auditis ſingulis, quæ nuntius & ſocius tuus propoſuit coram nobis, firmiter te tenere volumus, quod præſentiam tuam quam fructuoſam nobis clara ſemper demonſtratione probavimus, libenter lateri noſtro proximam videremus, ut nos tuis, quæ grata ſunt nobis ubilibet, præſentibus uteremur obſequiis; & tu noſtris, quos familiares tibi quantumvis abſenti promittimus, placidis aſpectibus lætareris, vel ut qui ſollicitudinibus variis & laboribus bellicis fatigatus, noſtram videre præſentiam reputares ad otium, & lætam aſpicere faciem adſcriberes ad quietem. Sed negotiorum natura, quæ laudabile habuit te in partibus ipſis actore principium, noſtris tantiſper & tuis deſideriis repugnante, voluntati quodam modo noſtræ vim facimus, &

EPISTOLA LXXXIII.
Juſtitiario Aprutii.

Ut R. fiat a Vaſallis ſuis ſubventio.

FRIDERICUS imperator Juſtitiario Aprutii. Ex mſ. Cobbertino.

Olim ad ſupplicationem Ray. Trog. fidelis noſtri Petro de Sico tunc Juſtitiario ipſarum partium præceſſori tuo per litteras noſtras injunximus, ut quia R. pater C ejus, quem in ejuſdem filii ſui commoda naturalis affectio ſeu paterna caritas merito invitat, ut debet, ſibi dudum in receptione angeli militaris, quam ejus debuerat prævenire ſubventio, lentus aut rigidus in aliquo non providit; idem Juſtitiarius a Vaſallis præfati R. juxta regni noſtri conſuetudinem ſupplicanti præfato ſubventionem fieri faceret congruentem. Cumque ſicut eo nuper referente comperimus, dictum mandatum noſtrum effectu debito caruiſſet, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus juxta tenorem noſtrarum litterarum, quas ſuper hoc eidem P. direximus, D prædictum mandatum noſtrum celeriter & efficaciter exſequaris.

EPISTOLA LXXXIV.
Stipendiariis.

Propoſita ipſis mercede hortatur patienter ut tolerent ſtipendiorum defectum.

FRIDERICUS Stipendiariis ſuis. Ex mſ. Cobbertino.

Etſi ſtipendiorum defectus, quem patri vos hactenus in ſervitiis noſtris oportuit, gravis vobis extiterit & infeſtus: gravitatem ejus, ſi diligenter advertitis, cauſa duplex alleviat. Prima quidem, quod nobis & familiæ noſtræ neceſſariorum ſuffragiis hactenus more ſolito non porrectis, dum reddit malitia temporis dominum ſubditis ſuper hoc quodammodo non impari neceſſitate conſimilem, paſſi-

biliorem nobis efficere debuit egestatem. A Secunda, quod dum laborum & necessitatum vestrarum instantia, de qua vobis Deo teste, compatimur, debita consideratione pensatur, ad vestrum cujuslibet commoda nostræ liberalitatis dexteram hujusmodi gratitudo servitii, quasi per debitum obligabit. Æquanimiter igitur defectus præteritos, & si quem vobis inantea forsitan imminere contingeret, sustinere sub certa munerum retributione vos volumus, ut cum negotiis nostris istarum partium, quæ habemus præmanibus, celebriter & salubriter ordinatis; ad partes ipsas redire feliciter & infallibiliter B disponamus, sic vestris necessitatibus tam de stipendiis, quam de aliis beneficiis provideri magnifice faciemus, quod vos in nostris fideliter persticisse servitiis necessario delectabit. Interim tamen ut vestris necessitatibus succurratur, per ... quem in regnum propterea misimus, in stipendiis vobis pro retroacto tempore præcipimus provideri.

EPISTOLA LXXXV.

Richero de ...

Consolatur eum de L. episcopi Theanensis fratris ejus morte.

Ex mss. Colbertino.

FRIDERICUS Richero de...

Audito nuper, quod mordentis omnia mortis impietas L. venerabilem episcopum fratrem tuum fidelem nostrum, tibi nunc ad personam nostram redire parato, non sine plurium detrimento subtraxit, passionibus tuis affectuose compatiendo doluimus, & si ope vel opibus reparari defunctum vel alia compassione redimi natura permitteret, D nostra propterea libenter aperuissemus æraria, & alia quælibet opportuna subsidia misissemus. Graviter enim nostri cordis intrinseca casus ipse turbavit, dum & te proinde fraternis affectibus amaricari conspicimus, & ejus obsequia grata nobis sic subito perdidisse pensamus. Sed quia quod semel subripuit mors debitrix amara non reddit, dolori tuo, quem multi tecum libentissime partirentur, consolationis unguenta porrigimus, & gratiæ nostræ remedia propinamus: devotioni tuæ mandantes, E quatenus verborum nostrorum temperamento lenitus, & multorum in consimilibus exemplo commonitus, qui exempla bonorum operum aliis dare debes, statim abstergas lacrymas, refrenes suspiria, & amore constantis viri dolori tuo limitem, nobis proinde placiturus imponas.

EPISTOLA LXXXVI.

Doloris & consolationis ad amicum de morte filii sui.

Ex mss. Colbertino, sub finem lib. 4. ejus Petri de Vineis.

AUdivimus condolentes quod amicus noster filius vester & juvenis claræ indolis, moribus, scientia diligendus, proh dolor! naturæ debitum solvit. Sed ô dura & dira nati conditio & obliqui ordinis corruptela! quem sperabat pater post se dimittere successorem, cui quidquid poterat in renovatione domorum, in ampliandis prædiis & rebus opulentioribus, de patris officio præparabat, vidit ordine mutato mortuum, & quod præstolabatur ab eo, præbuit, heu! genito lugubre sepulturæ. Ha, ha, Deus omnipotens, ut quid in rebus humanis tantam patris ad filium emanare gratiam naturæ ministerio voluisti, quod æmula patrum præmatura privatio filiorum inexorabilis mortis gladio paternam animam pertransiret; Aut ad succedendum patribus erga filios ordine recto fata præcederent, aut rerum conditio patri filium non dedisset, ut filialis amoris nescius tantam in C decessu filii doloris vehementiam non sentiret. Nam tolerabilius videretur non habuisse filium, quam habitum amisisse: excessus tamen primi parentis, meruit ut successiva posteritas tam sinistris eventibus angeretur, & ex transgressu filius, totius generis humani successio defectus naturæ haberi patiatur & ad ejus solutionem debiti nulla differentia sit ætatis. Hoc magis est in juvene decedente deflendum, quod non supereat in ejus memoria filius, qui dolorem avi utcumque leniret, & patris imaginem præsentaret, ut hæc vobis anxietatem renovent & ab oculis nostris lacrymas non abstergant. Verumtamen si prudentiam ejus & probitatem quam sibi natura contulerat meditemur, sic ad perfectum virum in ætate delicata profecerat, ut maturum semen moribus & scientia præsentabat in juvene, ac ejus anima sic erat placida coram Deo, ut eum ad se maturius vocare decreverat.

EPISTOLA LXXXVII.

Bajulis, judicibus &c. Panormi.

De nece C. regni Siciliæ secretarii.

Ex mss. Colbertino.

CONRADUS &c bajulis, judicibus & universis hominibus Panormi.

Inter alia devotionis insignia, quibus erga progenitores nostros & nos probabiliter hactenus claruistis, illud specialiter nostris adhæsit affectibus, & satis est suaviter memorialibus nostris impressum, quod sicut veridica nobis relatione comperimus, excres-

cente fervore fidei, quam in vobis mater ipsa fundavit antiquitas & grata novitas solidavit, ne de morte magistri C. secretarii nostri Siciliæ honoris nostri fastigiis rubigo remaneret inertiæ, seu vobis infamiæ nebula supereſſet, ad sumendam de ipsius interfectoribus ultionem, devotio vestra non minus audacter, quam unanimiter insurrexit. Ex quo sinceritatis vestræ commendamus affectum, dum in ipsius operis exhibitione complacuit; sed ex eo præcipue gratum gerimus, quod conscientiæ puræ constantiam, quam de fide vestra ex clara jam dudum parentum nostrorum legatione concepimus, firmam & inviolabilem invenimus. Nostra sic itaque proinde gratificata majestas ad nostri favoris gratiam hilariter vos invitat, ut si unquam retroactis temporibus in prædecessoribus nostris plenitudinem benevolentiæ recolitis, apud nos pinguiorem semper in melius gratiam invenire de cetero firmiter confidatis.

EPISTOLA LXXXVIII.
Justitiariis &c.

Restituit studium universale in Salernitana civitate.

Ex ms. Celestini. CONRADUS &c. Justitiariis &c.

Sollicitudo continua curas nostras exagitat, qualiter regnum nostrum Siciliæ, naturaliter rerum vitalium ubertate fœcundum, prudentum virorum copia nostris temporibus artificialiter decoremus, ut fideles nostri regnicolæ scientiarum fructus, quos indifferenter excurrunt per aliena quærere pomeria, non coacti, paratam in regno mensam propositionis inveniant, & quos ingeniorum votiva fertilitas, ad consilia reddit alta conspicuos, litterarum scientia faciat eruditos. Ad quod licet progenitorum nostrorum elata prioritas invitet exemplis, dum eorum temporibus sic diversarum scientiarum studia in regno floruisse competimus, ut non solum ad incolas filios, sed ad exteros etiam extendisse probatur suavitatem odoris. Nos tamen super hoc tanto libenter sine cujusquam inductione concutimur, quanto per hoc utiliter honori nostro consulere credimus, & exaltationem omnimodam regni nostri omni qua possumus diligentia procuramus. Volentes itaque super hoc antiquorum gratam renovare temperiem, & regni nostri fastigia tripudialibus novitatis nostræ primitiis augmentare, universale studium in civitate nostra Salerni, consulta nuper deliberatione providimus reformandum, ut civitas ipsa antiqua mater & domus studii, sicut puritate fidei & situs amœnitate præfulget vel relucet; sic renovata quasi paranympha scientiæ & singularium hospitalaria facultatum docentibus & addiscentibus se præbeat gloriosam. Ad hoc igitur tam salubre convivium magistros quoslibet & scholares hilariter invitamus, fidelitati tuæ mandantes, quatenus præsens beneplacitum nostrum per jurisdictionem tuam solemniter studeas publicare, firmam singulis fiduciam oblaturus, quod immunitates & libertates omnes, quibus olim tempore divi Augusti, tam in Neapolitano quam in Salernitano studio, uti & gaudere sunt soliti, faciemus universis & singulis illuc ire volentibus inviolabiliter observari.

EPISTOLA LXXXIX.
Communitati.

Significat se cingulo militari solemniter fuisse accinctum.

Ex ms. Celestini. CONRADUS &c. Communitati.

Geminare videmur in nobis augmenta congaudii, si festivos nostræ felicitatis ad nostrorum fidelium corda transferimus, & in aures vestras præcipue, quas attentas ex fidei puritate confidimus, lætitiæ nostræ tripudia derivamus. Illo nihilominus affectibus nostris inhærente proposito, quod hæc & alia quælibet delectaret nos potius vobiscum præsentes festa peragere, quam interpretis scripturæ mysteriis nuntiare: ut & nos vestra vicinitas diurius affectata reficeret, & vos nostræ provisionis indubitata placiditas refoveret. Sed pro firmo tenentes, quod in vobis velut in populo honorificato tanta sit radicata devotio, ut apud celebres nostræ serenitatis eventus localis intercapedo non minuat, nec labentis protractio temporis intercidat, ad notitiam vestram producimus, quod licet ex generositate, qua nos a primis componentibus natura decoravit, & ex dignitatis officio, qua regnorum nostrorum solio gratia divina præfecit, nobis militaris auspicia non deessent: quia tamen militiæ cingulum quod reverenda sancivit antiquitas, nondum serenitas nostra susceperat, die.... solemnitate tyrocinii latus nostrum elegimus decorandum. Ut ex hoc ætatis nostræ virtuosa floriditas signa majoris strenuitatis indueret, & originalis nobilitatis gratiam renovaret novæ militiæ claritudo. Quo etiam die ut honoris solemnia dignis militantium actibus ornaremus, præter celebrata magnificæ festivitatis insignia, quæ tanti boni jucunditas & personæ nostræ magnificentia requirebant, victoriosi exercitus nostri viribus stipati belligeris, in campos castra nostra produximus, ut ab inde sub felicitatis futuræ præsagio plena fidelibus pace data contra hostes nostros continuatis gressibus feliciter procedamus.

EPISTOLA XC.
Potestati, Consilio, & Communi Cremonæ.

Laudata eorum fidelitate, suos eis successus prosperos significat, Italiæque urbes esse armis muniendas monet.

Ex ms. Colbertino.

CONRADUS &c. Potestati, Consilio & Communi Cremonæ.

Delectat nos vobis de nostræ felicitatis eventibus nova describere, quos multæ fidei devotionisque præclaritas, sicut firmiter credimus, avidos nostræ prosperitatis efficit auditores. Dum enim gratitudines servitiorum innumeras, quæ claræ memoriæ genitori nostro devote præstantes, constanter in filium transtulistis, diligenter advertimus, dum voluntatem vestram, quam mater & alumna fidelitas semper hactenus servavit, illæsam memori meditatione pensamus, libenter vobiscum familiaria status nostri verba conferimus, cum quibus libenter etiam prosperitatis nostræ successus præsentialiter partiremur. Noveritis etiam quod divina favente clementia, quæ nostros semper dirigit ad vota successus, sospitatis corporeæ votivo beneficio fruimur, & conculcatis undique rebellionis obstaculis, quæ dudum incognito nostræ potentiæ brachio, palpitare quodammodo videbantur, in regno nostro Siciliæ potenter & magnifice triumphamus. Quamquam igitur opus armis esse de cetero magnificentia nostra non credat, dum fidelibus nostris Christicolis omnimoda pace gaudentibus, solo verbo cuncta disponimus, & solus nutus imperat & gerit officium gladiorum; nihilominus tamen non sic vacandum otio fore censuimus, quin potentiam nostram terræ marisque viribus continue muniamus, ut per hoc & acquisita possimus in brachio præpotenti defendere, & circa partes Italiæ, de quarum negotiis diligens nos cura sollicitat, habilius intendere valeamus.

EPISTOLA XCI.
H. ducissæ Navarræ.

Consolatur eam de morte ducis.

Ex ms. Colbertino.

CONRADUS rex H. ducissæ Navarræ, &c.

Dum post sedatos undique turbines, quos dudum in regno nostro . . . calumniosa temporis procella commoverat, nostris nuper faveret affectibus fortunæ placiditas, & nostrorum processuum latera circuiret, subito rumor infestus & nubilus claustra nostræ jocunditatis infregit, illas nobis insipidas amaritudinis propositiones interserens, quod dux Navarræ legitimus socer noster superioris ducis imperio ad patriam quo iter est omnibus generali mortalium necessitate vocatus, humanitatis commune debitum, quod exceptio quævis allegata non protogat, ex inevitabili lege fatalitatis exsolvit. Ex quo tanto nos pupugit doloris novus ictus acerbius, quanto per ejus absentiam, quo genitoris in nobis officium compensabat, & velut nostri pars magna consilii erga nos caritatis paternæ non impares gerebat affectus, multa nobis carnis grandia commoda resecata sentimus. Verum quia sic irreparabiliter cadere, hominis est natura non pœna, & morbus ille non est medicabilis herbis, sed illius est excelsæ dexteræ mutatio, qui caput excelsum & humile necessariis complexibus æqualitatis involvit, mutua sunt nobis & tibi exinde consolationis assumenda consilia, ut nos decedentis patris occasum superstitibus solemur in filiis, in quibus nobis affinitatis solidæ pignora remanserunt, & tu quæcumque tibi jam turbidus eventus ingesserit, in nobis reparabilia sentias detrimenta, qui tam ex carnis unione qua jungimur, quam ex dilectionis etiam vinculo quo unimur, tua & tuorum negotia non minus libenter quam propria continuis semper profectibus disponimus promovere. Propter quod dilectionem tuam inducimus & hortamur attente, quatenus non expectans, ut solaminis remedia tibi lapsitudo mœroris indulgeat, sed animum inducens viri fortis, omnem causam lugubrii doloriſque reliquias, quas forte tibi muliebris mollities reliquit ad lacrymas, verborum nostrorum lenimentis aboleas, & in generosa spe nostræ proximitatis abstergas.

EPISTOLA XCII.
Comiti, &c.

Constituit R. suum in Italia vicarium generalem.

Ex ms. Colbertino.

CONRADUS &c. Comiti &c.

De corrupti parentis primi convitio tantam retinet hodie læsa posteritas corruptelam, ut facta jam quasi domestica cuilibet licentia delinquendi, semper ad consensum nequitiæ prona sit humana conditio, & per vitiorum lubricum quotidie corruat in excessum: & sic homo, quem rationis participem providentia divina creavit, a suæ diffinitionis ordine quodammodo discohærens, tantæ cupiditatis errore seducitur, ut voluntate secum & ratione pugnantibus, dum inter bonum malumve disjudicat, vix etiam eligat quod discernit. Cujus effrenes motus & impetus, nisi justitiæ rigor opprimeret, & sæcularium coerceret auctoritas potestatum, suum pacis dulcedo nomen amitteret, & arbitrii communis abusio

societatis humanæ fœdera violaret. Cumque ad hoc specialiter leges & arma convenerint; nos qui ad subditorum nostrorum regimen superna dispositione vocati, hæc & illas debemus in subditis & possumus exercere, continua reddimur cordis anxietate solliciti, qualiter utrorumque permixtis officiis, & in gladio juste puniamus obnoxios, & potenter in plena justitia pacificos foveamus. Verum cum individuitate personæ simul & semel ubique personaliter nostra serenitas adesse non possit, ut noscant subditi longas regibus esse manus, viris industriis, qui majestatis nostræ præsentium repræsentent, confidenter committimus vices nostras. Cum igitur post salubrem & quietam dispositionem regni nostri Siciliæ, jam circa negotia Italiæ suscitare veli mus præcipue curas nostras, ecce de experta fide nota industria & solita circumspectione R. plene confisi, qui ex officii nostri debito jura imperii manutenere tenemur pro viribus & augere, ipsum generalem vicarium ipsarum partium de latere nostro duxi mus dirigendum. Concedentes eidem merum & mixtum imperium & gladii potestatem, & ut in facinorosos animadvertere valeat, ac in eos præcipue, qui stratas & itinera publica temerariis ausibus præsumserint violare. Permisimus quoque sibi & plenam contulimus facultatem, ut tam criminales quam civiles audiat & determinet quæstiones, quarum cognitio, si nos præsentes essemus, ad nostrum judicium pertineret. Decreta itaque interponat, quæ in alienatione rerum ecclesiasticarum & minorum interponi secundum justitiam postulantur. Et ut majoribus & minoribus, quibus universalia jura succurrunt, causa cognita, prout juris fuerit, restitutionis in integrum beneficium largiatur. Ad cujus etiam audientiam appellationes deferri volumus, quas a sententiis ordinariorum judicum & eorum omnium, qui per jurisdictionem ab imperio nacti sunt, infra partium prædictarum terminos contigerit interponi, nisi forte causæ qualitas, vel appellationum numerus subsidium adimat appellanti. Creandi quoque notarios, dandi tutores & curatores, & demum omnia plenarie exercendi, quæ ad merum & mixtum imperium spectare noscuntur, prædicto vicario plenam concessimus potestatem. Quocirca devotionem vestram requirimus, & hoc attente firmiter præcipiendo mandantes, quatenus in omnibus & singulis quæ ad ipsius vicarii officium spectare noscuntur, devote parere & efficaciter intendere studeatis.

EPISTOLA XCIII.

Responsiva Conradi &c. ad quamdam epistolam P de Calabria.

Ex mss. Colbertino.

SI casum & causam quæstionis tuæ plene discutimus, satis abreviari posset invectio, quam in nos de non scripta tibi dudum, ut asseris, novæ victoriæ jucunditate componis. Quid enim tibi materiæ querulæ deberi conspicimus, si in mensa congaudii, de cujus quasi loco novissimo reclamator excuteris, prima tibi sedulus invitator ad nuptias discumbendi sedilia collocavit? Sed cum causarum merita partium assertione pandantur, ludicris tuis votis alludimus, & corda quòdam modo redolentes alacria, jocosi styli serie lucidamus. Statim quidem, immo priusquam de prospera nobis deditione Neapolis rei lætus eventus pectora nostra reficeret, lætitiæ novæ primitias desideriis tuis providimus deputandas, ut quem habuerat nostra serenitas, in hujus festi tam celebris expectatione præcipuum, participem faceret felicis auspicii susceptione secundum. Exenia tibi per litteras tempestiva transmisimus, terra marique direximus nuntios, ut alterius elementi succedentis habilitas, defectum alterius supportaret, & ut vel sic potuisses effici lateri nostro finitimus, ut nobiscum corporaliter sine paranymphi commerciis exultasses, vel litterarum ipsarum bajulis permisissemus plumas adjungi volatiles, ut suæ legationis officium cujuspiam relatibus prætulissent. Sed si casualiter est forsitan morbificatus iterans, vel aura non succedente propitia navigans præpeditus, deberes saltem in famam violenter argutor insurgere * quam de motus cursilis, quam naturaliter induit, velocitate damnare. Nec in te modificare volumus intemperantiam gratulandi, cum tuæ virtutis essentiam ad hæc majora sufficere confidamus. Propter quod magisterium in hac parte non approbes, ubi nullam, quam asseris, manus artificis causam dedit. Nec propter hoc verecundiam jactare te expedit, quam assumsisse te etiam supervacuum arbitramur. Cum enim nonnisi ex inferentis animo procedat injuria, illatam tibi propterea contumeliam frustra conqueris, quæ ex opinione nostra non prodiit, & in conjecturam audientium non pervenit. Sed si sumta de perspicacis hujus novæ tripudiis materia jocundandi plausus tuos, quos justo te credimus exinde titulo possidere, vel quorum in te titulum redimit bona fides, caute scribis ammicuisse juvenibus, placuisti.

* f. etiam vel atque.

A

EPISTOLA XCIV.
Comiti Cremonæ.

Significat proximum ſuum in Italiam ad comprimendos rebelles adventum.

Ex mſ. Colbertino.

CONRADUS &c Comiti Cremonæ.

Etſi utilium exigente qualitate cauſarum, quibus aliter conſuli commode poſſet non vidimus, dudum regnum noſtrum Siciliæ præſentiam noſtram duxerit repetendum, vobiſcum ſemper corde remanſimus. Etſi B permittente natura fieri potuiſſet, majorem corporis noſtri partem providiſſemus præſentialiter remanſuram. Conſiderantes vero quod temeritas ſuperſtitioſa rebellium, dum delitioſe tantiſper quieti nos deditos opinatur, improvide jam plenam vento gloriam ex abſentia forſitan noſtræ majeſtatis uſurpat, penſantes etiam quod veſtra & aliorum noſtrorum corda fidelium, dum præſentiam noſtram anhelanter eſuriunt, de facili poſſent aſſumere, de tam longa ſpei prorogatione rancorem: Nos in partem ſolitæ ſollicitudinis reddendos elegimus, & C ſuavibus regni noſtri ſolatiis, perſonam noſtram providimus ſubtrahendam, ſic facti noviter in hoſtium detrimenta magnanimes, ut nullis quaſi præteritis fatigati laboribus, nullis effuſis ſumtibus faſtiditi, nunc videamur ad bella ſolito fortiores occurrere, nunc ad eroganda ſtipendia & præmia largienda pro meritis ſatis conſueto fœcundius noſtræ munificentiæ gremium aperire. Ecce igitur corpore ſoſpites, corde ad reviſendas partes Italiæ potenter accingimur, theſauros undique de regni fertilitate congerimus, & noſtræ potentiæ brachium ſic congregatis circumquaque præſidiis roboramus, ut in proximo & victorioſo noſtræ majeſtatis adventu, ſpe diuturna fidelium reſpirante, conterantur medullitus corda rebellium, qui nobis abſentibus forſitan inaniter gloriantur. Vos igitur, viri fortes, quos velut in fidei ſoliditate firmatos reddit quævis negotiorum & temporum qualitas in noſtra devotione præclaros, ſpem firmam fiduciamque concipite, quod in ſupremum exterminium noſtrorum rebellium, ad partes ipſas in proximo potenter & magnifice veniemus. Interim tamen ſic in ſervitiis & fide noſtra perſiſtite, ſic ad offenſionem hoſtium, ſicut viros decet induſtrios vires & animos exercete, quod inter alios fideles noſtros vos dignis extollere laudibus & ſpecialibus proſequi præmiis merito valeamus.

EPISTOLA XCV.
Marchioni.

De rebellibus compreſſis.

Ex mſ. Colbertino.

CONRADUS Marchioni.

Poſtquam præter ſpem & contra vota quamplurium ad ſuaves applauſus regni Siciliæ, divina gratia cooperante, pervenimus, ſubjunxit noſtris undique formam ſucceſſibus nova felicia, quibus habet calamus exarare, quod placeat, & tuis referre ſuaviter auribus quod delectet. Quantumlibet enim ante noſtræ majeſtatis adventum, id eſt dum malitia temporis longe nobis abſentibus lapſiorem exceſſibus licentiam tribuebat, civitates & loca regni pro parte non modica rebellionis error acciduus infeciſſet. Viſa tamen potentia noſtra vicinitus, ſic ſubito quamplures ex eis noſtrarum virium fragor edomuit, & nonnullos erroris fugata caligine ſpontanea converſione reduximus ad fidei noſtræ cultum, ita quod nihil jam proceſſibus noſtris objicitur, nihil quaſi vel modicum reſtat a fidei noſtræ conformitate difforme; ſed evulſis jam plene radicibus, quæ factionis inchoatæ materiam roborabant, cuncta nobis grata proveniunt, cuncta noſtris auſpiciis ad vota ſuccedunt. Ne poſſit tamen tuum vel aliorum noſtrorum fidelium animos credulitas indirecta ſubrepere, quod dum delicioſa regni noſtri ſuavitate deducimur præter curas Italicas intendamus, ad quarum plenam proſecutionem tanto libentius vocare diſponimus, quanto fœcundius exinde titulus noſter extollitur, & facultas nobis ad proſequenda D de cetero liberior ſuffragatur, ſcire te volumus quod fiſcalibus juribus regni noſtri per diverſas partes ſtudioſe diſcuſſis, potentia in majori quæ poſſumus quantitate congerimus, ut de ipſa tibi pro ſalubri expeditione negotiorum ipſarum partium, non minus celeriter quam naturaliter ſuccurramus.

EPISTOLA XCVI.
Fideli ſuo.

Redarguit eum quod homicidium non punierit.

Ex mſ. Colbertino.

CONRADUS &c. Fideli ſuo.

Te redargutionis & culpæ non vidimus nota carentem, dum contra B. & L. qui homicidium ſub umbra noſtri nominis commiſiſſe dicuntur, tam lente, tam ſegniter audivimus proceſſiſſe. Sequitur ergo ut dum maleficiorum exceſſus hujus juſti præſidis rigore

rigore non ſtringitur, vitioſa jam pœnæ remiſſio nutritiva ſit criminum, facinoroſis ex hoe enormis creſcat audacia, & liber quodammodo tranſitus violentiæ præbeatur.

EPISTOLA XCVII.
Univerſitati Meſſanæ.

Laudat eorum fidelitatem ac regiæ majeſtatis amorem.

Ex mſ. Colbertino. REx Univerſitati Meſſanæ.

Innatum vobis placidæ devotionis affectum, quem litterarum veſtrarum ſeries intellecta diſſeruit, & providi veſtræ voluntatis interpretes coram nobis ſeriatim expreſſerunt, favorabiliter proſequi fidelitatis auctoritas illa nos allicit, quam generalitatis antiquitas radicavit in Siculis, & ſpecialitatis gratifica propagavit in vobis, ac licet expedierit veſtræ ſinceritatis indicia litteris aut nuntia voce depromere, quam ſervitiorum & operum rectitudo dilucidat, & grata noſtris aſpectibus actualiter repræſentat, eo tamen libentius ad univerſitatis veſtræ commoditates inducimur, quo zelo piæ devotionis accenſi, mandatis noſtris libenter annuitis, & noſtræ ſerenitatis avidi de perſonæ noſtræ ſucceſſibus exquiritis recreari. Ad hæc igitur nedum vos noſtrum timere dominium; ſed, quod eſt in ſubditis virtus eximia, noſtram vos affectuoſius amare perſonam, probabiliter experimur. Sicque per unum ad veſtra nos redditis vota propitios, & per alterum tamquam per debitum ad commoda veſtra benivolos invocatis. Ecce igitur conſona ſtatus noſtri petitionibus veſtris nova deſcribimus, quod faciente dextera Regis regum corporali gaudemus beneficio ſoſpitatis, & corporis noſtri membra dudum in Italiæ partibus laboribus bellicis fatigata regni noſtri quiete delicioſa reficimus, ac in noſtrorum detrimenta rebellium ſtatumque fidelium procurandum continua, ſed accurata quin potius deliberatione penſamus.

EPISTOLA XCVIII.
Fidelibus.

Miſſos ad eos deſtinat, qui de officialium agendi ratione exquirant.

Ex mſ. Colbertino. CONRADUS Fidelibus ſuis per Nicolaum de Rocha.

Sæpe contingit, quod dum proceſſus & geſta noſtrorum officialium ignoramus, bene meriti excluduntur a præmiis, & obnoxii eximuntur a pœnis, ſicque ſubditorum noſtrorum fides ex noſtræ retributionis ſubtractione minuitur, & ex impunitate augetur obnoxiis materia delinquendi. Ut igitur proceſſus veſtri, quos ad oculum videre non poſſumus, nobis relatione veridica referentur, fideles noſtros... ſuper viſitandis officialibus noſtris regionis ipſius, & ſuper ſingulorum proceſſibus ſagaciter exquirendis ad partes ipſas ſpecialiter providimus deſtinandos, fidelitati veſtræ mandantes, quatenus ſuper omnibus quæ ad eorum officium ſpectare noſcuntur, prout in litteris commiſſionis ipſorum plenius continetur; eiſdem devote parere & efficaciter intendere ſtudeatis.

EPISTOLA XCIX.
Johanni Turdo.

Conſolatur eum de morte filii ſui.

Ex mſ. Colbertino. REx Johanni Turdo, per Nicolaum de Rocha.

Lugubrem Petri filii tui caſum vulgaris famæ fortaſſis generoſitate præcognitum, cujus doloris aculeus, prius dominica pectora pertranſiens quam paterna, fecit in nobis, quantum licuit, quantum decuit, ſtationem, infeſto tibi ſtylo deſcribimus. Et licet ejuſdem obitus nos in ipſius obſequii ſubtractione turbarit, & te, ſicut firmiter credimus, in carnis deciſione medullitus venabulo quodam inopinato percutiat; ſi modus tamen & qualitas mortis attenditur, conſolationis remedium, quod nos jam exinde probabili ratione concepimus, locum grandem invenire firmiter opinamur in patre. Dum enim idem filius tuus cameræ noſtræ ſervitiis aſſiduus & obſequioſus inſiſteret, in combuſtione caſtrorum noſtrorum Victoriæ, ubi cum ſe forte potuerat a rebellium noſtrorum manibus fuga ſubducere; devotionis firmæ conſtantia, quæ vix cadere conſuevit in juvenem, gladii ſuperante terrore, cruenta maluit cæde ſuccumbere, quam dimiſſis aulæ noſtræ ſerviciis, ſaluti propriæ per abſentationis ſubſidium vel remedium providere. Ex hac ergo quam diximus cauſa præcipua doloribus tuis conſolationis unguenta porrigimus, & mandamus, ut cum ejuſdem filii perſona defuncta vivat in noſtri cordis eſſentiæ, carne deficiente, memoria, & turpe ſit in prudente viro conſolationis remedium lapſitudo dolendi; modum fundendis lacrymis apponere ſtudeas, & cauſam conſolationis in nobis aſſumas.

EPISTOLA *C. MANFREDI magistro N. decretorum doctori.

Reformato in civitate Neapoli universali studio, mandat ut ad illud se conferat, decreta docturum, & solitis privilegiis fruiturum.

Ex mſ. Colbertino.

MANFREDUS &c. Magistro N. decretorum doctori.

Inter alia decoris insignia, quibus regni nostri possessio præclara tripudiat, desideramus ibidem liberalium artium erudimenta concrescere, & litteralis scientiæ monimenta florere, ut sicut regnum ipsum pacis & justitiæ complexione nunc fruitur, & rerum opulentia naturaliter gloriatur; sic ejusdem incolas, quos ingeniorum nativa fœcunditas ad consilia reddit alta conspicuos, per doctrinale commercium articulus vivæ vocis efficiat utili transfusione peritos. Ad quod laudabiliter peragendum scholis ubique per regnum particularibus interdictis, universale studium in civitate Neapolitana, consulta deliberatione prahabita, providimus reformandum. De tua igitur fide & sufficientia laudabili testimonio perhibito, coram nobis, te ad hujus operis participium invitamus, fidelitati tuæ præcipiendo mandantes, quatenus ad civitatem ipsam docturus in scientia decretorum, & nobis exinde placiturus personaliter studeas te conferre, de munificentiæ nostræ liberalitate securus, quod præter fructum favoris & gratiæ, quem a nobis propterea specialiter consequeris, consuetudines omnes & bonos usus, quibus umquam temporibus felicis memoriæ domini genitoris nostri doctores & scholares in studio ipso morantes uti & gaudere sunt soliti, faciemus tibi & aliis moraturis ibidem inviolabiliter observari.

EPISTOLA CI. Justitiario, &c.

Reformat seu restaurat universale studium in civitate Neapolitana.

Ex mſ. Colbertino.

MANFREDUS &c. Justitiario, &c.

Ad regiæ præfecturæ fastigium providentia divina vocati, more consulti patrisfamilias, cui debet inesse cura de subditis, inter sollicitudines alias nostris sensibus inhærentes, continua reddimur cordis pulsatione pervigiles, qualiter regnum nostrum, quod præter turbationis præteritæ tumultus innumeros, non sine multis personæ nostræ laboribus, in plurium siquidem injuriam populorum, omnimoda pacis tranquillitate A nunc fruitur, & ubertate rerum vitalium naturaliter gloriatur, prudentum fulcimento virorum, per quos tute rerum geruntur officia, nostris artificiose temporibus ampliare possimus, ut fideles regnicolæ ad artium erudimenta famelici, per aliena, ut affolent, studia mendicare suffragia non coacti, paratam in regno mensam refectionis inveniant, & tamquam domesticis fulta dogmatibus, eructantia ex hoc in illud eorum promtuaria plena fluant. Ad hoc enim nos progenitoris nostri clara prioritas laudabilibus invitat exemplis, qui virtuosæ mentis argumento compositus, sic statuit in regni pomario scientiarum virgulta concrescere, ut viros ibidem in qualibet facultate peritos, non solum ut incolas filios gratia propriæ suavitatis imbueret, sed ad remotas & exteras nationes de cisternis suis aquas effunderet labii, sitibundis. Sicque dum contigit in his causæ munimenta defitere, cœperunt causata diminui, & tot regnum excultorum inopia sentire jacturas, ut impudenter rogare cogatur ab aliis, quod abundanter solebat aliis erogare. Cupientes igitur super hoc paternis inhærendo vestigiis, tam prædictorum gratam renovare memoriam, quam regnum ipsum gratis novitatis nostræ primordiis decorare, universale studium in civitate Neapolis nuper, deliberatione prahabita, providimus reformandum, ut civitatis locus profecto maris & terræ fœcunditate præclarus, ubi studendi congruentia se quævis habilitarint, ædificata in sapientia sibi domo, & repletis in doctrina cellariis docentium & addiscentium oculis se præbeat liberalem, ac velut mater fœcunda gymnasii, quæ videbitur jam ex desuetudine pariendi senescere, per doctrinale commercium ad puerperium juvenescat, particularibus scholis ubique per regnum generaliter interdictis, excepto studio medicinæ in civitate Salerni, quod exerceri nobis placet ibidem, sicut prædicti patris nostri temporibus extitit consuetum. Ad quod tam celebre quam solemne convivium magistros quoslibet & scholares in qualibet facultate studentes libenter & hilariter invitamus; firmiter promittentes eisdem, quod privilegia, libertates, & bonos usus, quibus umquam temporibus felicis memoriæ Domini patris nostri uti & gaudere sunt soliti, faciemus in studio ipso morantibus tenaciter observari. Quocirca fidelitati tuæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus sicut gratiam nostram diligis & honorem, statim præsens nostræ jussionis oraculum per civitates & loca singula jurisdictionis tuæ, ut nullus de ignorantia sumtuum materiam excusationis inveniat, studeas publicare.

EPISTOLA CII.
Universitati Parisiensi.

Philosophorum codices, quos in latinam linguam converti fecerat ei dono transmittit.

Ex mss. Colbertino.

SEdentibus in quadrigis Physicæ disciplinæ Parisiensis studii doctoribus universis, MANFREDUS Dei gratia &c.

In extollendis regiæ præfecturæ fastigiis, quibus congruenter officia leges & arma communicant, necessaria fore credimus scientiæ condimenta, ne per hujus suavis & muliebris ignorantiam commixturæ vires ultra liciti timoris effrenate lasciviant, & justitia citra debiti regulas diminuta languescat. Hanc nos profecto, qui divina largitione populis præsidemus, generali qua omnes homines natura scire desiderant, & speciali qua gaudent aliqui voluntate proficere, ante susceptа regiminis nostri onera, semper a juventute nostra quæsivimus indefessi. Post regni vero nostri curas assumtas, quamquam operosa frequenter negotiorum turba nos distrahat, & civilis sibi ratio vendicet sollicitudinis nostræ partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur otiosum, sed totum in lectionis exercitatione gratuita libenter expendimus, totum intelligentiæ, ut clarius vigeat, instrumentum in acquisitione scientiæ, sine qua mortalium vita non regitur, liberaliter erogamus. Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie multisque modis distincta chirographa divitiarum nostrarum armaria locupletant, sedula meditatione revolvimus, & accurata contemplatione pensamus, compilationes variæ quæ ab Aristotele aliisque philosophis sub græcis arabicisque vocabulis antiquitus editæ, in sermocinalibus & mathematicis disciplinis, nostris aliquando sensibus occurrerunt, quas adhuc originalium dictorum ordinatione conserta* & vetustarum vestium, quas ei ætas prima contexerat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis ad latinæ linguæ notitiam non produxit. Volentes igitur ut reverenda tantorum operum senilis auctoritas apud nos non absque multorum commodis vocis organo traducere juvenescat, ea per viros electos, & utriusque linguæ prolatione peritos instanter duximus verborum fideliter servata virginitate transferri. Quia vero scientiarum generosa possessio in plures sparsa non deperit, & distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eo diuturnius perpetuata senescit, quo publicata fœcundius se diffundit, hujus celare laboris emolumenta nolumus, nec existimavimus nobis eamdem retinere jocundum, nisi tanti boni nobiscum alios participes faceremus. Considerantes verumtamen quorum conspectibus, quorumque judiciis operis cœpti primitiæ possent decentius deputari, ecce vobis potissime velut philosophiæ præclaris alumnis, de quorum pectoribus promtuaria plena fluunt, libros aliquos, quos curiosum in studium translatorum & lingua jam potuit fidelis instruere, consulto providimus deputandos. Vos igitur viri docti, qui de cisternis veteribus aquas novas prudenter educitis, qui fluenta melliflua sitientibus labiis propinatis, libros ipsos tamquam amici regis in xenium gratanter excipite, & ipsos antiquos philosophorum operibus, qui vocis vestræ ministeriis revivisc unt, quorumque * in auditorio vestro, in quo virtutum grana fructificant, erroris rubigo consumitur, & latentis scripturæ veritas aperitur, tum mittentis favore commoniti, tum etiam clari transmissi operis meritis persuasi, ad communem utilitatem studentium & evidens famæ vestræ præconium publicetis.

* f. auctoritate vel ope.

EPISTOLA CIII.
Comiti Pisarum.

Ad fastigium regale provectus pacem & justitiam subditis suis cupit ministrari.

Ex mss. Colbertino.

MANFREDUS comiti Pisarum per Nicolaum de Rocha.

Libertas arbitrii desuper infusa mortalibus, ex usus inconsulta lascivia, sic humanæ naturæ fragiles inebriavit affectus, sic traditæ sibi felicitatis universalia circumscripsit, ut primi parentis actus illicitus ex mandati dominici prævaricatione lasciviens, non solum transgressoris personam inficeret, sed ex ipsius veteris commixtione fermenti totius generis commaculata posteritas proclivis ad culpam quotidie defluat, & massæ corruptæ originalia machinamenta deploret, sic igitur homo creaturarum dignissima, fragilitate carnis traduce profusus ad vitia, dum substantiali differentia rationis, per quam a brutorum communione secernitur & secluditur, per se non potuit ab illicitis coerceri, ne ipsius effrenata cupiditas promiscuis actibus in evidens sui exitium redundaret, prospiciens Dominus ab excelso, regnantium solia clementer erexit in populis, & ministros justitiæ provide præfecit in terris. Inter quos ad regiæ præfecturæ fastigium nobis divina gratia favente vocatis, inhæret cura præcipua & sollicitudo propensior, qualiter subditis nostro regimini gentibus sic pacis & justitiæ copiam ministremus, ut nostrorum turba fidelium sub domini nostri pacifica tranquillitate congaudeat, & formidato supplicio, peccandi facilitas sceleribus præcludatur. Considerantes verum-

tamen quod in regionibus singulis, quas nostræ potentiæ fovet auctoritas, quamcumque nobis dilectionis caritate præluceant, & eas corde semper & animo contemplemur, personaliter interesse nequimus: viros industrios quorum consiliis rerum salubriter geruntur officia, qui absentiam nostram ubilibet suppleant, & nostræ serenitatis imaginem repræsentent, deliberato consilio providimus deputandos. Ea propter confisi, &c.

EPISTOLA CIV.

G. de... familiari suo.

De sua cum prosperitate certum facit.

Ex mss. Colbertino.

MANFREDUS &c. G. de... familiari suo.

Credimus ut inter alias desiderii tui metas de sospitatis nostræ proventibus nova continue sedulus appetas, & curiosus expectes. Cum sicut longo jam temporum experimento, & probabili rerum argumento A didicimus, sic erga nos tibi fides & amor mutua se pactione connutriant, ut ex uno velis amare quod volumus, & ex altero debeas exequi quod amamus, sicque votivus audire desideres de personæ nostræ prosperitate quod placeat, & de felicitatis eventu devotus accipere quod delectet. Quantumvis enim a personæ nostræ vicinitate receesseris, & domesticis forte deliciis inviteris, nostra tenaciter habet opinio, quod tuum semper ubilibet suppleat rumor de nostra prosperitate convivium, & corpore translatus ad Calabres, videaris mente cum aulicis circa lateris nostri servitia remanB sisse. Ut cupidis igitur tuæ devotionis affectibus satisfiat, præsentium lectione percipias, quod superna nobis favente clementia incolumitatis corporeæ beneficio fruimur, animum undique successuum alacritate componimus, & prosperitatis optabilis crebris hinc inde rumoribus renovamur. Sic pascentes gratificis exteriora nostra solatiis, ut jocis seria mixta complaceant & interiora frequenter, cum expedit, meditationis accurate consiliis foveamus.

SUMMARIA PRIVILEGIORUM ECCLESIÆ ROMANÆ.

Ex mſ. cardinalis Ottoboni eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CUM FRIDERICUM II. *imperatorem ſedi apoſtolicæ diu adverſantem throno ſuo exturbare conſtituiſſet Innocentius papa IV. Lugduni in Gallia œcumenicum indixit Concilium : quo cum omni ex orbe prælati confluxiſſent, conceſſa ab imperatoribus aliiſque principibus Chriſtianis eccleſiæ Romanæ privilegia protulit in medium, ut quantum ab eis exorbitaret Fridericus palam fieret omnibus. Ea cum laudaſſent Patres univerſi, juſſit Innocentius plura ipſorum ad primarias chartas tranſcribi exempla, quæ quadraginta Synodi prælatorum ſigillis obſignata, diverſis ſervarentur in locis : ut ſi quo forte caſu ea deperire contingeret, ſemper eſſent in promtu. Ejuſmodi exemplum in celeberrimo Cluniacenſi cœnobio depoſitum olim vidimus, quod ſi tunc exſcribere nobis licuiſſet, nunc cum ſumma omnium voluptate publici juris faceremus. Sed ipſius defectu ſummaria ſaltem privilegiorum illorum ex manuſcripto codice cardinalis Ottoboni, qui poſtea fuit papa Alexander VIII. Mabillonii diligentia eruta viris eruditis offerimus. His ſubjiciemus ſelecta quædam pontificia diplomata, quæ ex regiſtro Urbani papæ IV. aliorumque pontificum Clementis IV. Gregorii X. Nicolai III. Martini IV. & Nicolai IV. partim ex codicibus Italicis deſcribi curavit idem Mabillonius, partim nos ex Colbertinis accepimus.*

IN nomine Domini, Amen. Inferius continentur rubricæ diverſorum litterarum & privilegiorum Romanorum pontificum, prælatorum eccleſiaſticorum, imperatorum, regum & aliorum principum olim repertorum in archiviis eccleſiæ Romanæ, quorum aliqua ad perpetuam rei memoriam conſervandam per felicis recordationis dominum INNOCENTIUM papam IV. in concilio Lugdunenſi ſub bulla ſua & ſigillis quadraginta prælatorum, qui annotationi præſentes fuerunt, ſunt annotata & tranſumta, & eiſdem tranſumtis ſic annotatis, dictus dominus INNOCENTIUS prædicto approbante concilio fidem decrevit perpetuo ſicut originalibus adhibendam. Quæ quidem tranſumta & alia in præſenti annotata volumine in prædictis archiviis eccleſiæ recondita conſervantur, ſed eorum tenores inferius per ordinem ſunt conſcripti.

Primo igitur ponuntur duodecim litteræ prædicti domini INNOCENTII ſignatæ in dicto volumine, ſecundum ordinem alphabeti, incipiendo ab A. uſque ad M. & in qualibet dictarum litterarum annotantur tenores certorum privilegiorum, ſive litterarum prout diſtincte de ſingulis inferius declaratur.

Unde incipiendo a prima prædictarum xij. litterarum, quæ per litteram A. ſignata eſt, & deinde tranſeundo ad ſingulas aliarum, & hinc ultra ad alia in libro contenta per ordinem ad rubricas ut ſequitur procedetur.

Prima dictarum xij. litterarum ſignata per A.

PRIMA littera dicti domini INNOCENTII ſignata per A, directa univerſis Chriſti fidelibus, ad quos pervenerint, continet quod ipſe dominus INNOCENTIUS, ne privilegia conceſſa eccleſiæ Romanæ per imperatores, reges & alios principes deperire valeant, quædam ex eis tranſcribi fecit, & tranſumtum hujuſmodi ſigillorum quadraginta prælatorum nominatorum ibidem munimine roborari, & illis tranſcriptis prædicto approbante concilio, fidem decrevit perpetuo adhiberi. Incipit ſic dicta littera. INNOCENTIUS epiſcopus, folio primo pagina prima.

De Ottone, & Henrico imperatoribus.

In prædicta littera ſunt annotati tenores duorum privilegiorum duorum imperatorum ſcilicet OTTONIS cum filio ſuo OTTONE rege, & HENRICI imperatorum conſimilis & ejuſdem tenoris, ſcriptorum litteris aureis per totum, quorum primum non eſt ſigillatum, licet ex tenore ipſius appareat quod debuit ſigillari; ſed ſecundum eſt ſigillatum aurea bulla imperiali, non tamen eſt data appoſita in eodem, & in utroque ſunt poſitæ ſubſcriptiones ipſorum imperatorum ac prælatorum & principum ſuorum quamplurium nominatorum & expreſſorum ibidem. Continent autem dicta privilegia in effectu inter alia quæ ſequuntur. Primo ſpondent & promittunt per pactum confirmationis beato Petro apoſtolorum principi, & per eum domino JOHANNI duodecimo ſummo pontifici, ſicut a prædeceſſoribus ſuis ſummis pontificibus tenuerant ſub poteſtate & ditione ſuis uſque ad hæc tempora civitatem Romanam cum ducatu ſuo, & ſuburbiis ſuis atque viculis omnibus & territoriis ſuis, montanis & maritimis litoribus, ac portibus, ſive cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, ac viculis Tuſciæ partibus, & ſpecificantur ibi omnia loca nominatim, necnon exarchatum Ravennatenſem ſub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ domini PIPINUS, & CAROLUS imperatores beato Petro & prædeceſſoribus prædictis Romanis pontificibus dudum contulerant. Hoc eſt civitatem Ravennam & cetera, & exprimuntur nominatim omnes civitates, & loca, & eodem modo territorium Sabinenſe, ſicut a domino CAROLO imperatore fuerat collatum. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum caſtellum Felicitatis, Urbem-veterem & cetera, multa loca alia nominantur necnon cunctum ducatum Spoletanum ſeu Beneventanum cum aliis expreſſis. Item in partibus Campaniæ, Sora, arces & alia multa expreſſa ibidem, necnon patrimonia ad poteſtatem & ditionem eccleſiæ Romanæ pertinentia ſcilicet patrimonia, Beneventanum, Neapolitanum, Calabriæ ſuperioris, & inferioris, ac civitatem Neapolitanam, cum caſtellis, & territoriis, ac finibus & inſulis ſuis ac patrimonium Siciliæ & Gaietam. Inſuper obtulit beato Petro, & vicario ſuo domino JOHANNI prædicto, dictus OTTO imperator pro ſuæ filiique ſui, & ſuorum parentum animarum ſalute, de proprio regno ſuo civitates, & oppida cum piſcariis ſuis, videlicet Reatem, Amiternum, Furconem, Nurſiam, Baluam, & Marſum, ac civitatem Interamnenſem cum pertinentiis ſuis. Et prædictas omnes provincias civitatis patrimonia & loca pro remedio animæ ſuæ filii ſui, parentum & ſucceſſorum ſuorum & pro cuncto a Deo conſervato, & conſervando populo Francorum eccleſiæ Romanæ eo modo confirmarunt, ut ea uſque in finem ſæculi in ſuo detineat ditione & principatu. Confirmarunt etiam donationes, quas fecerunt dominus PIPINUS, & dominus CAROLUS imperatores ſua voluntate ſpontanea eccleſiæ prædictæ, nec-

De Ravenna.

De Ducatu ſpoletano.

De Neapoli.

De Sicilia, & Gaieta.

De Reate, & aliis.

non censum & pensionem & ceteras dationes, quæ annuatim in palatium regum Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia, sive de ducatu Spoletano, & sicut inter dominum ADRIANUM papam, & dominum CAROLUM imperatorem conventum fuit, quando dictus dominus ADRIANUS de dictis ducatibus Tuscanensi & Spoletano confirmationis præceptum dederat dicto imperatori, ita quod anno quolibet prædictus census Romanæ ecclesiæ persolvatur. Et subsequuntur multa alia ad præmissa facientia cum certis recentioribus conditionibus, & pactis ibidem appositis & B insertis. Et demum dictus OTTO imperator in suo & hoc idem præfatus HENRICUS imperatores in suo cum suis prælatis quilibet & principibus ibidem nominatis singulariter se subscribunt.

A. Primum privilegium prædictorum incipit sic: *In nomine Domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ego* OTTO. pagina prima folio primo.

A. Secundum privilegium prædictorum duorum incipit sic: *In nomine Domini Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ego* HENRICUS. folio secundo pagina secunda.

A. Postea sequuntur nomina prælatorum prædictorum quadraginta in dicto concilio Lugdunensi præsentium, qui confitentur dicta privilegia, & litteras originalia se vidisse, & quod dictis transumtis eorum singuli sua sigilla fecerunt appponi, incipiunt sic. *Nos autem* NICOLAUS *patriarcha.* fol. tertio pagina prima. Et hic est finis prædictæ primæ litteræ dicti domini Innocentii signata per A.

De secunda littera dicti domini Innocentii signata per B.

Secunda littera signata per B. SECUNDA littera dicti domini INNOCENTII signata per B. est formæ similis alterius præcedentis, & cum sigillis prædictorum quadraginta prælatorum, in qua sunt annotatæ & insertæ per ordinem litteræ quæ sequuntur.

B. Primo quædam littera FRIDERICI Romani imperatoris, directa domino A. Romano pontifici de reformatione pacis inter ecclesiam & imperium, continet quod FRIDERICUS præfatus pacem tractatam & ordinatam cum cardinalibus in Clodio super possessionibus ecclesiæ & imperii, & in dicto loco redactam in scriptis & postea Venetiis confirmatam, ratam habere decrevit, si dominus papa pro parte sua eam voluerit ratam habere. Sed quia quibusdam prudentibus, qui fuerunt præsentes in tractatu, videbatur, quod utrique parti volenti contendere de jure suo daretur occasio scandali, oblata est pro parte sua de dictorum prudentum consilio ista via, quod videlicet de universis redditibus, quos imperator tunc habebat in Italia, vel haberet in posterum dominus papa & successores sui, decimam partem perciperent, & cardinales nonam, quod utique dictus imperator servare promittit, si dominus papa habuerit acceptum. Et ipse cum suis principibus cautiones sufficientes de servando præstabit, si dominus papa cum cardinalibus faciat illud idem. Alia etiam via oblata est per eumdem, videlicet, quod ecclesia certas possessiones haberet, quas sine gravamine retinere posset, excepto feodo imperiali, super quibus discernendis eligerentur pro utraque parte viri prudentes, & ætatis provectæ de vicinia possessionum, quorum testimonio staretur per partes de possessionibus ad partem alterutram pertinendis. Et concludit quod placeat domino papæ pro habendo mutuo colloquio venire Veronam, Brixiam vel Mantuam, & ipse veniet Ripam.

B. Incipit prædicta littera domini Innocentii. INNOCENTIUS episcopus. Et ibidem juxta prædicta littera imperatoris adnotata, ipsa littera domini Innocentii sic incipit: *Reverendo, & amantissimo*, folio tertio. pagina secunda.

B. Item alia littera FREDERICI, domino EUGENIO papæ directa inserta in dicta secunda littera domini Innocentii. Continet quod dictus FREDERICUS concordiam factam inter dictum dominum papam, & ipsum fecit suis litteris annotari, & continet ipsa concordia inter alia, quod dictus imperator ante coronationem suam, unum de majoribus suis ministerialibus in animam suam fecit jurare, & ipse idem tunc rex in manu legati domini papæ fide data promisit, quod nec pacem, nec treugam faceret cum Romanis, nec cum ROGERIO Siciliæ, sine libero consensu & voluntate domini EUGENII papæ, vel successorum suorum, qui hanc pacem voluerint tenere, & laborabit pro viribus subjugare Romano domino papæ & ecclesiæ Romanæ, & quod honorem papatus & regalia beati Petri, sicut devotus & specialis advocatus ecclesiæ contra omnes homines pro posse juvabit. Et dominus papa e converso multa capitula servare promittit, & specialiter quod ipsum venientem pro coronæ suæ plenitudine, sicut carissimum suum filium honorabit, & sine contradictione ipsum coronabit, quantum in eo fuerit, in imperatorem. Incipit sic: *Venerabili in Christo patri* EUGENIO. fol. quarto pagina prima.

B. De Alexandro papa, & de Frederico imperatore. Item alia littera ejusdem FREDERICI domino ALEXANDRO papæ post ipsius Frederici coronationem directa. Continet quod dictus Fredericus pacem ecclesiæ, & imperii secundum quod a suis principibus & cardinalibus ordinata est, & in scriptis redacta, & sigillis dictorum principum sigillata, quam ipse per interpositam personam

fecerat jurari, similiter observare promittit. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri domino Alexandro.* folio quinto pag. prima.

B. De Adriano papa & Frederico imperatore.

Item alia littera annotata in littera prædicta secunda domini Innocentii domino ADRIANO summo pontifici per eumdem FREDERICUM directa, continens quod ipse Fredericus pacem factam inter ipsum & dominum EUGENIUM, quam facit de verbo ad verbum annotari, suis litteris præsentibus recognoscit, & fatetur se fecisse, & ad omnia contenta in ea Romanæ ecclesiæ se teneri præsentibus duobus legatis cardinalibus, & quam pluribus principibus exercitus ipsius Friderici nominatis ibidem. Incipit sic: *Venerabili in Christo patri Adriano.* folio v. pagina prima.

De Cœlestino papa & Henrico imperatore.

Item alia littera annotata in dicta secunda littera domini Innocentii domino COELESTINO papæ per HENRICUM imperatorem directa, continens, quod dictus Henricus vehementer miratur, quia dictus dominus Cœlestinus occasione ipsius imperatoris monasterium Cassinense interdicto suppposuit, & in monachos ipsius monasterii excommunicationis sententiam promulgavit, rogat papam, quod interdictum hujusmodi relaxet, & monachos prædictos absolvat, & quod credat nuntiis suis, super iis quæ referent pro parte ipsius. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri Cœlestino.* folio v. pagina secunda.

B. De Frederico imperatore, & de Clemente papa.

Item alia littera FRIDERICI imperatoris domino papæ CLEMENTI directa in secunda littera annotata, continens quod dictus Fridericus attendens constantiam domini papæ circa propositum quod habebat de coronatione Henrici filii sui & Constantiæ uxoris suæ in regem & reginam Romanorum, & excusans illos quia ita cito, ut sperabatur, non potuerant accedere, per nuntios suos rogat dominum papam, quod circa expeditionem prædictæ coronationis intendat, & quod prædictis nuntiis fidem adhibeat super iis quæ sibi referent viva voce. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri Clementi.* folio v. pagina secunda.

B. De Henrico imperatore, & de Cœlestino papa.

Item alia littera HENRICI imperatoris domino COELESTINO papæ directa annotata similiter in dicta secunda littera domini Innocentii, continens quod dictus imperator considerans quod ad terræ sanctæ liberationem, ac eliminandam pestem hæreticam multum late per orbem diffusam, & ad commune bonum totius christianitatis, nihil erat utilius, quam quod inter regnum & sacerdotium pax fieret & viget, ipse posse suo intendebat, quod talis pax inter ipsum & dominum papam ac imperium & ecclesiam solidaretur, quod amputatis frivolis quæstionum ambagibus, quæ hucusque passim emerserant, nullo eventu posset dissolvi, & quod suos nuntios, viros prudentes, pacis amatores, ad dominum papam mitteret ad tractandum de pace, & per ipsum non stabit, quin pax & amicitia perpetue solidentur, & rogat dominum papam attente, quod contra perfidos hereticos Petri gladium exerat, & nuntios discretos ad prædicandum contra eos dirigat, qui seminando verbum Dei, dictorum hereticorum nequitiam & detestabilem enormitatem extirpent. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri Cœlestino.* folio vj. pag. prima.

B. De Henrico imperatore, & de Cœlestino papa.

Item alia littera HENRICI imperatoris domino COELESTINO papæ directa in dicta secunda littera dicti domini Innocentii similiter annotata, continens quod prædictus Henricus mittit nuntium suum ad dominum papam cum credentia, rogans cum affectuose, quod certos legatos nominatos ad ipsum mittat cum potestate decidendi causas ecclesiasticas vel spirituales, si quas eis forsitan dictus imperator pro aliquo facto suo proposuerit, & quod cito nuntium suum remittat. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri Cœlestino.* fol. vj. pagina secunda.

B.

Postea sequuntur nomina dictorum quadraginta prælatorum, qui prædictæ litteræ sicut in prima sua sigilla fecerunt apponi. Incipiunt sic: *Nos autem Nicolaus patriarcha.* fol. vj. pag. 2.

Et hic est finis dictæ secundæ litteræ signatæ per B.

Tertia littera signata per C.

SEQUITUR tertia littera ejusdem domini Innocentii signata per C. & est similis formæ aliarum duarum præcedentium, & cum sigillis dictorum XL. prælatorum, in qua etiam sunt annotatæ litteræ subsequentes.

C. De Willelmo rege Siciliæ & de Adriano papa.

Primo quædam littera WILLELMI regis Siciliæ domino ADRIANO papæ directa, continens quod dictus rex obtenta victoria contra Græcos, qui regnum Siciliæ invaserunt, sub omnipotenti manu Dei se humilians, & ad pacem intendens cum ecclesia solidandam, in civitate Beneventana cum cardinalibus missis ad ipsum, ac quibusdam suis consiliariis nominatis, invicem tractantibus super discordia concordanda, quæ inter ecclesiam Romanam & eumdem regem fuerat, & pacem & concordiam fecit. In qua fuit ordinatum de appellationibus clericorum in Apulia & Calabria & aliis terris quæ sunt affines Apuliæ contra clericos in causis ecclesiasticis certo modo ad Romanam ecclesiam faciendis, & quod translationes fiant in ecclesiis de personis, si papa voluerit, & quod consecrationes & visitationes liberas in toto regno habeat ecclesia Romana, & quod ipsa ecclesia possit celebrare concilia in quacumque Apuliæ, vel Calabriæ civitate, vel aliarum terrarum affinium, exceptis civitatibus in quibus rex, vel heredes sui illo tempore fuerint, omni dolo remoto, & in eisdem

De pace facta inter ecclesiam & regem Siciliæ.

dem Apulia & Calabria & affinibus ecclesia A habebit legationes : ita tamen quod legati possessiones ecclesiæ non devastent. In Sicilia vero habebit ecclesia consecrationes & visitationes, & cætera alia quæ habet in aliis partibus regni, exceptis appellatione, & legatione, quæ non fient nisi ad petitionem regis & heredum suorum, & plura alia capitula continentur ibidem. Et quod tandem dominus papa prædicto regi, & ROGERIO filio suo duci, & eorum heredibus concessit regnum Siciliæ, ducatum Apuliæ & principatum Capuæ cum pertinentiis suis, nominatim expressis, quæ dictus rex se & filiam tenere asseruit a prædecessoribus suis, hominibus sanctæ Romanæ ecclesiæ pro quibus omnibus dicto domino papæ & ecclesiæ Romanæ fidelitatem juraverat & hominium ligium fecerat, & censum sexcentorum (*a*) Schifatorum pro Apulia & Calabria, & quadringentorum pro Marsia, vel æquivalens in auro seu argento constituit se & heredes suos annis singulis soluturos, impedimento cessante. Incipit sic : *In nomine Dei aterni, & Salvatoris nostri.* fol. vj. pag. 2.

(*a*)

C. De Tancredo rege Siciliæ & Cœlestino papa super pactis inter ecclesiam & regem.

Item alia littera TANCREDI regis Siciliæ domino COELESTINO papæ directa in dicta tertia littera dicti domini Innocentii annotata, continens pacta & conventiones, concordata inter regem ipsum, & ecclesiam Romanam, mediantibus cardinalibus missis ad regem, & certis aliis tractatoribus deputatis per regem super appellationibus libere faciendis in toto regno ad ecclesiam Romanam, de legationibus libere habendis in Apulia & Calabria & terris affinibus illis dicti regni, de legatis mittendis in Siciliam de quinquennio in quinquennium, si velit dominus papa, de electionibus in toto regno libere faciendis, ita quod facta electio præsentetur regi, cui rex præstabit assensum, nisi electus esset de proditoribus vel notis inimicis, & tales dictus papa ad regis instantiam reprobabit ; celebrationes etiam conciliorum fient in quacumque civitate Apuliæ & Calabriæ, & aliarum terrarum affinium ; de translationibus etiam & de consecrationibus ac visirationibus libere faciendis, & de multis aliis capitulis ibidem contentis, & etiam de concessione regni Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ & Marsia cum pluribus locis aliis nominatis, quæ prædecessores dicti regis homines ecclesiæ Romanæ jure tenuerunt, & de juramento fidelitatis præstito & hominio ligio facto Romanæ ecclesiæ per regem prædictum, & de censu annuo sexcentorum Schifatorum pro Apulia & Capua, & quadringentorum pro Marsia, per regem & heredes suos solvendo. Incipit sic : *In nomine Dei eterni.* fol. vij. pag. 2.

C

(*a*) Schifati, ut opinatur eruditus Cangius, sunt nummi aurei, ita dicti quod cum cavi essent Scyphi formam præferrent.

Item alia littera TANCREDI regis Siciliæ *domino* COELESTINO *papæ* directa, in dicta tertia littera domini Innocentii similiter annotata, *continens* quod *ipse* Tancredus in manibus cardinalium ad hoc missorum, *nomine domini papæ recipientium*, juxta formam capitularis, quod per eosdem cardinales dicto domino papæ transmittit sub aurea bulla, fidelitatis præstitit juramentum. Et sub eadem qua se teneri fatetur fidelitate, se & heredes obligando, promittit, quod ad præstandum seu faciendum hominium ligium, quandocumque per dominum papam vel successores suos sibi B vel heredibus suis significatum fuerit, in quacumque parte regni, quæ dicti regis ditioni subjaceat, venient sine fraude. Et prædicto hominio præstito, scriptura quæ sequitur de juramento fidelitatis, & aliis domino papæ debet per eumdem regem sine contradictione aliqua assignari. Incipit sic : *Domino Cœlestino*, fol. viij. pag. 2.

C. De Tancredo rege Siciliæ & Cœlestino papa super pactis inter ecclesiam & regem præstandis.

C. De Tancredo rege Siciliæ & Cœlestino papa super forma juramenti.

Item una scriptura habens formam juramenti continens quod dictus TANCREDUS rex Siciliæ ducatus Apuliæ & principatus Capuæ jurat fidelitatem beato Petro, Romanæ ecclesiæ & domino COELESTINO C papæ, salvo quod scriptum & concessum est ei in privilegio sibi concesso : non erit in consilio &c. de membro perdendo, vel morte, vel captione, consilium quod ei crediderit &c. non pandet alicui, adjuvabit eum honorifice papatum Romanum terramque sancti Petri tenere, & in electione summi pontificis, si dictum dominum papam, vel successores præmori contingat, si monitus fuerit à majori, vel saniori parte cardinalium, juvabit quod papa eligatur, & ordinetur ad honorem beati Petri. Præmissa Domnia promittit servare ecclesiæ Romanæ & domino papæ, & fidelitatem servare suis successoribus canonice intrantibus, qui sibi & heredibus suis, si in eo non remanserit, firmaverint quod ei concessum est in privilegiis dicti domini Cœlestini. Incipit sic : *Ego Tancredus Dei gratia*, fol. viij pag. 2.

C. De Clemente papa & VVillelmo rege Siciliæ super juramento fidelitatis.

Item alia scriptura continens formam juramenti fidelitatis præstiti domino CLEMENTI per WILLELMUM regem Siciliæ, & est simile juramentum per omnia proximo præcedenti præstito per Tancredum, excepto quod ubi dicitur, quod in electione summi pontificis juvabit &c. si E monitus fuerit à majori, & saniori parte cardinalium, in isto dicitur, salva concordia, quæ inter papam ADRIANUM, & regem WILLELMUM patrem ipsius regis facta fuit, & hinc inde scripto firmata. Incipit : *Ego VVillelmus Dei gratia rex.* fol. ix. pag. 1.

C. De Henrico imperatore de Calixto papa

Item una littera HENRICI imperatoris tempore domini CALIXTI papæ concessa in dicta tertia littera dicti domini Innocentii, cum aliis præcedentibus annotata,

super investituris, & electionibus ecclesiarum.

continens, quod dictus Henricus dimittit A Deo, beato Petro, & ecclesiæ Romanæ omnem investituram per anulum & baculum, & fieri in omnibus ecclesiis sui imperii electionem canonicam, & liberam consecrationem, & promittit possessiones & regalia beati Petri, quæ à principio discordiæ usque ad diem illam, sive tempore patris sui sive suo ablata fuerant, quæ habebat, Romanæ ecclesiæ restituere, & restituit, & quas non habebat juvare fideliter ut restituantur. Et quod possessiones aliarum ecclesiarum omnium, & principum, & aliorum tam clericorum, quam laicorum, quæ in guerra fuerant amissæ, consilio principum B vel justitia reddere quas habet, & juvare fideliter, ut quas non habet, reddantur; & dat pacem domino CALIXTO & ecclesiæ Romanæ, & omnibus qui sunt de parte sua, & fuerunt, & præstabit auxilium ecclesiæ, & juvamen ecclesiæ prout postulabit, & debitam faciet justitiam de iis, de quibus querimonia deponetur. Et hæc omnia promisit de consensu & consilio principum quorum nomina inibi sunt conscripta. Incipit sic: *In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia.* fol. ix. pag. 1.

C. Postea sequuntur nomina dictorum quadraginta prælatorum, qui prædictæ litteræ tertiæ dicti domini Innocentii sua sigilla fecerunt apponi. Incipiunt sic: *Nos autem Nicolaus patriarcha*, &c. fol. ix. pag. 2.

Et hic est finis prædictæ litteræ tertiæ signatæ per C.

Quarta littera signata per D. SEQUITUR quarta littera domini Innocentii signata per D. & est in sua forma similis aliis præcedentibus tribus ejusdem domini Innocentii, & cum sigillis dictorum quadraginta prælatorum, & in ea sunt annotatæ litteræ subsequentes.

D. Primo una littera sive privilegium OTTONIS IV. Romanorum regis continens, quod dictus Otto promittit domino INNOCENTIO papæ & successoribus suis & ecclesiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam, & reverentiam, quam imperatores & reges catholici, prædecessores sui summis pontificibus impenderant, & abolendo abusum quorumdam suorum prædecessorum in electionibus prælatorum habitum, concessit, quod electiones libere, & canonice fiant, & quod appellationes in causis ecclesiasticis ad apostolicam sedem libere fiant, & dimisit abusum de bonis ecclesiarum vacantium occupandis, & omnia spiritualia domino papæ & aliis prælatis ecclesiarum divisit libere disponenda. Possessiones etiam ecclesiæ, quas ecclesia Romana recuperavit a suis antecessoribus, vel ab aliis detentas, liberas, & quietas dimittit, & promittit juvare ecclesiam in aliis recuperandis, & specificantur inibi multæ terræ & civitates ecclesiæ, ut eas ecclesia habeat in perpetuum, sed quando vocabitur pro corona recipienda imperii, recipiet ibi fodrum, & erit adjutor ad retinendum ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ & cetera jura, quæ ad ecclesiam pertinent. Incipit sic: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto IV.* fol. ix. pag. 2.

De Ottone imperatore, & Innocentio papa super obedientia quam imperator ecclesiæ promittit.

Item alia littera sive scriptura continens D. formam juramenti prædicti OTTONIS regis Romanorum præstiti dicto domino INNOCENTIO, in prædicta quarta littera alterius prædicti domini Innocentii annotata, continens quod dictus Otto promittit, & jurat, quod possessiones & jura ecclesiæ Romanæ bona fide proteget, & quod possessiones recuperatas per ecclesiam liberas & quietas dimittet, & ad eas retinendas juvabit eamdem, & ad recuperandum nondum recuperatas erit adjutor, & restituet illas sine fraude, quæ ad ejus manus venient, & specificantur ibi multæ terræ expresse, sicut ibi traditur in multis privilegiis imperatorum a tempore Ludovici, quas omnes cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo se dimissurum promittit. Sed cum pro recipienda corona imperii vel pro necessitatibus ecclesiæ vocatus veniet, C recipiet inibi procurationes, & juvabit ecclesiam ad retinendum & defendendum regnum Siciliæ, & domino Innocentio & successoribus suis exhibebit omnem obedientiam & honorificentiam, quam catholici imperatores exhibere consueverunt, & promittit stare arbitrio domini papæ de bonis consuetudinibus populo Romano servandis & exhibendis, & de negotiis societatis Tusciæ ac Lombardiæ, & de pace, vel concordia facienda inter ipsum & regem Francorum PHILIPPUM, & si propter negotium ipsius Romanæ ecclesiæ guerram habuerit, ei subveniet in expensis. Et omnia D prædicta juramento & scripto firmabit cum fuerit coronatus. Incipit sic: *Ego Otto Dei gratia Romanorum rex.* fol. x. pag 1.

Item sequitur postea alia modica scriptura, quæ incipit eodem modo sicut præcedens, & continetur inibi, quod est idem juramentum per eumdem OTTONEM præstitum, quia sicut legitur dupplicatum fuit, & etiam utrumque juramentum sic duplicatum fuit sub aurea bulla. fol. x. & pag. 2. D.

Post istud sequitur & est scriptum in margine, quod hic immediate in littera domini Innocentii, sequebantur tres litteræ E regis Hungarorum, quæ non fuerunt hic scriptæ, quia non faciebant ad materiam, sed alibi sunt scriptæ cum aliis ejusdem regis litteris, sub speciali rubrica sive tractatu.

Postea sequuntur nomina prædictorum XL. prælatorum, qui dictæ quartæ litteræ dicti domini Innocentii sua sigilla fecerunt apponi. Incipiunt sic: *Nos autem Nicolaus patriarcha*, &c. fol. x. pag. 2. D.

Et hic eſt finis dictæ quartæ litteræ ſignatæ per D.

Quinta littera ſignata per E.

SEQUITUR quinta littera dicti domini Innocentii ſignata per E. & eſt in forma ſimilis aliis quatuor præcedentibus antedictis, continens in ſe ſimiliter annotata privilegia, & litteras ſubſequentes.

E. Primo quædam littera FREDERICI regis Siciliæ in Romanum imperatorem electi, continens quod dictus Fredericus recognoſcens domino INNOCENTIO papæ, quod pignora quarumdam terrarum ibidem expreſſarum, domino papæ tradita per eumdem pro expenſis factis per ipſum dominum papam pro cuſtodia & ſalute ipſius regis & pro regni Siciliæ defenſione, quæ aſcendebant ad ſummam duodecim millium unciarum auri, & octingentarum, non erant domino papæ lucro, ſed oneri, addidit aliis terris quaſdam alias ibidem expreſſas, ita quod cum de debito fuerit ſatisfactum, dicta obligatio vacuetur, & omnia ad ſtatum priſtinum reducantur. Incipit ſic: *Fredericus Dei gratia rex Siciliæ*, &c. *in Romanorum imperatorem electus*. fol. x. pag. 2.

E. Item alia littera prædicti FREDERICI, in qua ſe non intitulat electum in imperatorem, & eſt illa prima obligatio certarum terrarum pro prædicto debito dictarum duodecim millium octingentarum unciarum auri, de qua habetur mentio in proxime præcedenti, & in iſta præcedenti ſimiliter retinet ſibi dictus Fredericus, quod durante tempore hujuſmodi pignoris, homines terrarum faciant pro eo pacem & guerram ad mandatum domini papæ. Incipit ſic: *In nomine Dei æterni*. fol. xj pag. 1.

Et legitur ibidem quod dicta littera reperitur duplicata ſub eiſdem annis Domini.

E. Item alia littera prædicti FREDERICI regis Romanorum & Siciliæ in prædicta littera quinta dicti domini Innocentii annotata, continens, quod dictus Fredericus per iſtud ſuum ſcriptum authenticum profitetur imperium nihil prorſus juris habere in regnum Siciliæ, nec ipſe obtinebat ratione imperii, ſed ratione ſucceſſionis matris, quæ deſcendit ex ſtirpe regum Siciliæ, qui regnum ipſum ab eccleſia Romana tenebant. Et ipſe dicti regni proprietatem dictæ eccleſiæ recognoſcens, ad tollendam ſuſpicionem unionis dicti regni ad imperium, promittit quod in nẽgotiis regni, tam in regno, quam in imperio habebit officiales regni, & ſpeciali ſigillo utetur, & promittit & jurat, quod non erit in dicto, facto, vel conſilio, quod dictum regnum proprietati eccleſiæ ſubtrahatur, vel imperio uniatur. Incipit ſic: *Fredericus divina favente clementia Rom...iorum rex*, &c. *& rex Siciliæ*. fol. xj. pag. 2.

E. Item alia littera ejuſdem FREDERICI Romanorum imperatoris in dicta quinta littera dicti domini Innocentii annotata, & eſt in effectu ſimilis & ſuper eodem proxime præcedenti, excepto quod hic ſe imperatorem intitulat. Incipit ſic: *Fredericus II, divina favente clementia Romanorum imperator*. fol. xj. pag. 2.

E. Item alia littera principum imperii in dicta quinta littera domini Innocentii annotata, continens quod dicti principes ad tollendam omnem materiam ſcandali & rancoris inter eccleſiam & imperium, quidquid factum fuerat per FREDERICUM Romanorum regem & Siciliæ eccleſiæ Romanæ per privilegia ſeu ſcripta ſua, pro diſcordia ſopienda & evitanda impoſterum & pace ſervanda, ſicut fecerant tempore domini Innocentii III. ad mandatum dicti regis, ſic modo approbant, ac ſuper illis ſuum præbent aſſenſum, & ſigilla ſua omnes appoſuerunt: ſcilicet ſuper omnibus privilegiis uſque nunc conceſſis, & etiam concedendis, tam ſuper facto imperii, quam ſuper facto regni Siciliæ, quod dictum regnum cum eodem imperio nihil habeat unionis. Incipit ſic: *Nos principes imperii*. fol. xij. pag. 1. Hic non ſunt nomina principum prædictorum.

E. Poſtea ſequuntur nomina dictorum XL. prælatorum, qui prædictas originales litteras in dicta quinta littera annotatas ſe vidiſſe fatentur, & huic litteræ ſua ſigilla fecerunt apponi. Incipiunt ſic: *Nos autem Nicolaus patriarcha*. fol. xij. pag. 1.

Et hic eſt finis prædictæ quintæ litteræ ſignatæ per E.

Sexta littera ſignata per F.

SEQUITUR ſexta littera ejuſdem domini Innocentii ſignata per F. & eſt ſimilis in forma aliis quinque præcedentibus, & in ea ſunt annotatæ litteræ & privilegia quæ ſequantur. Incipit ſic: *Innocentius*, fol. xij. pag. 1.

De Frederico imperatore ſuper conſtitutionibus editis in favorem eccleſiaſticæ libertatis.

Primo littera FREDERICI Romanorum imperatoris continens multas conſtitutiones per eum editas in favorem eccleſiæ & eccleſiaſticæ libertatis, & contra hæreticos & eorum fautores: videlicet inter alia juravit omnia ſtatuta, & conſuetudines, quæ civitates & loca, poteſtates, conſules, vel quæcumque perſonæ ediderant contra libertates eccleſiæ & eccleſiaſticas perſonas contra canonicas vel imperiales ſanctiones, mandans ea de ſuis capitularibus penitus amoveri, & contra præſumtores in contrarium infert graves pœnas expreſſas in perſonas & loca. Item, quod nulla communitas vel perſona publica, vel privata, eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis collectas, vel exactiones aliquas non imponant ſub pœnis adjectis, & quod communitas, vel perſona quæ per annum in excommunicatione fuerit, propter eccleſiaſticam libertatem, banno imperii ſit ſubjecta. Item, quod nullus perſonam eccleſiaſticam ſuper criminali, vel civili trahere ad judicium ſeculare præſumat, ſub pœna adjecta,

quod qui clericis, vel personis ecclesiasticis justitiam denegaverit, tertio requisitus suam jurisdictionem amittat. Item, omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnavit infamia, diffidendo & banniendo eosdem, ac censendo ut bona talium confiscentur, statuens & injungens, ut potestates, consules, & rectores pro defensione fidei juramentum præstent, quod dictos hæreticos de terris eorum expellent & exterminabunt, sub pœnis adjectis in venientes in contrarium, & contra fautores & receptatores dictorum hæreticorum. Item, quod omnes peregrini & advenæ libere hospitentur ubi volent, & de bonis possint testari sicut volent. Item, de navigiis quocumque locorum proveniant, si a casu rupta fuerant, vel ad terram proveniant, tam navigia quam navigantium bona reserventur illis ad quos spectabant, antequam navigium periculum incurrisset. Item, quod agricultores residentes in villis, & dum agris intendunt, securos vult esse, quacumque parte terrarum sub pœnis adjectis &c. Incipit sic: *In nomine Domini.* fol. xij. pag. 2.

F. De Frederico rege Siciliæ & Innocentio papa super recognitione regni.

Item alia littera FREDERICI regis Siciliæ directa domino Innocentio papæ, & in dicta sexta littera annotata, continens quod dictus FREDERICUS rex recognoscens sibi suisque hæredibus regnum Siciliæ, ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ cum pertinentiis suis, Neapolim, Salernum, & Amalfiam cum pertinentiis, Marsiam & alia quæ ultra Marsiam debebat habere, & aliqua tenimenta, quæ tenebat a prædecessoribus suis hominibus sanctæ Romanæ ecclesiæ jure detenta, per eamdem ecclesiam Romanam collata fuisse, ac asserens quod pro illis in manibus legati recipientis nomine domini papæ ei & successoribus suis & ecclesiæ præfatæ fidelitatem juraverat, sicut continebatur in duobus capitularibus, quorum unum penes ipsum erat apostolica bulla, & aliud simile penes dictum dominum papam, regia aurea bulla bullatum, cum hominium præsens præsenti debeat exhibere, promittit domino papæ, quod quandocumque dominus papa vel successores sui ipsum regem in aliquam partem regni, ad quam secure possit accedere, ad se vocaverit, pro faciendo ligio hominio veniet, nisi certum impedimentum aut evidens necessitas impediret, & promittit censum sexcentorum squifatorum pro Apulia & Calabria, & quadringentorum pro Marsia, vel æquivalens in auro vel argento, se suosque hæredes annis singulis soluturos; & concessit quod electiones canonice fierent secundum Deum, de personis quibus ipsos rex & hæredes sui requisitum ab ipsis præbebunt assensum. Incipit sic: *In nomine Dei æterni & salvatoris nostri Jesu-Christi.* fol. xiij. pag. 2.

A De isto privilegio legitur in margine libri hujus, quod duplicatum fuit, & in littera domini Innocentii bis scriptum.

F. De Frederico rege Siciliæ & Innocentio papa super modo electionum faciendarum in regno.

Item, alia littera ejusdem FREDERICI regis Siciliæ domino Innocentio papæ directa, in dicta sexta littera prædicti domini Innocentii annotata, continens quod ne inter regem & successores suos ac ecclesiam aliqua super electionibus celebrandis dissensio suscitetur, quæ rancoris inter ipsos fomitem subministret, explicat suis litteris modum & ordinem electionum in posterum faciendarum in regno prædicto, videlicet, quod sede vacante capitulum significabit regi vel hæredibus suis obitum defuncti, & deinde eligent personam idoneam, cui rex requisitus præbebit assensum, & electionem factam non different publicare, & sic factam & publicatam significabunt regi, & ipsius assensum requirent, sed antequam assensus regius requiratur, non introuizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, nec electus administrationi se ingerat, antequam auctoritate pontificali fuerit confirmatus. Incipit sic: *In nomine Dei æterni & Salvatoris nostri.* fol. xiv. pag. 1.

F. De Frederico Romanorum & Siciliæ rege super revocatione statutorum olim per universitates contra ecclesiasticam libertatem.

Item alia littera FREDERICI Romanorum regis & Siciliæ consulibus potestatibus & communitatibus universarum civitatum & castrorum Italiæ directa, in dicta littera sexta ejusdem domini Innocentii annotata, qua mandatur per eumdem Fredericum omnibus supradictis, quod omnia statuta præjudicantia ecclesiasticæ libertati, ac divino & humano juri obviantia, manifeste per ipsos edita, quæ dictus FREDERICUS tamquam de radice pravitatis hæreticæ prodeuntia cassat & annullat, de eorum capitularibus prorsus aboleant, nec illis deinceps inhærere præsumant, sed permittant ecclesias & personas ecclesiasticas indulta sibi libertate gaudere, sub certa pœna adjecta. Incipit sic: *Fredericus Dei gratia Romanorum rex.* fol. xiv. pag. 1.

F. Septima littera signata per G.

Postea sequuntur nomina prædictorum XL. prælatorum, qui prædictas litteras & privilegia in dicta sexta littera annotata se vidisse, & perlegisse fatentur, suaque sigilla prædictæ litteræ sicut in aliis præcedentibus fecerunt apponi. Incipit sic: *Nos autem Nicolaus patriarcha.* fol. xiv. pag. secunda.

Et hic est finis prædictæ sextæ litteræ signatæ per F.

SEQUITUR septima littera præfati domini Innocentii signata per G. & est in forma similis aliis sex præcedentibus antedictis, in qua etiam sunt annotata privilegia & litteræ quæ sequuntur infra. Incipit dicta littera. *Innocentius.* fol. xiv. pag. 2.

G. De Frederico rege Romanor

Primo una littera sive privilegium FREDERICI II. Romanorum regis & Siciliæ concessum tempore domini Innocentii pa-

pæ, continet quod dictus FREDERICUS recognoscens beneficia innumera per dictum dominum INNOCENTIUM papam sibi illata, postquam ex domina CONSTANTIA imperatrice matre sua natus fuerat, eidem domino Innocentio & successoribus suis, promittit omnem obedientiam, honorificentiam, & reverentiam, quam prædecessores sui reges & imperatores catholici suis antecessoribus impenderunt, tollendo abusum qui in celebrandis electionibus per prædecessores suos habitus fuerat, & vult quod electiones ipsæ libere & canonice fiant, & appellationes ad sedem apostolicam in ecclesiasticis causis, refutatque & dimittit abusum de occupandis bonis decedentium prælatorum, & dimittit domino papæ & aliis ecclesiarum prælatis omnia spiritualia disponenda, & promittit quod super exradicanda hæretica pravitate dabit operam efficacem, & possessiones ecclesiæ Romanæ liberas & quietas sibi dimittit, & quascumque, quæ ad manus ipsius pervenient, reddere promittit, & specificantur multæ terræ nominatim expressæ, in quibus sibi retinet quod quando veniet pro recipienda corona imperii, vel pro necessitatibus ecclesiæ vocatus, recipiet procurationes & fodrum in eis ad mandatum papæ, & erit adjutor Romanæ ecclesiæ ad retinendum regnum Siciliæ & cetera jura, quæ ad eam pertinent, sicut devotus filius & catholicus princeps. Incipit sic: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Nos Freder.* fol. xiv. pag. 2.

G. De prædicto privilegio legitur in margine libri in fine ejusdem privilegii, quod quadruplicatum est tam in prædicta septima littera dicti domini Innocentii IV. quam etiam in archivo ecclesiæ Romanæ sub aureis bullis, quorum unum factum fuit, ut ibidem legitur tempore domini Honorii papæ, & ibidem sequuntur nomina dictorum XL. prælatorum, qui in prædicta littera septima sua sigilla fecerunt apponi, sicut in aliis sex præcedentibus antedictis, & incipiunt prædicta nomina. *Nos autem Nicolaus, &c.* fol. xv. pag. 2.

Et hic est finis prædictæ septimæ litteræ signatæ per G.

Octava littera signata per H.

SEQUITUR octava littera dicti domini Innocentii signata per H. similis in forma aliis septem præcedentibus, & insunt annotata privilegia & litteræ quæ sequuntur. fol. xv. pag. 2. Incipit *Innocentius.*

H. De Friderico II. Romanorum & Siciliæ rege & de Innocentio papa super juramento præstito per dictum regem.

Primo littera FREDERICI II. regis Romanorum & Siciliæ continens formam juramenti per eum præstiti domino Innocentio III. in qua spondet, pollicetur, & promittit, quod defendet & juvabit possessiones, honores, & jura ecclesiæ Romanæ, & quas possessiones recuperavit ecclesia ei quietas & in pace dimittet, & juvabit recuperare nondum recuperatas, & quæ ad manus ipsius devenient restituet sine difficultate, & exprimuntur ibi multæ terræ expresse, ut ibidem legitur in multis privilegiis imperatorum & tempore LUDOVICI. Sed quando veniet pro recipienda corona imperii vel pro necessitatibus ecclesiæ vocatus, de mandato domini papæ recipiet procurationes ab ipsis, & erit adjutor ecclesiæ Romanæ ad retinendum regnum Siciliæ. Promittit etiam domino papæ & successoribus suis exhibere omnem obedientiam & honorificentiam, quam catholici imperatores Romanis pontificibus exhibuerunt. Et si propter negotium suum contingat ecclesiam Romanam guerram habere, subveniet in expensis, & promittit omnia confirmare, cum fuerit coronatus. Incipit sic: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Fredericus II.* fol. xv. pag. 2.

H. De eod. Frederico & de Honorio papa super eisdem.

Item alia littera ejusdem FREDERICI continens formam similis per omnia juramenti per eum præstiti domino HONORIO papæ III. exceptis nominibus principum coram quibus prestitit juramentum, prædicta quorum nomina in utraque forma per ordinem exprimuntur. Incipit sic: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.* fol. xv. pag. 2.

H.

Item, una littera ejusdem FREDERICI regis Romanorum & Siciliæ continens processum secundum per eumdem regem contra filios comitum Alberti de Casale & Netifii, qui contra mandata & processus alios habitos contra ipsos per eumdem regem, & per cancellarium suum, castrum Gonzagæ cum pertinentiis suis, quod est de comitatu comitissæ MATILDIS, ad Romanam ecclesiam pertinentis, detinebant per potentiam occupatum, & confirmantur in isto processus habiti per cancellarium antedictum, & isti processus & alii publicantur contra illos detentores in præsentia principum quamplurimorum nominatorum ibidem. Incipit sic: *Fredericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, & rex Siciliæ.* fol xvj. pag. 1.

H. De eod. Frederico coronato, & de Honorio papa super eisdem processibus.

Item alia littera ejusdem FREDERICI coronati in imperatorem concessa domino HONORIO papæ, in qua totus tenor præcedentis processus per ordinem annotatur, & confirmatur per istam litteram, & mandantur observari omnia sicut continentur in eo. Incipit sic: *Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator.* fol. xvij. pag. 1.

Postea sequuntur nomina prædictorum XL. prælatorum, qui prædictæ litteræ octavæ sicut in præcedentibus sua sigilla fecerunt apponi. Incipiunt: *Nos autem Nicolaus.* fol. xvij. pag. 1.

Et hic est finis prædictæ litteræ signatæ per H.

Nona sig. nata per I.

SEQUITUR nona littera ejusdem domini INNOCENTII IV. signata per I.

similis in forma aliis octo præcedentibus, in qua sunt similiter annotata privilegia & litteræ quæ sequuntur,& incipit: *Innocentius*. fol. xvij. pag. 1.

I. De Frederico prædicto Romanorum & Siciliæ rege & de Honorio papa, super promissione dicti regis facta de emancipando Henrico filio suo cum fuerit coronatus in imperatorem.

Primo una littera FREDERICI Romanorum regis & Siciliæ domino HONORIO papæ directa, continens quod dictus Fredericus promittit & concedit domino papæ, quod protinus, cum fuerit imperii coronam adeptus, HENRICUM filium suum, quem ad mandatum domini INNOCENTII papæ III. fecerat coronari, emancipabit a patris potestate, ac ipsum Henricum regnumque Siciliæ tam ultra quam citra Farum penitus dimittet ab ecclesia Romana tenendum, sicut ipse ab ipsa sola tenebat, nec ex tunc se nominabit regem Siciliæ, sed juxta beneplacitum domini papæ procurabit dictum regnum per personam idoneam gubernari, quousque dictus filius ad legitimam pervenerit ætatem, quæ quidem persona ecclesiæ Romanæ de omni jure & honore respondebit. Et hoc ad finem, ne forte aliquid unionis regnum ad imperium crederetur habere, si ipse Fredericus qui vocatus erat ad imperium, utrumque scilicet regnum & imperium obtineret, per quod posset ecclesiæ Romanæ dispendium generari. Incipit sic: *Sanctissimo in Christo patri*. fol. xvij. pag. 1.

I. De eod. Frederico, & de Innocentio super eisdem.

Item alia littera ejusdem FREDERICI Romanorum & Siciliæ regis domino INNOCENTIO III. papæ directa, similis per omnia proxime præcedenti in effectu, mutatis nominibus Roman. pontificum & data cujuslibet litterarum. Incipit sic: *Sanctissimo in Christo patri & domino suo Innocentio sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici*. fol. xvij. pag. 2.

I. De eod. Frederico & de Honorio papa super quadam excusatione de quodam edicto solemni facto per dictum Fredericum.

Item alia littera FREDERICI prædicti imperatoris Romanorum & regis Siciliæ domino HONORIO papæ directa, in qua se dictus Fredericus excusat de hoc quod ad ipsum pervenerat, scilicet, quod dicto domino papæ suggestum fuerat, quod idem Fredericus per quoddam edictum suum solemniter factum Capuæ in sua curia, super resignandis sibi privilegiis imperatoris & imperatricis genitorum suorum, privilegia dudum per eum ecclesiæ Romanæ concessa deberent irritari, cum de proposito & firma voluntate, quam habebat erga dictos dominum papam & ecclesiam, dominus papa certus esse posset, cum dictus Fredericus post editionem dicti edicti, ad requisitionem domini papæ prædicta privilegia sibi misit. Incipit sic: *Prædilecto in Christo patri domino H. Dei gratia sacro-sanctæ Romanæ sedis summo pontifici*. fol. xvij. pag. secunda.

I. Item alia littera LUDOVICI comitis Palatini Rheni & ducis Bavariæ, directa universis continens, quod cum FREDERICUS Romanorum & Siciliæ rex pro pace reformanda & sopienda discordia, quæ fuerat inter ecclesiam & imperium, occasione quorumdam abusionum, & possessionum & aliorum jurium detentorum & occupatorum per quosdam imperatores & reges prædecessores regis prædicti, de voluntate & consensu ipsius ducis remiserit, & concesserit per speciale privilegium domino Innocentio papæ possessiones & alia supradicta, dictus dux privilegium ipsum approbat & confirmat. Incipit sic: *Ludovicus Dei gratia*. fol. xvij. pag. 2.

I. De Frid. prædicto facto inter ratores super donatione facta per eum Conrado filio suo de civitate Gaietæ.

Item, alia littera FRIDERICI Romanorum imperatoris Jerusalem & Siciliæ regis, continens quod ipse concedit & donat CONRADO regi filio suo civitatem Gaietæ cum omnibus pertinentiis, justitiis & rationibus suis. Concedit etiam eidem in vassallos cum omnibus terris, villis & castris, quosdam nobiles ibidem nominatos, & omnes alios barones, qui tempore turbationis inter ipsum Fredericum & ecclesiam motæ contra ipsum ecclesiæ adhæserant antedictæ, & sunt usque hodie sub forma pacis. Incipit sic: *Fredericus Dei gratia Romanorum imperator*. fol. xviij. pag. 1.

Et hic est finis prædictæ nonæ litteræ signatæ per I.

Decima littera signata per K.

SEQUITUR decima littera prædicti domini Innocentii IV. signata per K. & est in forma similis aliis novem præcedentibus antedictis, & in ea sunt annotata litteræ & privilegia, quæ sequuntur. Incipit: *Innocentius*. fol. xviij. pag. 2.

K. De prædicto Fred. imperatore & rege & de domino Honorio papa super forma juramenti per ipsum Fredericum præstiti ante coronationem.

Primo quædam littera sive privilegium FREDERICI Romanorum imperatoris regis Siciliæ, in qua est annotatus tenor cujusdam formæ juramenti per eum ad mandatum domini Honorii papæ, coram ejus nunciis præstiti ante coronationem suam, in quo & sub quo promiserat eidem domino Honorio papæ & suis successoribus in præsentia suorum principum nominatorum in forma prædicta, & etiam juraverat, quod defenderet bona fide posse suo ecclesiam & jura sua, & dimittebat libere ecclesiæ possessiones, quas recuperaverat, & ad recuperandas alias esset adjutor, & quæ ad ipsius manus pervenirent restituet sine difficultate, & nominantur ibi plures possessiones expresse, ut ibi legitur in multis privilegiis imperatorum à tempore LOYCI. Sed quando pro coronatione sua ad imperium, vel pro necessitatibus ecclesiæ vocatus veniet, recipiet in eis de mandato papæ procurationem. Et si ecclesia propter negotium suum guerram habuerit, eidem subveniet in expensis. Et quod omnia scripto & juramento confirmabit cum fuerit coronatus. Nunc vero idem imperator sicut continetur in forma prædicta omnia confirmat sub testimonio aureæ bullæ suæ. Incipit sic: *Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator*, fol. xviij. pag. 2.

J. De eodem fact. & se excusatio Gregorio papæ super expeditione Lombardiæ.

Item alia littera FRIDERICI ejusdem imperatoris Jerusalem & Siciliæ regis domino GREGORIO papæ directa, per quam ei significat, quod super facto Lombardorum, pro quo dictus dominus papa magistrum nuntium & scriptorem suum ad ipsum miserat cum principibus imperii in generali curia Maguntiæ celebrata, deliberaverat juramento super hoc per eosdem principes corporali præstito, in principio tunc futuri mensis Aprilis, ipsos Lombardos aggredi, & quod per duos viarum aditus, scilicet per Basileam & Augustam, Lombardiam introibunt. Nihilominus tamen ipse imperator committit totum ipsorum Lombardorum negotium domini papæ arbitrio disponendum, usque ad festum natalis Domini tunc proxime, juxta tenorem scripti aurea bulla imperiali signati, quod anno præterito in Tusciam sibi misit, quod scriptum per omnia ratum habet. Incipit sic: *Sanctissimo in Christo patri*. fol. xix. pag. 1.

X. De prædicto Fred. & de domino Innocentio super congratulatione ipsius Friderici de promotione dicti domini Innocentii, & de nuntiis, quos mittit.

Item alia littera ejusdem FREDERICI imperatoris Jerusalem & Siciliæ regis domino INNOCENTIO papæ directa, qua dominus Fredericus congratulatur, & collætatur de promotione ipsius domini Innocentii, & eidem significat, quod mittit ad eum suos solemnes nuntios, per quos & in quorum personas se ipsius domini papæ conspectui repræsentat, qui ipsius intimæ conscii voluntatis, exponent eidem devotionem dicti imperatoris ad ipsum & ecclesiam, ipsumque imperatorem & ejus totam potentiam offerent ipsius domini papæ beneplacitis & mandatis. Incipit sic: *Sanctissimo in Christo patri domino Innocentio*. fol. xix. pag. 2.

K. De Friderico prædicto & de Innocentio papa super tractatu pacis inter ecclesiam & imperatorem & de nuntiis ad hoc missis.

Item alia littera ejusdem FREDERICI imperatoris Jerusalem & Siciliæ regis, per quam idem Fredericus tractatum pacis & consummationem ejusdem inter dominum Innocentium papam & ecclesiam Romanam, ex parte una ac ipsum imperatorem & imperium ex altera, super omnibus & singulis articulis & capitulis, per quæ discordia inter ipsos hactenus fuerat & adhuc erat, & per quæ pax & concordia provenire poterant, certis nuntiis suis adhoc missis, suæ voluntatis conscii committit, promitteus se ratum habiturum quidquid per eosdem nuntios tractatum fuerit & promissum, & se illa inviolabiliter servaturum. Incipit sic: *Fridericus Dei gratia Romanorum imperator*. fol. xx. pag. 1.

K. De eodem Friderico super confirmatione dicti domini nuntii super confirmatione prædicti tractatus & pacis.

Item alia littera ejusdem imperatoris & regis per quam dictus FREDERICUS imperator, audita relatione prædictorum nuntiorum, post ipsorum ad eum de curia Romana regressum, super tractatu pacis prædictæ, confidens de fidelitate & fide dictorum nuntiorum, consummationem pacis ejusdem committit, ut in superiori littera A nuntiis antedictis. Incipit sic: *Fredericus*. fol. xx. pag. 1. Status & pacis.

Item alia littera ipsius FREDERICI imperatoris & regis, per quam dedit potestatem R. comiti Tholosano & duobus aliis nuntiis nominatis, jurandi in animam ipsius de stando mandatis ecclesiæ & domini papæ super omnibus articulis, injuriis, damnis, offensis ante & post excommunicationis sententiam, ecclesiis & ecclesiasticis personis illatis, prolatam in ipsum imperatorem per bonæ memoriæ dominum GREGORIUM papam, promittens ratum & firmum habere quidquid dicti nuntii super hoc duxerint faciendum. Incipit sic: *Fredericus*. fol. xxi. pag. 2. K. De dicto Frederico & de R. comite Tholosano & aliis nuntiis missis ad jurandum in animam imperatoris de stando ecclesiæ mandatis.

Postea sequuntur nomina dictorum XL. prælatorum, qui prædictæ decimæ litteræ, sicut aliis novem præcedentibus sua sigilla fecerunt apponi. Incipit sic: *Nos autem Nicolaus*. fol. xx. pag. 2. K.

Et hic est finis prædictæ decimæ litteræ signatæ per K.

Postea sequuntur in dicto volumine tres litteræ quæ in aliqua dictarum vel subsequentium inferius litterarum dicti domini INNOCENTII IV. non fuerunt annotatæ, sicut hoc legitur in margine voluminis prædicti; sed habentur in archivis ecclesiæ sub aureis bullis, quarum cujuslibet rubrica per ordinem subscribitur ut ecce. De tribus litteris quæ non sunt annotatæ sub aliquo tractatu dicti domini Innocentii.

Prima dictarum trium litterarum est una littera prædicti FRIDERICI imperatoris & regis Siciliæ & Jerusalem, per quam notificat universis, quod ipse pro omnibus pro quibus excommunicatus fuerat, tactis sanctis evangeliis juravit coram nuntiis domini papæ Gregorii, stare præcise mandatis ecclesiæ sine contradictione quacumque. Incipit sic: *Fredericus*. fol. xx. pag. 2. De prima littera. De Friderico imperatore & rege Siciliæ super juramento præstito pereum de stando mandatis ecclesiæ.

Secunda littera prædictarum trium continet, quod dictus FREDERICUS imperator ac Jerusalem & Siciliæ rex notificat universis, quod ipse remittit omnem offensam, & pœnam Theotonicis, Lombardis, Tuscis, & hominibus regni generaliter, & Gallicis, & omnibus aliis, qui ecclesiæ adhæserant contra ipsum, & per quemdam nominatum fidelem suum fecit jurari in animam suam, quod eos non offendet, neque faciet offendi, & eis pacem servabit, remittens eis sententias, constitutiones, banna, si qua occasione hujusmodi sint edita contra eos, & promittit quod terras ecclesiæ in ducatu vel marchia, seu alio patrimonio non invadet. Incipit sic: *Fredericus Dei gratia Romanorum imperator*. fol. xx. pag. 2. Secunda littera prædictarum trium. De Friderico imperatore & rege Siciliæ super remissione injuriarum omnium illorum qui adhæserant ecclesiæ contra ipsum.

Tertia littera prædictarum trium continet, quod dictus FREDERICUS imperator & rex, ut supra, notificat universis, quod inter ipsum & ecclesiam fuit conventum, quod de communi voluntate tractetur Tertia littera prædictarum trium. De prædicto Friderico impe-

vatore & rege super tractatu faciendo, quod Gaieta & S. Agathe & aliæ civitates de regno Siciliæ cum honore ecclesiæ revertantur.

de via invenienda qualiter cum honore ecclesiæ revertantur ad ipsum imperatorem Gaieta & sancta Agathe civitates & omnes de regno Siciliæ cum bonis suis, & quod tractatus fiat infra annum. Sed ad inveniendam viam interim ecclesia suam sollicitudinem adhibere promisit, nec terminus ultra prorogabitur, nisi de partium voluntate; sed ex tunc per arbitros electos interim procedetur ad viam inveniendam, quorum duo ex parte ecclesiæ, & duo ex parte imperatoris erunt, qui eligent quintum, si concordare non possent; & ex tunc stabitur dicto majoris partis. Et juravit per B quemdam suum nuntium fidelem ibidem, quod interim prædictas terras & homines non offendet, & quod observabit viam, quæ invenietur per communem tractatum. Incipit sic: *Fredericus Dei gratia Romanorum imperator.* fol. xx. pag. 2.

Et hic est finis prædictarum trium litterarum, quæ non fuerunt, ut prætangitur, in aliqua litterarum dicti domini Innocentii annotatæ.

Undecima littera dicti domini Innocentii signata per L.

SEQUITUR undecima littera prædicti domini Innocentii IV. signata per L. & est in forma per omnia similis aliis decem præcedentibus litteris ejusdem domini Inno- C centii, in qua sunt similiter annotata privilegia & litteræ quæ inferius subsequuntur. Incipit sic: *Innocentius.* fol. xxj. pag. 1.

L. De Frederico imperatore ac rege Siciliæ & Jerusalem super reconciliatione Lombardorum ad beneplacitum domini Gregorii papæ, cui totum commisit negotium disponendum.

Primo littera una FREDERICI Romanorum imperatoris regis Jerusalem & Siciliæ, per quam notum facit omnibus, quod ipse totum negotium illorum de Lombardia, Marchia, Trivisii & Romaniola, qui videbantur sibi & imperio adversari, tam super detentione regalium imperii & aliorum jurium, quam de præteritis excessibus, quocumque modo per eos contra D imperatorem & imperium commissis, consilio, provisioni, compositioni & laudationi domini GREGORII summi pontificis pro pacis & status imperii reformatione commisit, & etiam si quid ipse imperator contra ipsos fecerat, totum ipsius domini papæ arbitrio & provisioni commisit, & promittit tenere quidquid per dominum papam fuerit ordinatum, & pro observantia illorum dare cautiones idoneas, si per partem aliam sibi dentur. Incipit sic: *Fredericus,* fol. xxj. pag. 1.

L. De prædicto Frederico super promissione facta de consensu principum & filii sui stare ordinationi domini Gregorii factæ super discordia.

Item alia littera ejusdem FREDERICI imperatoris regisque Jerusalem & Siciliæ domino GREGORIO papæ directa, continens quod, sicut ipse imperator scripto promiserat, de suorum principum & Henrici filii sui Romanorum regis consensu stare ordinationi ecclesiæ, de omni eo quod super discordia vertente inter ipsum imperatorem, & quasdam universitates Lombardiæ, quarum nomina in compromissi serie sunt expressa. Provisionem dicti domini papæ A super hoc factam, scilicet quod dictæ universitates ad honorem Dei & ecclesiæ ac imperii teneantur in quingentis militibus suis expensis pro terræ sanctæ subsidio per biennium exhibendis pro parte sua & prædicti filii, firmam habet & ratam. Et juxta ordinationem ipsius domini papæ remittit eisdem universitatibus & locis prædictis in compromisso expressis, & etiam marchioni Montisferrati, qui infra statutum a partibus terminum compromisit omnes injurias & offensas contra ipsum, & filium, ac principes suos commissas, impediendo in indictam ultimo curiam in Ravenna, irrogando injurias principibus venientibus ad eamdem dictoque filio ire volenti aditum præcludendo. Incipit sic: *Sanctissimo patri suo.* fol. xxj. pag. 2.

inter ipsum Fredericum, & Lombardos.

Item alia littera ejusdem FREDERICI imperatoris & regis, ut supra, prædicta littera domini Innocentii annotata, per quam idem Fredericus notum facit omnibus, quod ipse ad instantiam & monitionem cardinalium nominatorum ad hoc missorum per dominum GREGORIUM papam totum negotium illorum de Lombardia, Marchia, Trivisii & Romaniola, tam super detentione suorum regalium, & aliorum jurium, quam de præteritis excessibus, quocumque modo per eos commissis pridem & hactenus, contra ipsum consilio provisioni, compositioni, & laudationi domini papæ prædicti & ecclesiæ Romanæ commisit, volens tenere firmiter & servare quidquid per ecclesiam super hoc extiterit ordinatum. Incipit sic: *Fredericus.* fol. xxij. pag. 1.

L. De prædicto Frederico & cardinalibus missis ad eum per dominum Gregorium papam super facto Lombard. & nuntiat omnibus quod stabit ordinationi dicti domini Gregorii papæ.

Item alia littera ejusdem FREDERICI imperatoris & regis, ut supra, domino GREGORIO papæ directa, & in dicta littera præfati domini Innocentii annotata, continens quod cum ipse mittat nuntios ad regem Angliæ pro consummatione matrimonii inter ipsum & ISABELLAM sororem dicti regis Angliæ, juxta consilium ipsius domini papæ tractati, & ut dicta Isabella ducatur ad ipsum, ne occasione dilationis alicujus huic negotio defectus interveniat: idem imperator committit domino papæ ipsum negotium, ut videlicet quantitatem dotium promittendarum imperatori a rege Angliæ moderetur, & ut etiam arbitretur tempus quo ipsarum dotium exhibitio fiet ei, vel partis ipsarum, si rex ad præsens impeditus, forsitan statutas dotes ipsas exhibere non posset: promittens ratum habere & servare ad plenum quidquid super præmissis per dominum papam extiterit ordinatum. Incipit sic: *Sanctissimo in Christo patri.* fol. xxij pag. 2.

L. De Frederico prædicto & Gregorio papa super consummatione matrimonii inter ipsum Fredericum & Isabellam sororem regis Angliæ.

Item alia littera ejusdem FREDERICI imperatoris & regis, ut supra, domino GREGORIO papæ directa, & in prædicta littera domini Innocentii annotata, continens quod notificat domino papæ, quod quia

L. De prædictis Frederico imperatore & Gregorio papa.

Iter prorogatione facta de passagio & Cruce non curanda.

quia cruce signati Gallici ad preces suas passagium suum distulerant ad certum tempus expressum, ipse promittit quod ipsos pro ulteriori prorogatione dicti passagii non rogabit, sed ex tunc eis ad id præstabit subsidium & juvamen. Incipit sic: *Sanctissimo in Christo patri.* fol. xxij. pag. 2.

L. De Henrico rege Romanorum & Gregorio papa super juramento per dominum regem præstito, quod non erit contra Fredericum imperatorem patrem suum.

Item alia littera HENRICI regis Romanorum domino GREGORIO papæ directa, & in dicta littera dicti domini Innocentii annotata, continens quod idem rex domino papæ notum facit, quod ipse motu proprio, & spontanea voluntate juravit, quod quidquid & quotiens dominus FREDERICUS Romanorum imperator rex Jerusalem & Siciliæ pater suus cum eodem rege disponet, vel ore suo aut litteris mandaverit faciendum, ipse rex voluntarie & & bona fide complebit, & quod non erit in dicto, consilio, facto, vel consensu, aut litteris publicis vel occultis procurabit aliquid, vel quidquam faciet, quod ad incommodum & damnum personæ suæ, terræ, honoris, dignitatis ipsius patris cedat. Et si aliquis ei quidquam contra ipsum patrem suggeret publice vel occulte, eidem patri suggerentium talium nuntiabit & nominabit personas. Incipit sic: *Sanctissimo in Christo patri.* fol. xxiij. pag. 1.

L. Juramentum Friderici regis Siciliæ præstitum domino Innocentio.

Item forma juramenti FREDERICI regis Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, tota per se extensa, continens, quod erit fidelis domino Innocentio suisque successoribus, non erit in consilio &c. de vita vel membris perdendis, vel de mala captione, & quod consilium ei creditum & contradictum ne illud manifestet non pandet, & quod bona fide juvabit dominum papam ad tenendum papatum Romanum, & terram S. Petri, & quod si dominum papam ei præmori contingat, secundum quod fuerit monitus a melioribus cardinalibus, adjuvabit quod eligatur papa ad honorem S. Petri. Hæc omnia observabit domino papæ & ecclesiæ recta fide, & fidelitatem servabit successoribus suis Romanis pontificibus, qui eidem regi & hæredibus suis, si in eo non remanserit, firmabunt quod in privilegio dicti domini Innocentii est eidem domino regi concessum. Incipit sic: *Ego Fredericus Dei gratia rex Sicilie.* fol. xxiij. pag. 1.

L. Postea sequuntur nomina prælatorum prædictorum XL. qui prædictæ undecimæ litteræ sigilla sua, sicut in aliis decem præcedentibus, ejusdem domini Innocentii IV. fecerunt apponi, & incipiunt sic: *Nos autem Nicolaus.* fol. xxiij. pag. 2.

Et hic est finis prædictæ undecimæ litteræ signatæ per L.

Duodecima & ultima littera per M. signata.

SEQUITUR duodecima & ultima littera prædicti domini Innocentii IV. in qua annotantur privilegia, & litteræ, quæ inferius subsequuntur fol. xxiij. pag. 2.

Primo quædam littera HENRICI Romanorum imperatoris & regis Siciliæ domino COELESTINO papæ directa, excusat se dictus Henricus imperator super quibusdam gravaminibus & offensis, per PHILIPPUM fratrem suum ducem Tusciæ, & ejus officiales illatis, & super quibusdam aliis petitis ab eodem per dominum papam, tangentibus relaxationem certorum prælatorum detentorum & arrestatorum per ipsum. Injuriosa quidem, & superba videtur excusatio illa. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri Cœlestino summo pontifici.* fol. xxiij. pag. 2.

M. De Henrico imperatore & rege Siciliæ & de domino Cœlestino, super gravaminibus illatis per Philippum fratrem domini imperatoris super relaxatione quorumdam prælat. detentorum.

Item alia littera HENRICI Romanorum imperatoris domino COELESTINO papæ directa, per quam idem Henricus significat respondendo litteris ipsius domini papæ sibi missis per certum nuntium nominatum, quod de treugis faciendis inter ipsum & ecclesiam tractatum aliquem non admitteret; sed hanc pacem & concordiæ reformationem affectat, ut videlicet regnum Siciliæ tam injuriose, quam proditorie occupatum, ea quæ deberet pace possidere valeret. Super quo dominum papam sollicitat, ut ad id exequendum curam adhibeat diligentem: rogans ipsum, quod cum certos nuntios ad tractandum super promissis ad ipsum decreverit destinandos ab urbe usque Viterbium, seu Urbem-veterem, vel alibi circa partes illas declinare dignetur, ubi prædicti nuntii de iis negotiis eidem commodius possint loqui. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri Cœlestino.* fol. xxiv. pag. 2.

M. De Henrico rege, Romanorum & de domino Cœlestino, super pace reformanda inter ecclesiam & imperatorem super regno Sicilia.

Item alia littera HENRICI regis Romanorum, per quam notum fieri vult universis, quod ipse juramenta securitatis domino papæ COELESTINO & cardinalibus, & rerum suarum & Romanorum in coronatione sua, eundo, stando, & redeundo facta in ipsius præsentia, & de mandato ipsius, per principes & barones, rata habet, & observare promittit. Incipit sic: *Henricus Dei gratia Romanorum rex.* fol. xxiv. pag. 2.

M. De Henrico Romanorum rege, & domino Cœlestino, & cardinalibus super securitate danda ex coronatione dicti Henrici.

Item alia littera HENRICI Romanorum regis domino GREGORIO papæ directa, qua eidem significat, quod licet ab ecclesia pluries suo nomini fit detractum, vult tamen ad monitionem & mandatum imperatoris patris sui intendere, ut in conferendo subsidio ecclesiæ Romanæ, & mittendo in Italiam fortem militiam ad honorem imperii & commodum ecclesiæ deserviat beneplacito dicti patris. Et rogat quod dominus papa dictum patrem suum, & eum paterno amore confovere dignetur. Incipit sic: *Reverendo in Christo patri & domino.* fol. xxv. pag. 1.

M. De Henrico Romanorum rege, & domino Gregorio super mittenda militia in Italiam in servitium imperii, ecclesiæ.

Item alia littera Henrici Romanorum imperatoris regisque Siciliæ domino Cœlestino.

M.

Cetera desunt.

EPISTOLÆ PONTIFICIÆ SELECTÆ EX REGISTRO ANTIQUO URBANI PAPÆ IV.

URBANI EPISTOLA PRIMA
Ad omnes communitates.

Scribit papa de promotione ſua communitatibus.

COELESTIS altitudo potentiæ ſupra cuncta tenens in excelſis imperium, ſic dat eſſe rebus, & diſpenſat ineffabili providentia munera gratiarum: ſic etiam creaturarum conditiones & ſtatus ordinat, prout vult, variat, & diſponit, quod in horum conſideratione ſenſus hominis hebetatur, cum ſint inveſtigabiles viæ Domini, & ſapientiæ ſuæ magnitudinem humani non capiunt intellectus; facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquentiam tribuit, & ponit nonnumquam humiles in ſublimi, plenam & perfectam habens ad ſingula, tamquam palmo concludens omnia poteſtatem. Sanè felicis recordationis prædeceſſore noſtro ad ſupernam patriam de præſentis valle miſeriæ evocato, venerabiles fratres noſtri, epiſcopi, preſbyteri, & diaconi cardinales ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ pro futuri ſuſtentatione paſtoris convenientes in unum, ſub deliberationis magnæ conſilio, quam tanti negotii qualitas exigebat, aliquandiu mora ſuper electionis celebrationem protracta, licet potuiſſent in alios conſentire, majorum meritorum claritate conſpicuos, & plurium virtutum titulis inſignitos, ad tantæ adminiſtrationis præcellentiam digniores: tamen ad perſonam noſtram dirigentes unanimiter vota ſua, nos ad celſitudinis apoſtolicæ ſpeculam, ſicut domino placuit, concorditer evocarunt. Nolentes itaque nos infirmare ſciſſionis aut rupturæ diſpendio, quod ſuperni conſilii decreverat celſitudo, electionem factam de nobis, de illius confidentes clementia qui debilem roborat, duximus acceptandam. Porro inſufficientia noſtra, & adminiſtrationis tam arduæ ſarcina, tantique oneris gravitate intenta conſideratione penſatis, quodam nimirum ſtupore demiſſi, diverſarum cogitationum fluctibus inter præcordia vexabamur, quid inter tot diverſas & varias ſæculi pugnas agendum, quid tenendum, quidve penſandum exiſteret animo trepido cogitantes: virtutem autem ſpiritus reſumentes in illo qui exurgit in occurſum timentium & implorantium nomen ſuum, qui clementer in ſemitis ſuis greſſus hominis perficit, &

sub cujus alarum velamento quisquis protegitur, suscepimus jugum apostolicæ servitutis, sub Altissimi fiducia deferendum, ne videretur nobis onerosum vel grave quod leve judicat ipse Christus. Ceterum scribere vobis sicut devotis ecclesiæ filiis in desideriis habebamus, ut qui super ejusdem ecclesiæ gratiam devotionis integritate, obsequiorum promtitudine, ac puritate fidei meruistis, a nobis paternæ benivolentiæ sentiatis effectum, & de nostra in domino promotione lætantes, quo, sicut in patre benivolo filii, reperiatis in nobis vestri/que meritis de virtute crescentibus in virtutem illam majoribus compensare præmiis inducamur. Digne quidem bene meritis honores & beneficia rependuntur, quæ tanto decet liberalius exhibere, quanto meretur illa plenius devotio subjectorum. Inter alia vero desideramus & volumus ut prætextu quæstionum quas vobiscum hactenus habebamus in minori officio constituti, nihil hæsitationis in vestris animis remaneat, vel rancoris: quia tunc in spiritualibus causis vestram justitiam fovebamus; nunc in singulis tamquam universalis judex libram appendimus æquitatis. Tunc singularis ecclesiæ jura, cujus præeramus regimini tuebamur: nunc autem ex commisso nobis pastorali officio tenemur jus suum unicuique tribuere; nec minus locis & personis tam sæcularibus quam ecclesiasticis justitiæ plenitudinem exhibere. Suscipientes itaque nostrum sicut benigni patris affectum ad nos in vestris opportunitatibus recurratis cum fiducia, plene tamquam devotionis filii favorem apostolicum habituri.

EPISTOLA II.
Ad regem Francorum.

Papa regratiatur regi de promotione sua.

VOx exultationis & lætitiæ, fama præcurrente, cursoribus ad te de nostra promotione pervenit, qua jucundi gaudii jucunditate perfusus, quod de ipsius promotionis eventu apostolica tibi decreverat providentia nuntiandum, devotæ laudis jubilo præveniisti, eo quidem spiritus nostri incrementum lætitiæ susceperunt, quo exuberantis affectus plenitudine circa sublimitatis nostræ fastigia regiæ serenitatis animus exultabat, ô rex inclyte, qui sermonibus, operis promtitudine matrem revereris ecclesiam, vita vivens, factus perennis hæreditatis merito particeps, qui maternis beneplacitis filiali gratitudine te conformas. O regis devotio voce præconis collaudanda, & excellentium meritorum corruscatione conspicua, quæ ut spirituali patri deserviat, offert humilitatis hostiam semetipsum: tu quoque A carus apostolicæ sedis alumnus, tu religionis christianæ cultor eximus, tu amator divini nominis, & regalium virtutum affluentia præditus, in ipsius matris ecclesiæ dispositione clementer exultas, unanimem prorsus & omnimodam gerens tecum ad omnia voluntatem. Illud quoque in partem non modici gaudii tibi accessisse percepimus, quod civitas Trecensis in adhibito sibi concive summo pontifice, quem ipsa produxit, majoris solito rutilat radio claritatis, quodque patria quæ nobis originem præbuit, in tanti patris & compatriotæ magnificentia decoratur. Perspeximus etiam quod tuarum subsequentia litterarum nos ad solum natalis proprii devotis placidisque supplicibus invitarunt, terram tuam, ut utamur ea velut propria, liberalitate obtulerunt. Præmissis itaque digna consideratione pensatis, eo diligentius in tabulis mentis nostræ conscripsimus, eoque plenius excellentiæ tuæ gratiarum excivimus actiones, quo sincerius quæ scripsisti de tui sacrarii pectoris novimus emanasse. Licet autem humeris nostris impositum jugum apostolicæ servitutis importans pene importabilium onerum gravitatem nobis angustias timoris & tremoris intulerit, dum considerantes potestatis nobis traditæ majestatem, & solerter attendimus quod circa gerendam Christi vicem in apostolatus officio ministerium nostrum nosmetipsi minus sufficiens reputamus: quia tamen omnipotens Dominus timentibus & invocantibus nomen suum mira tribuit operatione virtutes, confidimus ex alto prospiciens ipsum misericorditer sustentabit, ut quod possibilitas nostra non obtinet, supernæ providentiæ gratia largiatur. Jactatis itaque cogitationibus nostris in illo, sub cujus imperio vivimus & regnamus, ad personam tuam, quam præcipua mentis integritate diligimus, apostolicæ vertimus considerationis intuitum, ut inter ceteros orbis terræ principes a nobis specialius honoretur, & potioribus favoribus extollatur, quem dudum in nostra reclausit viscera per affectum. Quæsumus igitur, fili carissime, quod intento suscipiens animo quæ scribuntur super his quæ tibi in terris tuis videris profutura, nos promta securitate requiras. Nam regiæ serenitati se favorabilem in omnibus exhibebit apostolici favoris & gratiæ plenitudo; te si quidem etiam non petente, proponimus divina favente clementia culmina tuæ magnitudinis incrementis felicibus exaltare.

EPISTOLA III.
Cujuſdam cardinalis.

Promotus in cardinalem ſignificat promotionem ſuam.

(a) LAudate Dominum de cœlis, laudate Laudunenſis (a) eccleſiæ filii, & in canticum æternæ laudis exurgite. Nam exultationem univerſæ terræ dilatans Altiſſimus & ipſam eccleſiam volens honoribus ſublimare præcipuis, ſtatuit quod Iſrael fieret poteſtas ejus, & Iſrael qui regnavit in illa; juſſitque illam propriis quæ in ipſa creverant ſuſtentare columnis, & inſignibus titulis decorari: ut tam laudabili deſcripta vocabulo tamque præfulgidis ornatibus inſignita, mereretur extolli laudibus populorum. Ecce quidem qui patrum pater, immo potius pater univerſalis exiſtit, de ipſius eccleſiæ gremio dudum progrediens, & ex illius gradibus habens ad majora gradatim aſcenſum, tandem præeminentis aſcendit ſolium majeſtatis, ejuſdem eccleſiæ cujus extiterat filius factus pater. Hinc etiam venerabiles patres ab olim. ... & ... nuper dominus. cardin... & nos cum eis, licet immeriti, qui honorum primordia in eccleſia ipſa ſuſcepimus ad cardinalatus apicem dignitatis. Hæc eſt profecto fœcunda genitrix, quæ tantorum & talium filiorum meruit ubertate lætari, & ordinem genituræ convertens, parrem genuit cujus eſt ipſa filia dudum mater. Verum dum ſic laudatur in talibus, lætatur & merito quod orbis Dominum, Chriſti vicarium & quatuor filios tantæ conſpicuos præcellentiæ claritate produxit, nec minus exultat quod opportunis munita favoribus, tuta quieſcit, futura Deo dante præcelſior, & apud ſedem apoſtolicam gratiæ plenitudinem habitura. Cum enim ipſam tantorum patris & filiorum oculi votive reſpiciunt, & ad eam plene gerant dilectionis affectum, poteſtis firmam tenere fiduciam, quod præſervabitur ſtatus ejus a noxiis, & magnificis promovebitur incrementis. Nos autem quamquam in ſuperficie, noſtra conditione penſata, non meruimus ad tanti præeminentiam honoris aſſumi: tamen eo diſponente ſic eſſe, qui diſpenſat prout vult munera gratiarum, ad eamdem eccleſiam, cui tamquam matri nos teneri conſpicimus, gerimus debitæ conſiderationis intuitum, vigilanter ejus profectibus quantum poſſibilitati noſtræ permittitur, intendentes. Ideoque rogamus, quatenus devotionem in nobis cum gradu creviſſe penſantes, & Domino Deo noſtro labiorum vitulos offerentes, ut ſua nos dignetur pietate dirigere per ſuorum ſemitam mandatorum, miniſterium noſtrum in omnibus quæ nobis & eidem eccleſiæ profutura noveritis cum omni fiducia requiratis. Commoda quidem veſtra propria reputamus, & ad ea promovenda poſſe noſtrum liberaliter exponemus.

(a) Hæc epiſtola ſcripta videtur ab Anchero Pantaleone archidiacono Laudunenſi, nepote Urbani IV. a quo ſacra purpura decoratus eſt anno 1261. aſſignato ei S. Praxedis titulo.

EPISTOLA IV.
Ejuſdem ad Laudunenſem eccleſiam.

Promotus in cardinalem offert ſe & ſignificat promotionem.

DUm ſederemus in foribus domus Dei cum humilibus ſervis ſuis, univerſali patri noſtræ ſervitutis obſequia velut filii quos ipſe creaverat impendentes, ſupereminentia deitatis, quæ merita cunctorum excedit & vota, pia nos miſeratione reſpiciens, humilitatem noſtram providentia dicti patris in præeminentia cardinalatus erexit. Cum autem ſubita mutabilitate ſtatus, & inſufficientiæ propriæ conditione penſatis, nos timor & tremor invaderent ad tantæ faſtigia dignitatis aſſumtos, quodam nimirum ſtupore demiſſi, diverſarum cogitationum fluctibus intra præcordia vexabamur, quaſi quid agendum, quid tenendum, quidve penſandum exiſteret hæſitantes. Verum exiſtimantes non eſſe mirandum in ſummi conditoris operibus, qui ſupra cuncta tenens in excelſis imperium, dat eſſe rebus, & diſpenſat prout vult munera gratiarum, cum ſapientiæ ſuæ magnitudinem humani non capiant intellectus, virtutem ſpiritus in ipſo reſumſimus, ſperantes quod in ſemitis ſuis perficiet greſſus noſtros, & ſuæ bonitatis clementia noſtrum miſericorditer videat & ſuppleat imperfectum. Idem igitur ad laudem & gloriam humiliter aſſurgentes, vertimus ad Laudunenſem eccleſiam debitæ conſiderationis intuitum, cui tamquàm matri nos teneri conſpicimus ex debito reverentiæ filialis. In ipſa quidem honorum primordia ſumſimus, ipſa nos fovit ut filium, & eadem ſe nobis gradum conſtituit, per quem licet immeriti conſcendimus ad majora. Hæc eſt profecto quam oculi noſtri votive reſpiciunt, & ad quam plene gerimus ſinceritatis affectum, vigilanter ejus profectibus quantum poſſibilitati noſtræ permittitur intendentes. Ideoque rogamus quatenus Deo noſtro labiorum vitulos offerentes, ut ſua nos dignetur pietate dirigere per ſuorum ſemitas mandatorum, de nobis quibus eſtis fraterna caritate conjuncti, fiduciæ plenitudinem habeatis, ſecure noſtrum mini-

sterium requirentes in omnibus quæ vobis & eidem ecclesiæ noveritis profutura. Cum enim commoda vestra propria reputemus, ad ea promovenda vobis offerimus cum promtitudine cordis & animi posse nostrum.

EPISTOLA V. AD GUIDONEM archiepiscopum Narbonensem.

Vocatur archiepiscopus electus in cardinalem.

PRofundis meditationibus laboriosisque vigiliis urgens ecclesiæ generalis non dissimulanda necessitas, nos & fratres nostros reddit anxios in exquirendis viris secundum cor nostrum idoneis ad cardinalatus præeminentiam assumendis. Opus enim est, cum de talibus agitur, curam assiduam, sollicitam operam, & vigile studium adhiberi, ut insigniendi tantæ titulo dignitatis haberentur devotionis immensitate præfulgidi, consilii maturitate conspicui, discretionis honestate decori, magnanimitate sublimes, & virtutibus præcellentes. In cardine quidem præeminentis apostolatus divina providentia tales voluit confedere ministros, eosque tanti prærogativa sublimavit honoris, ut tamquam membra in unum corpus convenientia, summo pontifici velut proprio capiti deservirent, & existentes ejusdem ecclesiæ columnæ præcipuæ, ipsius onera supportent. Inter alios autem quos omnipotens Deus ad gerendum tantum officium utiles honorare decrevit, nostrum & eorumdem fratrum consilium ad perso-
(a) nam tuam (a) specialiter mentis nostræ convertimus aciem, & pensatis omnibus quæ pensari erga tam ardui qualitatem negotii debuerunt, te in episcopum Sabinensem duximus eligendum. Tu vero prætendens quod ecclesiæ ac provinciæ Narbonensi necessarius habearis, quodque sperabas in illis partibus erga curam animarum gratum Deo sacrificium immolare, ac volens in ea vocatione qua fueras vocatus a Domino remanere, tuis etiam diebus cupiens indulgere quietem, ab onere cardinalatus eximi cum instantia supplicasti, profecto fatemur quod existens ubilibet per opera utilia & exempla laudabilia fructuosus ædificas utiliter ad salutem, & ex data prudentia tibi divinitus scis & potes fructus laudabiles in domo Domini germinare. Talia namque nos potissimum induxerunt, ut te in partem sollicitudinis apostolicæ vocaremus, ut quanto majorem in hac parte laborem assumeres, tanto tibi apud Deum pòtiora præmia comparares. Intendentes igitur commoda publica præferre privatis, & nolentes quod pratextu Narbonensis ecclesiæ, sedis apostolicæ, quæ omnium ecclesiarum caput est & magistra, derogetur honori, supplicationibus tuis non duximus annuendum. Ceterum ne ulterius similis excusationis materiam prosequaris, quin immo beneplacitis apostolicis tua vota conformes, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus omnibus prætermissis infra festum.... ad præsentiam nostram accedas, impositum tibi onus ad laudem divini nominis & ejusdem generalis ecclesiæ suscepturus.

EPISTOLA VI. GUIDONIS cardinalis ad regem Francorum.

Significat cardinalis regi promotionem suam.

NOva quæ de nostræ promotionis novitate missa cedula continet, afferens celsitudini regiæ lætitiæ jubilum, regiis affectibus eo desiderabilius adhærebunt, quo tenerius in sinu suæ dilectionis ipse nos fovit hactenus, nec pura temeritate fovere desinit, & tenere id quidem velut nostræ menti infixum confidenter asserimus. Nam illam & placiditate verborum ac prosecutione operis assidue nobis aperuit regalis benivolentiæ plenitudo. Vos igitur amabiles inter ceteros principes orbis terræ, in tabulis nostri cordis conscripsimus, vosque diligentius interni luminis acie contemplamur, ac frequentius desideria nostra nos excitant, ut ad vestra beneplacita quidquid nostra possibilitas obtinet exponamus. Sane dum sederemus in foribus domus Domini cum humilibus suis impendentes universali patri nostræ obsequia servitutis, supereminentia deitatis quæ merita cunctorum excedit & vota, pia nos miseratione respiciens, humilitatem nostram per ipsius patris providentiam in præeminentiam cardinalatus assumsit. Hoc profecto vobis intimantes ad gaudium, rogamus quatenus devotionem in nobis cum gradu creviisse pensantes, ad omnia quæ vobis sint placita Jordani sollicitudinem solito securius requiratis. Mens enim ejus super illa magis invigilat, & vigilantis manus ad opera se promtas offerunt & paratas.

(a) Guidonis Fulcodii scilicet, qui a S. Ludovico Francorum rege in secretius consilium allectus, omnium amorem & admirationem sibi conciliavit; factus postea Aniciensis episcopus, deinde ad sedem Narbonensem translatus, anno 1261, cardinalis Sabinensis ab Urbano IV. est creatus, eidemque defuncto in sedem apostolicam subrogatus est.

EPISTOLA VII.
Ad capitulum S. Petri.

Ut non sepeliant corpora indevotorum in ecclesia.

EXistentes in principis apostolorum basilica, & ubi sanctissimum corpus ejus celebri memoria requiescit, & a qua cunctæ per mundum ecclesiæ, ab ipso pene christianæ religionis exordio, exemplum sanctæ B conversationis & normam sumsere vivendi, tanta deberetis actus vestros gravitate pensare, & tanta circumspectionis discretione dirigere, ut nihil inveniretur in eis, quod oculos divinæ majestatis offenderet, nihilque posset in mentibus fidelium ad ipsam ex diversis mundi partibus devota frequentia confluentium, scandalum suboriri. Sed proh dolor! sicut veridica relatione, & frequenti assertione multorum accepimus, ut de aliis sileamus, ad præsens loco & tempore castigatione debita puniendis, erga sanctos quorum glorioſissima corpora in eadem basilica requiescunt, sic indevote vos geritis, sic vos irreverenter habetis, quod etiam contra canonicas (a) sanctiones mortuorum corpora, quasi passim in ipsa, in qua vix passus pedis vacat sepultura sanctorum, præsumtione temeraria tumulatis, cæcæ cupiditatis illecebritate seducti potius, quam miseratione pietatis inducti. Inde fit, ut plerumque sepultura reverenda sanctorum, quæ antiquorum patrum sancta devotio debita diligentia consignavit, ausu sacrilego violantes, cum piis impios, cum justis injustos, & cum sanctis fontes dispari consortio ac societate damnabili impie sociatis. Quod quam sit detestabile in conspectu Dei & hominum; & quam horrendum nemo sanæ mentis ignorat. Cum igitur hæc, per quæ Deus omnipotens provocatur, hominum decrescit devotio, & sanctorum reverentia conculcatur, non debeamus nec velimus sub dissimulatione transire; mandamus vobis artius inhibentes, ne aliquam ecclesiasticam sæcularemve personam deinceps in præfata sepeliatis basilica, vel permittatis ab aliis sepeliri, absque licentia & mandato sedis apostolicæ speciali.

(a) Sepulturas in ecclesiis fieri vetant concilium Bracarense 2. can. 18. conc. Vasionense apud Gratianum. 13. q. 2. c. concilium Nannetense apud Burchardum & Ivonem. Capitulare Theodori Cantuariensis archiepiscopi cap. 68. Spic. tom. 9. Capitulare Ottonis episcopi Verdunensis cap. 23. Spicilegii tom. 8.

EPISTOLA VIII.
Ad regem.

Respondetur regi, quod ad petitiones suas promotus est in archiepiscopum.

VEnerunt in apostolicæ mentis affectum pro archiepiscopo preces ex parte regia destinatæ, quæ rationibus fultæ potissimis, ut pote de regio pectore prodeuntes, & promotionem viri benemeriti postulantes, fuerunt ad gratiam exauditionis admissæ. Ipsum enim tunc Camerarium & capellanum nostrum ecclesiæ Burdegalensis in (b) archiepiscopum præfecimus & (b) pastorem, sperantes, quod dum in hoc tua vota complevimus, status ejusdem ecclesiæ prospere creverit, cum ei de persona multipliciter idonea sit provisum. Eumdem igitur, quem multæ nobis affectionis instantia commendasti, habeas, quæsumus, opportuni favoris gratia commendatum, prout munitus apostolicis regiisque præsidiis, possit ejusdem ecclesiæ curam facilius gerere ac efficacius ipsius negotia promovere. Inter alia vero regem litteris & specialibus nuntiis interpelles, ut nos in dicto archiepiscopo contempletur, & cum sua benivolentia prosequatur, faciendo sibi & ecclesiæ præfatæ bona restitui, quæ a certis personis eidem regi subjectis detinentur, sicut accepimus, occupata; & taliter in hac parte manum sui favoris extendat, quod Deo reddatur acceptior, & apostolicæ sedi placeat, & mereatur extolli dignis laudibus exinde nomen ejus.

(b) Is fuit Petrus de Roscida-valle Summi pontificis capellanus & camerarius, regis Navarræ eleemosynarius, Campaniæ Stylifer, anno 1261. archiepiscopus Burdigalensis creatus.

EPISTOLA IX.
Ad abbatem Cistercienſem & capitulum generale.

Quod non servent statutum editum contra conversos de radendo barbam.

IN decore sanctæ religionis & fidei, sub virtutum Domino militantis ipse rex æternus & ecclesia generalis exultant, vosque ad alta prægrandium virtutum gradibus conscendentes, trahitis ad divinæ majestatis obsequium alios per exempla. Propterea nos ordinem vestrum, quem devotionis claritate prælucere conspicimus, infra nostri pectoris ubera complectentes, circa ipsum paterna sollicitudine vigilamus, ut Deo propitio protegatur a noxiis, salubria semper incrementa suscipiat, & pacis affluat ubertate. Ad nostrum si quidem pervenit

auditum, vos noviter ſtatuiſſe, quod monachis liceat duodecies (*a*) in anno raſuram celebrare barbarum, converſis ad hujuſmodi ſtatuti licentiam non admiſſis, ea ratione potiſſimum quod monachorum dumtaxat intereſſe dinoſcitur, ut dejecta ſuperfluitate pilorum poſſint mundius & liberius ſumere Corpus & Sanguinem Domini JESU-CHRISTI. Unde cum hoc non ſic debuerit monachis ſolum ſufficere, quod dicti converſi, qui tantis laboribus, preſſuris & anguſtiis, velut dici & æſtus portantes onera, multipliciter affliguntur, a talis conſolationis excludi participio mererentur, vobis mandamus quatenus penſantes provide, quod hoc eſſet zizaniæ ſeminarium, & diſcordiæ nutrimentum, quodque ſicut accepimus, jam in aliquibus locis ordinis diſſenſionis eſt exinde materia ſuſcitata; converſos eoſdem volumus ſupernæ caritatis unione conjunctos, non faciatis gratiæ dictæ conſolationis expertes; quin immo vobis & eiſdem juxta tenorem præfati ſtatuti radendi licentia ſit communis: ne, quod abſit, illos quos idem habitus ſub eadem in Domino religione conjungit, violenter animorum diverſitas ſeparet a vinculo debitæ caritatis. Preces igitur & mandatum apoſtolicum ſuper his taliter adimplere curetis, quod vobis in ſolita fraternitatis exiſtentibus unitate, prædictus ordo ſplendore ſolitæ caritatis præluceat, & ad ipſum devotionis integritas, a Chriſti fidelibus habeatur, ac in eorum mentibus quidquam adverſi prætextu diſſenſionis hujuſmodi non emergat, nec in his noſtri partes officii per aliud remedium oporteat interponi.

(*a*) Hoc ſtatutum anno 1257. editum reperies a nobis publici juris factum Anecdotorum tom. 4. ſequenti anno 1258. decretum fuit, ut converſi *quandocumque monachi raſuram habuerint, & ipſi habeant, ut in ordine uniformitas obſervetur.* Unde mirum eſt Urbanum IV. qui anno 1261. Summus pontifex creatus eſt, hic conqueri quod ſtatutum de raſura converſis non ſit commune, niſi forte quis dicat ſtatutum illud a quibuſdam fuiſſe neglectum, aut diploma illud ſpectare ad Alexandrum IV.

EPISTOLA X.

Nomine ſummi pontificis ad canonicos B. Mariæ.

Redarguuntur canonici quod inhoneſte degunt in baſilica beatæ Virginis.

COmmotis præ dolore viſceribus, cogimur, nec mirum, quod veſtrum protulit facinus, in noſtrum pervenit auditum, non ſine gravi turbatione referre: vix compeſcendi motum animi poſſibilitatem habentes. Quoniam explicare vobis oretenus quæ præſentibus intimantur, & appoſitum circa hæc correctionis opportunæ brachium nos perſonaliter adeamus, ne quaſi negligentes & trepidi culpam aliorum noſtram facere videamur. Ecce ſiquidem, ſicut horribili refertur infamia, quidam veſtrum infra cryptam baſilicæ gloriosæ Virginis, quæ caſtitatis mater, pudoris aula, pudicitiæ conſervatrix & munditiæ vas exiſtit, conſtituere lupanar ibidem, in crucifixi & ſuæ genitricis opprobrium, exterminationem famæ, propriæque ſalutis perniciem meretricium exercendo. Numquid non veretur illorum temeritas, quod exeat vox querelæ Matris ad Filium, ut tanta puniatur enormitas, & pœnæ gravitas redeat poſteris in exemplum? Væ miſeris impia cæcitate confuſis. Nam licet multa ſuperna patientia toleret ultro, tamen tanto punit acerbius, quanto multiplicare delicti graviorem pœnam delinquenti noverit inferendam. Nos autem, qui de mandato ſummi pontificis curam dictæ baſilicæ gerimus, mandamus quatenus detis communiter operam, ut ulterius a tam nefando ſcelere deſiſtatur. Nam ſi quem invenerimus tanti criminis præſumtorem, taliter in eo præfatæ Virginis injuriam ulciſcemur, quod non erit dum vixerit immemor ultionis.

EPISTOLA XI.

Datur protector ordini fratrum Minorum.

AGrum virtutum, cui Dominus benedixit ordinem Minorum videlicet in præcelſæ ſublimitatis ſpeculam præluentem ſollicitudinis intentæ ſtudio colimus, ut ſoliti ſalutis fructus populo chriſtianæ profeſſionis, de illius ubertate proveniant, & de ipſius ſplendore quaſi ſolari radio ſuſcipiant ſingulis claritatem. Ad illius namque munimen & protectionis opportunæ præſidium talem deſideramus deputari perſonam, per quam, Deo propitio, præſervetur a noxiis, & proficiat jugiter felicibus incrementis. Cum itaque generalis & quidam alii miniſtri ejuſdem ordinis, qui ex forma regulæ ſuæ teneri per obedientiam dicebantur, ut a nobis aliquem de fratribus noſtris in protectorem dicti ordinis poſtularent, ad ſedem apoſtolicam accedentes, nobis humiliter ſupplicarunt, ut tibi ſpecialiter protectionem hujuſmodi committere curaremus, nos de tuæ circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinentes, & præcipuo deſiderantes affectu, quod idem ordo & fratres ipſius ſtabiles in fide catholica perſiſtentes, paupertatem & humilitatem ac ſanctum evangelium Domini noſtri JESU-CHRISTI, prout firmiter promiſerunt, obſervent; gubernationem, protectionem & correctionem dicti ordinis, & totius fraternitatis ejuſdem,

auctoritate tibi præsentium duximus committendas. Quocirca mandamus, quatenus onus hujus commissionis devote suscipiens, circa salubrem curam præfati ordinis vigilanter intendas, ut in ipso perenniter vigeat gratia solitæ caritatis, eodemque fructus salutiferos ad honorem divini nominis & animarum commoda producente, condigna tuis laboribus præmia superna providentia recompenset, ordinandi nihilominus, statuendi, & faciendi omnia per te, vel alium, seu alios, tam in spiritualibus quam temporalibus, quæ ad salubrem statum memorati ordinis generaliter & specialiter expedire videris, prudentiæ tuæ facultatem liberam concedentes. Ceterum statuimus & volumus, ut in monasteriis & locis eisdem per fratres ordinis Minorum divina celebrari officia & personis inibi degentibus ministrari facias ecclesiastica sacramenta, & alia exerceri quæ dicti fratres eorumdem prædecessorum tempore tunc ipsam curam exercentium gerebant. Contra &c. Ideoque volumas mandantes quatenus onus ejusmodi promta devotione suscipiens, & curam tibi commissam eamdem vigilanter intendens, dictum ordinem S. Damiani protegere ac fovere, defendere ac manutenere procures, &c.

Sequitur alia bulla pro sororibus ordinis S. Damiani quibus etiam eumdem protectorem assignat.

EPISTOLA XII.

Committitur officium legationis.

(a) AD (a) altitudinem cordis nostri, ut Deus exaltetur, attendimus, apponentes manum nostræ possibilitatis ad operam, quam opportunam in terris novimus, & speramus fore placitam in excelsis &c. Nos igitur in hac terrestri patria gerentes, licet immeriti, vices ejus, levamus vigiles, more pastoris, tam corporeos quam mentales oculos, in circuitu visuri quid gregi commisso nobis expediat, & quid operis impendi debeat in idipsum, ut illius fulti præsidio, cujus sunt terræ cardines, a quo cogitationes hominum præparantur, quique arcus fortium superat, & infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter & utiliter exponamus, ad ea quæ fidelibus necessaria populis expedire viderimus & noverimus profutura. Sane licet christicolarum singulæ regiones Deo & apostolicæ sedi devotæ favorem apostolicum mereantur, nosque ad eas nostræ considerationis diffundamus intuitum; tamen inclytum regnum Franciæ, velut recreationis nostræ pomœrium, infra claustra nostri pectoris prædilectione portamus. Hoc enim est regnum cui Dominus benedixit, regnum cui præsidet rex devotus, carissimus Romanæ ecclesiæ filius, & utilissimus advocatus, cujus tota domus regia sinceræ fidei claræque devotionis titulis insignita & aromatibus imbuta virtutum, in gremio dictæ sedis, & in nostro prædilecta recumbit. Idem quoque regnum producit viros egregios, barones, plurimosque magnates, & generosi sanguinis & elegantis probitatis nobilitate præclaros, haberi sollicitos apud sedem eamdem suorum gratia meritorum acceptos, nec alium ipsius regni populum subticemus, quem semper dicta sedes invenit in solita devotione constantem, vel ut in petra fidei radicatum. Ipsum nempe negotium regium censeri solet merito laude dignum. Nam in eo cultus orthodoxæ fidei suscipiebant jugiter incrementa vigoris & libertas ecclesiastica munimentum. Decens est igitur, ut circa illud fervor nostræ dilectionis exuberet, & de sui status prosperitate cum affectionis paternæ plenitudine cogitemus. Unde cum hostis humani generis pacis æmulus, & zizaniæ seminator, in eodem regno turbationes & scandala suscitarit, satagens dulces amaricare terrestris delicias paradisi, nos exinde graves suscepimus & amaras in corde puncturas, non sine immensi doloris acerbitate, dum miserabilis illius regni conditio, & commissorum ibidem enormitates excessuum, infra præcordia revolvuntur, profundis meditationibus, laboriosisque vigiliis anxiamur, ut in tantæ necessitatis articulo possimus, auctore Domino, consilium adhibere. O utinam desuper datum esset, ut cum honore Dei & ecclesiæ ac salubri statu fidelium posset commode circa tantum negotium exhibere se nostra præsentia corporalis. Quod ubi mente vigilanter existimus, ibi præsentialiter proprios explicaremus affectus. Verum quia innumera negotiorum varietate distrahimur, & humana natura non patitur, ut ejusdem essentia corporis tota simul in diversis locis exhibeat se præsentem, illos in partem apostolicæ sollicitudinis de latere nostro nonnumquam assumimus, quibus fore percipimus cœlesti dono provisum, ut multis & arduis negotiis sciant & possint provide consulere, ac utili consilio providere. Attendentes itaque quod personam tuam Altissimus scientiarum magnitudine, providentiæ munere, circumspectionis gratia, industriæ claritate, multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adjiciens, ut ad laudem divini nominis frequenter onera supportantes, plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud eamdem sedem ex eminentia tui consilii valde necessarius habearis, & inviti tanti viri præsentia careamus; tamen propter

(a) Hæc epistola directa videtur Simoni de Bria cardinali, quem Urbanus IV. legatum misit in Galliam.

propter urgentem & inevitabilem neceſſitatem partium earumdem, fraternitati tuæ in prædicto regno committimus auctoritate præſentium cum plenæ legationis officio vices noſtras, ut tibi tam ſuper reformatione pacis, quam ſuper omnibus aliis tam ſpiritualibus quam temporalibus, velut noſter vicarius & apoſtolicæ ſedis legatus, agere, diſponere, ordinare, ſtatuere ac præcipere, prout expedire videris, plene poſſis, conceſſa tibi auctoritate contra rebelles quoſlibet per ſuſpenſionis vel excommunicationis, aut ammonitionis, ſeu depoſitionis ſententias, aut aliam ſpiritalem & temporalem diſtrictionem, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, quibuſlibet privilegiis ſeu indulgentiis apoſtolicis, per quæ nullum cuiquam in hac parte volumus afferri ſuffragium, nequaquam obſtantibus, liberam facultatem.

Poſt aliquot bullas committitur inquiſitio ſuper meritis Joannis de Monte-mirabili, monachi Longi-pontis canonizandi. Item ſequitur canonizatio Ricardi Ciſtercienſis epiſcopi.

EPISTOLA XIII.
Ad eccleſiam Laudunenſem.

Quod diligenter Deo ſerviatur in eccleſia Laudunenſi.

LAudunenſem eccleſiam proſequimur affectu paternæ caritatis ut filiam, quæ nos dudum in minori officio conſtitutos, ut pote ſeu membrum collegii, fovit & promovit ut filium, & tandem ad majora provectos facta de matre filia, diligit reverenter ut patrem. Digne igitur illam oculo noſtræ ſerenitatis inſpicimus, & cordetenus digne ipſam felici cupimus gubernaculo dirigi, & culmine proſperitatis augeri, nec plurimas temporum veſtras medicando circa ſalubrem ſtatum ejus peragimus, ut Deo reddatur accepta, & creſcat devotio gentium circa eam. Sane dum eam contemplamur interius, & audimus quæ de ipſa exterius per famam, & utinam non per infamiam referuntur, eo gravior doloris acerbitate torquemur, quo tenemur illam diligere, & in noſtris viſceribus locum obtinet potiorem: graviter enim cor patris offenditur, ſi filiorum decor quavis macula denigretur, cum creſcat in paterni decoris augmentum, ſi filius converſationis & vitæ laudabilis & morum pudicitia venuſtetur. Recolimus ſiquidem, nec eſt a noſtra, ſicut accepimus, notitia peregrinum, fuiſſe præfatam eccleſiam ab antiquo viris diſcretione præditis, Deo devotis, & divinis interius obſequiis redimitam, & a quibus non moleſte, ſed ſuaviter jugum divinum ferebatur; nunc autem, proh dolor! ſicut ad noſtrum pervenit auditum, nonnulli veſtrum ſibi negandi licentiam ſibi medicantes ad libitum, & ab eadem eccleſia quam habere videntur odio, fugientes horis intereſſe canonicis, & officium ac ſpecialiter pſalmos addiſcere pro ſua voluntate contemnunt, prætermittentes *hæc & alia, quæ ſervare conſueverant* ibidem ſecundum antiquæ debitum honeſtatis. Numquid domus Dei ſic eſt a ſuis habenda contemtui? numquid licet talibus de crucifixi patrimenio ſuſtentari? hi profecto ſtipendia eccleſiaſtica non merentur, qui humeros ab onere ſubtrahunt, obſequi negligunt & fugiunt a labore. Cum igitur hoc in vobis tanto potius deteſtemur, quanto vos & eamdem eccleſiam majoris dilectionis brachiis amplexamur, tantoque magis oculos divinæ majeſtatis offenditis, dum vigilare cum matre veſtra negligitis, de cujus uberibus lac dulcedinis ſumitis & gratiæ percipitis alimenta. Rogamus mandantes, quatenus actus ac mores veſtros de bono in melius reformantes, ſic in divinis obſequiis intendatis, quod ſic in eadem eccleſia placitum impendatis virtutum Domino famulatum, quod in obloquentium labia non inveniant quod depravetur in nobis, quin immo mundi per vitæ munditiam, gravitate morum & operum claritate effecti, vos ad ſuſcipienda dona gratiæ coapteris, & noſtram gratiam valeatis uberius promereri, nec aliud ſuper his oporteat remedium adhibere.

EPISTOLA XIV.
Ad regis filiam.

Conceditur filiæ regis, ut ſi pater eam monachaverit, poſſit redire ad ſeculum.

PAterna domus tua, filia cariſſima, cœleſtis gratiæ rore perfuſa, chriſtianiſſimos principes offerentes Domino in devotionis ſpiritu vota ſua, laudabili ſemper ſucceſſione produxit, in quibus timorem ſuperni numinis & amorem ſic divina providentia radicavit, quod eorum cogitatus & opera beneplacitis æterni patris promtis & continuis ſtudiis adhæſerunt. Nimirum igitur ſi rex pater tuus qui præpollet ſuis progenitoribus excellentia meritorum, habens potius ad ſuperna quam ad terrena reſpectum, ipſi Deo te, quam tenerrime diligit, offerre diligenter deſideret, ut illi actu ſub regula & habitu Ciſtercienſis ordinis laudis ſacrificium ſtudeas immolare: Nos autem qui ad perſonam tuam infra pubertatis annos, ſicut accepimus, conſtitutam, intuitum paternæ conſiderationis dirigimus, & zelamus tuæ ſalutis augmentum; penſantes proinde quod ipſa ætas impuberum ob ſui temeritatem varia poteſt inſtabilitate mutari, dignum duximus ſuper

hoc tibi salubri consilio providendum. Ideo A discretioni tuæ prædicti ordinis habitum sive jam assumseris, vel te illum assumere forte contigerit, dimittere cum perveneris ad tempora pubertatis, etiam si medio tempore professionem feceris in eodem, ad sæculum si de tua voluntate processerit, sine cujuslibet infamiæ nota libere redire valeas, non obstantibus ejusdem ordinis aliquibus consuetudinibus vel statutis contrariis &c. & quibusvis indulgentiis apostolicis concessis aut in posterum concedendis, per quæ super tuo possit tibi obstaculum quodlibet interponi, de apostolicæ plenitudine potestatis autoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c B

EPISTOLA XV.

Indulgentia pro pauperibus clericis Parisius studentibus.

PArisiensis universitas velut fertilitatis ager fructus uberes proferens, in quo genera scientiæ colliguntur, producit viros virtutum varietate fœcundos, quorum gratiosa fœcunditas in alios affluenter C effunditur, parvos magnificans, rudes eruditens, & debiles efficiens virtuosos. Horum quidem in desiderium miræ bonitatis, ut incomparabilem acquirerent litterarum dogmatum margaritam, & ejus pocula sitientibus propinarent, humiliare seipsos, & incurrere paupertatis incommoda non curarunt, illam quasi divitiarum plenitudinem reputantes. Verum ne sic gravaret illos extrema rerum necessitas, quod in eis decus magisterii ejus claritate per habitus vilitatem obnubilata vilesceret, universitatis præfatæ consilium digna consideratione providit, ut iidem magistri pauperes D Parisius commorantes, in unum congregati consortium, de fidelium subsidiis alerentur. Sperantes igitur quod eisdem subvenire pauperibus inter alia pietatis opera divinæ clementiæ sit acceptum, volumus quatenus de bonis vobis collatis a Domino studeatis eis manum porrigere caritatis, ita quod ipsi sustentari commode valeant & vos &c. nos enim &c.

(a) EPISTOLA XVI. (a)

Quod exhumetur regina & transferatur corpus ejus.

CIrca prosequendum regni tui negotium, quod juxta sedis apostolicæ beneplacitum assumsisti, te ad partes Italiæ

(a) Hæc epistola videtur esse Clementis papæ IV. ad Carolum I. Siciliæ regem, cujus uxor Beatrix ipsius tempore defuncta est.

transferente, claræ memoriæ uxor tua sequens, prout debitus exposcebat affectus, ad idem regnum se transtulit, ibique, sicut Domino placuit, viam extitit universæ carnis ingressa. Ut itaque remota de terris ad cœlestem patriam sanguinis proximitate conjunctis per corporis relicti præsentiam in remedium consolationis accedat, faciendi corpus ipsum tolli de tumulo & ipsum in civitate Aquensi deferri, ac apud ejusdem loci majorem ecclesiam solemniter, prout decet magnitudinem regiam sepeliri, celsitudini regiæ plenam auctoritate præsentium concedimus facultatem.

CLEMENTIS PAPÆ IV.

Ad electum Remensem.

Ejus confirmat electionem.

ELecto Remensi. Nobilis & veneranda Remensis ecclesia, per obitum bonæ memoriæ THOMÆ Remensis archiepiscopi proprio destituta remige, immo sui remigii viduata magistro, periculis viduitatis exposita, discriminibus variis patuit, & litigiorum collisa fluctibus, in illorum procellis diutius fluctuavit. Licet enim dilecti filii decanus & capitulum Remense ad electionem futuri pontificis infra tempus legitimum intendentes, ad personas egregias & sublimes, prout ecclesiæ ipsius præcellens status & dignitas exigebant, sua desideria direxissent; votis tamen eorum in diversa divisis, contigit in ea duas electiones, unam videlicet de dilecto filio nostro G. tituli S. Marci presbytero cardinale; reliqua vero de te in discordia celebrari. Quibus ad examen felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri delatis; cum fuisset super eis prædecessoris ipsius tempore diutius litigatum, nos tandem eidem prædecessori, prout domino placuit, in apostolatus officio substituti, ecclesiæ compatientes eidem, ad id convertimus apostolicæ sollicitudinis studium, ad hoc aciem considerationis nostræ direximus, ut ecclesiæ Romanæ indemnitate servata, præfata Remensis ecclesia nequaquam amplius prolixioris vacationis incommodis subjaceret; sed a viduitatis exemta dispendiis, & adjuta celeri ac opportuna substitutione, pastoris illius gereretur & dirigeretur salutari regimine, qui utiliter ejus gubernacula regeret, & ipsam in spiritualibus ac temporalibus salubriter gubernaret. Attendentes itaque quod idem cardinalis tamquam vir eminentis scientiæ, profundi pectoris, alti consilii, experientia longa in magnis probatus & arduis, quamquam ad præfatæ Remensis ecclesiæ regimen, ad quod petebatur instantius, perutilis haberetur; tamen eidem ecclesiæ Romanæ magis necessarius

Anno 1262. Ex reg. Vaticano. Originali Romani erat Malebranca.

& fructuosus habetur: & ideo communem, A quod proculdubio privatam complectitur, utilitati privatæ non immerito præferentes, cardinalem eumdem, quo non poteramus sine indecentia etiam ejusdem ecclesiæ Romanæ carere, in vocatione in qua vocatus est ad sedem apostolicam, de fratrum nostrorum consensu duximus retinendam. Sicque cum in hujusmodi negotio sola tui juris discussio supereſſet, nos illud excussimus diligenter; & comperto quod a majori parte capituli fuisti electus, nec aliquid efficax tibi fuerat oppositum, propter quod deberet electionis tuæ confirmatio B impediri, nisi omissio collationis zeli ad zelum, & meriti ad meritum, quam tamen procurator tibi contradicentium, qui causam pro ipsis exstitit prosequutus, asserait se credere interveniſſe potius quam fuisse omissam, nos jocunda & delectabili meditatione pensantes, quod in te generis clari prosapia & virtutum claritas sic se mutuis excedunt excessibus, ut alterum non deprimatur ab altero, sed potius extollatur, dum genus virtutes ingeminant, & illas generis sublimitas latius eminens eminenter ostentat; cum fratribus eisdem plena C deliberatione præhabita, quamquam de oppositione hujusmodi non constaret: immo per assertionem dicti procuratoris, ut præmittitur, liquere de contrario videretur, de ipsorum fratrum consilio, defectum hujusmodi electionis tuæ, si forsan intervenit, supplentes, de apostolicæ plenitudine potestatis, confirmavimus electionem eamdem, & te sæpefatæ Remensi ecclesiæ præfecimus in archiepiscopum & pastorem, sperantes firmiter, quod actus tuos illo dirigente, qui novit & regimen tuum in eadem ecclesia prosperum faciente qui potest, spiritualiter & temporaliter & D tuo felici ministerio exaltabitur status ejus. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus injunctum tibi onus humiliter & devote suscipiens, sic illud solerter exerceas, quod tandem villicationis tibi commissæ redditurus in tremendo judicio rationem, talenta credita duplicata ei qui credidit repræsentes; sicque super gregem tuæ curæ creditum sollicitas studeas custodire vigilias, ut una cum ipso mereari, eodem veniente sponso, ad paratas ipsius Agni nuptias introire. E Datum Viterbii idibus Julii pontificatus domini Clementis anno ij.

CLEMENTIS PAPÆ IV.

Ad Philippum Galliæ regis primogenitum.

Laudat ejus modestiam.

Dilecto filio Philippo primogenito carissimi in Christo filii illustris regis Franciæ.

Dilectus filius magister Matthæus capellanus noster, carissimi in Christo filii nostri illustris regis Navarræ clericus, de tuæ juventutis primitiis nobis rumores attulit, in tuarum consideratione virtutum patris gratos auditui, cujus animum gaudio & lætitia in ipsa delectabile relatione perfudit. Retulit namque quod cum ipse venturus ad curiam, te, si velles nobis mandare aliqua, requisisset; tu, sibi laudabili humilitatis eloquio respondisti, quod nos salutares benignissime, si auderes. Sane fili carissime, in his cum multa exultatione notavimus tuam miram proculdubio in tanta teneritate modestiam, & jocunda consideratione collegimus, extollendam in tanta generositate maxime datam tibi a Domino humilitatis gratiam, nec minus mirabilem, præsertim in tali juventute, prudentiam, diligenter nimirum attendimus & gaudenter. Numquid enim non debuit in hoc attendi prudentia? numquid non debuit considerari humilitas, vel modestia non notari, quod tu proles regia, & post tui progenitoris tempora, Deo auctore, longæva, heres regni futurus, miro humilitatis genere, modeste notam cujuslibet præsumtionis evitans, ætatem supplente prudentia, dicis te non audere patrem, qui tamen te tamquam filium spiritualem geris in visceribus caritatis, salutationis elogio visitare? porro, fili benedictionis & gratiæ, talia virtutum aromata de te indubitate promittit tui generis præclara prosapia: talia de te spondet progenitorum tuorum recolenda memoria. Hæc de te læti recipimus, hæc de te speravimus hactenus, & adhuc profecto majora, divina gratia favente, speramus. Verum licet admodum gaudeamus, te pollere virtutibus; licet paterno more lætemur, te ipsarum prærogativa vigentem ætatis tempora prævenire; quia tamen a te libenter salutationis verba recepimus, quia preces tuas parati sumus grataner audire, quia tuæ sinceritatis litteras lætis inspiceremus aspectibus, nolimus de præsumtione notari timeas vel de audacia reprehendi, si spirituali patri erga te viscera dilectionis & affectionis paternæ gestanti, tu tam devotus, tam carus filius tuæ devotionis & salutationis repræsentas affatus: sed quæsumus ad nos promta securitate recurre, preces nobis secure porrige, ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo possumus, admittendas.

A

EPISTOLA GREGORII PAPÆ X. Ad Francorum regem.

De sua in papam electione &c.

Anno 1272. Ex reg. Collectan.

GREGORIUS electus episcopus, &c. Regi Franciæ illustri, Gloria in Altissimi, &c. *ut apud Odoricum Raynaldum ad annum* 1272. *n.* 9. *usque* liberavit Accedit etiam ad grande nostræ fiduciæ fulcimentum, tua & aliorum catholicorum principum considerata devotio, per quos speramus, sic in commissæ nobis solicitudinis B executione fulciri, quod te ac ipsis utiliter & efficaciter intendentibus commisso regimini, populus christianus præmiorum exhortatione, ac comminatione pœnarum correctus a vitiis, & ad virtutes erectus, in via mandatorum domini dirigatur. Propter quod tuum tuorumque progenitorum affectum ad Romanam ecclesiam meditatione debita recensentes, tibi nostrarum litterarum primitias destinamus, quibus serenitatem regiam monemus & hortamur in Christo, rogantes attentius, & in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus ipsorum progenitorum laudabilia imitando vestigia, eamdem ecclesiam matrem tuam honorare studeas & fovere, sic in populo tuæ ditioni subjecto, potestate tibi tradita errata corrigens, & pro viribus peccata compescens, quod in eo mansuetudo superveniat, & correctio subsequatur. Reddatur Domino populus ejusdem voluntatis, acceptæ pacis ex hoc proculdubio commodis potiturus. Scimus enim, &c. *usque* quiescat. Nos sane tibi fili carissime, affectum caritativæ benignitatis expandimus, D & sinum caritatis solidæ aperimus, proponentes, quantum cum Domino poterimus, regiæ dignitati deferre, ac tua &c. regni commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteris, in promtitudine benevolentiæ promovere. Nec miteris quod bulla non exprimens nomen nostrum est appensa præsentibus, quæ ante consecrationis & benedictionis nostræ solemnia transmittuntur. Quia qui fuerant hactenus in Romanos electi pontifices, consueverunt in bullandis litteris ante suæ consecrationis & benedictionis munus modum hujusmodi ob- E servare. Datum Viterbii IV. nonas Martii susceptι a nobis apostolatus officii anno I.

EPISTOLA BERARDI DE NEAPOLI ad Gregorium papam X.

Congratulatur ei de sua in papam creatione.

Anno 1272. Ex ms. Colbertino.

SAnctissimo in Christo patri, &c. B. de Neapolis angelica junioris Tobiæ ad celerem reditum, comitiva lætari & pedum oscula beatorum.

Quantam, pater sancte, concesserit virtus Altissimi sponsæ suæ gaudii & exultationis in vestra promotione materiam, considerata prudenter exacta vacationis tempora evidenter insinuant, & patenter considerationis attentione discussa, illius incommoda manifestant. Siquidem, ut cetera prætereantur silentio, in eorumdem temporum molestorum decursibus eadem mater ecclesia, dum ad editionem spiritualis patris & filii sponsi anxia niteretur, parturientis partes experiens, conatus prosequens, & molestias proferens, doloris instar illius eo sensit acerbius, quo erat profecto molestius, quod magno proculdubio pariendi necessitas inerat, intensa nimirum C voluntas aderat, sed collidentibus in utero filiis, conveniebatur ad partum, virtus saltem efficax non subsistuit pariendi. In his, inquam, temporibus navicula piscatoris vicarii JESU-CHRISTI, vehementibus excitatis undique flatibus & procellosis fluctibus concitatis, absque remigis temporalis auxilio, immo sui remigii viduata magistro, sic innumeris periculis patuit, quod desperationis naufragio humano judicio exposita videbatur. Numquid igitur, pie pater, non grandis causa lætitiæ parienti post parturitionis angustias, votivo partu edito superatas, quarum sic memoriam abolet in lucem producti nati jocunditas, qui, sicut insonat evangelicæ veritatis tuba dulcisona, propter gaudium non meminit jam pressuræ? Numquid non ingens exultatio naviganti, quod ipsius ad partum deducta felicitas, gravibus restitit impulsibus, tumentium virtutes calcavit fluctuum, & fructum laboris optatum consequitur, quem anxius sequebatur? Porro nec labor sponsæ dissimilis, nec illius dispar exitus inquirendo dilectum. Quæsivit etenim, & post difficultates varias & anxietates innumeras, quem quærebat invenit, inventumque solido tenens affectu, usque ad transmarinas (*a*) partes in odorem unguentorum nostrorum cucurrit. Et cum in nos non hominum industria, sed divina providentia graviter discordantium in antea concorditer vota concurrerent, pessulum ostii sui, dilecto suo aperuit, quem quia per absentiam decli-

(*a*) Quippe Thealdus Placentinus, archidiaconus Leodiensis, cum electus in papam fuit, in Syria apud Ptolemaïdem versabatur cum Eduardo Anglorum regis primogenito.

nasse comperit & transisse, festiva denuntiat, quod amore langueseit, sponsique sui dilatos nimium, sed desideratos admodum implorans amplexus, instanter petit & humiliter expetit, ut in revertendo celeriter sitis similis capreæ hinnuloque cervorum. Ceterum, pater & domine, in prætactorum summatim exclusione discriminum, cunctis catholicæ religionis communionem habentibus, communis præstantur excitativa tripudii. Sed inter cereros dudum vestros devotos & notos, inde etiam singularis plausus & jubili de familiaris commemoratione notitiæ non levis indulgetur occasio de vestrarum consideratione virtutum, quas notam adulationis abhorrens stilus succincte pertransit, non quævis causa succrescit. Verum, ut cunctorum gaudium impleatur, quantum præcedentium laborum fatigatio patitur, festinate, pie pater, ad sponsam: ut desiderata, & Deo favente per utilis vestra præsentia, discriminibus nationum inductas molestias relevet, damna resarciat, ruinas impleat, & sic ipsius sponsæ genas in desiderio nostri adhuc lacrymis madentes abstergat, quod vestri reginimis per tempora longa, divina prævia clementia potitura solatio duraturæ rore lætitiæ respergatur. Dextra Domini, pater sanctissime, nobiscum virtutem faciat, vestros actus & iter dirigens ad salutem. Sane me sanctitatis vestræ servulum, non minus promtitudo voluntatis nostris beneplacitis subjicit, quam plenitudo apostolicæ potestatis addicit.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ X.
Ad episcopum Silvanectensem & abbatem S. Dionysii.

Ut interponant partes suas ad pacem inter regem Siciliæ & reginas Franciæ & Angliæ.

Anno 1272. Ex mss. Bibliothecæ Colbertinæ Romani mis Malduinus.

EPiscopo Silvanectensi, & dilecto filio abbati monasterii sancti Dionysii in Francia.

Quantum deceat, quantum expediat, quod inter carissimum in Christo filium nostrum C. Siciliæ regem illustrem ex parte una, & carissimas in Christo filias nostras Franciæ ac Angliæ reginas illustres ex altera, tollatur omnis dissentionis occasio, & vigeat sinceritatis integritas, vestram credimus non latere prudentiam: & propterea indubitate sperantes, propter quod vos, qui eorum zelatis commoda, & ipsorum desideratis honorem, libenter ad ipsos in caritatis glutino submotis impedimentis quibuslibet uniendos, labores subibitis, & sollicitudinem assumetis, ministerium tractandæ concordiæ inter eos vobis elegimus committendum. Cum ergo tam memoratus A rex nostris super hoc litteris excitatus, quam prædicta regina Angliæ ad hujusmodi tractatus prosecutionem sues, sicut credimus, in Franciam intendat nuntios destinare, dictamque reginam Franciæ, quam, ut ad idem suum dirigat efficaciter animum, per alias nostras litteras exhortamur, verisimiliter ad eumdem tractatum intendere velle speremus, discretionem vestram monemus, rogamus & hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus laboris tam pii tam utilis onus sollicite assumentes, ad præcidendam omnem discordiæ materiam inter eos & ipsos in caritate mutua solidandos vice nostra sollicite laboretis, prudentius attendentes, quod in hoc non solum nobis, qui memoratos regem & reginas affectione paterna diligimus, & ipsorum concordiam multipliciter affectamus, per tam fructuosi laboris exercitium servietis, verum & ipsi pacis auctori in hoc obsequium gratum præstabitis, & eidem regi ac reginis vos reddetis perinde gratiores.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ X.
Ad B. Sabinensem electum.

Absolvit eum a vinculo quo ecclesiæ Arelatensi tenebatur, creatque illum cardinalem.

Annotat. Ex ms. Colbert.no.

GREGORIUS episcopus &c. venerabili fratri B. quondam archiepiscopo Arelatensi in episcopum Sabinensem electo.

A nostræ promotionis auspiciis, id inter cetera desiderabilia cordis nostri propensioni cordis nostri putavimus procurandum esse consilio, id majoris attentionis instantia promovendum, ut ecclesiæ, quæ multa tempestate convellitur, lapides, per ordinem sternerentur, & ipsa fundamenta solidius in sapphiris haberet sua propugnacula, jaspidem desiderabiles terminos suos omnes, & doctos a Domino filios universos, ficque in justitia fundarentur, & multitudinem pacis filiis suis effundens, a calumnia recederent, nec timeret eamdem & a pavore, nec propinquaret eidem. Hoc attentioribus egere consideravimus animis. Ad hoc multa sollicitudine ac diligentia insistendum, hinc quam pluribus diebus & noctibus in multa lucubratione deductis, ad illum præcipue levavimus oculos, cujus negotium agebatur, supplicantes humiliter, & supplicatione humili postulantes, ut ipse suæ lumine claritatis illustrans mentis nostræ judicium, & in suo beneplacito dirigens actus nostros, sua immensa pietate concederet tales nostro ministerio ad præeminentiam cardinalatus assumi, quorum vita videntes instrueret, quorum fama dum in omni loco Christo bonus odor existeret, reficeret audientes, quorum consilio con-

fidenter innisi in dubiis, & de ipsorum suffragiis divinum sperare auxilium in adversis & demum cum fratribus nostris cogitationibus profundis intantes, & frequentibus collationibus habitis cum eisdem, ad personam tuam, quia virtutum Dominus multis patentibus & latentibus, ut credulitate firma tenemus, virtutibus te insignivit, una cum quibusdam aliis a Domino electis, ut credimus, ad onus hujus ministerii eligendum nostræ convertimus considerationis intuitum, & de ipsorum fratrum consilio, te a vinculo quo Arelatensi tenebaris ecclesiæ absolventes, de te Sabinensi ecclesiæ tunc vacanti duximus (a) providendum, te in episcopum præsicientes eidem, fraternitati tuæ non solum libere transeundi ad illam licentiam concedentes, sed & præsentium auctoritate mandantes, quatenus onus dispositione apostolica humeris tuis impositum devote suscipiens, hujus provisioni nostræ in humilitate spiritus, sine cujusquam difficultatis obice, acquiescas. Præcipimus quoque ut ad præsentiam nostram absque tarditate aliqua morosæ cunctationis accedas, una nobiscum divini obsequii universalis ecclesiæ servitiis vacaturus.

(a)

DOMINUS PAPA illustri regi Siciliæ.

Quod in regno generale studium faciat reformari.

Ex mss. Colbertino.

PRimum plasma supernæ manus operatione formatum habens ante lapsum, veluti paulo minus creaturæ coæquatum angelicæ, perlucidum intellectum, sereni luminis acie penetrabat arcana cœlestium, & ex illuminati profunditate pectoris scientiarum notitiam obtinebat. Sic autem habuit post peccatum, ut quod prius libero & perspicaci capiebat intuitu, postmodum obstante nubilo mundanæ caliginis, absque remedio non poterat intueri. In cujus casu letifero humanæ compago naturæ corruptionis vulnera pertulit, suntque duris concluſa signaculis, quæ primitus nullo præpediente serarum obice, sub intelligentiæ claritate patebant, & quanto magis ex cursu temporum a primordiali formatione dilabitur, tanto quadam efficitur fluxibilitate debilior, & majori fragilitate tabescit in varium mutabilitatem defectuum naturalium bonorum gloria permutata; sed omnium conditoris immensa benignitas, nolens quod tam ingenua creatura, quam suæ similitudini conformarat, judicata vilescceret, & reparans quodammodo circa ipsam glorioſe per accidens, quod annexum naturæ mortiferi gustus extitit perceptione deperditum, rudem hominem, quem ad perfectionem discretionis vix offerre naturalis ratio poterat, scientiarum artiumve decrevit dogmatibus erudiri, sicque dono dato divinitus plurium idiomata nationum, sub diversarum linguarum varietate diffusa in unum conveniunt loquendi commercium, latinitatis ordine litterali. Sic gesta patrum & principum redacta sunt & regrediuntur in munimenta librorum. Sic veri & falsi certamina certis rationibus & argumentis principalibus diriminuntur. Sic generationis & corruptionis corporum universorum implicitas, elementorum qualitate discernitur, & conjicitur qua vi sub cursu cœlestium terrestria gubernantur. Sic etiam vocum sonoritas pari concordia prodit in jubilum, & documento colligitur qualiter devotis obsequiis modulatione mutica Domino serviatur. Sic terminorum extrema scholastica doctrina metitur. Quaslibet longitudinis & latitudinis, sublimitatis & profundi distantias punctorum seu mensurarum connumeratione distinguens, sic & supernorum essentia corporum prout moventur & consistunt in ordine physica præsentatio arte nititur habere notitiam, licet res intellectu difficilis & aciem rationis transcendat. Sic datur juris utriusque cognitio quo lis jurgiosa dirimitur, & quod suum est redditur unicuique. Sic quoque ad sacros... acceditur altitudine scripturarum & elicitur vivificans spiritus de litteræ visceribus occidentis. Maxime quidem opus est singulis regibus orthodoxis, eisque cedit ad gloriam in regnis suis habere viros industrios, decoros scientiis & virtutibus præsignitos, ut fortes consiliis & singula consueta providentia dirigentes, sub pacis principe glorioſi regnent & imperent in suæ culmine majestatis. Tales profecto viros infusa eis cælitus gratia litterali studium efficit, parvulos suavitatis lactans dulcedine, cibans adultos uberius, & provectos majoris ubertatis delectatione fœcundans, dum circa ipsum sedulitate studiosa versantur. Inter alias quippe regiones Italicas, regnum tuum veluti fons scientiarum irriguus viros eminentes scientia, viros alti consilii, viros præpollentes dignitatibus & virtutibus præcellentes, solet ab antiquo propagatione quasi naturali producere, quod in eorum quam pluribus hodie testimonialis evidentia manifestat, & eo præcipue tempore, cum in eodem regno præsertim apud Neapolim civitatem, cujus amœnitas scholares alliciebat etiam a remotis, vigebat studium generale. Cum autem Dominus de regno ipso tenebras ex alto fugaverit, & fine diebus malis imposito, in quibus idem regnum floribus & fructibus studiorum caruisse dinoscitur, superduxerit misericorditer dies

(a) Hanc promotionem Lugduni in festo Pentecostes anno 1274. factam fuisse tradit Ciaconius.

lucis, rogamus quatenus præmissis clementi consideratione pensatis, in eodem regno facias & jubeas hujusmodi studium reformari. Per hoc enim Deo gratum exhibebis obsequium, domum regiam fœcundabis sobole sapientum, & nonnullis ecclesiis de proborum copia, quorum patiuntur inopiam, providebis, & etiam specialiter tui præeminentia nominis ubique laudis humanæ præconiis altius extolletur.

NICOLAI III. RESCRIPTUM regi Franciæ illustri.

Collationem præbendæ factam ab eo in ecclesia Laudunensi, sede vacante, valere non posse.

Anno 1277. Ex reg. Vaticano Epistolarum Nicolai III. Mabillon.

PRæsentatæ nobis regiæ celsitudinis litteræ continebant, quod in ecclesia Laudunensi vacante ad te pertinet vacantium, etiam in Romana curia, collatio præbendarum; quodque post vocationem nostram ad apostolatus officium, præbendam, quam in eadem ecclesia ipsius vacationis tempore habebamus, cuidam quem eædem litteræ de moribus & scientia commendabant, pietatis intuitu contulisti, ante datam litterarum, quas super collatione ipsius præbendæ dilecto filio nostro S. tituli S. Cæci in presbytero cardinali legato sedis apostolicæ miseramus. Et deinde in earumdem litterarum tuarum serie deprecatio sequebatur, ut cum felicis recordationis Innocentii IV. Alexandri, Urbani & Clementis prædecessorum nostrorum temporibus fuerit observatum, quod per collationes ipsorum factas de beneficiis vacantium ecclesiarum ad regium collationem spectantibus, collatio clarissimæ memoriæ tui progenitoris & tua numquam exstitit viribus vacuata, nos, quos ad tuam magnificentiam affectu majoris caritatis affici regia gratitudine recognoscis, gratum & acceptum quod per te de memorata præbenda factum exstiterat haberemus. Sane, fili carissime, si tuæ innotuisset, excellentiæ processus nostri circa eandem præbendam habiti tempus & qualitas, nec tibi juris veritas celaretur, nequaquam sicut verisimiliter credi potest, quod præfata tua deprecatio processisset, siquidem ab ipsis ejusdem nostræ vocationis auspiciis, in attentæ considerationis scrutinium deducentes, quod in ecclesiis, in quibus præbendas habuerimus in minori officio constituti, non potuimus propter status nostri exigentiam personaliter residere: licet cum se casus obtulit dando consilium, præstando illis auxilium, nos studuerimus inibi exhibere præsentes; deliberavimus nostram absentiam saltem quoquo modo substituendorum nobis in eis continuenda recompensare præsentia, & illarum singulas singulis sic idoneis conferre personis, ad sacerdotium jam promotis, vel successivis immediate temporibus promovendis, quod ipsarum probitas plus ecclesiis provideret, quam ex præbendarum collatione provideretur eisdem. Et ut hæc nostra deliberatio impedimenti alicujus obicem non haberet, sexto die post promotionem nostram, canonicatus & præbendas, quos in Eboracensi, dicta Laudunensi, & Suessionensi habuerámus ecclesiis donationi apostolicæ reservavimus, inhibentes universis & singulis ad quos ipsorum canonicatuum & præbendarum collatio, electio, provisio, præsentatio, aut quæcumque alia dispositio pertineret, ne post mensem etiam contentum in moderatione felicis recordationis Gregorii papæ X. prædecessoris nostri super beneficiis apud sedem apostolicam vacantibus edita in concilio Lugdunensi, de illis vel aliquo illorum disponere, aut eos conferre alicui præsumerent quoquomodo. Et insuper ex tunc decrevimus irritum & inane, si secus super eis per quoscumque scientes vel ignorantes apostolica, vel quavis autoritate alia jam attentatum exsisteret, vel in posterum contingeret attentari, sicut hæc omnia in litteris apostolicis confectis exinde plenius continentur. His itaque tibi seriosius reseratis, diligenter, quæsumus, processus hujus tempus pensa, vim & potestatem prudenter observa, & patebit aperte quæ & qualis de jure sequatur illatio ex præmissis. Nam cum canonicatus & præbendæ collatio spirituale jus indubitanter exsistat, & per eam spiritualia, ut pote jus eligendi prælatum & alia similia conferantur, nec pro eo quod personis sæcularibus forsan ex privilegio sit concessa, vel in eis per patientiam tolerata, desinat spirituale jus esse; non est dubium eam etiam quando laici ad se illam asserunt, pertinere, non esse a plenitudinis apostolicæ potestatis exemtam, nec ab ejusdem libera in omnibus spiritualibus administrationi subtractam. Ex quibus proculdubio necessario sequitur, quod per præmissa nostra prohibitionem & decretum præbenda eadem Laudunensis una cum prædictis aliis exstitit sic affecta, quod collatio post & contra eamdem prohibitionem & decretum per te facta de ipsa, nullas vires potuit obtinere: maxime cum tempus quo prohibitio & decretum eadem sic generaliter processerunt, nos ejusdem in Laudunensi ecclesia vacatio, quodque tunc ea vacante collationem præbendarum ad te spectare asseris, non lateret. Attende igitur, princeps inclyte, præmissi nostri processus causam, vim considera, effectum adverte, nec attentionis tuæ discussio pium propositum procedentis amittat. Quid enim nos ad sic procedendum induxit, nisi ut prædictæ deliberationis divino beneplacito congrue

grata Deo exſecutio ſequeretur ? quid ad hæc procedentis animum excitavit , niſi ut conſcientiæ abundantius pacatæ ſollicitudo quieſceret , dum præcedentem noſtram abſentiam proviſa ſubſtituendorum præſentia ſolaretur ? Numquid alicui noſtro devoto , vel apud nos merito gratificari voluimus , aut nobis familiaritate ſeu alia conjunctione conjuncto per deliberationis ejuſdem exſecutionem quam commiſimus aliorum arbitrio providere ? profecto nec ad hoc perſonas elegimus , nec earum electionem nobis duximus reſervandam , ſed illis eam injunximus , qui neceſſitatum & ſtatus ipſarum eccleſiarum conſcii, earumdem utilitatibus de perſonis eis congruentibus ſalubrius providerent. Ideoque ſerenitatem regiam confidentia paterna rogamus & obſecramus in Domino, quatenus moleſte non feras , ſed æquanimiter patiaris preces tuas in hac parte ad exauditionis gratiam non admitti : quin potius ſpirituali patri de tali propoſito , ac tali providentia benivolentia filiali congaudeas , & eadem debito impleri lateris effectu , præſertim cum ſi præmiſſa diligenter attendas , nullum exinde præjudicium verearis , nec de caſus præmiſſi frequentia concipi poſſit probabilis conjectura , multumque deceret excellentiam regiam, etiam de munificentia ſuæ curialitatis annuere , ut de ſucceſſore nobis eligendo in dicta præbenda noſtrum deſiderium impleatur. Datum Viterbii x. Kal. Septembris , pontificatus noſtri anno 1.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Ut rex clericum , qui de ipſo fuerat oblocutus regnum ſine perſonæ injuria exire permittat.

REgi Franciæ illuſtri. Amaritudinem gravem, quam ſicut dilecti filii magiſtri S. decanus Laudunenſis & G. Pariſienſis archidiaconus regiæ celſitudinis nuntii nobis in conclavi modeſtis labiis expreſſerunt , tuis ingeſſit præcordiis vice domini capellani noſtri canonici Laudunenſis nimis inconſulta temeritas , paterno penſantes affectu , tibi pii more patris compatimur, & ad eam expiandam omnimodis ſic ex intimis excitamur, quod non ſolum tecum ad id frequenter ſpiritu convenimus, ſed interdum ad mutuæ corporalis præſentiæ copiam ſuſpiramus , operantes nimirum quod mentis noſtræ circa præmiſſa conceptum efficacius exprimeret lingua quam littera , & expreſſum imprimeret preſſius vivus ſermo quam ſcriptus. Sed quia illius facultas adimitur , interventione vicaria litteratoriæ allocutionis utemur. Et quidem, fili cariſſime, non miramur innocentiam tuam eo acrius, prout habet eorumdem nuntiorum relatio inopina , immo reſupina , capellani ejuſdem inſimulatione commotam ; quo feruntur moleſtius quæ indignius inferuntur. Non miramur, ſi te de conſcientiæ tuæ puritate ſecurum , nec aſſuetum detractionis jaculis impeti , cum ſoleat novitas calamitatibus pondus adjicere , dicti capellani amaricavit acerbius nova & inopinata præſumtio , & præſumtuoſa ſic commovit audacia , ut nubem quæ per ipſius figmenta ſuper tui nominis claritatem tibi videbatur oppandi , diſſolvere fictionis originem , & figuli malitiam perquirendo ſatagens , ac horribilis notæ maculam, quam non immerito de lubrico famæ ſollicitus vereris , ut prudens & nihil in hoc tibi conſcius abhorres, ut inſons abſtergere nitereris. Verum , princeps inclyte , vellemus in his conſultius fuiſſe proceſſum. Debuerant etenim , præſertim cum juxta vulgare proverbium nullam malum verbum mereatur habere memoriam , non per alicujus etiam perſcrutationis indaginem plurium auribus inculcari , ſed quaſi contemtu negligi & neglectu contemni : ut ſic diſſimulationis conſultæ cautela ſuo quaſi præfocarentur in ortu , cum non ſolum unius tam humilis, perſonæ veritate carens aſſertio, ſed etiam falſus rumor , qui multitudinem implicat, cito cadat. In his autem , fili amantiſſime, nihil tuæ in talibus inexperientiæ imputamus; ſed tuorum conſiliariorum negligentiæ ſuccenſemus, qui & commotionem tui juſti doloris mitigare ſtudioſius debuiſſent, & præmiſſæ conceptum indaginis, ne prodiret in partum, & in actum procederet, curioſius impedire. Nihilominus tamen, tu, fili benedictionis & gratiæ, ut mores hujus temporis taceamus , antiquorum exempla conſidera , & profecto reperies, non ſolum innocentiam & ignorantiam perſæpe falſa criminatione perculſam , ſed & virtutes crimina tuliſſe pro vitiis, & virtuoſos actus notam incurriſſe pro laude. Nonne ſic ille filius accreſcens & decorus aſpectu tunc in Ægyptum ductus & Ægyptiis ſerviens , dum a domina ſibi ut ſecum dormiret infeſta , comprehenſus , per veſtimenti laciniam derelicto pallio aufugiſſet, ſtuprum recuſans , nec operi nefario acquieſcens , a contempta nota illuſionis impudicæ noratus, & a domino redeunte, nimis procul dubio credulo ſuſpectus de adulterino conatu , in carcerem eſt conjectus. Nonne hoc ipſum illius pudicæ matronæ repræſentat hiſtoria , quæ a ſenioribus qui populum judicabant , quibuſque ipſa conſentire noluerat , falſo eſt inſimulata crimine, ac morte damnata , licet eam Dominus ſpiritum pueri junioris excitans præſervarit ? Deſine igitur indignationis tuæ motum , quaſi conſideratione alicujus novitatis augere ; nec in te primum æſtimes innocentium laceſſitam , ſed noſtris conſi-

liis

liis acquiesce, ut ad tollendam omnino hujus maledici de tuo regno memoriam, quod per castigationem ipsius inibi, prout iidem petebant nuntii, faciendam, posset diffundi latius & amplius dilatari, exinde maledicus emittatur, remittendus ad partes istas: non tamen ad curiam Romanam, sed ad locum alium, quem ei deliberavimus deputandum; & ibi taliter, prout eisdem aperuimus nuntiis, a sua insolentia compescendus; quod memorandi maledicti hujus nulla supersit occasio, sed ipsius memoria totaliter extinguatur. Quia vero super *his dilecto filio nostro S.* tit. sanctæ Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato alias apostolicas litteras destinamus, mandantes eidem, ut sæpe fatum capellanum ad partes easdem juxta formam mandati nostri non differat destinare; serenitatem regiam exhortamur in Domino, sincero consilio suadentes, quatenus memorato legato ad educendum de regno ipso eumdem capellanum sine offensæ alicujus injuria, quæ forsan plures ad recensendum sui excessus seriem excitaret, regiæ potentiæ favor assistat, nec impedias, vel quantum in te fuerit impediri permittas, quominus ad partes ipsas idem capellanus, ut præmittitur, remittatur. Per hoc etenim submurmuratio prædictorum opprimetur facilius, & integritati famæ tuæ plenius consuletur. Datum Viterbii xi. Kal. Septembris.

EPISTOLA COLLEGII cardinalium ad principes Italiæ.

Ut Clementiam primogeniti Caroli Salernitani principis sponsam in Siciliam transmigrantem honorifice suscipiant.

Anno 1280. Ex ms. Colbertino.

Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. cardinales, universis marchionibus, comitibus, baronibus & aliis nobilibus, necnon potestatibus, capitaneis, consiliis & communibus civitatum & castrorum ejusdem ecclesiæ fidelibus, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in Domino.

Sedes apostolica cogitationes pacis congitans, & populo christiano quietem pro viribus præparans, ut in fiduciæ tabernaculis habitet, & in requie opulenta quiescat, consulte providit ecclesiæ filios RODULFUM Romanorum & CAROLUM Siciliæ reges illustres, ad christianitatis tranquillitatem & pacem & exaltationem fidei catholicæ, in ipsorum concordia & unanimitate promtius procurandam, affinitatis vinculo uniendos; cujus studio, illo angulari lapide faciente, e diverso venientes uniri, actum est his diebus, (a) quod inter dilectum filium CAROLUM primogenitum magnifici viri CAROLI principis Salernitani ipsiusque regis Siciliæ nepotem, & dilectam in Christo filiam CLEMENTIAM, natam prædicti regis Romanorum, sponsalia sunt contracta, & puella eadem in domum sui sponsi traducenda, jam in Lombardiæ partibus dicitur constituta, in regnum Siciliæ, prout opportunitas dederit, in comitiva honorabili processura. Cupientes itaque ipsam ejusque comitivam non solum securitate gaudere, sed honore condigno, prout decet tanti principis filiam, tantique viri sponsam, a cunctis præcipue devotis ecclesiæ honorari, universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attente, præsentium vobis auctoritate mandantes, quatenus cum per terras vestras transitum fecerit, ei dictæque comitivæ providentes de securo conductu, sic ipsam in se ac suis honorare curetis, quod de tam utilis unionis gratia, in profectum ejusdem fidei a bonorum omnium largitore concessa, vos debitum concepisse gaudium ostendentes, eorumdem regum favorem vobis exinde non immerito vindicare possitis. Nos quoque honorem sibi exhibitum, non solum dictis regibus in ea, sed & sedi apostolicæ reputabimus exhiberi, vosque proinde in vestris opportunitatibus favorabilius prosequemur. Et ecce dilectum filium magistrum Guillelmum (b) Durandi ejusdem sedis capellanum, Carnotensem decanum, ad universitatem vestram propter hoc duximus destinandum, quem super his qua circa præmissa vobis ex parte nostra suaserit, benigne audiri rogamus & efficaciter adimpleri. Datum &c. apostolica sede vacante.

(a)

EPIST. COLLEGII CARDINALIUM Ad Venetos.

Ne terras ecclesiæ Romanæ pastore viduatæ prædantibus faveant, immo ut se opponant.

Anno 1280. Ex ms. Colbertino.

Duci, comiti & consilio Venetorum. Considerata prædecessorum vestrorum erga Romanam ecclesiam laudanda & per vos non immerito continuata devotio, verisimiliter pollicetur promtum in vobis ad monitiones, quæ ob ipsius commoda prodeunt, debitæ prosecutionis effectum. Sane sicut ad vos perveniisse credimus, nonnulli

(a) Anno scilicet 1280. ut videre est apud Bzovium, quem si lubet consule.

(b) Is est celeberrimus ille Guillelmus Durandi, quem Clemens IV. capellanum suum & palatii apostolici procuratorem generalem constituerat, quique postea episcopus Mimatensis extitit, vir pro tempore magnæ eruditionis.

(a) (a) maligni ſpiritus perverſique conatus, non attento quod dominus ore prophetico univerſis viduæ defenſionem indicit, eamdem eccleſiam in viduitatis anguſtiis poſitam, & ad ſui proviſionem idoneam inſtantius laborantem turbant multipliciter & moleſtant, terras ipſius in Romaniolæ Marchiæque Anchonitanæ partibus, pro viribus occupantes, quas occupare nequeunt vexantes incendiis, diverſis impetentes inſidiis, & direptionibus expetentes. Et quod non ſine amaritudine mentis audivimus, veſtra in his ſatagunt fulciri potentia, vos in his diverſimode complices habere conantur. Licet itaque veriſimilitudo non habeat, quod vos, cum ſitis viri conſilii, viri quidem prudentia præeminentes, ſic malitia ſubvertere valeat, ut maculam in gloria ſolitæ devotionis veſtræ ponentes, tam perverſis ipſorum ſuggeſtionibus vel pandatis aditum vel inclinetis auditum. Nihilominus cum nos ad conſervationem veſtri honoris & famæ ſincerus affectus induxit, ut vos contra perverſitatem illorum ſalubribus ſtuderemus monitionibus prævenire. Ideoque univerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur attente, præſentium vobis auctoritate mandantes, quatenus juxta conceptam de veſtra devotione fiduciam, noſtris monitionibus & precibus exauditis, vos in his nullatenus immiſcentes, nullum prædictis iniquitatis filiis, terras ejuſdem eccleſiæ quomodolibet impetentibus, præſtetis auxilium vel favorem publicum vel occultum: quin immo fidelibus eaſdem terras defenſare nitentibus, cum ſuper hoc auctoritate ipſius eccleſiæ fueritis requiſiti, viriliter aſſiſtatis: ita quod exinde laudis titulum & retributionis præmium veſtra devotio mereatur.

A vaſtitati, & quod animam noſtram pungit acerbius, animæ periculis exponuntur: quibus eo periculoſius in vos mutuo deſævitis, quo dum alter perſequitur alterum, ſævit per conſequens in ſeipſum. In ſingulatibus namque perſecutionibus imminent communia damna concivibus. Si quidem dum quivis ſui conſcius ſtatui detrahit, in eo ſaltem parat proprie detrimentum, quod civitatis cujuſque incolis per diſſenſionum diſcrimina debilioribus redditis, redditur & civitas debilior, qua debilitata in ſingulis profecto detrahitur potentiæ ſingulorum; ſicut & cives & civitas mutua incrementa participant, ut potentia civium potentem civitatem efficiat, & quod potentiæ civitatis accreſcit ſuos redundat in cives; ſic & illorum detrimenta participantur alterutrum, ut quod civitati detrahitur, civium utilitatibus ſubtrahatur. Nimis eſt itaque ſæva & horrenda credulitas, per quam ut offendat quis alterum, offenſam propriam non abhorret, & ut in periculum præcipitet alium, præceps præcipitium feſtinat in ſuum. Quia vero ſperamus in pacis actore, quod ſi hæc & alia non facile numeranda diſcrimina, quæ guerrarum diſſidia ſpiritualiter & temporaliter ingerunt, ad conſiderationis rectæ judicium referatis, ipſo præſtante, qui poſt evulſis zizaniorum radicibus, pacis inter vos germina pullulabunt, occurreretur animarum periculis, privatis & communibus utilitatibus efficacius conſuletur, venerabilem fratrem L. Oſtienſem & dilectos filios noſtros G. S. Georgii ad Velum aureum diaconum cardinalem ad vos tamquam pacis angelos de fratrum noſtrorum conſilio deliberavimus deſtinandos, unitatem veſtram rogantes, monentes attentius, & obteſtantes in Domino JESU-CHRISTO, vobiſque nihilominus per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eos tamquam ipſius eccleſiæ membra nobilia recipientes honorifice, ac devote tractantes, eorum ſalubrius monitis & exhortationibus in præmiſſis, ita intendatis humiliter & efficaciter pareatis, quod ipſius urbis ſtatu, juxta intenſum noſtrum deſiderium, pacificato celeriter, in ea & vos ipſi jocundo habitantes in unum, hoc præſertim ſacro inſtanti quadrageſimali tempore, animarum veſtrarum ſaluti poſſitis vacare liberius, & qui ex more apoſtolorum limina eodem præcipue tempore viſitant, vobiſcum in pace in idipſum pariter quieſcentes, vota peregrinationis aſſumtæ ſecurius exſequantur. Cumque nos inibi, Deo auſpice, noſtram contigerit exhibere præſentiam, curia noſtra eamque ſequentes ſecuritate debita gaudeant, & optata quiete lætentur. Nec miremini quod bulla

EPIST. I. MARTINI PAPÆ IV. Ad Romanos.

Dominus papa ſcribit Romanis, ut faciant pacem.

Anno 1281. *Ex mſ. Colbertino.*

MARTINUS electus epiſcopus &c. dilectis filiis nobilibus viris ſenatoribus, conſilio, & univerſo Urbis populo.

Regis pacifici, cujus in pace factus eſt locus, ſua permiſſione vicarii, licet inſufficientibus meritis, conſtituti, Urbem quidem Romani pontificis ſpecialem ſummopere affectamus ſic eſſe pacificam, ut inter peculiares eccleſiæ filios, inteſtina maxime odia relegentur a vobis, & domeſticæ ſimultates: quibus ſicut, proh dolor! familiaria exempla vos admonent & bona proculdubio

(a) Guido ſcilicet de Montefeltri comes, qui terras eccleſiæ Romanæ in Romaniola occupaverat, quas poſtea ope Guidonis de Monteforti eidem reſtitui coegit Martinus papa. IV. teſte Guillelmo Nangio apud Cheſnium tom. 5. pag. 542.

non exprimens nomen noſtrum eſt appenſa A præſentibus, quæ ante conſecrationis & & benedictionis noſtræ ſolemnia tranſmittuntur: quia hii qui fuerunt Romani electi pontifices conſueverunt in bullandis litteris ante ſuæ benedictionis & conſecrationis munus modum hujuſmodi obſervare. Data Viterbii &c. ſuſcepti a nobis apoſtolatus officii anno 1.

EPIST. II. MARTINI PAPÆ IV.
Ad Philippum regem Francorum.

Contra morem ſuum ei annuntiat in papam electionem ante conſecrationem.

Anno 1281. Ex reg. Cellarium.

MARTINUS electus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio regi Francorum illuſtri.

Etſi habeat eccleſiæ Romanæ conſuetudo laudabilis, quod apoſtolicæ litteræ novam promotionem Romani pontificis nuntiantes, quas ſolemnia conſecrationis & benedictionis ipſius ex more præveniunt, alios ejuſdem pontificis præſertim ad principes præcedere ſoleant litteratoriæ viſitationis C affatus: intenſus tamen caritatis affectus, qui neſcit legi facile ſubjici, vel obſervationis cujuſlibet regulis coartari, exigit a nobis, ut quo ad te, filium prædilectum apud nos dilectionis prærogativa gaudentem, hujuſmodi obſervantia non ſervata, nec prædictis ſolemnibus expectatis, noſtræ promotionis ſingularis nuntiatio præveniret, noſtri ſpiritus humilitate denuntians, nos tunc tituli S. Ceciliæ preſbyterum cardinalem in feſto cathedræ apoſtolorum principis, concordi fratrum noſtrorum electione, promotum in ſui pontificis ſucceſſorem. In his, D quæſumus, fili cariſſime, ſi excellentia regia de promotione in Domino gaudeat, quod immenſi oneris molem promoto impoſiti pia compaſſione conſiderans, eidem apud illum ſupplici devotione, devotaque ſupplicatione concurrat, quatenus ipſe qui dat lapſo virtutem, ſic debilitatem noſtram ſua inæſtimabili fortitudine fulciat, quod ejuſdem oneris ſarcinam ad ſalutem gregis dominici curæ noſtræ commiſſi ſalubriter ſupportemus. Licet autem inſitum noſtris viſceribus erga magnificentiam regiam non E ignotes affectum, illum tamen tibi cum plenitudine benedictionis offerimus, intendentes eumdem in tuis opportunitatibus efficacius, quantum cum Deo poterimus, exhibere.

EPIST. III. MARTINI PAPÆ IV.
Ad B. archiepiſcopum Arelatenſem.

Creat eum cardinalem epiſcopum Portuenſem.

VEnerabili fratri B. (a) quondam archiepiſcopo Arelatenſi epiſcopo Portuenſi. (a) Anno 1281. Ex reg. Collatinus.

Moyſi circa regendam plebem Iſraeliticam laboranti, Jethro vel ſocer cognatus ipſius attendens illi ſupra vires imminere negotium, quod ſolus portare non poſſet, B ſalubre conſilium deſcribitur præſtitiſſe. Proinde inquirens de omni plebe viros potentes & Deum timentes, in quibus ſit veritas, & avaritiam oderint. Nos itaque hujus ſecuti conſilium, poſt vocationem noſtram ad apoſtolatus officium, conſiderantes nobis immenſum onus ſpiritualis regiminis totius orbis incumbere, quod ſoli proculdubio ſuſtinere nequimus, ut impleri omnipotentis imperium, ejuſque poſſint ſuſtentari præcepta, & in loca ſua dilecta, videlicet Domini tabernacula communiſſus nobis populus ipſo auſpice inducatur, nobiſque onere partito ſit levius, de diverſis mundi partibus viros cooperaturos nobis, in ejuſdem executione regiminis deliberavimus providendos, virtutum pollentes viribus, non effeminationis infamia denigratos, viros utique potentes tam opere quam ſermone, ut plebem operum exemplis inſtruant, doctrina ſermonis informent; viros qui ſic Deum timeant, qui nequaquam hominis faciem vereantur; ſic avaritiam odiant, ut poſt aurum non abeant, & in pecuniarum multiplicatione non ſperent, ſed veritatem, immo Chriſtum, qui eſt via veritas & vita, pure, nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinando, ſequantur. Sane in ſcrutinio deliberationis hujuſmodi, nobis cum gaudio perſonæ tuæ merita quibus eam inſignivit Altiſſimus occurrerunt, & ſuper illis cum fratribus noſtris deliberatione præhabita, de ipſorum conſilio, te ad miniſterium hujus operationis elegimus, & de plenitudine poteſtatis, a vinculo quo tenebaris Arelatenſi eccleſiæ abſolventes, de perſona tua Portuenſi eccleſiæ tunc vacanti duximus providendum, te illi præficientes in epiſcopum & paſtorem, fraternitati tuæ non ſolum libere tranſeundi ad illam licentiam concedentes; ſed & præſentium auctoritate mandantes, quatenus onus diſpoſitione apoſtolica humeris tuis impoſitum devote ſuſcipiens, hujuſmodi proviſioni noſtræ in humilitate ſpiritus ſine cujuſquam difficultatis obice acquieſcas, & ad præſentiam noſtram abſque diſ-

(a) Bernardo de Languiſello, qui Bertrando archiepiſcopo cardinali creato ſubrogatus fuit in ſede Arelatenſi.

pendio moroſæ tarditatis accedas, una nobiſcum divinis obſequiis, & univerſalis eccleſiæ ſervitiis vacaturus.

EPIST. IV. MARTINI PAPÆ IV. Ad Carolum regem Siciliæ.

Laudat regiam ipſius magnificentiam, qua ſe ſuaque ſedi apoſtoſtolicæ obtulerat.

Anno 1281. *Ex mſ. Colbertino.*

REgi Siciliæ illuſtri, &c.

Sincerum ad perſonam noſtram regiæ devotionis affectum, quem noſtra conſideratio ex cauſis variis ſine cujuſque dubitationis ſcrupulo ſupponebat, dilecti magiſtri P. de Liytota capellanus noſter, & nobilis vir LUDOVVICUS de Alvernia tuæ celſitudinis nuncii, quibus tuæ ſerenitatis apices fidem petierunt credulam adhiberi, decenter & curialiter exprimentes ex parte tua perſonam regiam, nobis ſingulari prærogativa cariſſimam, terras & bona omnia liberaliter obtulerunt: ea ſic affectuoſe, ſic libere noſtris beneplacitis totaliter exponentes, ut quatenus verba rem præſentare ſufficiunt, quaſi exhibitionem quamdam ipſa oblatio præſentabat. Hæc licet, fili cariſſime, de tua magnificentia non ſolum ſperata jam dudum, ſed, ut præmittitur, velut indubitate ſuppoſita, gaudenter & gratanter accepimus, & ea congruis proſequentes actionibus gratiarum, regalem excellentiam ſcire volumus, quod te ab olim noſtrum non tam reputavimus, quam aperte cognovimus, idque nobis adeo liquet apertius ex præmiſſis, & evidentius innoteſcit, ut magnificentiæ tuæ illa, quam tum cum Deo poterimus, intendamus viciſſitudinariæ gratitudinis evidentia reſpondere, quod licet nihil poſſit plenitudini adjici, quam in affectione tua & devotione palpamus: Utraque tamen ex eo recipere incrementa cenſebitur, quod diffuſiori, Deo auſpice, tempore producenda, nec variationis alicujus notam ſentiet, nec fermentum qualiſcumque turbationis admittet.

A bili dignatione conceſſit, noſtris infudit affectibus, ut ab hujuſmodi vocationis exordio, ponentes quaſi viarum noſtrarum principium bonum pacis in ſanctæ matris eccleſiæ filios, totis niſibus illius intererunt fluenta diffundere, diffuſa continuis favoribus irrigando fovere. Hoc circa magnificum & peculiarem Urbis populum ſpecialis ſuggeſſit affectio, ſpecialiter nobis illius imminens cura ſuaſit. Idem exigebat ejuſdem Urbis inteſtina turbatio, animarum pericula ingerens, & rerum vaſtitatem inducens, ad idem urgebat inſtantius noſtra devotio, interpellans multipliciter & inſtigans, ut in illius videlicet apoſtolorum principis baſilica ſucceſſor ipſius conſecrationis munus reverenter acciperet, cujus divina diſpoſitione onus ſucceſſionis accepit, in ea civitate ſumeret idem ſucceſſor apoſtolici honoris inſignia, ex qua titulum ſuæ denominationis aſſumit Romanus pontifex ſeu papa vocatus. Hinc ut ſaluti tam ſpiritualium filiorum proviſio paterna ſuccurreret, damnis occurreret, & tantæ ipſius noſtræ devotionis inſtantiæ deſiderata ſatisfactio proveniret, noſtræ conſecrationis ſolemnia, non ſine multorum perſuaſione contraria, non abſque negotiorum nobis imminentium ad retardatæ ipſorum expeditionis acceleracionem inſtantium impedimento diſtulimus, ad Urbem eamdem venerabili fratri L. Oſtienſi epiſcopo & dilecto filio G. S. Georgii ad Velum aureum diacono cardinali, velut pacis angelis deſtinatis, ut inibi ſtatum reformando pacificum, ſopirent odia, concordarent corda diſcordia, & in unitate caritatis unirent, nobiſque adeundi Urbem eamdem ad proſequenda præſertim eadem ſolemnia, opportunitatem curiæ noſtræ, eamque ſequentibus neceſſaria præpararent. Quibus diligenter ſollicitudini eis commiſſæ vacantibus, licet in illius executione ipſis non ſolum principalium partium aperta diſcordia, verum etiam diſſenſiones particulares, quæ inimico homine ſuperſeminante zizania quotidie multiplicabantur obſiſterent, tandem faciente, ut credulitas devota ſupponit, pacis actore, illa ſola via remedii ad obtinendum ipſius Urbis tranquillitatem, quam per hoc ſpes veriſimilis promittebat, & eventus exſolvit huc uſque præter intentionem mittentis occurrit, ut vobis regimen Urbis committeretur ejuſdem.

EPIST. V. MARTINI PAPÆ IV. Ad regem Siciliæ.

Ut pontificalis conſecrationis munus in Urbe ſuſciperet, ſe ſtuduiſſe pacem Romanis procurare, quod ut efficacius obtineret, ipſi commiſiſſe Urbis regimen.

Anno 1281. *Ex mſ. Colbertino.*

CArißimo in Chriſto filio regi Siciliæ illuſtri ſenatori Urbis.

Pater futuri ſæculi, princeps pacis, qui nos judicio noſtræ humilitatis indignos vocari ad ſui vicariatus officium ſua inſcruta-

EPIST. VI. MARTINI PAPÆ IV. Ad regem Castellæ & Legionis.

Hortatur ad pacem cum rege Francorum componendam, declaratque necdum sibi de ecclesia Compostellana providere licuisse.

Anno 81. Ex reg. Gallerian.

REgi Castellæ & Legionis.

Serenitatis affatus per dilectum filium Bellum militem secretarium, cameræque tuæ portarium, & celsitudinis nuntium, nostris præsentati conspectibus, ipsiusque ab illis non dissonans circumspecta relatio, cui fidem petiisti plenariam adhiberi, grata nobis in eo singularis ad nos devotionis exenia præsentarunt; quod sicut eorum habebat assertio, præter morem a te quo ad prædecessores nostros Romanos pontifices hactenus observatum, nondum apostolicis litteris de nostra promotione receptis, etsi eas dudum antea misissemus, tuas nobis prærentione curiali & celeri destinasti, tui secreti sigilli ad majoris singularitatis indicium impressione sigillatas, in quibus benevolentiam, quam erga regalem excellentiam nos gerere, nuntiis tuis, ejusdem promotionis tempore, in curia Romana præsentibus, in sinceritate mentis expressimus, devota repetitione commemorans, exinde Dei & nobis grates uberes retulisti. Circa Compostellanæ provisionem ecclesiæ, instantiam supplicationis adjiciens, & quod ad immensam cessit cordis nostri lætitiam, ut omnis Christianitatis discordias in persecutores Christiani nominis convertendas, ad veram studeamus revocare concordiam, in earumdem litterarum calcem subjungens, te promtum ad nostræ beneplacita voluntatis & paratum nihilominus offerendo. Sane, princeps inclyte, licet devotionem erga Romanam ecclesiam tuo Christianissimo innatam generi, & per te nobis tam evidentibus argumentis exhibitam, laudibus attollamus, & favorabili prosequi gratitudine intendamus; illud tamen potissime ad prosperitatem tui status nos afficit, ad tua singulariter commoda nos invitat, quod sic de Christianitatis tranquillitate tua sollicitatur intentio, sicut ad illius vicanda suspirat incommoda, sic ad hostes crucifixi contetendos aspirat. Et hæc & his similia, fili carissime, de te promittit ejusdem tui generis clara prosapia, his te decet intendere, in his tua versari studia, talibus vacare sollicite: talia studiosius exhortari & prudenter attendere, quod horum tua in aliis exhortatio ipsi tibi, ut, sicut tanto & tali principi congruit, tua consonent facta verbis, necessitatem prosequendi, qui tam pie, tam prudenter, tam utiliter hortatis, indicit. At regalem excellentiam ex totis præcordiis excitantes, circumspectioni regiæ confidenter exponimus, quod inter cetera, immo præ ceteris quæ nobis ex debito apostolicæ servitutis incumbunt, & sollicitudinum immensitate nos onerant, Christianorum discordiæ, potissime principum, intima nostræ mentis amaricant, anxietatem nobis multam domesticant, & quietem multimodis interdicunt, dum ingesta per eos animarum pericula pensamus & corporum, dum fidei orthodoxæ damna discutimus, cum Domini & Dei servitia desideramus, & præcipue terræ sanctæ negotium per illas & maxime per tuam & carissimi in Christo filii nostri P. regis Francorum illustris amaram nobis diffidentiam impediri, dum innumeros & immensos labores & sumtus universalis ecclesiæ, (quia ad promovendum præcipue dictum negotium Lugdunum convenisse novisti,) proh dolor! optato tamdiu frustari videmus effectu. Et ideo discordiarum sedationi & properationi pacis & concordiæ inter universos Christicolas, & specialiter inter te ac regem eumdem totis nisibus, plenisque vacare studiis, opitulante rege pacifico, intendentes, regalem magnificentiam rogamus & hortamur in Domino JESU-CHRISTO, in remissionem peccaminum suadentes, quatenus prudenter attendens, quod tanta religionis Christianæ dispendia tibi & regi prædicto singulariter imputantur, quorum dissensio, cum te ac ipsum regem a persequendis ejusdem religionis hostibus abstrahit, ab illorum persecutione alios consequenter abducit, hostesque ipsos proinde manifeste communit. Quocirca discordiarum sedationes in aliis generaliter laudabiliter suggeris, in te ipso specialiter & efficaciter prosequens, ad concordiam cum rege præfato, vel saltem ad diffusi temporis treugam, in cujus spatio ejusdem terræ subventio efficacem habere valeat, & habeat, Domino favente, processum, sic præpares animum, sic disponas affectum, quod cum excellentiam regiam super his, prout intendimus requiri contigerit, ita inveniantur tua vota disposita, quod tibi nihil valeat imputari, quominus Dei servitiis & publicis commodis consulatur, nostrumque in his desiderium satietur. Ceterum circa Compostellanæ provisionem ecclesiæ nondum tibi certum possumus respondere, pro eo quod impediente discretia, quæ nos aliquandiu fatigavit, cum fratribus nostris deliberationem, quam super hoc habere quærimus, nequivimus, sine quorum consilio juxta laudabilem, consuetudinem ipsius ecclesiæ Romanæ diutius observatam, non esset in talibus procedendum. Scire tamen tuam magnificentiam volumus, quod sic intendimus eidem ecclesiæ salubriter, prout de cælesti nobis arbitrio dabitur, providere, quod cum providentia in provisione hujus-

modi prosperum statum ipsius ecclesiæ Compostellanæ desideret, reputare debebis, auctore Domino, hujusmodi tuo desiderio satisfactum.

EPIST. VII. MARTINI PAPÆ IV. Ad archiepiscopum & capitulum ecclesiæ Senonensis.

S. Mariæ Magdalenæ costam, ex Vizeliacensi monasterio olim acceptam, & eleganter ornatam, per suum germanum eis mittit, concessis indulgentiis iis qui ad ejus festivitatem confluerent.

Ex ms. Colbertinis.

VEnerabili fratri.. archiepiscopo, & dilectis filiis... decano & capitulo Senonensi.

Translationem sanctorum corporum, quam in catholica ecclesia Christianus cultus exequitur, sub quodam typo mysterii præfiguraſſe videtur ille filius accrescens & decorus aspectu, qui de hoc sæculo transiturus, fratribus veridica prædictione promittens, quod ipsos dominus post ejus obitum visitaret, & ad terram promissionis ascendere faceret ex Ægypto, adjuravit eosdem, ut de loco illo ejus secum ossa portarent. Hujus typi mysterium in peccatrice sanctissima, beata videlicet Magdalena, quæ ad pedes Domini lacrymis illos rigans, & capillis abstergens, profundis suculsa singultibus, & ex intimis longa trahens suspiria, felleos humores evomuit, remissionem obtinuit, peccata deposuit, & induit sanctitatem. Olim autem dum primo in regno Franciæ legationis officio fungeremur, apud Viziliacum monasterium, ubi glorioſum requiescit corpus ipsius, cum veneratione debita exsequentes, illud claræ memoriæ LODOYCO rege Francorum, prælatorum & aliorum Christi fidelium multitudine numerosa præsentibus, de plumbeo sepulcro, in quo humiliter adhuc reconditum existebat, in thecam argenteam cum celebri solemnitate transtulimus, ut proinde impleretur in ea sacræ paginæ veritas, dum ipsa in abundantia gloriæ sepulcrum inveniretur ingressa, sicut in tempore suo tritici acervus infertur, & de loco suo non solum pullularent laudibus ossa ejus, sed & ampliori pollerent gloria, de humilitatis cumulo ad cumulum majoris venerationis erecta. Decebat enim, ut sicut beatissimus ejus spiritus, æterni luminis claritatem ingressus, supernæ gloriæ secreto celatur; sic & ejus corpus licet adhuc terreum, glorioso quasi conservationis horreo servaretur. Tunc zelus noster quem ad ipsam semper in multitudine devotionis habuimus, velut ignis accensus persuasit efficaciter & effecit, ut de tam pretioso thesauro nobis memoriale aliquid in spiritualis ædificationis A auxilium, & assiduæ consolationis remedium servaremus, sicque de ipsius gloriosissimo corpore costam unam accepimus, venerabiliter conservandam: quam humilitatis nostræ devotio in minori officio existens, decenti adeo decorari procuravit ornatu, quod in illa se opus & materia mutuis excedere censentur excessibus, ipsum oculus cujusque miratur artificis, & in ejus contemplatione dextera obstupescit. Cujus pulchritudini adjicit vernantium & corruscantium gemmarum adjectio in diversitate colorum, virtutes ejusdem beatissimæ Magdalenæ diversas typice repræ- B sentans. Ita tamen pretiosum memoriale prædictum idem ornatus includit, quod ab ipsius visione, qui imaginis angelicæ ministerio præsentium offertur aspectibus oculorum acies cum sit prævius non excludit. Demum vero nostræ peregrinationis exitum attentione sedula contemplantes, deliberavimus tam pretiosi thesauri particulam apud participantes nobiscum in ipsius devota veneratione deponere, ut etiam nobis deficientibus, ei debita veneratio non deesset. Considerantes itaque quod in ecclesia & civitate Senonensi, clerus & po- C pulus eamdem beatissimam Magdalenam singulariter venerantur, celebritatem ipsius solemniter celebrant, & celebriter ejus solemnia colunt, carissimum nobis memoriale præfatum, vobis per dilectum filium nobilem virum Ægidium germanum nostrum, in singularis affectionis indicium destinamus. Accipite igitur illud alacritate debita, prosequamini reverentia quantum possibilitas patitur congrua, & honorifice in vestra ecclesia collocate, ipsius beatissimæ Magdalenæ nos commendaturi patrocinio, D quotiens ejus agetis solemnia, & memoriam facietis. Ut autem ad eamdem Senonensem ecclesiam de cetero in ejusdem Magdalenæ festivitate eo plenius confluant Christi fideles, quo se ob ipsius reverentiam uberioris retributionis gratia remunerari prospexerint, nos de omnipotentis Dei misericordia &c. confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad eamdem ecclesiam in die festivitatis ejusdem Magdalenæ causa devotionis accesserint, singulis annis dies centum: eis vero qui infra octavas festivitatis ejusdem taliter ad ecE clesiam venerint, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis relaxamus.

A

EPIST. VIII. MARTINI PAPÆ IV. Ad episcopum Parisiensem.

Ad instantiam regis Francorum cum Henrico de Vizilíaco uno oculo privato dispensat, ut ad pontificalem dignitatem provehi valeat.

Ex mss. Colbertinis.

PArisiensi episcopo.

Dilecto filio Henrico de Vizilíaco capellano nostro Thesaurario ecclesiæ Laudunensis, lumen sinistri oculi, sicut accepimus, casus fortuitus & infortunatus ademit: sed suæ mentis oculos cœleste lumen adeo suo lumine illustravit, ut grandi scientia præditus, vitæ nitere munditia, & experta vigere prudentia censeatur. Et licet hæc & alia congesta in eo a Domino dona virtutum ad majorem sibi gratiam dinoscantur afferre suffragium, ipse tamen ad sacerdotium de felicis recordationis Gregorii papæ X. prædecessoris nostri concessione promotus, in eo devote ministrans, hujusmodi contentus gratia, ulteriotis doni beneficium non quæsivit, suæ per hoc devotionis affectum prosequens, & ambitionis abjiciens incentivum. Verum carissimus in Christo filius noster.... rex Francorum illustris, cujus capellanus & familiaris diu extitit & existit, per longam experientiam expertus merita probitatis illius, & spectans per suæ providentiæ studium in populo Domini ejus diligentiæ committendo fructus Deo placidos, ipsius cooperante misericordia, proventuros; nobis cum instantia supplicavit, ut memorato capellano, quod, præmisso non obstante defectu, ad pontificalem dignitatem assumi valeat, indulgere de benignitate sedis apostolicæ dignaremus. Quamquam & personæ pro qua super hoc interpellamur, grata noticia & tanti principis nobis cari devota supplicatio concedi petita suadeant, nec præmissi defectus qualitas, cum de partibus illis recessimus, nobis esset ignota; quia tamen veremur ne post recessum nostrum, defectus idem augmentum reciperet, quod nos posset retrahere a postulata per eumdem regem pro dicto capellano gratia concedenda, fraternitati tuæ præsentium tenore committimus, quatenus præfati defectus diligenter circumstantiis & qualitate pensatis, cum sæpefato capellano, ut, eodem non obstante defectu, ad pontificalem dignitatem, si eum ad illam alias canonice vocari contingat, promoveri valeat, apostolica, prout secundum Deum expedire videris, auctoritate dispenses.

B C D

EPIST. IX. MARTINI PAPÆ IV. Ad magistrum & priores provinciales ordinis Prædicatorum.

Ut prædicationis munus exercere & confessiones pœnitentium fratres ab eis designati audire valeant.

Ex mss. Colbertinis.

DIlecto filio... magistro, & provincialibus prioribus ordinis Prædicatorum.

Ad fructus uberes, quos in agro dominico prædicando verbo pariter & exemplo, confessiones audiendo, & per alia virtutum exercitia, sacer ordo vester & humiles ipsius ordinis professores produxerunt hactenus, & in futurum sperantur, Deo auspice, producturi, attentæ considerationis aciem convertentes; ut fratres ejusdem ordinis prædicationis & audiendi confessiones officia eo libentius & efficacius exequi valeant, quo certius de ipsorum circa eadem auctoritate constabit, tibi, fili magister, vobis provincialibus prioribus cum diffinitoribus in provincialibus vestris capitulis congregatis committendi auctoritate apostolica fratribus ejusdem ordinis in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis a vobis prædicationis officium, audiendi vero confessiones, & absolvendi confitentes, & injungendi eisdem pœnitentias salutares, etiam fratribus aliis idoneis concedendi: Eisdem quoque sæpefati ordinis fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa fuerint, quod eadem libere valeant exercere, plenam damus & concedimus auctoritate præsentium facultatem: districtius inhibentes, ne quis fratres ipsius ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, ut præmittitur, seu etiam committenda, in exercitio aut in executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire. Volumus autem quod hii, qui fratribus confitebuntur eisdem, suis parochialibus presbyteris saltem semel in anno, prout generale concilium statuit, confiteri nihilominus teneantur, quodque iidem fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter secundum datam eis a Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo. &c.

EPIST. X. MARTINI PAPÆ IV. Ad regem Castellæ & Legionis.

Condolet ipsi super filiorum suorum rebellione.

Anno 1282. Ex mss. Colbertino.

REgi Castellæ & Legionis illustri.

Volucri fama prænuntia tuæque celsitudinis litteris & nuntiis in nostram deductis noticiam, initæ contra regalem excellentiam damnandæ factionis eruptio, &

detestandus processus ipsius, ut primum patris insonuit auribus, horrorem ingessit auditui, paternum amaricavit animum, & in eo multæ compassionis spiritum excitavit. Auditam namque tuæ persecutionis detestabilis & oppressionis novitatem auditus abhorruit, & consideratione mutua opprimentium & oppressi considerantem nimirum non levis amaritudo perfudit. Habet enim litterarum & nuntiorum eorumdem assertio, quod dilectus filius nobilis vir SANCIUS, (a) alique tui filii subditi, contra te subito insurgentes, & ad tuæ totalis exheredationis injuriam conspirantes, officiales quos instituceras amovere, instituere alios, & omnia tibi regalia jura subtrahere præsumserunt, nullumque tibi dominium, nullamque potestatem te in tuis regnis, præterquam in regno Wandaliæ, & quamdiu vacasti & adhuc vacas Dei obsequiis, habere permittunt. Quis igitur animo non amaricato consideret filios, sacris patriis violatis, sic immaniter erectos in patrem, alitos in alumnum, & subditos, fidelitatis abrupto fœdere, fidemque Domino debitam præterire. Profecto, fili carissime, dum hæc paterno pensamus affectu, in te prædilecto ecclesiæ filio, tam gravis depressionis opprobrium, in deprimentibus vero propriæ saluti obvios abominamur excessus. Sed quia de tantis illatis serenitati tuæ injuriis paterna specialiter viscera commoventur, tibique de tanta deliberatione regiæ dignitatis singulariori caritate compatimur, te singulariter confortamur & hortamur in Domino, quod non concidat regalis animus a facie alicujus adversi, sed sub illius spe atque fiducia resumens fortitudinis spiritum, quod ad nutum sua omnipotentia humiliat & sublimat, in ipso confidas & speres, quod sua victrici dextra restituat in integrum statum tuum; pro certo sciturus, quod nos attentam deliberationem super his cum fratribus nostris solerter inceptam, cum multa diligentia prosequentes, in omni sinceritatis affectu desideramus, & intendimus super illis prout ineffabilis Altissimi providentia indulgebit, utiliter de ipsorum fratrum consilio providere.

(a) A episcopis & aliis ecclesiarum prælatis, ac dilectis filiis magistro militiæ Templi, priori, hospitalis Jerosolymitani, magistris militiarum S. Jacobi, & Calatravensis per Castellæ & Legionis regna constitutis &c.

Insurgentis fremitus tempestatis, quæ Castellæ ac Legionis regna concutit, fratres in fratrem provocat, filios armat in patrem, subditos in dominum erigit, vastitati bona, stragi corpora, & animas, quod amarius deploramus, dispendio salutis exponit, *in* nostram notitiam diversarum litterarum & & famæ præviæ nunciatione deductus, ubi B primum auribus nostris insonuit, horrorem *ingessit* auditui, paternum amaricavit animum, & in eo multæ compassionis spiritum excitavit. Quis enim absque amaricatione recenseat inter tanta sibi necessitate conjunctos jura sanguinis violari? Quis animo non amaro consideret filios ante diem non tam in patrios annos inquirere, quam finem illorum iniquis aggressibus maturare; patrem commotum etiam filialis persecutionis injuria, in natos arma gerere, ac eos cogi saltem per defensionis remedium desævire. Quis amare non ferat germanos odiis se impetere mutuis, & maxime C beneficiorum liberalitate præventum in benefactorem insurgere, illius non solum humiliationem, sed sicut fert gravis infamia, dejectionem extremam quærere, apertisque conatibus procurare? quis non horreat subditorum audaciam, fidelitatis fœdere violato erectam *in Dominum*, & ad subversionem regalis solii spirare. Habet enim communis famæ relatio, quod dilecti filii nobiles viri SANCIUS, aliusque carissimi in Christo filii nostri *A* regis Castellæ ac Legionis illustris nati EMMANUEL germanus, necnon subditi regis ejusdem, D in eum subito insurgentes, & aspirantes ad totalem exheredationem ipsius, officiales quos idem rex instituerat in suis regnis & terris penitus amovere, instituere alios, & omnia sibi regalia jura subtrahere præsumserunt, eumdemque regem nullum dominium, nullamque potestatem in prædictis suis regnis & terris habere permittunt. Hæc de paterno pensamus affectu, licet tam ad oppressos, quam ad opprimentes compassione multimoda moveamur, in dicto rege E tamquam in prædilecto ecclesiæ filio tam gravis oppressionis opprobrium; in opprimentibus vero propriæ saluti obvios abominantes excessus, eidem tamen regi singulariori caritate compatimur, quanto spiritualibus ei vulgaris assistit opinio, eumque communiter prædicat, & nimis temerarie nimis inique gravari. Cum itaque, fratres & filii, ad remedium in his, si consonent

EPIST. XI. MARTINI PAPÆ IV.
Ad universos archiepiscopos, episcopos prælatos &c.

De rebellione Sancii & Emmanuelis in Alphonsum patrem Castellæ & Legionis regem.

Anno 1282. *Ex ms. Colbertino.*

MARTINUS episcopus, servus servorum Dei universis archiepiscopis,

(a) De hac conspiratione, quæ Cordubæ cum baronibus, magistris ordinis Calatravæ & Valesii, priore Hospitalis, commendatore Templi, & vices gerente magistri Castellæ & Legionis anno 1282. facta est, videndus est Mariana de reb. Hisp. lib. 14. cap. 5. & Surita indic. lib. 2.

facta

facta relatibus, celeriter adhibendum, propter vitandà præcipue animarum pericula intensis desideriis intendamus, recurrendum deliberavimus ad excelsum, qui super regnum hominum dominatur, in cujus manu sunt omnium potestates & jura regnorum, & apud ipsum humillimis supplicationibus insistendum, ut benignus eosdem regem, natos, germanum, ipsius regna eadem, incolas respiciat eorumdem, ab illis dissensiones amoveat, dissidentium corda in concordiæ unitate conciliet, eis tranquillitatem tribuat, ipsosque in illius soliditate consolidet & confirmet, thronum regalem restituat, quod sic utiliter præsit ut prosit: cujus regimen sic regat, ut dirigat, & cedat subditis ad salutem perpetuam, quietem & pacem, nobisque ipsa, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, modos & vias aperiat, per quos hoc, ut in votis gerimus, efficaciter promovere possimus. Quia votis ad ista universitatis nostræ suffragia credimus & speramus multipliciter opportuna, ipsum monemus, rogamus, & hortamur, ac per apostolica vobis scripta mandantes, ac in remissione peccatorum injungentes, quatenus vestris desideriis in hac parte confirmatis, & vestra apud ipsum regem pacificum, cujus pax exuperat omnem sensum, sic ad præmissa devotis animis & precibus insistatis, ad eadem nihilominus sollicitam & efficacem daturi opem & operam per vos ipsos, quod ab eodem retributore bonorum omnium æternæ retributionis gratia exinde merito expectare possitis, ac nostram & apostolicæ sedis benevolentiam in nostris opportunitatibus favorabilem experiri. Datum apud Montem Flasconem v. Kal. Octobris.

EPIST. XII. MARTINI PAPÆ IV. Ad Johannem cardinalem titulo S. Ceciliæ.

Adversus Petrum Aragonum regem, qui Siciliæ regnum ecclesiaque Romanæ jura invaserat.

Anno 1283. Ex ms. Colbertino.

MARTINUS episcopus &c. dilecto filio JOHANNI titulo S. Ceciliæ presbytero cardinali.

Solebat hactenus mater ecclesia contra infideles suos persecutores ecclesiæ & fidei fidelium mentes profundis excitare clamoribus, exhortationibus invitare sedulis, & ipsorum suffragia implorare. Clamabat anxia considerationis obtutibus eminus inimicos aspiciens. Anxiabatur quasi parturiens persecutionem populi Christiani sentiens e longinquo. Nunc autem in eo graviori anxietate posita, quo gravius sentit cominus infestos diræ persecutionis aculeos, & infestatur durius e vicino, de propria liberatione sollicita, vocem tanto profundioris clamoris exaltat, tantoque amariores solitis molestias depromere cogitur in auribus filiorum, quanto æstimare potest amarius, debetque ferre molestias per degeneres filios, quos sibi per regenerationis lavacrum generaverat, impeti, quam per eos quos adhuc paganorum cæcitate detentos unitati ecclesiæ ipsius & fidei unda baptismatis non univit. Ecce siquidem, sicut in omnem ferme orbis angulum creditur diffamatum, ille iniquitatis filius PETRUS quondam rex Aragonum, in contemtum damnabili temeritate deducto, quod ratione regni Aragoniæ ipsi ecclesiæ a claræ memoriæ avo ejus oblati, & censualis tam ab illo quam ab aliis ipsius prædecessoribus constituti, ad fidelitatis debitum, ad quod idem avus ipsum sicut & suos ceteros in regno successores eodem tempore oblationis hujusmodi obligarat, nobis & ipsi ecclesiæ tenebatur, de procedendo in Africam prætento colore, continuatis dolis, & insidiis machinatis, contra nos, eamdem ecclesiam, & carissimum in Christo filium nostrum C. Siciliæ regem illustrem, nulla diffidatione præmissa, quod proditionis non caret nota, procedens, insulam Siciliæ, terram peculiarem ipsius ecclesiæ, licet jam memorato Siciliæ regi rebellem, adhuc tamen ejusdem ecclesiæ recognoscentem dominium, & nomen publice invocantem, militum & peditum caterva stipatus, invadere ac occupare præsumpsit, & in illa ejusdem ecclesiæ pacem turbans gravem contra eam seditionem excitans, graviterque populum concitans, in eam temeritatis prorupit audaciam, quod rebellibus ejusdem insulæ monitionibus, inhibitionibus, pœnarum comminationibus factis, & excommunicationis & interdicti sententiis promulgatis a sede apostolica contra dictos rebelles, complices, & fautores eorum, vilipensis, omnino favens, eosque fovens aperte, ac se illorum ducem constituens & aurigam, regium in regno Siciliæ nomen usurpat, se regem Siciliæ nominat, & gerere pro Siciliæ rege præsumit, dictis rebellibus, aliisque regni ejusdem incolis ratione uxoris suæ filiæ quondam MANFREDI olim principis Tarentini, naturumque communium se falso teneri confingens: Cum sit notorium eumdem MANFREDUM posterosque suos a successione dicti regni Siciliæ non solum per maculam illegitimæ ipsius MANFREDI nativitatis exclusos, sed & per privationis sententias, contra quondam FRIDERICUM olim imperatorem, ipsius Mauri dicitur, genitorem, per felicis recordationis INNOCENTIUM papam IV. in Lugdunensi concilio, & postmodum specialiter contra ipsum MANFREDUM super omnibus quæ in regno habebat eodem, per piæ memoriæ ALEXAN-

DRUM papam prædeceſſores noſtros, exigentibus ipſius MANFREDI demeritis, promulgatas penitus alienos. Per hæc autem & alia quæ proceſſus noſtri ſuper his habiti plenius continet, idem PETRUS memoratos rebelles, & ſpecialiter Meſſanenſes adeo in ſua malitia obfirmavit, quod licet ante ipſius Petri in Inſula memorata præſentiam, humiliter venerabilem fratrem noſtrum GERARDUM epiſcopum Sabinenſem in partibus illis apoſtolicæ ſedis legatum & nuntios ſuos admitterent, poſtmodum tamen admittere denegarunt. Et quamquam variis monitionibus, inhibitionibus, pœnarum indictionibus factis, & ſententiis ſimilibus latis ſpecialiter contra eum, ipſum ſtuduerimus revocare, peremtorie citantes eumdem, ut a prædictis omnino deſiſtens, infra tempus quod ei pro peremtorio aſſignavimus termino, ad noſtra & ipſius eccleſiæ mandata rediret: alioquin ad exponendum regnum Aragoniæ, aliaſque terras ipſius, & ad ipſum privandum eiſdem, ex tunc, prout viderimus expediens, procedere curaremus, vaſſallis ſuis a fidelitatis juramento quo tenebatur eidem nihilominus abſolutis. Ipſe tamen ſe contumacem horum omnium exhibens contemtorem, a ſua perverſitate non deſiſtit, nec citationi præmiſſæ obedire curavit; ſed ſuæ iniquitati ſemper adjiciens, non ſine occiſione multorum & ſtrage, ad reliquas partes ejuſdem regni Siciliæ occupandas, varias multiplicavit inſidias, diverſoſque conatus extendit. Et ut nihil omittat ad perſecutionem noſtram & ipſius eccleſiæ intentatum, ad pacificum ſtatum Urbis, patrimonii B. Petri, aliarumque terrarum ipſius eccleſiæ ſubvertendum, & partes eaſdem a noſtræ obedientiæ debito avertendas, ſicut ex multorum fida relatione percepimus, nunc per nuntios, nunc per litteras, variis machinationibus nititur, & niſibus fraudulentis inſiſtit, ut nos & ipſam eccleſiam iniquitate conculcet. Horum & majorum exceſſuum dicti PETRI, quos velut notorios parcius voto vitandæ prolixitatis attingimus, continuatione concutimur, eorumdem vexationibus continuatis impetimur, & impetiti continue non immerito anxiamur: maxime autem anxietatibus noſtris adjiciunt, totius Chriſtianitatis conſiderata diſpendia, dum, deſtinato terræ per hoc impedito ſubſidio, conſideramus, non ſine amaritudine nimia terram ipſam deſperationis periculo, immo & perditionis exponi; dum recuperatio imperii Romaniæ, quam Palæologi ſubtractio, filiorumque ſuorum, ut publicat publica fama, diſſenſio, & dicti regis Siciliæ ad eam proſequendam nota diſpoſitio paratam & facilem veriſimiliter offerebant, proh dolor! abſque ſpe proximæ facultatis ſimilis impeditur. Has quoque noſtras & ipſius eccleſiæ amaras angustias, venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & aliis eccleſiarum prælatis, exemtis & non exemtis, Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis, S. Benedicti, S. Auguſtini, Cartuſienſis, Grandimontenſis & aliorum ordinum, necnon magiſtris & præceptoribus Templi, militiæ Hoſpitalis, S. Johannis Jeroſolymitani, & B. Mariæ Theotonicorum conſtitutis per regnum Franciæ, per alias noſtras ſub certa forma litteras exponentes, eis ſuggerimus, ut ipſas pia meditatione penſantes, & religionis Chriſtianæ damna gravia nobiſcum animo amaro deflentes, in ſcrutinium exactæ diſcuſſionis inducant, quanti ſit hujuſmodi nequam & inſidioſi hominis perſecutio, plena periculis, quanta diſcrimina ſecum trahat, quæ ut aperta ſatis perhibent argumenta, infidelium etiam principum colligata * perfidiæ, illorumque ſuffulta ſuffragiis ſpiritualiter etiam ſpiritualis ejuſdem catholicæ fidei dirigitur & nititur protectores. Quæ cum in ſui principio ſic negotia Chriſti, ſic commoda Chriſtianitatis impediat, ſi procedat ulterius, ſi quod abſit de occupatione dicti regni Siciliæ iniquum deſiderium obtineat, omnis humani remedii ſpem in illis ſaltem ad tempora multa præcidet, omniſque labor non ſolum a felicis recordationis Gregorio papa X. prædicto noſtro ſuiſque fratribus, ſed ab eccleſia univerſali aſſumtus, & ipſorum expenſæ profuſæ, ad idem terræ præfatæ ſubſidium præparandum omni fruſtraretur effectu.

* f. perfidio.

EPIST. XIII. MARTINI PAPÆ IV. Ad regem Angliæ.

Gratulatur ei quod a Sicario percuſſus, vitæ periculum evaſerit, hortaturque ut terræ ſanctæ negotium ſtrenue proſequatur.

REgi Anglorum illuſtri.

Anno 1284. Ex reg. Caiet.

Magnum ad terræ ſanctæ negotium regiæ devotionis affectum apertius verbis extollimus, tamquam evidentia facti notorium, & cœleſtibus indiciis approbatum. Siquidem late patet, vel potius latius eminet, qualiter nonnullis olim molientibus, te accitum magnifice ad ipſius terræ ſanctæ ſuccurſum, ab aſſumti ad hoc itineris proſecutione retrahere, illa tuum propoſitum conſtantia firmavit Altiſſimus, ut velox abruptis diſſuadentium & diſſuaſionum retinaculis, abſque cunctatione procedens & ad terram eamdem, ſeu perutilis advenires, quaſi ejus neceſſitatibus divinitus in tempore parationis, cum talis ipſius tunc ſtatus ſeu verius caſus exiſteret, quod illud, proh dolor! modicum, quod de ipſa Chriſtianitate remanſit, a fidei hoſtibus infeſtius ſolito impetitum, ſe non tam ad defenſionis

constantiam, quam ad deditionis dispendium & ignominiam disponebat, sed resumto de tuo & tuorum adventu fortitudinis spiritu, viriliter eisdem hostibus restitit, & adhuc superni auxilii virtute resistit. Nec sine pia compassione viscerumque commotione recolimus, datum tibi cœlitus illud evidens divinæ gratificationis insigne, dum te assasini cujusdam insidiis, animam tuam prodirioſæ familiaritatis astutia petentis, expositum, & plurium ab eo gravium vulnerum adeo acerba illisione confossum, ut mortem communi judicio minarentur, Redemtor humani generis miraculose reservavit ad vitam, in hoc acceptos sibi tuos, quos subibas ejus contemplatione labores, gratumque quod prosequebaris obsequium evidenter ostendens. Nunc ergo, fili carissime, attente considera, prudenter attende, si rex cuivis commilitoni suo rei gestæ viriliter acceptationis aliquod tribueret argumentum, quantum ad hoc ipsius adjiceretur audaciæ accresceretque virtuti. Putasne is in illius propulsandis injuriis aut opprobriis judicandis torpesceret amplius, aut pigritaret ulterius? Profecto vir animi virtuosi vix rebus consuleret, vix etiam vitæ parceret, quin ejus dispendiis, non expectata instantia requisitionis, occurreret, in arma prorueret, & otio relegato, si non delectu periculi, etiam in hostes confertissimos prosiliret. Et tu, princeps inclyte, num data tibi a Rege regum in tam mirabili tui conservatione, sic evidentia suæ approbationis indicia negliges, & ad prosequendum cœptum in sui honore servitium ipsi acceptum, & ab eo patenter per exhibitionem tam grandis beneficii acceptatum promtior præsertim in instantis opportunitatis tempore non exurges? Nosti quidem varios mundi reges & principes, magnates & alios ad succurrendum personaliter terræ sanctæ, illi non solum voti emissione, sed & salutiferæ crucis assumtione dispositos; nec te latet grande illi subsidium, non sine gravibus Romanæ ac universalis ecclesiæ laboribus & oneribus præparatum, cujus executio te specialiter participem exigit, strenuitatem tuam efficacem sui ministram instantius expetit, de tua multipliciter potentia & magnanimitate confidit, sperans indubie sub divini propitiatione favoris, innumeros in auxilium sibi, tuo non immerito imitando affuturos exemplo. Eia ergo miles Christi, eia Christiani nominis propugnator, eia Christianitatis athleta, laudabile de illius terræ subventione propositum, quod ecclesiæ matri tuæ multotiens revelasti, ultra non lateat, nec de cetero deliteſcat, sed in apertum producas quod laudabiliter concepisti, tanto tuum meritum auctaturus & præmium, quanto id celerius publicando plures ad assumendum, idem negotium exemplari exhortatione tuæ assumtionis induces. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus & hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus ob tuæ redemtionis memoriam, causam tui prosequaris Redemtoris illud venerabile ac salubre vexillum, ejusdem redemtionis mysterium repræsentans, solemniter & patenter assumas, ad idem alios in æternæ retributionis augmentum pro datæ tibi circumspectionis industria, efficaciter inducturus. Ceterum verisimiliter supponentes tuæ promtæ in his exauditionis eventum, quia terminum generalis passagii differre non expedit, cum terræ necessitates ipsius dilationes non sufficiant expectare diffusas, quatenus tuum nobis consilium de illius assignatione rescribas, tempus quod ad id putabis idoneum aperte tuis litteris expressurus. Quod si forsan circa crucis assumtionem ad præsens in aliud quam petimus, tua, quod absit, sententia declinaret, quidquid super hoc regali animo sederit, ut consultius in eodem negotio procedi valeat, similiter regiis nobis postulamus apicibus destinandis per dilectos filios fratres Garnerium & Raynerium de Florentia ordinis Prædicatorum latores præsentium, viros utique providos & discretos, ac nobis & fratribus nostris meritis suæ multiplicis probitatis accepros, quos ad te propter hoc mittimus, intimari. Datum &c.

EPISTOLA B. DE NEAPOLI
Ad regem Angliæ.

Regem Angliæ insimulatum de translato in regium ærarium terræ sanctæ pecuniarum subsidio, monet ut se excuset.

REgi Angliæ illustri B. de Neapoli. *Ex mss. Colbertinis.*

Urget fidelitatis debitum, quo in multæ devotionis affectu me reputo excellentiæ vestræ serenitatis astringi, ea vobis incunctanter exponere, quæ in vestram deducta notitiam, viam aperiunt præcidendi contra vos detractionis materiam, consulendique monitui & saluti. Ecce si quidem, princeps inclyte, per fictiones, ut æstimo, æmulorum, grave contra vestri nominis claritatem murmur, ne infamia dixerim, in Romana curia insurrexit, & ad superiores usque devenit, videlicet quod decimam pro terræ sanctæ subsidio in regno vestro collectam, effractis sacris domibus in quibus erat depositа, occupari feciſtis, & ad ærarium regium pro vestra voluntate deferri. Hæc profecto credi, zeli quem ad eamdem terram geritis, & solitæ devotionis vestræ ad Deum & ecclesiam consideratio dissuadet. Nihilominus tamen quia dictum facile sequitur multitudo, & ad mala credendum hominum facilitas leviter inclinatur; expedit ut si circa hæc vestra innocen-

tia veritate fulcitur, illam superiori, prout expedire videritis, ejusque fratribus vestris amicis, aliisque devotis d[illegible]licta curia celeriter referatis. Si vero sub quocumque colore vel occasione qualibet adeo sit processum, ut consonent facta relatibus, pro Deo, Christianissime principum, quod inordinate actum est, celeri reformatione corrigite, causas vel occasiones erroris in hoc casu vestris litteris illis celeriter exponentes, qui omni qua poterunt promtitudine in auxilium vestræ excusationis exurgent. Virtus Altissimi, princeps gloriosissime, illa det vobis in his & aliis agere, per quæ non solum claritati famæ, sed & integritati vestræ salutis consulatur ad plenum. Ceterum cum libera sint labia diligentis, si libere loquor, ut diligo, hujusmodi, quæso, in vestro Berardo clementer admittite libertatem.

EPIST. XIV. MARTINI PAPÆ IV. Ad regem Cypri.

Ut desistat a molestatione & occupatione bonorum magistri & fratrum Templi.

MARTINUS episcopus, servus servorum Dei carissimo in Christo filio illustri regi Cypri &c.

Habet, dilecti fili, magistri & fratrum militiæ Templi ad nos perlata querela, quod tu ipsorum bona in regno Cypri existentia, ut vulgari utamur, arrestans, eis illorum administrationem & usum liberum ipsis tam ex consuetudine quam a jure permissum, tuæ voluntatis libito interdicis, non permittendo ipsos bonorum fructus, & reditus eorumdem in Accon, ut consueverunt hactenus, pro sua voluntate, immo potius pro communi terræ sanctæ, cujus idem magister & fratres spirituales propugnatores existunt, utilitate transferre, in grave ipsius terræ dispendium, eorumdem magistri & fratrum præjudicium & gravamen. Hæc profecto, si veritate nitantur, nec tuæ famæ congruunt, nec saluti. Nec enim te decet incommodis terram prædictam afficere, cujus obtutu & reverentia Redemtoris, qui eam ob redemtionem humani generis suæ nativitati & passioni delegit, teneris commoda promovere. Nec tibi profecisset, sed officit potius ad salutem, si religiosos quos regio debet favore protegere, in se vel rebus suis damnis vel injuriis afficit, molestiis aut pressuris infestas. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur, ac in remissionem tibi peccatorum injungentes, quatenus prudenter attendens, quod, si querela præmissa veritate non caret, a catholicorum principum semitis, quorum memorat recolenda memoria intentionem & actus ad terræ præfatæ labo- A rasse profectum, religiosos protexisse favoribus, & munificentiis confovisse, sunt serenitus alienæ; atque ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ab omni eorumdem magistri & fratrum in præmissis & aliis infestatione desistas, ipsos prædictis bonis suis, &c.

BULLA NICOLAI PP. IV.

In qua enumerantur census ecclesiæ Romanæ ex aliis ecclesiis.

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & apostolicam benedictionem. *Anno 1291. Ex reg. cardinalis Ostiensis anni Malachiæ.*

Cum dilectum filium magistrum Albertum de Grundula canonicum Lucanum scriptorem nostrum in regnum Franciæ necnon ad partes Burgundiæ, ac Provinciæ & nonnulla loca circum adjacentia pro colligendis censibus, & aliis ecclesiæ Romanæ debitis, ac quibusdam ipsius ecclesiæ negotiis destinemus, necnon de debitis hujusmodi censuum aut personis, vel locis, a quibus debentur dubitari contingat, census & nomina personarum & locorum ipsorum, sicut in registris ejusdem Romanæ ecclesiæ continentur, sub bulla nostra præsentibus fecimus annotari. In episcopatu Augustensi, monasterium S. Odalrici unum marabotinum, ecclesia sanctæ Mariæ de Beccibule albam & stolam, ecclesia sanctæ Crucis unum marabotinum, monasterium S. Martini de Combsan unum marabotinum, monasterium S. Johannis de Stangan unum marobotinum, monasterium Mausen unum marabotinum, monasterium in Weidhe unum marabotinum, monasterium in Derneshim unum marabotinum, monasterium in Lorica unum marabotinum, monasterium in Scheubrunem duodecim denarios Augustensis monetæ, ecclesia in Clicçe unum maraborinum, ecclesia in *Perenrich*, albam, amictum per biennium; ecclesia S. Mariæ in *Rothenhuit* unum marabotinum, monasterium S. Martini unum marabotinum, ecclesia S. Augustini de Racebore unum marabotinum, ecclesia S. Johannis de *Staengan*, unum marabotinum, monasterium de *Alchingin* tres aureos. In archiepiscopatu Bisuntinensi monasterium de Lustra decem solidos Basilienses monetæ, ecclesia S. Mariæ Castri-Caroli debet de septennio in septennium decem libras ceræ pro censu. In episcopatu Basilienst ecclesia S. Petri unum marabotinum, ecclesia Remorigensis & de Colinbere unum bisantium annuatim, monasterium S. Vincentii unum marabotinum, monasterium sanctæ Crucis duas uncias auri pro Rosa

(a) aurea in (a) *Letare Jerusalem*. In episcopatu Lausanensi ecclesia Hylarcensis unum marabotinum, ecclesia S. Mariæ Paterniacensis duos solidos. In archiepiscopatu Ebredunensi ecclesia Crossiensis juxta Burgum, quod vocatur *Malturdel* unum marabotinum. In archiepiscopatu Aquensi Petrus de Lambisco unum marabotinum, Hospitale de *Consulat* unum marabotinum, monasterium de Sorduaho quinque solidos. In episcopatu Aptensi Ginandus cum fratribus & nepotibus suis tres marabotinos. In episcopatu Forojulienſi ecclesia Puniacensi septem solidos Mergulienses veterum monetæ, ecclesia S. Mariæ Barjolensis unum marabotinum. In episcopatu Sistericensi ecclesia S. Martini de Croco unum marabotinum, ecclesia S. Martini Crostiensis unum marabotinum. In archiepiscopatu Arelatensi monasterium S. Petri .... quatuor solidos, pro castello autem Biduinis thuris libras tres; monasterium S. Gervasii de Fossis quinque solidos, monasterium Arelatense viginti solidos. In episcopatu Massilienſi communitas Massiliensis debet annis singulis ecclesiæ Romanæ centum cobolos *Maßamunt*. In episcopatu Avenionensi monasterium S. Andreæ apud Montem Avenionis tres libras ceræ, & pro ecclesia S. Petri de Thathone duas libras ceræ. In episcopatu Auraicensi dominus ejusdem villæ dimidiam marcham argenti. In archiepiscopatu Viennensi ecclesia Romanensis debet annuatim pro censu unum denarium Amigdalarum, quod geminatum facit mediocrem saumam. In episcopatu Valentinensi Geraldus Armarii de Montilio unum marabotinum, ecclesia S. Rufi debet annis singulis tres marabotinos pro possessionibus de Secasitis in diœcesi Agatensi. In episcopatu Maurianensi Hospitale de Rupetula factum est centuale in duodecim Viennensibus. In archiepiscopatu Lugdunensi ecclesia S. Eugendi unam unciam auri, monasterium Insulæ Barbaræ duas uncias auri, monasterium S. Petri Montis Viridoni unum bisantium. In episcopatu Eduensi monasterium S. Mariæ Magdalenæ Virziliacensis unam libram argenti puri. In episcopatu Lingonensi ecclesia Pulterensis unam libram argenti, ecclesia Divionensis unam marcham argenti. In archiepiscopatu Senonensi monasterium Ferrariense unam unciam auri singulis triennis, monasterium S. Columbæ unum marabotinum. In episcopatu Parisiensi monasterium Latiniacense unam unciam auri, ecclesia S. Thomæ pauperum scholarum Parisiensium recepta est sub protectione Romanæ ecclesiæ pontificatus domini INNOCENTII papæ III. anno duodecimo, & debet singulis annis pro censu duos cobolos aureos. In episcopatu Carnotensi monasterium Vindeciense duodecim solidos Andegavenses, ecclesia S. Mariæ de Grandicampo unum *melach*. In episcopatu Nivernensi monasterium Salviacense unum marabotinum. In episcopatu Autisiodorensi monasterium Verziliacense unam libram argenti, dominus de Douza duas uncias auri. In episcopatu Trecensi ecclesia Paracliti unum cobolum auri, ecclesia S. Urbani Trecensis unum cobolum auri in festo omnium sanctorum. In episcopatu Suessionensi monasterium S. Medardi dimidiam libram argenti. In episcopatu Cathalaunensi monasterium Omnium sanctorum in Insula Cathalaunensi decem solidos illius monetæ, monasterium de Chirino duodecim denarios Cathalaunensis monetæ. In episcopatu Cameracensi monasterium Lobiense unum marabotinum, Hospitale de Avenis unum cobolum auri. In episcopatu Morinensi unum Teroanum, ecclesia S. Bertini unam unciam auri, monasterium S. Wulmarici unum bisantium, monasterium S. Mariæ de Capella duodecim Lucenses, Hospitale S. Trinitatis de Suntingelfelde centum alecia annuatim, & solvit pro decem annis præteritis, mille ducenta alecia in anno decimo domini Gregorii papæ noni. In episcopatu Atrebatensi ecclesia Marciacinensis quatuor marabotinos, monasterium S. Vedasti unam unciam auri, pro qua solet solvere quadraginta duos solidos Parisienses. In episcopatu Ambianensi monasterium Corbeiense unam unciam auri, monasterium S. Ricarii in Pontivo unam unciam auri, monasterium S. Wualleric supra mare unam unciam auri. In episcopatu Belvacensi, ecclesia Gerborardensis unum bisantium. In archiepiscopatu Rothomagensi capella de Hays unum bisantium. In episcopatu Ebroicensi Hospitale S. Trinitatis de Velvolio unum cobolum aureum. In episcopatu Sagiensi Hospitale S. Johannis Sagiensis unum cobolum auri. In episcopatu Constantiensi, fratres de Monte-angelorum unam monetam auri, præpositus S. Martini de Burro unum bisantium. In archiepiscopatu Turonensi ecclesia S. Mariæ Nucariensis unum marabotinum, ecclesia S. Martini, quæ vocatur Majus-monasterium unam unciam auri, ecclesia S. Juliani duos marabotinos, monasterium Nucariense unum marabotinum, monasterium S. (b) Sepulchri unum marabotinum, ecclesia S. Mariæ de Lochis,

(a) Id est in Dominica quarta quadragesimæ, cujus introitus missæ incipit ab his verbis *Lætare Jerusalem*, in qua summus pontifex rosam auream mittit ad insignioren principum in curia residentium.

(b) Monasterium S. Sepulcri est Bellilocnse. S. Trinitatis prope Lochas constructum ad modum Sepulchri Jerosolymitani, a Fulcone Nera comite Andegavensi.

quinque ſolidos Pictavienſis monetæ, ecclesia S. Guincolegii decem ſolidos Cenomanenſis monetæ, eccleſia S. Florentii Salmurienſis tres marabotinos. In epiſcopatu Cenomanenſi eccleſia S. Guicolegii duodecim denarios de Caſtro-Carduciarum illius monetæ, eccleſia S. Mariæ de Ulmaneto unum marabotinum. In epiſcopatu Redonenſi nobilis vir Guillielmus de Guercia debet ſingulis annis unum biſantium. In epiſcopatu Andegavenſi eccleſia S. Mariæ monialium quatuor biſantios ſingulis annis, monaſterium S. Florentii Salmurienſis tres aureos, pro quorum quolibet ſolvere ſolet decem ſolidos Turonenſes pro eccleſia S. Florentii-veteris. In epiſcopatu Nannetenſi monaſterium S. Salvatoris tres aureos. In epiſcopatu Coriſopitenſi Keperelienſe duos marabotinos. In epiſcopatu Venetenſi monaſterium Redonenſe tres biſantios. In archiepiſcopatu Bituricenſi eccleſia S. Severæ juxta oppidum ejuſdem nominis unum marabotinum, monaſterium Dolenſe unam unciam auri, domus Dei pauperum de Cuſlano unum biſantium. In epiſcopatu Claromontenſi monaſterium Caſæ Dei unum marabotinum, monaſterium de Monteferrando unum marabotinum; monaſterium Auriliacenſe decem ſolidos Pictavenſes, & pro Soliaco quinque ſolidos, & pro cella Maürzienſi quinque ſolidos, comes UBERTUS dimidiam marcham argenti, eccleſia Brivatenſis unum marabotinum, hoſpitale quod dicitur Petras albas unam libram ceræ, & GUIDO comes Alverniæ debet ſingulis annis unam unciam auri pro Caſtro de Uſſonio, quod eſt proprietatis eccleſiæ Romanæ, & in feudum ſibi conceſſit, monaſterium S. Petri Baſſilienſis quinque ſolidos. In epiſcopatu Ruthenenſi eccleſia S. Petri Claravallis ſingulis bienniis unum marabotinum, eccleſia ſanctæ Mariæ de Candabria quindecim ſolidos, monaſterium Manatenſe decem ſolidos, vel duos marabotinos, Vabrenſe monaſterium unum marabotinum, Cella S. Petri de Nante decem ſolidos, Hoſpitale domus *de Albrac* unum marabotinum, monaſterium S. Antonii, quod ſitum eſt in Condacenſi pago quinque ſolidos Ruthenenſis monetæ. In epiſcopatu Caturicenſi eccleſia S. Sepulchri tres ſolidos Pictavenſes, monaſterium S. Mariæ de Roccha-majori unam marcam argenti, eccleſia S. Salvatoris cum capella S. Michaelis unum aureum. In epiſcopatu, Lemovicenſi eccleſia S. Petri de Oſcha unum marabotinum, eccleſia Stirpenſis unum marabotinum, eccleſia Uſercicenſis unum marabotinum, eccleſia Brivenſis duos ſolidos, eccleſia Grandimontenſis duas uncias auri. In epiſcopatu Mimatenſi unum Caballorum. In epiſcopatu Albigenſi eccleſia S. Petri de Famaria unum marabotinum, caſtrum ſcuriæ duas uncias argenti, monaſterium S. Bernardi* de Caſtris quinque ſolidos Mergulienſes, monaſterium S. Salvii unum cobolum aureum, epiſcopus Albigenſis duas marcas ſterlingorum pro cenſu de Scuria. In epiſcopatu Anicienſi ſive Podienſi qui eſt domini papæ Petrus Iterii unam marcam argenti de villa, quæ vocatur Bargetum, eccleſia S. Theofredi quinque ſolidos Podienſes pro ſe, & quinque pro eccleſia Lingoniæ ſanctorum Gervaſii & Protaſii. Datum apud Urbem-veterem idus Septembris pontificatus noſtri anno tertio.

* f. S. Benedicti.

EPISTOLA... (a) PAPÆ (a)

Ad Robertum comitem Nivernenſem.

Scribit quod debeat inducere patrem ad pacem faciendam cum rege.

Dilecto filio nobili viro R. comiti Nivernenſi primogenito dilecti filii nobilis viri comitis Flandriæ ſalutem.

Eximiæ caritatis affectus & dilectionis fervor, quos generaliter ad totius mundi ſtatum pacificum & præſertim regni Franciæ, & membrorum ejus tranquillitatem & pacem, & dilectum filium nobilem virum comitem Flandriæ patrem tuum, teque & alios fratres tuos gerimus, fructuſque plurimus ex pace proveniens, timor & anxietas qui de guerra ſuccreſcunt, conſiderationis inſtantis ſtimulis ſollicitant mentem noſtram, & quantumcumque labores hactenus per nos ſumtos circa pacis negotium inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum PHILIPPUM regem Franciæ & Navarræ, & illuſtrem præfatum genitorem, teque & fratres tuos prædictos, & ceteros Frandrenſes, cum conſervationis beneficio debitis, & ſalubribus ſecuritatibus ſolidandum, inductiones & monitiones præhabitas ſuper eorum rationes oſtenſas hucuſque viderimus ex ejuſdem genitoris tui parte ab efficacia exauditionis opportune dilatos non deſiſtamus a cœptis, ſed inſiſtamus eiſdem, concepta ex alto fiducia, quod cum ſuper re pia & laudabili

(a) Codex reginæ Sueciæ, ex quo hanc Mabillonius eruit epiſtolam, nullum præfert nomen auctoris ſcripta eſt autem ad Robertum comitem Nivernenſem, filium Guidonis comitis Flandriæ, quo cum Philippus Pulcher Franciæ & Navarræ rex cruentiſſimum habuit bellum, ſcripta, inquam, ſub finem vitæ Guidonis, cum ſcilicet provectæ eſſet ætatis & ad occaſum propinquaret. Obiit vero nonis Martii anno 1305. octogenario major. Hinc conjicimus hanc epiſtolam a Benedicto XI. qui anno 303. ſummus pontifex renuntiatus eſt, aut ab aliquo ex præcedentibus pontificibus datam fuiſſe.

laboremus, ejus auxilio qui poteſt etiam res deſperatas faciles reddere, idem genitor tuus perſæpe commonitus, ſibi & ſuis in hac parte proſpiciens, monitis & perſuaſionibus noſtris ſalubribus finaliter acquieſcet; & te, fili, quæ cum regis & genitoris tui prædictorum procuratoribus & nuntiis ſuper præſtandis & recipiendis utrimque ſecuritatibus ad præſentiam noſtram miſſis noſtrum conſilium audituris tractata, quæve per omnes & ſingulos fratres S. R. E. cardinales ac notarios noſtros, & auditores palatii noſtri, venerabiles etiam fratres noſtros patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, ac dilectos filios electos, & quam plures magiſtros in Theologia & nonnullos alios litteratos & magnæ auctoritatis viros in Romana curia tunc præſentes, deliberatione præhabita diligenti ſuperdicta ſecuritate hinc inde præſtanda & recipienda, conſulta concorditer ſine alicujus diſcrepantia extiterunt, ad notitiam tuam, præmiſſorum omnium non ignaram, ſed relatione dictorum nunciorum ejuſdem patris tui plenarie informatam, iterata repetitione deducere ſuperfluum æſtimamus. Sed in eo quod idem pater tuus prædictæ deliberationi non annuit, quod tantorum virorum eminentium provida ſuper hoc impenſa conſilia admittere noluit, vel imitari contemſit; quod ſe ex hoc ſic evidenti nota reprehenſibilis elationis involvit, nolentes indulgere ſilentio quin illa ante ſuæ conſiderationis oculos apponamus, eidem ſuper hoc litteras dirigimus ſpeciales, inducentes eumdem ut conſideret jam ſuam provectiorem ætatem, cujus dies ad occaſum proclivior propinquat ad veſperam, meditetur ſtrages corporum, penſet pericula animarum & diſpendia facultatum, quæ ex guerrarum exercitio proculdubio oriuntur. Advertat inſuper quantum hoc ab eo qui non in ſtragibus hominum, non in vaſtitatibus rerum, ſed in bonis actionibus debet Deo offerre ſacrificium veſpertinum, eſſe debeant aliena: quodque præ omnibus debet affectare ferventius, & ad hoc præcipue laborare, ut filios heredes & poſteros ac ſubjectos ſuos poſt diem ſuæ peregrinationis extremum in pace dimittat, & quod his diligenter attentis, ad dandum & recipiendum ſecuritatem prædictam animum ſuum habiliter, & opere proſequente coaptet, ut priuſquam finis treugarum immineat inter eumdem regem & dictum comitem & filios ejus diſſentionis cujuſlibet materia auferatur, firmentur inter eos dilectionis identitas & unio animorum, ut dictus comes ac filii & heredes ſui ejuſdem regis qui eſt & erit pro tempore foti favoribus & auxiliis circumfulti, tanto in bonis ſucceſſibus & proſperitatibus ampliandis majus recipere poſſint augmentum, quanto amplius à ſic periculoſis guerrarum diſcriminibus per receptæ pacis commoda fuerint alieni. Cum itaque communis opinio habeat, quod præfatus comes conſiliis ſuis confidenter innititur, in ejus oculis gratioſas exiſtas, inductiones tuas grata voluntate proſequatur, tuiſque diſcretionibus quas fideles ſibi credit & utiles ad agenda quæ liquet ſecurius innitatur; nobilitatem tuam, rogamus, monemus, requirimus & hortamur attente in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus eumdem comitem ſalubribus inductionibus, & hortationibus opportunis inducas, ut ipſe prudenter attendens, præſcripta & infinita pericula, quæ guerræ producunt in præmiſſis, ulterius annuere noſtris, & tantarum præmiſſarum excellentium perſonarum conſilia non detrectet: ſed acquieſcat eiſdem, nec in dubio eventu guerrarum ſpem ſibi ſuiſque heredibus ſucceſſus proſperi repromittat, cum dubius ſit concertationum eventus, non ſolum ubi cum ſuperioribus agitur, ſed etiam cum confligitur inter pares. Tuque, fili, multiplicia bona, quæ ex ejuſmodi pace provenient, infra mentis tuæ arcana revolvens, ipſam amplectere, & ad recipiendum eamdem una cum præfato comite patre tuo, omnimodis te coaptes; florentique juventuris tuæ in bono regimine tranquillitatis & pacis expendere ſtudeas, guerrarum quantum potes, non provocando, ſed vitando pericula, in quibus plerumque juventus efficitur intempeſtive ſuccidua, & unde ſperatur gloria ex votivis ſucceſſibus, in contrarium verſis eventibus gloriæ ſimul & vitæ, belli adverſitate finis infertur: ſciturus pro firmo, quod ſi in hac parte noſtris ſalubribus exhortationibus acquieſcas, & tuos amplis favoribus proſequemur. Alioquin cum hujuſmodi inobedientia ex ejuſdem comitis parte procedens cenſeatur ab omnibus ex ſolo typo ſuperbiæ provenire, eidem regi non intendimus nec ſalva conſcientia poſſumus in ſuæ juſtitiæ proſecutione deficere. Quin ſibi prout expedire videremus & optimum fuerit, apoſtolici partes officii per nos & alios impendamus. Datum &c.

Sequitur epiſtola ejuſdem argumenti ſub hoc initio. Dilectæ in Chriſto filiæ nobis mulieri dominæ de Coſſiaco, nata nobilis viri R. comitis Flandriæ &c. *fol.* LXXXI. *ibidem verſo habetur epiſtola* de reformatione ſtudii Aurelianenſis, *inſcripta.* Dilecto filio Gaucelino tit. SS. M. & P. preſbytero cardinali, apoſtolicæ ſedis legato.

Fol. LXXXIIJ. *verſ. Innocentius V I. committit coronationem imperatoris Caroli patriarchæ C. P. vel Aquilegienſi ac Gradenſi.* Datum Avenione anno pontificatus I I.

Initio habentur hæc verba. Antiquorum servavit posteris imitanda traditio, quod Romanus rex, in imperatorem postmodum promovendus, antequam imperiale suscipiat diadema, corona duplici justitiæ insignitur: quarum primam argenteam, videlicet in ecclesia B. Mariæ de Aquis-Grani Leodiensis diœcesis, per manus archiepiscopi Colonienſis, qui est pro tempore, suscipit: alteram vero, scilicet ferream, A in ecclesia B. Johannis de Modœcia Mediolanensis diœcesis Cæsareo capiti Mediolanensis antistes imponit: ac deinde his peractis, prisco more solemnius rex idem Romanorum diadema hujusmodi materialiter aureum de manibus Romani pontificis, vel alterius cui Romanus pontifex id committendum duxerit, in basilica principis apostolorum susceperus accedit, &c.

EPISTOLÆ SELECTÆ JOH. DE MONSTEROLIO, PRÆPOSITI INSULENSIS.

Ex duobus mſſ. codicibus, uno reginæ Sueciæ, altero illuſtriſſimi domini Chauvelin, in ſupremo Pariſienſi ſenatu præſidis.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SELECTAS hic exhibemus JOHANNIS DE MONSTEROLIO *epiſtolas, duobus ex codicibus manu exaratis excerptas, quorum primum reperit Mabillonius Romæ, in bibliotheca reginæ Sueciæ, alterum indicavit extare penes illuſtriſſimum Achillem Harlæum Pariſienſis ſenatus integerrimum principem, a quo tranſiit in bibliothecam illuſtriſſimi domini* Chauvelin *eodem in ſenatu præſidis, qui pro ſua in omnes, ſed in nos maxime humanitate codicem illum utendum commiſit. Neuter tamen omnes Johannis de Monſteriolo epiſtolas complectebatur. Nam pauciores tantum reginæ Sueciæ codex, eaſque ſelectas* cardinali de Florentia, ut vulgus loquitur, appellato *nuncupatas exhibet, Chauvelinianus vero ducentas*, familiares *appellatas. Præter quas ſcripſit & regis nomine epiſtolarum volumen, quod utinam aliquando recuperari contingat. De his ad Nicolaum Clemangis ſcribens hæc habet.* Ecce, Bajocarum cantor digniſſime, ex magno parvum ſcriptionum familiarium ſuarum acervo faſciculum hunc tibi mandat tuus is, cui nomen eſt Johannes & Inſulæ titulus præpoſiti. Publicas vero qui regio nomine inſcribuntur volumen aliud ſeorſum continebit.

Illud autem his in litteris incommodum, quod pleræque nomine eorum, ad quos ſcriptæ ſunt, deſtituantur, nullaque temporis, quo directæ fuerunt, habita ratione, permixtim in codicibus exaratæ reperiantur. Titulos in ſubjectis epiſtolis ſupplevimus, ſuo cuique quantum aſſequi licuit, tempore aſſignato. Et eas quidem, quarum ætatem expiſcari potuimus, Chronologico ordine digeſtas primo appoſuimus loco, alias

Prout in codicibus jacebant, iis ſubjecimus. Porro non omnes hic damus Johannis noſtri epiſtolas, ſed eas tantum ex utroque codice ſelegimus, quæ ad ſchiſma pertinent, hiſtoriam cum eccleſiaſticam tum civilem elucidant, illuſtriora quædam facta exponunt, aut ſingulare aliquid docent.

Fuit vero Johannes de Monſterolio præpoſitus Inſulanus, aliiſque beneficiis eccleſiaſticis abunde ditatus, Delphini, ducis Burgundiæ ac tandem Caroli VI. regis ſecretarius, cujus nomine honorificas ad ſummum pontificem, imperatorem, alioſque reges & principes obivit legationes, uti diſcimus ex prolixiſſima ejus epiſtola de bellicis motibus, in qua ſingulari ſe Dei beneficio ſcribit, meruiſſe amicitias tot virorum optimorum, necnon & familiaritates & gratias ſummorum pontificum & regis Francorum ſingulares, & ut ſua majeſtas dignata fuerit repetitis vicibus ad eoſdem me, *inquit*, puſillum ſuum mittere pontifices, atque imperatores, ſeu duos reges Romanorum, reges quoque Angliæ & Scotiarum, ac reginas, & ad populos ac gentes alias quam plurimas. *Alibi etiam ait* : ſe crebra regii ſervitii occupatione *detentum. Neque tamen regia ſic Johannem noſtrum detinebant negotia, quin ſummam etiam cum litteratis ætatis ſuæ viris neceſſitudinem foveret. Hos inter præſertim eminebat celeberrimus ille doctor facultatis Pariſienſis Nicolaus de Clemagiis*, vas eloquentiæ, immo decus, gloria & ornamentum noſtrum, *uti eum appellat, quem* ſuum in Inſula coucanonicum, *ac* germani loco *complecti ſe alibi aſſerit ; cui etiam Cantoriam in inſigni Bajocenſi eccleſia procuravit. Muretum vero ſic alloquitur in quadam epiſtola:* Nonne, Murete, frater noſter, in utroque ſcribendi genere, ſoluto ſcilicet & ligato a pridem cognitus es ? quis eſt autem, ut verum producamus, qui Mureti inventionem, diſpoſitionem, ordinemque & eloquutionem ac cetera ad orandum utenſilia, ni livor obſtiterit, apprehendat, non ea laudet ac miretur, ut pene qui te audiat (cogimur hoc dicere) Johannem os aureum reviviſcere non autumet ? *Denique præceptores etiam ac magiſtros ſuos paſſim laudat, Petrum Manhac, Gunterum Colli, Jo. Flammingi, Johannem Venatoris, eoſque ſolet fratres appellare, ex quibus Gonterus* ſecretariatu regio emeritus *defungebatur.*

Ceterum Johannes de Monſterolio annum ætatis ſuæ ſexageſimum tertium non exceſſit, quo, cum integra adeo gauderet valetudine, quod numquam pro quavis infirmitate grabbato incubuerit, *publico in tumultu miſerrime cæſus occubuit. Nam in præcitata de Bellicis motibus epiſtola, ubi accepta a Deo beneficia commemorat, quidam in codice reginæ Sueciæ hanc ad marginem notam appoſuit :* Intempeſtive fortunam tuam beas, o Johannes, neſcis tuæ necis caſum turpiſſimum ſed deflendum. Anno M. CCCC XVIII. Pariſius occiſus eſt a Burgundionibus. *Id quod haud obſcure etiam innuere videtur alia epigraphe in margine codicis Chauveliniani etiam appoſita :* Ex hoc videtur quod iſtæ epiſtolæ fuerunt magiſtri Johannis de Monſterolio præpoſiti Inſulenſis ac domini Caroli VI. Francorum regis ſecretarii, quas mittit corrigendas magiſtro Johanni de Jarſonio cancellario Pariſienſis eccleſiæ. Qui quidem Johannes de Monſterolio obiit Pariſius menſe Junii 1418. eo ſcilicet tempore quo gentes ducis Burgundiæ intraverunt urbem Pariſienſem. *Porro prætereundum hic non æſtimavimus id quod de Carolo V. habet noſter Johannes in ſupra citata epiſtola de Bellicis motibus.* Quidquid Carolus noviſſimus, & quintus de hoc nomine, quo cum viximus ſatis diu, in adeo magnis adverſitatibus Franciæ ſubiit imperium, ut vix haberet ſecure quo caput reclinaret. Quin immo coram urbe Pariſienſi Navarrorum & Anglorum copiis abundantem obſidionem tenere fuit coactus, & poſtea quam fidelium intravit interventu, in regali palatio occiſis ſuis in amplexibus proceribus ſibi cariſſimis, tandem pro morte vitanda, præpoſiti mercatorum accepit & tulit accuratiſſime capucium.

EPISTOLA PRIMA.
Ad Benedictum papam XIII.

Gratulatur ei de sua ad summum pontificatum evectione, hortaturque ut schismati finem imponat.

Anno 1346 EXULTET cœlum laudibus, resultet terra gaudiis, jubilet sancta mater ecclesia, & fideles gaudeant universi, sed præcipue tota in gaudium & lætitiam sese resolvat regia stirps Arragonica, quæ palmitem talem produxit, qui ad resartionem scissuræ dominicæ & ecclesiæ reformationem miserabiliter agitatæ non humano consilio, sed divinitus oblatus & datus esse videtur. Quod quantum sperare habeant qui te viderunt, qui te audierunt de hac materia loqui, immo qui te virtutesque tuas norunt, patrum sanctissime & Benedictissime, cum hoc idem incolæ Angliæ & Scotiæ regnorum, quo recenter ad locorum reges e mandato dilectissimi filii tui Francorum regis, pro nonnullis arduis istud & dicta regna invicem tangentibus, cum altero consiliariorum suæ majestatis profectus sum, id de te expectent, præsagiant & prænosticent, & de maximis sapientiores, quibus & specialiter regi Anglorum patruisque suis ante scientiam evocationis * tuæ ad apostolatus fastigium, latine quibusdam & aliis in Gallico, ut haberem materiam familiarius cum eis loquendi, de facto ecclesiæ scripseram, sicuti videbis, si tanto dignor honore, ex copiis his annexis. Dicunt enim, ut ad incepta revertar: Per commode cecidit is, de cardinalibus antiquis est, is vidit utrimque totum geri, is litteratissimus est, is probissimus reputatur, is negotium discussit, & audivit plurimode conteri. Sub isto pacem oriri speramus ecclesiæ & assequi, vel, ut subjungunt, nulla salus, nulla umquam medicina ejus incommodis reperietur. Potes ergo, ut video, beatissime pater, fama quæ, ut Maro ait, ingreditur solum & caput inter nebulas condit, te domesticamque domum tuam immo patriæ laudem a generatione in generationem ampliare. Potes statum ecclesiasticum sic dimissum & prostratum relevare. Potes insuper matri tuæ & simul sponsæ dilectæ egrotæ admodum ac prope desperatæ, deque te & in te omnino confidenti & speranti mederi. Omnia sunt in te, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur. Age igitur, age, alme pater, quod de te tantopere non modo catholici, sed etiam schismatici præstolantur. Da pacem, domine, in diebus nostris, quæ in tua manu A sita est. In te & a te, ut dicunt, pendent leges & prophetæ. In speculis sunt multi, dico tibi, Benedicte pater. In te omnium oculi conjecti sunt, aspicientes quemadmodum te te geres, quemadmodum quod cum laudabiliter tum diligenter ac fervide inchoasti, & erga plurimos elaborasti enixe, de unione ecclesiæ procuranda, quod te solo potes, perficies. Cuncti de te bene opinantur, melius æstimant & optime augurantur, ut posset nullus credere, quin per te & in virtute tua fiat pax in ecclesia sancta Dei, non frustrentur boni a desiderio suo. In te speraverunt patres nostri, ne dubites, qui te ad apicem fuminum, quin potius super candelabrum, ut lucerent opera tua evexerunt. Ibi eniteat virtus tua, ibi gravitas patefiat, pandatur hic probitas, ibi magnanimitas tua ostendatur. Non inani modernorum vanitate, sed veluti de sapientissimo Catone Crispus testatur Salustius, quod esse quam videri bonus malebat, ut quo minus gloriam peteret, eo magis illam assequebatur. Materialia sunt ad formam disposita, apertæ sunt viæ, ut illam sempiternam consequaris, quod utinam fiat eatenus, ut sub protectione alarum tuæ beatitudinis sanctissimæ ipsa mater fidelium, quæ te jam per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia, patrem immensæ majestatis, a tantis malorum & diurnis incursibus floreat liberata, tuque, dignissime patrum atque circumspectissime, negotia magis eorum magnitudine, quam orationis meæ parum prudentis, sed fidelissimæ brevitate ponderato.

* Leg. evectionis.

EPISTOLA II.
Ad principem.

Hortatur ut pacem procuret inter principes, maxime inter Franciæ & Angliæ reges & in ecclesia.

1. MIraberis illustris ac magnificentissime princeps, mitaberis fortasan; unde, cujusque occasione factum sit, quod tibi altissimæ atque generosissimæ regalis prosapiæ Britannorum, & Yspaniæ tam proximo, ego natu modicus, & Gallicus integerrimus, quantum homo mei status potest esse, scribere præsumam. Ecce igitur veritatem Anno 1395

dicam, non mentiar, movit me siquidem, clarissime princeps, gloriosa nominis tui fama; quæ necdum in finitimis, & ad magnos, sed in remotis, & usque ad infimos perlata est: prædicans te veritatis pacisque, ac æquitatis zelatorem eximium: quales homines ab ineunte pueritia semper amavi, coluique, & summa semper sum affectione prosecutus; at eos equidem magis cupio laudare quam possim. En etiam movit me res de qua dicturus sum, pax scilicet, quæ sub monosillaba dictione continet omne bonum. Movit me insuper, humanissime princeps, quod te audiam amare litteras, & præcipue circa scripturam sacram crebro versari, quæ profecto vacua esse non possunt virtutum laudibus maximis, & nonnisi ad strenuitatem movere: quin etiam te in omnibus facere meliorem, quamvis tamen plures nobilium modernorum litteras scire contemnant, ac respuant, quod hactenus honorabile fuerat aliis, & pariter gloriosum. Anne Alexander Macedo, annon rex David, Josue, Judas Machabeus, sapiensque Salomon, annon ipsa regina Saba, quæ de ultimis finibus terræ venit ad scientiam acquirendum? Annon Julius Cæsar, & Octavianus Augustus, ceterique Cæsares, & de Christianis Carolus-magnus, & alii valde multi potentissimi reges, atque duces, quos nominare ob multitudinem prætereo, & quia te me magis in historiis legisse æstimo, litteratissimi fuerunt, & strenuissimi? immo apud sæculum prius ad dignitatum fastigia minime provehebantur, ni fuissent in liberalibus studiis imbuti & provecti. Redeant igitur, redeant sæcula illa, quæ tunc & ob id aurea vocabantur. Sed ne longa nimis sumatur oratio, modo veniam quo suspiro, benignissime princeps.

II. Est jam, ut à majoribus accepi, annorum ferme sexaginta lapsus cursus, quibus guerra intentissima viguit inter reges, & adeo infesta, ut unus, quod acerbissima cum amaritudine recordor, & potuisse de conjunctis tanto generis vinculo, plus alium studuerit opprimere, quam paganos: quibus ipsis incredulis ac servis Sathanæ gloria & jubilatio extitit hoc odium: immo ad excrescentiam, & exaltationem cedit nequissimæ suæ sectæ, & nostræ veracissimæ legis diminutionem, ut dicunt, non parvam. Nec est in dubium revocandum, oculatissime princeps, si similes nisus, quales alter regum nostrorum adversus alium acutius direxerit, in dictos infideles convertisset, quin præter servitium quod crucifixo Christo impendisset, gloriam, nomen, & laudem perpetuis duraturas temporibus meruisset, plusque terrarum, & possessionum conquisisse potuisset, quam ambo nobilissima tingant, * aut valeant sua regna; & ut elegantissimus scribit poëta: *Major re-*

* al. cingant.

rum mihi nascitur ordo. Majus opus moveo: Nunc si mala, humanissime princeps, quæ ex guerra hujuscemodi secuta sunt edisserere velim, cogorque cum Virgilio exclamare;

Quæ quibus ante feram, quæ prima exordia sumam?

Nam per Dei, & hominum fidem non incipiendo a paucioribus, quis cædes, & præcipue tot nobilium maximi status, & usque ad regium, quisne furta, quis incendia etiam locorum sacrorum enarrabit? quis sacrilegia; quis stupra, violentias, oppressiones, extorsiones, prædas, depilationes, spoliationes, latrocinia, peculiationes, & grassationes, denique paucis multa comprehendens, quis inhumanissimas ferocitates, ut non ad hominem, sed ne ad belluam quidem spectarent infinities sub qualibet specie delinquendi in hac horribili, & truculentissima guerra commissas explicabit? Immo, ut inquit Salustius, quid ea memorem, quæ nisi his qui videre, nemini credibilia sunt? quibusve verbis exaggerari hæc maleficia satis possunt? etiam, ut ait idem Virgilius, si centum linguæ sint oraque centum. Sed quis, piissime Jesu, siccis oculis recitabit liberos e gremiis parentum ereptos, partim in sinu jugulatos, & partim ante pedes ferociter trucidatos, matrisfamilias & ingenuas sub hostilem libidinem subjectas, optimates plurimos arreptos in servitutem, & quam multos brutorum more venditioni expositos. O feros animos, o crudelia opera, o derelictos homines ab humanitate, qui tandem se non putabant quod vellent ad exitum perduxisse, nisi sanctissimæ patriæ miserandum scelerati viderent cinerem! Sed quis, inquam, si non gerat cor ferreum, abstinebit a gemitu, scribens vel audiens tot infantium a bimatu vagitus, sub matrum uberibus inter dumos, vepres, atque spinas præ fame, algore, & frigore una simul languentium, & morientium: ut dicerent montibus: *Cadite super nos, & collibus operite nos.* Quarumdam matrum ipsarum pecudum more, hei mihi! ejicientium abortivos, quos ad deglutiendum, horrendum dictu! ex penuriarum & desperationum rabie finaliter cogebantur: Pluribus insuper ex innocentibus prædictis exalatis & seminecibus a volucrum laniatu, & a ferarum morsibus extinctis, & mactatis, plerisque aliis, proh nefas: a lupis ferocibus rapaciter devoratis. O cœlum, o terra, o maria neptunia! ut senex Terentianus exclamitat: immo, o elementa omnia! adeone res rediit; quisque temporibus nati sumus, ut Christianos Christiani ita crudeliter persequantur, & faciant immanissime emori? hoc siquidem cernere non fuit animantis. Quod si vix justus salvabitur, o decedentes in hoc actu, quantam fenestram animabus vestris ad inferna subito discernendi fecistis?

Male enimvero, & valde male attendistis præceptum Salvatoris noſtri JESU, cuique veſtrum dicentis. *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, ſub pœna damnationis perpetuæ horum quodlibet prohibendo.

III. Eſt autem credendum veriſimiliter, nec aliter præſumendum eſt, dulciſſime princeps, attenta indole nobiliſſima, & optima duorum regum noſtrorum priuſquam oculatim viderent, & proſpicerent ſigillatim ad eoru n juſſionem ſive cauſam partem centeſimam tot flagitiorum perpetrari, quin mallent tres ſuorum regnorum partes amiſiſſe, immo non fuiſſe reges. *Quid enim*, ut ait evangeliſta, *prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero detrimentum patiatur?* & ut interrogative ſubdit: *Qua autem commutatione dabit homo animam ſuam?* quaſi dicat, nulla: Quas ob res, exceſſe princeps & domine, cum longe opportunior pacis habendæ occaſio nunc quam umquam ſe offerat, pluribus cauſantibus, quæ ut perpenſius conſideras, ſupplico, oro, & obteſtor per affectum quem ad reipublicæ geris utilitatem, per ſi qua eſt animo virtus aut gloria vel alta cogitatio, per ſi quod de te dicitur velis credam: quatenus omni cum ſtudio vigilare, laborare, & eniti erga illum tot morum præconiis pollentem Anglorum regem, cui cum familiaris tum conſilio & genere propinquius es: & quem Deum amare, timere, & colere effertur quaqua verſum, atque vera libenter audire, etiamſi acria ſint, & falſa, quamvis dulcia aſpernari non poſtponas: ut tuo interventu tam ſalutiferæ, ac neceſſariæ tantæque pulchritudinis concluſionis finis adveniat & ſubſequatur, ut in pacis, & tranquillitatis dulcedine a cetero quieſcant iſta regna. Et ecce treugas, ſublimis princeps, quæ effigiem pacis & ſpecimen ferunt jam juratas ad quadriennium, quo temporis interſtitio monere, ſollicitare, & inſtare poteris erga bonæ voluntatis præfatum tuum regem, & alios tecum ſui ſanguinis generoſiſſimi, & rogare quæ ad pacem ſunt Jeruſalem. Jeruſalem dico, cum ex regum glorioſiſſima pace, incunctanter oboriatur eccleſiæ ſanctæ reformatio matris noſtræ optimæ, & vere optimæ, ut quæ cum primum nati ſumus, nos in ulnis ſinceritatis recipiens, lavacrum regenerationis ſacri baptiſmatis nobis confert, denique nos ex pretioſiſſimorum uberum ſuorum per documenta fidei lacte reficit dulciſſimo. Tum demum ceteris parentibus nos derelinquentibus, vel nos eos in naturalis ſolutione tributi, hæc ſola in gremio ſuo, & in ſinu nos amplexibus maternæ dilectionis fovet recumbentes, & ſuſcipit comiter, & benigne.

IV. Mox breve faciam, patientiſſime princeps, facta hic quadam quæſtiuncula, reſpectu & gratia ipſius dulciſſimæ noſtræ matris. Eſtne quæſo, inſignis princeps, quiſquam quantumcumque vilis vel abjectus, qui non compateretur, vel ſemel uni mortali etiam barbaro xvij. (*a*) annis ad extremum indigenti? Et nos tamen cernimus omnes, & videmus annis totidem iſtam ingenuam matrem, & dominam gentium ſauciam, laceram, exanguem, exanimemque, & diſcerptam, ex pulcherrima alacrique & aprica factam, e candidiſſima teterrimam, triſtem ex jocundiſſima, ex ſana valetudinariam, & ex beatiſſima infelicem, & non eſt qui conſoletur eam, aut oculis proſpiciat compaſſionis ex omnibus caris ejus; quamvis longiſſimo luctu lamentationibus, querelis, atque clamoribus opem ſingulorum modo, modo univerſorum Chriſticolarum enixe imploraverit, & requirat? ut raucæ factæ ſint fauces ſuæ, ſeſe ad ſtatum militarem præcipue convertendo, ac requirendo ſub ſacramento fidelitatis in ordinis aſſumtione præſtito tacite vel expreſſe, ut adjicit, quod eam protegerent, defenderent, ac viritim tuerentur in omnes, & ab omni impugnatione liberarent & noxa; ſubjungendo quod ni aliter provideatis, vos omnes (intelligis quid dico, circumſpectiſſime princeps,) & quo potentiores, eo magis non hic in terra deorſum, ſed ſurſum in cœlo in jus evocabit, & de promiſſionis hujus juramento ſummo coram Judice uſque ad diffinitivam proſequetur. Siſte igitur pauliſper, & adverte, princeps compatientiſſime, & inclina aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſuppliciter deprecamur, ut hanc deſolatam matrem noſtram, & ſimul Chriſti ſponſam dulciſſimam audias & exaudias cadentique & ad te manus ſupplices tendenti luctu oppreſſam, atque viliſſime dejectam ſublevando, dormitantes expergiſcere, ita ut eos antecedas in hoc actu divino operi ſimillimo. Materiam virtutis habes, rem profer in actum. Sic præibis ante faciem domini parare vias ejus. Subtrahe ergo te te a curis aliis, & huic incumbas pro tua virili portione, regemque tuum, & dominum optimum, ac alios principes, & dominos ſui ſanguinis, & tui incita, ſtimula, & horteris ad iſtam rem: ad quam ſcito ſublata omni formidine regem noſtrum voluntarium, & ſummopere præparatiſſimum eſſe uſque ad expoſitionem corporis & bonorum. Tunc demum celebrata pace inter reges, fiat pax in eorum virtute in eccleſia Dei, quia non eſt eis qui reſiſtat convenientibus in unum: tantummodo incepto opus eſt. Viget ætas, animus valet; & ut Sulmonenſis ait: An neſcis longas regibus eſſe manus? Unum autem, inclyte princeps,

(*a*) Ex hoc loco colliges hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe circa annum 1395. cum jam decem & ſeptem effluxiſſent anni ab orto in eccleſia ſchiſmate.

ante omnium ora audeo asserere, quoniam A quisquis circa hæc duo, bono zelo, & cupido affectu laboraret cum effectu, sicuti potens es domine, circumspectione tua ductrice, & brachio excelso, opere pretium atque bonum majus faceret, quam si horis singulis vitæ suæ omnes peregrinationes Christianitatis possibiliter persolvisset, & sub cilicio in pane, & aqua jejunasset quotidie dicendo psalmodiam totius psalterii qualibet luce; quidquid haberet denique pauperibus erogando.

V. Volo finem facere, optime princeps, ne ulterius fastidiam tuas aures, quia, ut B Salustius, inquit, strenuo abunde dictum puto. Item obnixe supplicans, ut hanc incomtam, & rudem scripturam meam supportare digneris, & non molestè ferre, quod tibi in singulari numero sum loquutus, quoniam, ut vult Seneca, oratio, quæ veritati operam dat, incomposita esse debet & simplex: & ille modus est oratorum loquendi per *Tu*, vel scribendi, quamvis non sim nec fex etiam oratorum. Scis præterea, princeps doctissime, quomodo omnium dominantium Dominus & magister voluit sic alloqui. Tu etiam, sicut reor, non in superstitiosis, sed realibus & in Domino gloriaris. Vale, clarissime princeps, & age nec remoreris, vel differas, ac persevera viriliter, sine quo bravium non consequeris. Studium semper assit, cunctatio absit, atque moras tantis licet addere rebus: Verum tametsi non oporteat docere minervam, vel sollicitare sollicitum: tamen animadvertere non omittam ut unum vel plures probos, & conscientiosos viros affectos ad rempublicam, pro qua nihil non decet facere, eligas tibi, & eos consulas de processu, quia ut scriptum est: Revelantur sæpe parvulis: quæ magnis abscondita sunt; & ut D dicit Naso:

Quo minime credes gurgite piscis erit;

Est vero desuper omnipotens, qui tibi manum jam porrigit, quique dirigit cor tuum, promovebitque, & continuabit, ac perficiet. Hoc laudabile ne dubites factum tuum; quod si verum est, quod maximæ auctoritatis, inquit ad Cæsarem Cicero, nulla re homines ad deos, quos nunc ritu Christiano sanctos appellamus, propius accedere, quam salutem hominibus dando. Vide, considera, gloriose princeps, quantum proximus esse Deo mereberis: quanta tibi glo- E ria præparabitur in excelsis, sedes ubi fata quietas ostendunt si duorum regnorum immo totius Christianitatis tuo fiat interventu reformatio & unio. Nihil autem agere quires, sicut mea fert opinio, quo magis virtus tua enitescere possit, aut refulgeat, & ut sic loquor, sanctificetur nomen tuum, & omnium laude, prædicatione, litteris, monimentisque immortalibus ad orientem ab occidente decoretur. Sic confirmante Virgilio eloquentiæ sole:

Semper honos nomenque tuum Laudesque manebunt;

Optas ultra? An adeo glorioſus in meditatibus tuis esses, ut altissimo in loco, sicuti est, de qua loquor, prudentissima virgo, adamares; quo valeres amasiam, & dominam expetere meliorem: quo majorem utque filia regis, sponsa regis, & omnium suprema est, quin immo, & pulchra. Ubi tamen ab hac infirmaria peste sanata fuerit, ut quid pulchra? pulchra ut luna, electa ut sol, rutilans ut stella matutina, quæ jam te prævenit, te adamat, te invocat, immo in canticis affabiliter te requirit. *Nunciate*, inquit illa, *dilecto meo, quia amore langueo, osculetur me osculo oris. Læva sub capite meo: & dextera ejus amplexabitur me:* Estne quæso anticipatum bene? est evocatum pulchrius? est amorosissime dictum? est loquutum plenissime nimis multum, quæ te oratione mea magis moveant parvo e sensu manante, affectione tamen magna; erit qui tibi dicet, jam subaudio, princeps perspicacissime, Gallicus is vobis, metuende domine, grandem admodum vobis farcinam imponit; cui altissima mente ingeras promptissime comicum illud: Sine periculo magno vel labore non fit facinus magnum, & memorabile.

EPISTOLA III. CAROLI REGIS ad Wenceslaum Romanorum & Bohemiæ regem.

De pace quam inter Poloniæ regem & magistrum ordinis Prucenorum VVenceslaus procurare volebat.

CAROLUS &c. sereniſſimo principi WENCESLAO eadem gratia Romanorum ac Bohemiæ regi fratri nostro carissimo, salutem & successus felices jugiter ac votivos.

Sereniſſime princeps fraterque carissime, super materia controversiæ vertentis inter illustrem principem WLADISLAUM Poloniæ regem consanguineum nostrum carissimum ac supremum magistrum ordinis Prucenorum, litteras vestræ serenitatis recepimus per latorem: cujusmodi siquidem controversiæ mala pensantes, quæ dehinc possent sequi, nobis admodum displicent, attendendo maxime quantum in læsionem atque damnum totius Christianitatis, si procederet ulterius, redundaret, cum hi qui unanimi ad fidei exaltationem persequi soliti sunt infideles, contererent se invicem, voto quod prohibeat Deus, crudeliter, & necarent. Verum, sereniſſime princeps fraterque carissime, ex quo pro stabilienda inter partes, ut verbis vestris utamur, fausta pace, vices suas vestra interposuit celsitudo, quemadmodum vestræ continent scriptiones, gaudemus utique, sperantes in illo qui pacis est amator, vestri alti consilii agente pru-

dentia, partes ipſam mature placari debere, ac ſopiri negotium, &, ut litteræ veſtræ prædictæ innuunt, ſubſequuturum per Dei gratiam e veſtigio bonum finem: quod profecto zelo non mediocri optaremus. Ceterum, ſereniſſime princeps fraterque cariſſime, quoad ea quæ ſubjungitis, nos precando, ut ſi quid nobis de conſanguineo noſtro rege Poloniæ præfato ſuper hac re ſiniſtre aut alias quam veritas ſe habeat; referretur, fidem nequaquam vellemus adhibere, certi eſtote, ſereniſſime princeps fraterque cariſſime, nullatenus dubitando, nos circa iſtud aut alias quovis modo quidquam crediturum aliter quam de ſincero Chriſticola & tam claro principe ſupponendum eſt, & optime interpretandum, nec parti adverſæ reſponſum daremus effectivum quomodolibet in hac parte, nunciis ejuſdem conſanguinei noſtri ad plenum non auditis, tamquam qui honorem ſuum veſtri ac ſui reſcriptum ſitimus ac vellemus bono corde. Datum &c.

EPISTOLA IV.

Ad quemdam epiſcopum.

De congreſſu duorum regum, Franciæ & Angliæ.

QUoniam aliunde, pater reverendiſſime, de magnifico ac felici congreſſu regum, & circumſtantiis particularibus negotii veſtræ dominationi ſcriptum fore non ambigo, brevioribus contentabor hoc unum pro multis aſſerere audens, & ad gaudium vobis non dubitans nunciare; quod etiamſi in priſcorum omni Romanorum aut aliorum quorumcumque hiſtoriis, cum exactiſſima indagine quæreretur, non inveniretur perſimilis utriuſque partium glorioſa receptio, nec tam fauſta. Quis eſt, præcellentiſſime pater, qui legerit de ſimili modo ſeſe antea habentibus regibus & dominis, ut ambæ partes poſtquam *his in finibus*, ut ſimul convenirent, appulerunt, quaſi de alia confidens, ut de ſemet obſides noluerint habere, hujuſmodi durante congreſſu, ſed renuerunt omnimode? quiſve audierit quod patrui hinc inde tam potentes & altiſſimi, tacendo minoris ſtatus dominos alios quam plurimos, de uno ad alium regem die noctuque ſalvos conductus, aut alia ſecuritatis munimenta nullatenus petentes, totiens acceſſerunt? non minus indubie hoc ſcitote, reverendiſſime pater, quoniam quam de camera ad capellam veſtram, domino concedente, cras ibitis. Sed quis honores, quis familiaria colloquia, quis facetias & applauſus, vultus lætos, curialitatum oblationes magnificas, quis dona viciſſitudinaria, convictus mutuos, quis nova inita fœdera, treugis iterum ad annos triginta confirmatis per eos in perſona & juratis in omnibus, honore ſemper majori, per alium, ut decuit, impartito noſtro regio? Quis denique oſcula & amplexus jocundiſſimos ipſorum explicabit? non profecto is calamus, pater mi, qui tantæ rei non eſt capax ſive dignus, altioris ſiquidem ingenii venam ſtilumque hæc requirunt. Duo tamen velim, pater præſtantiſſime, quæ actores mei magnæ auctoritatis ac fidei ab ipſomet rege Angliæ audierunt, ut aſſerunt, leviter explicare, in quibus, ſi non fallor, poteſt perpendi regis Angliæ ſincera voluntas & bona intentio, unum quod cum ſemel a rege noſtro, ut fecit, ſemper, lætiſſimus abſcederet, majoribus ſuæ comitivæ & non abſque myſterio dixiſſe fertur alta voce: Deus laudetur, inquit, ipſe, de noſtra conventione adeo benivola & concordi, bene quod habeant qui lætentur. Addidit ipſe: Et qui triſtantur pereant in æternum. Alterum eſt quod vice alia, cum ipſe rex de quibuſdam cum alio actore meo familiariter loqueretur, ipſum interrogavit curioſe, quid, ait ipſe, vobis videtur? Nonne pater meus Franciæ amat me? Ego vero, reſpondit ille, non credo ſereniſſime rex, alium principem poſſe ab alio affectuoſius diligi, quam vos amat. Hoc erat, ſubjunxit ipſe ut humaniſſimus rex eſt, quod in votis meis præcipuum gerebam & deſiderabam tota mente. Particularia fuerunt, pater mi, valde multa, quæ magni indicia ſunt amoris & ſcrupulorum variorum, quæ per ante multi faciebant purgamenta, & niſi his qui viderunt minime credibilia. Quæ quidem tam inſperate & promemodum miraculoſe facta continet, confirmet ac de multo magis augeat & excreſcat, qui incœpit amator pacis Deus ad honorem commodumque regis & regni noſtri, ſicuti reverendiſſimæ paternitatis veſtræ fidelitas corde optat, quam conſervare dignetur JESUS-CHRISTUS.

EPISTOLA V. CAROLI VI.

Francorum regis ad Anglos.

Eos hortatur ut Richardi regis mortem ulciſcantur, atque throni ejus invaſorem exturbent, offertque ipſis ad id auxilium.

CAROLUS &c. univerſis &c. ſaluteto. Humanum ac juri congruit, & id patiter exigit nobilitas, ut homo homini ſubveniat & compatiatur oppreſſo, maleficiaque retundat, quantum in ſe eſt & ſuæ ſubjacet poteſtati, & quemadmodum domini ſuos tueri tenentur homines & ſubditos & a noxa defendere: ita ſubditi dominos, poſtquam legitime intraverint, adjuvare, revereri, & ſeſe pro eis opponere, ubi caſus depoſcit obligantur. Sed rex regi debet amorem & benivolentiam exhibere, ubi præcipue genere ac affinitate ſunt proximi. Nos itaque alias attendentes moleſtias, atque gravamina, quæ cariſſimo con-

ſanguineo noſtro ac genero, filioque dilectiſſimo regi RICHARDO, cujus animæ Chriſtus indulgeat, inferebantur plurimode, noſtri tunc fuit propoſiti atque voluntatis, eidem auxilium impendere ac deſtinare ſuccurſum. Sed continuo tot de Anglia audivimus novitates, ut non fuerit conſilium noſtrum propoſitum tunc exequi. Quod ſi Altiſſimo placuiſſet, nobiles illos ac proceres ingenuos, & alios de Anglia, qui captionem ſui domini atque regis, dehincque
(a) mortem (a) vindicare conati ſunt, nobis ſuam impriſiam perprius intimaſſent; eis adeo ſubveniſſemus, & in tali potentia fuiſſemus auxilio, quod ipſe filius noſter cariſſimus, & dominus Angliæ naturalis ac ſupremus tam crudeliter immaniterque & ſimul ignominioſe mortuus non fuiſſet, nec dominationem ſuam ipſe & heredes ſui quoquo pacto perdidiſſent. Quin potius auxiliante illo, qui juſte certantibus eſt adjutor, regni Angliæ corona in loco & perſona, qua debuerant, in præſens ſita eſſet. Iſque, qui vera ſucceſſione competit dominium illud nunc impune poſſideret: quoniam ut in veritate loquamur, & patere cernentibus clare poteſt. Ille qui modo regnum Angliæ occupat antedictum, ſapientum judicio ac proborum, nullum in eodem regno cenſetur jus habere, nec eo potiri quoquo modo. Quoniam inter alias cauſas plures, quibus nati de Marchia conſanguinei noſtri cari ſuccedere debent, ut eſt notum, conſanguineus noſter dux Lencaſtriæ defunctus genitor, præſentialiter occupantis, numquam ſibi jus vindicavit, aut titulum in dicto Angliæ regno ſibi attribuit, vel reclamavit in aliquo. Qui ſi etiam poſt deceſſum ejuſdem regis RICHARDI filii noſtri prælibati, jus quodpiam aliqua occaſione habere debuiſſet, aut etiam ipſemet uſurpator per proceſſum quem tenuit, & ex tam multiplicibus ab eo commiſſis criminibus omnino id perdidit, qui domino ſuo ſupremo ſuo principi atque regi, cui cognatione germanus erat, rebellionem movit atque ſeditiones. Poſtque violentas manus in eum jecit, ac vita privavit, ut regem inungi ſe faceret, ac tandem dominio potiretur, ſpreto in hoc timore Dei, & in omnium Anglorum deſpectum maximum & contemtum, ac jurium coronæ Angliæ & honorum. Quas ob res incolas omnes Angliæ & ſubditos deprecamur, per quantum honorem ſuum cari pendunt, veritatemque volunt ſequi, & ſuam fidelitatem demonſtrare, quatenus ponentes ante ſuarum conſiderationum oculos, ac eorum memoriæ reducendæ mortes principum, prælatorumque plurimorum, ac aliorum virorum ſanctæ mentis, necnon procerum Angliæ tam mul-

(a) Cæſus fuit II. Richardus rex Angliæ anno 1399. factione Henrici ducis Lancaſtriæ filii qui thronum ejus uſurpavit.

A torum crudelitateſque & offenſas eorum impenſas domino naturali atque regi & juri coronæ, ut præfertur, manus ponant ad fortia, & illum ſæpefati Angliæ regni magnanimiter expellant invaſorem, dedecorantem notorie ac pervertentem evidenter Angliæ regni ſucceſſiones hereditarias conſuetas, nec a cetero patiantur aut diſſimulent ulterius fideles antedicti, quod tantum tale ac in quo tot vigent animi & ſuperſunt viri fortes, tantæ ſubjiciatur tyrannidi & oppreſſioni inſolitæ, & quæ decet puſillanimos non viriles: quin ocius faciant & B procurent ac alias poſſetenus operentur, ut ſtrenui ac fideles, quod corona Angliæ antedictæ, quo debet reponatur loco, ac veris reddatur heredibus, & eis reſtituatur, ut eſt juſtum. Et nos quatenus in nobis erit, modo de firmo ſtabilique propoſito nobis conſtet, offerimus promittimuſque libenti ac volenti animo, quandocumque iidem Angliæ habitantes volent ſe in libertatem vindicare, & ad juſtum verumque redire dominium, noſque debite duxerint requirendum & in auxilium advocare, ſic efficaciter & potenter adjuturos, ut tenemur, C quod eis cedet ad gaudium, & nos noſtrum feciſſe debitum magnopere fatebuntur: indubitanter ſcientes, quod cum ad Walliam noviſſimo armatam transmiſimus, ſi ſecuri fuiſſemus, gentem noſtram ab amicis veritatis & heredum Angliæ ſequacibus recipi debere gratulanter, & cum effectu, ut decebat ſociari, majorem multo potentiam miſiſſemus, mittereque parati ſemper ſumus caſibus antedictis. Datum &c. ad finem civilem.

D

EPISTOLA. VI.

Ad cardinalem amicum.

Declarat ſe a beneficiis abhorrere.

I. REquirit humanitas tua, pater digniſſime, immo benivolentiæ ductu orat, obteſtatur, & obſecrat, ne ab hac ſpiritualium ſumma diſpenſatrice ſecedam curia, donec quod percupit ſummus pontifex, meo ſtatui aliquid addiderit munificentiæ, ac mihi de aliquo providerit beneficio, (verba tua ſunt hæc) pinguiori. In quo fervorem tui zeli ad hunc tuum, quoad eſt tenuitas, voluntarium ſervitorem attendendo, E nihil porro eſt dignum his quod referam præter Virgilianum illud:

Di tibi ſi qua pios reſpectant numina prima,
Digna ferant,

& quod virtus tua ſit merces ac præmium ſui ipſius. Quod in re, Pater ingenuiſime ac reverendiſſime, altius cogitando, ac mihi memetipſum in me ipſo revolventi qui ſim, Not. & quo protendant hi beneficiorum ſi non dixerim maleficiorum, coacervationes, &

(ut

(ut aiunt) ſtatus incrementa, immo hæc fortunæ bona, quibus (ut verum fatear) ad ſatietatem uſque abundamus, mea aſſero fide, & omnia affirmo juramento quo Chriſtianus aſtringi poteſt, me pontificium qualecumque, aut officium aliud a meo (Pariſienſis prælatura, aut cancellariatus regalis, vel prima præſidentia eſto forent) non optare aut ſuſcipere velle, ſi papa aut rex etiam exhiberent: & ita ſalvet animam nec alias Deus meam. Ut quid ergo hos ſtatus, immo non ſtatus, cum ſtent minime, potentatuſque, atque dignitates tantopere coner? niſi ut plus ſollicitudinis inquietudiniſque ac agendorum involucrum mihi eſſent, receptaque plus, plus expenſæ, plus honoris, minus libertatis; plus familiæ, plus rixarum, inſidiarumque & pene ſecreti nihil, auri plus, & minus ſecuritatis; plus equorum, ac belluarum ſimilium, plus fimi, ſtrepitus, & tumultus; in veſtitu plus ornati, & amplitudinis, minus ediæ, ac expeditionis: & quanto ceteris viderer major eſſe, majori opus eſſet ſupellectili: ſed (quod magni privilegii fore cenſent) ſolus pergere prohiberer. Gratior nempe ex oppoſito mihi eſt buccella panis cum gaudio, quam plena domus divitiarum cum jurgio, [a] al. verſum. & quod meum ſemper fuit votum, * ſit mihi profectus & commodi minus, pauciores ut ſubeam curas: quoniam verum eſt, & experientia non dubito didiciſti, quod pridem & hicce dictum fuit: Magis ſollicitus, magis beatus, abſque eo quod hinc animabus graviora imminent pericula, ut porro nequeant adminiſtrationes hujuſmodi ſine inquinamento contrectari. Qui picem tetigerit, coinquinabitur ab ea, inquit ille. Quod ſi in minoribus tute vix vivitur, parva quippe cum ſecuritate circumvolvimur in magnis, ſi maxime ad caſtigationem ſacrorum voluminum proſpectum ſit.

II. Enim vero, Pater ſapientiſſime, ut veritatem abſque laude mea tibi pandam, tametſi jam ex his quæ poſſidebam quingentarum librarum valorem, ſi ſuper loco degant, amicis reſignarim, contulerimque ad cauſam meæ Præpoſituræ duo millia & ſexcenta aureorum redditus, & eo plus, (4) ſubtractione (4) durante: veruntamen propoſiti deſideriique mei eſt, de propriis rurſus dare ſupra quam quod a ſummo pontifice alia coaddatur impetrare, aut alias in hoc quoquo pacto, vel flagrarem, ut paternitas tua, & ſua ſanctitas de mea ulteriori promotione nequaquam anxiæ ſint. Quis autem eſt, ut in Domino gloriemur, ac tuam paternitatem familiariter alloquendo, inter ſummi cardinis, qui tuus ſtatus eſt, eminentiores quantumcumque ſplendido fulgeat pileo, hoc qui Præpoſito commoditatibus opportunis plus abundet? non is quidem qui etiam potitur Prioratu, quoniam, ut vult Horatius, ſi ventri bene, ſi lateri eſt pedibuſque tuis, nil divitiæ poterunt regales addere majus. Et, quod veriſſime Annæus conteſtatur, in quo quis deſiderium clauſit, cum Jove de felicitate contendat. Sunt mihi præterea (id me cogit dicere materia) tam metropolitanarum, quam cathedralium eccleſiarum plures præbendæ. Eſtque Præpoſitura tam inſignis: ſunt ſimul & vadia, atque burſæ regis perutiles, eſtque prothoſecretariatus domini Delphini Viennenſis, ſive ducum Bituriæ, Burgundiæque ac Aurelianenſis cum ſimilibus officiis. Eſt inſuper cum Flacco librorum copia, & proviſæ frugis in annum, habitationeſque plurimæ, quarum unam nulli earum, quas mei æquales incolunt, vellem permutare. Sunt veſtes, ſunt equi ad ſuperfluitatem, crede mihi, & utenſilia ſimul generis cujuſlibet, auro argentoque non omiſſis. Sed, quod præcipuum cenſeo, ſi tamen jungam felicitatem privationis conjugii, eſt animus, qui omnia regit, ſedatus, tranquillus, & quietus, quod nec tibi omnium collegii opulentiſſimo, nec ipſi altiſſime eccleſiæ præſidi poteſt eſſe. Et, ne omittam, quod omnium mihi dulciſſimum puto, ſunt amici ſtudiis & moribus conformes, quibus mea æſtimatione, mea ſententia nihil poteſt omnino comparari. Quid igitur mihi deeſt? prorſus nihil. Ut, me Hercule, ſi cum humilitate dixero, reputem vobis omnibus ditiorem, ne tuæ liberalitatis gratia, & gratiæ liberalitas exuberans in poſterum angarietur de Johanne. Vale.

(a) Ex hoc loco patet hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe poſt tempus ſubtractionis quæ ab anno 1398. ad 1403. duravit.

EPISTOLA VII.
Ad amicum.

Arguit eum quod munera ſibi miſerit, ſignificatque ſe cum duce Bituriæ profecturum ad papam ſuper facto unionis.

ANimus fuit, vir inſignis, cum calamum arriperem tecum jurgari, quod tu vulgaritatem ſectando, quam fugere ſummopere philoſophi nos admonent, mihi theuromata ſeu tapeta illa miſiſti: quæ res, etſi rara ac ſingularis ſit, & quod ante penſandum eſt, liberali ſinceroque ac munifico animo data, nolim tamen de cetero apud me muneribus hujuſmodi amicitiam tuam uti: quod ſi feceris, non eſt quod indulgentiam conſequaris, etiam mihi ſi Tullius ſuaderet, aut purgatum advenias jugi voce. Sed quid a te quæram, quæris. Quæro mihi, vir omnium electiſſime, opto percupioque te videre. Hos ut rideamus Phormiones, de quibus idem Tullius perquam graviter & vere ait: Non enim iſtis actoribus tantumdem credendum eſt, quam rationis moni- Anno 1402.

„menta quærenda ſunt: quos ſi non ma- A
„xime deſiperent, animadvertere ac diri-
„gere Tullius ipſe debetet, ubi in de Di-
„vinatione eis inquit: Opinionum com-
„menta delet dies, ac naturæ judicia con-
„firmat. Et illud Platonis ab eodem Ci-
„cerone in Tuſculanis recitatum: Felix
„cui Deus dedit veras opiniones habere,
„ſaltem in ſenectute. Sed tam multa erro-
„rum abyſſo ſunt immerſi, ut ſi cuperet
„ſalus ipſa minime provideret. Ad te igi-
tur redeo, vir diſerete, enixe deprecans &
& obſecrans, ut quod meis non datur affe-
ctibus, in perſona ſcilicet te videre, ſup- B
pleas ſcriptis, intimando ſtatum egregiæ fa-
miliæ tuæ, cui me commendari depoſco,
deque rebus tuis, ut ſe habent, & quid de
illo volumine Ciceronis egiſti. Quod ſi de
me vis audire, valeo utique, modo cum hac
corruptiſſima vulgaritate nihil eſſet, eſſetque
continuo hic Jacobus, quocum ſub diſcre-
tionis ac reſolutionis ſuæ fiducia partirer
mentis vota. Sed eſt apud nos tanta Jaco-
borum penuria, ut quod mirabile dictu eſt,
citius reperirentur, quam Jacobus unus,
Philippi centum mille. Quod ſi locutio hæc
apud grammaticum incongrua cenſeatur, C
ſententiam tamen erga te notam puto. Exi-
ſtimo te jam pridem audiiſſe dominum
meum Bituriæ ducem patruum domini no-
ſtri regis, ac nonnullos ſuæ majeſtatis con-
ſiliarios, meque in eorum comitatu ad ſum-
mum proficiſci pontificem ſuper facto reſti-
tutionis ac eccleſiæ unionem. Circa quam
utinam per obedientiam veſtram hactenus
intenſius, aut noſtram tepidius vacatum ex-
titiſſet. De duabus quidem extremitatibus
bonum aliud, ut mea fert opinio, reſulta-
ret. Vive, valeque.

EPISTOLA VIII.
Ad amicum.

De eccleſiæ unione.

Anno 1404. NOn ſcribes, video, ni pulſeris. Pul-
ſabo igitur te iterum iterumque mo-
nebo, ut ſcribas mihi nihil plus agenti,
quam de te ceteriſque abſentibus amicis co-
gitare, & quem exitum factum pariet ec-
cleſiæ, cujus penes vos maxime vertitur E
cardo rei. Itaque hic omnium animi pen-
dent, quid illo concludatur, his dicenti-
bus: Durandus ille cervicem non mutabit,
incaſſum aëra verberantur: affirmantibus
aliis, quod concors eſt, nec deeſt niſi do-
mini germani regis præſentia, quo ſolem-
nius exſequantur negotia, &, ut qui parti-
ceps fuit laboris, potiatur & honore. Quo-
circa inter utrumque dubius ſcripſit unus,
pro ut copia fert annexa præſentibus, tam-
quam is certo ſcias qui optaret omnia bene
ire. Præſentabis igitur, ſi commodum fue-
rit, prius tamen conſultis domino cancel-
lario Pariſienſi & Mureto; ſin res fruſtra
ſit, conſpectum fugiat abhorrentis, nec te
puto deceptum iri, qua e fabrica illud ma-
net facile vero dignoſcitur ſtili imitator
Cracovici. Ille tamen, quiſquis eſt, præ-
terire non potuit quo minus conſcientiam,
etſi non diſerte, fideliter adquitaret. Vale.

EPISTOLA IX.
Ad Antonium *de Chalant* cardinalem & archiepiſcopum Tarentaſienſem.

Gratulatur ei de ſua ad cardinalatum promotione, hortaturque ut inducat pontificem, dignitates ut eccleſiaſticas cito paſtoribus conferat.

SI gaudium eſt mihi, pater reverendiſſi- Anno
me ac præſtantiſſime & præcipuiſſime,
cum Marone primis e faciebus orci reſipiſci,
immo a mortuis reſurgere, tum maxime
lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, de
promotione veſtræ dominationis ad cardi-
nalatus apicem cum archiepiſcopi Taren-
taſii commenda. Sic ſic vivere juvat. Sic non
ſemper, quod Boetius queritur, latet ob-
ſcuris condita virtus clara tenebris; cum
optime morati litteratique ac nobiles abſ-
que precum impulſu, quin potius ad pro-
moventis electionem vocantur, & ad ſacras
evehuntur ſedes. Sic hujuſce generis ſemina
bonam referent frugem, fructum repen-
dent opportunum. Sic florebit eccleſia, cum
eam ſummus pontifex talibus circumval-
labit columnis, tali munietur comitiva, ac
eos de meritis & immeritis, bonis atque
malis relatores committet ac judices. Sed
D ingenti delibutus ſum gaudio reſcriptis apo-
ſtolicis, percepto eumdem ſummum pon-
tificem offerre animo perquam liberali quid-
quid, mea æſtimatione, circa unionem per
ſuam ſanctitatem offerri debet in præſenti
atque poteſt, addito quod Romani ſolem-
nes & magnæ probitatis ac virtutis vir
miſerit pro eodem. Gloria ergo in excelſis
Deo, & laudes perenni ſuæ curiæ, ipſe be-
nedictus re & nomine æternum benedicet-
tur, qui ſuos fideles hac ſua prudentia,
hoc ſuæ probitatis munere, utinam citius,
ſatiavit, exhilaravit, & refecit. Nunc æmu-
lorum malivolorumque aculei retunduntur.
Nunc obſtruitur os loquentium iniqua.
Nunc qui clamabant ſubticent; qui antea
ſeſe tigribus ferociores ingerebant, ovibus
mitiores ſunt effecti; qui cerberi inſtar dela-
trabant, quieti perſtant tamquam lapis.
Hi vero qui rejiciebantur, velut in repro-
bum ſenſum dati, in lucem prodeunt, pro-
ſpectuque ſolo garrulos hujuſmodi, vultri-
bus in terram dejectis, ſtupidos reddunt,
territos, & confuſos, quoniam evanuerunt
in cogitationibus ſuis: quippe, ut Terentius

inquit, mala mens malus animus suo se iniquitatis, quæ mentita est sibi, gladio jugularunt. Hæc hactenus. Alias latius dum vires suppetent, vix est enim quod animus sive manus aut membra cetera suum officium faciant, immo adeo debilia sunt, ut curiam non introierim secundus jam ferme mensis agitur. Sed quod me magis torquet, ut nec legere, aut audire ex tunc legentem fuerit facultas. Valete, pater mi, & sic Christi vicarium quatinus in vobis erit inducite, ut de bonis & fidelibus cujatescumque fuerint confidat, dignitates insuper, potissimumque prælaturas, non sinat tamdiu pastoribus carere, in omnibus matura fungatur brevitate: principibus quoque quantum cum Deo poterit complaceat, & se sciat, quod ait Cicero, non cum perfectis hominibus degere; sed cum his in quibus præclare agitur, si sint simulacra virtutis, memineritque sæpius rigidas quercus quam flexibiles juncos concuti, diffrangi & evelli.

EPISTOLA X.
Ad quemdam episcopum.

Pro quodam amico, ut suum officium in cancellaria possit exercere.

INgratæ quam pluribus ac valde malesanæ substractionis occasione, e curia discesserat, reverendissime pater mi ac domine metuendissime, amicus meus is accessor, qui regreditur ut officium suum in cancellaria exerceat, quique ad vestri patrocinii azylum est una in re pro hoc vestræ dominationis servitore recursurus, quæ tametsi in manu vestræ potentiæ parva sit, maximum tamen mihi in consequutione negotii gratiæ impendium factum erit. Et ne scriptione longiori tædio adveniam tanto patri, vice supplicativa bajulus ipse vestræ reverendissimæ paternitati designabit. Apud quam, si aliquid est in quo parvitas mea obsequi possit, vestrum quam regium imperium par habebo. Valete, pater mi, & de inveterascente diu nimis hoc schismate, quo ad vos attinet, cogitetis & pulsetis. Scripta Parisius.

EPISTOLA XI.
Ad suum præceptorem.

De schismate.

I. STatueram, præceptor, frater carissime, de cursu rerum, quoad prosecutionem unionis ecclesiæ attinet, prorsus tacere. Sed circa id eorum perpendens habitum, qui putari volunt, & maxime volunt sapientes, tametsi cum Virgilio *munere fungor inani*; nequivit tamen calamus subsistere, quominus animum bilis hac eruptione levarem, istis non cessantibus indesinenter irrequieteque alter alterum sollicitare, & fugillando calcare super hoc ducem suum, hi præcipue, quibus nulli humilius serviunt, nulli superbius dominantur. Ex quo plusquam verum invenio Valerii dictum esse, *quod virtus nascitur, non fingitur; quodque litteræ ut proliciora sint ingenia faciant, non ut meliora.* Sed quam mature ac sapienter agant nostri tam periti, facile est cognitu: quoniam cetera, quibus multipliciter coargui possent omittendo, si contendentium duorum arbiter quispiam unam videat partem nil offerre, nil agere, nil moliri quod concernat quoquo pacto concordiam, quin potius toto conatu resilire: stultus erit si in eum qui multa offert, multa spondet, culpam retorqueat, ac istum accuset, & infestare studeat incessanter. Ad hoc sponsus sponsam ducere, aut illa illum commode nusquam potest, altera partium continuo renuente. Falleris, heu, Johannes, falleris, dicunt isti. Nam profecto nihil pie, nihil ex animo facit is, quem tantopere tegis. Omnia siquidem ficta sunt, omnia simulata, & ut papa remaneat in solidum contendit. In quo cum eis disputationis gratia convenio: &, quod amplius miraberis, coaddo, quod nullum jus is, quem defendo, ea in re penitus habeat, de qua est dissensio. Attamen aio ego, ex quo tot sunt reges atque regna, ut Franciæ, Hispaniæ, Arragoniæ, Scotiæ, & Navarræ, communitates pleræque atque regiones; quæ ut ad rem veniam, supremo nostro adhærent pontifici, absque antiquorum cardinalium omnium attestatione, quod sui juris perpulcherrima est portio; nonne Romicola ille, de cujus integritate tot laudes efferebatis, si quid sinceritatis caritatisve seu boni sapuisset, ad regna hujus obedientiæ præfata cum exhibitionibus opportunis transmisisset? & hoc vel illo modo quæ ad pacem sunt Jerusalem sub fraterna dilectione nihilominus decebat quæsiisse. Ipse autem ex opposito, quod sibi male vertat, nec voce, nec litteris, aut alias quidquam fecit, operatusve est, aut obtulit: immo, ut refertur, diffugia quærit, & velle manifesta facit indicia remanendi, præsumens, suorum prædecessorum instar, ad sese nos reducere posse. In quo ipse vana spe luditur, & in contrarium cedit.

II. Atqui, replicant nostri sapientes, noviter est electus: suam obedientiam mandat, eam consulit, nequit ita præpropere res agere; alias nugas & excusationes prætendendo in peccatis. Ad quos mea est hæc replicatio, quod suæ defert obedientiæ, quod mandat, quod consulit, non inficior. Sed quod nostrum impellamus, & sine intermissione infestemus, & ille interim, quod

incumbit & tenetur ex officio promissoque, non offerat, non solum non contentor, sed stomachor, & indignor: cum celsitudinem illam, si probus erat, ad tam inveterati schismatis terminum debuit acceptasse, nec ipse aut alius quisquam se gerere debet in illa dignitate, aut minus pudore tangi, quam si divisionis toto tempore præsidens exstitisset. Alias perpetuo schisma durabit, quolibet volente novis in creationibus tot consiliis, tot interpositionibus, tot agitationibus & ambagibus negotium protelare, & isto moriente alius unionis incurius eligetur. Sic (a) quartus, sic quintus, sic denique sextus, & tandem centesimus substituetur capitis hydræ more, semper pollicitationes præbendo & verba de futuro. Quod prius cedat in omen talium perquam pessimum, illo deterius, quo Judas laqueo se suspendit. Verum enimvero absque præsulum ac principum catholicorum evocatione atque scitu rem intricarunt, & istam perpetrarunt divisionem. Quid eis absentibus prohibet facere concordiam? nemo est certo scio, quem pax unioque offenderint, nisi fuerint omnium pernicioforum pernicioissimi, quibus auctoritate Boetii altus animus displicere cari pendit. Ob hoc tamen, frater carissime, nolim credas me credere, penes vos omnia bene agi. Quis autem, si fidenter audeam tecum loqui, tam inconsideratus est, qui putaret prudentis esse, aut sani consilii, bonum aptissimumque locum dimisisse atque tutum, ubi cupidissime a suis optabatur, & in quo, quantum Romæ, si animus hic ut ibi clarus esset, ad unionem operari voluisset,* neglexisse, pericula discriminaque infinita gratis, ut videtur, subiendo? sed maxime quis non existimet furiæ illius ductu, cui nomina mille, mille nocendi artes, bellum penes vos, ut aiunt, concluſum exstitisse, ut quod sequitur finitimas in bella ferat rumoribus urbes, e quibus quid nisi pestes, fames, mortes, incendia, agrorum vastationes, innocentum molestiæ, ac profluvia expensarum possunt sequi, inimicorumque suscitatio novorum, ac demum bonorum Crucifixi dissipatio? Ut hinc vectigalia jam & exactiones nimis multæ ecclesiæ Gallicanæ inditæ sint, & gravamina perplurima: quæ quam infelicissimum exitum paritura sint, apud vos mea æstimatione diutius non latebit. Quorum prætextu meæ sint hæ sententiæ: profusam expensam sequitur extorsio: male coeunt stola & galea, hasta & tiara, lorica & infula, crucis & lanceæ commixtio: sed turpiter cum bellorum deo Marte sociatur Christi pastor. O fecundum dudum pectus tuum! o fervidam, & apertam ingenii tui venam! quo abiit? quo fugit? ubi prostrat? ubi jacet? alias ne res agit? inquit ille, & cum tempore mutasti consilium? heu! cui præsens mea tibi non est sententia, aut mihi tua vena. Vale (b) ita ut me commendes ubi atque ego plene nosti, inter quos domino meo Cameracensi emeritum consigna locum suum, nostro quoque venusto syderi Mureto, qui exhaustis aliquot retro temporibus falso mortuus, illic prædicabitur. Nunc vero quo delibutus sum gaudio vivere & valere testatus est. Scripta &c. (b)

* al. valuisset.

(a) Hic innotuit jam tres electos fuisse Avenionensibus pontificibus adversarios Romanos papas, Urbanum VI. Bonifacium IX. & Innocentium VII. qui anno 1404. mense Octobri creatus est, ac proinde hæc epistola scripta videtur sub finem hujus anni aut incunte sequenti 1405.

(b) Quæ sequuntur desiderantur in codice Ottoboniano.

EPISTOLA XII.
Ad amicum.

Ut sibi dispensationem impetret de non residendo per decennium in præpositura.

QUod a reverendissimo patre domino meo Tarentasiæ cardinali, immo a summo pontifice impetrandum maxime maximeque duco, est, ut, cum de more sit anno quolibet certificationem seu privilegium regis meæ occasione præposituræ ad Insulam mittere, alias si prætermitteretur fructus suos capitulum facere contenderet, mecum de non residendo ad decennium, quod prædecessor meus obtinuit; dispensetur. Circa quod si elaboraveris, & ut inquit ille nervos tendas, curialitatis Johanni & complacentiæ impendium majus ages, quam reretur aut dicere sit libitum. Tu ergo, mi frater, si officio tuo tuaque vocatione id assequi forsitan non valeres, erga eumdem dominum cardinalem vice mea tuaque pro hac re instabis, præsentabisque litteras meas, quarum si finis de te nescio quid pauxillum continet, hinc nequaquam existimes velim, Johannem velle coram in os te laudare. Vale, & ita ut verbum meum est, reipublicæ, quæ sese fortuna magis quam hominum sapientia regit, inservias, ut non tamdiu amicis de familiaribus scribere temnas. Circa 1405.

EPISTOLA XIII.
Ad Nicolaum de Clemengis.

Cantoriam & præbendam Bajocensem pro eo abs rege se obtinuisse.

HAud mora continuo post tuarum lectionem litterarum, adii regem, & confirmationem, ut vocant, aut si vis, collationem in regalia de cantoria & præbenda Anno 1405.

Bajocenſi, de te prius dictis quæ libuit, confeſtim obtinui, magna nempe ſub humanitatis ac munificentiæ regiæ benevolentia, ut ſi foret quanti plurimum, nec apoſtolica præcederet collatio, quemadmodum annuit, contuliſſet, & plane dixiſſes ex ſuæ majeſtatis geſtibus te in regia enutritum. Ob id tamen non omittas omnem explere diligentiæ actionem de illis poſſeſſionem conſequi, in quo meis rebus utere per omnia tamquam tuis, & de caſu illius antiſtitis Johannem & ſuos non dubites advigilaturos ſollicitiſſime atque pro ſe. Vale & me ac nepotem meum, pro quo archidiaconus meus memoriale illic ſivit, domino meo Cameracenſi commenda, cujus & tua profectio ad partes illas nos præ ceteris angariat, circa quam, ex quo ad aliud pertingere nequimus, ad cautelam non tædeat illius Maroniani carminis reminiſci. Bis jam Italos hoſtes en altera fœdera rumpi. In quo, ſi verum dixerit, falſiſſimum modo eſt id paſtorium quod ante cecinerat: idem amor exitium pecori pecoriſque magiſtro, cum nec ſpes libertatis inſit nec cura peculi. Sed credo, talia fæcla ſuis dixerunt currite fuſis, concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

EPISTOLÆ XIV.
Ad epiſcopum Cameracenſem.

De eccleſiæ unione, & de corruptis ſui ſæculi moribus, & de præbenda Pariſienſi ſibi procuranda.

Stutgart. SI gaudendum eſt bonis rebus & dolendum contrariis, quod ait Cicero, nunc tandem maxime exultandum eſt, reverendiſſime pater & alumne præcipue, ac omni lætitia geſtiendum, intellecto ſummum pontificem, poſteaquam ſua cum ſanctitate inſignium civium Januenſium pars ingens (a) quarta & vigeſima Maij (a) epulata eſt, & cardinales nonnulli, ac ille de eccleſia meritiſſimus clariſſimuſque gubernator, quem puto vobiſcum ex morum ſimilitudine optime convenire, necnon loci incolæ quamplurimi hoc prætextu evocati, palam ad omnes publicaſſe, & cum Pſalmiſta eructaſſe verbum bonum, ſeſe ſcilicet ad martyrium uſque vias omnes ad eccleſiæ reſartionem accommodas, renuntiatione incluſa, ſi Romicola idem fecerit; ſuſceperturum & alias peracturum quidquid incumbit, nulli renitendo labori vel moleſtiæ. O patris peroptimi vocem! o viri probiſſimi conſenſum & pariter liberalitatem atque puritatem priſcorum nulli comparandam. Jam taceat, qui ait Petronius: *Irata*

A *virtus abditur.* Immo vero, Petroni, ſuper candelabro poſita eſt, cum in quo potiſſimum valeat relucere, ac pro illa ipſe omnium maximus, omnium ſupremus ac digniſſimus, omnium maximi honoris, omnium maximi commodi gradum ſtatumque & libens, & ſciens, & volens, & prudens plane relicturum ſeſe offert. Quamquam nihil relicturus eſt, quin potius hinc gratiam, hinc gloriam, hinc decus & ſalutem merebitur ſempiternam. Itaque nunc proceſſus veſter vivat, nunc veſtram, quæ multis ante diſplicuerat rationem, laudo, approboque; ſi verum eſt quod adverſarius B ad ſimilia præparando ſe conformet, modo etiam de perſonis tuti ſitis, & illud Maronianum ad cautelam, ut jam ſcripſi, ſub memoria comprimatur: Bis jam Italos hoſtes en altera fœdera rumpi. Quoniam metui a Chriſide, & ſemper cum Terentio vereor ne quid Andria apportet mali. Pollicitis autem ſupratactis deſunt ſine quibus, mea æſtimatione, factum eſt nihil. Dumtaxat ſequentia & quæ omnia complectuntur duo verba, aut eorum ſententia per apoſtolica quaqua verſum ſcripta miſſa: Noverint univerſi nos Benedictum &c. ad "
C unionem eccleſiæ per omnem & quam-" cumque viam meliorem, nulla excluſa, " fore animo & corpore præparatum. Da-" tum &c. Tum demum utravis in aure obdormiat, latrent quique volent, nihil poſſunt impingere, de nullo ulterius accuſare aut conqueri. Omnia peregit, perfecit, adimplevit, quoad uſque tamen materia ingeraretur amplius coagendi, ſicque fideles manebunt conſolati, ac ceteros confuſiſſimos in æternum redder. Valete, pater unice, & paucitatem ſcriptionum mearum ferat veſtrorum pluritas agendorum, nec expecte-
D tis quidquam boni de noſtra republica nuntiari poſſe. Quin verius res pejori eſſe non poſſunt quam ſunt loco, teſte Comico. Cur ita? quia ut inquit Anſranius, Scorta placent, fractique enervi corpore greſſus, & laxi crines, & tot nova nomina veſtis, quæque virum quærunt turba ſepulta mero circumvenit. Eſt favor in precio fenibuſque libera virtus excidit, omnibus una impendet clades, arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella ante oculos volitant, fervet avaritia, pleraque alia inundant vitia, quæ intelligi potius quam ex-
E primi maluit filius adoptivus primus veſter inter commendatos veſtræ dominationi. Garcerium Mercatoris nepotem meum ſupplex poſco poſtremum non haberi Johannem vero neſcientem quid deeſt ei, ut eſt mortalium pars potior, quo libebit loco reponite. Tametſi me amicorum plures, quod paternitatem veſtram de Pariſienſi præbenda

(a) Id contigit anno 1405. quo Januenſes conſilium oratorum regis Franciæ ſecuti, Innocentio VII. obedientia ſubtracta, Benedicto adhæſerunt. Quod ubi reſcivit ille profectus in Italiam, eodem anno Januam appulit, ut ſcriptores Januenſes tradunt, de quibus vid. Rainaldus ad hunc annum n. 17.

alias pene a papa mihi data sollicitem sollici-A tant, ut ibi Deo serviendi causa oboriatur, ipsisque propior sim ac studio.

EPISTOLA XV.
Ad Nicolaum de Clemengis.

De verbo improprie dicto in epistola ad Cameracensem episcopum emendando, & de cantoria Bajocensi.

Anno 1405. NI succurras, præceptor mi & frater B carissime, a nostris correctoribus infamis fiam, ac propemodum reus mortis. Animadverti enim me in novissima ad dominum & patrem meum Cameracensem mea scriptione, (a) hujus comparativi *propior*, loco, ut præceps & futilis est calamus, emisisse *proximior*, quod nec tropi, nec schemata, nec analogia, nec anomala, seu quævis positura, aut notæ figura, vel aliud quidquam excusaret, nisi tamen diceretur, quod quia Proximus habetur vulgo ac si esset positivus, siccine Proximior comparativus censeretur, multaque renascentur, quæ jam ceciderunt; cadentque quæ nunc sunt in ho- C nore vocabula, attestante Horatio. Patet insuper de ortographia, quoniam antiqui K. litteram præponebant, quotiens A. sequebatur, ut in Kaput, vel Kanna, vel Kalamus. Nunc autem Kartago & Kalendæ per eamdem tantum scribuntur, si non mentiatur Isidorus. Meum tamen errorem, quia non vitium putarent, sed peccatum & hæresim, & illum non eructasse non possum, emendari & corrigi tuis ejusdem domini mei & patris in litteris a te velim, ne si vento aut aura levissima ad hos usque correctores meos & tuos dico relatum sit, libellos dif- D famatorios inde struant. Scis autem ita comparatam hominum naturam, aliena ut melius videant & judicent quam sua. Vale & circa factum cantariæ tuæ per omnia repræsentaturum teneto, quoad erit potestas, Johannem Nicolaum. Sed illius electi (b) obstante duritate, * ad conditionalem etiam resignationem quoquo pacto induci non potuit, & ob id maturare te conveniebat opportuna omnia apostolica scripta sua. Iste accessor plurimorum amicorum tuorum amicus est. Juvabis ergo, E quemadmodum Menedemum Chremes, aut consilio scilicet, aut re, aut utroque.

(a) mea scriptione, (a) hujus comparativi *propior*

* al. diritate.

(b) electi (b)

(a) Id est in epistola quæ immediate præcedit sub finem.

(b) Johannis de la Coste, qui ex Cantore Bajocensi electus fuerat episcopus Cabilonensis.

EPISTOLA XVI.
Ad Nicolaum de Clemengis.

De negotio Cantariæ Bajocensis.

TAm varie multisque modis nobis ille Cabilonensis (c) pollicitationes suas in re tua protelat & alternat, ut nihil fidei, nihil confidentiæ in eo habeamus, qui ut alias tibi scripsi, mihi in persona spoponderat infra sex dies responsum facere gratissimum. Quibus elapsis, dies dilationis iterum tres petiit, rursum tres, item alios tres: hodie vero de decem vel duodecim, hoc est quousque nuntius quidam suus a Cabilone redierit, expectationem nobis crevit; ut ad Symonidem Hieronis quæstionem, quid esset Deus, locum diceres hic habere. Non cessavimus tamen eniti, si eo invito vel nescio, possemus tuæ Cantoriæ possessionem adipisci, ut hinc octo vel decem jurisperitos consuluerimus una die; sed tandem incertiores rediimus quam ante, ut est in Terentio. Et ut tibi breve faciam, quamvis fuerim hactenus opinionis, quod trimestri de consecrandis episcopis lapso tempore, possessionem omnino caperemus, ita ut continuo sequeretur regia confirmatio, quod mihi facile factu esset, modo foret possessio pacifica: quo casu futuram omnem regaliam extinxissent. Nunc tandem consilium immutavi, quia si quævis oppositio existeret in receptione, jam non diceretur receptio pacifica, & sic in posterum semper vacare in regalia juris vel facti censeretur, præcipue cum idem Cabilonensis asserat dispensationem de beneficiis ad annum retinendis habuisse. Quas ob causas hac hora simul fuimus nos tui amici pene omnes, qui post infinitas discussiones, ita perplexi remansimus, ut quid eligendum fuerit potissimum nesciamus. Sed tamen non omittemus incessanter agere, ut pro nobis. Tu vero si melius inveneris, intimato. Est tamen quod non desperem de fine votivo facti tui, immo spes solito melior ingeritur, quoniam cum tristis hæc ararem, qui lætificavit animam meam, supervenit de Condis, qui retulit electum sæpefatum certius quam umquam promisisse sese antequam labatur sequens septimana ad tardius, factum tuum penitus expedire, & quod tunc quod nunc usque non voluit, causam quare tamdiu id facere distulit, declarabit. Insuper, quod nobis timorem leniit, præses ille senex Vitalis ad decennium, ut eundi veniendique & gestaum cetero-

Anno 1405 (c)

(c) Johannes de la Coste juris pontificii doctor, canonicus & cantor Bajocensis, Benedicti XIII. referendarius, a quo factus episcopus Cabilonensis, iniit possessionem per procuratorem anno 1406. Kal. Augusti, quo anno proinde hæc scripta est epistola.

rum ſunt indicia, ab inſidiantibus nobis A omnibus judicatur. Vale.

EPISTOLA XVII.
Ad Nicolaum de Clemengis.

Certum eum facit de Cantariæ Bajocenſis poſſeſſione pacifica adepta.

Anno 1405. HAbes quod tota mente petiſti, expetivimuſque nos amici tui omnes, cum ob hujuſce hominis quocum agebamus, mores, tum maxime ob caſum regaliæ, poſſeſſionem Cantariæ ac præbendæ B Bajocenſis pacificam & ſecuram; ſecuram dixerim cum quæ bicipitis frameæ inſtar ſecat, ipſa regalia continuum hactenus nobis timorem incutiens evacuata ſit omnino & extincta. Nec vim adverſum te quoad hæc habere in futurum quoquo pacto poteſt, quoniam, quæ in ciſta mea eſt, confirmationis regiæ cartam poſt poſſeſſionem abſque impedimento ſic adeptam, ſicuti neceſſarium tibi erat, expedivi. Gaude ergo, qui prius rem tuam in tuto locatam eſſe noſcis, quam difficultatum ſalebrarumque, quas nec vacat nec delectat inferere, portunculam una nobiſcum guſtaveris, & via C optatæ conſequutionis rei tanti honoris & commodi lætere reperta: ita ut Galliis non ſemper præferas Auſoniam, nec a modo de rerum tuarum habitu ad ampliora ſic inhies, ut pridem & mihi & tibi de nihilo ad aliquid fuit tendendum. Alias philoſophiæ ſtudium & circa Ethicam verſari prodeſſe nequaquam putaverim, quin potius eſſet verſiculum, quod in hac parte, inquit Cicero, philoſophos aliter vivere ac loquantur, ut ſæpe cum vita mirabiliter pugnet oratio. Serviet æternum, qui parvo neſciat uti, ait Flaccus. Qui, ut noſti, certum D voto ponere finem poſt conſulit. Quod ſi minime pareat animus, ipſum compeſce cathena, eodem exhortante poeta. Vale & cum pleraque tibi ſcripſerim his diebus, miror & utique miror, quod nihil penitus ſcribas recepiſſe. Vera ne an falſa ſcripta mea tibi videantur, aut minus grata votis tuis, ſi advenerint, quantum vel accepta. In quo ſi adeo nos alloqui graveris, aut dignaris minime, poſtremam hanc habeto. Si etiam epiſcopio fungereris, quippe inveniet alium ſi te hic faſtidit Alexis.

E

EPISTOLA XVIII.
Ad Nicolaum de Clemengis.

De rebus Italicis & de antipapa.

Anno 1405. CUr tantopere antiſtitem noſtrum, teque ac ceteros, quibus optarem bene eſſe, vobis cavere, deque itione veſtra timere hactenus conſului, nec illud Ariſtotelicum, quod de ſingulis dubitare non eſt inutile, nec ſæpius reperitum de experientia Æneæ illud Virgilianum bis jam Italos hoſtes en altera fœdera rumpi, nec ſic ut generalia ſunt movent, quantum ea quæ his diebus in pluribus de Auſonia contigerunt cernere erat? An vos fugit, oculatiſſimi ac ſapientes viri, an vos fugit nondum decennium tranſiiſſe, ut dominus Mantuanus a duce Mediolanenſi obſeſſus ac invaſus & uſque ad exterminium peroppreſſus, ni liga, in qua Paduanus ei potiſſimum auxiliatus eſt, ſuccurriſſet. Idem tamen Mantuanus mane facto ad ducem præfatum ſe convertit, ita ut in præſenti eidem Paduano adverſarius vehemens ſit. Veneti autem inter præcipuos tunc de liga, nunc Ligurum ſunt fautores, & facti Paduano inimiciſſimi, ut eſt ſcitum. Sed quid ille bonus præſes de Roma, ultimo qui obiit, egerit adverſus Bavarum noviſſime ad imperium electum, & de ipſius perfidia: ad Florentinos me refero, cujus & eorumdem Florentinorum monitu ac inductione longi tractus ad Italiam ſe tranſtulit, quam infauſte ignominioſus ipſius ad ſuam Germaniam receſſus edocuit, ob id maxime, quia idem pontifex tam conſtans & verus prece immo pretio ejuſdem ducis eidem electo tenuit pactum nullum; quo duce paululum poſt egreſſo de medio, filio ejus & uxori protinus movit guerram, ut hinc Bononiam habuerit extorſeritque. Quale vero præſidium eorum collegæ domino Paduano ſæpedicto, ad extremum tamen indigenti & agenti Florentini modo præſtent, ipſi viderint, non video nec audio. Præteribo ad hiſtoriographos de patriæ moribus recurrere, atque linquam in materia recitare alios recentes caſus multos, unum ſi repetiero, qui vobis in vicinio eſt, ac nudius tertius practicatus. Generum habet idem Paduanus marchionem Ferrariæ nuper cum eo adverſus Venetos fœderatiſſimum. Nunc autem, ut refertur, obmiſſo ac neglecto eodem patre ſuo, & converſus in aerum pravum, factus eſt Venetorum amiciſſimus. Ad hoc, ſi voletis, a fideli atque veridico rectore Januenſi poteritis plene ſcire, qua cum verſutia doloque & excogitatis inſidiis iidemmet Veneti claſſem Januenſium alias invaſerunt, ut nulla diffidentia præeunte, tres naves, quas galeas vocant, ei, cum Gallici ſanguinis ſparſione non pauca, ceperint, & ad redemtionem coegerint pertingentem, quorum tamen capitaneus, &, ut ipſi vocant, corporalis, permodico ante tempore ad regem legatus cum aliis civibus Venetis fuerant, me ſciente, quam multipliciter honorati, & magnis donati muneribus. Quid autem de partialitatibus dicam? ut hinc is, hinc ille, hinc iſti, hinc iſte immaniter necati ſint, hincque Piſis, ut ad individua deſcendamus, hinc Senæ, hinc

Perusia, hinc Verona, dudumque Florentia atque Roma, Janua nuper & tota impræsentiarum Liguria, innumerabilesque pene aliæ civitates & oppida propemodum desertæ sint. Itaque crimine ab uno disce omnes, inquit ille, qui alibi post cecinit: *Nusquam tuta fides.* Ite ergo & ibi plantate vobis vitem, & vestram, ut aiunt, pecuniam reponite, ac de illis fidite, qui dicunt omnia sui causa facere sapientem, & cum Mercurio deo suo decipere putant mercari legitime, modo eis resultet quid commodi. Sed, inquies mihi, jam sentio, operam nequicquam consumis, præposite, pernimium B processimus, honeste nequimus resilire, nequimus, inquam, patrem & tantum patrem ac benefactorem nostrum absque dedecore ac nota pusillanimitatis deserere, utpote quærentem & enixe quærentem unionem ecclesiæ. Atqui persapientes viri, ut a me jam scriptum est, ex quo ad aliud pertingere jam non valeo, quæro ut caute ambuletis, & inter agendum eorum verba & mores & pacta pariter annoteris, qui modo harum, modo illarum partium sunt, ait Crispus, & de quibus in proverbio: *One ne te diro altre te fero* & cum Paulo *omnia secundum ordinem fiant in vobis.* Nam quod subdit. *Vos estis gloria nostra & gaudium.* C

* videtur hic aliq id deesse.

* Vale & spera in Domino de Cantoria tua brevi votive auditurum, ita ut intelligas de mora non minus quam Nicolaum, Johannem torsum esse, per ea quæ domino Bituricensi duci pridie rescripsit antipapa. Vere quidem antipapam nominaverim, ex quo maxime tanto sub rigore in re dubitatissima verum papam se reputat, nihil offert, nihil aperit, nihil hortatur, nihil monet, nisi suam per inficientiam, processus cardinalium ac notam torporis & negligentiæ *nostrorum* regalium, ac super nuntiorum apostolicorum accusationem, ad D cum accedere suppliciter debeamus, quemadmodum tibi enucleatius per copiam innotescet rescriptorum, pro quo magis ac magis vestram omnes profectionem admirantur, nec minus vectigalium exigentiam. Quoniam, adversatio renuente, nihil agitis, & per potentiæ coactionem eniti, tantumdem est mihi suadere, ac si tu absque manica tigrum pessimam in desertis Libiæ capere te jactares. Bonam mentem, bonam, & animum bonum requirit Deus, quibus si vallatum exiterit nostrum caput, membra cum eo sincere convenient, & hic E quantum ibi, nisi de conventione aut agitatione alia vel tractatu moneretur, penitus ipse aget, nec opus erit tot tot armatis gentibus, & *ista occasione* profluviis expensarum, nisi tamen timeamus ubi non est timor. Aut illis persimiles censeri cupitis, de quibus quinto Machabæorum capitulo non ignoras scriptum esse. Ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt prælium.

(a) Parum accurate hic loquitur noster Johannes. Nam cum inceperit schisma anno 1378. sextum ab illius ortu lustrum anno 1408. clabitur. Jam vero cum Benedictus anno 1394. creatus fuerit papa, annus pontificatus ejus X. in annum 1404. incidit. In his medium si teneas scripta fuit hæc epistola anno 1406.

EPISTOLA XIX.
Ad Benedictum papam XIII.

De schismate.

I. ALtitudinem tuam parvitatemque meam cogitans, sanctissime Pater, loqui prohibeor, & tacere non possum; cum catholicus videam sex jam pene lustris labentibus ecclesiam sanctam Dei, cui tu ferme decennio *(a)* præsedisti, sic affligi, & turbari, ut tuo in tempore atque regimine (pace tua dictum sit) nova schismata, novæ divisiones exortæ sint. Quæ tametsi pro parte sedatæ videantur. Formidandum tamen est verisimilibus conjecturis in deterius rem casuram ocius recidivum ad nominis tui denigrationem, ni provideas, & scandalum plurimorum. Sed sentio te dicturum: Per me non stat. Volo enim optoque unionem ecclesiæ, & inter mortales maxime percupio, nec est periculum, quod pro illa non subirem. Te ego ad me ipsum tua humanitate audivi consimilia dicentem, & a quam multis intellexi, ab ore tuo itidem collegisse. Quod quidem nullus est qui revocet in dubium. Abiit a mente sensati cujuscumque auspicari quin tu velles: immo vero probum, continentissimum, atque litteratissimum te reputant, & status ecclesiastici sincerissimum zelatorem. Quod toto complector animo, & æstimatione comprendo, sed id sedationem schismatis non concludit. Facto opus est, Pater sancte, meditari, consulere, agere, & opinionibus deferre convenit sapientum. Circa quod prudentiam tuam pusillum mecum patientia audituram esse velim: qui etsi verus, ut credo, vicarius existas JESU-CHRISTI, non tamen propterea debes te inflexibilem adeo reddere, aut moleste ferre hinc pulsari. Nec enim animum, quod ait Virgilius, res incognita turbat, quam tu palpasti temporis longo hausto, at discussam omnifariam habeo supra cunctos. (a)

II. Sed ut a longioris processus iteratione me absolvam, venio ad id quod postquam gratia Dei, & benivolorum tuorum prosecutione ferventi tibi obedientia *(b)* reddita est per dominum meum germanum *(c)* regis, nonnulla pro te, & nomine tuo capitula promissa sunt, quæ quam fideliter, (b) (c)

(b) Benedicto subtracta fuit obedientia anno 1398. uti videre est in litteris Caroli VI. regis Francorum, datis 28. Julii ejusdem anni & relatis ab Odorico Rainaldo, restituta vero fuit eidem obedientia anno 1403.

(c) Hoc est per dominum Ludovicum germanum fratrem domini Caroli VI. regis Francorum.

&

& sincere, quantisque cum digestionibus, altercationibus, recisionibusque plurimis conclusa sint, sciunt multi, scio ego, qui sæpe numero interfui, pro quibus a tua sanctitate confirmandis, idem dominus regis germanus solemnes nuntios, postmodumque
(a) dominus noster rex eminentiores (a) ad eamdem sanctitatem transmiserunt: qui quid egerint profecerintque, exitus acta probant. Et ut tibi in aure loquendo detegam, perceptæ nihilo magis eorum legationi detulisti, aut cohortationibus moveris, quam si dura silex aut stet Marpesia cautes. En hæc promissa fides est?

III. Sed maxime in admiratione omnium cedit, omnes eos qui tibi in hac re ac Deo & ecclesiæ fideliter prudenterque, & enixe famulati sunt, hi maxime a te absunt, & dicunt suspectos intense tibi reddi; quorum unum tandem pro multis dabo, non monitu suo, aut requesta, qui hinc abest ducentis miliaribus, sed eo jugis erga te, & *ecclesiam exstitit fidelitatis ipsius* integritas, sapientia, diligentiaque coadjuncta, ut expromere nequeam, etiamsi mihi cum eodem Virgilio centum linguæ sint oraque centum. Quis autem, per Dei atque hominum fidem, mortalis pro mortali perseverantius usquam egit? Quis manibus, pedibusque elaboravit intensius? quinquennio qui ferme magnis hac in urbe cum sumtibus degit, sic agendo causam tuam, ut eam vitæ, & bonis omnibus præponeret. Testes sunt duces, proceres, & viri plerique doctissimi, quibus, firmius ut tu credas ei, tunc admodum adversabantur. Suasiones quoque suæ publicæ, privatæque quantum causam tuam adjuverint, si roges, siquidem ut multos adversarios remoraretur & tepidos redderet, ac indifferentes circa te tuos efficeret; demumque si qui tibi favorabiles erant, amicissimos concluderet, & intimos. Et tu hunc probum virum ex sapientia, & virtute totum factum,
(b) S. Poncii (b) Præsulem, post tot obsequia, totque rerum tuarum gestiones in tuæ habitationis vestibulo, luce integra, quod aiunt, opperiri passus es. Immo in crastinum tandem, ut additur, venturum remisisti: & eo tempore maxime, quoad visendum te, magis, sicut reor, ut tuæ li-
(c) berationis ab ergastulo (c) una tecum gaudio, quam ut commodo quovis alio potiretur, accesserat; & vicem ingratitudinis & apud eum quem maxime gratiis plenissimum decet esse de hominis quippe memoria non visam, modo ita sit, aut scriptis perceptam antiquorum. Quæ omnia perfacile audientibus suggeruntur. Cum referatur, ipsum, ut primum potuit, a tuo comitatu abiisse.

IV. Taceo quod contra prædecessorum tuorum mores ex Francis officiarios paucos habes. Quod tuæ sit electionis & simul arbitrii. Mea vero nihil refert, sed alio ex capite stupent multi, quod cum circa unionem *ecclesiæ perscrutandam inquirendamque* super omnia, & ante omnes astringaris, eamque summopere procurare deberes; vacantia, procurationesque, aut vectigalia hujusmodi meditaris, & nescio quam gentem armatam de bonis conducendo crucifixi, ut jam non Aaron thurificans, sed prælians Cæsar videaris. Subtractionis effectum per beneficiorum collationem, & alias molitis irritare: & in hoc, consimilibusque plurimis totus es ac potissimum vacas. Quod quam prudenter, animadvertito, & circumspectus provideto novissima. Nam si contingat oves a suo ipso in posterum secedere pastore, de regressu non confidat, actum est. Et ut metaphoram intelligas, qui fuerunt pro te, maxime non erunt. Quid consequenter de aliis censendum est, tu judica: nempe ut omnes fiant pariter inimici, ac tui persecutores vehementissimi ore uno, atque voto

V. Nonnihil quin etiam frequens hæc relatio quosdam urit, quod cum pauxillulum quodpiam a te petitur beneficium, vel præbenda, signemus centum duntaxat solidorum, continuo perquiris de persona cujas est? qua in facultate perluceat? quomodo morata sit? præbenda quæ sit? quantum valeat? in quo consistat? Quasi ad ea logices rudimenta nos revoces. Ubi petunt, quæ, qualis, quanta, ac veluti nonnisi electis quidquam & sufficientissimis dare velles, sive tu non cum hominibus degeres, sed angelis. In quo audias summum philosophum testimonio Lactantii Ciceronem. Quoniam autem, inquit ipse, vivitur non cum perfectis hominibus neque sapientibus, sed cum his, in quibus præclare agitur, si sint simulacra virtutis, etiam hoc intelligendum puto, neminem esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat. Sed subditur, quod molestiæ partem gignit, te omnia in uno beneficia possidere, nec eo contentus, episcopia plura, ac pingues abbatias, (indulge Pater sancte,) ad alias inhiando, complecteris, & mensæ coapplicas tuæ; de quibus tamen, ni failor, vel negligas, & illud Apostoli: *Sit unius uxoris vir.* Et ut nosti, nihil jura magis horrent, quam prælaturas pastoribus vacuas finere.

VI. Tu tamen utere jure tuo, & super omnipotentia quoad voles: ad id redeo quod supra tetigeram de articulis tuæ sanctitatis nomine promissis, qui quodam in instrumento authentico duabus lineis tuæ manus consignato caventur, vel qui dehinc elici possunt, & concludi, ut ab illius voce cœpi, qui præcipue debet scire: nec

(a) Nimirum duces Bituricensis & Burgundiæ regis patruos, & ducem Aurelianensem ipsius germanum.

(b) Petrum Rabanum qui Romam ad Bonifacium papam ad procurandam ecclesiæ unitatem missus traditur.

(c) Per quatuor aut quinque annos Avenione detentus fuit in custodia, a qua procurante Ludovico duce Aurelianensi regis germano liberatus est.

id, ut certo scio, tibi dicere verebitur in A persona : ratione cujus a tua discretione peto, ratificare cur moraris ? quomodo vel renuis admittere, cum totum tractatum sit, & editum omni maturitatis digestione per quotquot præstantiores, & sapientissimi, ac veritatis amatores inhabitant regnum istud ? nec occurrit quam ob causam tu resistas, aut potueris quoquo pacto usquequaque restitisse, quominus, ut ad particulare paulisper descendamus, scripta tua undique mittere desieris, continentia, quod ubi adversarius tuus cedat, aut viam quamcumque receperit, per quam unio subsequatur ecclesiæ, & illi tuæ tamen sanior B pars obedientiæ consentiret, paratus sis acceptare. Quia demus oppositum, quod idem adversarius hoc modo viam causativam unionis acceptaret, & tu consilio tuæ obedientiæ, ut præfertur, obtemperare recusares : aut oculi scientificorum parum vident, aut tu, sancte Pater, semper cum venia, schismatis fautor esses. Quod si principis illius præclarissimi, qui te adiit, hortamenta, ac nuntiorum hujus universitatis venerandæ suasio adversum te frustra sint, spes aufugit, subit desperatio sub te in fu- C turo unionem posse contingere. Quo te prospicio, (horreo dicere, & tamen dicam,) jam jam moriturum sub odio, vilipensione, notaque omnium legis Christi. Ex adverso eos si exaudieris,

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thimo pascentur apes, dum rore cicadæ :
Semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt.

VII. Vulgo dici solet, Pater sancte, D Neptunum improbe accusat, qui iterum naufragium facit. Proinde coram te sponso suo genua flectit ecclesia, mirabile dictu ! quamvis mœstissima, ac vestitu discisso laceroque, adeo pulchra, ac venusta, ut nihil supra, terque, quaterque te propulsans, lachrymansque gemensque has imo ducit de pectore voces : Mi vir, tuam obnixe caritatem deposco, ex quo ille Romanus, quem tu merito reputas ganeonem, me tam viliter prostituere, & adulterari conatur, quoad potes serva : & ne novi emergant lenones, qui me diversum E rapiant, dissuantque, & devastent, partem residuam meæ vestis enitere. Non tamen eo more illud agas, quo zelotypus uxorem suam amat : qui dum propius eam tenet, perdit illa in re præcipue, quæ magis eum coquit. Et te precor, faciat nihilominus experientia sapientem : qua tu rigore severo, (qui si justus fuerit in præsens non discerno) me pene totam amisisti. Et postquam tecum singulariter fermo est, tu plane scis, fide conjux, meos redditus, meam dotem in regno Franciæ potissimum situari, quam amittere, si nihili facias, hac in re non tecum sum, cum eo genere nata sim, ut vilia operari, aut illicitum agere dedececat, nec reginam conveniat mendicare. Idcirco egomet hoc scito tu, consulam mihi ipsi, & quoniam dictum Franciæ regnum justitiæ bàsis est & columen, ac unicum fidei stabilimentum, si sapientum ejusdem consilia amodo contemseris, & facere quod in te est ultra differas, ibidem te ad divortium iterum evocabo. Quo discusso cum regno antedicto (non enim volo una tecum omnino me perdere) jugiter remanebo ; & quidquid adjudicaverit, illud sequar. In illo anchoram spei meæ figens, quod numquam schismatis errore tactum fuit. Et cum demum vos contendentes de Papatu, consultis tamen prius ceteris catholicis, mea decreverit indignissimos puritate, ambobus spretis & abjectis, aut solum nupta Christo semper vivam, aut novum desponsabo. Impune nimis enim de me meaque patientia, ut libertate feminea loquar, tamquam rerum domini, usi estis : & vos falso servorum servos facitis appellare. En iterum novisti vulgo mulieres omnes oneri marito advenire, ut verbum vix faciant, si tamen non inferant rixam, quin aliquid exigant, nunc hoc, nunc illud instar hydræ. Contra ego a puero te alui, educaviquc & propriis uberibus lactavi, prius impenso, quo sine nihil eras, regenerationis sacro fonte, & demum, quo ultra transcendi non potest, ad statum te advexi, miseram me ! numquam aut usquam facto, vel verbo offendendo quavis parte. Sed utile tibi delectabileque suggerens indesinenter aut honestum, nil tamen a te poscens, nisi quam Christus præcepit bonam pacem, & tu propinquioresque tibi eos sic cum me intelligas sit satis expressisse, tanto tempore me mœstam, tristemque, ac desolatissimam liquerunt sub neglectu, qui tamen rem prius fecerant turbulentam, & mei potissima fuerunt causa morbi, &, ut verum fatear, quemadmodum pila juvenes de me factoque meo luserunt, modo hunc, modo illum sponsum meum nominando, revocandoque protinus ad libitum, inepta quidem illa, qua Terentius testatur pueruli sententia : Nolo, volo ; volo, nolo, rursum cape, cedo : quod dictum indictum est, quod modo erat ratum, id irritum est. Eratne officii illorum iste fermo ? *sunt ne hæc perennia * laudi ? Et inquam * alumni mei sic utinam vita regimenque vestrum esset, ut magis consilia præbere, quam poscere a secularibus oporteret, nec eis errores defectusque vestri in tantum patuissent, credite, plus multo posteris nocituri, quam visum fit. Non igitur quod est ante pedes cernere : sed de futuro prospicere debueretis. Sed heu, vix est vestrum aliquis, ad vos dico, qui pro me quidquam agat, vel cogitet nisi pul-

* al. finis.
* al. præmia.
* al. Otio quam.

satus aliunde, aut pudor interveniat in- A commodi, sive timor. Advertite igitur, advertite, tuque ipsique pariter, nec ultra sit segnitiei, aut socordiæ locus, vel quia usquequaque impunitate gauderis. Fidite. Lento enim gradu ad vindictam sui, quod ait ille, divina procedit ira; tarditatemque supplicii gravitate pensat.

VIII. Hæc sunt, quæ liceat te nostra voce moneri. Quas ob res, Pater beatissime, per viscera misericordiæ JESU-CHRISTI, per quantum honorem tuum cari pendis, & ipsius ecclesiæ desideras unionem, animum oculosque convertas ad illam quæ B mater & sponsa tibi est, & bibulas ad proborum sapientumque consilia aures præbeas, nec proprio sensui innitaris, aut tibi nimium indulgeas, sed in conspectu tuo illud semper veritatis verbum habe: Homo, qui de se existimat, cum nihil sit, se seducit. Nec enim judicium subiret cujuspiam, sancte Pater, omnibus providis hujus regni; unam hanc in sententiam errando convenire, & in illa te solum, & pro te rectius judicare. Nec insuper animum intret tuum, sed procul absit, Pater beatissime, incolam quemvis hujus regni te in aliquo prosequi odio personali, aut quod C alienigena sis: sed quia vota intentionesque minime fuerint hactenus intellectæ, quin potius sinistrorsum susceptæ ob relatus obliquos susurrorum. Ira, quæ, ut Ethicus ait, odium generat, suborta est, & quæ nutrit amorem, concordia subterfugit. Pellantur igitur, pellantur eminus, pie Pater, immo penitus extinguantur omnes rancoris fomites, & communes, eædemque amodo ad unionem fiant mentes; inque ovili tuo, & id in te, cum extra navim nequeat bene esse, sub pacis dulcedine quiescatis. Quocum crede mihi, si dissideas, cum aliis nequaquam concordabis. Foris autem incassum quid agimus: dum intra nos obluctamur, testis est qui dicit: D

Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

IX. Vis omnia, sancte Pater, unico perficere modo, & sub summa summarum Annæo Seneca dicente complecti? crede consilio, & non pœnitebit. Si etiam Salomon non desipit, & si de nullo confidis, nec credentiam reponis in aliquo, esto solus, & per maxima hic, non ambigo, perplexitatis angaria confoderis, ob tuorum affectuum opinionumque ad res pugnantiam. Sed quia E „non longe in dissimili proposito Cicero „elegantiæ dicit princeps; sic a doctis „hominibus accepimus non solum ex ma„lis eligere minima oportere, sed etiam „excerpere ex ipsis, si quid ineset boni: itidem facito; &, quod est in proverbio, de necessitate virtutem. Ad Bruti consilium amicum admonentis parendum esse necessitati, & obtemperandum tempori. Non enim, quod de Polycrate narratur, velle ac posse tibi in æquo positum est. Verum enimvero omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi ilia officiunt, relatu Sallustii ait Cæsar. Pro quorum effectu omni conclusivo cavendo circumspice, beatissime Pater, ne scrupulus quispiam, aut conscientiæ nescio quis remorsus, vel quorumdam forsitan canonum auctoritas, aut palponum blanditiæ te aliorsum ac decet trahant. Addito quod prona venit cupidis in sua vota fides. Hæc enim communis fidelium materia, non jurium disceptationes, quæ magis, si credamus Tullio, litigandi, quam justitiæ præbent vias: quin potius cujusdam epicheiæ exigit expediens. Pro quo Lacedæmonum attende prudentiam, qui leges Licurgi, ut recitat Valerius, fecerunt ad tempus non esse, ut semper essent; & Scipio Nasica in senatu exclamat: Dum *consul juris ordinem* sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum corruat *imperium*. Ceterum Africanus major legem utilitati cedere in tempore consuluit, qui alio utilitatem cedere coegisset. Audi præterea beatum ad te dicentem in registro Gregorium: In
„tantum proficis, quantum tibi non stu-
„dueris derogando fidei * arrogare: mente-
„que nihilominus teneto illud Demadis
„sapientis ab Atheniensibus divinos ho-
„nores reddere nolentibus Alexandro pe-
„tenti, * responsum: Cavete, inquit ip-
„se, ne dum cœlum custodtis, terram
„amittatis. Nam juxta Terentium, non licet sæpe hominem esse ut vult. Velit autem ille, cui rerum summa potestas sit, rem suam dirigere & agere, ne quæ submergi non potest, sua navis nauclerorum pertinacia tempestatibus diutius agitetur. Et parce mihi, Domine, non enim potui applausive pariter & vere loqui fidelitatem. Novit scrutans corda, & renes Deus.

* *al.* fratribus.

* *al.* interroganti.

EPISTOLA XX.

Ad quemdam episcopum.

Ut quoddam sibi in ecclesia sua beneficium, cum vacaverit, conferat.

ECce rursus, pater reverendissime, ecce iterum dominus noster rex vestræ paternitati scribit, & vos enixe precatur, ut mihi licet minimo suo tamen continuo servitori, juxta ordinationem in initio novæ istius reditionis (a) collationem beneficiorum ad ordinarios per eum factam, de aliqua præbenda ac dignitate &c. sicuti in

Anno 1406

(a)

(a) Videtur hæc epistola anno 1406. scripta quo in solemnibus prælatorum regni comitiis Parisiis congregatorum actum est de collatione beneficiorum durante schismate.

rotulo priori & principali extiti nominatus, si in ecclesia vestra vacat, vel cum vacaverit, velitis providere. Quod si usquequaque facere distuleritis, quamvis vobis plures vacaverint præbendæ, nec mihi, quod sciam, sit provisum, placeat me non ulterius oblivisci. Quin potius vestra reverenda paternitas, tametsi merita mea non valeant, regis tamen intuitu memorari dignetur. Et ego si hic vel alibi possim vestræ reverendæ paternitati gratum quidquam operari, fuerit esto in beneficii alicujus collatione pro altero servitorum vestrorum, aut alias, me promtissimum promtissimumque cognoscet, ut est posse. Scientes, pater reverende, quod quidquid gratiæ ac munificentiæ huic vestro impenderitis servitori, ut ingratus nequaquam reticebo. Quod si regiæ majestati sæpe dicere aut inculcare non suffecerit, illud, ut scriptum est, prædicabo super tecta.

EPISTOLA XXI.

Ad quemdam episcopum.

Petit ab eo beneficium in sua ecclesia.

PEropportune, ut poterat, reverendissime pater præstantissimeque domine mi ac alumne singularis, ecce casus ille vacationis officii in ecclesia vestra, juxta proloquutionem e fonte quidem benevolentiæ vestræ prodeuntem, alias in domo vestra factam nunc incidit. Supplex igitur oro obsecro & obtestor, quatenus si me tanto munere dignum judicetis, sub regis interventu Johanni vestro conferre dignemini. Nec enim sui voti affectionem ad patrem filius subticebit. Est enim beneficium, sui qualitate & situ pensatis, quod ex tota provincia optabile mihi est, & pariter censetur gratiosum. Videtur quid agam unice, pater mi ac domine præcipuissime, magnifico rem ut reddar obnoxior: si quid tamen obligationis in me addi potest, & gratia dicatur uberior, occasione cujus ac prætextu ad dominationis vestræ conspectum venit is accessor pluribus aliis vice mea informatus. Cui credentiam adhiberi efflagito per omnia tamquam mihi. Opto vos valere, pater mi, ad hominis utriusque sospitatem ut meipsum.

EPISTOLA XXII.

Ad principes & nobilem militiam Gallicanam.

I. REgali ex progenie ceteræque nobili militiæ Gallicanæ zelator vestri honoris & regni commodi, in Rege regum Jesu salutem, ac vestrorum laudatissima priorum vestigia feliciter imitari.

Solet, honoratissimi mihi domini, benegestorum recordatio ingenuis stimulus esse, ignavis vero canitur tamquam surdis. Experiri ergo fuit animus, an utile aut secus fuerit apud vos refricare coramque vestris ingerere conspectibus, ea quæ in Romanorum latinorumque ac aliorum plurimorum annalibus & scripturis de strenuitate atque militia Francorum progenitorum vestrorum laudabiliter memorantur. Qui, ut fide optima comperio, longissimis ante temporibus, priusquam Redemtor humani generis nasceretur, Liguriam, quæ Longobardia vocitatur, Romaniamque & Apuliam, necnon Calabriam, terramque Laboris, & Affricam atque Macedoniam, ac demum Græciam, cum parte maxima Orientis suo subdiderunt dominio, construxeruntque ultra Alpinos montes oppida quam plurima, atque civitates. Circa quod post plurimas de strenuitate Gallorum laudes, de illis Justinus ita scribit: Denique nec reges orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt. Nec pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis sive armorum invicta felicitas erat, ut aliter nec majestatem suam tutam, nec amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Sed quæ postea quam catholica religio lucescere cœpit in hoc regno egerint, auditote, & animis figite vestris, quatinus Virgiliana in vobis illa de futuro verificetur sententia: Et hæc olim meminisse juvabit. Juvabit siquidem ut spes mea est, & ad antiquam vos virtutem excitabit. Non me tamen per hæc librum vel historiam texturum expectetis, aut de gestis singulorum Franciæ regum debere passim loqui: quin potius sub epistolari formula, pauca de multis elicere insigniora propositum est. Reliquas vero chronicarum partes alii, ut libitum fuerit, excerpant. In prato florem unus legit, herbam alter; hoc iste, istud ille: trahit sua quemque voluptas. Quod si de istius nostræ recitationis veritate quæratur, historiographi a quibus hæc fideliter exhausta sunt fidem facient, quorum & sibi similium tale Cicero describit esse munus: ne quid dicere falsi audeant, deinde ne quid veri non audeant, neque suspicio gratiæ sit in scribendo neque simultatis. Ad rem igitur veniamus.

II. Per discursum siquidem chronicarum S. Dionysii reperio in genealogia regum Franciæ, generationes tres fuisse principales, prima Meroveorum fuit, secunda Pippini, Caroli Magni parentis, tertia Hugonis Capeti. De prima exiit Chlodoveus fortis ex ea quæ fuit Bissurii Lotharingorum regis. Qui quidem Clodoveus primus regum Franciæ christianus, postquam Germaniæ regem bellis graviter devicerat, ab eoque subacta fuerat Burgundia, ecce con-

tinuo extendit regnum istud ad montes usque Pireneos, Hispanias & Galliam dividentes. Et eodem ipso anno Burdegaliæ in hibernis stetit residitque atque mansit, ut nescientibus pateat, a quam priscis diebus Aquitania Franciæ regibus est subjecta. Post quem quidem Clodoveum, longo licet intervallo regnavit Clotarius dictus Magnus, qui & Dagobertus ejus natus Saxonum superbiam adeo contuderunt, & quemadmodum fert historia, sic terram igne & interemtionibus vastaverunt, ut facta commensuratione, non remanserit masculus altior ense. Postmodumque in Sclavonia, quia patria bellum movere cogitabat, ipse rex Dagobertus de illis omnino idem egit. Cui Dagoberto cœnobii S. Dionysii fundatori ex nunc dux Britanniæ minoris præstitit fidelitatis homagium, quemadmodum Carolo-Magno & ejus filio Ludovico Mansueto ex post fecit, ut sciatur ducem Britanniæ præsentem, alia ratione quam ducatus Normanniæ hominem regis esse.

Non facta dicam Caroli Martelli, qui duos reges tyrannos infideles, satagentes regnum Franciæ dominari, præliis duobus, uno apud Pictavim, alio prope Narbonam, juxta Birram fluvium usque ad CCCLXXXV. millia Macometicos in fugam convertit & devicit, præter ceteros actus suos strenuissimos in Almannia Provinciaque & alibi, unde victor sæpe numero est reversus. Nec differere aggrediar, quomodo Pippinus II. Caroli-Magni genitor post plures etiam victorias, Alpes transiit, Astulphum Longobardiæ regem tributarium coegit esse sibi. Tacitis quin etiam quæ Rolandus omnium sui temporis nominatissimus, & Oliverius individuus ejus comes ineffabiliter armis operati sunt. Veniam ad partem licet exiguam expeditionum invictissimi Caroli-Magni, cum, ut veridice, inquit unus, ad omnia explicanda exigua facta sua, Tullii laboraret industria & facundia desudaret. Et omittendo quæ in flore egit juventutis, & antequam assumeretur in regem, suum invenio primum bellum post Pippini patris sui obitum in Aquitania adversus regem Gaiferum extitisse. Cui conflictum talem dedit, quod eum tamquam hominem ac vasallum suæ submisit ditioni. Dehinceque confestim Alpes transiit ad Adriani apostolici ac Romanorum precatus, quibus Desiderius Longobardorum rex gravamina inferebat bene multa. Quem Desiderium adeo contrivit & devicit, ut exsulem eum redderet, restitutis quæ apostolico abstulerat ac Romanis, regnumque hujusmodi Liguriæ altero natorum suorum nomine Pippino commisit atque dedit. Et consequenter de Aquileio ducatu quem eadem profectione cum Venetis subjugavit, pro voluntate ordinavit. Quibus expeditis, Saxones protinus invadit, cum quibus ultra annos XXX. a Francis est certatum, non sine ambarum partium maximo detrimento, clade tamen multo graviori Saxonum, demum Caroli imperio pro nutu submissorum, & pacis post diebus de Britonibus sub factionis nodo se subducere molientibus, ministerio quodam Caroli identidem factum fuit. Qui valide permeat montes adversus ducem Assigeum, a quo Apuliam, Calabriamque & terram Laboris facile, cum non auderet repugnare, abstulit. Continuoque in Bavariam revertitur, quam & ducem regionis Scatillum nomine debellat atque capit: qui, quia aliquanto post tempore jussionibus imperialibus parere renuebat, Carolus ducatum hujusmodi in comitatum ad depressionem convertit, quatenus corregionales de levi mutabiles ab obedientia consimili perterreret, & metu contereretur audacia. Adit præterea Carolus noster cognomine ac re magnus Ungariam, Sclavoniam, Pannoniam, Daciamque, & hii quamquam, ut fuit possibilitas, calcitrarent, omnes tamen ultro vel invite Carolo paruerunt, ut jam de finitimis huic regno non loquamur, sicut est Hannonia, Leodium, Brabantia, ducatus Juliacensis & Guerliæ, ac ducatus & comitatus Burgundiæ, totaque Provincia atque Subaudia, ducatus Lotharingiæ, & Luceburgensis, Metis, Tullum, Virdunum, Treviris, Agrippina, quæ nunc Coloniæ vocatur, Maguntiacum, Argentinum, & qui distantiores sunt nobis Waletabi, Sorabi, Abroditii, & aliæ gentes innumeræ, quæ ad sui nominis famam ipsius benevolentiam e longinquo quæsierunt. Quibus in orientali plaga & Septentrionali, ut supra tactum est, expeditis, & posteaquam ultra mare sacram Jerusalem & sepulchrum idolis absterserat, & Christicolas a servitute exemerat paganorum, ad meridiem versus tendit, ac tandem Hispanias omnes ut se protendunt, addidit terris partis, provinciasque instituit atque colonias. Sic itaque, ut videtis, vos ejus posteri, se gessit noster grandis imperator, qui tanta magnanimitatis viguit fortitudine & virilitate valuit, & enituit claritate, quod regnum Franciæ quod jam potens & validum susceperat, duplo auxit: adeoque ut extremis suis in diebus dona seu legata fecerit, absque pluribus aliis in Hispania, XXII. metropolitanis ecclesiis, quarum nomina hic sequuntur: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julii, Gradus, Colonia, Maguntiacus, Juvavum, Treviris, Senones, Bisantium, Lugdunum, Remis, Rothomagum, Arelas, Vienna, Tharentasia, Ebredunum, Burdegalia Turones, Biturigum. Suffraganeis quoque antistitibus, similiter amplissime largiendo. Verum quia de religione, liberalitate, atque munificentia, seu virtute, aut moribus ceteris tanti principis dicere

non inſtitui, facto hic fine quieſcam, ſi prius inſeruero, quæ Guillermus de Nangeyo hiſtoriographus non parum approbatus recitat de habitudine Angliæ ad hoc regnum, formaliter ita dicens:

III. Guido Caroli regis comes, qui Marchiam Angliæ cuſtodierat, Angliam ingreſſus cum multis, totam in deditionem accepit, & regi Carolo arma regum & ducum, qui ſe dediderant inſcriptis nominibus ſingulorum præſentavit. Et ſic Anglia tunc primum a Francis ſubjugata eſt. Eginaldus vero Caroli capellanus, vir elegans, de inſulis illis ita ſcribit: Scotorum quoque reges ſic habuit Carolus ad ſuam voluntatem, ut numquam aliter niſi dominum ſeque ſubditos ac ſervos ejus pronunciarent. Extant epiſtolæ ab eis ad eum miſſæ, quibus hujuſmodi eorum affectus erga illum indicantur. O quam pertinenter hoc in loco exclamatio conveniret, adverſus eos quiqui ſint, quorum ignavia remanet, quominus hujus regni penſata integritate & incolarum ſubjectione fideli, necnon juvenum ac virorum fortium exuberantia, a præfata Angliæ inſula Gallicanæ potentiæ ſubjectio conſimilis redderetur. Sed quia contra milites noſtros Traſonicos & de ipſorum corruptiſſimis moribus, qui profecto viliſſimo torpent otio, ſi non turpius agant, alibi extenſe a me alias ſcriptum fuit, illo eant, qui taliſmodi lectionis ſunt avidi, & nos ad cœpta revertamur.

IV. Poſt eumdem quippe Carolum-Magnum noſtrum Ludovicus Pius & Carolus-Calvus plerique reges & imperatores alii ſucceſſerunt: quorum facta omnia hic differere nequaquam diſpoſui, niſi præcipue, quantumque id ſciri poterit, a quo tempore, & quemodo Anglici terras in hoc regno & poſſeſſiones primitus habuerunt, & quam fideliter ſervaverunt hactenus pacta ſua, ac ſuperioritatem ſui domini regis Franciæ cognoverunt. Circa quam materiam fideli calculo rerum & temporum facto, invenio non præteriiſſe annos trecentos, quod in Aquitaniæ ducatu nihil plus obtinebant aut poſſidebant Anglici, quam ego in Affrica. Eſt verum quod poſtquam dux unus Normanniæ ipſos vi armorum ſubegerat; contigit aliquanto poſt tempore, Angliæ tunc regem nomine STEPHANUM exheredaſſe HENRICUM filium comitis Andegavenſis de ducatu Normanniæ, qui ſibi certa ſucceſſione competebat. Super quo ad regem Ludovicum filium regis Ludovici cognomento Groſſi tamquam ſuperiorem, querimoniam egit, qui protinus quemadmodum ſupremum decet dominum, jus partis conſervando, hujuſmodi ducatum e manibus dicti Stephani regis eripuit, & ad quem jure ſpectabat Henrico reſtituit antedicto. Acciditque paulo poſt præfatum regem Ludovicum Alienordem Guillelmi ducis Aquitaniæ natam repudiare, generis propinquitate reperta, quamquam nonnulli cauſam incontinentiæ aſſignarent. Quam quidem Alienordem idem Henricus, cui rex ducatum Normanniæ, ut eſt dictum, recuperaverat, continuo poſt repudium hujuſmodi in uxorem duxit, ſicque ex patrimonio Normanniæ, ex matrimonio vero Aquitaniæ dux extitit, &, ut ſunt ſortes rerum, non poſt multos dies in regem Angliæ, heredibus morientibus plus propinquis, ipſe Henricus aſſumitur, qui ut ingratus & homo malæ fidei benefactorem ſuum & dominum regem Ludovicum præfatum, de nonnullis Aquitaniæ & Normanniæ terminis ſuperiorem cognoſcere recuſavit. Quam ob cauſam rex PHILIPPUS DEODATUS ſua ſtrenuitate Conquirens nominatus, e veſtigio ſuum edicit exercitum, & Normannos, Andegavos, Cenomanos, Turonos, Lemovicoſque abſque mora ſubjugos ſibi fecit. Quo etiam temporis interſtitio rex Angliæ nomine JOHANNES imperatori Othoni filiam in uxorem dat, fœdus ineunt, quo germino aggreſſu Franciam invadant: quod cernens audax & providus rex Philippus Othoni protinus it obviam, & quamquam quotquot potuerat Almannos adduxiſſet, nihilominuſque Hannonienſes, Flamingos atque Brebantienſes, Juliacenſeſque, & comitem Boloniæ, pluresque alios hujus regni proceres offenſos regi ſecum habuerit; omnes tamen felix rex Philippus devincit in regni finibus atque capit, exceptis his qui cum Othone fuga evaſerunt, in quo prælio XXX. banneria, comitibus Flandrenſi & Boloniæ computatis pro duabus, poteſtati regiæ mancipantur. Quo pene temporis momento filius ejuſdem regis Philippi, nomine LUDOVICUS adverſus prænominatum Angliæ regem Johannem in Aquitania pugnat, eumque vincit apud Rupem-Monachi, ut hinc ignominioſe in Angliam redire ſit coactus. Nec mora, nec requies, cum ecce idem LUDOVICUS mare tranſit, Angliamque intrat, ſuum fervide ſequendo inimicum. Cujus quidem Ludovici Londonienſes proſpicientes ſe minime exercitui reſiſtere poſſe, magnis cum ſupplicatibus pluresque Angliæ aliæ civitates ſeſe dedunt, & ut eſt in hiſtoria, ferme nobiles omnes illius regionis eidem Ludovico fidelitatis homagium præſtiterunt, ut ſuo rege propemodum depoſito, noſtrum Ludovicum intronizarent, ſed ſub inconſtantia ſolita ſuam conſtantiam ſervantes, ſicut de ipſis ſtat proverbium, eumdem cauda ferierunt. Et quia Anglici tanto in armis benegerendis faſtu ſunt elati, vice alia Simon comes Montisfortis, qui in Anglia uxorem duxerat, quadam ſuborta contentione regem Angliæ, natumque ſuum bello capit, &

ambos quo libuit incarcerat. Facinus insuper aliud insignissimum ejusdem comitis Montisfortis mihique pene incredibile, nisi pluribus testatum id foret scriptis authenticis, præterire noluerim, qui regem Aragonum comitesque Fuxi & S. Ægidii cum CC LX. servientibus equitibus & septingentis peditibus non armatis debellat, ipsis cum centum mille obsidentium comitatu eum circumdantibus in oppido Carcassona, ac præfatum Aragonum regem occidit cum XVIII. millibus armatis, præter hos qui fuga sibi vitam præservarunt, mirabile dictu! peregrinis cohortis suæ septem dumtaxat interemtis. Quod si non æque mirandum, utilius regno tamen negotium expost egit, qui quemadmodum accipio, eadem die qua rex Ludovicus cognomento Grossi ineffabili virtute imperatorem Almanniæ regno expellebat, idem vincentissimus noster comes Angliæ regem, qui regnum etiam invaserat pepulit ac devicit. Ejusmodi ambo facinora porro aliud memoria dignissimum Lotharii regis videlicet tempore præcesserat, quod cum imperator alte unus se jactasset urbis Parisiensis limina portæ pedibus pulsaturum invitis omnibus Francis; Lotharius illum ita verbis gloriantem Gallorum suorum viribus adeo coercuit atque ferro, quod sine his qui multitudine copiosa aliter & aliter necati sunt, tot fugæ præcipitatione in Summeria flumine sunt submersi, ut super Almannorum suorum sequacium corporibus aquam supereminentibus, pontis loco facile transiretur.

V. Quid dicam de Francorum portiuncula, quorum dux Guillermus nomine, qui totam Angliam perpaucos infra dies armorum ei subegit, conquisivitque, & rege interfecto in conflictu, corona & regno pacifice & tranquille potitus est, ut hii qui se reges illius regionis usque in hodiernum diem vocaverunt, præfati nostri Guillermi Conquirentis ferant arma. Et Carolus Andegavensis comes regis Ludovici sancti frater, adversus Coraldum & Manfredum, qui ecclesiæ terras tyrannice in Italia occupabant, ipsis Manfredo & Coraldo interemtis, regnum Neapolitanum atque Siciliæ post plures victorias conquisivit, & dehinc apostolica auctoritate in regem inunctus est. Et ut ad materiam unde digressus sum redeam. Post eumdem Ludovicum succedit in regnum LUDOVICUS noster Sanctus, qui in anno XII. coronatur, quod magis factu dignum videretur, & in alio superstite censeretur faciendum. Cum rex Philippus I. genitor strenui Ludovici Grossi octennis simili munere, vivente patre, suo & jubente insignitur inungiturque, & de Caroli-Magni jussu quinquennis filius ejus Ludovicus Mansuetus consimiliter coronatur. Quo Ludovici Sancti tempore, occasione non expressa in chronicis, cum inter barones regni controversia oboriretur, quod cernens dux Britanniæ P. Mali-clerici Henrico regi Angliæ id intimat, subjungens se facile recuperaturum ducatum Normanniæ, aliaque dominia & feoda, quæ rex Philippus suis prædecessoribus abstulerat, si transferendo se citra mare Franciam hostiliter invaderet: in quo suum auxilium per omnia pollicetur. Quibus illecti verbis, transeunt Anglici, & Normanniam eos duce Britonum antedicto comitante, invadunt, igne feroque & aliis stragium generibus dissipant, crudeliter vastant. Quo ad agnitionem Ludovici regis Franciæ & suorum pervento, ingenti cum exercitu, ad inimicorum propulsionem se ingerunt. De quorum viribus rege Anglorum certo facto, ad ducem ait: Per evidentiam oppositum ejus, quod vos dux vobis de discordia inter Francos dixeratis, constat esse verum, quibus ut compertum habemus resistere nequiremus: idcirco in Angliam redimus, manete per vos, errori vestro consulatis. Ita dux Britanniæ coactus est medio comitis Drocarum fratris sui, reconciliationem regis implorare, & sese per omnia suæ submittere majestati. Elapsis vero aliquot ex post annis, idem ipse Henricus Angliæ rex, juxta mores patrios, de quibus aiunt, nullam gentem in inferioritate blandiri humilius, aut superbius dominari, probitatis sanctitatem cognoscens nostri regis, Parisius eum adit, & orationem, quantum ex chronicorum sententia conjecto, habuit hujusmodi.

VI. Christianissime & inclytissime regum, tanta prædecessorum tuorum regum Franciæ hactenus fama fuit, ut principum ceterorum, nullus eis æquari valeat, quin potius inter exteros, cum de regibus comparatio aliqua exoritur, alii, regum Franciæ prospectu, reguli vocitentur. Quod signanter testantur gestorum insignium chronicæ, testatur regni amplitudo, clerus testatur egregius, testatur militia, testantur regiarum ingentes structuræ atque moles, ceteræque exuberantissimæ divitiæ, testatur insuper religionis devotio, sed testantur, proh dolor! parentis mei & avi atque proavi depressiones, perditionesque dominiorum in immensum graves, ob offensiones per eos, fateor, attentatas, quorum usque in hodiernum diem extant reliquiæ; & horum occasione ad te supplicissimus venio, rex omnium humanissime, deposcens a tua caritate, quatenus cum ab avo rege Philippo ducatus Normanniæ, parsque pulcherrima & utilior Aquitaniæ prædecessorum meorum e manibus armorum vi, quæ jurium postponit sanctiones excepta sint, immo verius per confiscationem coronæ Franciæ applicata, digneris gratiam mihi recompensationis quampiam largiri, & ut melius dicam, tuæ majestatis

liberalitatem demonſtrare. Hoc oro, id obſecro, & omni devotione requiro, per tui nominis famam, perque ſanctitatem, ac tuæ nobilitatis munificentiam. Sicque in ſempiternum, rex omnium ſereniſſime, apud me ac meos inter poſteros nomenque tuum laudeſque manebunt, tuiſque in poſterum obſequiis aſtringemur.

VII. Circa quod pius rex atque ſanctus humilitatem, quam rex Angliæ prætendebat, conſiderans, Waſconiam & Agenenſes dat & impertit Angliæ dicto regi: ita tamen quod ligium homagium præſtitit cum circumſtantia, quod ea teneret in parria, renuntiaretque penitus omni juri quod in ducatu Normanniæ aut alio quovis dominio quod umquam aut uſquam ipſe vel quivis ſuorum prædeceſſorum in regno Franciæ quoquo pacto habuiſſet; de quibus omnibus idem rex Angliæ conſilio prælatorum ac procerum plurimorum, qui profecti ab Anglia ſecum erant, pro munere tanto gratias agens apprime fuit contentus, ſicque a rege rex, vaſſallus a domino licentiam obtinuit abeundi. Sed prius uno menſe & amplius apud ſanctum Dionyſium ad viſitandum reliquiarum ſacrum locum ſpatiandumque ibidem reſederat, ubi contigit alterum regis Franciæ natorum de medio ſurripi, qui ordinaverat apud Montem-regalem ſepeliri, cujus ſacrophagum ſeu feretrum parte una idem rex Angliæ propriis humeris deportavit ferme milliaris medietate, & quo uſque eo renuente, ob tanti domini magnificentiam ablatum eſt onus & alteri imponitur deferendum. Nec uſque ad tempora Philippi Pulcri Anglici motum quempiam adverſus hoc regnum quoquo modo indiderunt. Quibus diebus Edouardus pater Edouardi noviſſimi finxit ſe longius ire, & ad ſanctum ſepulchrum velle proficiſci, cujus profectionis velamine, ecce tamquam vulpes intrat Normanniam, eamque ſpoliat bonis multis, quæ tranſmiſit in Angliam. Dehinc in Aquitaniam declinat, Rupellamque, in colis de eo nequaquam ſuſpicantibus, capit, & ſimul oppidum Bleſiam. Abhinc vero divertentes Anglici, Bajonam, Gallicis qui degebant interemtis, proditione habitantium capiunt, tandemque poſt varia conſimilia facinora, remeant in Angliam. Rurſus ecce Caroli Pulcri diebus, Amatus germanus regis Angliæ Aquitaniam clam ſubintrat, ſatagens pro viribus, ſi quas civitates, oppida, ſive caſtra, ſeu quid aliud poſſet, reducere ſub Anglorum dominio. Adverſus quem rex Carolus dictus Pulcher Carolum patruum ſuum comitem Valeſii propere mandat: quem Angliæ regis fratrem adeo inſequitur de propinque, & viriliter aſſultat, quod eum capit in Regula oppido; qui cum ſe captivum ſentit, promittit fide data, quamquam aliud cogitare, ut poſt patuit, ſi ad germanum ſuum in Angliam ſineret accedere, omni ſtare juri coram rege Franciæ, inde quos hoſtagios vocant vades præbens, & tamen non rediit, ſuæ nationis fungens more, qui decipere vocant mercari. Qua in expeditione idem comes Valeſii tam exactiſſimo virtutis fervore militavit, quod Waſconia tota, tribus dumtaxat oppidis exceptis, Gallicanæ dominationi eſt reducta.

VIII. Ceterum quia hiſtoriæ Philippi de Valeſio nec non Johannis & Caroli regum Franciæ noviſſimorum, quibus Chriſtus indulgeat, ſunt recentes, contigeruntque prope, nos tacere cenſuimus. Cumque verum dicendo, præcipue priorum duum regum in diebus, a Gallis adverſus Anglos male pugnatum ſit, attamen Carolus genitor Caroli impræſentiarum regnantis, inſtar Quinti Fabii cunctando reſtituit rem, ſi non dixero ampliavit. Sicque res omnipotentis nutu eo in ſtatu redierunt, quod judicio diſcretorum, pauca illa quæ Anglici occupant in hoc regno ipſorum perquam facile eriperentur ex manibus, diviſionibus ſuis civilibus & pluſquam civilibus maxime notatis, ſi & pecuniæ potiſſimum quæ guerrarum prætextu exiguuntur, proprios & debitos converterentur in uſus, ad quod nos inducere deberet præter cetera, quod iidem Anglici non magis optant ſuam ſalutem, eis quod male vertat, quam innocentiſſimi & optimi hujus regni prorſus vaſtitatem. Quod ſi quid ſimile nobis in Anglia tenere datum eſſet, aut Franciæ ſubjici ditioni, Anglici prius cuicumque ſubmitterentur diſcrimini, quam talia quoquo modo paterentur. Exurgite tandem aliquando, exurgite, vos militares, & labem iſtam dedecoris abſtergentes, de honore veſtro cogitetis, maxime cum virorum & ærarii copia ſuppetat quammaxime, ſi exponerentur commode, in quo latet rei nodus, quo ſoluto nihil deeſt, niſi mature conſulere & exequi pariter opportune. Sed præcipue a ductore pendet armata, qui maxime liberalitatis ſplendore micare debet ſubmittique concilio expertorum, & activitate vigere. Pluſquam ſub amore timeri, quam adverſarius ſeu hoſtis, prout Scipio Affricanus teſtatus eſt, & quod numquam niſi ſuperior fuerit, aut neceſſitate pugnaret. Præmiari nempe debent boni ac ſtrenui, & merita eorum largitionibus & advocatione benigna recognoſci. Id enim, ut clarum eſt, reddit bonos meliores, & alios ad bene agendum provocat & inducit. Quod ſi qui fuerint, quibus ulterius de diſciplina militari doceri ſit voluntas, Valerium maximum, Vegetiumque, &, ut jubet Cicero Sulpicium, atque Melionem lectum eant, at expertiorem iſto calamum expoſtulent. Mihi demum hoc in tempore viſum eſt, domini, mihi cari, coronam Franciæ nitiſſimum

tidiſſimam poſſe ſuſpiriis ingentibus de vo-
» bis ad vos ſic conqueri: O vos omnes, qui
» mihi genere attingitis, & qui etiam, fi-
» delitatis quopiam ligamine devincimini,
» perpendiſtis quippe & utique perpenditis
» per ea quæ dicta ſunt, quæ ſim, unde ma-
» nem, & quo labore quæſita ſim, nec eſt
» tamen veſtrum quiſquam aut quod ſimul
» omnes remedium apponatis, quod is qui
» ſe regem Angliæ nominat, quique, prout
» fama publica laborat, dominum ſuum ſu-
» premum, ſuum regem, cui germanitatis
» cognatione fuit propinquus, crudeliſſime
» fecit mori, uſurpando ad ſe regnum, in
» quo ſi quid juris ei antea competiiſſet, per
» proceſſum quem tenuit, meruit omnino
» perdere, & homo ille, immo bellua & fera
» peſſima regem Franciæ ſe appellare non
» veretur. Regis Franciæ, perſona miſera-
» bilis atque viliſſima, qui ne homo quidem
» vocari dignus es, aut inter mortales con-
» verſari, tibi titulum attribuis, de quo aut
» in quo nullus umquam Angliæ regum
» jus habuit, quoniam Edouardus noviſſi-
» mus, qui primus titulum hunc ſibi uſur-
» pavit, juramentum fidelitatis ac ſubjectio-
» nis homagium regi Philippo de Valeſio
» in propria, unde ſtant cartæ, præſtitit Am-
» bianis. Poſtmodumque tractatu cum rege
» Johanne edito, regno iſto in ſtatu omnium
» quo umquam fuit peſſimo exiſtente, idem
» rex Edouardus hujuſmodi abrenunciavit
» titulo. Ignoras tu denuo omnium ſcelera-
» tiſſime ac ſceleſtiſſime viventium, quod
» ſexus femineus, cujus cauſa idem Edouar-
» dus dictum titulum aſſumebat, ad me uſ-
» que non pertingit, nec ſuccedit in regno;
» ſed quod a nonnullis paulominus ponde-
» ratur, & unde juſtiſſimum ac naturale pro-
» cedit dominium, nullus hac in regione
» a majori ad minimum, laus Deo, um-
» quam fuit, qui vellet conſentiretve, aut
» ad mortem uſque pateretur Anglicum,
» ſi etiam Hectore famoſior eſſet, in capite
» aut tamquam rex in Francia dominari,
» & tu te vocas regem, ubi nummos de-
» cem non poſſides, qui centum tibi libra-
» rum expenſam non generent. Eia igitur
domini cariſſimi, rurſus, inquam, ſuppo-
namus coronam Franciæ prælibatam iſto
» modo vos alloqui. O vos alumni mei
» omnes perprecor recogitate in vobis quid
» nunc agerem, quove me verterem, ſi ut
» quondam magnus Henricus rex Angliæ,
» qui dux Aquitaniæ & Normanniæ, An-
» degavenſiſque atque Cenomanenſis & Tu-
» ronenſis comes erat, inimicus mihi eſſet,
» & ſimul imperator Almanniæ, comeſque
» Carnotenſis & Briæ, & Simon Belvacen-
» ſis, necnon dominus de Puteolo, plerique
» alii, modo is, modo ille; hic modo, alter
» modo, omnes pariter mihi guerram infli-
» gerent, & licet ita alias extitiſſe ſcriptis
» conſtet, tamen ex ſanguine Franciæ jam-

A dudum talis fuit, qui omnes & quemque « prædictorum armis vicit & ſuperavit glo- « rioſe. Neſcio quippe quid ſatis honorifice « circa hæc reſponderetur: vos ipſi videritis. « Quibus profecto a paupere plebe per omnia « paretur non minus quam ſi ſclavi vobis « forent, & vectigalibus opprimuntur, veluti « omnes gentes atque nationes armis præ- « potentibus ſubjugas faceretis, aut inimici « terra marique hoc regnum ambirent, qui- « bus haud dubie non daretur ſuos fines tue- « ri, ſi animis vigeremus. Et ut tandem fi- « nem faciam, domini mihi ſub omni reve-
rentia prælolendi, quatenus veriſimiliora
B vobis appareant, quæ de prædeceſſoribus
veſtris ſuperius explicavi, obviam mihi
venit quod Marcus Tullius circa id invecti-
vis contra Catilinam teſtatur ſententialiter
dicens: alias in poteſtate Gallorum fuiſſe
Romanum imperium deſtruere poſſe aut
ſalvare. Et alibi, diis ſuis immortalibus gra-
tias egit, ex hoc quod Alpes inter Francos
& Italos immiſerant, ne facile cum move-
rentur, armis proſternerent Auſoniam. Criſ-
pus quoque Saluſtius de Francorum militia
ita inſit: Romani adverſus ceteras nationes
pro virtute pugnant, cum vero Galli aſſur-
C gunt in eos, non pro gloria, ſed ad defen-
ſionem certare nituntur. Item & Oroſius,
quotiens, inquit, Franci in Romanos exar-
ſerunt, Roma divitiis attrita eſt. Et Juſtinus
in epitomate Trogi ait: Gallorum autem
nomen ſemper Romanos terruit. In quod
de bello Gallico Cæſaris Julii Celſi rela-
tu eſt aſſertum xxx. minus Gallos tria
millia Maurorum loco expuliſſe, coegiſſe-
que in oppidum. Supplex igitur Deum oro,
domini mei potentia maximi, ut veſtrorum
parentum & ſuperiorum prædictorum actus
magnificentiſſimos vobis ita ad mentem re-
D ducere annuat, ac per efficaciam taliter
æmulari, quatinus qui ſe temeritate vobis
æquant aut præponunt Anglici, ſeſe ſervos
veſtros, ut pridem actum fuit, cogantur
appellare. Amen.

EPISTOLA XXIII.

Ad principem.

Gaudet quod ſua e Francorum chronicis excerpta ipſi placuerint, optatque ut regni hoſtes Anglos præſertim debellet.

E
INtellexi, ſereniſſime princeps, veſtræ Anno 1401.
dominationi complacuiſſe certa mea excerpta a chronicis Franciæ, quod maximo oblectamento habui, tum quod data mihi fuerit facultas ſerenitati veſtræ obſequendi, tum præcipue quod is qui de virtute libenter audit vel loquitur, jam eſſe cenſetur virtuoſus; tum quia nihil tantum percupio, poſt Dei timorem, quam vos ſuperbos inimicos hujus regni in poſterum graviter de-

bellare, & ut alias vobis dixi, si semel per vos confunderentur Anglici, & nobis infligendi mali eis non præriperetur potestas, in agendis aliis omnibus posset facillime provideri : quod vobis, exuta puerilitate, magnifice cogitare, & viriliter & strenue exequi concedat omnipotens JESUS-CHRISTUS, quemadmodum vos omnes regali ex progenie libellus, quem transmitto, meo nomine hortatur & obsecrat. Quod si senserint multi, inclytissime princeps, inter quos enumerari velim, industriam vestram gustare, sapere, & intelligere, quæ diebus singulis auribus vestris instillantur, imprimuntur, inculcantur; lætos admodum nos omnes servitores vestros facietis, & ad multa vobis conferenda inducetis, procurabitis, cogetisque; sin vero frustra fuerit, quod Deus avertat, labor eorum qui vos docent, tristes ac desolatos nos reddetis & excordes, & cum displicentia edemus panem vestrum, ut satius delectabiliusque cunctis esset in domo sua sub panis & lardi esu, ut aiunt, remanere. Scripta, &c.

EPISTOLA XXIV.

Ad principes regii Francorum sanguinis.

Promittit eis excerpta sua ex chronicis S. Dionysii.

Anno 1408. CLarissimæ indolis sed altissimæ Liliorum prosapiæ dominis illustribus talibus germanis insignibus, cum humilitate famulatum.

Audivit humanitas vestra, *illustres domini*, quædam excerpta per me a chronicis sancti Dionysii de gestis in armis felicibus Francorum progenitorum vestrorum, quæ postquam ex integro videre vos delectat, transcribi faciam, quatenus in antiquam virtutem vestra ingenuitas exemplo bono excitetur. Sic itaque conabitur ulterius hæc parvitas, ex quo tanto eam honore dignamini, in similibus & potioribus, quoad erit possibilitas, vestris dominationibus complacere. Vivite felices, magnificentissimi domini, quibus datum est nobilium amare litteras, & illis operam jugem dare.

EPISTOLA XXV.

Ad quemdam episcopum.

Mittit ei minutas ex memorialibus sibi a domino rectore missis ad ecclesiæ unionem conducentes.

Anno 1408. UT quid, reverendissime & ingenuissime pater, cuperem vestræ dominationi in longe potioribus complacere? Ecce minutas egi ex memorialibus vestris per dominum rectorem mihi missis, prout earum exemplo videre dominatio potest quarum formam mea excuset insultia materiam vero succincta brevitas memorialium prædictorum. Cui si ulterius obsequi possem, aut facto hujusmodi sanctissimo in aliquo subservire, parebit continuo ingenii exilitas vestris jussionibus reverendis. Vivat valeatque eadem vestra paternitas ac ecclesiæ, cujus athletam indefessum se exhibet, solidam usque ad unionem, debitum tandem meritum reportando. Scriptum.

EPISTOLA XXVI.

Ad Anonymum.

Commendat magistrum Petrum Placoul & alios doctores Parisienses pro ecclesiæ unione in Italiam profectos.

VIrtutis ac litterarum insignibus viris te paterne ac sincere affici non dubito, quin potius admodum te delectat tibi dari hujusce generis hominibus gratiæ & utilitati quoad potes advenire. Cum ergo reverendus magister ac sacræ theologiæ professor dignissimus magister Petrus *Placoul*, (a) nonnullique alii hujus per quam venerabilis studii Parisiensis doctores ac magistri clarissimi, ad partes illas veniant, in tui nominis æternam famam atque laudem, quid reputatissimarum scriptionum tuarum commendationibus valeas, ubi præfati egerint accedentes, & affectionem quam ad unionem ecclesiæ, pro qua eunt, hactenus gessisti, nunc declara. Nulla enim res occurrere tibi potest dignior, in qua tuæ industriæ nervos intendere possis, aut tuam magis probitatem necnon prudentiam demonstrare. Vale & memor esto verbi tui, quo pridem, sicuti ego accepi, dixisti, nihil te magis in votis gerere vel optare, quam ad refartionem scissuræ dominicæ opitulari posse in aliquo, ac ingenii vires explicare. Scripta Parisius de Septembri vigesima. Anno 1408. (a)

EPISTOLA XXVII.

Ad quemdam episcopum.

Mittit ipsi regis Navarræ rescriptum ad reges Castellæ, Arragoniæ & Siciliæ, super facto ecclesiæ, dolet quod excerpta sua e chronicis Francorum ab imperito amanuensi exscripta acceperit.

QUæ modico ac pertenui meo ingenio fabricatæ sunt, reverendissime pater & magnificentissime domine mi, ecce copias seu exempla rescriptionum, domini re- Anno 1409.

(a) Is etiam anno 1408. missus fuit orator regius ad Januenses, ut eos hortaretur ad neutralitatem, uti videre est in litteris Januensium hac de re a nobis editis tom. 2. Anecd. p. 1408.

gis Navarræ ſuper facto eccleſiæ ad Caſtellæ & Arragoniæ, Trinacriæque reges, cum ſua ad neutralitatem determinatione, ut ſcitis, limata, reverendiſſimæ paternitati veſtræ mitto. Ne nihil, cum tam opportunus acceſſor ſeſe offert, veſtræ dominationi reſcriptum ſit ab hoc ſervitore ſuo humillimo, offerente in ævum ſeſe & ſua, ſi quid eſt, vel futurus eſt, mandatis & juſſionibus veſtris reverendis; quas etiam juſſiones ſi contingeret præſentire, libenter & efficaciter obſequio præveniret. Ceterum cum data occaſione veſtrum continuo poſt diſceſſum, viderim excerptorum illorum de chronicis Franciæ, a quo exemplum veſtrum tranſumtum eſt, & illud pluribus in locis incorrectum invenerim, non potui non dolere, quod tam ſubito exierit manus meas. Nam ſcriptoris attenta inſcitia, exemplari exemplum correctius nequaquam eſſe poteſt. Præteritos tamen meos præſenteſque & futuros facile defectus ab ignorantia nempe non malitia prodeuntes, veſtra, uti confido, prudentia excuſabit, quæ non ea quæ fiunt; ſed quo animo fiunt æquitate ſua penſat. Duret in longum & bene valeat veſtra dominatio & videat pacem ſuper Iſrael eo pacto atque modo quibus magis optaretis.

EPISTOLA XXVII. CAROLI Regis Navarræ ad univerſos.

Ad inſtar regis Franciæ neutralem ſe erga contendentes de papatu declarat, promittitque ſe ad alios reges, ut idem faciant, ſcripturum, miſſurumque oratores ad concilium Piſanum.

Anno 1409. CAROLUS Dei gratia Navarræ rex, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & in diebus noſtris ſuper Iſrael pacem dari.

Celſiorem quanto gradum omnipotens nobis in humanis largitus eſt, tanto magis ac magis in ejus obſequium refundere poſſe tenus obligamur. Nos itaque non ſine mentis amaritudine conſiderantes eccleſiam ſanctam Dei ambitione, obſtinatione, ac diffugiis contendentium de papatu, annis jam triginta (a) & eo amplius adeo concuti & turbari, ut nullus eſſe debeat catholicus, qui non ad compaſſionem ejuſdem ſanctæ matris moveri teneatur, nihilominuſque providere omni modo poſſibili. Sed maxime attendentes, quod dominus meus rex Francorum tanta cum deliberatione & maturo conſilio illorum de ſangu[illegible] ſuo & noſtro, prælatorumque, & univerſitatum, ac litteratorum, & ſapientum virorum ſui regni ac Delphinatus; ſed præcipue pro acceleratione unionis, neutralem ſe reddidit, & pariter ordinavit, ac præcepit in ſuo regno & Delphinatu prædictis, nulli contendentium prædictorum quoquo modo in poſterum obediri, ad præfati domini mei requeſtam bona diſpoſitione noſtra præeunte, deque conſilio & ſuaſu dilectiſſimorum fratris, avunculi, & cognati noſtrorum, regis Jeruſalem & Siciliæ, Bituricenſis & Burgundiæ ducum, determinavimus inſtar domini mei regis nos reddere gereregue de cetero & habere, & ex nunc reddimus & facimus neutralem per præſentes, eo modo atque forma, quibus idem dominus meus rex neutralis exiſtit & exiſtet, pernicioſo præſenti ſchiſmate durante, quantum tamen iſtud perſonam noſtram tangit & concernit, aut concernere poteſt quovis modo. Annuentes præterea & promittentes eidem domino regi id idem & conſimiliter fieri facere ab omnibus incolis regni noſtri ac ſubditis quibuſcumque, cum primum in regnum noſtrum venerimus, aut alias nuntiis noſtris vel litteris poterimus commodius id exſequi, prout ſcilicet noſtræ ſubjacebit poteſtati, & diſpoſitioni penitus ſubmittetur, adhæretreque & obedire cum eodem domino rege illi, quem collegia cardinalium utriuſque partis canonice duxerint eligendum. Nec amodo tolerabimus fructus quoſpiam ſeu proventus aut reditus noſtro in regno, ſive terris, nomine aut pro quoquam prædictorum contendentium percipi quoquo modo aut recipi, ſeu etiam collationem vel proviſionem aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſuſpenſionemve, aut privationem beneficiorum ſeu beneficii, auctoritate cujuſcumque prædictorum contendentium admitti patiemur: quin potius ſuper hac materia in omnibus & ſingulis bonam ordinationem & proceſſum ejuſdem domini mei regis inſequi proponimus & intendimus, Domino concedente, tamquam qui cupimus omnibus ſuis juſtis & ſanctis opinionibus & determinationibus, ut rationis eſt, per omnia conformari, prout hactenus ſempet fecimus, & per Dei gratiam jugiter & incommutabiliter, quoad vixerimus, faciemus. Prohibeat autem Deus nos, qui ſuæ ſerenitati tanta generis proximitate attingimus, a ſuis ſanctis & juſtis opinionibus prædictis, & potiſſimum quæ fidem reſpiciunt, in aliquo deviare. Inſuper mittemus, Chriſto duce, notabilem ac ſolemnem ambaſſiatam ad civitatem Piſanam, quo utriuſque collegiorum cardinales jam & a diu, ut fama eſt, convenerunt atque degunt, venturaque eſt utriuſque obedientiæ pars potiſſima, ut pro veritate ſubjungitur, ad celebrandum ibidem concilium generale pro conſecutione unionis, illo cooperante, cujus cauſa agitur obtinenda & habenda. Enitemur quin etiam erga cariſ-

(a) Hinc patet has Caroli regis Navarræ ſcriptas eſſe anno 1409. paulo ante concilii Piſani celebrationem, quod amplius conſtat ex ſequentibus.

simos fratres nostros Castellæ & Arragoniæ reges, & alias omnimode agemus precibus, rogatibus, instantiaque, quantum nobis fuerit possibile, quod iidem Castellæ & Arragoniæ reges præfati fratres nostri carissimi pro se & suis regnis, determinationi hujusmodi sese conforment & reddant neutrales, ut præfertur, mittantque sicut ceteri reges & principes Christianitatis ad prædictam civitatem Pisanam, quemadmodum ipsos speramus id facturos tamquam sinceros & veros ac fideles Christicolas, & ecclesiasticæ zelatores unitatis. De quibus supradictis omnibus, ut cunctis appareat ac nostra sit voluntas & intentio manifesta atque notissima, has litteras nostri sigilli fecimus appensione muniri. Datum. &c.

EPISTOLA XXIX. CAROLI regis Navarræ ad Martinum Arragonum regem.

Hortatur ut neutri contendentium de papatu obediat, mittatque suos ad concilium Pisanum oratores.

Anno 1409. SErenissimo principi, MARTINO Dei gratia Arragoniæ regi, fratri nostro carissimo & amantissimo, CAROLUS eadem gratia Navarræ rex, salutem & scissuræ dominicæ resartioni, quæ in limine sese offert, manus præbere auxiliatrices, ut est posse.

Non ignoratis, sereniissime princeps, non ignoratis, quod apud exteras nationes, proh dolor! est plusquam notorium, ecclesiam Dei matrem cunctorum fidelium ab annis jam triginta & eo amplius divisam laceramque, adeo ut nullus esse debeat catholicus, qui non ad compassionem moveri teneatur, & providere omni modo possibili, præcipue hi magis atque magis, qui ab omnipotente in terris altiores habent gradus. Cum itaque, sereniissime princeps fraterque carissime, præfata ecclesiastica divisio tota sit ac omnino dependeat, ut clarum est cernenti, ex obstinata ambitione, si non dixerimus pervicacia, & iniquitate contendentium de papatu, ut nulla existat dubietas, quin si caritate & sinceritate ambulassent, & non potius quæsiissent quæ sua sunt, quam quæ Christi, pacem multis retro exhaustis temporibus habuissemus, & potiti a pridem pulchritudine fuissemus unitatis; & si adhuc per eos ista vice non remoretur negotium, schisma prorsus extirpabitur verisimiliter, & subsequetur unio, Christo duce, cum, pro ut vestræ notioni perveniisse nequaquam formidamus, ambo cardinalium collegia, a longo tempore citra, in civitate Pisana in unum convenerint, & pariter ventura est perquam breviter utriusque obedientiæ pars potissima, si jam non venerit, ad concilium generale, Altissimo annuente, ibidem celebrandum, eligendumque, rejectis contendentibus præfatis, ubi sponte non cesserint, unicum & pacificum pastorem & vicarium JESU-CHRISTI. Quo fit apud probos & litteratos viros clarissimum, & nobis non dubium, contendentes de papatu supradictos, generato maxime in cordibus hominum ex eorum præsidentia attento scandalo, si ad dictam hujusmodi non vadant in personis, aut mittant procuratoria cessionis, clara, pura & nitida, esse reputarique & teneri fautores schismatis notorios, immo verius judicio sapientum & litteratorum virorum pertinaces hæreticos: quoniam manifeste per eos in solidum stat, quominus unio inter fratres in CHRISTO-JESU, & pax in ecclesia sancta Dei protinus reformetur. Quas ob res, sereniissime princeps fraterque carissime, vos precamur & hortamur in illo per quem reges regnant, & cui obsequium impendere non potestis, nostro judicio, majus ullum, quatenus, partialibus informationibus rejectis quibuscumque, illius potissimum vel illorum, quem vel quos maxime istud tangit, si quæ forsan apud vos factæ sunt vel fierent, ad hujusmodi dietam Pisanam solemnes viros aliquos destinando, vos ex nunc reddere neutralem: ubi tamen ille, qui in regno vestro degit, non iret aut mitteret ad dietam prælibatam, ut præfetur, & nulli contendentium prædictorum obedire, præsenti pernicioso schismate durante; nec insuper aliquos fructus nomine aut pro dictis contendentibus aut eorum altero percipi aut recipi permittere in regno vestro, seu terris vestris, quibuscumque casibus antedictis, sicuti ex nunc jam fecimus & ordinavimus fieri, quantum personam nostram tangit & possumus quoquo modo, incolasque omnes regni nostri facturos ad nostram monitionem speramus haud dubie, cum primum ibidem appulerimus, Altissimo concedente. Quod si, sereniissime princeps, ab initio schismatis id actum extitisset a cunctis principibus Christianis, credite nobis, frater carissime, continuo sedata fuisset divisio, nec istæ gentes profecto de sola spiritualitate contendissent, aut nunc etiam contenderent in aliquo. Circa quod verissimum est, quod ait ille qui dicit, quod avaritia fidem, probitatem, ceteraque bonas artes subvertit, quodque ambitio multos mortales fieri falsos subegit. Datum.

EPISTOLA XXX. CAROLI regis Navarræ ad Infantem Castellæ.

Mittit ei suas ad regem Castellæ litteras pro unione ecclesiæ & schismatis extinctione.

Anno 1409. CAROLUS Dei gratia Navarræ rex, inclyto atque clarissimo principi infanti Castellæ, duci de Rupe-fideli, nepoti nostro carissimo, salutem & integerrimæ dilectionis affectum.

Nepos carissime, pro extirpatione urgentis pernitiosi schismatis, serenissimo principi Castellæ regi nepoti vestro, fratrique nostro dilectissimo scribimus in forma subsequenti: Serenissimo &c. Agite ergo, agite, inclyte, atque clarissime princeps, & omni sensu, studioque ac viribus peragite penes eumdem nepotem vestrum fratrem nostrum carissimum & amantissimum, necnon altum consilium suum, & alias omnimode, quod is qui in Perpigniano (a) pro nunc degit, quinque unionem atque pacem in populo Christiano cum alio Romano GREGORIO promtissime & unico vocabulo potest dare, ad congregationem in civitate Pisana, de qua superius verbum fuit, accedat in persona, vel mittat, ut res expostulat, debitam & opportunam in caritate non ficta procurationem: qua plane & liquido sineque ambiguitate, ut decet probum virum, renuntiet. Non enim cum tam ingenti scandalo & ædificatione pessima fidelium, etiamsi, quem Christus vicarium suum personaliter instituit, beatissimus esset Petrus, potest quoquo pacto remanere, aut velle debet sub tot tot errorum inductionibus & seditionibus infinitis præsidere. *Quid enim*, ut ait veritas, *prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Intellecto quod adversarius pariter in omnibus sic agat & faciat, aut privetur & persequatur veluti obstinatus fautor schismatis notorius ac pertinax & detestabilis hæreticus. Qui si ambo, quod absit & longe absit, in causa seu mora perampliùs steterint, maxime post cardinalium utriusque collegiorum tam fervidas monitiones, exhortationesque sinceras & supplices, immo ad totius ecclesiæ catholicæ concilium, quo minus tam fausta & optata atque necessaria toti populo Christiano unionis & pacis conclusio per eorum cessionem subsequatur; non revocatur in dubium apud omnium jurium doctores & magistros, schismatis diuturnitate & inconvenientibus dehinc resultantibus ponderatis, quin veniant prosequendi & puniendi tamquam schismatici notorii & pertinaces hæretici, ut præferrur; abjiciendique sint a mortalium consortio, quemadmodum a corpore humano membra putrida rescinduntur. Nihilominusque, veluti superaddunt, pari juris pœna plectendi sint eorum fautores in hac parte, quiqui fuerint, & sequaces, ut nullus non obligetur fidelis Christianus majoresque magis & principes ante alios id exsequi, & circa hoc exponere viriliter & & efficaciter per omnia cor & posse. Datum &c.

(a) Benedictus XIII. qui ut irritum redderet concilium Pisanum, obedientiæ suæ concilium aliud indixerat Perpiniani celebrandum.

EPISTOLA XXXI. Alexandrum papam V.

De ipsius ad summum pontificatum evectione.

QUi hactenus duobus summis pontificibus pluries scribere tentaverim, Pater beatissime atque dignissime, erga sanctitatis tuæ humanitatem atque clementiam itidem agere non verebor, brevi licet epilogo, cum paucis prosequi conveniat occupatum. Sed an prius de tua evectione ad apostolatum tibi compatiar, an congratuler potius, in suspenso mens est. Nam circa primum refert Polycratus, Adrianum Romanum pontificem, cui perfamiliaris fuit, solitum dicere: Nullum se de hoste suo quovis "majus supplicium optare, quam ut papa "fieret. Et alibi non differenter a proposito actor testatur authenticus, quod omnis "magna dignitas servitus magna est. Et id "quoque ab expertis verum fore sæpenumero comperiri non ambigo. Ob hæc tamen minime terreberis, magnanime Pater, certo sciens circa difficilia virtutem approbari, & animi fortitudinem demonstrari, illo maxime in hoc tibi opitulante, qui dixit: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Gloria ergo, Pater dignissime, ut tibi omissa compassione congratuler, in excelsis Deo: laus, & honor JESU-CHRISTO, qui in te, & te tam afflictæ, atque lassæ & propemodum periclitanti sponsæ suæ, de vicario ex virtute & sapientia, ut Boetius inquit, sancto providere dignatus est, qui quidem non sanguinis revelatione, aut personæ, seu quovis alio favoris respectu, sed ut dignitati dumtaxat provideretur assumptus es, quique generis, aut propinquorum pompa, & longa familia non onustus, bona ecclesiæ in ejus utilitatem & opportunitatem, & non alias, nec alibi refundes; qui in schola laboris, experientiæ, atque sapientiæ fervefactus ac nutritus, tuam quo debebis loco beneficentiam locabis, qui græcæ, ut aiunt, linguæ gnarus Græcos cum Latinis in fidei orthodoxæ agnitionem integra adunabis prudentia, & altissimis ac scientificis suasionibus tuis, illius præcipue cooperante gratia, tibi ac ceteris

coantistitibus catholicis, illud sacrum pol- licetur eulogium; *Faciam vos piscatores hominum, ut sit unus pastor & unum ovile* &c. Qui insuper moles vectigalium, & onerum aliorum ingentium olim ecclesiasticis superimpositorum tolles, aut relaxabis pro ecclesiæ necessitate imminenti. Quique tandem statuum, ac luxuum ceterorum, necnon multiplicationis beneficiorum abusus in uno suppositô incompatibilium potissimum temperabis, & similiter cum præmissis, oculatissime pater, ita principum temporalium benevolentiam in æquitate & veritate captabis, quod his duobus quondam de papatu contendentibus, omnium quos terra sustinet, sceleratissimis hominibus, confossis & destructis, ipsa mater fidelium, quæ te jam per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia patrem immensæ majestatis, a tantis malorum & diurnis incursibus florebit recreata. Sic itaque vale, dignissime pater mi atque circumspectissime, & negotia magis eorum magnitudine, quam orationis meæ parum prudentis, sed fidelissimæ brevitate ponderato. Scripta.

EPISTOLA XXXII.
Ad Alexandrum papam V.

Petit ab eo quorumdam beneficiorum nominationem pro rege Franciæ.

I. SOlent nonnumquam, sanctissime, atque dignissime patrum, acutissima ingenia, ac sensus altissimi, immo anxie sapientes circa aliquid parum prospicere in agendis obvoluti: super quo hebetes & obtusi, occupationibus soluti, plane vident, & hi tamen ob personatuum ac materiæ qualitatem, quod ait Virgilius, dicere mussant, quousque rem concernunt ad exitium declinare. Itaque, beatissime Pater, tacuit usquequaque unus, qui humilitate supplicissima in præsentiarum loquitur, & is quidem qui omne obsequium, omnem fidem, atque fidelitatem sanctitati vestræ debet & cupit impendere, super eo quod in conferendo christianissimo filio sanctæ matris ecclesiæ atque vestro, regi Francorum illustrissimo, certam nominationum gratiam, prout ex suæ parte majestatis porrecta continet supplicatio, eamdem sanctæ conspicit idem fidelissimus & amantissimus vestri honoris & commodi nunc usque adeo obfirmatam: ut nequidem in concedendo unicam nominationem eadem sanctitas usquequaque *consultorem* habuerit: præcipue, quemadmodum accipio, propter sequelam, quia protinus, ut aiunt, imperator & rex Angliæ, ac ceteri principes vestræ obedientiæ gratiis volent potiri similibus, qui si juste, vel injuste id peterent, non discerno, sed si hoc deposcerent, non videntur quibusdam sanum fore, nec utile consilium eis his diebus denegari. Quid insuper, inquit alter, si Francorum rex, cum sese viderit tam devota ac supplici frustratum petitione, ipsorum imperatoris, & regis Angliæ instar faciat: immo solummodo consentiat, collationes beneficiorum sui regni, necnon confirmationes prælaturarum, dignitatumque omnium apud ordinarios remanere? maxime rerum motuumque dispositione pensata, sed potissimum cum, non est diu, ad antiquas libertates (ita eas Galli vocant) tam digesto totius regni ac maturo consilio sit reditum, & charta patenti regia confirmatum: quam chartam, ut in aure sacratissima loquar, pro omni dilatione non restat, nisi ex litterarum regiarum thesauro assumere, & illam vel ejus sumtum... apostolico more dicam facere publicari.

II. Item rursus sequela timetur subditurque altera, quod non erit dominus quantumcumque parvuli oppidi, vel tyrannunculus in Italia aut alibi, qui non pari gratia (quod indignanter refero) cum rege Francorum velit uti. Ratione cujus quæritur, si rex Franciæ erga summum pontificem, & tales tyrannunculi similes forsan interessent, an equitando freno ducerent prætextu devotionis ac fervore niveum vectorem summi pontificis, sicuti regi Francorum per honorem incumberet, aut pedes eundo fimbrias extremas papalis capæ (quod caudam portare nominant) proportionaliter ad suam majestatem integritate zeli filialis accensam deferrent? Certum est quod non: nec cum primo domino cardinali præterea contigue in mensa aut alibi (quod faceret rex Franciæ) assiderent: Quis, inquam, omnium principum catholicorum primus unionem ecclesiæ procuravit? rex Franciæ. Quis congregationis concilii Pisani, unde stat unio, quæ secuta est, causa fuit præcipua & totalis? Rex Franciæ. Quis insuper Almannos, Germanosque, & Anglicos ac ceteros Christianitatis principes illuc venire induxit atque movit? Rex Franciæ. Quis demum omnium mortalium vult, & potest pariter id quod restat de unione perficere, & ecclesiæ *Dei*, ac suo Vicario possetenus obsequi? Rex Franciæ. Ut profecto nullus debeat comparative ad eum privilegiis & gratiis apostolicis potiendo gaudere. Nec quippe invidemus, aut moleste ferimus in aliquo arcem apostolicam, insuetas gratias, cum prærogativis non auditis, scholasticis quam pluribus omni gratia dignissimis manu totius liberalitatis extendisse, sed miramur utique in nauseam quibusdam advenisse, quod benemeritis servitoribus continuis ejus, qui pater omnium est, in personam suæ sereniratis gratias fa-

(4) Concilium Pisanum anno 1409. celebratum fuit in quo Alexander V. creatus est summus pontifex, ad quem proinde scripta est hæc epistola.

ciat vestra sanctitas singulares, nodumque in scirpo quærentes, nostris supplicatibus adversantur. Sic quoque siniſtra suggestione fontem vestræ benignitatis exhauriunt, nihil inducentes, prima pignora summorum pontificum & regum Franciæ forsitan tependo dissolvi.

III. Nec insuper est verendum, regiam majestatem per hujusmodi nominationes de beneficiis indifferenter aut indigeste, ut laicus, sicuti aliqui autumant, disponere velle, quam ecclesiasticis, ac probis & electissimis viris: de isto penitus sub eorum conscientia præbet onus, semper sub auctoritate speciali sacræ sedis. Ergo, ut ad sequelam pauliſper redeamus, cetera Studia Studio Parisiensi in gratiarum prærogativis omnino paria volent esse. Quod non audivi, nec convenit, immo etiam ubi locus gratiæ novæ ac recentis contingeret, ipsi Parisiensi incommutabiliter similes habitis gratias habere minime contenderent ex rigore: cum rigor gratiæ prorsus sit repugnans. Sed retrorsum valere consequentia videtur hoc modo: Sanctitas vestra vult & offert gratiam regi facere circumscripto nominationis nomine æquivalentem ad eam quam petimus, ut nobis dicitur, vel majorem. Igitur supra designati principes ac proceres ad similem habendam gratiam confestim sedem apostolicam infestabunt. Sic res quoque in id reincidere apparet, semper cum venia, gratis istas nominationes, quas jus nullum prohibet abhorreri, & nos aliud recipiendo circuitum facetemus, sed quod multo amplius est, contra & adversus nostram commissionem manifeste, & immediate veniremus, quod prohibeat omnipotens, modo cum gratia vestra Sanctitas possit dici. Quod si pars nostra, immo regia prosecutio jam diurna alius perscrutetur, neque velimus subticere veritatem, solum rex in hac parte requirit sibi a vestra sanctitate de pane suo frustum dumtaxat erogari, qui nonnisi de beneficiis sui regni, ab eoque aut suis prædecessoribus constructis & dotatis, pro bonis & idoneis exigit portionem.

IV. *Sed pro indissolubili nostræ prosecutionis impugnatione opponitur*, quod per hanc regis petitionem summopere læditur ecclesia, & adversus eam irreparabiliter ad illicita ac damnosa ingens ex isto fit fenestra: & id ante omnes minus decens esse Franciæ regibus, subjungendo, cum, ut perhibent, ab ævo fuerunt totius status ecclesiastici omniumque ipsius ministrorum conservatores pugiles & athletæ singulares. Ex quo minus conveniens aut congruum fore videtur, erga summum pontificem talem per nos eniti petitionem impetrare quoquo modo, vel prosequi. Ad quod jam satis admodum superius est responsum, ubi dicitur, & vere dicitur, ex gratia & auctoritate summi pontificis per omnia hæc fieri, & ad consequentiam in posterum trahi non posse, quantum possumus, protestamur. Et, ut submissius unum loquar; quid essent, & quo evaderent regis Franciæ eximia servitia hactenus ecclesiæ multipliciter impensa, sicut ingenue sæpius repetitis, Pater sancte, nisi eximiæ gratiæ regi eximio largirentur? qui si non expeteret, ei, ut non insulse quidam judicant, deberent sponte mitti: paceque dicentium semper salva, male & insipide assumtum videtur, illicitum dici vel damnosum, petitionem nostram sanctitatem vestram annuere, dantis maxime ac recipientis qualitatibus ponderatis. Alexander Macedo, cum infimo cuidam verenti recipere munus grande tribuisset, adjecit, dantem non recipientem attendere. Quid vero egisset ipse rex maximus pro rege maximo, res profecto maximas & inexsuperabiles, ut est consecutive ad præmissa supponendum, dicendoque veritatem, si tamen parum non prospiciant oculi, petitio seu requesta suprataeta cedit in conservationem & solidationem, quod collationes penes sedem apostolicam remanerent, & in contrarium forsan veniret hujusmodi gratiæ negatio. Nec cuiquam de opposito prudentia vestra credat: quoniam officiarii regis, reginæque, ac domini mei eorum primogeniti, qui multi sunt, & magnæ auctoritatis viri, ex isto magis atque magis sanctitati vestræ obnoxii erunt: & pro ea, ubi casus inciderit, agere annitentur, &, ut sic dixerimus, reflexive ad eorum & alterius interesse pugnabunt. Quod si dicatur, ut est dictum, a prædecessoribus *ejusdem sanctitatis numquam aut nusquam* similem gratiam cuiquam factam esse, scrupulum eidem sanctitati pluribus suasivis inducendo, quamquam multæ responsivæ rationes aliæ adduci possent, illud tantummodo Demadis sapientis ad Athenienses, divinos honores reddere nolentes Alexandro, responsum sufficit refricare: Cavete, inquit ipse, nedum cœlum custoditis, terram amittatis. Et quod persuasionibus ad nostram requestam contrariis nostri abstineant adversantes, neque novum esse putent, regem Franciæ gratiis atque præeminentiis a sede apostolica supereminenter attolli. Sciant ipsi regem Franciæ a pridem decimas sui regni certis causantibus habuisse, ac tanta enituisse potestate, ut etiam papa, aut suæ ditionis antistites, nequaquam eligi deberent sive possent absque sui præsentia vel consensu. Propterea tamen non audio auditum iri longo post tempore, suam celsitudinem istis fungi, aut sequela tantum formidata sedem prælibatam dehinc exstitisse prosecutam, tamquam is, qui oneribus ecclesiam nullatenus premere contendit, quin potius honoribus, privilegiisque singularibus & omni beneficentia percapiat ati-

gendo decorare. Et iterum iterumque conſideret ac revolvat altiſſima oculatiſſimaque veſtræ ſanctitatis prudentia, ſi iſthic vel alibi ſint quamplures, qui optarent, diverſis licet reſpectibus, ut inconvenientia quæ forſan prægnantia & in foribus ſunt, protinus ſequerentur. Tot ſunt, beatiſſime Pater, in animis hominum latibula, tot receſſus, tot vota & affectus, ut vix dinumerari valeant vel rimari. Sapienti dictum ſat eſſe ait Comicus. Vultiſne, Pater ſancte, ab hoc inſipiente verum dici? cum blandiri in hac parte ſit fallere, ſi dierum iſtarum una rector foret in univerſitate Pariſienſi, & unus vel duo quatuor nationum procuratores ad has libertates tantiſper inclinati, quod non difficile factu eſt, eas irremeabiliter pro tota Univerſitate concluderent, rerum in reliquis, ut ſupra tactum eſt, diſpoſitione penſata, ne ſanctitas eadem unius flatu vel duorum ſuper arundineto levi ſeſe appodiet, ſeu fidat quoquo pacto. Dicam ego pro ſumma ſummarum, ſancte Pater, ſolus ſoli, ſolum verbum. Chriſtianiſſimi Francorum regis e ſeptingentis ferme milliaribus profectos ambaxiatores ad viſendum, viſitandum, gratulandum, congaudendum, & denique, ut infinita unico ſtringam verbo, obedientiam reddendum ſanctitati veſtræ loco regis, gratiis expetitis ſinere vacuos abire, ſi non dicatur contumelia, dedecens eſt, his maxime, quæ regi finitimo, aut ſeſe pro rege gerenti nuper omni eccleſiæ inimiciſſimo eſſe conceſſa non ignoramus, annotatis: & quod, ut verum fateamur, videmus ſanctitatem veſtram occaſione, ſive cauſa diſpoſitionis beneficiorum Angliæ, Almanniæ, Germaniæve, aut Hunnorum, ſeu alterius regionis veſtræ obedientiæ pariterque de Galliarum finibus nullatenus impeditam. Itaque, ut finem faciam, loquendo ſine circuitione fidenter atque plane, priuſquam regi Francorum ſuam requeſtam veſtra prudentia nequaquam annueret, ſuos nuntios non contentos recedentes deberetis, ſi poſſibilitati ſubeſſet, a porta urbis Pariſienſis e veſtigio mandare revocari, haud dubie tenentes, Pater ſancte, ne in futurum a nobis non dictum eſſe dicatur, nullum ex poſt noſtrum taliter habitum pro nominationibus aut gratiis ſimilibus obtinendis, etiamſi exhiberentur ad hanc curiam, aut alium quemvis fore poſthac rediturum.

XXXIII. ORATIO.

Quam regis nomine habuit ad Alexandrum papam V. poſt ipſius promotionem.

Anno 1409. AD quem, & a quo miſſi ſumus, digniſſime ac ſanctiſsime Patrum, & qui ſim potiſsimum conſiderans, loqui prohibeor, ac tota mente atque artubus contremiſco, & cum Pſalmiſta, *factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei*, dum maxime meis ſonat in auribus vox illa ſapientiſsimi Salomonis: *Altiora te ne quæſieris*; & illud ejuſdem Pſalmigraphi præconium de ſe ipſo dicentis: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Sed juſtiſsime arguor ab illo Flacci poëtico: Sumite materiam veſtris æquam viribus. Et: Verſate diu quid ferre recuſent, quid valeant humeri. Recogitans tamen majeſtatem nos mittentis, cujus imperium parvitates noſtras decet nullatenus recuſare, tacere non poſſum, cum præcipue ad loquendum me impellat collegarum meorum hic aſsiſtentium voluntas, quos precor diligentes verborum meorum eſſe cuſtodes, ut pro eorum prudentia, ubi opus fuerit, mea inſipientia corrigatur. Sic itaque, beatiſsime Pater, ne longis præfationibus immoremur, & altiſsimis veſtris occupationibus dehinc tædio advenirem, Salvatoris noſtri invocato nomine, ac de humanitatis indulgentiæque veſtræ confidens clementia, venio ad exponendum breviter regia mandata, quæ tria principaliter continent in effectu, videlicet debitam & devotam reverentiam, ingentem quoque ac lætam congratulationem aſſumtionis veſtræ ad ſummi apoſtolatus apicem, ut profecto nulla in re, ſicuti nobis juſſum extitit dicere, umquam regalis fuerit celſitudo majori gaudio delibuta, ſperans & expectans probitatis ac prudentiæ veſtræ ductu omnipotentem impoſiturum eccleſiæ protinus malis finem. In quo opem & operam ſuas efficaces præcepit eadem celſitudo noſtris vocibus polliceri, & tandem ſuorum officiatiorum necnon reginæ, ac domini Dalphini Viennenſis eorum primogeniti, utilem proviſionem veſtræ ſanctitati commendare, prout & quemadmodum regia continet ſupplicatio, quam ecce veſtræ beatitudini humiliter porrigendo, cum perſonarum noſtrarum obnixa recommendatione, ſuppliciter exhibemus; & ſic inculta mea præſens oratio pro veſtra benignitate ſuppleatur.

EPISTOLA XXXIV.

Ad Nicolaum præceptorem.

De ſchiſmate.

I. ÉSt quod ad me, præceptor mi, frater cariſsime, heſterno die ſcholaſticus quidam ſcripſit ſub tenore cartulæ iſti nexæ: cui reſponſum cito dedi, ut ſum præceps, quod videbis, cum commodius agere nil poteris: dehincque ac per ceteras nugas noſtras, quibus te ad ſatietatem uſque nequaquam vereor infeſtare, ut conclu-

concludas, tua me magis, quam magistri illius mei morum in coacervationem temporalium vestigia imitari: & illum maxime, qui ait: Me vero primum dulces ante omnia musæ accipiant: certo sciens res istas, quæ veræ fortunæ dicuntur, in aggregando laborem, timorem in conservando, & in amissione molestiam afferre latiores, quam dici possit vel autumant inexperti. Ampla copiosaque est dicenda materia, quam a te semel designandam scriptis posco: sed prius continuationis schismatis impendentia mala, ut jam sæva e speculis tempus dea nacta nocendi, ardua tecta petat, & de culmine summo tartaream intendat vocem, vipeream spirans animam, fit tortile collo ingens coluber, fit longæ tænia vittæ, innectitque comas, & membris lubricus errat, ut si cupiat salus ipsa neutiquam provideat. In quo si huic stulto creditum esset, aliter sese res haberent. Et ex quo, cum altero me tecum loquor, postulo, posco, peto, proh hominum fidem, quid opus erat tot consiliis, tot deliberationibus, tot ambaxiatis, requisitionibusque, quod singulari quidem persona cum verbis tribus litterarum sanctæ sedis fieri poterat actutum & debebat, sic dicendo: Filii fratresque carissimi, vestræ petitiones ad duas maxime reducuntur. Prima, quod instrumentum alias a nobis concessum & transactum super acceptatione viæ cessionis, in casibus & ceteris in eo contentis, apostolico confirmaremus rescripto. Ecce tamquam is, qui præcipue ecclesiæ cupimus unionem semperque tenere volumus verbum nostrum: quis autem summo pontifice magis debet supervidere? confirmationis requisitæ, mittimus scripta nostra, consilia * daturi quotquot vestræ discretiones deposcent. De reliquis vero faciemus cum fratrum nostrorum cardinalium consilio, prout decet, & eo breviter, quod vestris adveniet gratum votis. Quis dehinc, frater quæso, tibi detrahere vel impingere quoquo modo quidquam potuisset? immo si resolvas, frater carissime, nihil in hac parte ab eo penitus quærebatur, quam * si omnia dem tibi bona mea, ubi ille qui Angliæ invasit dominium, eidem renuntiet, non est quod dubitem de amissione bonorum. Hoc modo papa noster tuto & impune poterat, ubi adversarius cederet, quod numquam faceret, id testantibus, qui Romam hac de causa profecti sunt, offerre se cessurum. Sic enim de nihilo nos placasset, & magna liberasset molestia: &, quod est in vulgari, ocreas inpinguasset nostras aqua. Quamquam tamen ad id hoc in casu sub omni pœna teneretur, nec illis, suæ professioni male convenientibus, armatis gentibus opus esset. Circa quod satis ammirari non queo, cur tantas ea in re profundat pecunias: quoniam, aut sibi timet de hoc regno, & subditis reliquis, aut minime si timeat, ad tuitionem paucos habet, longeque ampliori opus est munimine, si non timet, & pii, bonique more patris sub benivolentia cum filiis degere vult, hujusce generis hominibus nullis eget, nisi diceretur quod domi tutior sim, ubi lictoribus circumvallata erit mille, quod non minus stultitiæ foret proximum; quam si mihi unguium superfluitates leonis instar essent.

II. Hic audi parumper, frater obsecro carissime, nec te pigeat sistere adhuc gradum, attendeque quam multi maximæ literaturæ viri, alioquin doctissimi, frustra invicem debacchantur. Iste viam cessionis pro sola prædicans, hic compromissi meliorem, alius concilii generalis tutiorem dijudicans: universique tamen idem petunt: nec potest unus consequi quod intendit, quin alius, mirabile dictu! continuo fruatur suo voto. Quin da mihi quod ambo contendentes cedere percupiant, id quamquam longe abest: num potest quisque jus quod sibi vendicat in papatu a se abdicere, * ut ego hunc calamum? nequaquam: quin deceret quospiam doctos, & probos homines ab utraque partium in æquali portione eligendos nominare, qui de loco conventionis ac tempore disponerent, & modo procedendi, ac cetera peragerent, quæ res expostulat, in caritate non ficta, & cum dilectione sine simulatione, juxta Paulum, quod adversum me forma diceretur compromissi. Nec vero dicti sapientes, ut suppono, usque eo de se præsumerent, quod vellent concludere absque regum Christianitatis omnium consilio, litterisque patentibus suis, aut nuntiis qui consensum pro se ac regnicolis præberent in hac parte. Cujusmodi processus mea æstimatione concilio æquipolleret generali. Ast quorumdam hæret cordi, constantis esse consequenter loqui, arguere, apparere, videri, ac durare fortiter, suamque positionem incommutabiliter observare. Quod tantumdem apud me est, quantum si de se quisque dicat: Prudens sum, doctus, verus, irreprehensibilis, nec falli possum quoquo pacto. Super quibus inferre corrollarium Johannes relinquit Nicolao.

III. Atqui frater mi, ut video, nequicquam me torqueo, & gratis his immoror, nihil certe suadetur repugnanti. Res enim fortuna, quod ait Cicero, quam sapientia magis regit, volentemque ducunt, nolentemque trahunt fata, inquit ille: qui alibi verissime dixerat, ætatem omnem de suis moribus questam esse, quod non difficile credulitati ejus subest, qui Orosium pervidet in Ormesta, tot orbis, bone Deus, enumerantem miserias, & sine intercapedine graves, ut jocum præ illis habeat reputare præsentia. Quæ enim vox exstat, frater carissime, cui concessum fuerit ex-

* al. confilia.

* al. quotiam.

* al. abjicere.

plicare, immo quæ mens concipiet tantam malorum congeriem, tantam molem, ea prodigia, peſtes, fames, mortes, incendia, fulmina, crudelitates, proditiones, immanitates, diſcidia, bella, monſtra, conſpirationes, terræ motus, & errores, ſuperſtitibus hercle intelligere non datos iri? ſed omittamus de jam actis & irremediabilibus dolere, noſtriſque nepotibus linquamus ſuam ſortem, & quod nunc inſtat agamus. Ad te igitur pro quo cœpi redeo dirum ſchiſma. O quam enormibus prægnans es factionibus, & diviſione poſteivili. * O plagam veneficam! o feram peſſimam! o ſerpentem maleficum, ſpiritis totum tuis inficientem gregem Chriſti! illi quippe centum, & viginti pedum, de quo a Livio curioſe fit mentio, minime comparandum, quin is perpropriе dici poſsit, qui genus humanum ad omnia mala in protoplaſto pellexit, ut ex præſentibus appoſite nimium illa Maronis accedat prophetia.

Jungentur jam griphes equis, avoque ſequenti,
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Sed magis quod idem ait Oroſius: injuſtam licentiam juſta punitio ſubſequitur. Et quoniam in multiloquio non deeſt peccatum, & quam multa his diebus in rebus altiſſimis ſcripſimus, ſatis parvo cum agitatu, fide tamen integerrima: ſi quid a nobis peccatum eſt profer, aut ea refellendo, aut purgando corrigemus te judice, & cum ipſo Terentio: an temere quidquam Parmenonem prætereat, quod facto uſus ſit. Vale cum Mureto eleganti, noſtro Motia, Luca, ceteriſque profeſsionis ejuſdem dominis fratribus & amicis: quos ſalvere jubeo, etiamſi ſcriptis nuſquam appareat. *Scripta Pariſius.*

* al. praecivili.

EPISTOLA XXXV.
Ad amicum.

De ſchiſmate.

I. ETſi nihil profit; rurſus ad te tamen amantiſſime frater, novam fuit voluntas texere querimoniam ſuper his, quæ hinc atque illinc circa perquiſitionem unionis eccleſiæ, immo vero perſecutionem perditionemque cumulantur. Itaque cum Tullio, ut alius in ſynephæbis libet exclamare: Proh Deûm atque hominum! poſtulo, obſecro, oro, ploro, atque implоro fidem. Aſſint omnes, cognoſcant, animadvertant, quid de religione, pietate, ſanctitate, cærimoniis, fide, jurejurando æſtimandum ſit. Itidem ego pro eccleſia militante exclamandum cenſeo; cum tanta hoc in facto doctiſſimorum hominum cernatur diſſenſio, &, ſi fas dicere ſit, factio perhorribilis, ut ne unus quidem apud me A inveniatur, ſi non parum proſpiciunt oculi, ad alteram partium non extremus, modo bonum, & vere bonum cancellarium (a) Pariſienſem exemero, cujus in hac re ſinceritatem, fidemque, ac zelum puriſsimum nemo te magis novit, quem explicare geſtio, ſi valerem. Nam is primus mortalium fuit, qui hæſitantes timidoſque, ac morantes arduum hoc facinus aggredi excitavit, & id vehementer in initio promovit, proſecutuſque eſt, te conſcio, ac magno impendio tunc juvante, & ſemper perſtitit, ac B vacavit indefeſſe, quouſque ad extremitatem ventum, & in tantum proceſſum eſt, ut annitterentur nonnulli, (neminem nominaverim) ſummum pontificem decernere ſchiſmaticum, mirabile dictu! poſteaquam in fame, in ſiti, ſub miſeriis aliis infinitis detruſus acerrimo fuerat in carcere. In quo tam magnanimiter quam fortiter, ad diſplicentiam omnium potentiſsimi domini ſui naturalis, & eorum maxime, qui rerum tum fungebantur habenis, ſeſe idem cancellarius viriliter oppoſuit, ut de quaC draginta quatuor ſacræ theologiæ profeſſoribus, triginta tres efficacibus ſuis rationibus actutum converteret, & induceret demum ſaniorem Univerſitatis portionem ſecum eſſe; pleraque alia illo tunc in materia hujuſmodi, & antea ex poſtque, tum voce, tum ſcriptis, tum monitionibus, ſuaſionibuſque perageñdo, quæ recitare vetat ingens copia, jugiter ſua in dulci temperie, & ſancto medii propoſito manens: effugiens vitia extremorum: niſi extremitatem vocares, extreme appetere moderationem extremorum, & intenſiſsime quærere, quæ ſunt Chriſti, & pacis eccleſiæ.

D II. Sed quis e regione, & id poſtquam idem ſummus pontifex grandia ſibi beneficia in ſpe & de facto contulerat, ad ſuam ſanctitatem audentius, ſanctius, planius pleniuſque loquutus eſt? utque merito de inſigni, ſed veriſsima ſua propoſitione commiraremini vos præſentes, & ad cœlum tolleretur ab his etiam quos tangebat: eoque hac reverſo, omnes quos id apprime delectabat, ſermonem illum ſuum omni niſu, omni conatu, & ſatis pro imperio habere ſatagerent. Sed nullis ille movetur * flatibus, haud voces ullas tractabilis audit, quin potius abalienaverit: adeo ut ne ego E quidem videre umquam potuerim ſuus ut reor poſtmodum nec germanus. Quis igitur eſt, & laudabimus eum, qui hac mentis integritate, tam dextero pede cum perſeverantia inceſſerit? Apud me, ut dictum eſt, pace omnium dictum ſit, eſt penitus incognitus. Sicque pluſquam verum eſt, mi frater, quod ait Cicero: Nemo ſervat medium quod eſt inter minimum & parum. Cur ita? quia virtus, quæ eſt dicenti Lu-

* al. movebatur.

(a) Is eſt celeberrimus ille Johannes Gerſon.

cilio quærendæ rei finem ſcire modumque, noſtros effugit tam peritos. Inde,

Sævit & in lucem ſtygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone,
Ingue dies avidum ſurgens caput altius effert:

ut perſapienti prorſus aſſentiam Severino aienti, quod Deus ſolos hominum reſpicit actus. Sed ut unde diſgreſſa eſt redeat oratio; queror, immo queritur eccleſia Gallicana, paululum enim me reſpicit, ex repetitis vacantibus ac decimis impoſitis; ſed ſuper omnia ſtupet animus, quod addunt, referentes eos, qui rem levant colliguntque, e diſtributionibus quotidianis etiam portionem illa occaſione recipere velle. Quod quam juſtum & tolerabile gentibus adveniat, tu judica. Quid autem de procurationibus cameræ admotis apoſtolicæ dicam? ut hinc divinum ſervitium relinquatur, aræque, & loca ſacra polluantur multimode, necnon domus Deo dicatæ ruina proximo labaturæ ſint, & omnia denique perditum eant, miniſtri diſſoluti. Quippe ubi enim correctio deſit licentia ſubintrat & audacia delinquendi, præter id quod plures archidiaconatus ſuper hujuſmodi procurationibus pro duabus partibus ſunt fundatæ. Ex quibus & his potiſſimum, quæ ab Urbe allata ſunt, etſi apud me inania ſint, ſed præcipue quod conſulendis inconſultis veſtra agitur profectio, multa multi mala præſagiunt, & ſecutura inconvenientia pronoſticant. Quod ſi me meum non fallit augurium, profectionem veſtram non tantum Auſoniæ cauſat amor, quam Avinionis odium, ubi ſi totiens propalatum, ac promiſſum vocari concilium celebratum exſtitiſſet: aut effetis gratius, aut melius & tutius manſiſſetis. O utinam onus rei, ſeu culpam, ſi feliciter non ſuccedat, in eum qui non meruit haudquaquam retorqueat os loquentium iniqua. Verum quia audio facile te diffuſa gravari ſcriptura, quæ tamen de nihilo ad rem venit, longiori finem faciam propoſito, id unum ſi hortatus fuero, ne te ad ſe obtrahat Italia: ulterius id maxime quod Virgilius de illa cecinit:

Rivos argenti, æriſque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.

Eſtque quod gratis non dabit, ſi nec auferat, crede vero. Vale.

A exemplum, quæ ab Urbe allatæ ſunt, tantarum paſſim efferebantur fore oblationum exhibitionumque ad unionem eccleſiæ, ut Romicola ille propemodum divinus prædicaretur. Aſſentiebam, gaudebam, ut vix dicere queam, quibus ſiquidem litteris digeſtis accuratius, minoris profecto, ac minoris efficaciæ viſæ ſunt, immo vero caſſæ, inanes, & ſine utilitatis ſucco, ac totius realitatis vacuæ judicantur, & pariter captioſæ; dicam magis, & illis ad quos mittuntur, ſi reſolvantur acutius, injurioſæ. Pro cujus probatione alia mihi re non eſt opus, quam a logico exquiſito textum mittentis perſcrutari, & non a ſuſpecto dijudicari interprete. Prætereo, libet enim præterire, quod illi pſeudo-præſidenti recitare pudori eſſe debuiſſet, apoſtolicorum captionem nuntiorum ac eorum redemtionem infra mænia quibus degit; ſi aliquid tamen juris naturalis, divini, vel humani ipſe & ſuum collegium ſapuiſſent, aut conjicere voluiſſent quam venerabile, atque dignum nomen nuntiorum apud etiam barbaros hactenus ſemper fuit, porro ut Statius aſſeruerit eſſe legati quondam nomen per ſæcula ſanctum: & Scipio ſuperior Afrorum navem abire impune ſiverit ob id ſolum, quamvis falſo, quod ſe miſſos titulo ambaxiatæ aſſerebant. O ſi quantumcumque vile mancipium pro nuntio huc miſiſſent, abſque etiam ſalvi conductus munimine, & digito, ut aiunt, factum eſſet, ore quanto ſonatum, quantiſque vocibus declamatum extitiſſet, ut tangentem non dubito capitali omnes crimine damnaſſemus.

II. Ad id igitur venio præcipue, pro quo cœpi. Accuſatur graviter, blaſphemi eque ſubeſt pars noſtra, ac damnatur, quod cum collegium tranſalpinum obtulerint, ſi papa noſter cederet, aut ſui nuntii ad id haberent poteſtatem, ſuam differrent electionem: poſtquam expectarent, & agerent, quod inconſutilis Chriſti tunica reintegrationem (verba eorum ſunt hæc) ſuſciperet exoptatam. Circa quod miror, & admodum miror illorum ſententias, qui propter hoc tam ignominioſum noſtræ parti onus dant, & alteri honorem permaximum, ac ſuæ optimæ indicium eſſe decernunt voluntatis. Nam conſideratius altiuſque rimanti, quid erat illud requirere, niſi quod papa noſter ſuum jus totale in illorum poneret manibus, quo neminem oderunt magis, & ſuæ tandem cauſæ ſui judices inimici prorſus eſſent? immo apud me nihil aliud eſſe videtur, quam quod ad eos redeamus. Quod ſi modo pari collegium hujus partis illum de Roma, quod Avinionem vel Niciam ad cedendum veniret, aut quod cedendi mitteret procurationem, requireret, non tantum ille moveret cachinnum, ſed haud dubio noſtros hebetes

EPISTOLA XXXVI.
Ad ſuum præceptorem.

Ejuſdem argumenti.

I. VEriſſimam, mi frater ac præceptor cariſſime, ut ſæpe alias comperio Ciceronis ſententiam, quod nihil tam incredibile eſt, quod non dicendo fiat probabile, qui cum priuſquam legerem litterarum

reputaret, & inſanos, ut non immerito nuntii reſponderent, taliſmodi ceſſionis viam juri aut æquitati fore non conſonam. Debuiſſent ſiquidem, debuiſſent, ſi in ſinceritate & caritate ambularent, ſic dixiſſe: Redite, frater in Chriſto cariſſime, redite ad eum qui vos miſit, & quod cum ſuo collegio Florentiam, vel alibi tuto in loco pro partibus veniat impetrate, & nos illuc veſtigio accedemus, paratiſſimi ſub vera dilectione, ubi ipſe ceſſerit, nos in nomine Domini ad novam electionem ſummi pontificis cum ſuo collegio proceſſuros: nec hinc quoquo pacto abire promittimus, affirmamus, & juramus, quouſque de diviſione ſanctæ matris eccleſiæ, quatenus in nobis erit, actum ſit, & pax inter Chriſticolas penitus reformata.

III. Scio autem, & de illo virtutum abundantiſſimo ſancti Poncii præſule, (*a*) certo ſcio, ut de comitibus ſuis taceam, utque eſt diſſenſionum litiumque fugitivus, & amantiſſimus concordiæ, ac unionis deſideratiſſimus, non commutaſſent invicem duo verba, quin reſpondiſſet gratiſſime, protinus paruiſſet. Itaque * in illo verum ait comicus: Nihil eſt quin male narrando poſſit depravari, omneque jus pereat indefeſſum, & accuſata pars ſuccumbat non audita. In quo etiam ſacerdos magnus noſter accuſandus jure venit, quod morte audita antipapæ, tepuit penitus, & omiſit ad Urbem mittendo exhibere, quod in verbo ſupremi ſacerdotis & fide juraverat, idque publicis vallaverat inſtrumentis, ubi ſcilicet adverſarius moreretur, aut pelleretur, vel cederet, ſeſe continuo renunciaturum papatui, (apoſtolica verba textualia ſunt hæc) ad finem quod eligeretur tertius unicus verus paſtor, & vicarius JESU-CHRISTI. Pleraque alia tunc maximis aſſertionibus pollicita ſunt, quæ circa quid fuerit ſubſecutum, loco mei, ſi interrogentur, domini reſpondeant cardinales, & ſua obedientia. Ergo verum, ais Virgili, *Nuſquam tuta fides*, maxime ex quo fidei gubernaculum, ſpeculumque veritatis, & vitæ, ut aiunt papam eſſe, in tam arduis notiſſimiſque vacillat, impudenter renuit, atque nutat. Sic nempe hinc, atque illinc, quidquid contendentes innuant, immo, ut verius dicam, ſimulent de unione eorum quiſque innititur, & expectat illam ſub ſe fieri poſſe invenirique, & papa in ſolidum remanere; quæ res nequaquam ſubjacere mortalium commode videtur poteſtati. Quod ſi res eccleſiaſtica male it, ut cernimus, frater cariſſime, paulo melius hoc ſcito tu ſæcularis ſeſe habet ut Flacco aſſentiam, in quo ait. Ætas parentum pejor eſt avis. Utque hinc per quam valde cuperem ad annos aliquot ille eſſe de quo cecinit propheta: *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens, os ſuum.* Vale (*b*) & age rem tuam, ut cœpiſti: ita tamen, quod amicorum non obliviſcaris negotia, quin potius jugiter ante oculos Platonicum illud habe: *Nos non ſolum nobis eſſe natos, ſed patriæ, parentibus & amicis*; & quod ſummæ prudentiæ eſt, rerum exitus metire, quod & te & antiſtitem illum, quem ſcis, optamus & maximi optamus vos facturos. Scriptam &c.

(*a*) Petro Rabano Benedicti XIII. ad Romanum papam pro eccleſiæ unitate legato anno 1404. & ab eodem cardinali creato biennio poſt.

(*b*) Quæ ſequuntur deſunt in codice Ottoboniano.

(*c*) Hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe ad quemdam cardinalem, indicat auctor ſub finem illius, ubi cardinalem de Chalantio ipſius confratrem vocat. Suſpicor autem cardinalem illum fuiſſe Petrum de Alliaco doctorem Pariſienſem, a Johanne XXIII. creatum presbyterum cardinalem tituli S. Chryſogoni anno 1411. de cujus tempore mortis non conſentiunt auctores. At controverſiam dirimit Carta capituli generalis ordinis Carthuſienſis anni 1421. in qua aſſignantur ſuffragia pro eo tamquam recenter defuncto his verbis: *obierunt reverendiſſimus in Chriſto P. dominus cardinalis Cameracenſis ſacerdos, pro quo fiat per totum ordinem unum trieſnarium defunctorum.* &c.

EPISTOLA XXXVII.

Ad quemdam cardinalem. (*c*)

Laudat ejus zelum & benignitatem erga pauperes ſcholaſticos & clericos.

IGnoto tuæ dominationi, pater reverendiſſime & optime, mihi principio temerarium viſum eſt, tibi ſcribere, parvitatem meam potiſſimum attendenti, & tuam dignitatem: ſed protinus humanitatis tuæ intellecta clementia, & quam facilis ſis acceſſus audito, præteriit ſcrupulus omnis, abiit, aufugit. Quippe tanta enim tuæ ingenuitatis benignitas ac zelus ad benemeritos & ſcholaſticos pauperes huc feruntur, & id tot tot non parvæ fidei aſſeverant relatores, ut hujus pervenerabilis ſtudii Pariſienſis promotor plane vociteris, ac patronus. Pampilonenſis, inquit, unus me ad ſummum præſentavit pontificem, juvit, inſtitit, & apprime commendavit; hoc beneficium, ait alter, item alter aliud, & aliud mihi maxime procuravit. Rurſus alter, & is optime meritus, & totus ex virtute & ſcientia factus Jacobus de Noviano, idem, inquit, ipſe pater in obtentu pinguiſſimi beneficii ſingulariter auxiliatus eſt, & collationis præcipuiſſima fuit cauſa, magnum dictu, me neſciente ac remoto quadrigentis milliaribus, & eo amplius. Quid vis dicam? pater honoratiſſime, in ore omnium es: hoc, illo, iſto ſine diſcrepantia dicentibus: pater iſte ante * omnes animumque gerens curamque virilem univerſitati noſtræ vehementer afficitur, ac ceteris ſtudioſis ſupra quam noſtrum fuit explicare, clypeum ſeſe gerens ac interceſſorem ſemper ſtrenuum, & athletam, ubi maxime pervirtuoſo opus eſt monitore, ut jam ſpes tota bonorum in aſylo

Anno 1417.

* al. ſic. cinc.

tui patrocinii pendeat, & prorsus confidentia. Quis ergo, beneficentissime pater, si perseveraveris in cœpto, subticebit laudes tuas, aut gloriam reticebit? Immo quis non eas super tecta a modo prædicabit? si tacerent homines, lapides loquerentur hæc tanta veræ charitatis & famæ perennis opera integerrimeque indicia bonitatis. In quo tanto tui clarior fit virtus, quanto nonnullorum est culpa conspectior. O te igitur felicem, o te perbeatum, dignissime pater, in quo duo, quæ omnibus humanis in effectibus requiruntur, concurrant, voluntas scilicet & potestas ad superni dispensatoris spiritualium usque notionem vota eorum perducendi, qui nec accedere illo valent, & si valerent, forsitan inutilis aditus redderetur. Hinc factum est, ut propemodum viri litterati jam extra sollicitudinem pro victu curias sectandi, aut vagandi huc vel illuc esse rentur. Jam de beneficentia non hæsitent. Studeamus, proficiamus, ediscamus, patrem habemus, aiunt ipsi, sedulum, sollicitum, benivolum, potentemque, qui nostrum quemque absentem præsentem auditque videtque, qui etiam non interpellatus, nequaquam requisitus, nostras res agit, proprias persæpe ac suorum postponendo: ut de paternitate tua cum Maroniano pastore illo canant:

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thimo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt;

Immo si Terentii sententia uti fas esse duceretur, præsentem Deum habent. Sed qui sim, & cur hæc ad te, de te scripta sint, fortasis quisquam quæret. Is sum, sciant omnes, cujus mentiri, eumdem juxta Terentium, non est meum, qui blandiri non intendo, mercedem non molior, non exigo: quin potius ut virtus crescat in laudato, & quatenus tu, qui tam probe ac laudabiliter atque sancte initiatus es, gnaviter perficias, & cum retributione omnia cernentis sublimis Dei consequaris, quod sapiens multis præfert divitiis nomen bonum: Ita tamen ut non tædeat ididem domino meo cardinali de Chalanto, tuæ altitudinis confratri dictum esse. Apud quos candidissimum illum de Clamengiis animum, sed litteris utilibus abundantissimum, & unum de meis, qui secum est, cum submissione reverentissima commendarem, ni vos ambos constaret ex innata claritate, emeritos in sinu tenerrimo gerere paternæ semper dilectionis, & complexu. Scripta.

EPISTOLA XXXVIII.
Ad quemdam episcopum.

De emendato a se libro Petrarchæ, quem miris effert laudibus.

DEvotissimi, catholici, ac celeberrimi philosphi moralis, Francisci Petrarchæ totum extensive meum volumen Ambarum fortunarum cum vestro vidi, reverendissime pater, ac præstantissime domine mi, & quantum vestri ac trium aliorum protulit incorrectio illud emendavi, ut propemodum ex mendis minutam vocaretis, quod tanto cum fervore, ut sum præceps, egi, quod duorum mensium tempore pauciori quater ex integro volumen hujusmodi quantumcumque sit, aut ego audivi legere, sine caracteris omissione, calamo semper in manu, vel legi in persona adeo me provocavit percommoda, & exuberans atque prægnans libri materia, disertissimus ornatissimusque est contextus: ita ut in illum, quem ejus non moveret suasiones & utilia consilia, dici conveniret, quæ sunt a Terentio dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus. Quis autem, pater reverendissime, ut breve faciam congruam grammaticam, altam secundum genus suum dicendi elocutionem. Doctrinam adeo salubrem, civilem, & moralem, humanam quoque prudentiam totius experientiæ indicem æque uno volumine complexus est? quis tot accommodas tangat historias, quis tot sales, transumtiones dulces, claras metaphoras, atque proverbia simul dicat? Est denique quod ad bene beateque vivendum perappositе lectorem alliciat, doceat, & instituat. Ut non modo per capitula, aut paragraphos, per orationes singulas atque sententias, quin potius in unaquaque distinctione, semidistinctione, filo quoque atque verbo sit notandus: ita ut speculum vitæ humanæ dici mereatur meo judicio, discursus, & exemplar. De modo suo annectendi omnes indifferenter historias sacræque scripturæ applicatione perpropria taceo, cum quocumque in loco alienum aliquid introducit illud ibidem necessario convenire, & natum fore videatur, a quo si nihil præterquam artificium hujusce rei a scholasticis discceretur satis esset, ergo sicut de Virgilio Octavianus ait, laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur. Qui insuper quemadmodum coætanei sui, & conregionales referunt superstites, quod præcipuum in prædicatore censetur, ut loquebatur vivebat, aut sanctius instar Christi. Utinam de contemporaneis nostris philosophis modo consimili posset dici, sed vereor nimis ne potius modo sit credendum Ciceroni, cum eorum vitæ mirabiliter pugnet oratio. Sed jam philoso-

phari non vacat, non incumbit profecto nec delectat. Itaque cum ipso Marone facto hic fine quiescam, illum obsecrando, cui rerum summa potestas, ut hos tantos motus, & imminentia pericula sedet, ac temperet ad tranquillitatem, & salutem hujus regni, juxta votum hujus vestri præpositi, qui pauca hæc de multis capitula sequentia a tanto volumine hausi & excerpsi, quot illa in promtu, & ad manum, ut dici solet, habeam, necnon in memoriam tantæ religionis viri mecum feram, & quam commode, ac sedulo restantia correcta sint videaris.

EPISTOLA XXXIX.
Ad quemdam episcopum.

De hac S. Gregorii sententia: Longa nostra desideria increpat vita brevis.

AUdienti mihi missam, frater caritatis glutino germane, in hac ecclesia de Caroli-loco, pridie ex homelia quadam B. Gregorii, una inter plurimas sese obtulit sententia, quæ adeo inhæsit animo, adeo placuit, toties, ut dici solet, ad os mihi redit, ut non sim memor aliam simili modo insedisse meæ menti, aut viscera commovisse: quippe nulla profecto salubrior, nulla moralior, nulla unquam melior opinione mea ullo excidit ore. Quæ autem ea sit sententia sentio cupis scire, audies protinus, ne propera, si prius omnipotentem rogavero, ut mei tuique, ac amicorum nostrorum omnium cordibus sic hæreat, sic infixa resideat, ut deleri nequeat ad utriusque hominis salutem temporalem sempiternamque. Nunc accipe sententiam tam prægnantem. B. siquidem Gregorius suis multis præcedentibus, multisque sequentibus aliis in materia ad salutem & mores bene dictis ait. *Longa nostra desideria increpat vita brevis*: O verbum viri sancti philosophique catholici! nihil profecto verius dici potest, aut ad castigationem cupiditatis, seu ambitionis mortalium utilius. Quisque rem cognoscit, atque videt, nec providet: quin imo cum ad divitias & senectutem perventum est, avidior fit homo ad rem, quam sat est, dicente comico, & eo fit pauperior quo plus habet, juxta Petrarcham, in hoc parvifaciens divinum illud consilium. *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; Ex quo sequitur illud aliud a beato Hieronymo repetitum: Dives aut iniquus, aut iniqui filius. Sed ne te remorer allegationibus tibi notis ad cœptum redeo. Signemus aliquem absque nominis expressione, qui magna interceperit astruere, quæ nec ipse nec gnati gnatorum perficient, iste tamen non desinet ad fundum vicini sibi propinquiorem inhiare, & cum illum prece, vel pretio & importunitate habuerit, protinus contendet ad alium, dehinc ad alium. Item alium & alium, ut quoad vivet non quiescat. Alter erit, qui thesauros congregabit. Beneficium alius post sumtus & labores infinitos assequetur. Item alius vineam & agros emet, quibus cum forsan utendum fuerit, omnes morientur, ita ut eorum cuipiam nihil resultabit, præter id quod ait ingeniosus de Magduno, labor in acquirendo, timor in conservando, & in dimittendo angaria, atque displicentia: & horum nonnulli dum in mensa assidebunt, aut alibi fuerint otiosi, deque levissime acquisitis, eis quod male vertat, arcas suas reserserint, intelligis quid loquor, tametsi nullus dixero, non cessabunt de probis hominibus studiosis, vel abstractis irrisorie loqui, eos vocando hypocritas, aut fatuos, illud aliud Terentianum incurrentes: homine imperito nihil quidquam injustius, qui nisi quod ipse facit nihil rectum putat. Hæc omnia pro tanto præmiserim, frater carissime, ut tu & ego pariter, quibus Christus sua largitate dedit ad duplum, & eo plus supra quam nostri priores in officio plurimi ullo tempore habuerint, tandem Græcum proverbium illud notemus a Boetio, ut non ignoras, memoratum. γνῶθι σεαυτὸν. Quodquidem oraculum, Juvenalis divinam & cœlestem sententiam appellat, propter summam utilitatem, quæ in illa continetur. E cœlo enim descendit. γνῶθι σεαυτὸν, quod est dicere stulta scientia est, & insipiens sapientia supervacua noscere, necessariis ignoratis. Quid enim prodest, inquit Helinandus, homini scire metiri mundum, & nescire se ipsum. Absque hac scientia, subjungit ipse, nihil mortalibus est utile, nihil hominibus salutare. Hæc in primis necessaria est; etsi sola sit, sufficit. Docet enim hominem timere Deum, cavere peccatum, diligere proximum, terrena despicere, & amare cœlestia, in cujusmodi sententiam, crede vero frater carissime, resolvitur ac redit ex sua deductione illud sapienter, & sancte superius dictum: Longa desideria nostra increpat vita brevis, nec paria nobis adducunt Tullius, aut Seneca, ubi, si verba teneo, ille ait. Stultum est, quo minus est viæ, magis appetere viatici. Et iste: in quo quis desiderium clausit, cum Jove de felicitate contendat, quamquam uterque utcumque verum dicat. Cujusmodi sententias a tantis viris prodeuntes, ita nos animadversuros, ac per bona temporalia transire annuat is cujus gratia sumus id quod sumus, ut non amittamus æterna.

EPISTOLA XL.

Ad quemdam episcopum.

Descriptio Caroli-loci monasterii prope Silvanectum.

I. INcipiam, sicuti ad Augustinum quamdam Hieronymus finiit epistolam, ætate fili, dignitate parens, papa * venerande, omisi, ut sum præceps, cum tibi pridie scriberem, designare hujus honorabilis cœnobii situm amœnioris, cum eodem dicens Hieronymo, omni civitate, &, quod alibi ipse ait, ad quoddam paradisi instar sanctorum cœtibus obsessi, obsessi præterea aquis diversorum generum, utpote fontibus, rivis, rivulisque limpidissimis leni cum murmure fluentibus, quibuslibet abbatiæ officiis accommodatis, præter id quod serviunt in publico, & quod ad commodum ingens cedit, decem stagnis, & eo amplius circumdati, piscibus exuberanter oppletis, gustus saporis ejusmodi, ut non meminerim umquam, aut usquam similes comedisse. Quid de circumstantibus nemoribus atque silvis dicam, apris profecto, cervis, leporibusque abunde refertis, & cuniculis maxime ad jactum fabæ unius juxta muralia copiose fetantibus, ut hac ætate de vespere dixisses cuniculos eosdem sine numero manibus portam exeuntium sese cum suis minutis saltibus immittere velle, aut post sese currendi facere invidiam? Linquam dicere de objectu murorum fossatorumque profundissimis aquis repletorum, si quis vi abbatiam intrare contenderet, de Castello quin etiam fortissimo, & omni eorum, quæ meis oculis objecta sunt, pro suo ambitu percommodis habitationibus præmunito: deque cæteris tacebo, quæ fiunt obviam, priusquam ad ecclesiam perventum sit. In cujus quidem ecclesiæ introitu ampla spatiatoria platea præposita, porticus est trium destrariarum seu deambulatoriorum, tantæ magnificentiæ ac decoris, ut de illa Ovidianum illud conveniat dici, Regia solis erat. Ex qua quidem porticu continuo ipsa subintratur ecclesia, ad unicam visionem longitudinis trecentorum vel eo circa pedum, cum suis columnis sublimibus, altitudine latitudineque ad æquivalens, nec minus dilucida claritate decorata: ut quispiam luce ista censeret factam esse, ita ut deleat omnes, nullam exceperim, quas recordor me intrasse, &, quod ad pulchritudinem & decentiam multum confert, circumcincta est prædicta ecclesia xxv. collateralibus capellaniis, in quibus missæ particularium devotionum omni die celebrantur sine pressura vel tumultu in numero multiplici, & cum veneratione, & honestate adeo commendabilibus, quod communionem diceres angelorum.

II. Ubi vero ab eadem ecclesia alia ex parte fit exitus, claustrum a sinistris, & a dexteris capitulum situantur, qualia si quis quærat, non est quod viderim pulctiora, duobus claustris aliis, in quibus religiosi loqui possunt, coadditis. Refectorium autem, atque dormitorium, quantum oculus comprehendit, ac litteræ antiquæ muro insculptæ contestantur, in longo, latitudinibus decentibus suppositis, ad quingentos ascendunt pedes, dumtaxat sex exceptis. Ceterum refectorium recreativum infirmorum, hospitumque supervenientium hospitia, quæ hostellariæ dicuntur, quin immo conversorum antiquæ domorum portiones, quin etiam prioris atque procuratoris, necnon celerarii, ceterorumque officiariorum cœnobii cameræ seu domus particulares quales sint, e structura præmemoratorum authentica intelligi satis datur.

III. Si autem de mansione domini abbatis vis audire, crede a me alium non cognosci abbatem stantem honorificentius, lautius, commodius, ac delectabilius pro persona. Quippe si pergam narrare locamenta sui incolatus, conjecturam facies ad permaximum principem regiæ stirpis pertinere. Et, quod rem plurimum magnificat, hujusmodi habitationi jungitur capellania B. Mariæ, quæ paulo minus, quam illa S. Germani de Pratis peregregia reputatur: cujus quidem beatæ Virginis interventu ad filium, miracula quammulta facta sunt, ut affirmat sacrista, & eo non repugnante (oblationes enim suæ sunt) per Dei gratiam fient plura. Et, quod subticendum non fuit, imago ejusdem Virginis insidet ipsi capellaniæ, atque perstat, quæ tanta majestate atque artificio exsculpta, & fabrefacta esse dinoscitur, ut nulli omni earum, quæ in regno isto sunt, aut alibi valeant inveniri, postponatur, ita ut opus diceres Lisippi, Praxitelis, aut Apellis. Jungemus oratorium, seu capellam devoti Bernardi ab ea, quæ proximo dicta est, tantisper semotam: cujus compositionem nitidam, ac ædificium per insigne ex nomine & auctoritate patris ordinis absque alia designatione notes velim. Capellania insuper altera B. Magdalenæ ad tractum baliistæ ab hoc loco fundata est, cujus in circuitu vinea situatur, vinum ferens, cui non præferrem merum sancti Gengulphi, aut Belnense.

IV. Non erit quod te de summissioribus officiis teneam, ut sunt subulci, opiliones, ac bubulci, quibus poeta summus commoda impertit illa: dulces sub arbore somnos: qui permaximis satrapis non sunt, neu regibus stratis in mollibus, & thalamis deauratis.

V. Non sum ratus subticere religiosum hic degere non magnæ corpulentiæ, qui octogesimum ætatis suæ annum infra men-

sem subintrabit. Et jam sexagesimum annum, quo professus est, præteriit, erectum ut est scirpus, vivacem ut pirolus, lætum ac benignum adversus omnes, ita ut ametur ab omnibus, & sua cuique placeat conversatio, quasi falsificare contendat sententiam illius, qui senium odium vocat » ac tædium, nec minus aliam Ciceronis » inquirentis: At sunt morosi senes, & » anxii, & iracundi, & difficiles, & avari? » Respondens homo noster alta mente: » Vitia sunt hæc morum, inquit ipse, non » senectutis. Et, quod eum plus commendat, quamquam omni obsequio ac regula ex ordinis dispositione absolvatur, omni die tamen ad ecclesiam venit, celebrat missam, cantat in choro, & nonnumquam intonat antiphonam atque psalmos, ut ab aliis in nullo differat, præter quod omnia, quæ religioso incumbunt ex rigore, sponte agit, in nullo prorsus accusans senectutem.

VI. Ecce iterum prospectus superfunt collium, vallium, ac pratorum, necnon montium fluviorumque, de illis nequaquam intelligendo permaximis, de quibus memorat Bocatius, sed de mediocribus & apricis, animum atque visum oblectantibus in immensum, ut ventorum, & aëris diceres temperiem, qualem apud Macrobios ad duplum super nos viventes Solinus esse dicit. Utque nostro sub hemisphærio non credam locum esse æque aptum ad contemplationem ac studium, ita ut existimari possit, musas quondam in diversorio, quod signare tibi scirem, instituisse suas sedes, sacraque concilia sæpius celebrasse illo præsidente, qui ait, Aonias deduxi vertice musas.

VII. Si de firmatura totius ambitus abbatiæ interroges, aiunt quindecim stadia circuitione complecti, infra cujusmodi ambitum sine hortis & virgultis, bis septem aquarum receptacula ad piscium custodiam comprehenduntur, intellige fructu non vacua. Illo superaddente, qui non mentitur: *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud*: & alio subjungente, superabunt horrea messes: Armentis quoque & ovibus conformiter suppositis, &, quod super omnia plurifacis, non dubito, magna sub disciplina obedientiaque religiosis viventibus, eis quin etiam domino abbate vice benevolentiæ, & amoris mutua rependente. Et, quod nullatenus est tacendum, post reverendissimum Dei servitium ad laborem quotidie omnes currunt. Exigis quam fervide? ut abbatem notares pervigilem, ac monachos mercenarios suimet, te illos negotiari vidente, judicares, pro quibus Maro appositе bucolicum illud cecinit: Sunt nobis mitia poma, castaneæ molles, & pressi copia lactis. Nec sit qui pruna de Damasco prunis de Caroli-loco mihi quoquomodo anteponat. Avellanas, plusquam alibi viderim, peroptimis æquiparo. Et ex quo in hoc sum, si de pane, ac mutonis & bovis carnibus, deque fabis, pisis, & aliis leguminibus, necnon caulibus, & herbis ceteris idem non dixero, merito imputandum mihi erit tacere veritatem. De his vero, quæ in furno, aut verubus decoquuntur, cum sobriis hominibus videantur superflua, ut sunt capones, gallinæ, aucæ, & anseruli, pulli, porci, porculi, palumbes, turdi, pavones, piviones, & hujusmodi, his omnibus, quia sæpius suam imitando regulam præferunt ova, subticendum potius censeo quam loquendum.

VIII. Non præteribo rem dicere, tametsi plebeia est, hic dignam memoratu: horticolam censuarium inter alios ipsius cœnobii esse non remote hinc degentem, qui Parisius, ut assolet, nuperius cum vehiculis suis proficiscens, in alliis, cepibus, porris, caulibus, & similibus viridibus herbis, asserit, uno in foro, unica expeditione, sola in hora, pro duodecim florenis scutatis aureis in contento vendidisse, ac lætus retulisse ad casulam. In qua hoc scito, tu quia silvis, & aquis animantium victualibus abundantissimis finitimus est, cibo voluptario raro caret, ut propemodum visus est mihi senex Corinthus ille fore, qui

Regum æquabat opes animis, seraque revertens
Nocte, domum dapibus mensas onerabat inemtis.

Nec tibi stupori factum prædicti adveniat hortolani. Nam hæc mihi dictanti supervenit venustatis magnæ vir, referens perpauco prolapso tempore aliud fuisse hortolanum hujus domus, qui ex granis seu seminibus cepium ac ceparum dumtaxat in circumferentia modicæ partis anni, XXXVI, florenos francos, (attende quid sibi herbida cetera profuerint) habuit ac recepit. Colonorum mansiones, quas grangias dicunt æstimandas tibi linquo ex copia jugerum terræ, quæ arpenta vulgo vocant, ascendentia ad sex millia & trecenta, & eo plus me præsente computata, de gleba pinguiori locorum vicinorum fundationi hujus monasterii pertinentia, cum vinearum, & aliarum rerum appendiciis, quarum qui numero species scire velit, libyci velit æquoris idem dicere, quam multæ zephyro turbentur arenæ, illo teste. De molendinis quondam servientibus ministerio aquarum, infra ambitum abbatiæ defluentium, delectabilissimum est religiosos audire senes loqui, de illo potissimum ad bladum, quod per industriam farinas tres qualitate differentes una simul egerebat. Aliud pro fullonia pannorum diversorum. Aliud pro artificiosis potionibus, cum vineæ inclementia cœli sterilitatem incurrissent, pro sinapio aliud, aliud ad conficiendum & tingendum coria, usui incolarum necessaria. Ad oleum aliud, aliud ad asseres nemorum findendos pro ædificiis

ficiis & reparatione domorum, absque declaratione mechanicorum opificum plurimorum, ut sunt textores, sartores, alutarii, carpentarii, ac latomi, conversique non de facili numerabiles, monasterio quoad vivebant obsequentes. Vis unica sententia de his quæ ad eosdem Conversos spectabant audire? Refectorium necnon dormitorium ipsorum, quæ numquam, præterquam hac hora intraveram, simillima * palatiis regiis cum reliquis intellige.

* al. familiam similitudinem.

IX. Dignitatem loci ac sanctitatem frequens hactenus conversatio regis sapientis ac devoti CAROLI V. novissimo regnantis super Francos, & simul sepulcra magnifica novem pontificum intra muros ad utrumque latus magni altaris cum pyramidibus elevatissimis, &, quod miraberis, sine impedimento, quin potius ad decorem ecclesiæ magnopere constructa declarant. Sed maxime quod iidem antistites, quorum unus archiepiscopus Apamiensis & duo Franciæ cancellarii exstiterunt, inibi potius quam in propriis diœcesibus quiescere maluerunt. Nec tibi hæc admirationi adveniant, de hoc nempe cœnobio exiit sanctus GUILLIELMUS de Bituris, qui posteaquam istud monasterium cum administratione solerti rexerat decennio, coruscans operibus misericordiæ ac miraculis infinitis, ad archiepiscopium Bituricense se invito fuit promotus, de reliquis viris sanctis, ne te in longum teneam, ad Martyrologium, si scire cupis, te remitto. Exiit insuper de superstitis... ætate religiosus quidam GUILLIELMUS nomine, qui tria illa volumina, quæ passim in vulgi manibus sunt, de tribus peregrinationibus, Christi scilicet, animæque ac vitæ humanæ dictitavit, cum plerisque sacræ scripturæ commentariis, ac orationibus devotissimis pluribus fervore fidei plenissimis.

X. Insuper præfati domini religiosi in apibus educandis non minus solliciti comperiuntur, quam Virgilius earum docendi utilitatem fuit maxime curiosus, deque sollicitudine consimili serendarum insidendarumque arborum cujuscumque generis, omnes vicinos usque ad invidiam antecellunt. Et ad ipsius Virgilii consilium, nolentis curam postremam canum esse, tum quia cupiunt jura nemorum terrarumque suarum magnæ amplitudinis conservare, canes venationis multos habent, quos videre post feras currere, & audire latratibus suis melodiam facere brutininam, quibus placet, oblectet. Ego autem quod longe superioribus omnibus antepono, præter id quod de Dei cultu locutum est, inveni hominem secundum cor meum, apprime litteris utilibus eruditum, &, quod rarissimum est, sine cujuspiam gradus titulo omni ferme scientiarum genere peritum, morigerum ac benignum: ita ut si pro adolescentia Pamphili maturam hujus viri religiosissimi posueris gravitatem, ille sit de quo Terentius ait: *Sic vita erat, facile omnes perferre ac pati.* Cum quibus erat cumque una his sese « dedere, eorum obsequi studiis, adversus « nemini. Superaddito, quod sine magistro, » ut Epicurus; inter fagos & quercus, ut sanctus Bernardus, litteras tantas didicit. Concludat ergo tua prudentia de consecutiva ad res omnes suprataetas, ut sunt monachorum cellulæ insignes, libraria quoque incomparabilis, quam cum introeo, videre videor sine reliquis, omnes ecclesiæ doctores omnibus libris suis & tractatibus comitatos invitantes, immo provocantes, ac pulsantes eos, qui intrarunt, velint aut nolint, ad studendum, potissimum cum libri emendatiores inveniri non possint, si tamen non diceres multitudinem tot tot occurrentium *impedire*; meque mihi est visum esse apud Capellos, aut in palatio Parisius eis in locis quibus merces venundantur, ubi posteaquam pedem immiseris, te continuo vocabit ille, vocat illa, trahit iste, trahit ista, poneque resupinum pallio rapit aut manica, tibi tot pulcra, tam multa variaque jocalia ostentantes, ut nescias cum Terentio quid potissimum sumas, crebroque ex copia rerum suspensus, quid eligere debeas te invenias * nil feciſſe.

* al. invenis.

XI. Non est tamen quod more sectatorum Mercurii, qui omnia faciunt sui causa, apud sanctos viros istos agatur, sed ad illam divinam jussionem, *gratis accepistis, gratis date*, sub illo recipientis fenore, *centuplum accipies, & vitam æternam possidebis*. Non obstabit pernicioſus ille Vigilantius litteratissimus hæreticus, qui continentiam hæresim esse dicit, & pudicitiam libidinis incendium, necnon ad excrescentiam errorum & malorum suorum, corporum sacrorum reliquias cadavera vocat. Non obstabit, inquam, quominus asseram hac in ecclesia reliquias diversorum sanctorum sanctarumque quiescere in tanto numero, ut a me dinumerari non possent. Vestimenta quin etiam pro qualibet solemnitatum differentia sericea insunt, atque pretiosa variorum colorum, ut regiis compares, & diceres cum Marone: Tyrio splendebat murice« læna. Aurea purpuream subnectit fibula ve-« stem, quam artifex tenui discreverat auro.

XII. Ornamentorum quoque ecclesiasticorum, omni aliorum exuberanti munitione per omnia & in omnibus supposita. Nec expectent, qui tot tot imaginibus oblectantur, imaginem in altari quocumque elevatam invenire. Satis admodum apud istos est traditum a patribus, si crux solum depicta crucifixo, aut aræ patronus in pariete oppositio celebranti depingatur: Est nihilominus in secessu locus, qui thesaurus dicitur, non is de quo Virgilius canit, Ignotum argenti pondus & auri, sed reliquiarum

ornamentorumque pretioſorum, necnon A rerum ſacrarum aliarum conſervatorius, artificii induſtria tantus, ut ejus deſcriptio non meæ obtuſitatis inſulſiam, quin verius ingenia Carneadis & Pyndari elevatiſſima mereretur. Nec demum impediet ille alius, quamvis litteris ſacris doctiſſimus, qui cantum in eccleſia prohibebat, ad cumulum devotionis religioſorum iſtorum, affirmare eos in totius anni feria minori in eccleſia cantando laudes Dei voce altiſſima diverſis ſpatiis ſtare, quia numero Deus impare gaudet, ſeptem horis. Denique quam pulcrum, & ad totius compun- B ctionis, & contritionis exemplum eſt videre omni die religioſos iſtius monaſterii columbarum ritu, binos & binos, capitulum introire, atque genibus flexis, proſtratis corporibus, & capitibus ad terram demiſſis, ibidem ſeſe mutuo confiteri, & continuo poſt, ſine oculorum ad quamcumque rem converſione, aut enuntiatione verbi, præterquam orationis, ad aram ſubmiſſius accedere, ſatis explicare non fuit in facundia Ciceronis. Adde quod non præterit hora, qua non ſint ad alterutrius hominis ſalubritatem hoc vel illo modo utiliter occupati: obſervantes, ut tandem C concludam, quod de fratribus ac diſcipulis Origenis refertur, numquam eo præſente cibum ſine lectione ſumſiſſe; numquam veniſſe ſomnum, niſi unus ex fratribus litteris ſacris perſonaret. Hæc diebus egiſſe vel noctibus, ut & lectio orationem ſuſciperet, & oratio lectionem. Quibus omnibus beatus Hieronymus de religioſorum noſtrorum moribus & cultura ita ſub-

* al. tuta. » dit: in Chriſti vero villa trita * ruſticitas, » extra Pſalmos ſilentium eſt, quocumque » te verteris arator ſtivam retinens *Alleluia* » decantat, ſudans meſſor Pſalmis ſe ad- » vocat, & curva attondens vitem falce D » vinitor aliquod Daviticum canit. Hæc » ſunt in hac provincia carmina, hæ, ut » vulgo dicitur, amatoriæ cantationes.

XIII. Sed o quam vera eſt ſententia dicens: duo ſunt maxime contraria, conſilium & feſtinatio. Qui ob celeritatem hunc bajulum Pariſius remittendi, præterierim deſcribere aulam hujus loci antiquiſſimam, quæ cœlum tangere poſſit, nullatenus habitatam, præterquam a bubonibus & aliis nocturnis alitibus, cum feneſtræ, quæ nullæ ſunt, introitum minime impediant, ipſas aves ſociante ſene quodam paupertrimo ſæculari pluſquam octogenario, mirabile dictu, qui ſpreta bona camerula, quæ infra aulam eſt cum bono camino, ubi in æſtate hyemeque pro temporum qualitate percommode jacere poſſet atque ſtare, cujuſcumque conſilio non vult extra illam aulam adeo diſpendioſam decubare, etiam dum gelu, quod ait Maro, ſeptem aſſurgit in ulnas, æraque diſſiliunt vulgo, veſteſque rigeſcunt indutæ: qui ne unam quidem veſtem laneam ſingularem renovat in anno, & qui poſteaquam orandi cauſa iverit ad eccleſiam, quod nulla die pro re mundi præteriret, vivit juxta doctrinam Apoſtoli ex labore manuum ſuarum, & ad inſtar Hieronymi, de ſe hoc modo quodam loco ſcribentis, manu propria quotidie cum ſudore quærimus cibum. Alium dabo puerum vix annorum duodecim, coquinæ ſubſervientem, adeo patientem inediæ..., ut frigoribus hujus menſis Decembris vigentibus quoad potuerunt ingentioribus, omne ſpreto calceamento, non capucium, non femoralia, (ſic enim innocens eſt) aut etiam indumentum aliud a camiſia canabea ſingulari difficulter turpia obtegente, induere voluerit pro quovis monitore.

XIV. Et quod in primis erat ponendum, oblitus ſum loqui de via lata in longum porrecta pavimentoque ferrata, dum dehinc Pariſius acceditur: circa cujuſmodi viam dextero ſiniſtroque latere ſilvæ creſcunt cinctæ muris: &, quod non parvi faciendum eſt, ſi ad devotionem & decorem proſpicimus, tres cruces lapideæ contiguæ conſtructæ ſunt in fine pavimenti, ita ut ad vivum crucifixum commonſtrantes, ut ille cujus crucifigio ſalvi ſimus, a campeſtribus & ſimplicibus propemodum diceretur, ac in virtute omnipotentiæ ſuæ terrorem ſpiritibus malis ingerant, timoremque incutiant, atque fugam. Supereſt aula quædam altera, ſua quæ proceritate & amplitudine non patitur obliviſci, quatuor valvarum, non dico portarum ingreſſibus munita, ſive feneſtris plurimis, portis ſimilibus, in longum atque latum protenta ad paſſus LXXIV. ut mihi inpræſentiarum oſtenſum eſt; altitudine tanta, ut numquam a me celſior viſa fuerit, quæ magnum refectorium priſcis diebus dicebatur, immo potius irrefrigerium permaximum vocari digna erat: in qua, adverte medicinam, valitudinarii & infirmi, omni ſpreto frigore, reponi ſolebant, ſine camino, ita intelligas; nec inde abibant, quod mihi in admiratione multa venit, quouſque, ut aiunt, aut mortui ſepeliebantur, aut ſani eccleſiæ confeſtim in ſpiritualibus aut in commodis ruralibus monaſterio ſervire potuiſſent. Quo intelligi datur hic neminem otioſum inveniri: immo non maxime, ac maxime ſic, E vel alias occupatum, declaraturque incuria de ſe ipſis, aut ſeveritas antiquorum.

XV. Quod ſi me vector magis atque magis oculis ſignet, & corde forſan non benedicat cupidus abeundi; de refectorio tamen, ac modicis quibuſdam aliis rebus juvat nonnihil adhuc loqui. Quo in refectorio dum prandetur, (de cœna nempe pro tertia parte anni non fit mentio) tantum ſilentium, tanta pax eſt, quatenus intelligatur lectio verbi Dei, ut cæcus ſi in-

traret, quamquam interſint multi, exiſtimaret eſſe neminem; duobus in medio erumpentibus fontibus aquæ vivæ dulcis, quantum dici poteſt, ac liquidæ. Nec eſt quod cibus, quantumcumque ferveat, allatus e coquina, eorum dentibus, qui in ſummo refectorii ſedent, tanta ineſt diſtantia, nocere valeat comedentibus ex calore. Quo quidem in refectorio videres aſſidue paſſeres, & alias aviculas abſque invitatione, quamprimum prandium miniſtratur, eadem in menſa, eodem ferculo, cibum cum religioſis una capere, ac reſici, audacia tanta & auctoritate, ut non diſcerneres, an fundator monaſterii, qui fuit ſtrenuiſſimus rex Franciæ, pabulum pro ipſis alitibus inſtituerit, aut monachis. Eſt regulus quin etiam avis admodum parvula, adeo ut ſi plumam detraxeris tuo groſſior non erit auriculari, qui non minus continue obſervat & circuit clauſtrum, quam monachi, quem frequenter videre me delectat, brevibus interpoſitis volatibus ſuis quemque noſtrorum ſcutiferi in modum præcedere, & de Clauſtris eccleſiam præintrare, totamque primitus circumeundo, tamquam qui quæſtam faceret, redit protinus ad cathedram chori altiorem, qua ſuper aſcenſus pro abbate aut priore ſeſe gerens, cum crebris motuum & oſtentationis geſtibus, cauda parvulula in modum vexilli levata, miſſæ vel horatum incipere contendens introitum, cantum inſuſurrat, quaſi eſſet ille qui ait: numeros memini ſi verba tenerem. Dehinc vale facto, res alias acturus, evolat ocius & aufugit, ſæpeque redito circa principalius altare ſimulacrum, religionis impendit nutu, geſtu, garrituque ſuo multo, & nonnumquam ſacerdotem ſecretum in miſſa ſolitum agente, caput ejus ſuperaſcendit aut ſpatulam, converſoque aurem verſus roſtro, ſeſe regnaque ſua, Regi regum, ut eſt ſollicitus, enixe recommendans: nihil quippe ſcimus, cum ſolus ſit cum ſolo, aliud ſuſpicari. Cujus quidem reguli femina, quod me ſtupidum nimis reddit, uno partu ſexdecim & eo amplius ova ponit, quolibet ovo paulo minore, ut aiunt, quam rex ipſe groſſitie carnea ſit aut regina. Sed operæ pretium eſt merulas pleraſque aves alias videre, quæ hac gelu & nivis tempeſtate in cellulas monachorum famis deſperatione, heu pietas! ſeſe trudunt, quarum cantus varius nullus eſt, qui veris tempore non præferret tibiæ ſonoritati ac citharæ. Nec mirum: hoc nempe artificioſum eſt, illud naturale, & duorum inſtrumentorum; iſta melodia vocum, altera centum mille. Cujus numeri tanti accipe cauſam ex eo quod non eſt de abbatia undecumque exitum invenire, ſine ſilvis, abſque nemoribus aut ſaltibus, dumis vel arbuſtis, per duo vel tria milliaria a parte etiam magis breviata. Quo fit ut æſtate ſere-

A na non reperires arborem ſive ramum, qui non ex volucrum muſica reſonaret.

XVI. Jam modo ſeram imponere his nænis fatagebam, cum ecce aſinum hortolani ſuo ruditu acclamantem, qui vi us eſt mihi dicere: Præpoſite Inſulane, legiſti nuper in libro de civitate Auguſtini, Apuleium tantum virum in aſinum fuiſſe converſum; & (quod huic monſtro ſimillimum eſt) ſtabularias feminas in Italia ejuſdem Auguſtini tempore fama extitiſſe, quæ homines ſub bolo caſei vertebant in jumenta: ita ut referrent ligna e nemoribus, & blada B ad molendinum dorſo ferrent: & tu de me quidquam loqui præteribis? præteribis inter tam multa aliquid de me loqui, qui non ignoras aſinum fratrem meum tantopere Hieronymo & ſuo conventui ſerviviſſe, ut pluris noſtram ſpeciem faceret; quam illum litteratum ſchiſmaticum, quem in quadam epiſtola aſinum bipedem appellat? reſtat ergo, inſtructor mi, ut quod neſcio ſcias me docere, hoc animal clamore violentum magis quam auritum eſt commendare. Alioquin dominus ipſe aſinus qui ſupra omnes aſinos aſinum ſcit facere, ſuo hiſpido ululatu interturbare deinceps C inquietareque minatur mihi, quo nemo minus tolerabilis impetus eſſe poteſt.

XVII. Et ut unde orſa eſt redeat oratio, jocari quidem ulterius non libet, cœperam dicere, monaſterium iſtud obſeſſum eſſe locis ſanctis quam plurimis, quod ut ignorantibus innoteſcat, ad leucas decem quaqua verſum ad rotunditatem (ut dici ſolet) capiendo, ſi legitime calculentur, triginta, & eo amplius invenientur cœnobia; quorum (ut taceam de reliquis) unicum eſt, te non minus ſciente, quam omnes qui vivant, habens in fundatione reddituum annuorum ſupra aureos triginta mille fran- D cos, quatenus Gallorum fides atque devotio pateat univerſis: quibus relinquo loca ſacra cetera tanti regni in comparatione ad hanc portiunculam recenſenda. Sciunt nempe quam multi, ſcio ego ſub ea certitudine qua hæc ſcribo, urbes tres inter centum regni Franciæ, Pariſienſi nequaquam comprehenſas, complecti collegia ſæcularium ac regularium perſonarum, panem edentium crucifixi, aſcendentia ad viginti duas magnæ celebritatis eccleſias, abſque E parochiis urbium prædictarum in pari pene numero, ſicuti facile ſcire daretur perquirenti. At ne, quod vetat Hieronymus, epiſtola fiat liber, vale, & hanc ſcriptionem protenſam ſupra quam propoſitum fuerat æquanimiter ferto.

EPISTOLA XLI.

Ad Petrum & Gontherum suos præceptores.

Describit aulicorum mores & vitia.

1. *Jamque fere mediam cæli nox humida metam*
Contigerat, placidam laxarant membra quietem,

cum terque quaterque, vir elegantissime, mihi in somnis ecce apparuit non Terentius ille, qui currum Scipionis Africani pileatus, servitutis sublatæ insignium, secutus est; sed is quem Firmianus nobilem poëtam vocat, & artificiosum Horatius sæpe numero inculcans, visus est mihi dicere: Quid agis, quid somnias, quid moraris, mi Johannes? existimas vero tu, tibi enim compatior, an ne credis inter fercula hæc, quæ quotidie cum aulicis his canibus, ita vester eos vocat Boëtius, abunde sumis, cibatuum potuumque perditissimum luxum nugasque curiales, quod tantopere inchoaras, philosophiæ fructum capere dulcissimum, & quæ insuper jocunda & idonea dicitur * vice poëtriarum invenire, aut historiarum doctrinam ac experientiam, & cautiones oratorum? Falleris, Johannes mi, falleris, subdit ipse, quin potius invidia, ambitione, superbia, simulatione, dissimulatione, crudelitate, perfidia, libidine, cupiditate, discordia, ignorantia, mendacio, stultitia, ceterisque vitiis exuberanter oppleti sunt; & quemadmodum castrensium mores brevi Salustius designat sententia, aliud in pectore, aliud in lingua promtum habere vultum, quam ingenium bonum habere. Cui non dissentit Lucanus, ubi post multa eis improperat scelus illud: ibi fas, ubi maxima merces. Subtrahe ergo pedem atque redi, & tuorum instructorum alumnorumque nostrorum PETRI MANHAC, & GONTHERI COLLI, quos quidem tanti facis, istas pompas, curiarum & urbium tumultus fugiendo, rura incolas, solitudinem ames, libros legas, & meas inter cetera comœdias, quæ tametsi populares dicantur, nonnihil tamen utilitatis afferre testatus est Cicero, tantæ auctoritatis vir, ut fuerit qui ipsius eloquentiam Romano compararit imperio, qui verbis meis sæpe libenter, uti seriis pretiosisque, in operibus suis voluit asserere. O me felicem summi philosophi & oratoris perfecti celebratu hujuscemodi sincera atque laude! Nusquam vero pretii tam excelsi meum putavi ingenium, quod ipsius dignaretur hoc suæ commendationis singulari memoratu. Tuque ut scias, Johannes care noster, duo illi aurigæ tui & doctores benefactoresque, sicuti pluribus notum facis, Petrus & Gontherus, & ille prior quam maxime, sic me sine intermissione sollicitant, legunt, scrutantur, & indagant, ut ante Petrarcham, sese qui me corde tenere præ Tullio jactitavit, si superstes foret, metaphoras, problemata, & mysteriorum integumenta morum enodare possent atque scirent. Et tu me vix in cortice solum, & superficietenus percurristi, atque pessumdando sic me negligis, & postergas, ac ingentes, sed aniles vanitates inter istas curiarum involutus sic dormitas? tuque his in potibus, & commessationibus crapulisque amodo moraberis? Tu demum hos Jamni sufflatos vento & ob sublimia gloriantes æterno infectaberis? desine, jam desine, Johannes, me vide lævam, quæ malorum exercet pœnas, viam illam, &, ut prope describit Virgilius, ad impia tartara mittit; & illam sapientum dexteram cape planam, profecto tutam, lucidam, & amœnam, & in qua Deus temperantiam, fidem, castitatem, abstinentiam, concordiam, scientiam, & veritatem posuit, ceteraque virtutes, meque & alios auctores, necnon religionis tuæ libros lectita, studetoque, & circa nos invigila, postpositisque temporalium illecebris, te contemplationi totum dede. Non est, credito mihi, tandem quod doleas, & si contrarium a plerisque vulgaribus judicetur.

* vitæ poëtriam.

Vitia aulicorum.

II. Sed subsentio cadaveri nimis hæres, nec quæ te circumstant pericula cernis. Opus est nempe tibi fraudis, laqueorum curiæ, scopulorumque explanatione majori. Tuteque ergo conspectu ne subtrahe nostro, hanc aspice gentem. Num vides inconsideratissime, illum, qui proximus tecum sedet, qui cum coram in os quorumdam loqueretur, illos plaudenter affari, colere, de ipsis benedicere, laudare, & prædicare, amplexus & oscula porrigere, manus simul explodere; illis qui absentibus extemplo maledicit, accusat, execratur, atque damnat, ac si vita nequaquam digni essent? ut verissime rex ille quem prophetam appellatis, dixerit: *Ore suo benedicebant, corde suo maledicant:* Vides, inquam, alium te dextra tenentem, tibi adeo qui gratatur, & se supplicem reddit, quia ei forsan gratiam es laturus, cum tuum primum exhaustum officium aut beneficium exstiterit, nullatenus te agnoscet. Quod si te adversa invadat fortuna, & sibi casu obviabis, scito nil verius esse, tibi protinus tergum vertet, & posteriora monstrabit. Videsne alium nectentem te brachiis, & qui a collo tuo pendet? centum aliis, ne ignores, idem fecit quos decepit. Sed is alter, & is alter, inquis, mihi optime obsequitur & curialissime, immo gratis sua offert. Cave ergo circumspectius, si mihi credis, ne gravioribus te oneret. Verum est enim proverbium illud: Omnia sui causa facere curiales. Probant luculenter, quod

ſæpenumero ſcio te advertiſſe, officiorum viciſſitudinariæ retributiones. Quam ſollicite cernis tu omni die coquo pincernam ſubſervire, panificem dapifero, hoſtiarium lictori, elemoſynario indigentes, & frequenter diſtributionis epularum ratione nebulones, lixam janitori, medico chyrurgicum, cancellario notarios, venatori aucupem, propinatori piſcium lanionique eos qui pullos, pavones, perdices, atque turdos, ceteraque hujuſmodi comminiſtrant, & denique receptoribus univerſos: frumentarios autem quos forrarios vocant, non de ſacerdotibus, aut confeſſoribus, vel medicis curare; ſed de his qui poſſunt vicem rependere ſollicitari ſolent, & eos anteponunt cunctis modis, dicentes: *Aliam alia manus lavat. Da, dabo, donabo.* Ita ut non alio more vivatur, quam per illud proverbium, *fac ei qui tibi facit.* Quid vis dicam? quod ſuis ex officiis invicem non donant, vel commutant, extraneis furtim vendunt, & demum, ut cuique eſt copia, ad aſcenſum uſque patibuli tantum mali atque nequitiæ plenarie exequitur.

III. Quis enim, fac te velle, bonum ſinet? confeſtim ecce aderit qui tibi derrahat, illudat, te mordeat, impingendo dominatum in uxorem velle ducere: nec quieſcent, quouſque aut eis te perſimilem reddiderint, aut ignominiis pellant foras. Sunt alii (quod eis male vertat) qui dominis ſuggerunt meritiſſimos ſuis officiis deponere, ut ſubeant qui loquuntur adverſus juſtum iniquitatem in ſuperbia & in abuſione, non curantes an jure, vel injuria ſint miniſtri. Talibus & tu fides, quorum nihilominus pars non parva, quam ſortilegiis, auguriiſque, & invocationibus peſſimis ſummiſſi ſint atque proni, & ſuperſtitionibus ſingulis, declaravit nuper, volente Deo, quorumdam hominum qui vivebant perniciioſorum, perniciioſiſſimorum damnatio, quibus medius fidius obnoxius deferebant, veſtro quam evangelico dogmati. Tu & cum eis ſimilibus jugiter verſaberis? atqui ſententia iſtorum hic inſere. Mera pyros * ſimplex fatuus; continens hypocrita, temerarius ſapiens, blandus durus, inſolens gratioſus, frugalis avarus, ſeverus incivilis, & demum prodigaliſſimus judicatur liberalis. Itaque ſumma eſt hæc hos apud noſtros curiales, immo vero incuriales, pro virtutibus vitia planiſſime columtur: ut merito quidquid laudant, vituperio dignum ſit; quod vero vituperant, magnopere ſit laudandum.

IV. Sed munerarii animus erat deſignatiori vocabulo dicere, de ærario publico aut theſauro regis ſupra modum curant: Quomodo quæret quis? ſic equidem quod nec rex ædificat, aut jam conſtructa commode ſuſtentantur, bello, Deo laus, a quoquam non invehitur, alium nec invehit: pecuniæ feudales, & eleemoſynæ debitæ non exſolvuntur: perinde ſic ſibi ipſis noſtri numiſmatum rectores, dicere debueram raptores, multiplicant, & coacervant; ut eorum quamplures, horribile dictu: ut fama eſt, numerato rege plus abundent, quodque quem eroget creberrime caret franco, quam ob cauſam quam ut videmus, qui antiquitus centum ſolidorum ſtipendiis honoratos ſe putabant; nunc haudquaquam mille libris contenti ſunt, dona quæque eripiunt, quaſi a barbaris, pariter & extorquent. In hoc etiam violentiores conſpiciuntur præacuta novacula inſtar harpiarum vultum habentium virgineum, ungues autem rapaces, non magnificentes, quanto ſudore a pauperibus regnicolis partum ſit, & dura porrectio. Eadem ferme in ſchola imbuti ſunt. In ludo omnes exſimili docti, ut aſtutia Syrum meum ſuperare diceres ſive Davum, quaſi ut cum unum noris, omnes noris. Terras, alodia, fundos, poſſeſſiones proinque vicinos vendere cum angaria ſollicitant, indiſtincte emunt, arces ædificant, extruunt oppida, perſonæ viles jacentiſque conditionis, & nullius ſcientiæ breviter regio more vivunt: &, ut verum dicam, propemodum nullus eſt, qui pecunia potiatur, aut habeat, niſi theſaurarii, aut alio nomine ſeſe de ærario publico intromittat, vel talibus genere attineat, ſeu ipſorum fuerit affinis, gratus ſervitio, vel amicus: nec officio ferme dignatur apud eos aut honore, niſi qui calculis ſe immiſcet, & de arithmetica habet fæcem.

V. Prætereo, libet etiam præterire communia, quales qui cujateſque in quoque aſſumuntur officio, tales profecto, ut jam de induſtria non quæratur, qui heri modicorum ſtatuum, ne dicam humilius, erant, hodie domini cum incurvatione genuum appellantur: unum nuſquam prætermitterent, eos ſcilicet qui magnatibus aſſiſtunt, munerum modo donatione, modo aſſignatione ordinaria, atque extraordinaria prævenire, eis citra officii limites, ſic quicumque * ſuperveniat aut obtingat, quod debeat ad fiſcum domini pervenire protinus intimantes, ducti, non amore, quo carent; ſed verentes haud dubie, quadrat ratio, ne ſua ſcelera dominis detegantur, quorum comprendere formas nequirem, ſi Argi centum oculi caput meum circumambirent, aut abyſſum vitiorum expromere, non mihi ſi linguæ centum ſint oraque centum, ferrea vox, dicente Virgilio. Itaque nihil agunt penitus, quod non ex favore prodeat aut timore. O diviniſſimam, juſtiſſimam, ſanctiſſimamque reformationem in eos, quam ipſi profecto maximis corruptionum conatibus ſuffocant, & extinguunt! ſed in hoc delectemini vos inſontes, quoniam quo tales amplius & avidius deglutient & ex-

* al. Mini pyros.

* al. quidquam.

haurient, juris cujuſlibet ratione plus reddent, & evoment, qui, quod eis peſſime cedat, negligunt omnes bonos, inſontes parvi pendunt, innocentes abjiciunt, pauperes rerum odio habent, & pone jugiter eos linquunt.

VI. Sciſne, amate mi Johannes, quo apud noſtros officiarii conſimiles ſalario compenſabantur? ignominioſe continuo ab officiis opprobrio habiti, cum punitione graviſſima trudebantur, & qui ſe in minoribus probe geſſerant, prædictis cum honorificentia ſuccedebant. Quid aliud in bona politica eſt agendum? hac etiam lege & obſervantia boni meliores fiunt, malique, quoad poſſunt, peccare vitant, & oderunt formidine pœnæ. Inter hos præterea nonnulli ammiſcentur quam pulcre dulces, & ſuaves, ac mites, ut perhibetis, tamquam oves, quod oppido liberaliter genu poſito, capite acclivo, pileo protinus amoto, ſub oblationibus ingentibus montes & maria pollicentur; ſalurationem cum riſu quali quali curialiſſime præbent, amplexus quotquot voles, ſpatula compercuſſa palma differentes: Veſter ſum prorſus, & ſupra quidquid placebit, dicite, jubete, mandate, imperate, non enim deficiam, ſi omnes mihi capiendi ſint inimici. Sed neſcitis parum cauti quam fictitie vos alliciant, ac inebriant verborum nectare. Intus!, intus elati ſunt & ſuperbi ut leones, ac ferociores tigribus: & inibi nec ante deprehendetis, quam eos parvis in rebus credulitas veſtra tentaverit, aut vos adverſitas ferierit in aliquo: tum vero non catholico, ſed gnatonico ritu cantabunt plane vobis, quod virginibus fatuis dictum eſt. Neſcio vos. Non dicam, meam enim profeſſionem non reſpicit, denariorum numerum infinitum ſub neſcio quarumdam involucro litterarum, quas deſchargias vocant abſorptum nequiter optimo regi tuo & ablatum, gravi quidem facientium jactura. Sed diſciplinam Mercurii dei ſui norunt, decipere dicentis legitime mercari. Erit autem, ſolentur fideles, quamquam occulta ſimulentur in poſterum, qui enucleabit omnia, & hos coget, quia diu non latent ſcelera, ſuæ reddere villicationis rationem. Tum vero plus nauſeati, ut ſic dixerimus, ſolidi decem amaritudini eis erunt, quam in præſens libræ centum ſint lupis iſtis voracibus gratuitæ.

VII. Sed tacere non poſſum, quis vero non moleſte ferat veſtrorum incloquibilem ſuæ religionis contemtum? vix eſt quod ſe alicunde divertere quiſquam valeat, quin hunc, vel alium, item alium ſenem modo, modo virum ac juvenem inhoneſtiſſimaque mancipia jurantes, abjurantes, perjuranteſque, & quod fidelem torquere nimis debet, deſpicientes gratis, ac negantes nomen Dei magni inveniat, & audiat. Quin immo adeo ſua in malitia gloriantes, ut his peccare etiam abſque cauſa placitum ſit, & delectabile. Verum enimvero hæc facinora impunita noſtri contemporanei, qui omnia poſt religionem ponenda ducebant, neutiquam tuliſſent. O Maxime Valeri, librum quem cauſis ex levioribus inter memoranda tua gravis plane ſententiæ edidiſti, tuque Flacce Horati, Juvenalis, & Perſi, voſque Satyrici omnes, ſi vobis vivere datum eſſet, quantis exclamationibus prorumperetis in tales! quanto dehinc ciremini furore! credo etenim, credo, nec vana fides, præſides, & antiſtites veſtros e prætermiſſa licentia abominabilibus & deteſtandis his perſonis alto animo reprehendere auderetis. Si enim pauciores blaſphemiæ in eos lapſæ forent, magnis admodum delinquentes punirent pœnis, nec ſub conniventia quoquo modo ferrent. Quod ſi in ea foret curia, quæ cunctis præſidet hoc in regno, ac vice auctoritatis juſtitiæque adminiſtratione ſupereminet omnes; nullus eſſet innocentiæ locus, inter meum & tuum nulla diſcretio, nec parva ſinerent vivere armenta leones: ſed fas nefaſque promiſcue irent: omnia libido poſſideret. Altiſſimo cujus conſilio ſi exequendi omnino reſponderet æqua poteſtas, res aliter & aliter, ut perſentimus, ſe haberent. Vis brevi epitomate utar, mi Johannes? nihil ſuperbiæ, nihil luxuriæ, inſolentiæ, petulantiæve aut mali cujuſquam excogitari poteſt, ſive fingi, quibus aulici careant, aut curiæ non ad ſummum uſque repleantur. Quin immo nox hæc dieſque deficient, ſi partium particulam illecebrarum conventus iſtius dicere pergam. Igitur te nimis oppreſſum ſomno conſpiciens, tempus in aliud differam, quo extenſius laudum iſtarum gentium cantica promere me, & te magis audire delectabit. Interea hæc ſint quæ liceat te noſtra voce moneri. Vale: tribuatque tibi bonam qui poteſt & quietem.

VIII. Haud mora, præceptor mi, ſubito velut fumus abſceſſit in auras. Quæ omnia altius cum conſidero, & non fruſtra repetita mihi, per illum præcipue, qui aſſeverat mentiri non eſſe ſuum, mente volvo, ac verum dicere, & monere ſalubriter agnoſco, manu fronte percuſſa, ſuſpirium ex imis ducens dico mihi: Ah miſer! ah ſtolide! ſiccine pedibus irretitus jugiter teneberis? ſiccine non, ut pauci, uti Seneca tradidit, ſed ut vulgus inconditum ſemper vives, nec hos expertiſſimos duos viros imitabere, pæana canendo, te qui docebunt, & quocumque modo fugiaſque feraſque laborem? Immo vero, Seneca, voſque monitores mei, vobis credam, vobis deferam. Quod ſi eripere confeſtim haud me poſſim, tandem profecto vi evellar. Jamque hoc ſcitote, patres conſcripti, qui primus gradus eſt, mihi vehementiſſime hæc diſpli-

cent. Voſque duos quos a primordiis habui A duces meos, &, unde mihi optime ſucceſſit, imitatus ſum quoad potui, conabor in annorum provectu, & conſequenter meorum in fine dierum, quantum meus captus erit, veſtræ commendatiſſimæ vitæ ſimulacrum eſſe, ſi attingere non valebo ad illum Davidis lyræ ſonum, quo quiſque veſtrum mihi dicit: *Dirige in conſpectu tuo viam meam, quoniam ſtatui in loco ſpatioſo pedes meos:* doctiſſime nihilominus conſulente Ovidio, & dicente:

Vive tibi molleſque inglorius annos
Exige, amicitias tu tibi junge pares.

Vale, dux mi: & heſternæ noctis volucris ſomni mei deſignationem accipe: Ita tamen ut vehementiſſimi diurnique ſtudii tui utilitatis realitas ſubſequatur, quæ mihi ſemitam monſtret, qua me quoque poſſim tollere humo, ac nobiliſſimi ſine revocatione otii veſtri oblectamento potiri.

EPISTOLA XLII.
Ad præceptorem ſuum.

De ſuis ſtudiis, in quibus aliis patribus præfert Hieronymum.

COnſequenter ad ea quæ tibi, præceptor mi totius honorificentiæ, Gontheroque aliiſque amplioribus litteris meis ſcribo, quæres, ut eſt pulcher ac bonus magiſter de diſcipulo ſollicitus, quid agam, circa quos nunc doctores magis verſer, quem mihi pro ſumma ſummarum imitatorem paraverim. Super quo de Ariſtotele parva poteſt hic hiſtoria adduci, qui cum interrogaretur ex duobus quem ſibi poſt obitum ſucceſſorem D in magiſterio decernebat de duabus provinciis, popoſcit afferri ſibi vina, quibus deguſtatis, utrumque optimum eſſe dixit. Sed ſubdendo, hoc, inquit, magis eſt ad meam portionem: quo innuit præponi debere Theofraſtum, quia vinum ſuæ provinciæ utrumque laudando præferebat: ſic quoque cum tanti faciam quatuor eccleſiæ baſes, Ambroſium, Jeronymum, Auguſtinum, atque Gregorium, ut dicere nequeam, etiamſi mihi cum Virgilo centum linguæ ſint, oraque centum, ferrea vox, me tamen dedo (trahit ſua quemque voluptas) Jeronymo, aliis impertiendo ſuos E reditus lectitandi: Hoc ordine, poſteaquam ſtudendi ſum obtuſus, ſcribo: cum autem ſcripſero, rurſus lego, aut confero cum illo ſerioſo probatiſſimoque religioſo a me in converſatione præelecto, unum quem docuit Tritonia Pallas aut Maro, nihilque inutiliter præferentem quoquo modo vel agentem, ſed ea benignitate ut agnum diceres, aut columbam & mihi morigerum quantum Oreſti Pilades, aut Niſus extitit Eurialo: Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis, vale.

Nota. de libris.

EPISTOLA XLIII.
Ad præceptorem.

De ſuis ſtudiis & libris.

QUi abſque nominis tui mentione ne horam quidem præterire patiatur, ut de beato Auguſtino ſanctus ait Jeronymus, diſcipulus tuus, is cui nomen eſt Johannes, & Inſulæ titulus præpoſiti, ſecum hoc mane ſtomachabatur, animadvertens tuæ caritati, B tuæque ſinceritati erga ſuos integerrime nunc uſque nihil penitus reſcripſiſſe: ſed cogitanti temporum qualitatem magnopere ſilentium expetentem, vix occurrit quod ſcribatur, præter id quod præfatus diſcipulus tuus valet, ac vivit cum religioſiſſimis viris converſationis perbenignæ ad utriuſque hominis utilitatem accommodæ: ita ut quaqua verſum ſe divertit, inveniat quibus cum, verbo vel exemplo proficere poſſit: aut libri tot tot divinarum, & humanarum rerum fiunt obviam: ut non C viderit monaſterium hoc in regno æqualiter abundare, cujuſmodi librorum ſi quæras, præceptor mi cariſſime & optime, qui mihi ſint acceptiores & ſelectos habeam, quamquam alios non repuam, eſt tamen quod Auguſtinum præcipue in illo volumine quod intitulatur de Civitate Divina, familiariorem mihi faciam, ut diſtædeat illum citius, & accuratius non vidiſſe. Interponimus tamen nonnumquam Bibliam, nunc devotum Bernardum, nunc quoque Jeronymum & Ambroſium, maximos auctores fidei catholicæ, & quandoque pro D interferculo doctores alios ſeculares. Si rurſus quæras, ut eſt bonus magiſter de diſcipulis ſollicitus, quam fervide ſtudeam, ſeu potius legam, profecto ſola luce plus lectito, quam Pariſius bino menſe; quippe tot tot occupationes, tot objecta, tot ſollicitudines, totque ſocietates occurrunt in urbibus, quæ tempus furentur, & a quibus divelli non poſſit, ut merito antiqui turbam vitantes ac vulgum, in ſenectute incipiebant philoſophari, dicente Lactantio: hæc eadem ut faceret, quid non faciebat Amyntas. Sed pondere altiori Plato felicem eum vocat, cui Deus dedit veras habere opiniones ſaltem in ſenectute, proque hujuſmodi occupationibus atque ſollicitudinibus ab illo poeta, ut omnia plene noſti, dictum eſt.

Nota. de libris ejus.

O curas hominum, & quantum eſt in rebus inane.

Quantum tamen, ut ad me redeam, profecerim, Deus viderit, & tu, cum mihi deſideratiſſimam perſonam tuam videbo, judicabis, qui per ea quæ dicta ſunt nolim exiſtimari monachum me velle fieri, aut umquam in animum induxiſſe: agnoſco enim fragilitatem meam ac ſenium ſuper

humeros incumbere, quæ duo difficulter A submittuntur, regulæ vel oneri præcipue jugi tanti, quamvis optarem perfectionem illam cum perseverantia cælitus mihi mitti; Vale, & me scito illum singularem, & electissimum virum de Clamengiis visitasse. Quo cum degere paulominus est, quam cum angelo conversari aut Cratippo, si ad philosophiam moralem prospectum sit; Scripta.

EPISTOLA XLIV.
Ad præceptorem suum.

Se hominum spernere judicia.

NE nihil respondisse videar scripturæ cartæ tuæ, Senecæ fabricam admodum redolenti, qua tibi placere ac laudare intimasti, me urbanam vitam in solitariam ad tempus commutasse, & id quoque permultum plurimos execrari, hoc facile crediderim. Nam ut in translatione Apologetici Gregorii Nazianzeni ait Rufinus suo more eleganter, nihil hominibus suavius quam aliena loqui, & aliena curare. Paratior namque est, sicut subdit, imperitorum turba ad derogandum bonis studiis, quam imitandum. Circa quod recogitans quid olim viri sapientes (rari vero supersunt) de populi rumoribus ac strepitu senserint, oppositi callum rebus, & mortalium verba pessundo. Porro autem ante tribunal judicis agemus intus & in cute videntis. Non tamen velim illa severitate agere, qua beatus Jeronymus Deo regratiatur esse hominibus odiosum. Sed hæreo Annei finem inquientis: Non quam multis, sed qualibus placeas cogitato. Non differenter dicente Cicerone: Nihil tam valde... quam non esse popularem, quorum quidem virorum sapientum quisquis doctrinam fuerit imitatus, a virtute minime deviabit. Nec enim frustra ipse Jeronymus eumdem Senecam inter viros illustres catholicos locavit: quem tanti fecit doctus quidam, ut cum Varronem Platoni, Demostheni Tullium, Virgilium Homero compararet Socrati vero Lælium vel Catonem, nullum Græcorum Senecæ fecit parem: Vale & me ad omnes commendato.

EPISTOLA XLV.
Ad Aquisgranenses.

De armis Franciæ in sacra æde digniori loco collocandis.

DEbui, si potuissem; volui, si vacasset, celebris & antiquæ laudis viri, me dudum e Guelria redeunte, ac transeunte per Aquas, visitanteque sacram ædem nostri sanctissimi, atque beatissimi Caroli Magni quondam regis Franciæ, & omnium tunc imperatoris Catholicorum, scisciari a vestris circumspectioribus, & quærere, quam ob causam factum est, quod super sanctuario seu coopertura capitis ejusdem Caroli dignissimi, quæ usque ad spatulas inclusive protenditur, arma Franciæ in fimbriis solum & superficietenus depingantur: in reliquis autem partibus superioribus prædicti sanctuarii armis per omnia depictis Imperii. Quasi Galliarum regnum modicum, aut nihil esset, & agentibus Alemannis, regnum ipsum Franciæ Carolus suo adjecisset Imperio; at non potius viribus Francorum, atque potentia imperium acquisisset, & proprium fecisset dominicalium. Cujus respectu fuit animus consequenter inserere ejusdem Caroli nostri Magni factorum seu gestorum perbrevem epilogum tenoris talismodi: CAROLUS Magnus quondam Francorum rex, posteaquam plures tyrannunculos Aquitaniam occupantes primo regni sui anno subjugaverat, & cum jam duplo auxerat regnum suum, ab Adriano papa ac Romanis ut imperatoria insigniretur majestate, & eis auxilio esset accersitus, Desiderium Longobardorum regem, qui more patris sui Astulphi Romanam inquietabat ecclesiam, in urbe Papia vi armorum, & obsidione cepit, & in exilium misit, necnon filium Desiderii Adalgisum nomine, a regno proprio effugavit. Itaque profectione illa, subactæ Italiæ Pipinum filium suum regem constituit: quibus expletis: bellicosissimos Saxones magnis viribus superavit: & ita tandem sua sunt virtute perdomiti, ut decem millia hominum ex eis cum uxoribus ac parvulis sublata transtulerit, perque Galliam atque Germaniam distribuerit diviseritque, dein saltu Pyreneorum montium superato, Hispanias aggreditur, quarum omnibus oppidis, & Castellis in deditionem susceptis, reversus, nonnullis præterea aliis arduis quibusdam expeditis, Bajuaricum bellum exortum celeriter consummavit. Nec mora, nec requies, Danos, Succos, Sclavos adversum ipsum Carolum fœderatos invenit: quos omnes una expeditione edomuit, & submisit. Hunnos quoque & Avares, totam præterea Frisiam, atque Britanniam, ut hæc omnia Richardus de sancto Victore inter coætaneos suos perquam eruditus testatur, suo dominatui Magnus Carolus subjugavit. Scotiarum autem reges, ut refert Eginardus, ipsum Carolum dominum suum, & se suos servitores appellabant, historiis, & chronicis editis a viribus illustribus illius temporis de his omnibus extensius, ut res exigit fidem facientibus; addita quin etiam cum plerisque aliis per ipsos historiographos ejusdem Caroli conquesta sancti sepulcri ab infidelium spurcitia, sua devotione, atque

atque potentia prorsus purgati & absterſi, ob amicitiam ab eodem Carolo ut benignus erat per imperatorem Conſtantinopolitanum aſtute ac prudenter quæſita: Græcia ab omni offenſione, & ſubmiſſionis jugo ipſius Caroli ope libera tunc & inmuni remanente. Itaque inter omnes priſcos magna cum potentia militantes, computatis etiam novem probis, duo ſtrenuitate diurnitateque regnandi videntur excellere, Carolus videlicet iſte Magnus, & Octavianus præpotens imperator, cum eorum quiſque orbem propemodum ſuæ ſubmiſerit ditioni, non duodecim annis tantum, ut Alexander Macedo, aut tribus ſolum, ut Julius Cæſar: quin potius ipſi duo nonaginta novem annis ſuis dominatibus altiſſima cum gloria potiti ſint. In hac tamen qualitate differentes quod Carolus filius Franciæ regis erat, mater vero ſua Berta nomine gnata imperatoris extitit Heraclii. Octaviani autem avus Argentarius, pater nempe aſtipulator fuit, ſicuti hæc Tullius certa occaſione oborta ad eumdem Octavianum ſcribens improperat. Verum enim vero uterque duorum imperatorum iſtorum juſtitia claruit, humanitate, atque clementia. Et quamquam Anneus Florus dicat Octavianum tot habuiſſe victorias, ut triumphos poſſet contemnere. Non eſt tamen quod legerim Octavianum quantum Carolum, bellis civilibus exceptis, perſonaliter militaſſe, aut corporis proceritate pulchritudineque pariter, ac vitibus (brevis enim ſtaturæ Octavianus fuit, & valitudinarius) quoquo pacto debere Carolo comparati, qui ut propoſitum abſolvatur, omnibus ſui temporis naturæ dotibus, ac donis gratiæ impar fuit.

Videte ergo, viri ſapientes, ſi arma Franciæ, in qua, laudes Deo, non centum arant Urbes, ut de Creta inquit Virgilius, ſed mille urbibus inſignibus & eo plus ipſa Francia gloriatur, hoc modo abjici debeant & contemni, ut non per medium, & ex æquo prorſus cum armis miſcenda ſint imperii, ac ſimul a Germanis conveniat accuratius honorari, ad quos per manus prælibati Caroli, & ſuorum poſterorum tranſlatum fuit, & datum imperium. Quin immo longo prius tempore ipſe Carolus Francorum fuit rex, quam imperiali potiretur majeſtate, teſtibus ſcripturis pluribus autenticis. Quæ omnia ponderent veſtræ diſcretiones, honoratiſſimi viri: ita ut quod pictorum ſeu argentariorum omiſſum eſt ignorantia, aut factum temeritate, veſtra ſolerti prudentia repararetur. In nullo quippe detrahetur imperio, aut Germanis, quin potius eorum plurimum adjicietur honori, ſi filii filiæ imperatoris, imperatriciſque & ſimul regis Franciæ, qui enſe Francigeno, ut tactum eſt vobis, ſi obſervaveritis, acquiſivit impe-

rium, arma & inſignia paterna promiſcue per omnia, & ubique inſculpendo ac pingendo cum armis imperialibus partiantur ex æquo, admiſſa imperiali dignitate dextera parte.

EPISTOLA XLVI.
Ad amicum.

De ſuo ad Laurentium de Primo-fato reſponſo.

LIcurgi e legibus leges, credo, decem excerpit Juſtinus in epitomate Trogi, prout tuæ ſedulitati non ambigo notum eſſe, quas cum poni pro notabilibus in porticu domus nuperius ordinaſſem, hujus occaſione invexit in me LAURENTIUS *(a)* pro ut eſt exemplum intercluſum, ad quem non diſtuli reſponſum remittere, quod ſequitur. *Is profecto* &c. Vides igitur quam minime ſim quietus ſcribere nunc ad te, nunc ad hunc, nunc ad illum, illum & illum, rurſus ad illum maxime, ut inter hos turbinum fluctus communis rei hujus regni ubi fas verſum atque nefas portum mihi quempiam inveniam, & qui nihil ex ingenio quit, exercitio aliquid valeret præpoſitus, cui hactenus provocaſti ſalivam, & cotem ad eruditius ſcribendum præbuiſti, quam utiliter recognoſcis. Vale, & gratia Domini noſtri JESU-CHRISTI, ut apoſtolus impertit Philemoni cum Spiritu veſtro. Amen.

(a)

EPISTOLA XLVII.
Ad Laurentium de Primo-fato.

Defendit adverſus eum lectionem auctorum prophanorum.

IS profecto ab omnibus cenſendus eſt diſcipulus quamingratus, qui alta ex eruditione a præceptore gratis data, gratias non refert ut eſt captus. Ego autem vitium tale ne ſubeam, quod magnopere vitare contenderim, de profundis monitionibus necnon conſiliis ſalubribus tuis ingentes ago gratias. Quibus ſiquidem præceptis a ſæcularibus litteris ad divinas me revocas, non minus vehementi quam altiloquo ſermone, ut ſi Simon Petrus ipſe foret, aut Perſius, nihil addere viderentur. Præcipue ſteriles nugas & inania verba Ligurgi, ita vocas, tu mihi linquere perſuadeas, cum, ut ſubdis, JESU nihil ſit commune Ligurgo. In quo ſi, pace magiſtri, mutire audeat ſcholaris exiguus, non ſum

(a) Iſte Laurentius cognomento de Primo-fato fuit Poëta & Orator eximius, deceſſitque Pariſiis anno Domini M CCCC XVIII. in cimiterioque ſanctorum Innocentium ibidem fuit inhumatus.

tecum, ſed permaxime diſſentio, & hujus prætextu a te quæro, an leges Domini Dei noſtri, vetus ſeu fuerit, ſive nova, & civiliter & moraliter vivere præſupponant. Non te tam obtuſum & hebetem putaverim, quod id neges, quoniam oppoſitum apoſtolicæ derogaret veritati, eſſetque non aniliter ſolum, ſed, quod ait ille, degere more feræ : quo nulla res eſt prudenti tam diſſonans Chriſtiano. Sed quod Ligurgus civiliter & moraliter, ut dictum eſt, immo bene beateque vivere docuerit, Lacedemoniorum mores & ſtatuta hactenus demonſtrarunt, quorum auctoritate pro tempore nullam præpono nationem. Et tu eos, Laurenti, cum ſui legiſlatoris damnatione viliſſima, erroneos vocitas atque cæcos? Pone hanc, Laurenti, pone a tuis ſenſibus opinionem, & quæ tot tot inſignes genuit viros, regionem adeo flocci pendere noli, ac tua ſententia, quod juſtiſſime idem vetabat Ligurgus, damnare non auditos. Non enim eſt, crede mihi, quod abſque præſumtione & inſania falſa, præmiſſa eructaſſe potueris, ſi demſero tamen quæ de evangelicis & ſacroſanctis ſermonibus abunde ſuggeris. Quæ quidem ſubmiſſius tota mente ac tota veneratione complector, hæreamque uſque ad conſummationem ſæculi. Et cum Paulo : *Obſecramus vos pro Chriſto reconciliamini Deo per eum qui non noverat peccatum*. Interdum vacare moralibus, aut civilia, ut Ethicus ait, tabulis ſuprema notare. Quod ſi demum quid proſit philoſophia, cui plurimum Ligurgus innititur, vis audire : ecce Tullius protinus aſſeverat. » Philoſophia vero, inquit ipſe, omnium » mater artium, quid eſt aliud, niſi, ut Plato » ait, donum, ut ego, inventum deorum? » hæc nos primum ad illorum cultum, dein» de ad jus hominum, quod ſitum eſt in » generis humani ſocietate, tum ad mo» deſtiam magnitudinemque animi erudi» vit. Eademque ab animo tamquam ab » oculis caliginem diſpulit, ut omnia ſupe» ra, infera, prima, ultima, media videre» mus. Prorſus hæc divina mihi videtur » vis, quæ tot efficiat res & tantas. Et alibi » in eam verſus exclamat. O vitæ philoſo» phia dux ! O virtutis indagatrix expul» trixque vitiorum, quid non modo nos, » ſed omnino vita hominum ſine te eſſe » potuiſſet. Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos » homines in ſocietatem vitæ convocaſti, » tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde » conjugiis, tu litterarum & vocum com» munione vinxiſti. Tu inventrix legum, tu » magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. I ergo, & tu, tam canonicus legem Chriſti iis cærere prædicatis prædica ; quod etiam Sophiæ profeſſori minime ſanum eſſet. Vale & meo conſilio ſatiras age ſerius, aut tempeſtivius & ſæpius reſponſionibus replicare curato. Per quam ſatis mihi fuerit, Laurenti, horas ſuo tempore pſallere canonicas, & eccleſiaſticis inſiſtere obſequiis inſtitutis, obmiſſiones ſuppleat utinam indulgeatque Deus, qui ſi ſeverius mecum agat, ſcio confiteorque peſſime mihi eſſet. Tu vero quo ad voles orabis, aut apocalypſim contemplaberis, prophetas, vitaſque patrum, vel cantica, agros tuos & pecudes prorſus negligendo, & avenarum excuſſionem tuarum : immo ſi libuerit, eſum prætermittes, nihil impedit præpoſitus, atque potum.

EPISTOLA XLVIII.
Ad amicum.

De ſermone Jacobi de Noviano ad bene beateque vivendum.

NEgotium tuum tardius quam putaveram ignavia remitto tranſcribentis. Siccine inter propoſitum & rem magnus eſt mons, diſtantia longa, ut ſæpe numero quod ad horam autumas perficere, vix annus intercipit. Ex quo quidem tibi potiſſimum gratulor, quod illius occaſione videre fuit animus, quod in ſimili propoſito pridem amicus noſter communis ac magiſter JACOBUS de NOVIANO ediderat. Cujus ſuæ concionis mihi profunditatem attendenti, memoriæ non ſuccurrit rem quampiam ad bene beateque vivendum quæ magis inſtrueret, hactenus lectitaſſe, aut quæ præfationem pro Ariſtotelis Ethica prænotaret tam commodam. Quod ſi dicam in exceſſu meæ mentis quid ſentio, cuncta quæ meis huc uſque ſubjecta ſunt oculis, aut his auribus hauſi, ſub æquali tamen portione materiæ multo antecellit, & cum Chærea in Eunucho, quotidianarum tædet formarum. Quis autem, acute vir, inventionem ſi conſideret & ingenium pariter ſcrutetur artificis, admodum non laudabit? Quis verborum elegantiam, ſententiarum ubertatem, ſuavitatem ſermonis, copiam materiæ, doctrinæ excellentiam, & demum ordinem perappoſitum ſupreme non miretur? Grammaticam prætereo, juncturas, colores, metaphoras, tranſumtioneſque, ac eloquentiam, ceteraque hujuſce generis. Sed rurſus dicere non nequeo aliam commodorum particulam, quæ lectori apprime ſingula rimanti reſultabunt, ut profecto humanorum actuum moribus affectionibuſque altiſſime deſignatis, facile decernat, quid ſit virtus, quid vitium, quid bonum, quid malum ; quid rectum, quid devium ; & quid ſectandum ſit maxime, quidve fugiendum ; utque tandem ſpretis & abjectis anilitatibus inanis hujus vulgi, quemadmodum ſagittatores ſignum habentes, ut thema inſinuat, magis utique adipiſcemur quod oportet. Et ſi me tecum familiariter

& amice loqui feras, te ſui imitatorem tua in commendatione extitiſſe voluiſſem. Præſtat autem, ſi pace aliter ſentientium dixero, ſua induſtria, ſuo curſu ac Minerva ſubmiſſius quid ordiri vel formare, quam aliena ſententia grande loqui. Non ignorabat qui dicit: Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam viribus. Cui non diſſonat Petrarchæ illud verbum: Nihil deformius quam præclari principii fuſcus finis, & cum ſit in pictura turpe, in oratione turpius, in facto turpiſſimum. At enim dices: Quis te confidentiſſime noſtrarum actionum arbitrum ſtatuit aut judicem? amor, frater, protinus reſpondebo, quo virtus creſcat in laudato, & tu calcarium excitamento noſtrorum, quod tam ſedulo fervideque cœpiſti ad ſummum uſque perducas in quo dea Pallas Mercuriuſque ac Muſæ omnes te favore reſpiciant, ut aves, gratiſſimo.

EPISTOLA XLIX.
Ad quemdam cardinalem amicum.

Gratulatur ei de ſua promotione, hortatur ut pro eccleſiæ unione laboret.

QUamquam ad te, reverendiſſime pater, nulla de me aut pertenuis admodum notio perducta ſit, ingeniumque ac ſtudium moreſque tui meis latiſſimo differant intervallo, ut tu perſpicaciſſimus & acutiſſimus religionis formam ſerves; ego inſipidus & inſulſus curias lubricitatibus inundantes ſecter; tu litteratiſſimus & ſapientiſſimus gravibus ſemper & arduis vaces, ego quoque inſipiens & neſcius his in vulgaribus & miſſivis ſcriptionibus officii ratione teram tempus: ea tamen exiſtit vis virtutis, ut abſentes maximoſque cum infimis jungat, agat quoque, teſte Tullio, ut quos numquam vidimus, diligamus, benemeritorumque ſucceſſibus lætemur ut propriis. Hæc pro tanto ſum præfatus, honoratiſſime pater, quia meis cum primum auribus inſonuit, te ad gradum cardinalatus evectum extitiſſe, omine utinam felici! tanto ſum reſperſus gaudio, ut vix unquam aut uſquam cujuſpiam promotio animum adeo percuſſerit meum, aut me lætitia delibutum reddiderit quoquo modo. Id cur factum ſit, aut quid præſagiat, eſt apud me penitus incognitum, niſi quod animo bene eſſe tibi volo, &, ut ſpes mea eſt, tandem reſultabit majus bonum. Et quia inſuper citra dies aliquot ſummo ſcripſeram pontifici, advertendo fidenter de imminenti recidivo, ubi in altitudinem ſuam occaſione tuæ paternitatis potiſſimum videar invexiſſe, non monitu quippe tuo, ut infra cautum eſt, aut requeſta, ſed tantum de te ferebatur habuiſſe neglectum, ac tales ac tanti per te ſibi & eccleſiæ noſcuntur impenſi fuiſſe famulatus, ut non moveri non potuerim, nec in illo calamus ſiſtere quivit, quominus ex quo loquendum erat, veritatem reticerem. Quis enim, omnipotens Deus, tantum zelum, ardentiſſimum fervorem, ſinceritatem puram, diligentiam exactiſſimam, amorem intenſiſſimum, fidelitatem integram, nitidam dilectionem, conſtantiam mirabilem, non dico ſapientiam ineffabilem, quæ mortalibus non competit, ſed patientiæ tolerantiam ac laborem aſſiduum & accuratiſſimam ſedulitatem tacuiſſet? Immo tu alter Cocles, ſolus qui adverſus Porſennæ exercitum impetum ſuſtulit pro Romanis. Te te pro eo cunctis viriliter oppoſuiſti, jugiterque exhibuiſti athletam omnibus indefeſſum. Non vereor coram in os te laudare, a doctis inſtructus virtutem creſcere in laudato. Lætor igitur nunc & gaudeo gaudio magno valde, cauſam invectionis prætactæ tuo hujuſmodi aſſumtu ceſſaviſſe, & quod patrem ſupremum decet, nihil egiſſe videatur ſine myſterio magna pariter atque cauſa. Qua ex re perveriſſimum eſſe cerno illud Ethici verbum:

Rara fides ideo quia multi multa loquuntur.

Nec minus Virgilianum illud:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo,
Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.

De cujuſmodi ad eumdem ſummum præſulem ſcriptione tranſcriptum cum præſentibus dominationi tuæ mitto. Ut ſi dehinc ſanctitati ſuæ aut alias ſiniſtre interpretatum foret durius vel relatum, pro me fideli ſuo nec blando ſervitore, ſed honoris & commodi ſuæ beatitudinis amantiſſimo ſtes, & veritatem quam ſuæ ſanctitati obtegere non decuit, tuæ prudentiæ clypeo tuearis. De quo autem quis non curat, caſum ejus non timet aut ruinam, econtra ſolliciti ſumus, non te latet, continue de amato. Vale, pater reverendiſſime, ita ad totius eccleſiæ unionem, ut perconſtanti proſecutione tua pars ſciſſa reſarcita fuit: circa quod mea fidelitas minime unum tacebit adhuc verbum. Plenus rimarum ſum, effluo, inquit ille. Crede vero, mi pater, ſi non ſerventur pacta aut promiſſiones contentæ inſtrumento diſcretioni tuæ noto, calumnientur in aliquo, ut taceam experientia cetera adviſata, nihil actum eſt, omnino perdita eſt opera, quin potius erunt noviſſima pejora prioribus. Cura ergo, Pater bone, ne tot labores irriti ſint, perditi ſint, perierint. Quod reſtat, age, ora quem decet, obſecra, ſtimula, obteſtare, inſtiga, ſupplica, &, ſi

parum est, incute vim, coge patrem, quod A debiti & suæ salutis est operari, ut nos BENEDICTUS præveniat in benedictionibus, & parumper suspendat orando cum illud Psalmistæ obviam fit : *Non est occultatum cor meum a te & quod feci in inferioribus terræ, mirabilis facta est scientia tua, Domine, & non potero ad eam. Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades.* Attendendo quod sequitur : *Et illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Intelligis, pater consideratissime, tametsi nullus dicam, Terentius ait : vis me quæ re- B stant aperte loqui, pater doctissime & optime. Perquam turpis res erit ac dedecore erroreque plenissima, eum, qui ut inquit Hieronymus, & fidem & sedem tenet Petri, verba sua non tenere. Scriptum, &c.

EPISTOLA L.
Ad suum præceptorem.

De obitu magistri Jacobi de Arceis.

HEu dolor ! heu pietas ! & o fragiles, o C caducas & exiles res humanas ! Ecce, frater mi, cum signum imponerem superioribus, assertum est mihi, quod tibi non sine lacrymis innotescit, probum illum litteratum, moratumque, & totum ex virtute & sapientia factum virum magistrum Jacobum de Arceis hæc inferiora reliquisse, &, ut præsumitur, transiisse ad superna. Quæ ergo esse potest vivendi fiducia ? profecto cum illo cupio jam dissolvi, & vix est quo solari quirem, nisi nos fore magis scirem mortales, quam vitrum frangibile, ut hinc nos philosophice admodum Flaccus sic moneat. Et quam fors cumque diem dederit pro lucro tibi appone. Nunc est tamen, præceptor mi, quod a te in obitu illius eloquentissimi domini cardinalis Petramalæ promissum est, impleri requirimus & rogamus, ut contra hanc feram iniquam, immanem, inclementem, sed impiam mortem invehas, & tuæ eloquentiæ viribus eam laceres, improbes, damnes atque calces, quod si non proficiat, at saltim animum explesse juvabit. Vale.

EPISTOLA LI.
Ad præceptorem.

Ut quod incæpit pro obtinenda sibi præbenda Belvacensi perficiat.

UT tibi rescribam, magister mi dilectissime loco fratris, missivarum tuarum affabilis disertia & tua admonet urbanitas. Quis est enim quem clara & apposita scripta tua non delectent ? quis tam incivilis, qui gratis a te curialitates oblatas non agnoscat ? Is profecto meo judicio stipes, caudex, asinus, ut Terentius ait, immo lapis marmoreus diceretur. Grates ergo tibi ingentes habeo, vir eruditissime, a te pro me de jam actis ; rogans ut tu, quemadmodum circa factum præbendæ meæ Belvacensis utiliter cœpisti, perficias. Non est enim quod scirem emendare, quoniam & tu personas comparantes, & naturam rei, ac temporis exigentiam confers, ut prudentis est, in omnibus & compensas. Et ecce, quo tibi opus esse dixisti, ut verum est, procuratorium tibi mitto. Age igitur, frater mi circumspecte, quod commodi poteris pro Johanne, qui ad oportunitates tuas vice reciproca quidquid est libens offert. Non autem mihi curæ est, quod Benjamin illo, (non enim nomen pulcre sonat) sese de negotiis meis, sua curet, amodo intromittat. Ego vero quoad partitiones attinet circa mediam quadragesimam Belvaci spero esse, si tamen designatius diem qua necesse est interesse intimaveris scriptis tuis, quibus a cetero cupio visitari precorque, hortorque & obsecro. Id vero, crede mihi, magnæ adveniet consolationi, grandique pro munere computabo. Duret in longum & bene valeat vita tua. Scripta.

EPISTOLA LII.
Ad amicum.

De conversione Ambrosii de Miliis.

CUras tuas extimulari a me requiris otioso, quasi vero mediis curiarum in æstibus, & non in claustris solitudo, quies, D otiumque, quæ scribendi sunt nutrices, debeant inveniri, & non tibi facilius fuerit, ut aiunt, in transitu, quam mihi diurno cumque gravi cogitatu quodlibet dictitare. Sed minus verum est quod Virgilius ait : quisque suos patitur manes, nec fibris requies datur ulla renatis, ut si una alicubi desit cura, ecce alia subit continuo, immo plerique tamquam fibris renascentibus saxum ingens volventes, inefficacibus laboriosisque conatibus vitam terunt, ut non frustra quosdam philosophos ac poëtas scias E hunc mundum inferos vocavisse, & omnia quæ illic esse fabulosa, ut inquit, Macrobius, credidit suasio, in ipsis humanis corporibus assignarint. Sed hanc philosophiam damnabilem prosequi, aut ei deferre vetet Deus, nec me sinat in has plagas & errores induci. Ceterum apud nos recens obortа est materia, e qua subito lætaberis ; sed demum ridebis, ut opinor, nec id tamen pro nugis curialibus accipito, quin me veram putato texere historiam, ac veluti certum est, præsentem scriptionem te visere. No-

visti Ambrosium nostrum de Miliis, audivisti totiens quomodo de religione, de fide, de sacra scriptura, deque præceptis ecclesiasticis sentiebat universis, ut Epicurus quippe quam Catholicus censeretur. Is nunc profecto conversus est, non in arcum pravum, sed tanto devotionis fervore delibutus, & affatim respersus est, ut sanctus Ambrosius in eo dici possit redivivus. Quo indicio credendum sit, quæris a me. Primum sæpenumero confitetur sacerdoti, postque Domini Corpus recipit humillime, magnis præeuntibus contritionem afflictionibus, jejuniis & eleemosynis ingentibus, ut viginti aureos & ultra unica in septimana eum clericus suus asserat erogasse. Quid plura? pro majore parte temporis orat, sese e curia subtrahendo, vulgus fugit, solitudinem amat, psalterio suo aut electissimis suffragiis numquam carens. Sermones adit, frequentat ecclesias, diem præterire absque esu potuque quam missas non audire multo mallet, quin immo horam nequicquam abire existimat, qua non servitio crucifixi totus vacet: ita ut non eumdem credas esse. Quodcumque juramentum summopere vituperat atque damnat, ut pridie factum sit, quodam de domo mea assistente, cum idem devotus Ambrosius ad vicum novum B. Mariæ Parisiensis, pro libris devotionum emendis accessisset, quæsisseque a quodam librario, si horas Crucis & Servitium mortuorum, aut nescio quid hujusmodi haberet venalia. Per Deum, inquit ille, ut assolent, ita valde multa pulcraque. Amore Dei, mi frater in Christo, sic noster observare solet Paulus, jurare nolitote: sed dicite mihi quanti hæc uno verbo constabunt. Pro certo, inquit, de isto quatuor scuta solvetis. Solvam, Ambrosius devotus noster ait, quod jurastis, alias non facturus. Sic ille quod petiit tametsi medietatem non valeret, recepit a converso. Tu autem quam plurima celebritatis ac sanctimoniæ, quæ me latent, idemque sanctus noster Ambrosius agere queat, discutias in te ipso. Hæc sunt quæ mihi vix scribere laxat tempus, distracto circa expeditionem ambaxiatæ cujusdam ad regem Romanorum & partes Almanniæ, ad quam cum quibusdam de consilio regis sum commissus, nisi tamen aliqua immutent propositum. Vale.

EPISTOLA LIII.
Ad amicum.

De suo itinere Germanico.

PErnimium quamquam animus æger sit, rauca musa, gelidum ingenium, calamusque scribendi dissuetus, ex quo tamen meæ itionis Germanicæ continentiam exigis tantopere, plane scies. Si me fascis parte una quamdam per particulam meæ rescriptionis ad Muretum a me non minus aceurate id poscentem proprius levavero, formula cujus hæc est: Oppido &c. *ut infra*. Ad nostram profectionem redeamus. Discessimus ab hac urbe, quantum recordari datur, Octobris vigesima, vixque apud Compendium veneramus, cum ecce, ut sunt mortalium casus, vectorum meorum alter me ibidem dereliquit, adeo confectus atque lassus, ut quod comitivam moraretur ulterius non decrevi. Item alter, qui sarcinulas bajulabat apud Montem in Hannonia, pulcherrimum quidem oppidum & amœnissimum, consimili lassitudine perculsus remansit. Sicque de meis duæ belluis mihi ex illo amplius famulari renuerunt. Dehinceque Brabantiam, quæ hactenus, si non fallor, Hervetia dicta est, profecti sumus, ubi tot loca egregia, tot oppida, villasque perquam pulcras, incolis ac domibus structurisque insignibus fœcundas vidimus, quot non reor ubilibet, in tam arcto tamen spacio, sub nostro posse emisperio reperiri. In quarum ultima nostræ ambassiatæ miles quidam plurimis nobilitatis titulis decoratus, nomine Taupinus de Cantu merula peste epidimiaria subito correptus est, nec ægrotavit bina luce. Quod si dies mei stetissent tunc supremi, ex conversatione assidua & allocutione contrectationeque frequenti merueram contagia; sed qui non vult peccatoris mortem, sua me omnipotentia præservavit. Felices obeunt &c. Ethicus ait. Quo sepulturæ honorificentissime submisso, continuavimus gressus nostros, transactoque Juliacensi ducatu, gleba nempe frugifera maxime exuberanti, & primo Aquisgrani, quo CAROLI nostri illius Magni sarcophagus, & ut aiunt caput & ensis pariter in tam singulari pretio sunt habiti, ut non Arturum suum Britones tanti faciant, ipsum quamvis surrecturum expectent, priusquam ad extremum judicium perventum sit, moxque Agrippinam pervenimus, quæ vulgo Colonia vocitatur, civitas profecto amplissima, & ingentis honorificentiæ, studiisque, quod ille ait, asperrima belli, & denique omnium quæ illo meis subditæ sunt oculis magnificentiæ repræsentativa, tametsi Maguntiam nonnulli in opulentia illi, in nobilium enim ubertate & effabilitate morum Argentinam si non anteponunt, æquiparant. Qua quidem in Colonia undecim millium Virginum chorus ille tanto sub honore celebratur, ut eisdem solemnissima ecclesia & præcipue earum capitibus, cum innumeris nihilominus, ut ferunt, corporibus sacris aliis existat dedicata, ut propemodum Sancto in Innocente Parisiensi ossamenta totidem non cerneres. Quid vis dicam? adeo ibidem & alias plurimode religio

noſtra adaucta eſt, & creta, ac paſſim effanditur minus caute, ut reſcindi potius quam extendi meo judicio expediret. O glorioſiſſime Salvator noſter JESU, utinam ſecundum traditionem tuam ſcientificiſſimam, & in maxima parte ſui moraliſſimam, lex tua aſſervaretur, non equidem in pleraſque incideremus anilitates, ſed, quæ juſſio tua eſt, cum religione rite colendo, ſapientiam jungeremus. Equus qui preſſis retinetur habenis, non facile in præcipitium ruit, ſed ruit conlaxatis. Nec a credulitate remotum eſt, illum nequam ſeductorem Machometum ob has tot tot rerum ſuper res inculcationes, ſuis ſectatoribus a religione Chriſticola receſſum ſuaſiſſe. Enimvero ſi cum Marcionita, Arriano, Valentinianove, aut Novatiano conferremus, alius ſermo foret, ſed intenſius loquimur confirmato ac plene legis ſcio. Sunt inſuper egregia loca alia quam multa, quorum latinitas me aufugit, quæ ſeſe cum prædictis adeo in ſua libertate manutenent, vindicantque, & omni, qualicumque fulgeant dominio, ſubmitti contradicunt ditioni, quatenus leviſſimis quibuſdam juribus perſolutis, aut ut preſſius dicam, vix tenue recognitis, quemquam in eis gratiſſimum foret introire quoquo pacto non finerent, imperiali eſto, aut alio ſupereminеat pallio ſceptrove muniatur. Nec eſt quod quiſquam de vectigalibus ſermonem faciat, ſi non cum verbo paciſci protinus vitam velit. Prius enim cuique cum Comico molendum eſſet in piſtrino, aut eis tortor oculos erueret, quam ipſis invitis extorqueret ſolam pictam. Ob id tamen nolo credas illos cunctis commoditatibus perfrui, aut perinde divitiis abundare, vel quod ibi propterea degere optandum ſit, ſeu quod moraliter, politice, ac civiliter vivant, quodque curialitatibus mage vacent. Si enim parcius, vituperandum non eſſet quam poſſimus laudibus immorari, & ad alia non traherer, ex illorum barbarie ad tædium, uſque legeres hiſtoriam. Quis enim ut breviter pertranſeam non indignanter referat, non dico canonicos ſæculares tripudiis, haſtiludiiſque, & in eccleſia veſtibus diſſolutiſſimis paſſim uti, ſed etiam moniſtas choreis videre immiſceri, canoniſſaſque & moniales habitus deferre ſericos, quo plurima circum purpurea Meandro dupliciMelibœa cucurrit, circa colla torquibus, cathenis in ſcapulis & monilibus variis, hiſtrionum inſtar circumdatas & onuſtas, ut non meminerim umquam aut uſquam exceſſus etiam in viris inſolentiſſimis æquales perſpexiſſe, prætendentes, quod reatum magis damnat, poſteaquam cœnobiorum exierint limina, ab omni prorſus fore regula abſolutos, & ut finem faciam, cum pigeat recordari, multaque his paucis intelligas, vitia fiunt mores, A viresque indifferenter habentur pro juribus.

Noſti autem in Commentariis Belli Gallici, non ſine experientia a Cæſare dictum eſſe, apud Germanos nullam latrocinia habere infamiam, quæ extra fines cujuſque civitatis fiunt, atque ea juventutis exercendæ & deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant. Et cui non minus deferendum eſſe reris, Iſidorus eos tibi pro me ſententia ſequenti deſcribit luculenta. Germaniæ gentes dictæ, quod ſint immania corpora, immaneſque nationes ſæviſſimis duratæ frigoribus, qui moras ex ipſo cœli rigore traxerunt, feroces animis, & ſemper indomiti, raptu venatuque viventes. Horum plurimæ gentes variæ armis, diſcolores habitu, linguis diſſonæ, & originе vocabulorum incertæ, ut Tolorates, Aniſmari, Quadrungri, Marcomagni, Bruti, Camaſi, Blangianæ tubantes, quorum immanitas barbarie, etiam in ipſis vocabulis horrorem quemdam ſignificat. Quid? is qui promit & vectari juvat prædas & vivere rapto. I ergo ad Indos uſque, Afros, Scytaſve, aut ultima Thyle, mea ut ſemper eſt opinio, liberalitate refertam cælive potientem temperie, aut plenam gratiarum omnimode gentem ſupra Francos invenies minime, dicam plane quod ſentio, aut quæ eos etiam longiſſimo attingat intervallo. Tacui de fluviis & montibus, ſatis enim Johannes de Certaldo loquutus eſt, tuque de his crebris in locis perlegiſti. De victu quin etiam, cum de atro jure Almanico & falſis eorum inſalſatis quaqua verſum proverbium currat, audire non contendis. Vale & erroribus gentium compatere.

EPISTOLA LIV.

Ad quemdam cauſidicum.

Petit ut ea quæ adverſus Johannem de Magduno dixerat retractet.

QUo magis magiſque perſcrutor, vir acutiſſime, myſteriorum pondera, ponderumque myſteria operis illius profundi ac memoriæ percelebris, a magiſtro JOHANNE DE MAGDUNO editi, & ingenium accuratius revolvitur artificis, totus quippe in ammirationem commoveor & accendor, quo inſtinctu quove ſpiritu ſeu mente, tu præcipue qui inter civiles actiones omni die verſaris, quæ maxime ex electione ſana pendent, & ubi præcipitur tarde & cum gravitate de rebus ferre ſententiam, eumdem diſſertiſſimum & ſcientificiſſimum actorem leviter nimis, ſcurriliterve, aut inepte loquutum fuiſſe cenſuiſti. Et quaſi in prætorio cauſam ageres, nudius-tertius contra mortuum verba faciens, debacchando jurgabaris, in inven-

tionem nihilominus atque claritate, proprietateque & elegantia, magistrum GUILLELMUM DE LORRIS longius anteponens; de quo tunc certa motus consideratione exclamare prætermisi, & nunc linquam. Sed si amodo serio dixisse fatearis, dic quo pignore certes, veniam, ut ait Virgilius, quocumque vocaris; ut qui magistros & benefactores meos ad extremum usque singultum non desero, aut suo in honore, quoad potero, sinam lædi. Sin vero, ut potius reor, joco protuleris, aut forsan motus aliunde, non adeo feroces sumus, ut quæ sit in disputando libertas ignoremus, aut linguæ vertibilitati non noverimus indulgere: immo quia altercando scitur veritas, aurumque probatur in fornace, de industria ingenuissimi doctoris hujus concedo disputare. Ita tamen ut nihil in posterum cum obstinatione adversus imitatorem nostrum asseveres. Vale, & intimato super hoc quid intendis. Qui si pergis de præceptore nostro ulterius male loqui, non est quod dissimulare queamus. Hanc ex nunc pro diffidentia suscipito. Sunt etenim, ne in dubium revoces, pugiles & athletæ non pauci, qui scripto voceque & manu pariter, ut est posse, causam istam defensabunt.

EPISTOLA LV.
Ad quemdam episcopum.

Mittit ei quædam sua opuscula.

EX quo nugis datum est meis tanti esse, pater reverende, quod eas vestra dignatio visere dignatur & expetit, ecce cum mihi vestris obsecundare præceptis congruum sit, pergrandisque arrogantia renuere; hujusmodi nugas vobis mitto, tali pacto, pater mi confidentissime, ne cuiquam communicentur. Quoniam ab alio de stili ruditate & incomptu, ab alio de materia, quæ suæ ratione veritatis, nonnullis odium pareret, aut de levitate scurrilitateve, in eo quod vulgari sermone editum est, reprehendi possem vel notari. Potissime quia genus assolet humanum potius ambigua depravare, quam in partem capere meliorem. Sed nihil est quod vestræ fidelitatis prudentiæ non submitterem, alteri tamquam mihi. Valete, fidentissime pater, & ut stultitias verbales meas sæpenumero tulisti, ita has ineptias litterales benigniter suscipite.

EPISTOLA LVI.
Ad quemdam amicum.

Hortatur ut Johannis de Magduno librum; quem quamplures damnabant doctores, defendat.

SCis me, consideratissime magister atque frater, jugi hortatu tuo & impulsu nobile illud opus magistri JOHANNIS DE MAGDUNO, *Romantium de Rosa* vulgo dictum vidisse: qui quia de admirabili artificio, ingenio ac doctrina tecum sisto, & irrevocabiliter me fateor permansurum, a plurimis scholasticis non parvæ auctoritatis viris supra quam credibile tibi foret, male tractor & arguor amarissime, ut si ulterius defendere coner, plane me probare velint, ut dicunt, hæreticum. Nec prætendere prodest te totque viros alios valentes scientificos & perdoctos illum tanti fecisse, pene ut colerent, utque, quam eo, carere mallent camisia, & nihilominus nostris correctoribus anteponere suos æmulos, qui, si quid reprehensionis inesset, adeo magni erant, ut librum suum vivere nequaquam permisissent una hora. Nec eos juvat insuper obsecrare, quod jus omne poscit, ut prius videant notentque quamobrem, qua dependentia & occasione dicat res, quas vel personas introducat, quam damnetur tantus auctor. Sed confestim verba intercipiunt mea, interrumpuntque, ut labra movere vix audeam, quin mihi anathematis opprobrium comminentur, ac ferme judicent reum mortis. Quid vis dicam? tantis, quod me magis urit, magistrum nostrum prosequuntur maledictis, ut ignem potius quam lecturam meruisse attestentur, seque inexpiabili scelere contaminari existimant, si quidquam audierint. Cumque rursus jure humanitatis submissius expostulo, ut non prius damnent, quam universa cognoverint, ostendendo quod etiam sacrilegis, & proditoribus, veneficisque potestas defendendi sui datur, quodque nec prædamnari quemquam, incognita causa, licet; nihil agimus tamen, frater honoratissime, sed tempus terendo incassum aera verberamus, nec est quod speremus posse aliquid impetrare, tanta est hominum pertinacia. Hi sunt mores, ea dementia; timent enim ne a nobis revicti manus dare aliquando clamante ipsa veritate cogantur. Obstrepunt igitur, ut ait Lactantius, & intercidunt ne audiant, oculos suos opprimunt, ne lumen videant quod offerimus, morem Judæorum adversus Salvatorem nostrum observantes, penes quem inimici facti sunt judices. Sic doctor noster emeritissimus condemnatur, quod vetant leges omnes, innocentissimus non auditus, ab his

qui profecto coram vivente mutire non tentassent, eumdem tamen, & quod molestius ferendum est, male visum persecutatumque & notatum ignominiose despiciunt nostri correctores, execrantur & impugnant. O arrogantiam, temeritatem, audaciam, opus tantum, tot diebus ac noctibus, tanto cum sudore & attentione digesta elaboratum & editum, hi qui superficietenus nec eodem contextu, aut ex integro se legisse profitentur, subito instar eorum qui mensæ inter crapulas omnia ut libet & fert impetus accusant, reprehendunt atque damnant. Paulo magis ponderis in stateram ponentes tantum opus, quam lucis unius cantilenam histrionis. Quorum prætextu in alterum istorum patronorum scriptotenus invexi, sicut videbis per eam quam tibi fert epistolam is bajulus. Tuum ergo erit, dux, princeps, rectorque hujus præcepti laudatissimum & amantissimum imitatorem tuum defensare, & hos malesanos & deliros conculcare, ac ratiunculas meas indigestas disertiæ tuæ acumine validare, comere & linire, quatenus ego qui auxilii tui confidentia & ingenii ope fretus campum hunc duelli introii, alias non facturus... Scio enim quod ubi obdormientes sui sensus expergiscentur, & calamus jacens exeret se, non prævalebunt adversus nos isti veritatis inimici; sed eos cum voles non dubito efficies oves mites, & mutos reddes per omnia tamquam truncos. Vale, nec amicos sinas, quo ad potes, sic injuste, vafre, pernitiose & inique pessumdari.

A

B

C

EPISTOLA LVII.

Ad quemdam anonymum.

Ut retractet ea quæ de Johanne de Magduno dixerat.

D

ETsi facundissimus, si copiosus, si eloquens & abundans, sed, quod scribendi fons est, sapiens es, vir insignis; vides tamen veritate vincente ac pariter conscientia remordente, adversus satiricum illum perseverum magistrum Johannem de Magduno, nihil te ulterius mutire audere, aut disserere posse. Ipsius quippe veritatis tanta vis est, ut ei nullius rethoris industria sese æquet, illo assentiente, qui dicit: *Veritas manet in æternum.* Falsa non durant. Redi ergo ipsius doctoris & præceptoris carissimi in gratiam, nec quia facile prorupisti verearis. Illico enim cum voles, veniam impetrando noster eris, modo de resipiscentia tua ex fideli promissione nullus apud nos scrupulus remaneat. Non enim latet nos quousque disputandi progrediatur licentia, & quod disputationi serotinæ sæpe numero matutina contradicit. Scis insuper, vir experte, Origenem & una Lactantium erravisse, & pariter Augustinum, plerosque magni nominis atque famæ alios revocasse doctores. Non igitur pudeat nimis libere dicta & attentata obnoxius reparare. Forsitan vero quæ damnas perfunctorie vidisti, nec recenter: quæ duo maxime judicium perverterunt, ac te præcipitem dederunt in errorem, non fidei quidem vel iniquitatis, aut malitiæ; sed in quem nonnulli prædictorum ipsius de Magduno superficietenuis viso pede tecum ruunt. Neque præsentem monitionem nostram parvipendas, aut existimes caritate fraterna vacare, vel megratis prioribus nostris in litteris te de amantissimis defensoribusque philosophi prælibati animadvertisse. Sunt enim quorum calcaria auro fulgent, magnisque dignitatibus potiuntur, qui pro tuitione nostri propositi pulcram petunt cum Marone per vulnera mortem, nec acceptius quidquam Deo agere putarent, quam in eos irruere, qui nostrum coarguunt instructorem de syllaba solum parvula sive coma. Atqui te quid facturum censeam a me quæris? id quod propheta simul & rex non erubuit supplici ter confiteri, hortor dicas: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.* Quod si tractatum superinde conficeres, interim per amicitiam nostram precor, tædio tibi nequaquam adveniat tuo huic mandare quampiam præposito remissivam, quæ levatio præsertim sit nostræ expectationis & tuæ intentionis nuntia in aliquo, cum psalmista, *Lætabor ego super eloquia tua, quasi qui invenit spolia multa.* Vale.

E

EPISTOLA LVIII.

Ad Nicolaum Clemangis.

Adversus Ambrosium qui Ovidium Virgilio præferebat.

MIrabilem & ante tempus hoc inauditam rem audies, vir eloquentissime, modo effabilis mihi sit, idque pectus tuum candidissimum dignetur admittere. Sed video te jam solo stomachari olfactu, cum rerum omnium noverim te perspicacissimum, & benefactorum tuorum amatorem singulariissimum, pugilemque & ingenuissimum defensorem. Quod si umquam te talem præbuisti, nunc majori opus est nisu, & nervorum tentione totali. Quid amabo est, inquis tu, quod tibi ars mea efficere possit? vix profecto in me stat, frater carissime, quod possim explicare, & si velim, calamus dedignatur, atramentum renuit, horret animus, paralysi manus percussæ tremiscunt, & tandem omnia deficiunt rebellantque. Quippe ubi vergens in Maronis patris & alumni suorum omnium posterorum honoris depressionem aliquid est

est recitandum. Dicam tamen, nec a modo suspensum te tenebo. Est hic quidam degener in hac parte & futilis, Ambrosius nomine, familiaris tuus quondam & mihi. Nunc vero & quamdiu isto perstiterit in errore inimicus capitalis, ausu qui temerario palam ac vicibus repetitis, dictu mitum & terribile cogitatu, magistrum illum amoris Ovidium, quia forsitan illi vacat, præfato poëtarum parente Virgilio, proh nefas! ingenii excellentioris asseveravit extitisse, quin etiam, eloquentia dumtaxat excepta, illum venereorum patronum, huic omni vita probatissimo Maroni similem fuisse per omnia vel majorem, & ut suæ nihil deesset præsumtioni, subjunxit noxium esse volenti in prosa proficere, ejusdem summi vatis Virgilii scriptis insistere & studere. O tempora! o mores! ait ille, o confidentem, arrogantem, insolentem, aio ego, dicentem, quod nec Bavius testaretur! Sed quo rationis velamine subnitatur judex noster, si non tædeat, advertito. Si Tullius, inquit, ipse poëtis studuisset, illam ad soluti dignitatem sermonis pertigisset minime. Qui si ipsius Ciceronis libros in promtu, aut, ut verbo Cæsaris Augusti utar, in numero habuisset, neutiquam talia nisi demens emisisset: Cum, ut de aliis taceam, & ut nosti, solo in Tusculanorum prologo de Homero, Hesiodo, Archiloco, Livio, Ennio, Plauto, & Nævio pene tamquam de familiari suo, in libro quem de Amicitia edidit Terentio loquatur sub gloria & laude poëtarum. Quod si minus credis mihi, discretor ingeniorum & bonorum distortor, prospectum ito. Et si non forinsecus, sicuti interioribus oculis cæcus es, fueris poësis ad exaltationem, quod sine artis oblectamento Cicero non dixisset, ita scriptum invenies. Quo minus igitur erat honoris poëtis, eo minora studia fuerunt, & conformiter vide pro Sestio orationem. Si nescis, Ambrosi, hoc modo ad propositum a Cicerone de poëtis dictum est. Neque poëtæ, inquit ipse, quorum ingenia semper dilexi, tempore meo defuerunt. Et iterum connexionem Oratoris & Poëtæ in constitutione oratoris Tullius elegantissima hoc modo declarat voce. Est enim, exprimit ipse, Oratori finitimus Poëta, numeris astrictior paulo, sed multis ornandi generibus socius. At ne littera præsens prolixior fiat alieno, sciens prætereo quæ ipse in conservatoria seu hortatoria pro Lucio Archia, pluribusque passibus in aliis, in recommendationem poëtarum, quos ipse cum Ennio sanctos appellat, inducit, ubi luculenter refert, ad suscipiendam & ingrediendam rationem suorum studiorum poëtas principes extitisse, ac confirmatam fuisse vocem suam, propria dico verba, eorum ornatu & præceptis, ut nihilominus poëtis ipsis quam alterius generis scriptoribus cnixe Tullius studuisse videatur. O si divinam Æneidem ac emendatissimos, ut eos vocat Lactantius, Georgicorum libros vidisset, cum jam de Marone pro solius eglogæ ipsius generositate & ingeniositate dixisset magni mysterii, ponderis, atque sententiæ emistichium illud: magna spes altera Romæ. Qua ad cœlum voce, prædicatione, laudeque, sæpefatum illi tuo amantium incentori Virgilium antetulisset, & nostram quam cito dissolvisset quæstionem. Profecto sicut reor, nec vana fides, ut amans erat veritatis, si non librum, libellum saltim contra te tuique, si qui forent, similes edidisset, & confusissimos protinus reddidisset non dubito. Sed ad Maronem regem nostrum redeundo, quis unquam latinorum, quacumque micuerit reputatione, grammatica, ornatu, juncturis, & contextura vocum artificiosissima, dignitate, elegantia, claritate & prope naturam, sententiisque gravibus & prægnantibus, ac omnibus figuris, tam constructionis quam loquutionis & metaphoris, variatione, digressione, comparationibus, coloribusque magis proprie, aut clarius, & generaliter singulis quæ ad scribendum, loquendumve quocumque in genere præcipua sunt usus fuit? De orationibus suis quid dicam, in quibus omne oratoris officium explicuit, & ad extremum exsequutus est unguem, quatuor eloquentiæ genera, ut ait Macrobius, immo decem rethorum, qui apud Athenas floruerunt, stilos amplectendo? Item post pauca: videturne nobis probatum sine divini & humani juris scientia non posse profunditatem Maronis intelligi? At vero quid per profunditatem, nisi ingenium intelligendum sit, non video, ut si ipse revivisceret Tullius, parem sibi inveniisse diceret, judice te, immo juxta Plinium, ut musas in eo loqui credas. Et tu, Ambrosi, Nasonem tuum tametsi velocis, acuti, ac rapidi fuerit ingenii, Virgilio comparabis? quod si dicendum sit aliquos ipsum doctrina excelluisse, ingenio tamen aliquem præisse quoad vixero negabo. Longior fui, frater peramantissime, quam fuerit propositi. Sed nequivi non agitari, nec bilem cum Virgilii nostri contra decus loquutum foret, continere, per illum potissime, quem ipsius e fonte uberrimo, quidquid utriusque habeat hausisse non ambigam. Quas ob res, dulcissime frater, per quantum veritatem sequeris, meque amas, eidemque astringeris Virgilio, decus suum, quidquid grunniant sues, æterno mansurum, armis quibus te strenue munivit is qui tot bella, bone Deus, & horrida bella, nunc hos, nunc illos victores seu victos, prout libitum fuit, faciendo, & quo non fuit præstantior alter, ære ciere viros & Martem accendere cantu, serves, protegas, & defenses, & istum procacem ingratitudinis pædagogum invadas protinus,

ac prosternas, quatenus suum fateri cogatur scelus, & nitem per omnia reddas, ut ait Comicus, sicut ovem. Enimvero consideranti mihi, vir clarissime admodum, & pensanti qua occasione is latrator præmissa dicere posset, aut tam pertinaciter moveretur, aliud non occurrit, nisi illud sibi Camillæ ad alium compatriotam suum improperatum putet, ac moleste ferat.

Vane Ligur frustraque armis elate superbis,
Nequaquam patrias tentasti lubricus artes.

Et ut finem faciam, tametsi extra sacram theologiam errorum revocatio locum non habeat, numquam tamen indulgebo, ut in amicitiæ particulam recipiatur nostræ, quo usque quantum postulat res & casus exigit, celsitudo revocaverit solemniter adeo impudenter attentata. Demum si aliquo apud me quod sit egeas, scribito, faciam autem ne frustra scripsisse arbitreris.

EPISTOLA LIX.
Ad Nicolaum Clemangis.

Adversus Ambrosium qui Ciceronem de contradictione reprehendebat.

POrtentuosum prodigium monstroque simillimum, & quod, ut veraciter ille ait, nullo umquam excidit ore, iterum tibi, vir egregie, scripturus sum, sed profecto vix sum apud me, quod isto valeat calamo explicari. Ecce enim ne te perlonga exorsa teneam, ecce rursus dominus ille Ambrosius, & ne vanum putes aut ludicrum, per hanc id tibi affero dextram, per hosce oculos, perque caput hoc juro, & per si quid umquam mihi boni det Deus vel honoris, sed, quod miraberis, regio notario ac testibus per eum non parvis, ut interessent, evocatis, ausus est dominus ille Ligur ore sacrilego, ne dicam, pace sua, denuo affirmare Tullium, tantum rethorem, philosophum talem, oratorem qualem nobis, ut auguror, non restaurabit partus ullus, civemque, immo consulem, & secundum nonnumquam imperatorem Romanum, posse & debere, verba sua sunt hæc, de contradictione reprehendi. Et cum aliquandiu indignanter admodum subticuissem; vix tandem erupi petendo, id unde hauriebat, quave habere poterat conjectura? Qui, ut est permagnæ auctoritatis, respondit, quod sciebat & bene sciebat. Et cum assistentes una mecum post aliqua adjecissent, minime dicta sua sufficere in tanta re, potissime ubi reipublicæ tantus vir, & veritatis amator, suæ sicuti passim indicant scriptiones, suo in honore adeo læderetur; surrexit qui pro tribunali sedebat, Petrarchamque sumit, & ex illa quam ad præfatum, ut nobis ambobus melius scis, Tullium scribit epistola, & illa Salustii invectiva suum nisus est, nescio qualiter, nec ipse profecto scivit, solidare attentatum: clamare tamen latrando, & latrare clamando, ut obstinatus erat, non obmisit, incessanter dicendo, quod sic erat, id pariter magno enitens juramento vallare. Ceterum autem cum eidem verbo occurrerem mitiori, prædictos Salustium & Petrarcham voluntate magis forsan quam ratione Ciceronem velle de levitate non contradictione notare: propensius acriusque magis in assertione perstitit sic essendi. Nec profuit me dixisse contradictionem circa idem similiter & eodem tempore, ut philosophi volunt, debere intelligi: quin insuper de illa Mantuani & sui Thomitani ingeniorum comparatione, quia aliis scriptis patuit tibi meis, agitaret & suo vellet in errore persistere, sese de te fortissimum faciendo, quod meam deserendo partem suæ opinioni, cum te alias, sicut dicit, in ista materia audierit, irrefragabiliter adhærebit. Tandem vero cum huic sic devio diceretur, præter nostrum de Noviano, & quam plures multi scios, duos illos sacris in litteris antistites & eloquentiæ sydera, ecclesiæ Parisiensis videlicet plusquam meritum cancellarium, & alium cui Brevis-coxæ est nomen, altissimi judicii licet sit, jamjam perhibuisse testimonium, excandescendo elatius intonuit, & manibus offensæ admodum mulieris lateri impositis, exclamando, replicando, quod istis aliquatenus cum eis patre meo, immo latialis eloquii parente, adjuncto Colucio non crederet, & ut pro contento utamur continente, suaque dementia non lateret hoc in proposito, sicut ait, non deferret toti mundo. Unde igitur, Nicolae mi, vide dulcissime frater magister, quid facient domini, audent cum talia fures. Fures siquidem voco optimorum detrahentes honori philosophorum manifestos. Verendumque est admodum, ne, ut prophetizavit ille, cum canibus timidi veniant ad pocula damæ, & ut in vulgari est proverbio, Anseres anseruli de cetero ad pascua ducant. Hi sunt mores, peroptime frater, hæc sunt sæcula, Colende Nicolae mi, quæ tuum post discessum nobis & permultis rebus in aliis pejora pessimis exorta sunt. Et ut nonnihil de tuo Terentio dicatur, pejori esse res quam sunt, non possunt loco. Et quod vere Livius ait: Vitia nostra nec remedia pati possunt. Demum, frater quamperc[illegible], ut eo unde egressa est referat se oratio, supplicissimus oro, quantum si me audires genuflexo hæc precantem, si ille quondam es, qui omnium amico amicissimus fuisti, ab hoc opprobrio vilissimo Tullium quem semper tanto reverentiæ cultu prosequeris, & quanti facias non ignorans, defendito. Et hujus Liguris Sulmonensis

doctrina sui captum, quia exacuit ut gladium linguam suam, intendit arcum rem amaram, ut sagittet in occultis immaculatum, invectione sic calces, quod sentiat quam stolidum sit in eum dicere, qui omnium dicentium pater, princeps, dominus fuit & rex. Vale.

EPISTOLA LX.
Ad amicum

Dolet ereptum sibi Nicolaum Clemangis in curia degentem, incandescitque in Petrarcham dicentem extra Italiam Oratores aut poëtas non esse quærendos.

Nihil profecto, vir egregie, scriptis quibusdam tuis Ambrosio de Miliis Mediolanensi directivis, meo die hesterno fortuitu prospectui exhibitis, video appositius quid dicendum, quam illud Plinii secundi ad Nonnium maximum, pulcrum, validum, acre, sublime, varium, & elegans: quæ meæ adeo sensualitati inhæserunt, ac proprietatis claritas, necnon dulcissimum ipsius scriptionis placuit eloquium, ut illa vix luce meo aliud quidquam gustui sapuerit, neque ipsum durius accusavi: immo cum Marone quem non incusavi amens? qui Romana in curia non parvam dierum portionem consumsi, ac dominum tuum immo meum patremque & patronum ac alumnum, quem inter maximo cardine ibidem præsidentes secundum non faciam & nusquam tui tamen sic vel aliter habui notiorem. O sortem! o casus mortalium miseros, quibus ferme omnibus successus obtingunt suis optatibus adversantes! In me siquidem cunctidie experior, frater carissime, non equidem in temporalibus, quibus supra meritum abundamus; sed, quo nihil molestius evenire mihi poterat aut gravius, in amicorum subtractu. Et ut de infortuniis circa istud pergrande unum noscas, contigerat mihi sua bonitate & gratia, & nescio quadam studiorum similitudine, fructuum tamen quantitate dispar, ille NICOLAUS nomine dictus de CLEMANGIS magisterio artium liberalium, ac sacræ theologiæ bacchalariatus gradu, non abs re insignitus, utique morum honestate corruscus, benignissimus & affabilis ac modestus, &, ut Boetius ait, vir totus ex sapientia & virtute factus, & cum Terentio ut nihil supra. Sed nescio malo omine quodam meo, cum eo dum proficere cœperam, est mihi arreptus & in curia vobiscum degit. Qua in re, confidentissime frater, ut verum fatear, vel curiam huc ad eum venisse, aut illuc non iisse, seu si per eam eo privati caremus, trans Rhenum, & si, ut vult Aristoteles, multorum judicium fallit, ad Indos, salvis salvandis, fuisse profectum malluissem. Quod si pergam mansueti NICOLAI mei laudes, & de ipsius singulari eximiaque virtute dicere, hujus quippe orationis difficilius est exitum quam principium invenire. Dicam tamen adhuc, cum nolit de Nicolao suo calamus subticere, etsi præsentem verear laudare. Is, inquam, Nicolaus est, qui cum tam multis laudum generibus non modo bonus, non seditiosus, sed etiam seditiosis & malis adversarius semper fuit. Et ne in re nota consumam tempus, ad inceptum & te revertor, ingeniose vir, hujusmodi epistolam tuam vidi, legi, perlegique, quæ sic me oblectavit, sic me detinuit, quod tametsi, dum mihi sese obtulit, ratione officii instantius evocarer, veruntamen in qua plurimæ sunt latebræ regia, uno me angulo delitui, nec is cui dirigebatur, ut est cum eo familiaritas, quamvis instaret, meis e manibus eripere potis est, quousque ad saturitatem scilicet visa omnino perlectaque est. Cujus occasione contra Petrarcham spiritum exclamandi nequivi continere, insolenter, pace sua, dicentem, extra Italiam Oratores non esse quærendos & Poëtas, cum Niciæ & locorum in millibus alibi quid latitaret, ut veri non absimile est, ignorabat. Sed hanc in posterum querelam relinquens, rogo te, obsecro, & obtestor, frater peramantissime, ut docendo doctior fias, hoc exile exerceas ingenium, mihi & sæpe, si occupationes tuæ sinant, scribito, meque a cetero in amicorum tuorum consortii quo dignum duxeris loco signes & colloces. Ego autem ex nunc te ulnis sinceræ affectionis admitto, suscipio, amplector, & adstringo, etsi esse una minus poterimus quam velimus, animorum tamen conjunctione iisdemque studiis ita ferveamus, ut numquam non una esse, ut ait Cicero, videamur. Vale.

EPISTOLA LXI.
Ad quemdam episcopum

Dolet ecclesiæ atque diœcesis ipsius statum.

NOn obstabit ulterius, pater reverendissime, non obstabit profecto, quod magnum modicus, filius patrem, sapientem stultissimus alloquitur, quo minus meam fidelitatem exonerem, & certe quod mihi omnium proximo dicerem, quodque amicorum vestrorum in mentes doctiorum venit, dicam. Ecce, pater oculatissime, ne longius sumatur exemplum, ante oculos & suprema vos habetis, quantum per suæ nimis inniti prudentiæ, qualeque periculum ecclesiæ Dei immineat. Sed quid de periculo loquor? quin potius, unde admodum dolendum est, totius ecclesiasticæ dignitatis opprobrium, desolatio dissipatioque ac pariter

vallatio in promtu sit. O tempora! o mores! cunctidie ab accessoribus audio hic expeti, nec sine cachinno id credatis: Dic tu, equitator, quomodo se habet guerra papæ adversus cardinales & e contra? Uno treugas, altero hinc inde insultum vehementem referente, pleraque alia quæ scriptioni committere pudet. Veniam ergo, quo aspirat intentio, & sine præfatione, aut colorato verborum fastu, sed veluti reverendissimæ vestræ paternitatis circumspectione coram essem loquar, modo clerico suo ac filio vestra dominatio indulserit. Miramur, reverendissime pater, & admodum miramur nos servitores & amici vestri omnes, quo in statu, qua in quiete vestræ reverendissimæ paternitatis animus esse potest, cum cernitis in beneficio vestro sine personæ propriæ timore sistere non audere, quantum autem alibi nobis profundius cognoscitis, quid aïtis, quid, inquam, agitis, pater mi, audientes istum modo, modo illum de subditis vestris non de nihilo torqueri. Sed ut orsum crebro refertur, quod spoliatur iste bonis suis omnibus, is prisionarius ducitur & tenetur, alius demum trucidatur & necatur. Immo alia quamplurima dictu horribilia prætereundo, tota patria vestra incendio subest atque ferro. O rem duram! o scandalum ineffabile! o tristem præsidentiam! Enimvero, pater circumspectissime, unus e grege nostro, cui inter mortales amoris vicissitudine deferre tenemini, nec cum parvis actoribus nominandus, arbitrans vos prius eligere debere statum penitus relinquere, & capitulum vestrum pariter hortari, ut utilem de novo eligant pastorem, quam talia, vidente reverendissima paternitate vestra, pati. Alio dicente, quin eventum rei expectare multo sit melius. Sed illorum cum supportatione, illo me mea non fert opinio. Medio, ait ille, tutissimus ibis. Sed quo medio post inter nos propalata? sequens modus ab exili meo sensu tutior judicatur & magis conveniens, & qui vos Deum apud & homines magis excusabit: ut videlicet domino Attrebatensi antistiti suppliciter & affectuose scriberetis, principaliter tenendo modum per nos expressum portitori, quod erga illum dominum qui pius est, partes interponere suas dignaretur efficaces, hoc pacto quod sese reddere fortem quiret, vos de vobis, ac ecclesia vestra paratum esse ejusdem domini ordinationi & ipsius domini Attrebatensis per omnia velle ac dispositioni submitti. Credo autem & firmiter credo, ut humanissimus est dominus ille, sanguinisque ingenuissimi atque clarissimi, & magnificentia plenus, modo de impositis vos reperiat innocentem, quod in statu vestro dulciter & impune vos relinquet, aut si forsan, quod absimile veri est, quod non maneretis, firmaverit, de consimili & quem secundum mores studiumque vestrum præeligere deberetis, etiam ecclesia unita vobis notabilissime providebit. Alioquin, sapientissime pater, expectandum vobis est, quo principis prorumpat indignatio. De qua qui non mentitur in psalmo scriptum esse scitis: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Quas ob res per viscera misericordiæ JESU CHRISTI, per quantum omnium vestrum salutem cupitis, nobisque fidelibus vestris credere vultis, per quietem animi & corporis vestri vos precamur, oramus & obtestamur, ut hæc vestra discretio facere non recuset. Audite, pater mi, audite expertissimum & popularem vos Terentium advertentem: Non licet sæpe hominem esse ut vult, necnon Valerium ad propositum nihilominus dicentem: Cedit interdum generosus spiritus utilitati, & fortunæ viribus succumbit &c. Valete & credite.

EPISTOLA LXII.
Ad Nicolaum Clemangis.

De illius libro de Laude eremi.

QUis tecum, vir eruditissime, dissentiat? immo quis non conveniat, ubi tu eremi sive ruris vitam animi tanta delectatione commendas? qui tot concomitatus es autoritis, similem ferme promentibus sententiam, quorum quidem resistere dictis, propemodum jam ferretur erroneum a plerisque. Quis enim, frater mi, Severino clarissimo, quis Flacco Horatio, quis demum principi omnium Virgilio, ut ceteros linquam, ni sensus inops hac in re contradicere fidat? Non ego, frater carissime, qui eos tantopere colo, veneror, &, si fas promere est, adoro: quin potius, ut dicam quod sentio, vitam eamdem auream, optimam, justissimamque puto, maxime si verum est Maroneum illud: Extrema per illos justitia excedens terris vestigia fecit. Et denique, tu ut innuere indicas, incolatu cœlesti judico simillimam. Non ob id tamen, sapientissime vir, quod ab omnibus subeunda sit censeo vel arbitror. Quis, requiro, ederet sacra? quis regeret imperia? quis, inquam, politias conservaret? quis mechanicas ederet aut mercimonia? quis insontes defenderet accusatos? quis ægrotis mederetur? quis demum scientiam edoceret atque mores? profecto, ut uno absolvam verbo, essent pene res cunctæ more chaos in confuso. Natura parens optima, vir perdocte, dum suas mortalibus daret artes, distinxit etiam ingenia, ut unusquisque, quemadmodum monuit Petrarcha, cui aptissimus erit illi insistat, Graio prius dicente, consilio: quam quisquis no-

vit artem, in illa ſe exerceat. Addo ut qui plures novit, eam præferat cujus exercitio reipublicæ ſubſervire magis poſſit. Paucis iſtis impræſentiarum contentare. Quoniam ſi ſpatium ad dicendum noſtro commodo vacuoſque dies habuiſſemus, meus erat diutius inſiſtere circa illud. Sed tuus hic acceſſor vetuit, orans ſupplex ne per me expeditus aliunde, ut dicebat, moraretur, cui morigerans, in tempus hanc diſtuli materiam, forſitan & non longam. In fotenſibus tuis, vir amiciſsime, ſcito me manibus pedibuſque facturum, cum Gunthero noſtro, qui ut Laches in Hecyra, ſuis omnibus apprime eſt obſequens, haud minus fervide & cordialiter quam pro fratre. Opto jugiter, ut tibi ſit, quod Satiricus ait: Sana mens in corpore ſano. Datum &c.

EPISTOLA LXIII.
Ad quemdam epiſcopum.

Cupit videre quoddam ejus opuſculum.

ETſi importunus tibi fiam, pater reverende, admodum & infeſtus, non tamen mea deſinet temeritas benignitatis tuæ fores pulſare, donec quod omni deſiderio deſideravi, & magnopere conor, actum illum tuum clariloquum, quem heſterno die mihi legere cœperas, videro, ac eo ad ſatietatem uſque functus ero. Propera ergo, pater mi, hoc te liberare tædio, ut ejus non poſtponas obtemperare ſupplicatibus, qui nullum profecto tuæ juſſionis imperium recuſaret. Vale & parce. Scis autem ab illo ſcriptum eſſe, qui latinæ eloquentiæ, ut teſtatur Auguſtus magnus, fuit auctor

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cytiſum ſequitur laſciva puella,

ut veriſsima ſit ſubſequens ſententia: Trahit ſua quemque voluptas.

EPISTOLA LXIV.
Ad amicum.

Deflet ſe curiæ caſtrali irretitum, oratque quoſdam ſibi libros mittat.

SI non obſtitiſſet, vir venerabilis amiceque peroptime, ingens agendorum involucrum, & mei occaſione officii ad diverſas regiones curſus frequenſque recurſus, ut qui totius regni Angliæ pene longitudinem, Scotiæ, Italiæque magnam partem citra unius anni vel circa defluxum regis de mandato peragravi. Si non potius, ut verum fatear, aulæ caſtrales ad jura ſua ſorbendum me nimium provocarent, & ſuis hamis tenerent irretitum, immo vero ſi quæ recta ſunt ſaperem, quæ quieta, quæ delectabilia, quæ denique felicia; ſpretis his mundialibus illecebris ac impetu curiarum, ad vitam tuam ſectandam & aliorum eruditorum ac ſtudioſorum virorum, quibus inclytiſsimum hoc regnum per Dei gratiam opulentiſsimum eſt, me ut pridem diſpoſueram convertiſſem, maxime cum rerum mihi, laus Deo, abunde ſit, & ſpecialiter proviſæ frugis in annum, ut Horatius ineſſe voluit ſtudentibus, ne, ut inquit, fluites ſpe pendulus horæ. Deeſt tamen mihi, quod ſubjungit, bona librorum copia. Quamobrem, vir ſpectabilis & elegans, per amicitiam tuam, per ſi quid priſcæ ad me benevolentiæ aliquid reſtat, per quantum cupis meis optatibus convenire, oro te & obſecro, & ſi juvat flexis humo genibus deprecor, quatenus de libris tuis eloquentiæ ac poëſis, quibus te a puero novi multipliciter abundare, mihi mutuo vel ſub venditionis pretio communicare non recuſes. Et ſi impræſentiarum non venires Pariſius, quod te audio, unde ſpiritus hilareſcunt, e veſtigio facturum; per hunc acceſſorem, nepotem tuum, amicum meum tui reſpectu ſingularem, qui pro me tibi, ut confido, vadimonio ſe obſtringet, aliqua de præfatæ laudabiliſsimæ artis oratoriæ volumina huic ſitibundo communices atque mittas, maxime cupienti orationes Tullii, vel ipſius, aut Lactantii, & Cypriani epiſtolas, ac opera Virgilii, Criſpumque Saluſtium, aut etiam Terentium, vel talium antiquorum, quorum perfrui ſcriptionibus me admodum delectat; ſeu etiam, ſi habeas, de ſcripturis Franciſci Petrarchæ. Quid eſt, vir eruditſsime, prout noſti, quo ad mores atque ſcientiam, & quod ante id ad ſalutem magis ædificet, quodque mage nos faciat ceteris animantibus præcellere immo unum alio præſtare, quam talium vel conſimilium documenta? Enimvero nihil poteſt meis aſpectibus reficientius exhiberi, nec oblectationibus aliud cytharizari tantum melos. Et ſi quæ ſunt, amice cariſsime, meæ poſsibilitati ſubmiſſa, tuæque grata in omnibus voluntati, ſcribe, dic, imperaque, & ecce paratiſsima cor & poſſe, tuque parce, ſi tecum voce ſingulari ſum locutus, quia hæc de his quæ ad eloquentiam attinent, ſolum retinui, quod numeri requirit allocutionem ſingularis. Vale meque diligas, & tibi, ut Ciceroniano utar verbo, perſuadeas te a me fraterne amari? nec patiaris, vir liberaliſsime, requeſtam hanc meam ex intimis prodeuntem, vacuam in ventos præterire vel irritam, etiamſi alicunde hujuſmodi ſcripturas oporteat mutuari.

EPISTOLA LXV.
Ad quemdam epiſcopum.

Optat mutuo ſibi per eum dari codicem Ciceronis, qui penes Albanenſem antiſtitem erat.

VEſtræ ex quo humanitatis tanta fuit benignitas, reverende pater & domine, quod hodie cum primum labia movi de illo Ciceronis volumine, quod penes dominum Albanenſem eſſe fertur, veſtræ que dominationi meæ patuit affectus parvitatis, continua ſua curialitate ſeſe obtulit omni ingenio, omni ope, & induſtria, & alias ſua potentia agere quoquo pacto huc deferri. O felicem diem, ſi umquam illuxerit nobis, in qua prædicto potiemur volumine, prece, vel pretio, accommodative cauſa vel pignore. Agant alii ut libet, & ſe quibus voluerint oblectent. Mecum autem præclare agi putabo, ſi fontem illum pholoſophiæ & comptorem, ut teſtatur Valerius, ac ſupremum oratorem juxta Lactantium, umquam conſpicere dabitur & amplecti. Malo me quovis deputem, ut ait Terentius, ſi non gratiam hanc perquam pingui beneficio anteponam. Volumen vero prædictum in quo libri morales Tullii, pluresque orationes ſuæ continentur, habuit idem dominus Albanenſis ab executione celebris memoriæ domini cardinalis de Petra-mala, & fuit proprium domini cardinalis Ebredunenſis, ſcriptum, quod aiunt, littera nec antiqua nec nova, & ſatis correctum, reſpectu tamen incorrectionis aliorum. Valete, pater optime, & quod magnificentiæ veſtræ parvi erit diſpendii, per ſolam communicationem dicti libri grandi nos munere, immo urbem hanc ditemini.

EPISTOLA LXVI.
Ad amicum.

Quoſdam libros ex Italia acceptos offert ei tranſcribendos.

EXiſtimo, vir inſignis & domine percariſſime, jam jam veſtræ notioni eſſe perductum ſcribarum ac ſcriptorum veſtrorum alterum ab exemplaribus meis Titum Livium pro vobis tranſcripſiſſe. O utinam hactenus omnes qui poterant, & eorum fuerat officium, eumdem Livium ceteroſque hiſtoriographos auctores, quemadmodum veſtra nobilitas eos colit, amaviſſent. Non enim ipſius Livii tanta portione, nec ceterorum doctorum venerabiliſſimorum ſcriptorum maxima congerie careremus, ſed litteratorum ingenia potentum maxime adeo refrixerunt, & ſic incumbunt activis & terrenis, ut contemplativa, quæ Virgilius *otium nobile* vocat, penitus contemnant ac reſpuant. Quod cum id jam a multis deploratum ſit, circa modernorum de dictis libris negligentiam, modo inſiſtere non eſt animus. Verum, ſplendidiſſime domine, quoniam ab Italia Cato Cenſorinus, & Varro de agricultura, necnon & de agricultura Viturmus, & ſimul Senex Plautus mihi miſſi ſunt & allati, quos, ut verum fatear, neſcio apud alium quemquam citra montes exiſtere, ne apud collegium quidem, & vos ſciam talium amantiſſimum, illos vobis offero, ut tranſcribi faciatis: ita tamen quod mandetis tamquam oculi pupillam conſervari. Habeant ſua regna reges, ſuas divitias divites, ut idem inquit Plautus, talia ego quoad vivam præcipue venerabor. Ceterum, honoratiſſime domine, de benivolentia & curialitate veſtræ bonitatis confidens, ad eam confugio & recurro, pro facto ducentorum francorum, quos mihi ſereniſſimus princeps dominus meus Bituriæ dux renovavit ſeu donavit, prout litteris ſuperinde confectis veſtræ dominationi liquidius apparebit, dicetque ſi placeat iſtarum exhibitor. Eidem igitur veſtræ ſupplico dominationi, quatenus mihi dicta ſumma ſolvi faciatis. Quod ſi vobis, egregie & inſignis domine, pluribus occaſionibus ſim aſtrictus, magis ac magis parvitatem meam eadem veſtra dominatio ſuis dehinc juſsionibus obligabit, quam videre percupio, ut librorum hujuſmodi, qui de antiquioribus ſunt, ſententias altiloquas revolventes, illarum lectione dulciſsima gaudeamus. Quippe hæc eadem ut ſciret, quid non faciebat Amintas? idemmet ait Maro. Eamdem dominationem jugiter cuſtodiat, cui eſt de cunctis poteſtas ſumma Deus.

EPISTOLA LXVII.
Ad amicum.

An rhetorica naturalis præſtet artificiali.

INſuper bene ſi mente teneo, aut labilis mea non mala recolat memoria, amice dilectiſsime tamquam frater, prima familiarium Colucii epiſtola Græcorum Latinorumque auctoritate cautum eſt oratorum, nullam rethorices artem eſſe: Tullio tamen dicente abſque arte exercitioque & imitatione nullum oratorem perfici vel rhetorem, ut & inde proprium Ariſtoteles tractatum ediderit, quem vocari voluit rhetoricam. Cur hæc præmiſerim intellige. Eſt inſignis in venerabili Pariſienſi ſtudio ſcholaſticus quidam, opinione firma tenens, de duobus æqualis induſtriæ ac perſimilis ingenii viris, quorum unus egregie cujuſpiam ſcientiæ artem habet, & is nihil de

auctoribus illam maxime practicantibus, ut A sunt Tullius ipse, Virgilius, necnon Terentius, ceterique tales, alter vero auctores hujusmodi exquisitissima lectione intelligit, sine artis tamen visione & scitu. Illum primum sic artistam asseverat, & si quid ei committatur ad dictandum, quam secundus qui sine arte practica habituatus est, aget longe melius atque scribet. Tu ergo, vir diserte, quid circa id opinaris atque sentias, cum responsionibus aliis intimato, nec suspensum ulterius teneas præpositum. Et sic cum Horatio vive valeque.

EPISTOLA LXVIII.
Ad amicum.

Hortatur ad scribendum de erroribus hominum.

NE nihil tibi scribam, amice mi, nunc cum tam commode potissimum sese exhibeat is accessor, ecce ad te mitto quod dudum domino Saluciarum cardinali respondendum censueram, dum me comiter admodum in ultimo meo abitu vestra e curia beneficentiam apostolicam expectare commonebat, ad quam ut sincere dicebat, omnium sacerdotum potentissimus non teniter afficiebatur. Quarum exemplum litterarum hoc est: *Hortaris beneficentissime pater* &c. quæ cum modo relegerem, ampla valde hinc oriens materia sit obviam, quam tu utinam, (& id re optima emi vellem) soluto aut ligato sermone deducere conareris, errores hominum videlicet, qui his in regionibus tribus statibus partiuntur, clero, nobilibus, ac populo, ut quique qualiter sua in vocatione desciscat erret que, & maxime ignoret quid sibi desit, quid incumbat, quid satis sit, quid utile, quid quietum, securius, ac tranquillum, quin bruto corruptius feratur in præceps, nec quiescat donec mors eum irresolutum insatiatumque subripuerit ad non esse. Corpus dico quod tam vacillans, inconstansque & irrequietum semper fuit. De anima viderit supremus omnium mortalium judex Deus. Tu ergo caput amicissimum, ut ad Theodorum ait Chrysostomus, cum me supra quam explicare valeam intelligas, si delectat, & non nimis visco inhæseris, huic operæ incumbas atque vaces, quæ digna est meo E judicio, in qua nervos tuæ industriæ pereloquentis tendas omnes. Vale, nec recusa, cum id nequaquam jocus sit aut fabella.

EPISTOLA LXIX.
Ad amicum.

De Ortographia quorumdam vocabulorum.

EXhausta scribendi omnino materia, ne nihil tamen scribam paulisper tecum disceptare fuit animus, a te quærendo, ut quid inter cetera quæ difformiter a me scripsisti & variasti in ortographia, duos terminos seu dictiones *orreolum* & *scedula*, primum videlicet cum aspiratione, alterum sine scripsisti, me in litteris meis contrarium coagente: in quo alterum nostrum duorum errasse necesse est, si tamen grammatica erroribus sit submissa. Circa quod ne mihi ratiocinationibus, quibus inscitia mea parum abundat, utendum sit, auctoritate me protegam, & ad Papiam, Hugutium, Britonemque, seu qui extensior est, Catholiconem te remitto. Et si satis mea obliviscentia reminiscitur, in littera *h* nec *orreum* nec *orreolum* invenies, & *scedula* cum a *sceda* dirivetur in littera *sc* non in *c* solum proculdubio reperietur a quærente. Igitur si *damnum* & *abundare* ac hujusmodi vocabula cum *h* & cum *p*, cum varii varie sentiant & utantur, sint scribenda; ad illum me refero qui de plerisque grammaticalibus ait, quod sub judice lis est, si non prætendis quod communis error facit jus. Patet hoc in termino *Karolus* qui vulgo per *k* scribitur in capite, & tamen per *c* debet scribi; Isidoro teste, qui ait antiquos *k* litteram præponere quotiens *a* sequebatur; ut in *kaput*, *kanna*, *kalamus*, nunc autem, ut subjungit, *kartago* & *karole* per eamdem tamen scribuntur. Quorum respectibus amodo meam ignorantiam in similibus non tacite, sed patenter reprehendas, qui gratulanter velim a quocumque doceri, nec me incassum hæc scripsisse, ut scedulam illam meam tibi communicasse frustra fuerit.

EPISTOLA LXX.
Ad præceptorem suum.

Quærit ab eo cur inter philosophos tanta sit summis de rebus opinionum discrepantia.

I. QUamquam noverim, eruditissime vir, Flaccum Horatium omnem hominem in personam sui Numicii hoc modo instruxisse,

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere & servare beatum.

Non est tamen quod valeam non stupere, ac dejici super his de quibus perbrevis sermo pro materia ordietur. cum ergo, ut ad rem veniamus, non succurrat mortalium

quiſquam, pace omnium dixerim, qui mihi ac tu efficacia pari reſponderet, ac animo ſatisfaceret pariter liberali: ad te venio, ad te confugio: conſilium, ac rem, ut inquit Terentius, appetens, & ſi eguerim veniam in dicendis. Interrogas jam ſentio, quid eſt amice mi, quod tibi ars mea efficere poſſit? quæro, perdoctiſſime vir & confidentiſſime tamquam frater, nec te ſuſpenſum ultra tenebo; quæro, inquam, quæ tanta eſſe potuit inter ſummos quondam viros, & de ſummis rebus opinionum diſcrepantia, quam maximus ſeptem ſapientum Græciæ, Thales nomine, qui primus philoſophiam naturalem introduxit, aſſeruerit primam cauſam, primumque & præcipuum numen rerum aquam eſſe; Zeno quoque Stoicæ diſciplinæ princeps in calore eſſe dixit; Anaximenes retulit ad aerem, & nonnulli repoſuerunt omnium iſtorum cauſam eſſe incomplexo. Unde eſt illud Virgilianum,

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tunc pate omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.

II. Anaximænides ex rerum principiis infinitis. Democritus, & Epicurus ex athomis omnia ſubſiſtere tradiderunt. Quod ſi ad particularia circa hæc deſcendamus; Agellius refert ex cauſatione ſolius ſenſus viſus, Platonicos, Stoicos, & Epicureos ſic differre, ut quod una ſectarum aſſumit, alia inficiat, cauſas omnino contrarias prætendendo.

III. Deque fulminis origine ſimili modo philoſophi diſſidentes, quidam ab aëre, alii a ventis, nonnulli e nubibus ſcatere fabulantur. Ex quo Academicus ille & ſummus orator Marcus Tullius vere & eleganter ſuo more ait: non modo mihi ad ſapientiam cæci videntur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni videantur hebetes, & obtuſi.

IV. De moralibus item quæro philoſophis, quorum aliqui, te non ignorante, ſummum bonum in bonis animi poſuerunt: alii in bonis corporis: alii in utroque, ille in virtute, iſte in ſcientia, hic in non dolendo: iſte ſic; ille aliter, ita ut eorum opiniones poſſent horologiis comparari. Adverſus quos quidem philoſophos Valerius non parum venuſte invehitur ſub hac ſententia: Philoſophi, ait ipſe, circa dimenſionem ſolis & lunæ ac aliorum ſyderum cæca diſputatione vagantur, & habitum mundi loquacibus magis quam certis argumentis conantur demonſtare. In quo, ſi verum dicunt, nihil proſunt; ſin falſum, nihil nocent. Subdit Lactantius, ſectas omnes eorumdem philoſophorum magna vi facundiæ, ac ſapientiæ conculcando; Taceo de modernorum philoſophorum noſtrorum in facto fidei ac totius civilitatis differentia: tædet nempe, pigetque de multis reminiſci.

V. Ceterum paulominus eſt mirandum de ſorte, ne dixerimus fato; Solonis, ac Socratis, Ciceronis, & Senecæ ſuæ reipublicæ atque veritatis amantiſſimorum, quorum primus, ut linquam alios infinitos, exul obiit; alii tres amariſſimæ morti adjudicati ſunt; quid de Julio Cæſare, Craſſo, ac Pompeio dices? de quibus horoſcopicus mathematicus præfatus fuerat, eos poſt omnem felicitatem Romæ in domibus morituros: Cæſar tamen infeliciſſime crudeliſſimeque pugionibus in capitolio confoſſus eſt, Pompeium quoque poſt celerem fugam e manibus Cæſaris, Ægyptiis ſpadones contra fidem necare auſi ſunt. Craſſo autem, ſedecim apud Carras per eum perditis legionibus, juſſu Horodis Partherum regis avulſum caput, humeris truncum corpus humi jacens feris relictum eſt.

VI. Rurſus quæro quod ſimul omnia diſſolvas, ut quid eſt quod Aſſyrii, Perſæ, Medi, Afri, Græci, atque Romani monarchias mundi ſucceſſive hactenus tenuerunt, qui tamen nihil ſunt ad præſens penitus neque poſſunt. Quo inſuper abiit Babylonia? quo aufugerunt Thebæ? quo Africa, quo Athenæ? quo Roma? quæ pene omnes ad ſolum redactæ ſunt; Anne cœlum aliud, an terra, an aër quamdudum diverſi ſunt? credo quidem, nec vana fides, elementa eadem omnia ſemper eſſe, niſi cum de uno in aliud commutative fit mixtio. Inſuper ſciviſti, noviſti, vidiſti, jam pene decem (a) anni ſunt elapſi principem per maximum ac potentiſſimum hujus regni, unicumque germanum fratrem regis, qui a ſatellitibus viliſſimis parricidis numero XVI. ſicut fertur, ſine naturæ ſeu ſenſus acquiſiti quavis dote, crudeliter necatum extitiſſe in vico publico urbis Pariſienſis; mirabile dictu! degentibus parricidiis ipſis ultra ſemi menſem continuo quadam in domo prædicti vici, publice ante perpetrationem ſceleris hujuſmodi vitam ducentibus diſſolutiſſimam, quaſi de ipſis comicus dixiſſet. Vide otium & cibus quid faciat alienus. Sed quod mirabilius intellectui humano eſt, ex poſt factum Pariſius remanentibus, quaſi re bene geſta, & tandem impune abeuntibus quo placuit, abſque hoc quod ne de uno quidem carnificum prædictorum juſtitia fuerit exhibita pluſquam ſi ſoricem necaviſſent. Qui ſi non haberem ex doctoribus catholicis fatum nihil eſſe, dicerem in hoc maleficio concurriſſe: cum de nece tanti principis horror non ſubie-

(a) De morte Ludovici Ducis Aurelianenſis.

(a) Ludovici ducis Aurelianenſis cædes accidit anno 1407. hinc colliges epiſtolam hanc ſcriptam fuiſſe anno 1417. aut præcedenti.

rit,

rit, aut extiterit quomodolibet hæsitatum, quod saltim in tanto tempore ex tot infimis hominibus, non fuerit unus, qui timore, aut favore, vel respectu aliquo regiæ stirpis, aut etiam spe quæstus, vel alias moveretur cuipiam revelare. Ex quo locus hic competit exclamandi, si vacaret supra quam Tullius exclamavit pro Gabio, aut Petrarcha pro Tullio. Quid memorem duos homines, immo belluas immanissimas his oculis vidisse; quorum alter omnium quæ a decennio, heu mihi, heu millies patrata sunt, in hoc regno fuit causa malorum: alter siquidem in Italia ferme XL. annis vixit, caput continuo mille equitum, vel eo plus latronum armatorum, plebes impie immisericorditerque vexantium, nec nisi ex præda ac rapinis quocumque venissent viventium; ille tamen in lecto, & sine molestia obiit mortem potitus votis suis; iste autem super tota dominatus Liguria, cum ea felicitate, ut ordinaverit in grabato feminam suam sponsam & conjugem duci Mediolanensi moderno fore post ejus mortem, sicut factum fuit nullo impugnante, quam tamen dominus dux pater istius superstitis dari in uxorem ultimo cameræ suæ mancipio, ut non ambigo, dignatus non fuisset. Ista fuit sors illorum duorum, quos terra sustinebat, virorum pessimorum. E regione vero, ut te non latet, probissimi & insontes quam multi his diebus martyrio submissi sunt tot modis, & adeo crudelibus, ut horream recitare, nec possem etiamsi mihi centum linguæ sint, oraque centum, ferrea vox omnes pænarum dicere formas.

VII. Itaque non sine lachrymis ac gemitu, cum his omnibus in memoriam mihi venientibus plagis, quas Machometus intulit Christianitati, & anno præterito adversarius de Anglia huic regno fecit, super injustissima querela, sicuti scis, atque ego cum Boëtio libet exclamare. O stelliferi conditor orbis & cetera. Et ne nihil de sacro veteri testamento tangatur, nonne Cain primus hominum natus de muliere fratricida, proditor, & sacrilegus fuit? nonne sub osculi specie Joab Amasam interfecit? Jesabel Naboth crudeliter fecit mori. Joseph fratres sui vendiderunt per prius in proposito ipsum necandi. Jacob surripuit benedictionem suo fratri; nonnulli Machabæorum a contubernalibus suis insidiis fuerunt interfecti. Plebeia historia est Davidis & Uriæ. Prophetarum quoque ad mortem condemnati fuerunt quamplurimi. Abimelec LX. fratres suos ut dominaretur interfecit. Non velim repetere, quæ litteratissimus ille Faustus, cum quo tamquam Manichæo decertat Augustinus, de Abraham Patriarcha, Isaac, Loth, ac Moyse, ceterisque patriarchis, Judicibus, ac Prophetis; nec non regibus Hebræorum stylo A dilucido opprobriose loquitur, terere tempus esset ac Minervam advertere.

VIII. Requiris quo tendant, & quid sibi velint hæc omnia: volo siquidem, postulo, posco, peto, vir instructissime, quod animum hujus tui discipuli supra modum agitatum, quomodo in conspectu omnipotentiæ supernæ, cui nihil non præsens est, & non vult nisi bonum, potuerint hæc moliri, & illi præfati sapientes, ac nostri qui fide catholica sunt imbuti, sic invicem de supremis rebus valeant discrepare, tuis rationibus, tuis B sententiis illumines, & quietum reddas atque pacatum, non quemadmodum Christus sanctum Thomam de sua resurrectione facto solidavit; sed quantum de humanis ad divina potest esse collatio. Nihil est, inquit Cicero, tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile. Tu ergo ad postremum, ut doctum me reddas, velim non fidei auctoritate, quæ exuperat omnem sensum, sed altissimi ingenii sui vena, quid tibi rursus petant latinæ linguæ antiqui parentes, atque fontes, Tullius, Virgilius, Seneca, & C Livius plerique alii de fato, ut dicetur, miris modis sentientes: absque hoc quod de Græcorum erroribus te obtundam: ponentium illum qui bis aquam intrat, eumdem non esse, & simul infinitos mundos assiduo motu volvi. Cujusmodi sententiis illa Platonis congruit opinio. Nostrum discere non est nisi recordari. Et quid sibi vult Aristoteles, quem beatus testatur Ambrosius affirmare, Deum nullam omnino curam habere de his, quæ sub lunæ concavo sunt; quod qualiter de hominibus, pro quibus omnia creavit altissimus, intelligere potuerit non intelligo.

D IX. Ad latinos igitur superiores redeamus, quorum de fato, ut cœperam dicere determinationes sunt istæ: omnia fato eunt. Item; Desine fata Deum flecti sperare precando Fatis agimur, credite fatis: & alibi: Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum. Item volentem ducunt, nolentem trahunt fata. Itemque alio in loco: Inexsuperabilis est vis fati. Cum plerisque similibus, quæ omnia prætereo & illa in sacris contenta voluminibus: Generatio præterit, generatio advenit: terra autem in æternum stat: & iterum, Nihil est futurum, quod E non fuerit in præterito, cum tibi sint plusquam notissima extensius nolui refricare. Cujusceemodi sententiis Julius Firmicus vir eloquens, ac peritissimus in matheſi se penitus conformando, omnia fatali necessitati subesse, cum exemplis rationibusque dilucidis monstravit.

X. Tolerabis denuo mea prece a te quæri quid sentias de tam aggrestibus sequentibus judiciis in moralibus Ciceronis ac Senecæ, Epicurique, quorum primus in Tusculanis quæstionibus ait: optimum esse non nasci, aut quamprimum mori. Non pauca similia

in de Consolatione filiæ tractando. Secundus ad suum Lucilium scribens, Vecordis esse dixit hoc in mundo molestiam pati, cum homo per ministerium parvæ cuspidis valeat se a tantis miseriis subito eximere. Ille vero magister voluptatis Epicurus, super quo nequeo satis admirari, absque fide fineque vitæ perennis credulitate, hac doctrinæ severitate sententiat; sapiens, inquit, ipse in Phalaridis tauro dicet. Bene est, suave est, nihil curo. Cujusmodi crudelitatis martyrium beatus non videtur incurrisse Laurentius.

XI. Et ex quo de Epicuro sermo fuit, gratum mihi feceris si reddideris rationem, cur magister voluptatis appelletur, quo nemo tenuem victum magis laudavit, aut in omnibus rebus vituperavit excessum, id asserente Cicerone, de eo præter cetera dicente: Clamat Epicurus, non potest jocunde vivi, nisi sapienter, modeste, & honeste vivatur, nec sapienter, modeste, & honeste, nisi & jocunde. Sicque vita moribus ac doctrina claruit, ut aliorum philosophorum sectam multo habuerit ampliorem. Illeque est de quo disertissimus poëta Lucretius, ait: Æthereus sol, veridicis hominum pur- C gavit pectora dictis. Quid de illo dices, qui quamplurimos utriusque sexus ad se interimendum provocavit, ita ut per regem, ne amplius suasionibus suis minueret populum, a regione fuit expulsus.

XII. De aliis etiam quid faciemus? qui ex rerum obscuritate aiunt, alter in fundo putei jacere veritatem, nivem esse nigram alius voluit sustinere; Pithagoræ insulsias repetere, putantis animas a parte ante æternas esse, & de corporibus in corpora migrare; aut illius alterius dicentis penitus nullas esse, sed quasi armoniam in fidibus ex constructione corporis & compagibus D viscerum cum existere sentiendi, refellere, esset, ut inquit Firmianus, ineptire cum ineptis, & cum insanis insanire. Circa quod tamen non nihil apud Romanos Latinorum doctissimus Varro visus est dixisse, cum dissinit animam esse aërem conceptum ore, defervefactum in pulmone, temperatum in corde, diffusum in corpus; quæ quidem diffinitio, non quod veritate nitatur, hic posita est, sed ut tua theologica mentem fidelis saties catholici, & simul respondeas hoc modo arguenti. Deus, inquit, aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, E & non vult; si vult, & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit; si potest, & non vult, invidus, quod æque alienum est a Deo; si neque vult, neque potest, invidus, & imbecillis est, ideoque nec Deus; si & vult & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala, aut cur illa non tollit? hos inter extitit Socrates omnium prudentum prudentissimus judicatus, qui ut ceterorum, qui se putabant esse sapientes argueret insci-

A tiam, aut se nihil scire, nisi hoc unum quod nihil sciret, testatusque est in judicio, sicut traditur a Platone, quod nulla esset humana sapientia; philosophos naturales; & suam religionem carpens proverbio sequenti: quod supra nos, nihil ad nos. Quo fit ut magis atque magis meis petitionibus insistam. Vale. Quem studiorum meorum participem esse decet, ecce, præceptor mi venerande, quoddam scriptum meum ad intimum mihi fratrem, & socium N. tibi mitto, quod posteaquam in cancellaria tua fuerit B agitatum, cribroque tuæ discretionis excussum, satis enim materiæ nihil scribo, eidem reddi facere non graveris, cum supportatione omnium insulsiarum mearum, quas benignitas tua parit, ac nutrit clementia. Vale, & quem corpore visere non datur, pro meo desiderio mente vide.

EPISTOLA LXXI.

Ad Carolum VI. Francorum regem.

Mittit ad eum scriptam adversus Sigismundum imperatorem epistolam ad Universitatem Parisiensem.

I. QUatenus vestræ majestatis diffamationi, proh dolor! satis nimium divulgatæ, sereniſſime princeps, provideat vestra prudentia, mitto exemplum rescriptionis ad Universitatem Parisiensem nuper missæ tenoris talismodi. Meditabar & me- « cum nunc agebam, reverendissimi patres « ac domini, quid præter & ultra ea, quæ « alii abhinc vobis scribunt, scriberem: ec- « ce quasi dedita opera in manus incidit « meas exemplum seu copia cujusdam re- « scriptionis vicissitudinariæ, quæ mores « & facta regis Romanorum curiose & ad « vivum depingit, tenorem continentis sub- « sequentem. Deposcis, frater carissime, « rumores hinc fluentes cum instantia tibi « scribi. Circa quod multum diuque me- « cum certavi an loquerer, aut tacerem « rem animo nobili minime credibilem, « quod is qui se regem Romanorum appel- « lat, SIGISMUNDUS nomine, in hoc « fratre suo Boëmiæ rege, ut priore genitura repugnante, a parentibus degene- « rans; ita ut avus ejus pro justitia regum « Franciæ adversus Anglos in bello strenuis- « sime pugnando occubuerit; prudentissimo « insuper genitore ejusdem Sigismundi, « (sæpe enim filii dissimillimi sunt parentum) quoad vixit in hac materia assisten- « te, consulente ac favente regi Franciæ, « veluti propria querela sua esset, nuper, & « posteaquam rex Franciæ in summis ne- « cessitatibus succursum pecuniarum, & « aliis multis modis eidem Sigismundo præ- « buerat permaximum, postquam gratuitam « receptionem in suo regno supra quam, ut «

» dicebat idem Sigiſmundus, potuiſſet ere-
» didiſſe, doniſque & encæniis præterea re-
» pleverat uſque ad multorum ſtuporem,
» vili animo tempori ſerviente, præfatum re-
» gem Franciæ continuo poſt, quia fortu-
» nam ei vidit in aliquibus adverſari, ſeſe
» diffidaturum non erubuit pronunciare in-
» fra proximas Kalendas Majas, Anglicis ad-
» hærendo. Super quo locus exclamandi in-
» vehendique videtur convenire, ultra quam
» Demoſthenes in Philippum, aut Cicero in
» Antonium jam dudum invexerunt. Sed
» magis, ſi parum non proſpiciant oculi,
» gratiæ ſunt habendæ huic homini, quod
» ſe tandem inimicum declarávit, ne am-
» plius decipiat amicus ſimulatus: qui duo-
» bus ferme annis priuſquam regem Fran-
» ciæ veniret viſitatum, fœdera cum An-
» glis inierat, prout nuper ad ſuam turpitu-
» dinem fuit ſcitum: & id nunc vinculo
» obligatiſsimo manifeſtat, aſsidua ſcilicet
» Angliæ regis ordinis ſeu Torquis latione:
» quodque clam tentavit Januenſes ab ob-
» ſequio regis Francorum divertere, fuca-
» tas ſuaſiones multas immixtas rogatibus
» adducendo. In quo quantum ab honore
» ſuo diſcedebat, tantum Januenſes in fide-
» litate regis Franciæ permanſerunt: non
» aliter quam ſi dura ilex, aut ſtet Marpe-
» ſia cautes. Qui tamen Sigiſmundus, ut
» non ignoras, ultimo Francorum regi
» CAROLO V. germanitate cognatio-
» nis attingebat. Itaque totius amicitiæ
» ac generis dulciſsima vincula (vide ava-
» ritia quid facit) mercenarius ſubito diſ-
» rupit; & (quod ſuæ inconſtantiæ notat
» improbitatem,) audiviſti ſæpius coram
» multis dum hic eſſes, ipſum Sigiſmun-
» dum tantis opprobriis ac infidelitatibus
» patrem illius, qui nunc dominatur in
» Anglia, damnare, deteſtarique, ut Caïn
» vel Judam onerare horribilioribus nequa-
» quam potuiſſet: qui graviora de alio prin-
» cipe dixerat quem protinus amplexibus &
» oſculo fidiſsimum ſibi finxit.

» II. Talia noſtri Cæſaris deſcribendi
» jaciuntur fundamenta; fundamenta taliſ-
» modi proponuntur noſtri Galbæ. Quæ
» omnia minus miraris, qui noviſti atque
» ego, prædictum Sigiſmundum, ſalvo con-
» ductu ſuo atque fide prorſus ſpretis, ſum-
» mum pontificem noviſsimum infinitis in-
» juriis ac terroribus prius affectum, ex eo
» quod ducenta millia florenorum ei com-
» modare, immo dare renuebat, capi fe-
» ciſſe violenter, & carceribus truculentis
» mancipari. Quod ſi boni quidam viri non
» obſtitiſſent, crudeli morte, ut aiunt, ſi
» jam non periit, obiiſſet. A quo tamen
» ſummo præſide hic altiſsimus pauper prin-
» ceps perpaucis ante diebus puro dono
» quadraginta millia & eo plus ducatorum
» habuerat, aut ab Italia recedere præ ino-
» pia, nec Conſtantiam veniſſe potuiſſet:

A de ſalvi conductus ſui ac fidei fractione «
adverſus magiſtros Johannem Hus atque «
Hieronymum, libelli diffamatorii facti «
ſunt ad ſuum dedecus irreparabile. Hoc «
ipſe, ut eſt femina levior, non eſt veritus «
palam, dum erat Pariſius, multis vicibus «
confiteri. Utque Auſtriæ duci, qui omni «
cum fiducia parendo ſuis mandatis vene- «
rat Conſtantiam, quanta majeſtate ſuam «
promiſsionem ac fidem ſervaverit, de- «
clarat ipſius ducis detentio ſibi moleſtiſsi- «
ma: qui cum prætenderet ducem ipſum «
nullatenus impedire, cum tamen urbem «
B Conſtantienſem exire quoquo pacto non «
ſinebat. Nec umquam crediderim ſanctum «
Concilium tantis incivilitatibus ac perver- «
ſitatibus conſenſiſſe. Ceteræ oppreſsiones «
violentiſsimæ, quas non ceſſat inferre Con- «
cilio uſque ad deſperationem unionis qua- «
qua verſum notiſsimæ, te non latent.

III. Prætereo, libet enim prætirire com- «
munia, ſpoliationes notabilium virorum «
plurimorum ſub ſaluo conductu ejuſdem «
Sigiſmundi ad Concilium tuto ire æſti- «
mantium ac redire: quorum vidiſti non- «
nullos erga eum proſequi bonorum reſti- «
C tutionem ſuorum, ab illiſmet depilatos, «
qui Conſtantiæ ſub ſuo dominio dege- «
bant, operam ſuam perdentes, nihil omni- «
no recuperaſſe: quin potius tandem abie- «
runt illuſi: quamquam denariis plurimis «
ſub extorſionibus iniquiſsimis ſalvorum «
conductuum hujuſmodi ſartulas emiſ- «
ſent. Sed carens lege neceſsitas forſitan «
fuit cauſa, ne contra hunc hominem ſem- «
per dicamus, qui vicibus iteratis cuidam «
Galliæ prælato non horruit, ut eſt incon- «
ſideratiſsimus, ſe fateri pauperrimum in- «
D digentiſsimumque. Et nunc vir iſte ſeve- «
rus adeo eſt, quod eum inſtar vituli teneri «
oporteat a quatuor hominibus: & niſi cum «
diſpenſatione concilii de juramento ſuo, & «
quod Anglis excuſetur a diffidendo regem «
Franciæ, ut promiſit, hic Hercules nul- «
latenus abſtinebit, una pariter duces Bra- «
bantiæ Auſtriæque comminando, nec- «
non Florentinos, Venetos, communita- «
teſque Italiæ omnes, regem quoque Nea- «
politanum, & Jeroſolymam atque Tur- «
quiam latiſsimam, immo totum abſorbere «
orbem flagrat, ex quo antipodes non va- «
E cant periculo. Aſt cum Flacco, parturient «
montes, naſcetur ridiculus mus. Jocabor «
tecum parumper inter hæc feria, nullum «
penitus falſum dicens, niſi ſacerdos ve- «
ridicus mentiretur, cujus verbis accepi, «
eum luce quadam ſotulares ſuos ordi- «
naſſe ſoleis duplicari. Cum vero ancillam «
penes magiſtrum ludi immoratam fuiſſe «
diutius increparet, ſe excuſando non po- «
tuiſſe celerius rediiſſe, reſpondit ob occu- «
pationem ſutoris in ocreis imperatoris re- «
ſuendis anxie impediti: quod veriſimili- «
mum ſit mihi, qui vicibus quamplurimis «

» ruptas ad calcem vidi caligas hujus princi-
» pis, & ad nauſeam uſque ſqualidum pari-
» ter bombicinium, in plicatura quoque
brachii lacerum ruptumque ad carnis
» oſtenſionem manifeſtam atque vilem.
» Quo fit, ut ſapientes apud nos, ſuo re-
» gimine notato, in reliquis neſciant ſuſ-
» picari, quo tot ſuas diſſenſiones bellicas
» ſuſtentabit: qui, quocumque veniat, ſem-
» per mendicat, & alieno ære vivit, teſtibus
» Italis Hiſpaniſque, ac Francia, & Anglia.
» De Alemannis nonnulli dominorum re-
» ſponderent Bavarorum, & ſimul plures illa-
» rum partium mercatores, a quibus mu-
» tuatus eſt quod non ſolvit. Porro autem
» quid ſolveret, qui animam ſuam debet?
» IV. O utinam Francorum regi & ſuo
» conſilio in mentes veniret, huic homini,
» omnium mortalium vaniſſimo, & in incon-
» ſtantia conſtantiſſimo, ſimili contemtu re-
» ſpondere, quod ad imperatorem quemdam
» in pari caſu a rege Franciæ pro omni re-
» ſcriptione duobus tantum ſequentibus ver-
» bis reſponſum dudum fuit: *Proh* **Alemant.*
» Vis ad plenum mores hominis hujus ſcire?
» accipe eum pro ſimilimo Catilinæ. Quo
» vero demum nomine eum appellent Flo-
» rentini, quid ſibi impingant Veneti; qui-
» buſve laudibus eum ſui efferant vicini,
» ob reverentiam ſui generis ſupprimen-
» dum potius cenſeo, quam dicendum: ita
» ut intelligas ſibi convenire proverbium
» illud: magis cognitus, minus appretiatur,
» a quo alias indignanter pernimium fe-
» rebas cuidam viro gravi ſermone de Ita-
» lia incidente palam dixiſſe: Italos omnes,
» cum ſacratius jurant, ab eis cavendum
» eſſe magis: tuncque, ut aiebat, eniten-
» tibus decipere vehementius confidentem.
» Memorati nihilominus te convenit, quan-
» to cachinno movebamur tu & ego, dum
» ad concilium Conſtantienſe relatum ex-
» ſtitit, papam JOHANNEM, qui tunc
» erat, tendere iter ad Gallias, ſubque pro-
» tectione regis Franciæ relicta Germania
» velle Avenionem proficiſci. Qua tunc ela-
» tione glorioſum Thraſonem noſtrum ja-
» ctare audivimus, hoc modo: ſinite ipſum
» abire, Domine mei, ſinite confidenter:
» ego nempe, quocumque ierit, etiam de
» arce palatii Avenionenſis manu pro-
» pria, invitis omnibus, (verba ſua fue-
» runt hæc) foras per capucium traham
» eum. Qui nihilo magis illud efficere po-
» tuiſſet, quam inermi puſillitati ſubeſſet
» centum armatos duobus digitis debellare.
» Niſi tamen eidem tria regna, quibus ſe
» falſo intitulat, ad cauſam uxoris vita
» functæ auxilio affuiſſent; quippe præ ino-
» pia, te ſciente, inſigni cuidam militi, pro
» ſuſtentatione ſuæ cauſæ adverſus Braban-
» tinos tribus mille reddituum libris dam-
» nificato, ab eo poſt expectationem ſub-

* Al. *Pr ut Alemant.*

A ventionis longiſſimam recedenti, iſte ad
imperium anhelans, de pauciſſimo pro
ſuo ſaltim reditu ad patriam non valuit
egentiſſimo ſubvenire. Quam ingratiſſime
ſe habuit ad curialitates ampliſſimas per
magnificum militem dominum de Monte-
Gaudio in civitate Aſtenſi ſibi factas, do-
cuit indignatio ſua, e veſtigio poſt ſecuta,
quia domino Aurelianenſi, cujus mandato
idem miles prædictæ civitatis cuſtos erat,
tutam ab impugnatione comitum hujus
Sigiſmundi ſervavit. Simile propemodum
in urbe Metenſi ſua familia conata eſt
operari; quæ hoſpitibus non contentis, in-
B tempeſtive cum ſarcinulis recedebat: ad
quod civitatenſium quiſque prout tan-
gebat non tepide ſit obviam: & equis
frenis apprehenſis, cuique ad ſuum vul-
tum illud juſtitiæ eulogium injecit: Amice,
ſolve quod debes. Adverſus quos tametſi
reſiſtendi voluntas ſuberat: non fuit ta-
men in cujuſquam poteſtate non ſolvendi.
V. Itaque magnus animus ſine magna
potentia in hoc nomine eſt, quo nihil ina-
nius dici poteſt. Quin immo ut de ſua in-
digentia, ſi non dixerim mendicitate,
C pluſquam lucide appareat, ab ore duorum
doctorum ſolemnium his auribus accepi,
ipſum ab eorum altero antecedentibus
magnis precibus centum florenos ſcuta-
tos mutuatum exſtitiſſe, ab altero triginta,
huic ultimo in verbo regis aſſerendo non
habere aurum nec argentum aliud quam
monile, quod ad ſuum pectus fixum erat,
forſan valens ſub quanto vendi poſſet octo
francos. Pluſquam notiſſima eſt ipſius in-
gratitudo de ſuccurſu exercitus nobiliſſi-
mi atque potentiſſimi per regem Franciæ
ſibi facto adverſus Turquos, ubi Franci
D pugnantes perquammulti ceciderunt. Ipſe
autem a congreſſu contra inimicos cum
Gnatone reſiliendo ſibi cavit. Quomodo
etiam ſeſe geſſerit cum Parpigniaci ad
PETRUM DE LUNA ac regem Ara-
gonum pro factis acceſſit eccleſiæ, &
quam pernicioſa & inſolita ibidem pera-
gere moliius eſt contra jura eccleſiaſtica,
& eccleſiaſticos, pro quibus tamen inerat
advocatus, ſciunt illi qui fuerunt: receſ-
ſuſque ejuſdem Petri ſubitaneus fuit in-
dicium, qui eum regem numquam ex poſt
vocavit, ſed tyrannum quamperfidum.
E Quid antea egerat, te preſente ac dolente,
quaſi eradicaret tibi dentem, cum duos
prælatos ingenuiſſimos ac maximos qua-
dam in ſeſſione ab ipſo falſo accuſatos, ut
patuit per exitum, ſolito impetu coëgit
reſpondere, ac ſi infimi gradus eſſent, &
qui ſi prudentiſſimi ac innocentes ſuis de-
fenſionibus in perſonis comperti non fuiſ-
ſent, magna eos onerare contendebat in-
famia. Ex his ad conſpectum mihi veniunt
verba tibi ab illo quem ſcis præſule doctiſ-

» simo sæpius repetita, istum Phormionem » ad ecclesiæ confusionem natum esse, & » de nobis ecclesiasticis contra nosmetipsos » ad suos fines ædificando sibi juvare, opti- » mus licet putari Christianus ac sincerus » zelator videri cupiat unionis. Cujusmodi » zelum valide ostendit, quod cum Petrus » de Luna & rex Aragonum, ac ambaxia- » tores nationum, qui tunc erant in Par- » pigniano hoc prætextu congregati, mo- » dum aptissimum & clarissimum habendi » unionem reperissent, præfatus Sigismun- » dus se opposuit, dicendo, quod gloriam » unionis faciendæ sibi, & non alteri vo- » lebat remanere: qui paulo ante, sicut refert » tractator negotii, apud Laudam urbem in » Liguria duobus potentissimis contenden- » tibus de archiepiscopatu Colonienſi per- » magnas uterque pecunias Sigismundo ad » intercedendum summo pontifici obtulit. » Quocirca suspensus aliquandiu mansit: » sed tandem qui prior in dando fuit, ac » plus dedit, suum meruit, & non alias » interventum. Per quod monstravit, an » verus censeri debeat catholicus, aut si- » moniacus vilissimus præcorruptus, qui » alium se majorem suspicione criminum » similium, vel minorum male multavit, » ac damnavit.

» VI. Ceterum quam aniliter adversus » procuratorem regis Franciæ in curia pu- » blice verbis & contentionibus certavit » diutius, nemo te scit melius, circa id sin- » gulariter attendente, ac mirante de sua » stultitia tamquam si cornua nascerentur. » Operæ pretium est his addere istius ho- » minis levitatem, qui cum Parisius opu- » lum dominabus multis daret ad expensas » quidem domini Bituriæ, ipse satur, & » jam potus, ante mensas incedebat, hi- » strionis more, &, ut parum sciebat can- » tum, insusurans, nonnumquam tripudian- » do saltabat, ut convivas remoraretur ab » esu: immo divertere oculos cogebat præ » pudore. Alia fuit nuper apud Constan- » tiam sua opera fatui Catenati, qui plena » in sessione ducentis prælatis in sacris ve- » stibus cum plerisque aliis ad pacem quæ- » rendam ecclesiæ congregatis, quemdam » magistrum pro quodam collegio notabili » loquentem, prout Deus ministrabat, quia » non grate sibi, sed cum veritate apud bo- » nos & graves opinionem suam dicebat » atque sententiam, Hannibal iste ira per- » citus ac furore, ad pectus ivit captum » clamando, jurandoque ut assolet: Per » Deum, Domini mei, si vultis, continuo » hunc submergam, in hac parte tortoris » officium non minus impudenter quam vi- » liter usurpando.

» VII. Quoties de pace regnorum Franciæ » & Angliæ protinus facienda, quoties de » habendis gratiis atque reducendis dominis » omnibus Francigenis, qui detenti sunt in Anglia, sese sublimando jactitabat; non est opus refricare, qui ne quidem centesimam partem partis alterutrius rerum istarum duarum potuisset adimplesse: de quo experientia suæ verbositatis & impotentiæ circa hæc omnia finaliter fuit testis. Et nunc tanta cum facilitate creditum itur unica enunciatione solius litterulæ, quod homo iste mediator: & pars esse possit, aut velit pacem seu bonum regni hujus quoquomodo procurare, nihil profecto videtur minus verisimile, potissimum cum ad suæ cumulum amentiæ, quodque sibi male vertat, ipsi frequens verbum est: Parentes mei sunt in Francia, in Anglia sunt amici. Et aliud: Ego ero brachium destructionis Gallorum, & ei tamen, si non desit, camisia multoties est fœtida, olens quoque ob sudorem admixtum pinguedini caputium. Cujus verum dicendo insulsias & ineptudines omnes enumerare qui contenderit, Libyci velit æquoris idem dicere, quam multæ zephyro turbentur arenæ. Quarum quidem ineptiarum illam libet repetere, quod delirus noster senex nullo in regno, nulla in regione pro quacumque causa venit, ubi se non reddat mulierculatum amasium, aut fingat amantem, sertum unum, serta duo simul creberrime juvenculi ad modum super cano capite suo ferens, & per vicos equitando, cantandoque cum suis, ad tales usus ordinatos non minus insolenter, quam si domi nuptiis interessent, &, quod suam vilitatem magis auget, nonnumquam scorta publica in compitis descendendo de vectura manu tangit, & familiariter alloquitur veluti Penelopæ matronæ pernobili, aut Romanæ Lucretiæ forent feminæ omnino consimiles genereque propinquissimæ huic seni. Quousque, bone Deus, ascendere possunt monstri hujus temeritates olim coram magnatibus ac prælatis pluribus asserentis cum infinitis similibus, in potestate sua esse in Dei ecclesia infra triduum ponere unionem, quinimmo ipso statim aperiente fenestram cameræ in qua erat diem respiciendo coadidit post porum tamen: ego autem ponam, antequam sol occumbat, quod Salvator noster Christus, qui omnia poterat, de reædificatione materialis Templi Salomonis, immo sui corporis mystici dicere non præsumsit. O ergo vanum hominem, verbosum, ridiculum, & gloriosissimum! ira ut, si verum dixerit, ob sua deliramenta redditur dubiissimum, qui post hæc infra paucos dies, quantum de sua magnificentissima potestate doceatur, alterum de illa societate, quem novi sicuti te, compressius rogavit, ut sibi de centum florenis scutatis pro quanto suum honorem diligebat, ad ingentem suam necessitatem commodaret. "

» VIII. Id denique non reor fore subticendum, quod cum pridem rex Francorum ad concilium Constantiense suam ambaxiatam mittere disponeret pro factis ecclesiæ, iste dominus, de quo sermo nostet texitur, regiæ scripsit majestati, quod non omitteret de suis nuntiis aliquibus specialem tribuere facultatem cum illis qui pro parte Anglorum venerant Constantiam conveniendi, tractandique, & agendi de treguis longissimis, aut pace finali regnorum Franciæ & Angliæ, quo in casu se fortem faciebat, quod Anglos concernebat, omnia facturum, & adimpleturum, per matrimonium esto esset, aut alias quovismodo. Super quo quamquam nonnullis prædictæ ambaxiatæ Franciæ potestas amplissima data esset, iste tamen princeps, verborum adeo ditissimus, factorum omnino fuit inops: immo nec de re illa apud Francos ulterius fecit quomodolibet mentionem. Supersunt nonnulli qui inquiunt, ipsum præ paupertate recedere non potuisse ab Anglia, nisi pecunias per fœdera cum Anglis adversus Francos habuisset: & id nuper ab eo fateri referunt audivisse. Tanto quippe cum infamia plus onerant, cum res nulla principibus præcipue anteponenda sit honesto.

» IX. At ne nihil in commendationem talis principis dixero, nullus mortalium eo indulgentior est maritus, qui suæ finit mulieri peragere non modo quæ vult omnia, sed hortatur, ita ut choreas publicas sequatur, alloquaturque omnem hominem, & manu tangat, tanta humanitate prædicatur, ut non regina, sed humilis professionis femina a non noscente putaretur. Scis autem, socie mi, ut cetera linquam, nec annus cum dimidio a tua delevit memoria, nos ambos frequenter eum vidisse in curribus, & equis phaleratis, cumque tubis ac mimis ad contiguas nostræ habitationi stufas veniisse, quasque stufas, si quis quærat eas, nempe is ritus est patriæ, a quibus mulieres mercenariæ ac lenones, & cujusque indifferenter status gentes immediate exierant, si non volebant remanere, cellulis tantum modo disparatis tela sola, veluti tibi & mihi, dum nos certos reddi studuimus, a domina stufarum fuit ostensum. Non audivi tamen prænominatam reginam non castam reputari, aut improbam: sed pro lubricitate viri atque stultitia hæc sunt dicta; & ut vice utar prophetiæ, is homo ad lares proprios non redibit sine confusione, & ignominia tanta, qualis a sæculorum sæculis de principe neutrobique visa fuit.

» X. Non est omittendus insignis casus viri celeberrimi, cui cognomen est de Capella, suis pro agendis redeuntis * ad Franciam, insidiati a satellitibus istius insani & male consiliati principis, captique suspicione sola, ne Parisius regimen dicti principis circa unionem procurandam veniisset intimatum: nec idem litteratissimus ac probissimus scholasticus, carceribus vilissimis injectus ac inexorabiliter vexatus, potest quod audiatur impetrare, quocumque sacri collegii interventu. Ea est quæ viget in concilio, quoad hunc hominem respicit tranquillitas: hi sunt mores atque nobilitas nostri Cæsaris, qui nisi cives Constantienses virilius restitissent, jusserat sexdecim de excellentioribus concilii, tum cardinalibus, tum prælatis aliis facto capi, & quo libuisset traduci, ut de papa eligendo, immo intrudendo pro suo nutu princeps iste, qui adeo catholicus cupit dici, valeat ordinare. Est denique istius illaudati Busiridis venenati animi adversus Gallos præter ceteras novissima declaratio, quod cum in suo digressu ab Anglia quidam juvenis de Francia vellet super altera navium suæ classis, qua apud Calesium transferetabat, ascendere, inhibuit furiose, dicendo, quod ipse, & omnes quicumque erant Franci ad diabolum irent, ut erant meritissimi: & quod quamcumque navim suam non intraret, injuriosa perquam multa suæ verbositatis ritu de Francis inculcando, moreque anus loquacis, & contumelios æ jurgando cum eodem juvene, ac si comparei, & gradus simillimi esset. Illo super intellige, qui de parte regis Angliæ suas expensas ministrabat, præsente cum plerisque Anglis aliis, quibus ipse gnatonicus blandiri contendebat. Vale: & quamprimum in mundum fuerit posita alia multo ampliora de Davo isto qui interturbat omnia, te habiturum expectato, cum plerisque aliis, quæ, si vitæ fruatur comitatu, tanta est ipsius vecordia, intentare non desinet. Sentimus enim hunc antichristum moliri teterrima nefandissimaque. Scriptum &c.

» XI. Quæ omnia, domini mei præstantissimi, non minus vera esse cognovi, quam scio me vivere: sperans non hinc ad annos centum, sed memoria historiarum sempiterna in ignominiam nostri Caligulæ recitanda: veluti per contrarium libertas tranquillitasque hactenus impensa conciliis generalibus sub dominio regum Franciæ celebratis, ad eorum laudes immensas crebro memoratur, O quam vellem, domini mei carissimi, ut tandem concludam, domino quondam Colardo de Calevilla oculato & experto militi magis alias super his, quæ de populari nostro Geta referebat, creditum exstitisse: suæ profecto intempestivæ stoliditati commodius fuisset occursum. Alteri quoque magnanimo ac sapienti assentior nobili, qui ait nullam se cognoscere differentiam inter ea, quæ dicta sunt de illo Sigismundo, esto mille ab eo prodierint litteræ, quam si diffidentias scriptotenus misisset centum mille intelligendo quoad

* al. venetus.

„animum malivolum, vilem, abjectum, putrefactumque; Tritæ sunt illæ atque veræ sententiæ:

Qui semel est luscus, nonnisi luscus erit.
Fallere qui didicit, fallere semper amat.

„Neque enim hujus hominis, immo belluæ propriæ proprium confestim animadvertere præterierunt Anglici, de quo quaquam sibi juvare forsitan voluerint, risum tamen jocumque, & cachinnum de suis moribus & gestibus fecerunt. Nec eum tamen, ut audio, muneribus prodigaliter paverunt, sicut Franci. Scriptum &c.

„XII. Videte ergo, altissime princeps, quantum serenitas vestra obscurata est, adeo quippe, ut nos imperiales, in tanto prius honore Parisius habiti, non audeamus supercilium nunc levare, quod magno redemisse optaremus, infinitis curialitatibus nobis hactenus per Francos impensis, ac eorum innata benignitate ponderatis. Famam progenitorum vestrorum antiquam vobis restaurare dignetur omnipotens juxta votum. Scriptum &c. Hac in hora me de congregatione universitatis generali regresso, in qua plures altis vocibus obtulerunt plurima facta vestra (quod Deus avertat) ad suspicionem reducere hæresis vehementem. Super quibus audiendum potius rectorem, quam scripto palam facere fideles vestræ celsitudinis censuerunt. *Et infra* Fidelis unus vestræ majestatis, qui se cum ad eam venerit nominabit.

EPISTOLA LXXII. (a)

Ad amicum.

Mittit ei primam epistolarum suarum partem examinandam.

TAmetsi vir insignis ac venuste, scedularum litterarumque mearum numerus amplior mihi sese ingerat, & cumulus ad transcribendum tædiosus, postquam tamen istarum apprime succurrit imperfectio, scriptorem sistere jussi, donec tuum examen subierint, ac per tuæ limam selectionis transeuntes, is cui devoventur, qui cum in supremo sacerdote Latium nunc discurrit, viderit, vestrum quoque auctoritatibus tum dabitur audentia ceteras forte coaddendi, vel per has in solidum meam ignorantiam patere decernatis, aut de toto, ut potius reor, ni amor vos exercet, ignem in cineres fieri vestra prudentia judicabit, sicque pergameni atramentique plus vastandi vestro consilio relevabor, & mea insipientia plus latebit. Cui profecto jam per vices fuit animus, & certe hac in hora est vehemens has & illas penitus abolendi, sed prohibet is in orbe, cui minus debeo non parcere. Hanc ergo accipies primam partem, & ne mihi mea insciția ulterius oneri sit, reliquam consulas precor in publicum non venire. Satis enim superque satis est præsenti portione ludibrio fore quam plurimis, & ut meorum carptorum reprehensorumque, qui prorsus uruntur invidia parcas vitæ. Vale.

(a) Hæc epistola in codice Chauveliniano extat post centesimam octogesimam septimam, sequens vero post ducentesimam.

EPISTOLA LXXIII.

Ad amicum.

Alteram epistolarum suarum partem mittit examinandam.

SUas paucarum noctium vigilias, en pater optime, discipulus tuus is, cui nomen est Johannes, & insulæ titulus præpositi, paternitati tuæ mittit, ut per cancellariæ tuæ submissionem, priusquam canum dentibus, quos prospicit jam prodire, lacerentur, hujusmodi vigiliis detur non tam exiles & jejunas patere carptoribus, de quibus Cicero ait: Adest enim fere nemo, qui non acutius atque acrius vitia judicet quam recta videat. Ita quidquid est, in quo offenditur is, etiam illa quæ laudanda sunt obnuit, qui licet antequam Tullii præmissam legissem sententiam, præsentiebam, quippe crudum indigestumque hunc laborem reprehensoribus minime carituram. Malui tamen irritus exercitationum quidquam addiscere, quam nihil discendo nequaquam irrideri. An stulte aut secus actum sit dijudica. Vale & jube ocius parituro.

EPISTOLA LXXIV.

Ad cardinalem de Florentia.

Suas ei dedicat selectas epistolas.

INter summi cardinis patres electissimos ingenii altissimi abundantissimoque virturum, & sicut prædixit Virgilius, unum tritonia Pallas quem docuit, domino meo cardinali de Florentia, ut vulgus loquitur, appellato, suus filius perquam supplex, & alumnus Præpositus Insulæ salutem, quam pater filio, filiusque parenti relative sibi optant.

Ex volumine ampliori occupationum suarum in missivis familiaribus istam excerpsit portionem alumnus idem vester dedicandam vestræ benignitati ac sapientiæ, quæ si repulsæ baculum non senserit, plura in occulto usque adhuc jacentia palam faciet, nixus vestra correctione paterna, omnium quidem studiorum honestorum semper promotrice; sin vero abjeceritis, id quod restat lucem imposterum non vide-

bit: per vos ergo unum, pater mi, ipsius vestri filii opuscula, aut morientur, aut vivent, quorum de vita jam mihi spes oritur, freto magnificentissimi vestri nominis adjectione: & quod ex tot discipulis ejusdem paternitatis eruditissimis unus erit, qui non sinet nomen ipsum, quod pro reverendissimo & amantissimo habent, positum frustra esse, quin potius ubi a calamo vestræ dominationis emendationem non merentur hicce labores, aget quo semper non hæsitent saltim cujuspiam novitii aspectui esse, quas quidem excerptiones manus istas exire præpositus non censuit, quousque per vestræ doctissimæ cancellariæ purgatorium transissent. Quod si venerandissimus mihi pater atque splendidissimus dominus cardinalis sancti Marci oculos solitæ benevolentiæ in reculas ipsas nostras deflexerit, mihi a Comico dictum est, in utramvis aurem otiose ut dormiam; Valete, & parcite confidenti.

EPISTOLA LXXV. ANONYMI domino Johanni de Monsteriolo, præposito Insulensi regis Francorum secretario.

Gratias agit de munusculis sibi uxorique missis, promittit quarumdam epistolarum suarum exempla mittere, petitque ab eo Petri Abaëlardi epistolas.

Ex mss. S. Crucis Florentiæ edidit Mabillonius.

PEtis & instas, vir insignis, cunctisque venerationis honoribus excolende, ut ex epistolis meis tibi copiam faciam, tantum mihi tribuens, quantum olim in tuis Sidonio, Ivonique Carnotensi, vel Ildeberto Cenomanensi præsulibus, vel Ciceronianæ eloquentiæ Sulpitio Severo, vel aliis plurimis, quorum ingens fama temporibus suis fuit, vix potuit exhiberi. In qua quidem re miror requiroque prudentiam tuam, quæ cum in ceteris non facile falli soleat, in hoc tum vane tumque inaniter sit decepta. Ego quidem, ut verum fatear, nihil meum revideo, in quo non plura desiderem quam inveniam, & in quo non multotiens erubescam. Et tu quibusdam quæ de meis operibus te gloriaris habere, te felicem, quasi illa te beatificent, profiteris. Nimis, mi Johannes, imo nimius laudator es. Dicerem, nisi vererer dignationem tuam, nimis blandus, qui rebus mortalibus atque mortalium tantum attribuas, quantum objectio beatifico debeatur. Gaudeo tamen huic errori tuo, quoniam error amatorius est. Nam nisi me diligeres, in meis rebus adeo non errares. In consequentia vult, qui requirit ab amico suo, sit ille quantumvis elati vel sublimis intellectus, ut verus judex sit de rebus amici. Quo fit, quod cum gratus nobis sit amor, gratus A nobis oportet etiam sit & error, non in eo quod error est, sed quoniam habeat a re tam grata principium, & ex ea necessitate quadam sine dubio derivetur. Nec facile dixerim, si discuti tibi cupiam hunc errorem, qui cum ex amore proveniat, mirum dictu! cum causa, tum conservatio sit amoris. Conabor autem quoad id fieri poterit, quod quam minus fieri poterit erres, ut quod talis sim si tamen ab homine potest effici, qualem cogitas atque formas. Habui per manus egregii viri Ambrosii de Miliis munera tua, videlicet instrumenta scriptoria pro me, & pro conjuge forficulas & cultellinum argenteum & ornatum; quæ omnia redolent artificum manus, & inclytæ civitatis Parisius famam. Pro quibus gratias ago, gratias agit & conjux. Cave tamen posthac ne in animum inducas tuum, ut putes me talibus delectari, aut exeniis amicitiam metiri, five contrahere. Virtus enim, mi Johannes, est amicitiæ conciliatrix: cujus tanta vis est, ut non solum scita, sed credita caritatem pariat: nec solum si eam veram & germanam contingat aspicere, (si tamen vera virtus, quæ qualitas mentis est, & in sola mentis dispositione perficitur, videri potest) sed etiam si umbram atque simulacrum ejus viderimus, mirum in modum efficit ut amemus. Ista mecum age, non donis. Hujus opinione jam factum est ut diligam: ista fiet ut amem, & ut optimo, bonorum mortalium bono, amicitia scilicet tua fruar. Nec minus improprie dictum putes, quod me fruiturum amicitia tua dixerim. Res enim prorsus divina, caritas & amicitia est, vel adeo divinitati similis, quod non inepte possit fruitionis sibi vocabulum adhiberi, licet minus appropriate, non omnino tamen improprie. Hæc hactenus. Nunc autem ad illa quæ per optimum illum virum Ambrosium, per dominum meum dominum Philippum de Corsinis consiliarium regium, atque per Bonacursum de Pittis, qui frater meus est, tanta cum instantia postulas, veniam. Faciam, quod jubes, exemplari quasdam ex epistolis meis, tam publicis, quam privatis, easque tibi mittam, hac tamen lege, quod non publices. Nam licet inter amicitiæ penetralia placeat ut vagentur: extra tamen emittere consilium non est. Et quoniam exemplantium sive librariorum inopiam magnam habemus, non tædeat expectare. Spero tamen quod ex saturitate fastidium, & ex rebus tibi ridiculum orietur, & fies minus avidus postulator. Interim te rogatum velim, quod epistolas Petri Abaëlardi, si non habes, inquiri facias, & ex tuis vel repertis studeas meo nomine, quanto correctius poterit, exemplari. Sed si de antiqua littera possent haberi, libentius acciperem. Nullæ quidem sunt litteræ oculis meis gratiores. Vale felix, & me diligas, persuadeasque

Notæ

deusque tibi te a me amari. Florentiæ VI. nonas Julii.

EPISTOLA LXXV. AMBROSII de Miliis ad Gontherum.

Conqueritur de præpoſito Inſulenſi.

Ex mſſ. S. Martini Turonenſis & Regiæ Sanis.

SI alius eſſes quam Gontherus, tam mens, hercle, quam anima mea, timerem, vir probabilis & egregie, ne graviter & iniquo animo ferres, quod tamdiu de ſcribendo tibi meo te pollicito fraudaverim. Sed fieri nequit, ut ſolidus amor tuus & ſemper erga me benignus jam de me leviter aut maligne quicquam exiſtimet. Sic enim mihi eſſe perſuadeo, ſic expertus ſum, ſic confido. Arripui poſtea medius fidius millies, ut ſic dixerim, calamum tibi ſcripturus; ſed noſti morem aulicæ ſervitutis, inopinas occupationes incertis temporibus afferentis; ita ut cum quieſcere propoſitum fuerit, tunc maxime expediat laborare. Arreptum itaque calamum ſemper vel ponere vel aliorſum vertere compulſus ſum, graviora levioribus, & magis neceſſaria minus neceſſariis anteponens. Nam contrarium facere mihi multo plus incommodi, quam tibi commodi ſequebatur. Verte vicem, tuum certe ponderoſius præferre meo vera dilectio ſuaſiſſet. Detur utrumque pariter ponderare, mutuum inter amicos certamen orietur ad Oreſtis & Piladis exemplar, qui cum adverſo caſu decretum eſſet, ut alter eorum moreretur, viciſſim alter alterius amore mori certabant: felices ambo, ſi non ex ſua præſumentes virtute, ſed ex fide, more fidelis Abrahæ, in vera caritate ad Dei gloriam in certamen tam nobile deveniſſent! Hoc loco, ſi me tuus præpoſitus Inſulenſis audiat, cur non & meus? id dicere non auſim, * imperioſus enim & inopum amiculorum deriſor horum is eſſe aut dici popularium inſtar divitum dedignatur. Sed quid fiet, ſi me hoc loco audiat? vis dicam? Sane is obloquendi libidine & ſua ſolita levitate, adverſum me infeſtis, ut aſſolet, verbis oggannict, tuum mihi benivolum animum, ſi poterit, averſurus. Noli, mi Gonthere, dicet, noli adulatoris hujus verbis credere, tibi non vero, ſed blando ore loquentis. Sibi ſoli amicus eſt. Hoc enim ipſum coram te & pleriſque aliis noſtræ profeſſionis in cenis neſcio quando mihi alias objeciſſe recordor. Quod quidem, ut alia pleraque in me pluries lancinata omittam, alta uſque eo mente repoſtum latet, non ob iram, ſed ſi quomodo cautior ſim, ut numquam letheo ſim gurgiti demerſurus, nec immerito convicium tam malignum meis prorſus moribus alienum, efficeret me ab omnium hominum conſortio & benevolentia ſegregare. Sed puerilem convicii cauſam attende, quia ſcilicet rem meam ſerio cum quodam agens, ſibi morem gerere etiam ſupplex renui nugis neſcio quibus intento: hinc ira, hinc convicium, hinc probus ille philoſophus & orator, ſic enim dictitari laborat, vult conſequi me mihi ſoli amicum eſſe. Bone Deus! ut minimis delicatiſſimus hujus divitis ſenſus offenditur; ſed ut in ceteris, ita in hoc quoque ſuam ille illiberalitatem & juſtitiam patefecit, qui ſi quid modo in ſe liberalis & benivoli habuiſſet ingenii, meum ipſe negotium non æquo tantum animo ſuis prætuliſſet verbulis, ſed ultro etiam adjutaſſet. Verum dummodo cordis ſui libidinem expleat, utcumque ſint reliqua parvipendit. Quare jaculum iſtud quod imprudenter & temere in me contorquere voluit in faciem ſuam rectiſſime atque juſtiſſime retorquetur. Ergo tibi videor, Inſulenſis præpoſite, me mihi ſoli amicum eſſe, atqui id male meæ res affirmant: opes, inquam, opes & ſuppellex tua te eſſe talem oſtendunt, quas tu profecto cupiditate exardens, quibus artibus, quales, quem ad finem paraveris ipſe tibi conſcius ſis. Nam vulgo ſatis conſtat, quam ampliores potuiſti ad te totis conatibus contraxiſti, alios tamen atque alios necdum ſatur pandens hiatus, ſcilicet quia re familiari nimium premeris, qui parentes, conjugem, liberos, fratres, cognatos, affines, neceſſarios nullos habes. Ad quem igitur finem, quæſo, tam dives? ad hunc opinor, o Gonthere, ut vir probabilis & pius affluat materia liberalitatis, & caritatis operibus exercendis, quæ tamen, ſi nuſquam apparent, neutiquam admirere. Neque enim vult ea vir Dei per inanem gloriam & jactantiam oſtentare poſt ſe. Nam ſoli Deo & ſibi ſufficit eſſe nota, quamquam tum quibus beneficia dantur, ii ſuos ſoleant ultro prædicare datores. Ob id nimium admirer, quod ille a nullo adhuc beneficus, ab omnibus autem illiberalis & avidus dictitetur. Sed ut taceam quod ipſum grandem congerere theſaurum aiunt, & majus neſcio quod ambire, cauſam exiſtimo, quia tot & tanta ſua beneficia non ſunt, ut poſſint excitare rumorem, cum tamen & magna & plurima impertiri queat ex ejus tum facultatibus & eccleſiaſtica dignitate, tum præſertim officio regio. Quod ſi ſaperet, ſi quam communis commodi curam haberet, potius exercere ſtuderet, quam aut legendis libris nihil proficere, aut tempus terere conficiendis in volumen epiſtolis, quod ambitioſus auctor deriſuræ merito poſteritati relinquat idoneum certe terſorium. Hic tu ridebis, ſat ſcio, & ego rideo in tegendis obſcenis. Ille tamen affectibus, ignorantia, & moribus his imbutus, vult ſe philoſophum, & poëtam, & oratorem glorioſus Thraſo in triviis profiteri, nec poteſt; ut mihi neſcio quando confeſſus eſt, epiſtolarum Senecæ ſententias ca-

* al. impetitorum.

pere. Nam, ut Flaccus ait, sincerum est, nisi A vas, quodcumque infundis acescit. Bona enim vita sit, necesse est, ut fidelis doctrina sequatur. Suis affectibus oportet pectus evacuet, antequam divinorum præceptorum Senecæ capax fiat. Sed cunctos illius mores affectusque perscribere nimis operosum mihi fuerit, atque etiam incommodum habenti meum otium melius & laudabilius implicare. Hæc itaque de plurimis & maximis pauciſſima & minima de se incidenter tibi dicta, qui illum, non mores dico suos, diligere soleas, hac vice sufficiant: quæ velim ad ejus correctionem solus soli paterno dicas affectu, quod si rebellis animus B & dura cervix privata monitione nequeat corrigi, publica succurratur, ferantur sui mores in vulgus, efficax certe remedium, nondum tamen totaliter depravatis, ut a perditione salventur.

Oderunt, inquit Horatius, *peccare boni virtutis amore*,

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Forsan enim verecundia & infamiæ metu ab invio retrahetur in viam, dehinc paulatim fortioribus antidotis medicandus. Sed ubi sum, quæso? quonam modo præpositus Insulensis nunc incidit pedibus alio longe tendentis? equidem hic ubi scribere cœpi, tam illius memor eram, quam unius alicujus e plebe prorsus ignoti. Sed minime miror hoc mihi contigisse. Difficillimum enim est humano ingenio omnia scribenda præconcipere: facillime autem nunc scribendo multa se offerunt improvisa, plerumque etiam potiora provisis. Quare non piget me fateor hanc ipsius præpositi incidisse mentionem, ut satiricam ejus linguam a falsis aliorum conviciis ad propria vitia pro sua D salute convertat. Et nunc istinc disgrediens statui deinceps scribere tibi quæ ab exordio menti tenebam. Nempe cum omnium hominum primus sis, & an solus, nescio, apud quem me meaque omnia ex integra confidentia jocunde deponam, inde meam in præsens campestrem vitam, & ejus quod a negotiis supereſt otii dispensationem tuæ deduci notitiæ cupio, unde tuum etiam spero animum oblectabis. Supervacuum tamen fuerit, & prope temerarium hujus ipsius vitæ, modum ne dicam motum tibi, eruditissime vir, explicare, E quam tu jam veteranus miles doceas. Ego tyro rudis ad istam; tibi quies & agitatio, illius tibi commoda & incommoda omnia sunt experta. Hinc itaque calamum arripiens, utrum vitam ipsam agere & persequi mihi honestum & delectabile censeam opto præfari. Nempe ego arbitror atque sentio quemque mortalium ad id nasci, ut quam maxime potest Reipublicæ ad gloriam Dei prosit, sine quo nihil possumus, nihil sumus. Quod si omnes homines animo fideli studerent, æquabilius, ut Crispi verbo utar, atque constantius sese humanæ res haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari, aut misceri omnia cerneres. Juvat igitur me, fateor, meum hoc ministerium exercere, cum nihil aliud in præsens habeam, nec habere posse videar, quo commodius & laudabilius, quam inde gratari Deo possim & reipublicæ laborare. Meo namque qualicumque stylo per totum terrarum orbem, quos ipse decreverit, dux Aurelianensis alloquitur, unicus ipse Francorum regis frater, tantus princeps, tamque strenuus & gubernandæ reipublicæ tam efficax & semper intentus. Meum apud hunc officium est, quo ad possim, operam dare, ut ille suis litteris ornate, efficaciter, & honeste loquatur; res laudabilis plurimum & decora, sed adeo difficilis & operosa, perdocto loquor, ut nequaquam. Heu! ecce quod timebam adest, nescio quis clamitans, surge, Ambrosi, surge ad Dominum, transcurso opus est, mitte omnia, cur cessas? Parendum est, optime mi Gonthere, commodiori ad te tempore reliqua, ut potero, perferentur. Vale igitur, ut pupilla oculorum meorum, mi liberalissime benefactor. Scriptum &c. C

Explicit.

EPISTOLA LXXVI. AMBROSII de Miliis ad Gontherum.

Dehortatur eum a curia.

Anno 1451. Ex mss. D. Martini Tabarauæi.

SUades sæpius & hortaris, vir diserte & carissime frater, ut tibi ad vitam curialem anhelanti ingressum locumque præparem, & in officio curiali assequendo intercessione opeque adjuvem, forsan communi errore commotus hominum, qui curialium pompas & honores maximam felicitatis partem arbitrantur; aut ut sanctiori desiderio tuo vertam judicium, ea ductus es existimatione, quod ad publica accedentes, majori virtutis exercitio meritoque ampliori dignificentur. Addis & ad hæc meo exemplo te moveri, qui in curia regia versari soleo, & convivendi oblectamentum amoremque inter nos mutuum a te exigere, ut mecum dies & vitam peragas socialem. Novi animum tuum ab amicitia nusquam alienum, & illam humanitatis gratiam non deesse tibi, quæ amicos præsentes amplectitur, & ope, consilio, rebusque prosequitur absentes. Nec mihi minus grave est tua præsentia caruisse, quam mea tibi; & ubi nos olim loca negotiaque disjungunt, te absente, me ipso videri caruisse. Verum cum adeo nostra fata Deus aut fortuna secrevit, ut te in privatis liberius agere, me in publicis versatum similibus agitari passionibus voluerunt, dum mihi compatior, tibi congaudeo, & quas in me patior miserias, te evasisse delector; fortunam etiam si pro me ac-

cuſo, in te laudo, quæ te curialibus exemit A anguſtiis, nec utramque noſtræ amicitiæ partem miſerandam reliquit. Mecum, ut ais, curialis eſſe deſideras, tecum ego ſtudioſius ferventiuſque privatus ſingulariſque fore concupiſco; & dum pro me privatam & liberam vitam libenter omittas; merito pro te mortiferam hanc ſervitutem libentius liquiſſe debueram, cum tutius conjungat amicos humilis tranquillitas, quam elata miſeria. Satis ſit mihi & tibi unius infortunium, ſitque mei infelicitas tibi compunctio, quietudo quoque tua mihi ſolatium, ut noſtra amicitia utriuſque fortunæ vultum B tertius aſpiciat & agnoſcat. Sed quid moliris? jam quæris ut meo exemplo pereas, ut ex portu in naufragium te præcipites.

An libertatis tuæ te pœnitet? Te tuæ tædet tranquillitatis? Patitur hoc humana natura vitium, ut non habita eſuriat, habitaque faſtidiat; ſic tu pacem animi & compoſitæ mentis ſtatum faſtidis, & tui faſtidii errore ea quæ non vitio humano, ſed ſua conditione faſtidioſa ſunt exquiris; & miror quibus actus furiis ſic inſanias, ut ſciens prudenſque tantis te præſentes periculis. Si meo exemplo uteris, nihil tibi pro me exempli es quo curias publicaque palatiorum murmura proſequaris; ſed fugiendi exemplum & abjiciendi ſpectaculum tibi ſim, qui nihil ſalutiferum, nihil tutum inter aulicorum ſtrepitus audeam affirmare.

Putabis forſitan in publico miniſterio exercitium invenire virtutis: ut vere invenies, ſi cum vitiis conſtantiæ certamen devoveris. Attamen vide ne corruptionis incitamenta te citius inveniant. Non enim deſunt in curiis, qui vel compoſito ſermone ſeducant, vel palpent muneribus, livore contendant, minis exterreant, adulatione blandiantur, deliciis illaqueant, & quaquaverſum hominis mentem penetrent. No- D ſtra vero declivis humanitas imitandis hominum moribus & vitiis capeſſendis facilis eſt, & quæ tantis virtus obſideatur tentamentis vix evadit. Eſto perſeveres & te ipſum vitiorum corruptione evellas, nihil præter te ipſum vicisti, quem etiam privatus leviori pugna ſuperares. Aut enim te tua virtus ridiculoſum faciet, aut odioſum tua veritas, vel tua ſuſpectum reddet circumſpecta diſcretio. Nihil enim iniquis ſuſpectior eſt, quam provida æquitas. Reſtat tibi laborem ſine fructu, & vitam cum pe- E riculo peragere, æmuloſque lucrari, quorum æmulationi ſi contendis, ſi benedices injuria, vindicanti creſcit injuria, diſſimulans gravitas dignitaſque rareſcit curialis. Aulicus abuſus & curialis mos eſt, ut neminem aut incorruptum curia relinquat, aut incorruptibilem diu patiatur extolli. Virtus enim vitiis circumdata tantimodis, ſi non ſuperbit, abjicitur; ſi non flectitur, concutitur; ſi non frangitur, pellitur. Et aut quis incoinquinatum ſe ſervabit, aut illæſus evadet? Sic ſunt curiæ opera, ut in puſillanimes ſpretum, in virtuoſos livorem, in arrogantes mortis periculum provocet. Aut inter palatinos ſi infimus es, aliorum poteſtatem æmulaberis proſtratus; ſi mediocris minus ſufficiens, ad majorem conſcendes; ſi ad excelſa & uſque tremenda arcana cortinamque dubiam pertingis, tunc miſerior, cum felicior; tunc prope præcipitium es, cum ad culmen uſque aſcendiſti. Jam ambigua fortuna tibi ſurſum actus es? Reſtat cadere. Quid tibi amplius fortuna debet, quam ruinam? omnia contulit, te ipſum illi debes, ut quem felicem dedit, miſerum recipiat, aſcendentem gloriæ cæcitate involvat, cadentem irrideat. Sic enim curialis altitudinis ventoſa gloria comperta eſt, ut in ea temere conſtituti, omnibus invidiæ, detractionis, aut odii ſpectaculum ſint deſtituti, poſtea opprobrio damnationique in populis ſubjaceant, & quos ſequaces aſſentatores habebant, blaſphemos & irriſores inveniant. Ac eorum ſemper multitudo ſpreta quos fortuna deſtruit, ſemper illorum æmulatrix quos evexit, ludit cum ſummis fortuna gradibus, ac in C ſupremis ludos exercet validos, ex ignis parvo jocatur conamine, labiis clauſis parvis ſubridet caſibus: ruinas magnatum toto ridet hiatu, pectore contuſo manibuſque plaudens negligit in caſis humilique loco meriri vires, altis profundos præparat lapſus, abjectos ad culmina tollit. In celſitudine certa, in regularitate regulata hominum faciles animos facilitate illudit, concordes ſuis moribus conſtantes fingit, & dum contemni ſe videt, intactos ſapius relinquit. Aliis cordibus infractiſque animis variis applaudit fruſtra riſibus: tela ſiniſtra irrito jaculatur impetu; novit objecta ſequè fragilibus blanda ſtrenat cachinnatve traſtis. Spernit utrumque vir magnanimus, illudit ridentem, mirantem deſpicit; ſed illum potius cura curat, qui viros trahit, ſui oblitos & in excelſis prima neſcientes.

Huc tende, ſi de amittenda libertate contendis, hæc tunc te ipſum deſeruiſſe ſciens, cum curiâ ſequi volueris, quæ hominem propriis amoribus alienat, (ſuis) adaptat. Verax eſt? fingere docebitur. Honeſtum tollit? turpia diſſimulare libebit. Patiens & ad lucra tardus eſt? egebit. Petere neſcit? datore carebit. Opportune ingreditur? illum importunum repellent. Sobrius conviva & tempeſtivus cibi moderator eſſe didiſcit? cito prandebit, conticinio cenabit, æſtus potuſque modum & tempus diſſueſſet. Libris vacare ſolet apertis clauſo diverſorio? in tædio otioſus extra oſtiolum tota die vagabitur. Quietem amat? agitatus viator tota ſemper die curſitabit. Somnos ſuaves quæret? noctes inſomnes, vigiliis & anxietate prolixiores aget. Amicitiæ ſtudet? illa palatiorum limina calcare neſcit,

foris expectat, & cum nemine ingreditur, obliviosa est intrantibus, egredis agnoscenda recolitur. Vide quid potius eligas? an ingrediens intrare te retraham, aut egressurus egredientem me reducas? adde quod semper hospes est, qui curiæ servit, & alienæ domus habitator. Alterius in fame alienoque appetitui comedit, cum famelicis sine fame vescitur, cum saturatis curis occupatus esuriem sustinet. Alieno voto vigilat cum jam obsomniasse cœpisset. Et quid servilius est quam naturæ vires & vitalia jura fortunæ subjecisse, cum nihil in homine liberius sit, quam naturaliter vivere; nos servientes sub alieno statuto victitamus. Tu domi pro imperio vivis, parvo sub tecto quietus regnas, altis in ædibus servimus tremente. Cibos ad esuriem tuo tempore accipis, nos ad ingluviem inordinate crapulamur. Tu breves noctes dulci somno efficis, nos vino cutisque gravati, lectis circumvolvimur eversis.

Ad te revertere, & tuæ felicitatis copiam ex nostris miseriis disce. Sed nemo privatæ vitæ delicias satis caripendit, si non publicæ administrationis inedias expertus prius vilipenderit. Doctus Aristoteles Alexandri palatia liquisse gloriatur, & Calistenem discipulum maluit tantæ miseriæ linquere successorem, ac libertimus Diogenes dolio contentus versatili, regias gazas & honores palatinos abdicabat, rogatus negabat, vocatus fugiebat, & se eo potentiorem Alexandro asseruit audenter, quod & plura donaria abnuere poterat, quam ille dare. Aspernatrix enim ambitiosæ vanitatis philosophia viros tantos docebat in tugutiis amplius humanitatis exerceri, quam in curiis, ac faba Pythagoræ, alliisque Horatii dulciorem efficere saporem, quam Sardanapali deliciæ, in quibus fel anxietatis cum aromatici vini dulcedine mixtum potatur.

Habet nostra non dicam vita, sed vitæ exactio sibi adjuncta tormenta sua, nec impune gloria fallax aut pompa fictilis se concedit. Jam vestem speciosam superbi satrapæ populus miratur, nescit quo labore importunoque quæstu sumptum difficilem submini-stret, splendentem potentis apparatum.

Æmulatur vulgus stimulos in exigendo, & æmulos in habendo non computat; longos comitum ordines & crescentem familiæ numerum aspicit. Sciat gravius esse plures pascere, quam paucos; & modicæ familiæ modum imponere levius, quam variis hominum ingeniis moderandis astringi. Nempe qui plures habet, amplius sollicitudinis assumit. Infelix est enim ambitio, quæ hominum servitia servitutibus emit passionum, neque æqualis est commutatio servitutis, cum famulantes viri melioris conditionis partem accipiunt. Propter hæc plausus & salutationes inter felicitates curialium magnipendimus, nihil tamen vanius dici potest, quam simulatione lætari; ut dum quis te nutu veneratur, corde despiciat: gratia soli caputio referenda est, quæ frequenter

nec fraudi communicat, sed adulanti non gratia sed cautela est adhibenda: non enim virtutes tuas, sed suas commoditates prospicit, ut quod a te quærit, blande subripiat. Melius tunc tibi sapienti prospice, ut eum caveas, quam sibi blandienti assentitur, ut te decipiat. Insuper & agnomina & titulos magistratuum avide petimus, & superbe tenemus, primasque cathedras ambimus curiosi. Sed titulus, res ipsa deest sæpius, cum alter justi judicis nomen, alter strenui ducis officium sine opere vindicat, ipsaque nomina rem carissime mentiuntur. Timeri cupimus, vitii maculam non timentes; & dehonestati factis verbis honorari. Ridicula profecto & cachinno digna est nominalis virtus & verbosa dignitas, quæ non laudati hominis merito, sed adulantis labiis & vento vocali tantum conflata est. Irridet hæc Juvenalis Satyra, qui miratur viros titulum præconiumque foris non erubescere, cujus in se meritum non sentiuntur habere. Si leporem appellemus leonem, si deformem mulierem puellamque Helenæ titulo decoremus; ludicra res est, & fabulosa, irrisione digna. Et ecce nos curiales effrontes officiorum non jura, sed nomina sequimur, verbales sumus, & voces non res recipimus, Catonem non imitati, qui officii publici nomina abnuens, privatus nomine, publicus opere, semper se virtuti exercebat, ac si quandoque ad publica officia jussus ascenderet; semper sic rem gerebat, ut majori honore dignus esset, & quo magis honores fugiebat, illos magis assequebatur. Nos viceversa honores cupimus indigni, subripimus non vocati, cum injuste petimus juste perdimus, temereque sequentes nos fugiunt.

Te, frater dilecte, te cum virtus tua, quæ sibi ipsi beate viventibus & gaudium est & præmium. Te stricto sub cenaculo ampla sufficientia retineat, nec curiali more virtutem & honorem garrulo tuo ore, sed solo tuo opere expectes, qui gloriam palatiorum æmuleris, cum potius deceat miseriæ misereri amicum. Non actu me sequaris, sed planctu; neque proximum me purpuræ læteris, sed potius obsitum periculis lugeas & insidiis circumseptum, omnium pedum passu prospiciendum mihi & verbo pondus metusque signandi sunt. Ne divertaris, pede levato subripiar; aut sequeris semel emissum; & irrevocabile verbum infido relatori aut maligno interpreti committam. Nutrit curia viros, qui de ore hominum aut fraude sermones extorquent, aut simulatione expectant, quos in caput loquentis retorqueant, & sibi ex alterius detrimento gratiam conciliant. Si officio fungaris; ad litem te præpares: tu possides? alii appetunt. Jam cum livore certamen est, meditatur quo te pacto subducat. Tu torqueris

ac resistas ætate consumta ac viribus exhaustis officium adeptus vivis: heri adveniens supplantabit te. Labore quæsisti, & timore retines quod gravi cum dolore perdendum est. In officio tibi pacem & victus per timorem comparabas, habens tibi bellum indicitur. Dabit alter munera ut tollat: dare oportet ne tollatur. Vide domunculam quantum libertatis tibi conferat. Tu ei gratiam referas, quæ te solum dominum capit & ostiolo clauso alium te nolente non admittit. Pulsantur diviris fores, murmure sonant alta palatia, atriis latis pressura imminet, stringitur latus populi concursu, calet anhelitu potentis aula, lictoris virga quatitur, humile caput....; cito ingredi contendunt invicem, pellentesque, vicibusque versis nuper repulsus propius adstat, ac nunc assistens superbus satelles procul remotus pudens obmutescit, illic ambiguus fortunæ status mentis quietem possidere nescit. Sed pudent semper dubia vota, & ubi gratiam invenisse putas, tunc recordare dicti poëtici, *principibus placuisse viris non maxima laus est*. Vix modernam curiam descriptiva definitione designarem. Est virorum conventus, qui ad se decipiendum boni communis simulatione commutant viri pectora; metalla, annonam, & vestem venditione & emtione commutant. Nos vero curiales hominum institores sumus, & humanitatem pretiis exponimus, pretiosam alienam amicitiam aut assentatione aut corruptela emimus; nostros vero favores reciproce venumdamus. Quid illic certum acquisieris? quid stabile tibi firmaveris tutumve dixeris? ubi vendi potest quod emi potuit. Intrare porticus altas dum eniteris, jam desinis tui capitis esse dominus, jam tui juris esse desistis: times quod petis, & quod speras diffidere, quod diffidis sperare incipis. In te duellum & intestina latet curarum discordia, quam curia mendax semper & enutrit & auget. Nemo profecto beatam vitam recte appellet, quæ tanta tempestate comparata est, tantisque vertiginibus agitatur. Quæris igitur quid sit curialis vita? opulenta vita miseriis, copiosa egestas, celsitudo caduca, status instabilis, tremens securitas, moribunda vita. Sicque apud sana & sanctæ libertatis amantia corda vocabitur. Fugite, viri fortes, state procul; si vos bene beateque vixisse delectat, & velut in littore tuti, nos sponte naufragantes despicite stolidos; veluti nautas muliebres in mare Syrenes mergunt, sic trahit applausu corda facilia curia fallax, & blando vultu cultuque mirando se concupiscendam oculis ostentat, meretrici more allicit blande, vana pollicens, ridet ingressu, novitate grata, aspera statim faciem commutat, & cum dulcibus miscet amara, retinet captos, mentesque victas retinet, semper potens errore corda venenat oblita sui. Egredi nescit semel introgressus, sed perit libens, vique canescit natura negante, *numquam futurus nisi morte liber*. Crede mihi, frugale officium exerces, si parvi tugurii magister esse scias, & dum tibi sic sufficis, potens es; ac si quis modicæ familiæ compos quietus vivit, dominus est, & eo beatiorem vitam, quo liberiorem tenet; cum nihil tam pretiosum cœlo clauditur, quod libertatis commutatione dignum sit. O fortunatos, quietos penates, & pauperis lares honesti, quem edocuit parcitas contenta vivere pauco, nec alienos edere labores anxia mensa! O felix casu, virtute potens, nescia fraudis! quem dum metu moderata vitæ regit honestas, illuc non intrant scelera, illuc recte vivitur, ubi solus peccati pavor eum remordet, cum neque rumore tenetur domus, neque pulsatur frequentiæ tumultu, aut livoris oculis penetratur, hujus vitæ tranquillitate lætatur natura, & in casulis periodos implet. tractumque fluit placida ætas, cui senectus expectata tempore advenit suo, ait Tragicus, venit ad pigros cana senectus humilique loco. Ecce nos curiales fortunæ servi præter naturam vivimus, curisque senescimus, non annis; & vitæ avidi, vivere nescientes, vivendi suavitate cruciamur; moriendique timidi, anticipata morte mori properamus. Vive, frater memor tui, & nostris ex casibus stare disce, neque adeo te contemseris, ut vitam pro morte relinquas, non desine quod repetas, ut quæras quod abhorreas: immo oro, suadeo, & contestor, si sanctæ beatæque vitæ modum magni pendis; si non te prorsus perditum iri velis; ut mentem exuas curialem, teque intra privatæ domus metas salubriter cohibe, ac si domi vivens felix fuisse nescias, esse discas. Vale feliciter.

Explicit.

Actum Ambasiæ die secunda Februarii. Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto.

EXCERPTA EX SIXTI IV. PAPÆ REGISTRO.

ANNI MCCCC LXXIV.

Ex ſchedis Mabillonii.

EPISTOLA PRIMA.

Frederico Romanorum imperatori.

Laudatum pro defenſione Chriſtianæ religionis hortatur ad concordiam cum Matthia rege Hunguriæ.

Anno 1774. CArissime in Christo fili, celsitudinem tuam omnia quæ ad defensionem Christianæ reipublicæ pertinere visa sunt, summo studio, summaque per te pietate, in dieta nuper celebrata curasse, ex dilecto filio Andrea de S. Vito dilecti filii nostri cardinalis S. Marci, nostri & apostolicæ sedis in partibus illis legari accepimus, ob eamque rem lætati plurimum sumus. Juvat quippe de majestate tua intelligere, ea quæ cum tui nominis exaltatione, reliquis Christianis opere utilia sunt & exemplo. Quare plurimum ac plurimum sapientiam tuam in domino commendamus, & ex parte omnipotentis Dei apostolica auctoritate benedicimus tibi. Feeisti quod semper te facturum credidimus, & quod præsentium temporum urgens necessitas exigebat. In te enim potissimum intuentur omnes, & tua optima voluntas perspecta alacriores ceteros reddet. Optamus præterea, carissime fili, ut tibi & carissimo in Christo filio nostro MATTHIÆ Ungariæ regi illustri bene conveniat. Consensus enim vester necessarius quodammodo esse videtur, ad perficienda ea quæ pro communi defensione sanctissime & prudentissime sunt cogitata & ordinata. Nam ipse rex præter opportunitatem locorum, virtutem gentis, & assuetudinem belli Turcarum, plurimum ad illos oppugnandos videtur posse conferre. Itaque exhortamur & rogamus ex corde celsitudinem tuam, ut velis cum ipso rege gratiam tuam in domino commendamus, & ex parte omnipotentis Dei apostolica auctoritate benedicimus tibi. Feeisti quod semper te facturum credidimus, & quod præsentium temporum urgens necessitas exigebat. In te enim potissimum intuentur omnes, & tua optima voluntas perspecta alacriores ceteros reddet. Optamus præterea, carissime fili, ut tibi & carissimo in Christo filio nostro MATTHIÆ Ungariæ regi illustri bene conveniat. Consensus enim vester necessarius quodammodo esse videtur, ad perficienda ea quæ pro communi defensione sanctissime & prudentissime sunt cogitata & ordinata. Nam ipse rex præter opportunitatem locorum, virtutem gentis, & assuetudinem belli Turcarum, plurimum ad illos oppugnandos videtur posse conferre. Itaque exhortamur & rogamus ex corde celsitudinem tuam, ut velis cum ipso rege gratiam benevolentiamque redintegrare, & privatam, si quam .... prætendis, offensionem dissensioni publicæ condonare. Speramus quoque quod ipse Bohemiæ rex pro sua pietate & sapientia, celsitudinem tuam caritate & observantia prosequetur, præsertim cum inpræsentiarum nos ad eum hac de causa nostri ingentis desiderii testes litteras dederimus, & quantum utilitati reipublicæ Christianæ futurum sit ostenderimus.

Ceterum idem nobis conquerens retulit nonnulla, quæ tuæ celsitudini de rebus temporalibus nostræ curiæ suggesta sunt. Fuissent ea nobis molesta, si vera essent. Monemus te non adhibere fidem hujusmodi rumoribus, qui non pro veritate, sed libidine uniuscujusque dissipari solent, in magnis præsertim curiis, & in nostra potissimum, in qua omne hominum genus ex toto orbe terrarum versetur necesse est. Attendavimus fructus nonnullorum beneficiorum, ut creditoribus, quos pecuniis creditis fraudare iniquum esset, satisfieri posset, quod & alii nostri prædecessores summi pontifices factitarunt, & novissime sanctæ recordationis PAULUS II. pie prudenterque fecit in proventibus beneficiorum bonæ memoriæ cardinalis de Lebreto, ex quibus priusquam creditoribus satisfactum esset, nihil detrahi passus est. Ademta hac spe satisfactionis, invenietur nemo qui prælatis & viris ecclesiasticis credere pecuniam velit. Nec est absre, ut sic prælatorum debita dissolvantur, præsertim cum ipsi pro augmento

beneficiorum viri ecclesiastici hujusmodi pecunii utantur ut plurimum, sicut fecit magna ex parte bonæ memoriæ cardinalis S. Sixti, cujus beneficia arrendata fuerunt. Homines sermonis cupidi hinc calumniæ materiam aucupati sunt, famaque ipsa, ut fit, falsa per mendacia crevit. Late patere hoc vitium detractorum quotidie experimur, quippe nec celsitudini tuæ parcunt, sæpeque ingerunt & affirmant te ex nominationibus a sede apostolica tibi concessis lucrum facere. Hos nos sermones nedum mente, sed auribus quoque repudiamus, ac vanos duximus. Pluris enim apud nos est optima, quam semper habuimus, de tua sapientia opinio, quam vel totius orbis sermo. Unum te oratum volumus, carissime fili, ut si quando ad te quid simile defertur, nos certiores reddas. Itidem nos si quid de te defertur faciemus, ut & nostro & tuo, rejectis susurrationibus, consulatur honori & improborum mendacia deprehendantur. Datum Romæ Kalendis Septembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA II. DUCI MEDIOLANI, Venetiarum, duci Herculi & Florentinis.

De deditione civitatis Castelli.

SIXTUS papa, dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Deditionem civitatis nostræ Castelli ex copia præsentibus intercluſa nobilitas tua videbit, quam rem non dubitamus eidem nobilitati propter nostrorum & S. R. E. populorum tranquillitatem ac quietem æque ac nobis gratam & jucundam, cum te semper devotissimum S. R. E. filium fuisse cognoverimus. Datum Romæ die II. Septembris anno M. CCCC. LXXIV. anno IV. Pontificatus.

EPISTOLA III. JOHANNI Ludovico de Sabaudia notario nostro Gebennensis ecclesiæ administratori.

DIlecte fili S. & A.B. Commisimus nonnulla dilecto filio Petro Zaquemonio Jurisconsulto, nostro nomine devotioni tuæ referenda, in quibus hortamur plenam fidem adhibere velis. Datum VI. Septembris M. CCCC. LXXIV. anno IV.

EPISTOLA IV. REGI FERDINANDO.

Gratulatur ei de nova affinitate cum Matthia rege Hungariæ.

CArissime fili, quod nos de nova affinitate cum carissimo in Christo filio nostro MATTHIA Ungariæ &c. rege illustri contracta certiores reddideris, rem jucundissimam nobis significasti. Magna enim nos affecisti lætitia, quippe cum hoc & sapientissime & convenientissime partium existimamus propter nostram mutuam benevolentiam, qua omnia eorum nobis ducamus communia, non possumus non summopere gaudere, cum quid, quod ad tuam tuorumque amplitudinem pertineat, nuntiatur. Ipse igitur Deus, qui tanti boni auctor fuit felicitatem... tibi tuisque largiatur in exaltationem fidei suæ sanctæ, tibique & regi ipsi & nobili conjugio tunc benedicat, sicut & nos ejus parte benedicimus, & perpetua felicitate augeri desideramus. Datum die VII. Septembris anno M. CCCC. LXXIV. anno Pontificatus IV.

EPISTOLA V. MATTHIÆ Ungariæ &c. regi illustri.

Gratulatur ei de matrimonio suo cum Beatrice filia regis Siciliæ.

CArissime fili, ex litteris carissimi Christo filii nostri FERDINANDI Siciliæ regis illustris accepimus BEATRICEM natam ejus illustrem majestati tuæ desponsatam esse, rem quidem nobis gratissimam jocundissimamque. Tantorum enim & tam catholicorum regum conjunctio non potest non esse sanctæ apostolicæ sedi utilis, & Christianæ reipublicæ salutaris. Deus igitur omnipotens tam convenientis affinitatis factum conjugium hoc felicitet & fecundet. Datum die XVII. Sept. M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA VI. CARDINALI Hispalensi.

De mulis a duce Mediolanensi retentis & de relaxandis ipsius hominibus in regnis Castellæ & Legionis detentis.

DIlecte fili, misit ad nos dilectus filius nobilis vir GALLEAZ MARIA Mediolani dux proprium nuntium, qui eum excusaret de retentione mularum atque equorum, qui ad nos circumspectionis tuæ nomine ducebantur, asserens se ignorasse penitus a principio quod ad nos ducerentur, aut a circumspectione tua mitterentur. Nam si id sciviſſet numquam illos retinuisset, non solum ob nostri reverentiam, verum etiam ob amorem tui, quem ipse & observat & amat. Visum est id circumspectioni tuæ significare, ut libentius operam tuam dare velis, quod homines ipsius ducis, qui in regnis carissimi in Christo filii nostri HENRICI Castellæ & Legionis regis il-

luſtris detineri dicuntur relaxentur, & ſcandali ceſſet occaſio. Datum die XXV. Septembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA VII. REGI FRANCIÆ.

De detectione corporis S. Petronillæ.

CAriſſime in Chriſto fili ſalutem. Nuper cum capella B. Petronillæ in baſilica principis apoſtolorum de Urbe munificentia tuæ majeſtatis exornaretur, arca marmorea ubi venerabile ejus corpus reconditum erat, inventa fuit, in cujus fronte hæc verba inſculpta cernuntur. *Divæ Petronillæ filiæ dulciſſimæ, quæ a beatiſſimo apoſtolo Petro erudita* (a) *eſſe pie credendum eſt.* (a) Extant præterea ab omnibus ipſius arcæ capitibus delphines quatuor veluti cuſtodes & veneratores tam glorioſi ſepulcri, de quibus conjecturam fecimus non eſſe novam tui Chriſtianiſſimi ſanguinis ad hanc ſanctam Dei devotionem. Quod ideo magis etiam nobis placuit, quia in hac tua venerandi hujus ſepulcri exornatione majorum tuorum religioni correſpondere videris, ſicut præclaris aliis virtutibus etiam eas imitaris. Hæc autem majeſtati tuæ ſignificanda duximus, ut eo magis munificentia & pietate tua in ipſam ſanctam læteris, & intelligas nos ob amorem noſtrum erga te, magnam ex hac devotione tua cepiſſe conſolationem. Datum die XXV. Septembris anno M. CCCC. LXXIV. anno IV. Pontificatus.

EPISTOLA VIII. DUCI FERRARIÆ.

Significat ei futurum inter nepotem ſuum & filiam ducis Urbini matrimonium.

DIlecte fili, ſuadet caritas & benevolentia mûtua, ut de quibuſcumque noſtris & noſtrorum rebus excellentiam tuam certiorem reddamus. Itaque, quod omnipotens Deus ſecundet, nuperrime cum dilecto filio nobili viro FREDERICO Urbini duce de nata ejus dilecto filio JOHANNI DE RUERE noſtro ſecundum carnem nepoti in matrimonium locanda tranſegimus, quod cum gratum tibi eſſe non dubitamus, notum fecimus. Datum Romæ die XIV. Octobris M. CCCC. LXXIV. anno Pontificatus IV.

(a) Ex hac inſcriptione non obſcure eruitur S. Petronillam non carnalem ſed ſpiritualem S. Petri apoſtoli filiam fuiſſe.

EPISTOA XIX. JOHANNI Baptiſtæ de Bentivoliis equiti & Juriſconſulto.

Conſolatur eum de morte filii.

DIlecte fili ſalutem. Audito nuper obitu Johannis Franciſci nati tui notarii noſtri, doluimus ſecundum carnem: illum enim, quia tuus & quia te dignus erat, paterne amavimus, ſed moderate ferendum eſt & putandum in bonis quidquid Deo diſponente contingit. Quod ſi ſolitæ tuæ prudentiæ inſiſtere voles, ſapienter facies. De monaſterio autem S. Crucis Avellanæ deſiderio tuo ſatisfeciſſemus, accedente præſertim non vulgari commendatione & interceſſione dilecti filii nobilis viri FRIDERICI ducis Urbini S. R. E. (a) Confalonerii (b), niſi prius illud a nobis dilectus filius & nepos noſter cardinalis S. Petri ad vincula impetraſſet. Cardinali tamen ipſo hujuſmodi monaſterium obtinente, non ſecus ac ſi tuorum eſſet de illo diſponere poteris. Datum Romæ die XIV. Octobris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus noſtri anno IV.

EPISTOLA X. FREDERICO duci Urbini S. R. E. Confalonerio.

De liga generali ſuſcipienda, ut particularis inter Venetos & Florentinos diſturbetur.

DIlecte fili & affinis. Salutem &c. Fecit a nobis dilectus filius & nobilis vir GALEAZ MARIA, dux Mediolani, per oratorem ſuum inſtanter peti, ut ligam hanc generalem quam plurimum concludere vellemus, ut liga particularis quæ tractatur inter Rempublicam Venetam & Florentinam diſturbetur. Nos autem, quia dilecti filii Antonii Cincinelli apud ducem Mediolani regii oratoris litteras ad ipſum regem ſcriptas, & ab ipſo rege nobis miſſas vidimus, de voluntate ipſius ducis in hac materia, quam dilectus filius Anellus Archamonius ad te mittit, & quia etiam audimus inſtructiones oratoris Florentini, qui Venetias hac de cauſa mittitur, cum mandato ut quam primum ligam hanc particularem cum Venetis concludere ſtudeat, ac interim diſturbetur, & locus relinquatur præfato duci Mediolani ingrediendi in eam ſi velit, hæremus aliquantulum animo. Quamobrem volumus hæc nobilitati tuæ ſignificare, ut rebus hinc inde diligenter examinatis, ſapientia & caritate tua ſolita nobis conſilium tuum declares, & quid tibi videatur

(b) Confalonerius eſt vexillifer. Gonfalon enim eſt vexillum.

detur faciendum exponas, cum in prudentia tua plurimum conquiescamus. Dilectus filius nobilis vir FREDERICUS regius natus hic propediem aderit, Burgundiam versus profecturus. Datum Romæ die XXV. Octobris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XI.
Locum tenenti legati Marchiæ.

Ut Johannem de Riviere *nepotem in possessionem inducat eorum locorum, in quibus eum creavit suum vicarium.*

VEnerabilis frater salutem &c. Mittitur a nobis venerabilis frater ALEXANDER episcopus Forlivienſis; ut dilectum filium Johannem *de Riviere* equitem, nostrum secundum carnem nepotem, civitatis Senogallienſis, terræ Mondanii & aliis nonnullis in locis nostris & S. R. E. quæ ei in vicariatum concessimus, in possessionem inducas. Volumus & tibi expresse præcipiendo mandamus, ut pro executione præmissorum, auxilium, consilium, & favorem impendas prout ab ipso episcopo fueris requisitus. Datum Romæ die XVI. mensis Octobris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XII. FREDERICO
Romanorum imperatori semper augusto.

Commendat ei Bajarit Osmannum Turcarum principem.

CArissime, dilectum filium nobilem virum Bajarit Osmannum Turcarum principem, qui cum litteris commendatitiis tuæ celsitudinis ad nos venit, benigne suscepimus, & paterna caritate tractavimus, eumdem ad loca ipsa tamquam multo opportuniora proposito suo redeuntem ipsi celsitudini tuæ plurimum in Domino commendamus. Datum die I. Novembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus.

EPISTOLA XIII.
Venerabilibus fratribus archiepiscopo Lugdunensi ceterisque prælatis, ad quos præsentes pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Commendat eis Gervasium de Salis missum ad inquirendum de miraculis S. Bonaventuræ.

MIttitur dilectus filius Gervasius de Salis ordinis Minorum observantiæ regularis, ut de miraculis colendæ memoriæ B. Bonaventuræ de Balneo-regio ejusdem ordinis inquirat, plenamque & veram informationem habere curet, quo sancta apostolica sedes, apud quam pro illius canonisatione instatur, ea quæ ad tantam rem necessaria sunt cognoscere possit, & prout res exigit judicare. Quocirca devotionem vestram paterna hortamur in Domino caritate, quatenus ipsi Gervasio opportunos quotiens duxerit requirendum favores impendere studeatis, recepturi a nobis liberam commendationem. Datum die II. Novembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XIV.
Regi Franciæ.

Orat ut cardinalem abbatem S. Dionysii fieri sinat.

CArissime, accepimus litteras tuas de monasterio S. Dionysii in Francia, & Araldum qui eas detulit audivimus. Visum est autem iterum majestatem tuam hortari, ut rationes & causas quas alias scripsimus penset. Non enim dubitamus, quin si illas pro tua maxima sapientia diligenter consideraveris, acquiescas. Certe, carissime fili, non minus tui honoris quam utilitatis monasterii interesse videtur, quod is cardinalis (a) qui semper tuæ amplitudinis studiosissimus fuit, qui nullum tempus remittit, nullum laborem recusat in rebus tuis, tuo potissimum auxilio & favore possessionem pacificam ejusdem monasterii consequatur. Videberis enim in eum gratus, ipsumque & alios multo alacriores ad res tuas promovendas efficies. Accidit quod omnes venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales id vehementer desiderant, honorique sacri collegii detrahi putant, quod primarius cardinalis, maximis virtutibus ac meritis pollens, sanguinis tibi necessitudine conjunctus rejiciatur. Itaque rursus celsitudinem tuam rogamus in Domino velit hæc diligenter attendere, & tantum virum opportuno favore complecti. Datum die V. Novembris anno M. CCCC. LXXIV. anno IV. (a)

EPISTOLA XV. JOHANNÆ
de Arragonia ducissæ Arcis & Soræ

Hortatur ad pietatem.

DIlecta in Christo filia S. & A. B. magnam nobis attulerunt litteræ tuæ jucunditatem, propterea quod te incolumem ex his esse cognovimus, quod summopere

(a) Is erat Guillelmus de Estouteville episcopus Ostiensis archiepiscopus Rothomagensis & cardinalis, de quo etiam epistola 16.

desideramus. Siquidem & dilectus filius nobilis vir LEONARDUS dux Arcis & Soræ almæ Urbis præfectus, noster secundum carnem nepos, consors tuus optime valet. Qui si adhuc Neapolim non venit, ut erat constitutum, & ut ad te scripseramus, nonnullæ causæ impedimento fuerunt, & maxime quod circa nos semper fuit occupatus; sed Deo concedente, vere proxime illuc veniet. Tu interim, ut facis, virtutibus indulge, & de bono in melius persevera & valetudini stude, & si quid a nobis velis pete, faciemus certe animo libentissimo. Te enim ex corde diligimus, & in filiam dilectissimam habemus. Datum die XVIII. Novembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XVI. ANDREÆ de Spiritibus.

Ut studeat inclinare regem ad suum pro cardinali Rothomagensi desiderium.

DIlecte fili salutem. Scripsimus nuper in favorem venerabilis fratris nostri G. episcopi Ostiensis cardinalis Rothomagensis, carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO Francorum regi Christianissimo manu nostra propria, ut quantum nobis res præfati cardinalis cordi sint, possit ex eo potissimum intelligere. Curabis igitur, si in itinere non es, litteras ipsas nostras suæ majestati reddere, & simul omnes animi tui vires intendere, studiumque & operam adhibere, ut præfatus rex desiderio in hoc nostro non repugnet. Si autem itineri accinctus es, ad nos statim veni. Sane quemadmodum nos in omnibus rebus statum suum ac suorum convenientibus serenitati suæ, quantum cum Deo possumus, libenter complacemus, quod & fecimus hactenus & facturi sumus, quantum cum Deo licebit: sic debet in his quæ tantopere commendamus ipsi, nobis satisfacere. Accedit ad hoc quod præfatus cardinalis una cum dilecto filio nostro PHILIPPO tituli S S. Petri & Marcellini cardinali Arelatensi negotia suæ majestatis apud nos ea fide,.. & diligentia prosequuntur, ut ne propria quidem negotia majore prosequantur, & horum auctoritas quæ a sacro collegio cardinalium propter merita & virtutes eorum plurima est, majestati suæ eo carior esse debet, quo sibi fidelior est. Itaque diligenter hanc rem majestati suæ commendabis. Datum die XX. Novembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA XVII. regi Franciæ.

Orat nuntium suum jussu regis detentum relaxari.

CArissime in Christo fili, intelleximus dilectum filium Acursium de Petro cubicularium & nuncium nostrum jussu tuæ majestatis detentum esse. Quod si verum sit, malignorum suggestione credimus factum fuisse: præsertim cum non possimus nobis persuadere, quidcumque ab ipso Acursio esse commissum, quod possit ipsam tuam majestatem offendere. Quare hortamur atque rogamus, ut attento quod Acursius noster est, & pro nostris negotiis missus, quam citius relaxari facere & ad nos remittere digneris. Datum die XXIII. Novembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XVIII. Constantio Sfortiæ Pisauri in temporalibus vicario nostro.

Ut ecclesiæ Pisaurensi consulat.

DIlecte fili salutem &c. Cupimus ut isti Pisaurensi ecclesiæ aliquando consulatur, nam sine dedecore hujus apostolicæ sedis & tuæ conscientiæ onere, res sic stare non potest. Itaque nobilitatem tuam hortamur, & apostolica auctoritate monemus, sanam in hoc deliberationem sumere velis. Et quoniam modernus episcopus ad permutationem cum fratre THOMA episcopo Interannensi thesaurario nostro generali tui studiosissimi propensior esse videtur; occasionem hanc amplecti, ut & nostro & tuo consulas honori. Datum Romæ die XXIX. Novembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XIX. regi Ferdinando.

Ut apud regem Aragonum patrem suum enitatur, ut onera ecclesiis imposita tollantur, & beneficiorum provisiones suum sortiantur effectum.

CArissime in Christo fili salutem &c. Facti nuper certiores multorum fide dignorum relatione, quod carissimus in Christo filius noster JOHANNES Arragonum rex illustris genitor tuus, nova quædam & manifesta onera ecclesiasticis prælatis imposuit, assignamentaque plura in bonis ecclesiarum fecit. Reputantes quoque animo quod nulla ferme apostolicarum pro-

viſionum a nobis facta in ſuis regnis potuit A effectui demandari, vehementer quidem miramur atque dolemus, præſertim cum ipſe tuus genitor maximam noſtram in ſe caritatem pluribus in rebus arduis ſit expertus, & nobis, ſi recte exiſtimare vult, plurimum debeat. Miramur, inquam, merito & dolemus, nec pro paſtoralis officii miniſterio, apoſtolicæque ſedis ſanctæ honore, hæc toleranda ullo modo ducimus; & quoniam de tuo catholico animo ſolitaque ſapientia & ſingulari in nos dictamque ſedem devotione præcipuam in Domino fiduciam obtinemus, nec dubitamus quin eccleſiaſticæ libertati favendum putes, hortamur tuam B ſerenitatem in Domino, & paterne monemus, velis omni ſtudio ingenioque eniti, quod & onera hujuſmodi quamprimum auferantur, & apoſtolicis proviſionibus deferatur. Porro ſi, quod non credimus, in hac re idem genitor tuus durior eſſe voluerit, non differemus ad opportuna remedia procedere, quæ pro officio noſtro paſtorali, & hujus ſanctæ ſedis honore cogamur adhibere. Datum die XI. Decembris.

EPISTOLA XX.
regi Ferdinando.

Laudat eum quod peregrinorum commodo conſulucrit.

CAriſſime in Chriſto fili, redditæ ſunt nobis litteræ tuæ... pietate ſolita ac maxima in nos caritate refertæ, in quibus & peregrinorum commodo te benigniſſime conſulturum affirmas, & annonam petitam liberaliſſime offers. Utraque res nobis jucundiſſima fuit, ob quam te ſumma laude D ac commendatione dignum putamus, ac majeſtati tuæ gratiam habemus. Scripſimus autem de vectigalibus, non quod de tua pietate dubitaremus, qua nihil nobis exploratius eſſe poteſt; ſed quia mos eſt Romanis pontificibus in re hujuſmodi ad omnes principes ita ſcribendi. Quo enim diligentiores redduntur Pontifices in procurandis commodis peregrinorum, eo illi libentius ac ſecurius ad ſpiritalem gratiam conſequendam accedunt. Datum XIV. Decembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV. E

EPISTOLA XXI.
Cardinali Cantuarienſi.

De denario S. Petri quod cameræ apoſtolicæ redintegrari cupit.

DIlecte fili noſter ſalutem &c. Miſimus ad inclytum regnum Angliæ noſtrum & apoſtolicæ cameræ collectorem dilectum filium PROSPERUM CAMILLUM DE MEDICIS notarium ac nuncium noſtrum, tamquam probatæ induſtriæ ac probitatis virum, cum commiſſione expreſſa, quod denarium S. Petri cameræ ipſi redintegrare curaret. Fuit in ipſo regno menſibus pluribus, & tamen nullus adhuc commiſſionis ſibi ſuper hoc datæ fructus apparet, & quod mirari vehementer cogimur, nec ſatis intelligere poſſumus quæ tantæ moræ cauſa ſit. Proſper ſane ipſe in executione mandatorum noſtrorum negligens eſſe non ſolet. In mentem potius venit difficultates ab aliquibus non curantibus quæ Dei ſunt objici. Quare cupientes hujus rei nos ſcire veritatem, circumſpectionem tuam hortamur in Domino, velis tuis litteris nos de hoc reddere certiores, ut neceſſaria remedia pro indemnitate cameræ adhibere poſſimus. Datum Romæ die XIX. Decembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXII.
Comiti Palatino Rheni S. R. J. electori.

Suum retinuiſſe oratorem ſpe concordiæ cum Frederico imperatore.

DIlecte fili ſalutem &c. Dilectus filius Petrus Antonius de Clapis orator tuus quamdiu apud nos fuit ſumma cum fide & prudentia negotia tuæ nobilitatis eſt proſecutus. Nos autem eum diutius retinuimus, tum ob maximas hujus ſedis occupationes, tum quia hactenus ſemper in ſpe fuimus concordiæ inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum FREDERICUM Romanorum imperatorem ſemper auguſtum, D & te ſancienda. Quid demum fieri poterit ex ipſo oratore tuo accipies, cui fidem præſtabis. Datum die XXIII. Decembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXIII.
Galeatio Mareſcallo de Calecis equiti Bononienſi.

De ſua erga natos ejus dilectione.

DIlecte fili ſalutem &c. Redditæ ſunt nobis litteræ tuæ, in quibus de confirmatione turris Vullini & paterna dilectione, qua natos tuos proſequimur, nobis gratias agis. Confirmationem libenter fecimus tua ſingulari in nos ſanctamque ſedem apoſtolicam obſervantia & devotione inducti. Ad noſtram in ipſos natos tuos paternam dilectionem virtus & probitas eorum accedit. Quos enim probitate... præditos novimus & amare conſuevimus, ut ita in dies perſeveraturi, ſicut confidimus, de bono continuabunt in melius. Dilectum fi-

lium Agamemnonem equitem etiam natum tuum libenter in his quæ poterimus commendatum habebimus. Datum Romæ die XXIII. Decembris anno M. CCCC. LXXIV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXIV.
Ludovico regi Francorum Christianissimo.

Ut ex Auxitana provincia frumenta Romam transferri permittat.

Anno 1475. CArissime in Christo fili salutem &c. Instante sacro Jubilei anno, quo ad almam Urbem nostram pro indulgentiis consequendis, magna fidelium confluit multitudo, paterna sollicitudine providemus, ut in ipsa Urbe frumenti & aliarum rerum ad victum necessariarum copia vigeat. Facti itaque certiores tantam hoc anno Dei benignitate in provincia tua Auxitana frugum fuisse fertilitatem, ut possis absque aliquo subditorum tuorum incommodo, frumentum multis aliis impertiri; commisimus dilecto filio Johanni Baptistæ Centurioni mercatori Januensi, ut pro usu dictæ Urbis nostræ aliquam tritici & hordei quantitatem in ipsa provincia tua emat. Quocirca serenitatem tuam hortamur in Domino & rogamus ex animo, velis pro tua maxima pietate, mutuaque nostra benevolentia, ipsi Johanni summam quam nomine nostro petierit, tractam liberam benigne concedere, prout confidimus te esse facturum, præsertim cum res pientissima sit, & ad communem utilitatem pertineat. Datum Romæ III. Januarii anno M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXV.
regi Arragonum.

Officium scriptoratus coram officiali Calasambii Tyrasonensis diœcesis non posse ad vitam dari.

CArissime in Christo fili salutem &c. PETRO episcopo Tyrasonensi referendario nostro domestico referente, intelleximus serenitatem tuam desiderare, ut officium scriptoratus coram officiali suo Calasambii Tyrasonensis dioceſis, quod amovibile est, & ad beneplacitum dicti episcopi, dilecto filio Bartholomæo Serena concessum fuit, ad vitam concedatur eidem. Non visum est posse in ea re annuere, non quod non cupiamus omnia tua desideria, quantum cum Deo possumus adimplere; sed ne ipsius officii alteretur natura. Alteraretur autem si ad vitam cujusquam concederetur, cum amovibile sit, & ita ab institutione permansit. Quare hortamur ipsam tuam serenitatem, ut præmissis attentis beneplacito hujusmodi contentetur, & ejusdem episcopi tibi deditissimi hac in re excusationem accipiat. Præterea audivimus dilectum filium Raymundum præsentium latorem, cui nonnulla tuæ majestati referenda transmisimus. Datum die V. Januarii anno M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXVI.
regi Ferdinando.

Facultatem tribuit ei delinquentes suos subditos in ditione papæ puniendi.

CArissime in Christo fili salutem &c. Ex dilecto filio Anello Archamono oratore tuæ serenitatis accepimus, desiderii tui esse, ut tibi facultas concedatur a nobis animadvertendi in tuos, etiam postquam in loca nostræ ditionis cum illis perveneris, ne illi spe impunitatis a disciplina divertant, aut indignum aliquid faciant. Desideras, fili carissime, rem non necessariam. Nostræ enim mentis voluntatisque erat, ut nonminus in locis nostris in eos juris & auctoritatis habeas, quam si in regno tuo ageres. Tamen ne videamur non annuere, modestiæ tuæ ac deprecationi dicti oratoris harum serie plenam & liberam majestati tuæ concedimus facultatem puniendi & mulctandi omnes & singulos tuos qui te Romam venientem comitabuntur, perinde ac si in regno tuo maneres, in contrarium facientes, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ die X. Januarii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXVII.
regi Francorum.

Laudat ipsius faciendæ pacis propositum, hortaturque illud ut cito citius executioni demandet.

CArissime in Christo fili salutem &c. Relatione venerabilis fratris GUISCARDI Conseranensis episcopi, consiliarii tui accepimus, majestatem tuam velle toto mentis affectu cum principibus Christianis pacem complecti, rem quidem nobis plusquam dici potest jocundam, & tua magnanimitate in primis dignam. Pace enim cum ipsis principibus facta, pium & maxime necessarium bellum in Turcos cum spe æternæ gloriæ geri poterit. Quare talem animum tuum plurimum in Domino commendamus, & ut non solum in tam sancto proposito perseveres, sed re ipsa festines hortamur, ad quod nos omnes favores apostolicos opportunos & pollicemur paterne, & præbere, quantum in nobis est, parati sumus, prout ex litteris ejusdem episcopi la-

tius poteris intelligere, quibus fidem præstare velis. Datum die XIII. Jan. M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXVIII.
Duci Ferrariæ.

Ut censum debitum solvat.

Dilecte fili, salutem &c. Necessitates undique ingruentes faciunt, ut pecuniis debitis diutius carere non valeamus. Quare, fili dilecte, cum jam constituta solutioni tempora sint effluxa, hortamur te & monemus attentius, ut non amplius differas censum debitum mittere. Non potest enim sine nostra jactura esse cunctatio. Datum die XVII. Januarii anno M.CCCC.LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXIX. JOHANNI
de Arragonia notario nostro.

Ut de fructibus beneficiorum suorum ferendis oneribus suis uti possit & cum excommunicatis conversari.

Dilecte fili, salutem &c. Venit ad nos dilectus filius Georgius de Fliſco secretarius tuus, qui multa de tua in nos sanctamque apostolicam sedem devotione præcipua, nobis ut non ignota ita grata & jocundissima retulit. Audivimus eum libenter, & in his quæ tuo nomine petiit paterne exaudivimus. Concedimus igitur tibi, ut ferendis oneribus quæ tibi tamquam regio nato incumbunt, de fructibus beneficiorum tuorum, prout conscientiæ tuæ visum fuerit expedite, licite disponere possis. Indulgemus insuper tibi auctoritate præfata, ut si quando te contingat ob aliquos bonos respectus cum excommunicatis participare, nullas ob hujusmodi participationem ecclesiasticas censuras incurras, dummodo id in contemtum non fiat, constitutionibus & ordinationibus apostolicis & aliis in contrarium facientibus nonobstantibus quibuscumque. Datum Romæ I. Febr. anno M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXX.
Fratri Jacobo de Marchia ordinis Minorum de observantia.

Dispensat eum a jejunio quadragesimali, atque esum carnium diebus ab ecclesia prohibitis permittit.

Dilecte fili, considerantes quod ætas tua senio confecta, & tepescens in membris sanguis, esu lacticiniorum & carnium sine dispendio bonæ valetudinis carere non potest, quoniam multum utilitatis publicæ interest te esse incolumem, non solum te exhortamur in Domino, sed apostolica auctoritate in virtute sanctæ *obedientiæ* expresse præcipiendo tibi mandamus, quatenus quadragesimalibus & aliis omnibus diebus, quibus ab ecclesia est indictum jejunium, aut alius prohibitus carnium, carnibus & lacticiniis vesci debeas, constitutionibus & ordinationibus apostolicis tui ordinis privilegiis & statutis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ VI. Febr. M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXXI.
Duci Mediolani.

De causa Clarevallis-monasterii.

Dilecte fili, salutem &c. Processum in causa monasterii Clarevallis (a) per judices commissarios factum, quem ad nos dilectus filius Petrus de Carcano familiaris excellentiæ tuæ detulit, libenter accepimus, eumque protectori ordinis inspiciendum dedimus, ut omnia recte procedant, & cum justitia fiant. Reformationem autem factam tantum abest mutari velimus, ut etiamsi non facta esset, facturi eam fuerimus. Datum die VII. Febr. M. CCCC. LXXV. anno IV.

(a)

EPISTOLA XXXII.
Imperatori.

Alexandrum episcopum Forlivienſem legatum a latere ad eum mittit.

Carissime in Christo fili, dissentioni reipublicæ Christianæ assidue excubantes, nec ignorantes, tuam quoque id facere celsitudinem, duximus ad celsitudinem ipsam mittendum venerabilem fratrem ALEXANDRUM Forlivienſem episcopum cum potestate legati de latere oratorem, quoniam sicut ex tuis litteris & ipsius episcopi relatione cognovimus, qui etiam nonnulla alia tui ex parte sincere nobis retulit, legatos desideras. Commendamus igitur eidem celsitudini dictum episcopum, hortantes ut in his quæ nostro nomine referet, fidem indubiam sibi velis præstare. Datum Romæ die IX. Februarii M. CCCC. LXXV. anno IV.

(a) Forte Caravallis. Est autem Caravallis in pago Mediolanensi ordinis Cistercienſis monasterium, quod tamen nescio quo errore communiter Claramvallem vocant.

A Romæ die XIII. Febr. anno M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XXXIII.
Duci Burgundiæ.

Commendat ei Alexandrum ad imperatorem legatum.

Dilecte fili, salutem &c. Venerabilis frater ALEXANDER Forlivienſis epiſcopus, quem ad partes Germaniæ cum poteſtate legati de latere mittimus oratorem, excellentiæ tuæ mentem noſtram aperiet circa res Colonienſes & alias utilitatem publicam & Dei omnipotentis honorem con- B cernentes. Quare hortamur eum benigne audire velis, & verbis ipſius indubiam fidem præſtare. Datum Romæ die IX. Februarii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXXIV. FRIDERICO
comiti Palatino Rheni ſacri Romani imperii electori.

Commendat ei legatum ſuum.

Dilecte fili, ſalutem &c. Mittentes venerabilem fratrem ALEXANDRUM C Forlivienſem epiſcopum ad iſtas regiones, cum poteſtate legati de latere oratorem, pro nonnullis negotiis pacem Chriſtianorum & utilitatem publicam concernentibus, injunximus ſibi, ut tuo favore atque conſilio in primis utatur, tamquam ejus in quo nos ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus Quare hortamur nobilitatem tuam, ut pro noſtra & hujus ſanctæ apoſtolicæ ſedis reverentia & honore, ipſum epiſcopum benigne audire & in exequendis ſibi commiſſis auxilio & favore proſequi velis, quo poſſit in dies ulterius commendari. Datum Romæ D IX. Februarii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXXV. FRIDERICO
Romanorum imperatori ſemper auguſto.

De pace eum inter & regem Hungariæ.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Committimus venerabili fratri ALEXANDRO Forlivienſi epiſcopo, noſtro cum poteſtate legati de latere oratori, nonnulla tuæ celſitudini noſtro nomine referenda ad concordiam & benevolentiam inter te & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum MATTHIAM Ungariæ regem illuſtrem ſpectantia. Quocirca celſitudinem tuam hortamur ex animo, ut dictum epiſcopum benigne circa hæc audire exaudireque velis, prout tua maxima ſapientia freti te non dubitamus eſſe facturum. Datum

EPISTOLA XXXVI.
regi Franciæ.

Negat fieri poſſe tranſlationem Johannis epiſcopi Abrincenſis ad Conſtantienſem, & epiſcopatum Abrincenſem dari Guillelmo de Eſtotevilla.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Redditæ ſunt nobis litteræ tuæ ſerenitatis, in quibus petis, ut venerabilem fratrem JOHANNEM epiſcopum Abrincenſem confeſſorem tuum ad Conſtantienſem eccleſiam transferre, dilectum vero filium GUILLELMUM DE ESTOTEVILLA ad Abrincenſem promovere velimus. Feciſſemus id, cariſſime fili, benigniſſimo animo, ſi cum Deo & hujus ſanctæ ſedis honore fieri potuiſſet; tum quia pro noſtra in te præcipua caritate votis tuis ſemper ſtudemus annuere, tum quia epiſcopum ipſum propter ejus virtutes tuo etiam graviſſimo teſtimonio nobis notas paterne amamus. Sed cum nullus invitus poſſit a ſua eccleſia dimoveri, nec id juſtitiæ & conſtantiæ ſanctæ apoſtolicæ ſedis conveniat, hortamur ne moleſte feras, ſi hac in re deſiderio tuo non ſatisfacimus: quod tua nobis maxima ſapientia pollicetur. Quantum vero ad GUILLELMUM ſpectat, habebimus eum in occurrentiis tuæ celſitudinis intuitu commendatum. Datum Romæ die XIII. Februarii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXXVII. LUDOVICO
regi Francorum Chriſtianiſſimo.

Concedit ut Guillelmus Petri ſit coadjutor Petri de Harlai, abbatis B. Mariæ de Boulay.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Acceptis tuæ celſitudinis litteris, in quibus dilectum filium S. Petri in legibus licentiatum, ac domus tuæ requeſtarum magiſtrum, in coadjutorem Thomæ Harlei abbati monaſterii B. Mariæ (a) *de Boulay* (a) Cenomanenſis diœceſis de ipſius abbatis conſenſu dari petebas. Conceſſimus id qui- E dem tuæ ſerenitatis intuitu benigniſſime. Quod autem cedente vel decedente præfato abbate, idem Guillelmus ex nunc prout ex tunc & e converſo ſit abbas, non poſſumus honeſte quidem in hoc tuo deſiderio ſatisfacere, neque apoſtolica ſedes hoc facere conſuevit, neque jura permittunt. Verum

(a) Hæc abbatia hodie valde exigua non virorum, ſed feminarum eſt haud procul a Caſtro-Reginaldi, Turones inter & Vindocinum.

quantum cum Deo poterimus intuitu tuæ A majeſtatis habebimus eum in Domino commendatum. Datum Romæ die XVIII. Februarii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXXVIII. JOHANNI Arragonum regi illuſtri.

Ut cardinali Ludovico Johanni permittat perceptionem fructuum eccleſiæ Hilerdenſis.

CArißime in Chriſto fili, ſalutem &c. Intelleximus tuam ſerenitatem publico B edicto interdixiſſe dilecto filio noſtro LUDOVICO JOHANNI preſbytero cardinali titulo SS. quatuor Coronatorum perceptionem fructuum ſuæ Hilerdenſis eccleſiæ, quia tibi non ſatisfecerit de archidiaconatu majori eccleſiæ antedictæ. Non poſſumus ob id non dolere & commoveri, tum ob cardinalis jacturam, tum ob notam quæ famæ & conſcientiæ tuæ inuritur. Nam hujuſmodi res deteſtabilis eſt, & a ſæcularium canonum diſtributione penitus aliena, tuaque ſolita pietate & ſapientia penitus indigna. Itaque paterna hortamur in Domino caritate, velis edictum hujuſmodi revocare, & liberam perceptionem eidem cardinali, homini etiam de te bene merito fructuum eccleſiæ ſuæ permittere. In quo nobis plurimum ſatisfacies honorique tuo plurimum conſules. Sane cardinali non debet imputari, ſi tibi in collatione dicti archidiaconatus ſatisfactum non eſt. Quia ad ſanctam ſedem ejus ſpectat proviſio. Datum Romæ die XVIII. Februarii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XXXIX. WLATICHO duci S. Sabæ.

Laborare ſe ſcribit ut auxilium ei adverſus fidei hoſtem mittatur.

DIlecte fili ſalutem &c. Dilectum filium Nicolaum Teſſa & Radicim oratores tuos optimum animum tuum ad fidem Catholicam præcipuamque ad nos & ſanctam apoſtolicam ſedem devotionem commemorantes grato animo audivimus & vidimus, eiſque nonnulla de noſtra in te caritate paterna voluntateque optima reſpondimus, quæ ipſis referentibus poteris intelligere. Circa autem ſubſidium quod deſideras, nos aſſidue operam damus, ut E fœdus generale inter principes Italiæ ſanciatur, quo tibi & aliis in periculo conſtitutis auxilia poſſint ſubminiſtrari, & inimicus fidei reprimatur. Datum Romæ die XXI. Februarii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XL. FRANCISCO duci Britanniæ.

Deſiderat B. cardinalem pacifice frui præpoſitura Vertavenſi, quam illi dedit in commendam.

DIlecte fili, ſalutem &c. Oratores quos tua ad nos nobilitas nuper miſit vidimus & audivimus libenter, qui inter cetera mentem tuæ excellentiæ circa præpoſituram de Vertho (a) Nannetenſis diœceſis, (a)
quam dilecto filio noſtro B. prebytero cardinali S. Mariæ in Porticu, nobis ob ſingulares animi dotes cariſſimo, & tibi affectiſſimo commendavimus, diligentiſſime retulerunt. In quo ſi cum Deo & noſtro honori fieri potuiſſet tibi complacuiſſemus. Verum cum noſtri deſiderii ſit, quod cardinalis ipſe, cujus opera tibi in dies utilis erit & neceſſaria, poſſeſſionem ipſius præpoſituræ omnino conſequatur, revertentibus præfatis oratoribus tuis injunximus, ut circa id mentem noſtram nobilitati tuæ noſtro nomine referant, quibus plenam fidem tamquam nobis ipſis præſtare velis. Sane ſi noC ſtro potiſſimum intuitu id feceris, ut confidimus, rem gratiſſimam nobis admodum facies, ad quod te etiam atque etiam hortamur. Datum Romæ die XXVI. Februarii anno M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XLI. BERTRANDO Milon Militi.

Concedit ei particulam veræ crucis.

DIlecte fili, ſalutem &c. Inſpecta fide D & devotione quam erga nos & ſanctam ſedem geris, & quam nuper a dilecto filio nobili viro FRANCISCO duce Britanniæ ad nos orator deſtinatus per amplius oſtendiſti, dignum putavimus ut in ſignum tuæ hujuſmodi devotionis aliquod tam religioſo animo conveniens munus reportares. Itaque particulam de ligno ſacratiſſimæ crucis domini noſtri JESU-CHRISTI tuæ devotioni conceſſimus, quam quidem in timore altiſſimi reverenter ſuſceptam pure cuſtodies digneque collocabis. Datum Romæ die III. Martii M. CCCC. LXXV. anno IV.

(a) Olim abbatiam a S. Martino abbate fundatam, duabus a Nannetis horis diſſitam nunc vero præpoſituram ab abbatia S. Jovini de Marnis dependentem.

EPISTOLA XLII. MANFREDO ex Marchionibus Cevæ juris utriusque doctori.

De matrimonio inter ipsius filiam & papæ nepotem.

Dilecte fili, salutem &c. Detulit ad nos litteras tuas dilectus filius Johannes de Facetonibus sacræ theologiæ professor ordinis Minorum provinciæ Januæ minister, quas jucundo animo legimus. Magnam enim tuam in nos devotionem atque amorem præ se ferebant, planeque pollicebantur te cui nos voluerimus puellam traditurum. Utrumque nobis gratissimum fuit. Consentaneum enim est optimæ opinioni quam de te semper habuimus. Commendamus te igitur in Domino plurimum. Pro puella autem dilectum filium Andream de Carreto, nostrum secundum carnem affinem, illi vero consanguinitate conjunctum cum mandato ipsam viro, videlicet nepoti nostro desponsandi mittimus, hortantes ut eam libere in manibus ipsius nostri nomine tradas, quo uberius possis in Domino commendari. Quod nobis te & tua commendas, bono animo potes esse. Virtutem enim & probitatem tuam cordi habemus, illique, quantum cum Deo licebit, prodesse studebimus. Datum Romæ die VII. Martii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XLIII. MARIÆ quondam uxori Rolandi de Carreto.

Ejusdem argumenti.

Dilecta filia, salutem &c. Non ignoramus quanto animi studio & diligentia consenseris ut Camiletta neptis tua tibi a dilecto filio Manfredo, ex marchionibus Cevæ traderetur, quod nos quoque per nostras litteras hortati sumus. Cum autem ille puellam neminі nisi cui nos voluerimus traditurum se confirmet, haud inconveniens nobis visum est, ut quam in Domino fidei nostræ commissam habemus, eam omni amore prosequamur. Quare considerantes rem tibi gratam fore, si eam Bartholomeo *de Riviere*, nostro secundum carnem nepoti & quidem ingenuo adolescenti ac nobis dilectissimo in uxorem daremus: mittendum duximus hac de causa Andream de Carreto affinem tuum, qui & puellam ipsam a Manfredo recipiat & nepoti nostro prædicto, ut præcipimus, matrimonio jungat. Gratissimum feceris nostraque de te opinione dignum, si huic bonæ voluntati nostræ te libenter acquieviſſe cognoverimus. A Datum die VII. Martii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XLIV. regi Franciæ.

Promittit ei pro episcopo Abrincensi abbatiam Brantolmiensem, commendatque ei episcopum Vasionensem.

Carissime fili, accepimus litteras tuæ serenitatis in commendationem venerabilis fratris episcopi Abrincensis confessoris tui super monasterio de Brantolmo, quod ad eum, cum vacare contigerit, desideras pervenire. Nos & devotioni tuæ majestatis erga sanctam sedem apostolicam, & meritis & virtutibus ipsius episcopi inducti, hujusmodi supplicationibus annuentes, cum primum præfatum monasterium per cessum vel decessum vacare contigerit, requisiti ipsi episcopo providebimus. Ceterum, carissime fili, meminisse potes quotiens tibi venerabilem fratrem JOHANNEM DE MONTEMIRABILI episcopum Vasionensem referendarium nostrum & assistentem commendavimus. Carissimus nobis est meritis & virtutibus suis plurimis exigentibus, tuæ quoque majestatis fidelissimus & devotus, ut qui tua & subditorum tuorum negotia apud nos summa fide diligentiaque prosequatur. Quare dignus videtur, cui plurimum faveas, cum in omni alia re, tum in recuperatione patrimonii sui, quod a nonnullis per injuriam sibi eripi audivimus. Porro nobis gratissimum erit, quidquid in eum favoris & humanitatis contuleris. Datum Romæ die VII. Martii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XLV. regi Ferdinando.

Consolatur eum de morte filiæ.

Carissime in Christo fili &c. Acerbissimus nobis est, fili carissime, obitus natæ tuæ dilectissimæ Arcis ducissæ, tum quia non possumus tuo non dolere dolore, tum quia illam quam loco dilectissimæ filiæ habebamus, immaturo funere nobis subtractam cernimus, & dilectum filium nobilem virum LEONARDUM almæ Urbis præfectum, nostrum secundum carnem nepotem conjugem suum in magno reliquisse mœrore. Sed, ut sapientissime cogitas, voluntati divinæ acquiescendum, qui melius novit quam homines quid conducat hominibus. Æquo animo ferendus est ejus rei dolor, quæ mutari non potest. Quod & ipsi præfecto faciendum suasimus, & tuam majestatem pro sua sapientia singulari facturam non dubitamus: quamquam nobis non minus dolen-

dolendum quam tibi existimemus propterea quia jactura communis est. Ad ea autem quæ dilectus filius Anellus orator tuus nobis nomine tuo dixit, nos pridem majestati tuæ præfectum ipsum dicasse atque dedisse, propterea que gratissimum habituros ac maxime probaturos quidquid de eo statueris. Datum Romæ die VII. Mart. M.CCCC.LXXV. anno IV.

EPISTOLA XLVI.

Gubernatoribus, consulibus & communitatibus de Thurego, Berna, Lucerna, Urania, Sineca, Undervvalden, Ryog, & de Glarona civitatumque & partium, magni fœderis & ligæ Alemanniæ superioris.

De electione & provisione ecclesiæ Constantiensis.

DIlecti filii, salutem &c. Redditæ sunt nobis litteræ vestræ, in quibus enixe commendatis electionem per dilectos filios capitulum Constantiensis ecclesiæ post obitum bonæ memoriæ HERMANNI episcopi prædefuncti factam, supplicantes ut tum pro quiete ecclesiæ, tum pro concordatis servandis electionem ipsam favere velimus. Litteras ipsas libenter legimus, ut qui vos omnes præcipua in domino caritate prosequimur, & bono zelo moveri existimamus. Annuissemus quoque precibus vestris benignissime, sed cum Deo & hujus sanctæ sedis apostolicæ honore non possumus, præsertim cum provisio de persona dilecti filii LUDOVICI DE FREIBERG, ipsi Constantiensi ecclesiæ facta, hujusmodi concordatis repugnare non videatur. Vivente enim & petente dicto HERMANNO, a sancta sede apostolica illi coadjutor fuit datus, atque etiam ipsi ecclesiæ tunc cedente dicto Hermanno, vel de ipsius consensu, ut supplicatione nobis ab eodem Hermanno adhibita... ad commodum dictæ ecclesiæ de persona ejusdem Ludovici electi provisum extiterat, apostolicaque provisio capicularem electionem præcessit, adeo ut miremur capitulum ipsum, cum ejusdem provisionis ignari non essent, ad electionem aliquam processisse, aut illam tueri velle. Accedit quod LUDOVICUS electus ea doctrina & virtute præditus est, ut sub ejus regimine Constantiensis ecclesia in spiritualibus & temporalibus salubria possit in Domino suscipere incrementa, & in pacis amœnitate florere. His itaque de causis, cum apostolicam provisionem tuendam putemus, sicut æquum & justum est, quod ita esse mentis & propositi nostri, per litteras nostras sub bulla plumbea nuper de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium latius declaravimus: hortamur vestram devotionem in Domino, & paterna caritate requirimus, ut pro vestra solita ad nos dictamque sedem devotione & observantia singulari, provisioni nostræ omni studio favere velitis. Quod cum feceritis, tunc maxime quieti ecclesiæ & dignitati capituli consuletis, a nobisque & dicta sede commendationem uberem reportabitis. Datum Romæ die XVI. Martii M. CCCC. LXXV. anno IV.

Idem scribit imperatori & capitulo ac clero Constantiensi, ac Sigismundo Austriæ duci.

EPISTOLA XLVII. MAXIMILIANO.

Commendat ei Alexandrum episcopum legatum suum.

DIlecte fili, salutem &c. Relatione dilecti filii nostri M. tituli S. Marci, presbyteri cardinalis patriarchæ Aquilegiensis, venerabilisque fratris ALEXANDRI Forliviensis episcopi referendarii & nostri cum potestate legati de latere oratoris cognovimus, nobilitatem tuam studiosissime imitari virtutes paternas, & magnam ad nos sanctamque apostolicam sedem gerere observantiam, quorum utrumque nobis jocundissimum auditu fuit. Laudamus te proinde in Domino & auctoritate apostolica benedicimus, paterne hortantes, ut de bono in melius, sicut futurum confidimus, perseveres, præfatumque episcopum in peragendis rebus sibi per nos commissis favore & consilio juves, ut in dies possit in Domino commendari. Datum Romæ XVII. Martii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA XLVIII.

regi Francorum.

CArissime in Christo fili, salutem &c. Accepimus litteras credentiæ allatas per dilectum filium nostrum priorem Claustralem S. Antonii Viennensis cum secretis tuis. Certe in eo negotio quidquid fecimus, fecimus contemplatione tuæ majestatis, quæ illum nobis commendaverat, & ita in futurum assistemus ei omnibus opportunis favoribus, & quidquid cum Deo facere poterimus quod majestati tuæ gratum sit, faciemus animo libentissimo. Datum Romæ die ultima Martii. M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA XLIX. STEPHANO Vaivodæ Moldaviæ &c. domino.

Laudat ipsius ad Turcarum sectam debellandam zelum, ipsique subsidium aliquod exhibere desiderat.

Dilecte fili, salutem &c. Litteras tuæ nobilitatis accepimus, quæ nobis gratæ admodum extiterunt, cum videamus te adeo promtum esse ad fidem Christianam defendendam, & perfidissimorum Turcarum sectam debellandam. Laudamus sanctum & rectum propositum tuum, teque enixe adhortamur, ut sicut cœpisti, ita perficias. Aderit auxiliator Dominus Deus noster. Nos vero numquam cessamus, quanto studio, cura & diligentia possumus opportunas cum ceteris Christianorum principibus & potentatibus provisiones facere. Et utinam soli tantum ponderis sustinere possemus, quod certe ultro scriberemus. Verum propter diversa & non parva onera, quibus pro subventione fidei superioribus annis gravati super vires nostras fuimus, accedit, quod nunc etiam Rhodiis atque Hungaris quantum vires nostræ patiuntur præsidia subministramus. Adeoque facultates tantummodo nostræ non sufficiunt. Sumus tamen eo animo, quod jam omnes norunt, ut partes nostras pro virili non deferamus, maxime accedente ceterorum Christianorum principum contributione: quos in dies magis disponere studemus, & tua in primis virtute, quam profecto & magnificamus, & summis laudibus extollimus. Datum Romæ die ultima Martii anno M. CCCC. LXXV. Pontificatus anno IV.

EPISTOLA L. REGI POLONIÆ.

Hortatur ad pacem cum rege Hungariæ, ut vires suas in Turcas convertant.

Carissime in Christo fili, &c. Non cessabimus, carissime fili, pro pastoralis officii ministerio & nostra in te caritate paterna, ea serenitati tuæ suadere quæ ad laudem tuam communemque utilitatem pertinere cognoscimus. Vides pro tua maxima sapientia quanto furore, quantisque viribus impius Christiani nominis hostis omnibus regibus ac principibus exitium meditetur, & quantum cunctis christianis ab illo instet periculum, iis præsertim qui magis vicini sunt, si non opportuno tempore reprimatur. Reprimi autem vix posse videtur, nisi cum carissimo in Christo filio nostro MATTHIÆ Hungariæ regi illustri in sancta fide atque baptismate tibi germano concordiam ineas, & in animorum caritate vivas. Quocirca hortamur in Domino, & per viscera Salvatoris nostri monemus, & obtestamur serenitatem tuam, ut privatas, siquas habes, offensiones publicæ causæ utilitatique condones, teque regi ipsi, qui ad hoc promtus est, reconcilies. Vires vero tuas, quæ Dei benignitate magnæ ac florentissimæ sunt, omnes in perfidum Christianæ crucis hostem, perniciem cunctis minitantem, ac sacra profanantem convertas cum vera laude ac merito communi, & privatæ causæ magis prodesse possis, prout te non dubitamus facturum. Datum Romæ die I. Aprilis M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LI. DUCI MEDIOLANI.

Ut navem a Januensibus raptam restitui procuret.

Dilecte fili, salutem &c. Asseritur nobis quod navis Baloneria, quæ a Januensibus cuidam Gabrieli Albani fuit ablata, ad dilectum filium Mariam Ferdinandi incolam civitatis Rhodiæ pertinet, quodque non solum ipse Maria, sed tota civitas Rhodia Jerosolymitanaque religio magna ob hoc jactura afficitur, imminente nunc præsertim tam magno ab hostibus fidei Turcis periculo atque discrimine. Quare cum & justum & pium admodum videatur curare, ut navis hæc religioni ipsi quamprimum restituatur, excellentiam tuam hortamur in Domino, requirimusque ex animo, velis pro tua pietate & æquitate, opportunos circa hoc illi qui hujusmodi causa veniet, favores impendere, quibus adjutus præ difficultate hujusmodi navim recuperet, quod erit dignum laude & nobis gratum. Datum Romæ die VIII. Aprilis anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LII. JOHANNI regi Arragonum.

Ut Jerosolymitanis præceptorias sibi ablatas restitui faciat.

Carissime in Christo fili, salutem &c. Cum a dilectis filiis oratoribus religionis Jerosolymitanæ accepissemus, quemdam Johannem *Dissin*, castra seu præceptorias de Aliaga & Castilhot ad dictam religionem spectantia, in animæ suæ periculum & ejusdem religionis jacturam occupare, Johannem ipsum pro ministerio pastoralis officii, ut ab hujusmodi occupatione desisteret, admonuimus, & ei sub interminatione censurarum mandavimus. Ipse tamen, ut nobis relatum est, monita nostra surda aure pertransivit, & pluris cupiditatem suam quam salutem animæ faciens, hujusmodi

hujuſmodi occupationi pertinaciter hæret, nec reſtituturus religioni quod ſuum eſt videtur, niſi juſſus, & tuæ ſerenitatis eum favor impellat. Quocirca ſerenitatem tuam hortamur in Domino, & attente requirimus, ut pro ſolita juſtitia, proque tua ad ipſam religionem, quæ his temporibus in magno periculo conſtituta eſt, tamquam fidei propugnaculum caritate...opportunos favores velis impendere, quibus mediantibus, religio ipſa quod ſuum eſt recuperet. Erit ſane plurima laude dignum & nobis gratiſſimum. Datum Romæ die VIII. Aprilis anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LIII. HELIÆ archiepiſcopo Turonenſi.

Gaudet de ejus in Urbem adventu.

VEnerabilis frater, ſalutem &c. Gratiſſimum eſt nobis quod fraternitas tua ſe huc conferat, ſicuti per aliud breve jam ſcripſimus. Tibi enim vehementer afficimur ob innatam probitatem atque integritatem tuam ſingularemque doctrinam. Ceterum dilectus filius Guillelmus *Chalumel*, nuntius tuus, in præſentiarum ad te redit, qui de noſtro in te ſincero amore plura referre poterit. Is autem omnia negotia tua ita accurate, diligenter & fideliter geſſit, ut aperto argumento oſtenderit, ſe tibi eſſe quam deditiſſimum. Datum Romæ IX. Aprilis M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LIV. MATHIÆ regi Hungariæ.

De promovendo ad Cardinalatum Albenſi epiſcopo.

CAriſſime in Chriſto fili, quod nobis commendas venerabilem fratrem epiſcopum Albenſem ad honorem cardinalatus, ſane epiſcopum ipſum ſingulari proſequimur dilectione, propter ſummas illius virtutes. Verum cum Romanus Pontifex non conſueverit ſine conſenſu venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium talia deliberare, diſponendæ erunt etiam ad hoc eorum voluntates. Nam, quantum per nos fieri poterit, non deerimus, eum ſtudio & opera noſtra proſequi, præcipue intuitu tuæ majeſtatis, cui in omnibus, quæ cum Deo poſſumus libentiſſimo animo complacemus. Datum Romæ IX. Aprilis M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LV. BARTHOLOMEO de Andegavia armorum ductori capitaneo.

Ne quid faciat quod publicæ utilitati obſtet, ſed potius ab armorum ſtrepitu quieſcat.

DIlecte fili, ſalutem &c. Audivimus quod expeditioni te præparas, & brevi cum exercitu moturus es caſtra. Quid cogites, quidve acturus ſis ignoramus, quia tamen hæc res multis ſermonis cauſam præbet, duximus te pro miniſterio paſtoralis officii paterne monendum, ne quidquam facias, quod publicæ poſſit utilitati obeſſe. Nullus enim armorum motus hoc tempore fieri poteſt, quin contributio quæ pro ſancta religione & fide, communique ſalute paratur, interturbetur. Qui autem turbationis cauſa eſſet, & magnæ infamiæ ſe exponeret, & in Deum omnipotentem animamque ſuam vehementer peccaret, nec poſſet non formidare animadverſionem divinam. Itaque paterna nobilitatem tuam caritate hortamur, & apoſtolica auctoritate monemus, ut hæc diligenter conſiderans quieſcas, nec iſta qua es ætate aliquid agere velis, quod famam tuam perpetuo denigrare, divinam majeſtatem offendere, & animam in æternam perditionem trahere poſſit. Hæc pro noſtra in te benivolentia & caritate paterna ſcribenda duximus, quia nobis non poſſet non eſſe moleſtum, ſi quid contra tuam exiſtimationem accideret. Datum Romæ die IX. Aprilis M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LVI. ad regem Franciæ.

De proviſione plurium Beneficiorum maxime S. Dionyſii, cui non cardinalem ſed religioſum abbatem præeſſe rex volebat, & quam pernitioſe ſint commenda.

CAriſſime in Chriſto fili, cum plures ad majeſtatem tuam dediſſemus etiam manu noſtra propria, de proviſione monaſterii S. Dionyſii in Francia (a) venerabili fratri noſtro G. epiſcopo Oſtienſi, cardinali Rothomagenſi, conſanguineo tuo facta, venit tandem ad nos dilectus filius Foreſtus de Alaxis cum certis litteris & inſtructionibus, in quibus erat, te propter quædam apoſtolica privilegia monaſterio ipſi conceſſa, non poſſe in animum inducere, ut monaſterium ipſum cuiquam, niſi religioſo illius ordinis, in titulum aut commendam daretur; gratumque quoque tuæ majeſtati futurum, quod de monaſteriis vel aliis beneficiis non minoris valoris ipſi cardinali provideretur, ſi tu id

(a) Vide ſupra epiſtolam 14. & infra epiſt. 62.

hac re desiderio cederet : præsertim cum æstimares, id quod certe fuit verum, non ut tibi adversaretur, sed quod sperabat cum bona gratia & voluntate majestatis tuæ posse ipsi monasterio præsidere, & provisioni sibi per nos factæ inhærere. Quæ res etsi omnino desiderio nostro & honori hujus sanctæ sedis convenire videbatur, tamen quia bonam voluntatem tuam erga cardinalem præ se ferebat, nobis non fuit ingrata. Paulo post audivimus officiarios tuos manus violentas in negotiorum gestores cardinalis injecisse, pecunias abstulisse, omnemque spiritualitatem & temporalitatem beneficiorum ejusdem cardinalis usurpasse in non leve dedecus hujus sanctæ apostolicæ sedis ac sacri collegii venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium. Ob quod profecto eo magis mirati commotique sumus, quanto minus relationi Foresti & instructionibus quas a te attulerat convenire videtur. Et sane nisi tuam celsitudinem singulari prosequeremur caritatis affectu ; honoremque tuum in omni re carissimum haberemus, non potuissemus a remediis quæ facti qualitas exigit temperare : quamquam id non tuæ bonitati, sed alicui minus recta suadenti, id adscribendum putemus : præsertim cum jam intellexerimus pecunias restitutas esse, nec nobis persuadere possumus, quod quidquam in damnum & dedecus tanti viri de te optime meriti, ac non minus obsequio & animo, quam sanguine tibi conjuncti fieri velis. Cum etiam pulcra occasio se obtulerit, in qua perspicere liquido possis, nos & cardinalem ipsum cupidos esse tibi in monasterio S. Dionysii satisfaciendi. Ecclesiæ enim Malleacensi persona carenti, de persona dilecti filii magistri JOHANNIS DE AMBOSIA (a) notarii nostri, ad tuam intercessionem, domino auctore, providere intendimus, ut ex monasteriis infra scriptis aliquam recompensam cardinali Rothomagensi monasterium S. Dionysii dimittenti dare, & voluntati tuæ majestatis sine gravi nostri jactura possit honestius satisfieri. Itaque & hortamur & rogamus majestatem tuam ex corde, ut pro nostro & dictæ sedis honore, pristinam libertatem & auctoritatem restitui facias cardinali in suis beneficiis, & ab eis omnia impedimenta amoveas. Nos autem ut honori & nostro & sedis apostolicæ, qui in hac dimissione monasterii S. Dionysii non parum offenditur, aliqua ex parte satisfiat, intendimus ipsi cardinali, id dimittenti, de S. Petri de Burgolio ordinis S. Benedicti per obitum dicti episcopi Malleacensis, qui illud in commendam obtinebat, quod pro venerabili fratre episcopo Ebroicensi petebas, aut de B. Mariæ de Bonacumba Cisterciensis ordinis Ruthenensis diœcesis, quod dictus JOHANNES (c) promovendus obtinet, monasteriis sic ut præmittitur vacaturis, omnino providere: quod ideo tuæ serenitati his litteris duximus significandum, ut cum factum audieris, & nostri propositi fuisse cognoscas, & ipsius facti rationem ante intelligas. Nec molestum bonitati tuæ esse debet, nobis tibi cum nostro onere complacenti, etiam in aliqua satisfactione apostolici honoris æquo animo assentiri. Postremo tibi paterno suademus amore, ut pro commendis monasteriorum fiendis instare non velis, absque enim nostræ & tuæ conscientiæ onere fieri non possunt. Labuntur enim ipsa monasteria in pejus, quod ex assiduis religiosorum querelis quotidie audimus, & nos non videmur eas faciendo in aliis tantum excusari posse quantum in S. R. E. cardinalibus, qui nobiscum assidue servitutis apostolicæ onera partiuntur, aut patriarchis, qui primum locum post cardinales in ecclesia Dei obtinent, nec aliis personis quam prædictis solebant nostri prædecessores hujusmodi commendas concedere. Datum Romæ die XIII. Aprilis M. CCCC. LXXV. anno IV.

(a) Is postea anno 1481. translatus fuit ad episcopatum Lingonensem.

(b) Burgulienſi monasterio non cardinalis, sed Ebroicensis episcopus præfectus est, ex epist. 65. cardinali vero data est abbatia Bonacumbæ.

(c) Hinc emenda Galliam Christianam, in qua Johannes successor datur Guillelmo de Estouteville in abbatia Bonæcumbæ, quam tamen iste nisi ex Johannis facti episcopi Malleacensis cessione obtinuit.

EPISTOLA LVII. MAGISTRO & capitulo generali religionis S. Johannis Jerosolimitani Rhodi proxime celebrando.

Ut statutorum observationi & insulæ tuitioni provideant.

DIlecti filii, salutem &c. Pro desiderio quo veluti communis pater tenemur, ut religio ista Jerosolymitana cum laude conservetur, & salubria suscipiat in Domino incrementa, nullam superfluam diligentiam arbitramur in vobis monendis & excitandis ad ea curanda & statuenda, quæ Dei honorem & communem laudem atque utilitatem concernunt. Quocirca cum Domino auctore capitulum mense Septembris proxime futuri sitis celebraturi, hortamur vos per præsentes in Domino & auctoritate apostolica attente monemus, in virtute sanctæ obedientiæ expresse mandantes, quatenus in ipso capitulo depositis omnibus privatis affectibus, communi utilitati vacetis, & ante omnia quæ ad divinum cultum hospitalitatemque servandam & deffensionem civitatis, insulæ, ac subditorum pertinere noscuntur, statuenda & observanda curetis, viamque aliquam opportunam excogitetis,

qua creditoribus religionis, qui non ſine jactura jam diu expectant, & quorum querelis aſſidue fatigamur, debite & celeriter ſatisfiat. In reliquis vero in dicto capitulo tractandis integre & modeſte vos habeatis, & ea juxta laudabiles conſuetudines veſtræ religionis, ac prout eſt in aliis generalibus capitulis conſuetum, tractetis; ne Dei indignationem, ſi ſecus feceritis, incurratis, & officio veſtro deſitis, ſed potius commendati in Domino valeatis. Datum Romæ die XV. Aprilis M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LVIII.
duci Venetiarum.

Ut Bartholomeum de Andegavia a bello movendo compeſcat.

Dilecte fili, ſalutem &c. Scriptis noviſſimis ad tuam excellentiam circa ligam litteris, adhibuimus etiam in colloquium omnes potentatuum Italiæ qui apud nos ſunt oratores, ac multa de contributione facienda contulimus, quæ communi deffenſioni & cauſa ſalubertima eſſe poſſunt, prout ex litteris oratoris tui plane intelliges Sed profecto, dilectiſſime fili, hi motus Bartholomei de Andegavia armorum capitanei, noſtris in hac re tam ſancta tamque neceſſaria cœptis multum repugnant. Omnibus enim fere ſermonis cauſam præbent, & a quiete Italiæ alieniſſimi eſſe videntur. Nos hæc animadvertentes, & ad ipſum Bartholomeum pro miniſterio paſtoralis officii ſcripſimus, bellum, motuſque omnes pro communi utilitate, ipſiuſque exiſtimatione, quem caram habemus diſſuadentes, & ad tuam excellentiam ſcribendum duximus, ne quid prætermittere videamur, quod quietem Italicam ſervare, & Bartholomeum a molimine belli poſſit retrahere. Vides pro tua ſapientia quam parum expediat, immo quam nefas ſit, hoc tempore in Italiam bellum geri, quodque noſtri ac tui & omnium qui publicæ ſtudent utilitati, conatus caſſi facturi ſunt, ſi hæc belli ſuſpicio in Italia maneat, ſi qui armis quomodolibet impetantur. Debes propterea belli ſemina omni ſtudio amputare, nec pati quemquam publicæ utilitati obeſſe, quietem Italiæ perturbando. Hoc maxime perſpicimus, ſi Bartholomeum ab hoc dimoveris conatu, illique auctoritate vel viribus quidquid de bello cogitas diſſuaſeris. Si denique quod potes perfeceris, ut in pace quieſcat, & in ea qua eſt ætate nihil moliatur & agat, quod exiſtimationem offendere, publicæ utilitati obeſſe, animam in perditionem trahere poſſit. Itaque pro deſiderio communis utilitatis, proque ſingulari qua te complectimur caritate, paterna voce rogamus atque monemus, ut efficias quod Bartholomeus ab omni armorum motu A quieſcat. Sane nihil utilius, neque his temporibus accommodatius quidquam efficere poteris, prout confidimus te facturum. Datum Romæ die XVI. Aprilis M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LIX. LUDOVICO
duci Bavariæ.

Ejus laudat pietatem filioque ejus promittit pecuniarum ſubſidium.

B Dilecte fili, ſalutem &c. Dilectum filium FREDERICUM MAYERHILHER nuntium tuum libenter vidimus, & in his quæ tuo nomine petiit benigne exaudivimus. Complectimur enim nobilitatem tuam præcipuo caritatis affectu, propter egregias ejus virtutes, & ſingularem devotionem & obſervantiam in nos ſanctamque apoſtolicam ſedem, quas venerabilis frater P. epiſcopus Tiraſonenſis referendarius noſter domeſticus plurimum extulit ac commendavit. Ceterum, fili dilectiſſime, & mos curiæ & neceſſitas, qua ob tuitionem fidei & alia pia opera premimur, exigunt majorem pecuniam pro diſpenſatione nobili nato tuo conceſſa, quam ſit ab ipſo nuntio tuo ſoluta, & nos eo ſtudioſius in hoc morem ſervare debemus, quia tales pecunias fabricæ hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia de Urbe dicavimus. Quocirca tuam nobilitatem in Domino exhortamur, ut pro tua pietate ſummaque religione aliquod ſupplementum mittere velis, quod erit pium & laude dignum. Datum Romæ die XXVII. Maii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LX. FRIDERICO
Romanorum imperatori ſemper auguſto.

Hortatur ne creationis cardinalium dilationem moleſte ferat.

CAriſſime in Chriſto fili, accepimus & legimus ternas litteras manu tuæ celſitudinis ſcriptas, quibus promotionem venerabilis fratris DOMINICI epiſcopi Brixienſis, pro quo nos ſæpius hactenus interpellaſti, & dilecti filii GEORGII Hiſc... notarii noſtri pro loco tibi pro inclyta natione Germanica per nos promiſſo & reſervato, & a te nunc primum nominato, ad dignitatem cardinalatus commendas, audivimuſque ea de re accuratiſſime intercedentem dilectum filium noſtrum FRANCISCUM S. MARIÆ novæ diaconum cardinalem Mantuanum, tibi & nationi valde affectum. Vidimus etiam omnes fere Germanos principes hunc ipſum GEORGIUM concordibus votis cardinalem creari per litteras ſuas depoſcentes. Id quod ipſi cardinali

Mantuano verbo respondimus, tuæ imperali celsitudini his brevibus respondemus. Nos litteras tuas benigne semper videmus, postulata tua studiose cognoscimus, & ad satisfaciendum votis tuis promto animo inclinamus. Personæ ipsæ pro quibus scribis notæ sunt nobis, acceptæ nobis, & tuo ac nostro beneficio dignæ, nec ad eas honorandas magis tua intercessio quam nostra voluntas inclinat. Sed ad .... promovendi episcopi Brixiensis accedit, quod neque in ipso, neque in GEORGIO possumus in præsentiarum rem commode conficere, quoniam creandis cardinalibus tempora opportuna non sunt. Multæ & graves necessitates coegerunt hactenus & in præsentiarum cogunt rem totam differre. Scimus pro tua pietate, nihil cupis aut vis, quod oneri aut damno sit apostolicæ sedi, natura tua & clemens consuetudo semper id tulit. Proinde eamdem celsitudinem hortamur in Domino, ut & vororum *parium & nominationi* istius tuæ pro loco nationis Germaniæ dilationem necessariam molestam non habeat, quia non contemnuntur preces tuæ, sed tantum detrimenta ecclesiæ declinantur. Cum opportunitatem obtulerit Deus, nos reservationis nostræ memores, desiderii & nominationis tuæ istius, Germaniæ nationis rationem habentes, petitiones tuas honorifice proponemus, illis favebimus, ac quantum in nobis erit, accedentibus fratrum nostrorum consiliis, postquam nunc primum quem ex tota Germania, juxta optionem tibi a nobis permissam, nominandum duxeris cognoscemus, operam in hoc diligentem præstabimus Interim Brixiensis episcopus ut hactenus fuit, non erit apud nos sine honore, & GEORGIUM ipsum tuæ sublimitati Germanisque principibus gratum, nos quoque in corde nostro geremus. Datum Romæ die XXXI. Maii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXI. MAGISTRO de Calatrava.

Hortatur ad solvendum impositum in Turcas subsidium, ordinis sui hac in re derogando privilegiis.

Dilecte fili, salutem. Quoniam efferata Turcorum immanitas Christianam religionem in dies magis atque magis infestare non desinit, quippe cui nisi aliquo non parvo auxilio succurratur, magna profecto calamitas subsequatur. Cupientes igitur nos ac volentes quantum in nobis erit tali tantoque periculo quod maximum imminet obviare, pro defensione periclitantis fidei Christianæ, subsidium imposuimus, tam regno illi Castellæ & Legionis, quam universæ propemodum Christianitati, quod quidem subsidium nemo præter te recusavit: quin immo ceteri fere omnes pro constituta sibi portione nostris collectoribus satisfecerunt. Tu vero non modo solvere recusasti, sed appellare te, & ad nos mittere quemdam fratrem Martinum tui ordinis priorem in prosecutione appellationis minime dubitasti, sub prætextu quorumdam privilegiorum ac jurium. Quibus juribus & privilegiis pro subsidio exequendo derogavimus, & in præsenti derogare intendimus ac volumus. Idcirco appellationem tuam nullo pacto admittere voluimus ac nolumus, cum omni prorsus careas honestate. Et nisi a dilecto filio FRANCISCO electo Oxomensi, cui maximam adhibemus fidem, nos certiores facti essemus de tua nobilitate, morum vitæque honestate, atque animi magnitudine, ostendissemus profecto tibi quantum nobis displicuerit atque fuerit molestum, intellexisse te mandatis nostris parere noluisse; & iste procurator tuus, qui ausu temerario quodam appellationis prosecutionem tentare præsumsit, animadvertisset eam rem nobis molestam fuisse. Sed ubi intelleximus a præfato electo Oxomensi te esse cum venerabili fratre nostro ALPHONSO archiepiscopo Toletano sanguinis affinitate conjunctum, quem quidem archiepiscopum maximi facimus, & carum habemus, maluimus illius tanti viri dilectionis, quam tuæ erga nos inobedientiæ habere rationem. Itaque te hortamur & apostolica auctoritate monemus, ut sine ulteriori dilatione, constitutam tibi debitam portionem promto ac toto animo solvas, easque omnes hujusmodi excusationes deponas. Nam illis hac tempestate, in re præsertim tam sancta, tam pia, tamque necessaria minime uti debes. Quod si pro tua benitate præstantique virtute feceris, intelliges profecto te nobis gratissimum extitisse, tamque in nos obedientiam a Deo fuisse gratam, quod in posterum tuis privilegiis non modo favebimus, verum etiam illa ampliare observareque curabimus. Datum Romæ die I. Junii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXII. duci Ferrariæ.

Abbatiam S. Mariæ de Pomposia non posse dari Fulco-Mariæ, utpote filio præcedentis abbatis, illegitimo & juniori.

Cum superioribus mensibus maxima apud nos instantia facta fuisset, ut abbatiam B. Mariæ de Pomposia Comallensis diocesis commendaremus dilecto filio FULCO-MARIÆ dilecti filii Rainaldi Mariæ Estensis germani tui filio, vacantem per contractum matrimonium ejusdem RAYNALDI-MARIÆ, res difficilis omnibus visa est. Cupientes tamen si quo justo medio, ut fieri potuisset, prædicto

Raynaldo satisfacere, hanc causam ad consistorium nostrum detulimus, & ipsum commisimus dilecto filio BARTHOLOMÆO ticuli S. Clementis S. R. E. presbytero cardinali, quem scimus domui Estensi & excellentiæ tuæ affectum esse, qui coram nobis & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus relationem cum omni quo potuit favore & justificatione fecit; & quia res insolita est, maxime quod filius immediate patri in beneficio contra omnia jura succedat, obtineri non potuit. Obstat etiam tenera adhuc ætas præfati Fulconis, quem dicunt annum XVI. aut XVII. non excedere & illegitimum esse. Quia tamen, quantum cum Deo possumus, tuæ nobilitati & ipsi Raynaldo rem gratam facere cupimus; cogitavimus pro honore Dei, divini cultus ampliatione, & gloria tua, quem scimus religiosis omnibus deditum esse, dictam abbatiam conferre monachis S. Benedicti congregationis S. Justinæ de observantia, reservata aliqua debita pensione dicto Fulco-Mariæ, cum qua se sustentare poterit & operam litteris ac bonis moribus dare, ac talem se exhibere, quod nos & hæc sancta sedes tempore succedente occasionem habebimus majora, propter suas virtutes & doctrinam, in eum non immerito conferendi. Datum Romæ die 11. Junii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXIII. FERDINANDO Siciliæ regi illustri.

De recuperandis suis gemmis.

CArissime in Christo fili, &c. Intellexi-mus perveniſſe Neapolim dilectum filium Anellum Perrotum mercatorem, qui super jocalibus & gemmis nostris pecuniam mutuam dedit, quare cum, sicut alias scripsimus, jocalia & gemmas hujusmodi recuperare desideremus, hortamur ex animoque requirimus, velis hujus rei causa ipsum Anellum ad nos quam primum mittere, quod erit nobis plurimum gratum. Datum Romæ die VII. Junii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXIV. LUDOVICO Francorum regi Christianissimo.

De translatione Antonii episcopi Caturcensis ad Claromontanam sedem.

CArissime in Christo fili, accepimus litteras tuæ serenitatis, in quibus venerabilem fratrem CAROLUM archiepiscopum Lugdunensem ad ecclesiam Claromontensem commendas, eumque ipsi ecclesiæ præfici postulas. Nos quidem, fili carissime in Christo, pro eximia qua majestatem tuam prosequimur caritate, in omnibus rebus tibi cupimus satisfacere, dummodo cum Deo & salva hujus sanctæ sedis dignitate possimus. Ad ecclesiam hanc Claromontensem venerabilis frater ANTONIUS tunc Caturcensis episcopus, orator apud nos tuus de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium pridem translatus fuit: Nam cum primum de illius vacatione est cognitum, Antonius ipse litteras tuæ majestatis exhibuit, in quibus enixe supplicabas, ut eum tamquam virum benemeritum & tibi tum fidum, tum carum atque etiam in primis acceptum ad primam in regno tuo vacaturam ecclesiam promovere vellemus. Induxerunt nos merita & virtutes episcopi ejusdem, sed tua potissimum commendatio ad translationem de ejus persona faciendam, simul enim tuæ majestatis desiderio satisfacturos, & ipsi ecclesiæ Claromontensi optime nos consulturos existimavimus, suadentibus & affirmantibus id cardinalibus antedictis. Mutare provisionem consistorialiter factam non licet, nec tuam majestatem id velle putamus, præsertim cum omnia in ipsa provisione secuti fuerimus, quæ tibi illam gratam reddere possint. Itaque paterna in Domino caritate majestatem tuam hortamur, ut pro sua singulari sapientia ac pietate velit provisioni in personam tibi fidam ac benemeritam factæ acquiescere. Quod autem ad archiepiscopum spectat, cum primum, aliqua vacatio digna occurrerit, ejus rationem habebimus, si id tibi cordi esse intelligimus. Datum Romæ die IX. Junii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXV. Eidem regi.

Episcopum Leonensem sua sede non posse privari.

CArissime in Christo fili, &c. Quæ de privatione venerabilis fratris episcopi Leonensis nuper a nobis per tuas litteras petisti, non videmus nunc esse tractanda, tum quia non solet ad privationem cujusquam præsulis ita procedere, tum quia minime convenire cernimus concordiæ, quam inter tuam majestatem dilectumque filium nobilem virum FRANCISCUM ducem Britanniæ, sicut inter omnes alios principes Christianos esse desideramus. Quapropter ipsam majestatem tuam hortamur, non hoc moleste ferat, & nos pro officio boni pastoris id considerare existimet. Datum Romæ die IX. Junii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXVI.
regi Francorum Christianissimo.

De provisione quorumdam beneficiorum.

CAriſſime in Chriſto fili, &c. Acceptis litteris celſitudinis tuæ, in quibus concordiam ſuper monaſterio S. Dionyſii initam nobis ſignificas, monaſterium S. Petri de Burgulio ordinis S. Benedicti Andegavenſis dioceſis cum ſuis annexis venerabili fratri epiſcopo Ebroicenſi, ſicut petieras commendavimus. Voluimus quoque juxta deſiderium tuum dilectum filium magiſtrum JOHANNEM DE AMBOSIA notarium noſtrum, ad eccleſiam Malleacenſem promovere, & de monaſterio Bonæcumbæ ordinis Ciſtercienſis dioceſis Ruthenenſis, quod obtinet, venerabili fratri noſtro G. epiſcopo Oſtienſi cardinali Rothomagenſi, qui tuæ voluntati acquieſcere paratiſſimus eſt, & monaſterium S. Dionyſii pro obſervatione concordiæ a te factæ dimittere vult, providere. Procuratores tamen ejuſdem notarii noſtri, hujuſmodi concordiæ repugnantes, noluerunt eccleſiam ſine retentione ejuſdem monaſterii Bonæcumbæ accipere, & nos propterea promotionem de ejus perſona diſtulimus facere, ne idem cardinalis ſpe & promiſſione fruſtretur: quod ſine dedecore hujus apoſtolicæ ſanctæ ſedis non poſſet contingere. Habes, cariſſime fili, ut res acta eſt. Sapientiæ tuæ convenit curare, ut a concordia te auctore facta non diſcedatur. Nos in proviſione ejuſdem Malleacenſis eccleſiæ ſuperſedere ſtatuimus, donec his litteris noſtris, quas per proprium tabellarium ad te remittimus, reſponſum tuæ celſitudinis acceperimus. Ceterum gratiſſimam nobis rem & bonitate tua dignam feciſti, relaxando temporalitatem beneficiorum cardinalis ipſius. Semper enim honoris & amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimus fuit, ut ſæpe alias in rei veritate ad te ſcripſimus. Datum Romæ die XVI. Junii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXVII. IMPERATORI.

Hortatur ut pace cum Carolo Burgundiæ duce facta, arma vertat in Turcas.

CAriſſime in Chriſto fili, &c. Ex quo tempore audivimus bellum inter tuam celſitudinem & dilectum filium nobilem virum CAROLUM ducem Burgundiæ eſſe conflatum, numquam deſtitimus pro paſtoralis officii miniſterio cogitare, ſi qua poſſemus ſalutaria adhibere remedia. Dolemus quippe & angimur vehementer inter vos aliquam eſſe diſcordiam. Dolemus eos inter A ſe bellum gerere, quorum auctoritate & armis Chriſtianiſſima reſpublica, quæ nunc ſæviſſime ab hoſtibus Chriſti urgetur, in priſtinam dignitatem reſtitui poteſt & ſperat. Non deſiſtimus quoque a divina pietate votis ſupplicibus petere, ut reconciliata gratia, & Chriſtiana caritate reintegrata, in eos hoſtes arma vertatis, qui fide moribus & omni genere vitæ a veſtra bonitate diſcreti ſunt, qui totius orbis imperio ac dominatui inhiant. Quocirca cum venerabilis frater ALEXANDER Forlivienſis epiſcopus orator noſter, quem hujus rei gratia ad tuam celſitudinem ducemque ipſum miſimus, bona, ut intelleximus ex ejus litteris, concordia jecerit fundamenta, & in hoc ex mandato noſtro omnem diligentiam curamque habiturus ſit, non putavimus a veſtro deſiderio alienum, ipſam tuam celſitudinem per litteras exhortari. Licet non dubitemus eam pro ſumma ſapientia ſua, proque eximia ad cauſam publicam communemque defenſionem caritate non modo adhærentem, ſed pronam & per ſe ipſam ſatis incitatam ad concordiam eſſe. Sane non poſſumus te in hoc voto nobiſcum convenire, & non optare de perfidis Turcis triumphum juſtiſſimum. Sanguis quippe Chriſtianorum, qui in his bellis effunditur, populo ſancto Dei ſubtrahitur, & quidquid iſthic abſumitur, publicæ perit utilitati. Non debet inter Chriſtianos principes diuturna eſſe diſcordia, quos ſacri baptiſmatis ac fidei unio in Chriſti caritate conjunxit. Illi, illi, cariſsime fili, tuam auctoritatem tuamque potentiam ſibi infeſtam ſentiant, qui toti populo Chriſtiano infeſtiſsimi & inimiciſsimi ſunt. Amplectere igitur pacem, & ſapientiam tuam eximiam, præſtantemque bonitatem, quam hactenus ſemper præ te tuliſti, in hac potiſſimum re oſtende. Sane confidimus, Domino auctore, ducem ipſum tuæ celſitudini unanimem & obſequentem in hoc ipſo futurum. Nam ad ipſum quoque damus litteras, ut voluntati tuæ acquieſcat. Si qua autem in re etiam opitulari & tantis incommodis mederi poſſumus, facienus animo lubentiſsimo. Datum Romæ die XVII. Junii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXVIII.
regi Francorum.

Hortatur ut ſinat cardinalem nepotem ſuum prioratus S. Spiritus & abbatiæ Gorzienſis adipiſci poſſeſſionem.

CAriſsime in Chriſto fili, &c. In celſitudinem tuam noſtræ caritatis præcipue confiſi, tuæque in nos noſtroſque omnes ſingularis benevolentiæ non ignari, mirati cogimur, quod tamdiu poſſeſsio prioratus S. Spiritus Avenionenſis dioceſis & monaſterii Gorzienſis

Gorzienſis dilecto filio noſtro Ju. ticuli S. Petri ad vincula preſbytero cardinali noſtro ſecundum carnem nepoti, cui apoſtolica auctoritate collata ſunt, differatur, præſertim cum ſtudium & obſequium cardinalis ipſius in omnibus majeſtatis tuæ rebus ejuſmodi ſit ac fuerit, ut non immerito poſſit maxima quæque a te ſperare. Cum etiam prioratus monaſterium que prædicta per cardinalium mortem vacaverint, & ad eum cardinalem tranſlata ſint, qui propter animi gratitudinem propterque magnam auctoritatem, quam habet omni tempore, cariſſimus & jocundiſſimus tuæ celſitudini eſſe debeat. Cum denique intelligas nos omni ratione a te deſiderare, vehementerque petere, ut in hac re indemnitati nepotis noſtri, apoſtolicæ ſedis honori, utilitatique beneficiorum hujuſmodi conſulatur, quorum neutrum fieri poteſt, dum poſſeſſio impeditur atque differtur. Quocirca hortamur te, cariſſime fili, & rogamus ex animo, ut ſi ulla in re nobis obſequi cupis, liberam & expeditam poſſeſſionem prioratus & monaſterii prædictorum cardinali nepoti noſtro tibi obſequentiſſimo abſque alia mora tradi facias, nec patiaris ut vel diutius præter opinionem expectare, & eidem ſcribere opus ſit. Nam neque id benevolentiæ noſtræ, neque pietati tuæ, neque honori apoſtolico convenit. Illud poſtremo celſitudo tua poteſt pro ſapientia tua conſiderare, valde accommodatum rebus tuis futurum, ut omnes intelligant cardinalem nepotem noſtrum in hoc negotio amorem & benignitatem tuam ſenſiſſe. Multo enim honeſtius & alacrius quod te velle intelliget, curare & perficere poterit. Et ſane non parum ſpei in ejus auctoritate & opera poteſt reponi, prout hactenus perſpicere potuiſti & in futurum etiam proſpicies. Datum Romæ die XIX Junii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXIX.
regi Francorum.

Hortatur ut ſua prudentia efficiat ut imperator & dux Burgundiæ armis depoſitis, bellum Turcæ cum aliis inferant.

CAriſſime in Chriſto fili, &c. Cum omni tempore ſtudendum eſt concordiæ regum principumque Chriſtianorum, tum in præſentia propter imminentem ab infidelibus Turcis calamitatem, ita eſt neceſſarium, ut plurimum de Deo & populo Chriſtiano mereri poſſit, qui circa hoc negotium ingenium auctoritatemque ſuam ponendam putat. Nam non ſolum iis qui bellum gerunt fidelium principum diſcordiæ ſunt damnoſæ, ſed in communem calamitatem redundant, ac plurimum publicæ obſunt utilitati. Quicquid enim inter Chriſtianos vel virium vel facultatum abſumitur, quidquid ſanguinis ſpargitur, Turcis emolumento accedit, Chriſtianæ reipublicæ perit. Hæc nos die noctuque pro paſtorali officio mente verſantes, nihil omittendum putamus, quod ad pacem atque concordiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri FREDERICI Romanorum imperatoris ſemper auguſti, dilectique filii nobilis viri CAROLI ducis Burgundiæ poſſit conferre. Miſimus ad eos oratores & nuntios, crebris litteris ad unanimitatem fideique orthodoxæ defenſionem reducere conati ſumus. Et quoniam nunc etiam venerabilem fratrem A. epiſcopum Forlivienſem oratorem noſtrum miſimus, qui nonnulla concordiæ hujus fundamenta jam cœpit injicere; quam, celſitudinem boni publici ſemper avidiſſimam eſſe cognovimus, nec dubitamus quin ſapientia & auctoritas tua plurimum ad hujuſmodi concordiam poſſit efficere, ſalutare admodum putavimus eſſe te ſancti noſtri deſiderii adjutorem habere. Quocirca hortamur te, Chriſtianiſſime rex, & per viſcera Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI rogamus, & obteſtamur, ut piam & optimam mentem tuam ad Chriſtianæ reipublicæ defenſionem in hac potiſſimum re velis oſtendere, omnique ſtudio ingenioque eniti, ut armis depoſitis, concordia inter imperatorem ducemque ipſum reſtituatur, & ut cum ipſo duce etiam tibi bene conveniat, & omnes ſimultates & diſcordiæ penitus amputentur, velis eniti, ſicut etiam ipſi duci ſcribimus. Sane ſi id volueris, ut confidimus, propter ſapientiam & auctoritatem tuam perficies, & hoc uno facto tantam & tam ſolidam gloriam conſequeris, quantam alii maximis diſpendiis bellorum non poſſent conſequi. Nam inimicum fidei magno dolore afficies, & Chriſtianæ reipublicæ maxime proderis. Pacatis enim hujuſmodi diſcordiis, facillimum erit, id quod omnes optant, unanimi conſenſu Chriſtianorum perfidum hoſtem Turcum opprimere. Certe nulli tuorum clariſſimorum progenitorum gloria inferior es. Hac ratione & cognomen & facta illorum expectabis, cum... tali laude & fama quod non dubitamus eſſe futurum. Nam quantum ſemper pro componendis Chriſtianorum principum diſcordiis elaboraverimus, & quales legatos & nuntios miſerimus, & tu ipſe teſtis optimus eſſe potes. Si qua alia in re etiam opitulari poſſumus, faciemus animo libentiſſimo. Datum Romæ die XVIII. Junii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXX.
cardinali Cantuariensi.

Ut Robertum episcopum Bathonien sem & Luchensem coram sede apostolica citare faciat, de diffamatione responsurum.

Dilecte fili noster &c. Propter gravia & diversa crimina aliaque enormia & scandalosa, quibus crebro rumore apud apostolicam sedem venerabilis frater ROBERTUS Bathonien sis & Luchensis diffamatur, ad instantiam dilecti filii Antonii de Eugubio fiscalis procuratoris nostri, ex debito sibi incumbentis officii procedentis, causam super diffamatione hujusmodi & aliis promissis contra Robertum episcopum præfatum venerabili fratri nostro L. episcopo Tusculano camerario nostro, citato dicto episcopo ad personaliter coram eo comparendum, commisimus nobis referendam. Verum quia parum esset in similibus causas committere, nisi debitæ demandarentur executioni, tenore præsentium circumspectioni tuæ committimus, & in virtute obedientiæ tibi mandamus, quatenus Robertum præfatum citari facias & procures ad personaliter juxta citationes ejusdem camerarii his nostris juxta prædictum tenorem in curia Romana coram eodem comparendum sub censuris & aliis pœnis in eadem citatione contentis, dato nobis per tuas responso, quatenus in præmissis de mandato tuo processum extiterit & infra... si ad id, quod non opinamur, aliis remediis uti oporteat congruis uti valeamus coercitionibus. Datum Romæ die XXV. Junii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXXI.
regi Francorum.

Ut ortam in partibus Ebredunensium novam hæreticorum sectam compescat.

CArissime in Christo fili, salutem &c. Dum clarissimæ familiæ ac majorum tuorum res pro Christiana fide & catholica religione, præsertim ad nefandas hæreses extirpandas, præclarissime gestas consideramus animo, certissime judicamus, te qui ceteris in rebus eorum vestigia pulcherrime sequeris, virtutes imitari studes, eumdem quoque zelum in causa fidei orthodoxæ præstiturum, quem retroactis temporibus illustres prædecessores tuos Christianissimos Franciæ reges in veteribus historiis præstitisse legimus & laudamus. Cum igitur, fili carissime, magno cum dolore & perturbatione animi fide dignorum hominum relatione intellexerimus, scelestos quosdam homines sathanæ ac iniquitatis filios in diœcesi Ebredunensi & partibus adjacentibus serpentum venenatorum modo contra sacro-sanctam & fidelium omnium magistram & matrem ecclesiam virus evomere, & tamquam filios Belial cornua erigentes, multos & maximos decipere, & a fide orthodoxa penitus alienos errores inter simplices homines seminare, conventiculos & conspirationes multimodas & detestandas, ad enervandam omnino orthodoxam fidem, in dedecus maximum & præjudicium sacrosanctæ & apostolicæ sedis, inire, quodque maximum esse existimamus, cum locorum episcopi & inquisitores, hujusmodi homines, utpote damnatæ jam pridem Valdensium sectæ imitatores & assectas, consuetis debitisque juris remediis & pœnis coercere atque in eos animadvertere vellent, ipsorum aliqui ad tuam curiam accedentes, coloratis astutissimisque persuasionibus ac falsitate expressa, litteras subreptitias ex cancellaria tua, te, ut non dubitamus, inscio, extorserunt. Absit enim a nobis de te, quem scimus sanctæ sedis apostolicæ, ut Christianissimum regem decet, devotissimum filium, aliter credere. Quibus litteris mandatur, ne quis antistes aut quicumque alius contra hujusmodi nefandos homines & detestandam sectam procedere possint: quibus fulti in damnata sua hæresi persistere, ac publice quodam modo profiteri atque asserere audent. Tanta igitur & tam nefaria scelera, tum fidei orthodoxæ respectu, tum pastoralis officii debito, nobis etsi insufficientibus injuncto, tolerare non valentes, duximus esse partes nostras, te monere, hortari & rogare in Domino, ut revocatis hujusmodi litteris tuis, quarum auctoritate perfidi hæretici in damnatis opinionibus sese fulcire nituntur, ipsos antistites & ceteros ecclesiasticos judices, quibus id jure aut speciali commissione nostra competit, juxta canonicas sanctiones procedere contra eosdem permittas, & ubi opus esse duxerint & exquisierint, tua potentia sæculari, quæ a Domino solo est, quippe qui ait: Per me reges regnant, juxta tuam prædecessorum & clarissimorum progenitorum consuetudinem ad extirpandam scelestissimam hæresim manum apponas. Qua in re præter id quod debes, tamquam Christianissimus rex ex officio... præstantem, & tibi ad honorem & gloriam non mediocrem; nobis etiam erit jocundum & gratum ut nihil magis: denique quod postremum est, apud gloriosum Deum summo & magno merito adscribetur. Datum Romæ die I. Julii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXXII.
regi Francorum.

Ut illatam civibus Avenionenſibus vexationem ceſſare faciat.

CAriſſime in Chriſto fili, &c. Superioribus menſibus cum nobis relatum eſſet, dilectos filios Avenionenſes ſubditos noſtros a quibuſdam ſubditis tuis atque officialibus tuæ majeſtatis variis vexationibus affici, ad majeſtatem tuam in commendationem ipſorum Avenionenſium ſcripſimus, ut qui pro mutua noſtra benevolentia, proque tua eximia & perpetua ad res S. R. E. caritate ſubditos noſtros, non minus quam tuos, caros tibi eſſe confidimus; ac propterea ſperabamus tua ſapientia convenientem finem hujuſmodi imponi vexationibus. Nuper autem accepimus, quod officiales ipſi non ſolum non deſtiterunt a vexationibus priſtinis, ſed inſolentiores effecti, quotidie graviora minantur, & armatum exercitum in agrum noſtrum Avenionenſem præmiſſuros ſe jactant. Quæ ſane res licet præter voluntatem tuæ majeſtatis fieri credamus, non poteſt nobis non eſſe vehementer moleſta. Nam nec noſtro, nec tuo cedit honori, dum S. R. E. ſubditi indigne tractantur, & a tuis in noſtros manat injuria. Nec poſſunt, nec quærunt Avenionenſes ſubterfugere, ſi quid cuiquam jure debent, nec nos ii ſumus qui non cupiamus juſtitiam miniſtrare. Diſcedatur a vi & via juſtitiæ controverſiæ dirimantur. Hoc animorum noſtrorum conjunctio, hoc tua ſapientia & equitas poſtulat. Itaque cariſſime fili, rogamus & obteſtamur celſitudinem tuam in Domino, velis commiſſariis & officialibus quibuſcumque tuis mandare, ut ab omni vi, injuria & moleſtia in noſtros Avenionenſes abſtineant, & viam juſtitiæ amplectantur, ne aliquid ſcandali, quod plurimum fugiendum eſt, excitetur. Id ſi fuerit, ut confidimus, nos maxima cura & moleſtia liberabis, & ſapientiſſimi regis officio functus fueris. Non parvam enim admirationem genuit, quod orator dictæ civitatis, qui cum litteris noſtris venerat, redierit ſine bona concluſione. Datum Romæ [illegible]. Julii M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXXIII.
duciſſæ Sabaudiæ.

Ut impoſitas ab eo decimas in ſuo dominio ſolvi permittat.

DIlecta in Domino filia, accepimus excellentiæ tuæ litteras, in quibus nobis ſignificas, cur non paſſa ſis decimam nuper a nobis in dominio tuo, ſicut in aliis, impoſitam exigi, rationemque affers, quod venerabilis frater epiſcopus Taurinenſis noſtro tibi nomine retulit, decimam hanc in ſubſidium reginæ Cypri conferendam eſſe. De quo non potuimus non mirari. Nam neque nos ipſi epiſcopo tale quidquam commilimus, nec res ejuſmodi eſt, ut debeat in privatos uſus converti. Decimæ, quæ profecto noſtræ ſunt, ſuper eccleſiaſticis bonis impoſitæ, pro fidei & religionis defenſione impendi debent, & hac de cauſa urgente nunc a perfidis Chriſti nominis hoſtibus Turcis, non levi neceſſitate hanc quodammodo coacti ſumus imponere, nec tantum in dominio tuo impoſita eſt, ſed in omnibus Italiæ partibus. Noctes & dies de communi reipublicæ Chriſtianæ deffenſione pro paſtoralis officii miniſterio cogitamus, & quæcumque cum Deo poſſumus illi ſubſidia præſtare ſtudemus. Debet ergo excellentia tua pro ſolita pietate promtam & facilem in hac re ſe reddere, & noſtros pios conatus juvare. Nam quantum ad cariſſimam filiam noſtram in Chriſto CARLOTTAM Cypri reginam illuſtrem ſpectat, eam in curia noſtra omni qua poſſumus benignitate fovemus. Decimam tamen ſubſidio reipublicæ Chriſtianæ dicavimus, pro cujus exactione, ut opportunos favores impendas, te plurimum ac plurimum in Domino exhortamur, & a te reſponſum quam primum expectamus, ut quid facturi ſumus intelligamus. Datum Romæ die XIII. Julii M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXIV.
regi Francorum.

Cauſatur quod ipſius nomine cives ſui Avenionenſes moleſtentur.

CAriſſime in Chriſto fili, &c. Alias commendavimus tuæ majeſtati dilectos filios Avenionenſes noſtros, ut non ſineres per tuos ſubditos eis inferri injuriam aut damnum, ſed ex eorum querela nuper accepimus, ſeneſcallum Bellicadri & Nemauſii nomine tuo invaſiſſe hoſtiliter territorium noſtrum Avenionenſe, & plura bona inde abſtraxiſſe, damnaque plurima intuliſſe, quod nobis valde diſplicuit; quippe qui pro mutua noſtra benevolentia deſideramus inter tuos & noſtros amorem & pacem vigere, eoque magis etiam doluimus, quo intelleximus oratores ipſorum Avenionenſium ad te hac de cauſa deſtinatos, auditos non fuiſſe. Certe, cariſſime fili, ut probitas & prudentia tua recte novit, hujuſmodi invaſiones tolerari non poſſunt, quamvis difficile nobis creditu ſit, quod talia de mente & voluntate tua procedant. Et miramur quod Seneſcallus ipſe dicat, ſe hoc fa-

cere occasione certi debiti dilecti filii Gabrielis de Rernesio, cum ipsemet senescallus suus, sicut ex quadam concordia facta, & publico instrumento vallata, latius constare didicimus, confessus sit tale debitum non pertinere ad communitatem nostram Avenionensem. Propter quod non putamus honestati aut justitiæ convenire, quod hujusmodi molestiæ inferantur. Velis ergo, rex Christianissime, pro tua pietate & bonitate subditos nostros commendatos habere, ac providere, ut officiales tui quicumque sint, ipsos nostros Avenionenses de civitate ipsa, aut de comitatu Venaissini propter aliena debita aut alias injustas causas nullo pacto molestent. Sed ab his invasionibus & omni injuria de cetero abstineant, & ablata integre restituant. Ceterum quia impetus fluminis Rodani plurimum civitati ipsi nostræ Avenionensi obesse solet, te hortamur, ut pro mœnium ipsius civitatis munimine sinas ripam dicti fluminis fortificari, & reparari, & cœptum jam opus compleri, mandando tuis officialibus, ut nullum desuper inferant impedimentum. Similiter etiam providere velis, ut subditi nostri ad alienos judices non trahantur, & pœnæ quæ in ipsos per officiales tuos minus debite impositæ esse dicuntur, penitus tollantur. Eodem modo te habebis erga ipsos subditos nostros, nec aliquæ marchæ seu repræsalliæ contra eorum... consuetudines, nisi prius de jure bene cognitum fuerit, de causis illis de quibus agi continget, quemadmodum eis per claræ memoriæ CAROLUM genitorem tuum concessum fuisse patet, id enim celsitudini tuæ ad laudem cedet & nobis ad complacentiam. Datum Romæ die ultima Julii anno M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXXV.
epiſcopo Taurinenſi.

Ut ſectam Valdenſium in ſua diœceſi curet extirpari.

VEnerabilis frater ſalutem &c. Crebris plurimorum fide dignorum querelis non abſque animi dolore percipimus, damnatam Waldenſium ſectam, quæ malis imbuta venenis animas in æternam trahit perditionem, in tua diœceſi & locis circumvicinis quotidie magis ſerpere, miſeroſque illius profeſſores conari aſſidue per conventiculos, conſpirationes & fraudes ſuo veneno inficere ſimplices animos, in gravem divinæ majeſtatis offenſam & fidei orthodoxæ dedecus ac jacturam: adeo ut niſi Satanæ ſemina ex agro dominico cura vigili evellantur, nocitura plurimum videantur. In quo, venerabilis frater, ſi negligentia uſus es, conſiderare potes te non eſſe functum boni & prudentis præſulis officio: verum tamen quia hactenus, ut accepimus, reſpectu cariſſimi in Chriſto filii noſtri LUDOVICI Francorum regis Chriſtianiſſimi, cujus dictæ ſectæ homines per ſubreptionem certas litteras impetraſſe dicuntur, ab eorumdem correctione abſtinuiſti, non tam te ex hoc reprehendendum putavimus, quam hujuſmodi reſpectus cauſam amputandam duximus, ad ipſum Chriſtianiſſimum regem ſcribendo. Non enim dubitamus, quin litteris noſtris lectis, & hæretica fraude intellecta, illos a ſe rejiciat cum dedecore, & juſtitiæ mucroni ſubjiciat. Nihil enim a ſua ſancta & catholica mente magis eſt alienum, quam ut quidcumque favoris damnatæ ſectæ impertiatur. Volumus igitur, & tuæ fraternitati mandamus, ut receptis præſentibus, regem ipſum cum litteris, quas hic alligatas mittimus, adeas, aut aliquem hominem prudentem fidumque mittas, omnique ſtudio ac diligentia ad extirpationem dictorum hæreticorum incumbas, & nihilominus commiſſario noſtro ad hoc ſpecialiter deputato favoribus opportunis aſſiſtas, in quo a Deo præmium & a nobis uberem commendationem recipies. Datum Romæ die I. Auguſti M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPIST. LXXVI. JOH. SALVAYGO, Januenſium capitaneo triremium.

Eum denunciat excommunicatum ob invaſas Ferdinandi regis Siciliæ triremes.

DIlecte in Chriſto &c. Non poſſumus vehementer non admirari, & cum amaritudine cordis admodum dolere, quod tantæ fueris temeritatis & audaciæ, ut triremes cariſſimi in Chriſto filii noſtri FERDINANDI Siciliæ regis illuſtris ſub noſtra protectione poſitas, nullo habito reſpectu honoris noſtri, in oculis Romani pontificis, & in faciem B. Pauli, ita violenter invaſeris, & crudeliſſimam ſtragem ediderit, quod profecto a te, qui Januenſis es, non expectabamus, cum Januenſes honori noſtro magis conſulere deberent, & ratione nationis, & benevolentiæ qua eos ſemper ſumus proſecuti. Quare cum hæc minime tolerare intendamus, propter ſceleris hujus atrocitatem, denunciamus te & omnes complices tuos excommunicationi & æternæ maledictioni ſubjacere, & ſi de cetero ab hujuſmodi facinoribus non abſtinueris, civitatem Januenſem & omnem riperiam, quod inviti quidem faciemus, eccleſiaſtico ſupponemus interdicto, & omnia loca ad quæ tu vel ſimiles tui declinaverint, eidem ſententiæ ſubjacere declarabimus. Datum Romæ die III. Auguſti M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXXVII.
episcopo Tridentino.

Mittit ad eum episcopum Vintimiliensem, ut una cum eo inquirat de negotio Judæorum.

VEnerabilis frater salutem. Licet existimandum sit omnia quæ a fraternitate tua in causa Hebræorum facta sunt, rite & juridice facta esse, propter singularem prudentiam & integritatem tuam, non desunt tamen plerique principes, qui factum hoc quodam modo improbent & accusent, & in aliam partem rem accipiant quam accipi debeat, nec tantum de tua fraternitate, sed de apostolica sede ob id quæri videantur. Nos, ut diximus, etsi non dubitamus quæ in ea causa fecisti, zelo justitiæ christianæ religionis fecisse, juridiceque processisse; Tamen ut hujusmodi detractionibus amputetur occasio, & omnes intelligere luce clarius possint, in his aliud ab ipsa sede & a te in causa ipsa quam justitiam quæri, venerabilem fratrem BAPTISTAM episcopum Vintimiliensem sacræ theologiæ professorem, virum doctrina & morum integritate præditum, commissarium nostrum istuc duximus mittendum, ut una cum tua fraternitate rem omnem intelligat, & secundum Deum atque justitiam procedere habeat, prout sibi latius dedimus in mandatis. Igitur tuam fraternitatem hortamur in Domino, ut eidem episcopo in omnibus quæ necessaria erunt diligenter cooperetur & assistat, quemadmodum & res ipsa videtur postulare, & pro integritate tua non dubitamus te esse facturum. Datum Romæ die III. Augusti M. CCCC. LXXV. anno IV.

EPISTOLA LXXVIII.
Imperatori.

Approbat translationem monialium B. Mariæ de Piscina in Colonienſem S. Ceciliæ ecclesiam.

CAriſſime in Chriſto fili, &c. Ex litteris celsitudinis tuæ & relatione venerabilis fratris nostri D. episcopi Brixiensis, intelleximus, quemadmodum civitas Colonienſis obsidionem anno superiori formidans, monasterium monialium S. Mariæ de Piscina, ordinis S. Augustini, extra & prope muros civitatis ejusdem, ne ab oppugnatoribus occuparetur, demoliri curavit. Tu qui zelo religionis & pietatis moniales quæ numero circiter 50. in observantia regulari in illo degebant, & propter hujusmodi demolitionem intra civitatem confugerant, & domos quasdam privatas non sine periculo pudicitiæ habitare coactæ erant, ad monasterium seu ecclesiam S. Ceciliæ, a A claræ memoriæ prædecessoribus tuis Romanorum imperatoribus pro canonissis sæcularibus fundatum, quod una sola abbatissa, canonissis propter tenuitatem præbendarum alia monasteria incolentibus, habitabat, interveniente ad hoc venerabili fratre ALEXANDRO episcopo Forlivienſi, nostro cum potestate legati de latere oratori, transtulit, locum eis perpetuo donari, monasteriaque ipsa per eumdem episcopum uniri curavit, canonissis tamen pro celebratione divinorum inibi institutis, suis locis & præbendis ac abbatissæ prædictæ proventibus sibi deputatis, quoad vixerint, reservatis. Quocirca nos præmissa paterno affectu considerantes, tuæque celsitudinis pietatem & sapientiam in Domino commendantes, ejusdem in hac parte precibus inclinati, translationem, donationem & unionem hujusmodi, ac omnia inde facta tenore præsentium approbamus, & auctoritate apostolica confirmamus, plenamque decernimus obtinere roboris firmitatem, Constitutionibus & ordinationibus apostolicis, dictorum monasteriorum privilegiis & statutis ceteriſque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ die XVII. Septembris M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXIX.
archiepiscopo Lugdunenſi.

De pace inter reges Galliæ & Angliæ, & ut arma ſua convertant in Turcas.

VEnerabilis frater salutem &c. Supra modum nobis gratæ fuerant litteræ tuæ fraternitatis, quibus certiores reddimur de concordia inter carissimos in Christo filios nostros LUDOVICUM Franciæ Christianissimum & EDUARDUM Angliæ illustrem reges inita. Erat enim nobis hoc in primis optatis, tum propter ipsorum regnorum quietem & pacem, tum propter publicam utilitatem & reipublicæ Christianæ defensionem. Agimus igitur Deo omnipotenti gratias, & vere existimamus ejus clementia & miseratione tot damna, tot pericula, quæ ex bello inter reges ipsos imminebant, esse sublata, pugnandique ardorem ad pacis studia esse conversum. Tuæ vero fraternitatis in hac concordia studium, plurimum ac plurimum in Domino commendamus. Fecisti quod optimum & præstantem decet prælatum. Nunc reliquum est, ut pro communi causa operam des, & concordes tantorum regum animos ad publicam defensionem coneris adducere; in qua quidem re & legatis & nunciis non cessavimus invigilare. Quin etiam venerabilis frater NICOLAUS episcopus Mutinensis noster cum potestate legati de latere orator, quem pro cura pastoralis

officii, & pro zelo publicæ utilitatis ad reges ipsos & principes istius regni pacandos miseramus, aut jam applicuisse debet, aut jam prope diem istic aderit. Verum quoniam Dei benignitate jam inita concordia est, ad id quod solum restat opus pro reipublicæ Christianæ defensione laborabit, & id quod maxime optabile, maximeque necessarium est conabitur efficere, ut videlicet reges promtissimi & pientissimi, quos Deus invicem conciliavit, Deo militent, adversus Dei hostes arma convertant, & ad id bellum incumbant, unde præmium æternum, & immortalem possunt gloriam comparare. In hoc venerabilis frater, & tu quoque studium tuum, ingenium, consilium & auctoritatem ponas necesse est. Ex his sanctissimis operibus ad tantam gloriam clarissimi Francorum reges provecti sunt, Christiana defensa religio, & suscepta pro orthodoxa fide bella eos amplissimos & clarissimos reddidere. Non ignoras quanta nunc propter impiorum Turcorum conatus necessitas urgeat, quantis Christiana plebs afficiatur incommodis. Ad hæc igitur totis viribus incumbe una cum ipso legato, ut in hac concordia optatus & debitus percipi fructus possit, & inde possis uberius commendari. Datum Romæ die ultima Septembris M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXX.
archiepiscopo Narbonensi.

Vetat ne Avenionem accedat, gubernatoris vices obiturus.

VEnerabilis frater &c. Intelleximus quod venerabilis frater archiepiscopus Lugdunensis, gubernator civitatis nostræ Avenionensis deputavit te, suum in dicta civitate locum tenentem, de quo profecto non parum miramur, præsertim cum ipse archiepiscopus gubernium hujusmodi per substitutum exercere non valeat. Quapropter mandamus fraternitati tuæ per præsentes, quantum tu in gratia nostra cupis perseverare, ut nullo pacto ad ipsam civitatem te conferas, aut hujusmodi munus exercendum sumas. Datum Romæ die VII. Octobris M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXI.
archiepiscopo Lugdunensi.

Mittit Avenionem Constantinum episcopum Spoletanum, ut in ejus absentia urbem regat, ac civium molestias compescat.

VEnerabilis frater salutem. Cum sæpe & a fide dignis non sine gravi displicentia acceperimus, officiales & homines tuæ fraternitatis ac alios in Avenionensi aliisque civitatibus & terris ibidem nostris & S. R. E. existentes, varias molestias & gravamina civibus & subditis illis nostris tulisse inferreque dictim, judicavimus illud ex absentia fraternitatis tuæ ab eo regimine maxime provenire, in cujus auctoritate & circumspectione speravimus civitatem & subditos illos nostros tuo regimini per nos commissos, non solum novis molestiis non affici, sed etiam & veteribus sublevari. Nos autem qui in nostrorum & subditorum S. R. E. querelis non possumus nisi graviter condolere, hujusmodique molestias & gravamina æquo animo ferre nequimus, eo magis quod honori tuæ fraternitatis, ejusque inclytæ famæ minus conducere cognoscimus, volentes sicut ex injuncto nobis curæ pastoralis officio astringimur, regimini & quieti civitatis & subditorum eorumdem in tua absentia juxta cor nostrum opportune providere, matura super hoc deliberatione præhabita, commisimus & mandavimus venerabili fratri nostro CONSTANTINO episcopo Spoletano, in cujus fide & experientia & integritate maxime confidimus, & quem ad officium rectoriatus comitatus nostri Venaissini nuper deputavimus, ut ad civitatem præfatam se conferens, cives & subditos nostros prædictos in dicta tua absentia cum debita justitia regat atque gubernet, sicut circumspectionem tuam pariter desiderare non ambiginus. Tuam igitur fraternitatem requirimus ac in Domino hortamur, ut provisionem nostram hujusmodi pro nostro & sedis apostolicæ tuoque honore gratam accipiens, eidem episcopo ac dictorum civitatis & subditorum quieti & litteris & nunciis tuis studiosissime assistas. Palatium quoque nostrum in ipsa civitate præfato episcopo tradi & accommodari pro ejus residentia facias, quod quidem ad cumulum honoris tuæ fraternitatis, & ad nostram hujusque sanctæ sedis gratiam uberius promerendam permaxime tibi cedet. Datum Romæ die VIII. Octobris anno M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXII.
regi Francorum.

Causatur de ipsius seneschallo Bellicadri, cujus insolentiam compesci rogat.

CArissime in Christo fili salutem. Satis mirari non possumus quod tuus Bellicadri seneschallus terras nostras quotidie invadere non desistat, sicuti fide digna relatione percepimus, & præsertim civitatem Avenionensem comitatumque Venaissini & eorum adjacentias, & quod molestius nobis est, intelleximus seneschallum ipsum nuper nonnullas insolentias in loco de Tulleta ejus-

dem comitatus commisisse, cercumque bladum arrestari, & quemdam familiarem & procuratorem dilecti filii nostri JULII tituli S. Petri ad vincula presbyteri cardinalis, nostri secundum carnem nepotis, capi & abduci feciſſe. Hæc omnia sicut aliena sunt ab omni honestate & ratione, ita nobis displicent & toleranda non sunt: quamquam nullo pacto adduci possumus, ut talia de mente vel voluntate tua procedere arbitremur. Scimus enim te catholicum regem esse & fuisse semper, æquitatis & rectitudinis amatorem, & rerum Romanæ ecclesiæ B etiam conservatorem. Qua propter majestatem tuam hortamur in Domino & enixe requirimus, ut si ita est, pro tua regia probitate & pro mutua nostra benevolentia velis remedium huic rei apponere, & insolentiam seneſcalli tui cohibere, arrestumque tolli, & ipsum procuratorem liberari facias. Ceterum pro reverentia hujus sedis dabis operam, ut eidem cardinali possessio prioratus S. Spiritus libera tradatur & consignetur. Id nobis cedet ad consolationem & maximam complacentiam. Super his autem venerabilis frater noster episcopus Mutinensis orator noster nonnulla tibi referet, cui C fidem adhibebis. Datum Romæ die VIII. Octobris anno M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXIII.

Dilectis filiis universis & singulis per Italiæ partes dominis ac officialibus ad quos præsentes literæ pervenerint.

Ut Simonem puerum a Judæis interfectum pro sancto haberi prohibeant.

Dilecti filii salutem &c. Licet inter causas majores apostolico sit dumtaxat judicio reservatum, quempiam inter sanctos referre & miracula approbare, nihilque adhuc certum compertumve nostro judicio aut approbatum sit de quadam puero SIMONE Tridentino per Judæos, ut dicitur, interfecto, de quo hoviter fieri mandavimus & recipi plenariam informationem: tamen accepimus nonnullos publice etiam in prædicationibus affirmare ipsum Simonem, quem beatum appellant, per dictos Judæos in ipsa civitate Tridentina post multa tormentorum genera cruci affixum, & occisum, & E martyrem esse, & plurimis miraculis claresscere, & alios desuper imagines depingere, cartas in modum historiarum conscribere, & publice vendere, & venditioni exponere, & propterea Christi fideles contra Judæos omnes eorumque bona incitare: adeo etiam quod multi eorum plura exinde sint passi pericula. Attendentes itaque hæc & similia pessimæ fore præsumtionis, talia per blandimentum publicum in hac nostra urbe alma fieri amodo prohibuimus, & id circo A vobis tenore præsentium motu proprio & ex pastoralis officii debito committimus, & districte etiam sub pœna excommunicationis mandamus, quatenus & vos in locis dominiorum vestrorum ac alias regimini vestro commissis eadem fieri sub pœnis, de quibus vobis videbitur, publice & omnino interdicatis, inobedientes pœna condigna plectendo, & nihilominus Judæis ipsis, quos ecclesia in testimonium mortis Christi tolerat, firmo defensionis præsidio propter hoc assistatis, donec aliud a nobis receperitis in mandatis, cum intendamus habita ex commissario nostro, quem propterea ad partes illas destinamus, rei veritate, in præmissis opportune & plenarie, ut justum fuerit, providere, contrariis nonobstantibus quibuscumque. Datum Romæ die X. Octobris anno M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXIV.

duci Britanniæ.

De promovendo ad cardinalatum Petro de Fuxo.

Dilecte fili salutem, Petierunt a nobis inter alia oratores tuæ nobilitatis, ut dilectum filium PETRUM DE FUXO electum cognatum tuum in prima creatione cardinalium ad honorem cardinalatus promovere vellemus. Nos certe Petrum ipsum propter generis nobilitatem virtutesque & amabiles mores, paterna caritate complectimur, & bono animo erga eum sumus, sicut & alias ad te rescripsimus. Cum de creandis cardinalibus agetur, libenter me- D mores ejus erimus, & quantum per nos fieri poterit, non deerimus. Datum Romæ die X. Octobris M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXV.

Imperatori.

De amovendo a sede sua archiepiscopo Colonienſi.

Carissime in Christo fili salutem. Exposuit nobis venerabilis frater episcopus Brixiensis nomine tuæ serenitatis, eamdem cupere ut ecclesiæ Colonienſi de alio pastore provideretur, amoto moderno archiepiscopo, sic exigentibus ejus demeritis. Nos autem his omnibus diligenter intellectis, cum in omnibus quæ cum Deo possumus, majestati tuæ gratificari semper desideremus, licet multi ex venerabilibus fratribus S. R. E. cardinalibus abessent ab Urbe propter aëris intemperiem, qui in tanta re qualis est ista, expectandi essent; (Scis enim amotionem episcoporum de majoribus & gravioribus causis esse,) tamen habito cum

ceteris frequenti tractatu,& re in consistorio nostro secreto , ob contemplationem tuæ majestatis, diligenter discussa , decretum est ut examen cautæ istius nonnullis ex ipsis fratribus nostris committeretur , qui in præfato consistorio nostro referent,ut habita postmodum relatione, quod justum esset & ecclesiæ illi Colonienſi utile , maturà deliberatione præmissa,determinare possimus, cujus quidē calamitati ex corde compatimur,cum valde detestandum sit ecclesiasticos viros paci ecclesiæ insidiari, qui eam tueri & conservati deberent. Quin etiam sciat majestas tua nos præfatis commissariis injunxisse, ut in omnibus semper advertant ad honorem & commodum tuum , quantum cum Deo fieri poterit, ut intelligas idem & cordi nobis esse pro ea caritate & benevolentia , qua celsitudini tuæ afficimur. Datum Romæ die x. Octobris M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXVI.
Patriarchæ Antiocheno.

De auxilio quod ei præparavit.

VEnerabilis frater salutem. Accepimus litteras tuas , & quo in statu res sit intellexinus. Nunc opus est ut prudentiam, diligentiam,& magnanimitatem tuam ostendas. Nos omnia opportuna remedia adhibemus , ut cum celeritate opportunum tibi veniat auxilium , evocavimus omnes copias gentium armigerarum in Romandolia existentium. Ducem Urbini bis excitavimus, Robertum Malatestam commonefecimus,Julium Cæsarem deVarano cum omnibus ferme populis ad hoc aptis pedites imperavimus , cardinalem quoque S. Petri ad Vincula mittimus , qui summo mane eras iter arripiat, & omnia auxilia contrahat: Scripturus si opus sit, decem millia peditum quam celerius fieri poterit. Tu modo fac forti & magno sis animo , & diligenter incumbas deffensioni , ut nos & sedes apostolica tuæ virtutis in tempore memores esse valeamus , & ab ea condignam retributionem possis accipere. Datum Romæ die XXI. Octobris anno M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXVII.
Dilecto filio Angelo de Ursinis Domicello Romano.

Ut arma quæ adversus Cichum de Nardinis sumpserat deponat.

DIlecte fili salutem. Intelleximus inter te & dilectum filium Cichum de Nardinis, quotidie incursiones fieri & arma tractari contra quietem populorum nostrorum. Quare cum id merito molestè feramus , & pro pace subditorum nostrorum tolerandum nullo modo putemus, volumus & tibi sub indignationis nostræ & rebellionis pœna mandamus, quatenus visis præsentibus, arma deponas , ab omnique incursione & violentia cesses , nec non infra terminum sex dierum nostro conspectui te præsentes , ut te & Cicho ipso, cui similiter scribimus auditis, aliquem bonum finem controversiis vestris , sicut cupimus , imponere valeamus. Datum Romæ die XXI. Octobris anno M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXVIII.
regi Ferdinando.

Ut Sagonensi episcopo a piratis capto opem ferat.

CArissime in Christo fili salutem. Superiori anno cum venerabilem fratrem JOHANNEM ANTONIUM FERROFINUM, domesticum nostrum ad Sagonensem promovissemus ecclesiam , ad gregem suum visitandum & spiritali consolatione fovendum profectus est , reditum tamen habuit infelicem. Nam cum e Corsica solvisset , & aliquantulum maris emensus esset , nec ipse, nec navigium quo vehebatur usquam comparuit , adeo ut pro defuncto hactenus habitus fuerit. Novissime autem non vanis conjecturis in spem adducti sumus, eum vivere, sed eam vitam vivere,quæ omni Christiano non solum animarum pastore & episcopo est indigna. Ductum quippe esse a piratis in prædam , & eum ad miserabile servitium detineri, rem profecto , fili carissime, detestandam , & pro Dei honore non tolerandam. Quare cum ad eum perquirendum & recuperandum , dilectum filium Johannem Franciscum Ferrofinum familiarem nostrum , continuum commensalem mittamus , serenitatem tuam hortamur in Domino , ut omnes opportuniores favores ad hæc velis impendere, nec pietati tuæ convenientius quidquam nec nobis in hoc genere gratius potes efficere. Datum Romæ XXVII. Octobris anno M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA LXXXIX.
duci Burgundiæ.

Ut alumini per suæ ditionis terras liberum transitum permittat.

DIlecte fili salutem. Facti certiores a fide dignis,instare apud excellentiam tuam *nonnullos*, ut nullum alumen in loca ditioni tuæ subjecta , nisi per eorum manus portetur,opportunam esse putavimus ipsam tuam excellentiam admonere , suæ solitæ in sanctam

ctam cruciatam optimæ mentis & pietatis, ne forte in pactionibus quas iidem petunt (a) ipſi cruciatæ. (a) Requirimus velis in omni contentione ſuper aluminibus facienda ſemper liberum aditum alumini dictæ cruciatæ ſervare, nec pati ut per cujuſquam aſtutiam illius proventus vileſcant, aut imminuantur, præſertim cum in ſubſidium reipublicæ Chriſtianæ, ut tibi notum eſt conferantur, & undique diſpendia urgeant. Id ſi feceris, ut confidimus, erit plurima laude dignum & nobis gratiſſimum. Datum Romæ die XXVIII. Octobris. M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA XC.
duci Venetiarum.

De habendo cum oratoribus principum colloquio, ut Turcis bellum inferatur.

DIlecte fili ſalutem. Litteras tuas & exempla illis incluſa diligenter legimus, & cuncta quæ ſcribebantur perpendimus. Studium excellentiæ tuæ in rebus hujuſmodi accurate nobis ſignificandis vehementer gratum eſt, & non mediocri laude dignum videtur. Commendamus te proinde in Domino, quod ad nos attinet in nulla re curas & cogitationes omnes noſtras libentius donamus. Nihil eſt quod magis optemus, quam perfidum hoſtem hunc reprimi, Chriſtianam rempublicam in priſtinam dignitatem reſtitui, ut hactenus pro viribus conati ſumus, & animo indefeſſo ſumus ad ea agenda & procuranda quæ huic rei maxime conferre poſſe videntur. Cariſſimus in Chriſto filius noſter FERDINANDUS Siciliæ rex illuſtris plenum ad oratorem ſuum mandatum promtiſſime miſit. Item, dilectus filius nobilis vir Hercules Ferrariæ; miſerunt Senenſes. Tuum cum deſiderio oratorem expectamus, ſpemque habemus a dilecto filio GALEATIO MARIA duce Mediolanenſi & Florentinis, quemadmodum & tu ſcribis, hoc idem per eos factum iri. Cum convenerint omnes, tunc toto pectore omnique ingenio incumbemus, ut ſperatus ſequatur effectus, & aliquid dignum nomine Chriſtiano, virtuteque Itala pro neceſſitate temporis decernatur. Quod Deo & Salvatore noſtro inſpirante & adjutore confidimus eſſe futurum. Ceterum accepimus nuperrime litteras a cariſſimo in Chriſto filio noſtro LUDOVICO Francorum rege Chriſtianiſſimo reſponſivas noſtris, quas ad eum, ſicut ad alios reges & principes Chriſtianos, poſt direptionem civitatis Caphenſis, ad auxilium Chriſtianæ reipublicæ labanti ferendum. Scripſimus ut ad ferendum opem & ipſe & alii principes magis excitarentur; ipſarum exemplum præſentibus mittimus intercluſum, ut plenius cuncta intelligas, & egregium ipſius regis animum recognoſcas. Datum Romæ die V. Novembris anno M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA XCI.
regi Ferdinando.

Mittit ad eum Johannem epiſcopum Maſſanum, qui infirmantem conſoletur.

CAriſſime &c. Ex litteris dilecti filii Antonelli de Averſa, ſecretarii tui, ad dilectum filium Anellum Archamonum oratorem tuum nuperrime ſcriptis, intelleximus, ſerenitatem tuam corporis languore teneri, quem etſi credimus levem eſſe & cito evaniturum, tamen non potuimus non moleſtiſſime ferre, propter noſtram in te eximiam caritatem ac benevolentiam ſingularem: avidiſſime quidem te viſuri & recreaturi in perſona propria veniſſemus; ſed quoniam id non licet, venerabilem fratrem JOHANNEM epiſcopum Maſſanum confeſſorem noſtrum ad te venire juſſimus, qui in hoc noſtras ſubeat vices, & omnia noſtra offerat. Præſto enim erunt omnia quæ tuam majeſtatem oblectare in aliquo poſſunt. Venit igitur epiſcopus ipſe, qui vultu & verbis noſtros affectus promit. Si licuiſſet nos iſthuc properare, cumulatius eſſet noſtro deſiderio ſatisfactum. Dici enim vix poteſt quantum nobis curæ ac cordi ſit. Datum Romæ die XVII. Novembris M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA XCII.
duci Calabriæ.

Promittit ſe ei numquam defuturum.

DIlecte fili, ſalutem. Vidimus litteras nobilitatis tuæ ad dilectum filium Anellum Archamonum oratorem cariſſimi in Chriſto filii noſtri FERDINANDI Siciliæ regis illuſtris genitoris tui, apud nos agentem, ſcripeas ſub die XVI. præſentis menſis, in quibus de ægritudine ejuſdem tui genitoris abunde cognovimus. Nos ut aliis ad te ſcripſimus omnem neceſſariam proviſionem pro defenſione tuæ nobilitatis fecimus & facere non deſinemus. Potes igitur eſſe bono & forti animo. Nam ſi, quod Deus avertat, tantus de illo caſus acciderit, nos non ſolum omnibus facultatibus noſtris, pro tuitione tui ſtatus promtiſſimi & parati ſumus: verum ubi opus eſſet in propria perſona tibi non deerimus, quod tibi volumus certiſſime perſuadeas, nos amantiſſimi ac cariſſimi patris vices in

(a) Videtur hic aliquid deeſſe v. g. *præjudicium fiat.*

te esse subituros. Datum Romæ die XIX. Novembris. M. CCCC. LXXV. anno V.

EPISTOLA XCIII.
regi Arragonum.

Consolatur eum de nati morte, nepoti ipsius minorenni archiepiscopatum Cæsaraugustanum recusat, quem Auxie cardinali confert.

CArissime, accepimus litteras tuæ serenitatis, ex illisque obitum bonæ memoriæ JOHANNIS administratoris Cæsaraugustani nati tui intelleximus, ob quam sane non mediocri dolore sumus afflicti, tum quia non possumus tuo dolore & incommodo non commoveri, tum quia Johannem ipsum propter ejus virtutes & merita præcipuo prosequebamur caritatis affectu. Sed quoniam ita visum est Deo omnipotenti, in cujus manu sunt omnia, acquiescendum est voluntati ejus, nec tam dolendum de morte, quam quia talem natum habueris, gratiæ illi agendæ. Ceterum de Cæsaraugustana ecclesia quam nepoti C tuo adhuc tenero dari supplicas, consideravimus omnia diligenter, & quamquam nostra in te tuosque omnes caritas singularis suadeat, ut libenter desideriis tuis annuamus, tamen nec salva conscientia, cum Dei honore, exquisitis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sententiis, id visum non posse fieri. Sacrorum enim canonum sanctiones id non permittunt, & ita quodammodo inauditum est, cuipiam in ea ætate constituto metropolitanam aliquam committere ecclesiam, neque sine divinæ majestatis offensa, neque sine onere conscientiæ tam tuæ quam no- D stræ, id fieri potuisset. His itaque obstantibus, de salubri provisione & tuæ majestati grata ejusdem ecclesiæ cœptum est agi, cumque omnibus notus esset tuus in dilectum filium nostrum Auxiam tituli S. Sabinæ presbyterum cardinalem amor, illiusque in te & statum tuum fides & observantia, ecclesiæ antedictæ optime consultum iri, & tibi jocundum futurum, omnes putaverunt si isti ipse præficeretur ecclesiæ. Itaque de consilio eorumdem cardinalium, præfatum Auxiam de Montis-regalis ad Cæsaraugustanam ecclesiam apostolica auctoritate transtulimus, nepoti vero tuo prædicto, quem ex corde amamus, de beneficiis, quibus cum Deo potuimus, complacuimus, intentionisque fumus, Domino auctore, de pensione aliqua concedenda super altera dictarum ecclesiarum *sibi providere* propter immaturam ætatem. In tempore A vero cum commendatissimum habebimus, quem de monasteriis, sicut cupiebas, iisdem de causis provideri non licuit. Expectamus quoque, ut tua majestas aliquem idoneum virum ad ecclesiam Montis-regalis proponat, ut illi quoque cum tua satisfactione possit salubriter in Domino provideri. Superest igitur ut pro tuo catholico animo singularique sapientia provisionem factam opportuno prosequaris favore, prout non dubitamus te esse facturum. Datum Romæ XVI. Decembris M. CCCC. LXXV. pontificatus B anno V.

EPISTOLA XCIV.
regi Franciæ.

Abbatiam Fiscanensem confert cardinali Hispalensi.

CArissime in Christo fili, recepimus lit- Annotat.
teras tuæ serenitatis, in quibus supplicare nos curasti, quatenus administrationem monasterii *de Fecam* Rothomagensis diœcesis, quod dilectus filius noster Jo. (a) (a)
C titulo S. Susannæ presbyter cardinalis Andegavensis similiter in administratione habere solebat, dilecto filio P. (b) cardinali (b)
S. Georgii archiepiscopo Hispalensi de benignitate apostolica committeremus, ne monasterium illud insigne ob defectum administrationis labefacterur, vel in rebus suis jacturam patiatur. Distulimus petitioni tuæ celsitudinis satisfacere, ex eo quod nobis & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus durum videbatur admodum, beneficium viventis hominis & quidem cardinalis alteri cardinali donare. Venerunt demum secundæ litteræ tuæ, & post D illas tertiæ rursum, ex quibus intelleximus tibi plurimum cordi esse & gratum fore, ut administrationem præfati monasterii memorato cardinali concederemus. Volentes igitur supplicationibus tuis condescendere, & nihilominus consulere honestati & indemnitati præfati Jo. cardinalis Andegavensis, administrationem monasterii antedicti cardinali Hispalensi duximus committendam, ea tamen ratione, ut quamprimum Jo. cardinalis Andegavensis erit in sua potestate, ac libertate constitutus, ipso facto administratio commissa cardinali Hispalensi cesset E revertaturque monasterium ad præfatum Johannem Andegavensem, ut illud habeat & possideat sicut prius. Sic enim & supplicationibus tuis condescendere & conservationi monasterii consulere & indemnitati cardinalis Andegavensis posse videmur. Datum Romæ die XX. Januarii. M. CCCC. LXXVI. anno V.

(a) Johannes Balue, quem de proditione infimulatum Ludovicus rex in tetro carcere per annos quatuor-decim detinuit.

(b) Is abbas ignotus fuit Sanvarthanis in Gallia Christiana, atque adeo ab iis prætermissus.

A

EPISTOLA XCV.
Dilecto filio noſtro Pe, tituli S. Georgii ad Velum aureum preſbytero cardinali Hiſpalenſi.

Confert ei abbatiam Fiſcannenſem.

Dilecte fili noſter ſalutem &c. Quamvis & perdifficile & inuſitatum videretur, quod de monaſterio *de Fecam* Rothomagenſis dioceſis poſtulabas; tamen pro noſtra in te præcipua caritate, deſiderio tuo libenter B annuimus. Qualem autem modum & ordinem in adeunda illius poſſeſſione a te ſervari velimus, ex litteris tui procuratoris intelliges. Hortamur circumſpectionem tuam, ut pro noſtro & apoſtolicæ ſedis honore diligenter attendas & ſerves ea quæ ab ipſo procuratore ſcribuntur, ſicut ei commiſimus. Datum Romæ die XXIII. Januarii, M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA XCVI.
duci Mediolanenſi.

Scribit ſe ſuſtuliſſe additiones factas a Paulo II. in Bulla in cœna Domini.

Dilecte fili, ſalutem &c. Fecit nobis excellentia tua ſupplicari, quod cum felicis recordationis PAULUS immediatus prædeceſſor noſter, in litteris apoſtolicis per alios noſtros prædeceſſores Romanos pontifices indie cœnæ Domini quotannis publicari ſolitis certas additiones circa dacia, pedagia, & alia libertatem eccleſiaſticam concernentia graves admodum fecerit, dignaremur paterna benignitate concedere, ut tu, officiales & ſubditi tui non D aſtringamini ad alia, quam ad illa quæ in litteris aliorum prædeceſſorum noſtrorum & noſtris continentur. Nos autem ut omnis circa hoc tollatur dubitatio, per præſentes nobilitati tuæ ſignificamus aboleviſſe nos de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio additiones illas PAULI ipſius prædeceſſoris noſtri, & decreviſſe ut illa ſolum quæ in litteris felicis recordationis MARTINI & aliorum prædeceſſorum noſtrorum & noſtris continentur, obſervari deberent, in contrarium facientibus non obſtan- E tibus quibuſcumque. Et tamen harum ſerie concedimus indulgemuſque, quod omnes qui ſe in præmiſſis immiſcuerunt, de omni tempore præterito pro hac vice dumtaxat auctoritate noſtra abſolvi poſſint, juxta hanc declarationem noſtram per confeſſores eorum. Datum Romæ die IV. Februarii anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA XCVII.
Generali ordinis Prædicatorum.

Suſpendit cenſuras ſuper Stigmatibus S. Franciſci, vetatque B. Catharinam de Senis cum Stigmatibus depingi.

Dilecte fili, ſalutem &c. Tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas per alias noſtras litteras ſub bulla plumbea ſuper Stigmatibus S. Franciſci promulgatas uſque ad capitulum tui ordinis in civitate noſtra Peruſiæ proxime conventuri, harum ſerie ſuſpendimus, ſuſpenſaſque eſſe declaramus. Nolumus tamen quod hujuſmodi ſuſpenſione durante, cuiquam imaginem B. Catherinæ de Senis cum Stigmatibus depingere facere liceat, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ die V. Februarii M. CCCC. LXXVI. anno V.

C

EPISTOLA XCVIII.
regi Francorum.

Commendat ei ſeneſcallum Jeroſolymitanum.

Cariſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Venit ad tuam ſerenitatem dilectus filius Jo. Navarus Seneſcallus Jeroſolymitanus comes Palatinus, procurator Montis Sion & totius terræ ſanctæ, qui nonnulla circa neceſſitates locorum illorum exponet. Hortamur velis pro pietate animique tui religione eum benigne audire, & favore proſequi opportuno, & commendatum ſuſcipere, quod te non dubitamus eſſe facturum. Datum Romæ die VIII. Februarii, D M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA XCIX.
regi Arragonum.

Ipſius, in cardinalem Montis-regalis iram ob recuſatum archiepiſcopatum Cæſarauguſtanum conatur mitigare.

Cariſſime in Chriſto fili, accepimus ex litteris tuis & oratoribus tuis ea quæ adverſus dilectum filium noſtrum cardinalem Montis-regalis concepiſti, perſuaſionibus, ut credimus, malivolorum potius, quam quod ex bonitate tua id proceſſerit, cum profecto nulla cauſa fuerit, propter quam cardinali tibi deditiſſimo & fideliſſimo, & in omnibus rebus tuis diligentiſſimo, ita ſuccenſere deberes. Cum primum enim de vacatione eccleſiæ Cæſarauguſtanæ ad nos ſcripſiſti, cui nepotem illum tuum præfici poſtulabas, ſupplicavit

nobis vehementer idem cardinalis, nec non & venerabilis frater P. episcopus Tyrasonensis, cui etiam iratæ videris, ut majestati tuæ morem gereremus, quod profecto libentissime fecissemus, si cum honore nostro & salva conscientia, prout alias ad te scripsimus, facere potuissemus. Cum enim tenera ætas obstaret, inauditum erat omnibus venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, quempiam ejus ætatis tantæ ecclesiæ præficere. Itaque cum singulorum vota super hoc exquireremus, visum fuit omnibus, ut posteaquam nepoti tuo nullomodo conferri poterat, eam præfato cardinali conferremus, quem omnes a majestate tua diligi & vehementer commendatum esse sciebant, & qui tibi astrictissimus esset, & in quem honestius condescendere posses, quam in ullum alium, propter ejus dignitatem. Non enim dubium erat, quin magna molestia afficeretur majestas tua ob petentium importunitatem, si rem in suspenso tenuissemus. Nam quod asseras alias factum fuisse, ut ætati illi hujusmodi ecclesiæ committerentur, & Lugdunensem allegas archiepiscopum annos XVII. natum & episcopum Gebennensem, sciat majestas tua & Lugdunensem archiepiscopum annos XVII. natum ecclesiæ illi fuisse præfectum, cum tamen is qui in consistorio relationem fecerit, deceptus fuerit quia persuasum ei erat annum XXIV. attigisse, quod summus pontifex postea ægre admodum tulit. Episcopus autem Gebennensis XVI. erat annorum, & propter schisma tunc vigens, toleratum fuit, ut omnia sedarentur. Persuadeat sibi majestas tua, nos tibi libenter complacuisse, si cum Deo facere potuissemus. Electa fuit hæc via, ut honori nostro & tuo pariter, nec non quieti tuæ consuleretur. Et certe sperabant omnes hujusmodi provisionem gratissimam tibi futuram, propter memoratas rationes, quod secus accidisse plurimum miramur. Cardinali ipsi propterea majestas tua non debet irasci, nec ullam adversus eum indignationem concipere. Paratus enim fuit voluntati tuæ obsequi quantum in ipso est. Nam acceptis litteris tuis, quibus promotionem hanc graviter ferre demonstrasti, supplicavit nobis in consistorio, ut desiderio tuo vellemus satisfacere, & nepotem tuum ipsi ecclesiæ præficere. Eo igitur semoto, aliorum cardinalium vota voluimus iterum super hoc exquirere, qui nullo modo id fieri posse censuerunt, propter tenerrimam nepotis tui ætatem. Quæ cum ita sint, hortamur & rogamus majestatem tuam, ut pro singulari animi sui religione & devotione ad hanc sanctam sedem, velis diligenter ista considerare, & optimam cardinalis ipsius voluntatem erga te prospicere, ipsum solito amore & benevolentia complecti, provisionem hanc grato animo suscipere, quando A de nepote salvo honore & conscientia tam tua quam nostra fieri non potest, præcipue cum pensionem condecentem super ecclesia ipsa nepoti tuo reservare, & ecclesiam Montis-regalis, si velis, pro quo postulabis conferre parati sumus. Fieri etiam posset, ut procedente tempore, quando nepos tuus ad legitimam pervenerit ætatem, cardinalis ipse ecclesiam in ejus favorem resignaret, quod alius nequaquam fortasse faceret. Hæc paterna caritate duximus ad majestatem tuam scribenda, ut æquissimis rationibus nostris velis acquiescere, & cardinalem ipsum, qui tuus est, & tibi fidelissimus, com- B mendatum suscipere, nec detractoribus aures adhibere, quando ad te deferuntur; sed de omnibus his nos facere certiores, quemadmodum nos vice versa erga te faciemus, licet similibus fidem non adhibeamus. Hoc enim modo improborum fallaciæ deprehendentur & veritas durescit. Et credat majestas tua omnia hæc non alicujus suasu, sed nostro proprio motu esse scripta. Nam ab intimo cordis nostri proficiscuntur. Datum Romæ die XIV. Februarii M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA C.
duci Mediolanensi.

Orat ut non ingratum ei sit, quod triremes ejus ad transfretandum Avenionem nepotem suum, urgente negotio, acceperit.

C Dilecti fili, salutem. Per oratorem tuum superioribus proximis diebus excellentiam tuam de rebus Avenionensibus reddidimus certiorem. Visum est postmodum nobis & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus dilectum filium & nobis secundum carnem nepotem nostrum D cardinalem S. Petri ad Vincula, quia res non est levis momenti, illuc mittere, proque ejus celeriori transitu quatuor triremes tuas, quæ forte tunc in portu nostro Hostiensi erant, quoniam alias non habebamus, cum summa fiducia sumsimus, rati id tuæ excellentiæ non fore ingratum. Novimus enim eam studiosissimam avidissimamque omnium commodorum nostrorum, & in omni re quantumvis magna, gratum nobis facere velle. Usi sumus in hoc rebus tuis, sicut te cuperemus nostris quotiens opus esset uti. E In quo ut gratum hoc tibi fuisse declares, te in Domino exhortamur. Siquidem non dubitamus excellentiam tuam non solum in hac, sed in omnibus rebus nostris pro mutua caritate nostra promptissimam semper fore, & multo majora offerre, sicut & nos erga te faceremus. Datum Romæ die XXIV. Febr. M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CI.
regi Hungariæ & Bohemiæ.

Indulgentias Jubilei quas Polonis conceſſerat ſe ſuſpendiſſe.

CAriſſime, cum oratores cariſſimi in Chriſto filii noſtri CAZIMIRI Poloniæ regis illuſtris, multa petiiſſent a nobis, nihil ei conceſſum eſt, ſolum Jubilei indulgentias in quodam monaſterio ad ſupplicationem ipſius regis conceſſimus, exiſtimantes id in nullius redundare offenſam, ſed potius in utilitatem Chriſtianæ reipublicæ tendere, quandoquidem ſubſidio indulgentiarum hujuſmodi certa loca Tartaris finitima non levis momenti opportune reparari poſſe aſſerebant. Paulo cum intellexiſſemus id præjudiciale & damnoſum tuæ celſitudini eſſe poſſe, ſtatim indulgentias ipſas ſuſpendi mandavimus, literaſque inſuper ſuſpenſionis confectas oratori dilecti filii nobilis viri ducis Venetiarum, qui id negotii ſuſceperat, ad te mittendas dedimus. Quare nuper intelligentes ex tuis literis eas non fuiſſe perlatas, mirati plurimum ſumus, ſtatimque alteras literas ad hanc ſuſpenſionem confici fecimus cartis præſentibus alligatas. Sane cariſſime fili, pro tuis meritis & noſtro in te amore præcipuo, honori & commodis tuis ſicut hactenus fecimus, quantum cum Deo poterimus, ſemper ſtudebimus. Datum Romæ die XXIII. Febr. M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CII.
cardinali S. Petri ad Vincula.

Jubileum in Gallia promulgari permittit, eleemoſynas ex eo provenientes partim defenſioni civitatis Rhodii, partim cameræ apoſtolicæ applicari permittit.

DIlecte fili noſter ſalutem, Jubileum, quem in regno Franciæ, ut non ignoras, conceſſimus, pones & publicabis, ubi cariſſimus in Chriſto filius noſter LUDOVICUS Francorum rex Chriſtianiſſimus maluerit, dimidium pecuniarum ex jubileo ipſo percipiendarum dilectis filiis magiſtro & conventui Rhodii religionis Jeroſolymitanæ aut deputandis per eos pro neceſſaria inſulæ & civitatis Rhodiæ defenſione tradi, reſiduum vero ad cameram apoſtolicam per tutam viam mitti volumus. Poteris inſuper alias indulgentias in dicto regno forſan conceſſas, ſi quomodolibet executioni hujuſmodi Jubilei per nos, ut præfertur, obſtare videbuntur, ſuſpendere, de conſenſu tamen ipſius regis: ſuper quo plenam harum ſerie circumſpectioni tuæ concedimus facultatem, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ ultima Febr. M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CIII.
regi Francorum.

Commendat ei Carolam Cypri reginam.

CAriſſime in Chriſto fili ſalutem. Licet ſuperfluum exiſtimemus, commendare tibi perſonas regali dignitate illuſtres, cum more progenitorum tuorum pro innata tua pietate fueris ſemper erga eas aſtrictus, tamen non potumus denegare ſupplicationibus cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ CAROLÆ Cypri reginæ illuſtri, quin eam majeſtati tuæ commendaremus, quippe quæ optime novit ſingularem celſitudinis tuæ erga nos caritatem, & erga hanc ſedem ſanctam devotionem. Quamobrem cum oratores ſuos inpræſentiarum ad te mittat, eam tibi plurimum facimus commendatam, tamquam moribus, virtute, & vitæ modeſtia admodum præſtantem, & quæ magnam ſpem in majeſtate tua collocaverit. Datum Romæ die VIII. Martii M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CIV.
duci Britanniæ.

Petrum de Fuxo ad Venetenſem epiſcopatum promoviſſe ſe ſcribit, in prima cardinalium creatione purpuræ donandum.

DIlecte fili, ſalutem &c. Nuper de conſilio venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium venerabilem fratrem PETRUM DE FUXO eccleſiæ Venetenſi in epiſcopum præfecimus & paſtorem, eccleſiamque Adurenſem in adminiſtrationem ad biennium reſervavimus, tum virtutum ac meritorum ipſius PETRI intuitu, tum excellentiæ tuæ contemplatione, cui tamquam catholico principi & hujus ſanctæ ſedis obſervantiſſimo, in omnibus rebus, quantum cum Deo poſſumus, cupimus gratum facere. Inpræſentiarum res aliter honeſte fieri non potuit; ſed antequam hujus elabatur biennium, tuo & ipſius PETRI deſiderio, domino auctore, cumulatius ſatisfier, ita ut & hanc & alias retinere poterit. Te enim & illum ſingulari proſequimur caritatis affectu: ita ut omnino juxta petitiones tuas in prima cardinalium creatione promovere eum ad hujuſmodi dignitatem intendamus, quod certe non minus quam tu ipſe deſideramus & contemplatione tui omnino faciemus. Datum Romæ die XIII. Martii M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CV.
regi Francorum.

Se providisse monasterio S. Saturnini de abbate & illius taxam minuisse.

CArissime in Christo fili, salutem. &c. Monasterio S. Saturnini nuper vacanti juxta desiderium tuæ serenitatis apostolica auctoritate providemus, prout latius a dilecto filio Theobaldo *Bourgoing*, quem ad nos misisti intelliges, illudque ad moderationis taxam reduximus, præter antiquam ipsius taxæ consuetudinem, quam reductionem non solum in hoc, sed & in plerisque aliis ecclesiis & monasteriis, quotiens res postulare visa est, fecimus, ut re ipsa per se convinci possint, qui secus tuæ piissimæ menti suggerere ausi sunt, quibus & in his & aliis hortamur fidem nobis adhibere, sed effectus ipsos considerare, si quidem in omnibus quæ cum Deo possumus libenter tuæ majestati complacemus. Datum Romæ die XVI. Martii M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CVI.
Dilecto filio nobili viro Stephano Vayvodæ.

Petro promittit episcopatum Moldaviensem, hortaturque ut Turcas vincere perseveret.

DIlecte fili, salutem. &c. Accipimus litteras tuæ nobilitatis, dilectosque filios Petrum in decretis baccalarium & Cataneum Januensem consiliarios tuos, quos cum litteris ipsis misisti, benignissime audivimus, intelleximusque ex eis desiderium tuum de provisione Moldaviensis ecclesiæ, cui ipsum Petrum præfici supplices in pastorem, quem commendatissimum habebimus, maxime propter tuam excellentem virtutem & præclara in Christianam rempublicam merita. Ceterum, dilectissime fili, licet pro his quæ glorioſe & pientissime fecisti, & facis, potius gratulari virtuti & & laudi tuæ, quam te excitare oporteat: Tamen quia gloriam tuam cum publica auctoritate augere desideramus, hortamur ut de bono in melius perseveres, & toto pectore defensioni & propagationi fidei sanctæ incumbas. Nullibi virtus & magnanimitas tua versari decentius potest, ex nulla re veriorem & magis perennem gloriam consequi. Res tuæ contra infideles Turcas communes hostes sapienter & fortiter hactenus gestæ tantum claritatis tuo nomini addiderunt, ut in ore omnium sis, & consensu omnium plurimum lauderis. Noli igitur defatigari, sed sicuti facis victoriam tibi ab Alto concessam prosequere, ut a Deo præmium æternum, & ab hac sancta apostolica sede commendationem uberius consequaris. Datum Romæ XX. Martii M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CVII.
Ambrosio de Ecclesia civi Saonensi.

Ut disponat de pretio navis Leonardi Urbis præfecti.

DIlecte fili, salutem &c. Scribent ad te de mandato & ordinatione nostra venerabilis frater D. episcopus Ferrariensis, & dilectus filius Antonius *de Riviere*, alias Juppus, nostri secundum carnem nepotes, quid te agere velimus de pretio navis insignis memoriæ Leonardi quondam almæ Urbis nostræ præfecti, nostri secundum carnem nepotis. Quare volumus & mandamus tibi, ut de pecuniis hujusmodi pretii disponere debeas, prout & quemadmodum dicti episcopus & Antonius tibi significabunt. Datum Romæ die XX. Martii anno M.CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CVIII.
duci Venetiarum.

Mittit ei Rosam auream.

DIlecte fili, salutem &c. Secundus annus exactus est, ex quo pro paterna benevolentia & caritate, qua inclytum senatum tuum prosecuti sumus semper, singulari & honorifico Rosæ (a) munere, quæ a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus, tantum principibus donari consuevit, decorare cupiebamus. Suscipiente præsertim ad id munus dilecto filio Donato oratore apud nos tuo, viro prudenti & integerrimo, ac omni ex parte demandatum sibi munus sapienter administrante, ita ut nobis etiam ipse dignissimus minister videretur, in quo inclytum principem ac senatum Venetum de nobis & sancta apostolica sede, ac catholica fide, pro qua bellum adversus immanissimos Turcas continuo gerit, benemeritum honestaremus, ut & ipse hoc communi reipublicæ honore, & respublica in ipso ornaretur. Verum propensam hanc voluntatem mentemque nostram, carissimi in Christi filii nostri CHRISTIERNI Daciæ regis illustris ad urbem Romam retardavit adventus, qui rex cum devotionis præcipuæ causa nos adiisset, eoque tempore adesset, non potuimus facere, quominus eumdem

(a) Rosam auream dominica quarta quadragesimæ solemni ritu benedictam, summus pontifex ad digniorem in curia residentem principem mittere solet, quo de ritu, vide si luber, quæ scripsimus in Tractatu de disciplina ecclesiæ in divinis celebrandis officiis. p. 183.

præsentem Rosa donaremus, honoremque jam pridem inclyto senatui tuo decretum necessario in aliud distulimus tempus. Quod cum huc usque dilatum sit, nihil commodius, nihil opportunius accidere potuisset, quam ad hanc usque diem prorogari, qua & inclyta respublica tua propter id bellum, quod maximis opibus & sumtibus pro fide catholica jam pridem gerit, quotidie de sancta apostolica sede plus meretur, & nobilitas tua, quam semper in Christo paterna dilectione prosecuti sumus; ad principatum summa cum laude nuperrime esset coacta; idem etiam dilectus filius Antonius Donatus orator secundo adesset, quem cum virtutum suarum merito plurimum diligeremus, & oratorium munus non minori quam antea dignitate impleret, gavisi sumus hoc potissimum tempore adesse, cujus ministerio nobilitatem tuam inclytumque senatum honoraremus. Ut autem angustiore habitu & ornatu rarum hoc sanctumque pontificale munus pro tua nobilitate susciperet, eumdem aliis etiam de causis bene meritum, licet pro sua modestia renitentem, equestri dignitate donavimus. Conveniens enim visum est nobis, id muneris & honorificentiæ genus, quod aut numquam aut rarissime absentibus principibus datum est, etiam oratori ipsi dignitate aucto tribuere, cum præsertim eum domum usque a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus & tota curia honoris causa deduci jusserimus. Accipies igitur munus hoc quod primi nos absenti tibi contulimus, a paterna mente nostra profectum, pro quo nullas alias referri nobis gratias volumus aut exigimus, nisi ut in eodem defendendæ catholicæ fidei & religionis Christianæ zelo persistas, quo hactenus fuisti. Ita enim & tibi & reipublicæ tuæ omnia felicia prosperaque, glorioso Deo disponente, succedent, & nos ad longe majora tibi & reipublicæ tuæ, quantum in nobis erit, conferenda excitabimur. Datum Romæ die XXIII. Martii. M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CIX.
Imperatori.

Ut afflictæ reipublicæ Christianæ consulat.

CAtissime in Christo fili, salutem &c. Acceptis litteris tuis, quibus significabas velle te omnino oratorem mittere ad consultandum ea quæ reipublicæ Christianæ accommodata essent, quemadmodum te & alios principes hortati fueramus, lætati plurimum sumus, quod videbamus te quoque ejusdem desiderii esse, ut nobiscum afflictis rebus catholicæ religionis prospicere cuperes, sicut & Christianissimo imperatori convenire videbatur. At postea quam aliæ a te supervenerunt litteræ, quibus excusas adventum ipsius tui oratoris ob quasdam urgentes, ut ais, causas, & maxime cum neminem adhuc Transalpinorum principum oratores misisse intellexeris, satis sumus admirati, quod a catholico primo instituto tuo videtur alienum. Nam etsi alii principes numquam mitterent, quod non credimus, imperialis tamen majestas tua, tamquam ceterorum in temporalibus caput, mittere debuerat, ut in tanta periculi magnitudine, cui res Christiana subjacet, exemplum aliis præbuisset. Nam quod dicis existimare te bene nos huic necessitati consuluisse. Nos sane non modo quantum in nobis fuit, sed etiam super vires fecimus & facturi quoque sumus. Sed quid? non possumus soli tantæ provinciæ sufficere, nisi & tu & ceteri principes unanimiter ad hoc sanctum opus Dei concurrant: Quomodo non putas tantæ hostis immanissimi potentiæ, quæ & terra & mari formidabilis est, posse resisti, nisi & tua & tuorum adsint præsidia, quæ cum tibi ac nobis artissima sint, superfluum existimamus hoc amplius repetere, hortantes te nihilominus per viscera misericordiæ Dei nostri, & per sacratissimam ejus passionem; ut postpositis ceteris omnibus rebus, hanc rem amplectaris, hanc suscipias, in hanc curas & cogitationes tuas conferas. Quod si facies, ut speramus, consules immortali gloriæ tuæ, & officio Christianissimi imperatoris satisfacies, & fidelium populorum saluti prospicies, qui supplices manus ad te & ad ceteros tendunt, ut de gladiis impiorum eripiantur. Si secus autem, quod non credimus, futurum est, testis erit Deus, qui animum & flagrantissimum desiderium nostrum optime novit, per nos non defuisse, quin omnibus viis & conatibus, omni industria & vigilantia, & omnibus facultatibus nostris salutaria adhiberemus remedia. Quod ad regem Hungariæ attinet, dabimus operam, ut intelligat ea quæ scribis & optimum animum tuum. Et certe de hoc numquam dubitavimus. Scripsimus quæ ab aliis acceperamus, existimantes aliquos esse, qui pietati tuæ id conarentur suadere, ad hoc ut ab eorum persuasionibus animum averteres. Solliciti enim & anxii semper fuimus, ne quid sanctissimam hanc expeditionem interrumperet, quam ut omni præsidio & adjumento prosequi velis, hortamur te & vehementer obsecramus in Domino. Datum Romæ die XXV. Martii M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CX.
regi Hungariæ.

Conſulitur quod imperator & rex Franciæ cum duce Burgundiæ velint congregare concilium.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Quid ſcribat ad nos imperialis majeſtas, ex litterarum ipſarum exemplo, quod his mittimus incluſum, videbit majeſtas tua. Quantum colligere poſſumus, breve noſtrum ad ipſius majeſtatem ſuper hoc nondum pervenerit. Hortamur te, ut in hoc afferas juſtificationes quæ rei ipſi convenire videbuntur. Nihil enim omittere voluimus quod ad regnorum quietem & tranquillitatem pertinere judicavimus, neque etiam omittimus, quandoquidem te pro communi rei Chriſtianæ deffenſione laborantem, & egregie pugnantem affectu paterno proſequimur, & omnia quæ poſſemus in ſubſidium tuum libentiſſimo animo adhibemus præſidia. Quod autem attinet ad imperatorem ipſum, accepimus & ex loco auctoritatis, eum una cum rege Francorum & duce Burgundiæ & nonnullis aliis conventurum, & de concilio quodam tractaturos, de quo ſatis admiramur, cum tempora ſubveniendi fidei non videantur hæc poſtulare, & nemo concilium indicere poſſit, neque debeat præter Romanum pontificem. Quod Deo auxiliante nos aliquando inſtituere intendimus. Hortamur autem, ut ſi ita eſt, velis ei in hoc advertere diligenter, & aliquem fidum ex tuis illic habere, ne aliquid tractetur, quod in præjudicium tuum tendat, & etiam pro animi tui religione obſiſtere, ne adverſus honorem ſedis apoſtolicæ aliquid attentetur, quæ ſanctiſſimæ huic expeditioni ſola intendit & invigilat, & quod quam ſcandaloſum eſſet unuſquiſque poteſt pro ſua ſapientia conſiderare. Datum Romæ die XXV. Martii M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXI.
Andreæ Vindianimo duci Venetiarum.

Congratulatur ei de ducali dignitate.

DIlecte fili, ſalutem &c. Quod nos de tua ducali dignitate certiores reddendos curaveris, agimus tuæ excellentiæ gratias. Sumus enim hoc nuntio incredibili affecti lætitia, ut qui confidimus egregias animi tui virtutes, multis tum publicis, tum privatis in rebus ſpectatas, in tanto principatu plurimum reipublicæ Chriſtianæ hoc lutulentiſſimo tempore profuturas. Quare & tibi paterno animo gratulamur apoſtolicaque auctoritate benedicimus, ac quicquid per nos cum Deo fieri poterit pro tua gloria amplificanda beniguiſſime tamquam dilecto filio pollicemur. Datum Romæ die XXVII. Martii anno Domini. M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXII. STEPHANO
Waivvodæ Moldaviæ domino.

Eum quem deſiderabat, remiſſis annatis, providiſſe de epiſcopatu Moldavienſi, & ſubſidium aliquod ei deinceps procuraturum.

DIlecte fili, ſalutem &c. Oratores tuæ nobilitatis libenter vidimus, benigneque audivimus, ut qui te propter egregiam tuam virtutem præcipua complectimur in Domino caritate. Eccleſiæ autem Moldavienſi non ſolum eum quem deſideras præfecimus in paſtorem; ſed ut tibi rem gratiorem faceremus, a conſuetudine Romanorum pontificum prædeceſſorum noſtrorum receſſimus, ſumuſque ipſum electum ſpecialis favore gratiæ proſecuti. Remiſimus namque & condonavimus ei annatam, quæ quoniam pro neceſſitatibus cameræ apoſtolicæ imminentibus inſtituta eſt, raro compertum eſt cuiquam eſſe donatam. Quod autem ad ſubſidium per eoſdem tuos oratores petitum ſpectat, cum a principio cum poteſtatibus Italis conventum eſſet, cariſſimo in Chriſto filio noſtro MATTHIÆ Hungariæ quondam regi illuſtri, qui tantum bellum contra infideles omni conatu & totis viribus regni ſuſcepit, mittere ſubſidium, quidquid pecuniarum collegimus, ei deſtinavimus, exiſtimantes quod id in commodum & utilitatem tuam tenderet, quandoquidem cum ipſo rege contra impiam gentem bellum aſſidue geris & pro communi utilitate certas. Sequentibus vero annis in taxando ſubſidio, quod etiam auctore Domino tam Italos quam Tranſalpinos potentatus impenſuros ſperamus, aliquid tuæ nobilitati particulariter decernere curabimus. Itaque perge magno, ut facis, animo, tibique perſuade virtute & opera tua nobis & apoſtolicæ ſanctæ ſedi eſſe cariſſimum. Nam ut intelligas cupere nos ex parte qua poſſumus etiam nunc tibi ſubvenire, conceſſimus indulgentias Jubilei in terris tuis omnibus illis qui dimidium erogabunt pecuniæ, quam juxta eorum conditiones ad almam urbem noſtram veniendo & redeundo veriſimiliter potuiſſent expendere, ut & hinc quoque tibi & tuis accreſcat ſubſidium, & commodius ſanctæ expeditioni poſſis intendere, & ita in omnibus in quibus tibi poterimus prodeſſe, faciemus ſemper animo libentiſſimo. Datum Romæ die III. Aprilis anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA

EPISTOLA CXIII.
duci Burgundiæ.

Sibi gratas fuisse ipsius litteras.

Dilecte fili, salutem. Accepimus litteras excellentiæ tuæ datas ad XXIX. diem præteriti mensis, quæ ita gratæ nobis fuerunt, ut gratiores esse non potuissent. Recognovimus enim ex his caritatem & affectum animi tui erga nos, qui ut semper ingens & singularis fuit, ita in futurum fore non dubitamus, maxime cum mutua benevolentia & amore semper simus tibi responsuri, quem omni tempore ex corde dileximus. Quod autem venerabilis frater episcopus Sibiurensis tuam ad nobilitatem applicuerit, & ab ea grato animo visus & exceptus fuerit, gaudemus. Erit apud te & quæ in dies opportuna erunt, tecum communicabit. Datum Romæ die XXVII. Aprilis M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXIV.
regi Angliæ.

Ut nuntium suum quem detinebat in vinculis, relaxari jubeat.

Carissime in Christo fili, salutem &c. Intelleximus quod dilectus filius Prosper de Camullio Januensis notarius & nuntius noster, ad suggestionem nonnullorum ipsius & apostolicæ sedis æmulorum, sumta occasione quod ad nos litteras contra statum & honorem tuæ majestatis dederit, carceribus est mancipatus, quod quidem non minus displicentiæ, quam admirationis nobis causam intulit, præsertim cum nulla de eo querela a majestate tua facta sit. Nam si Prosper ipse in aliquo erravit, nostrum erat correctionem debitam adhibere. Quod autem contra te scripserit, debes nobis credere, qui de hujusmodi re optimi possumus esse testes. Ejus enim litteræ id fatentur, quæ omnes ad tuæ serenitatis honorem & amplitudinem tendunt. Quod si aliter fecisset, nos pro nostra erga te benevolentia, id minime passi essemus. Quapropter cum ita res se habeat, te hortamur & requirimus per devotionem tuam, quam erga sanctam sedem geris, ut aures æmulorum hujusmodi oblocutionibus adhiberenolis, & pro nostra ac hujus sanctæ sedis reverentia tuique animi modestia quamprimum nuntium ipsum nostrum libere facias relaxari, ut alia nostra dictæque sedis non parvi momenti negotia, quæ etiam in partibus Scotiæ ei commisimus peragenda, possit tractare, & juxta nostrum desiderium ad effectum deducere. Id quippe, fili carissime, a me, nobis erit gratissimum, & ad tuæ quoque celsitudinis honorem & laudem cedet. Datum Romæ die VI. Maij anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXV.
regi Angliæ.

Causatur quod Nicolaum de Firmo & Georgium Armenium in vinculis detineat, quos orat a carcere liberari.

Carissime in Christo fili, salutem &c. Ad nos pervenit, quod dilecti filii nostri Nicolaus de Firmo a cameræ nostræ præsidentibus ad nonnulla peragenda gratia cameræ nostræ prædictæ missus, necnon Georgius Armenius Græcus cum litteris nostris ad te dudum destinatus, per suggestionem nonnullorum dictorum Nicolai & Georgii ac sedis apostolicæ æmulorum, sumta occasione, quod ad curiam Romanam redeuntes, querelam contra majestatem tuam nobis relaturi forent, carceribus publicis traditi sunt compeditati. Quod quidem una cum aliis, quæ ad te scribemus, non minus anxietatis quam admirandi causam nobis intulit: præcipue cum nulla unquam de dictis Nicolao & Georgio querela apud nos a majestate tua facta sit. Nam si præfati Nicolaus & Georgius in aliquo erraverunt, nostrum erat in eos animadvertere: significantes tibi, quod non toleraremus devotionem tuam erga sanctam sedem in aliquo offendi, non subsistente causa. Quod si aliter fecissent, nos eosdem punivissemus. Qua propter cum ita se res habeat, te ut devotum sacræ sedis præfatæ hortamur & requirimus, ut aures non admoveas æmulorum hujusmodi oblocutionibus nobis & pro nostra hujusque sanctæ sedis reverentia ac animi tui modestia, quantocius præfatos Nicolaum & Georgium libertati pristinæ facias restitui; quo commissiones sibi datas a sede hac coram explicare valeant: quod nobis, fili carissime, acceptum erit, & fidei tuæ erga sanctam ecclesiam matrem cunctorum reddes testimonium. Datum Romæ die VI. Maij anno Domini M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXVI.
duci Venetiarum.

Consolatur eum de Morte cardinalis S. Clementis, commendatque ei archiepiscopum Nicosiensem.

Dilecte fili, salutem &c. Non est nobis dubium, quin nobilitas tua indolu ric audito obitu dilecti filii nostri B. cardinalis S. Clementis nuper defuncti Nam cum

polleret consilio, libenterque negotia publica amplecteretur, & ea præcipue quæ commodum reipublicæ Christianæ concernerent, facile cernimus talem jacturam factam esse, quæ merito cuivis bono gravis est & molesta, sicut & nobis esse debet. Accedit quod peculiari necessitudine & mutuo dilectionis vinculo devinctus erat isti reipublicæ Venetæ. Cujus rei testimonium asserere supervacaneum est, cum toti illi civitati hoc notissimum sit, & nos pluribus in negotiis id ipsum plane perspexerimus. Verum postquam omnipotenti Deo ita visum est, ejus voluntati te decet adquiescere, potissimum cum necesse sit omnes mortales viam universæ carnis ingredi. Arbitramur nobilitatem tuam exhortationibus non indigere, ad eam servandam benevolentiam in consanguineos & affines ejus, quæ tibi cum illo erat: tamen quia quotquot ex illo remanserunt, paterna caritate complectimur, hortamur nobilitatem tuam, ut ipsos foveas & protegas, in primisque cures, quod ope tua venerabilis frater JOHANNES FRANCISCUS archiepiscopus Nicosiensis ejus nepos, pacificam Nicosiensis ecclesiæ possessionem assequatur: attento potissimum quod nos eam translationem fecimus; sperantes gratum tibi fore hunc Johannem Franciscum, qui Veronensis est origine tibi subditus, ecclesiam illam habere, translato inde venerabili fratre Fenoleda, quem nos ab ecclesia illa genitus absolvimus & liberavimus, nulla sibi super dicta ecclesia reservata pensione. Sic enim huic sanctæ sedi apostolicæ & nobis morem geres, & reipsa confirmabis apud omnes opinionem illam de gratitudine ipsius reipublicæ erga remanentes ex amicis & benevolis vestris, quam cum summa laude semper de se præstitit. Datum Romæ die XII. Maij anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXVII.
duci Ferrariæ.

Ne gravetur subsidium a clero & vigesimam a Judæis exigi pro ecclesiæ necessitatibus.

DIlecte fili, salutem &c. Quod in subsidio a clero & in vigesima a Judæis exigenda difficultas ulla apud te sit, tantum admirari cogimur, ut persuadere hoc ipsum nobis vix possimus. Nam & necessitas ipsa, & periculi magnitudo, & causa quæ omnibus communis est, & ceteri Italiæ potentatus ad hoc sanctissimum opus concurrentes, & nos qui nobismetipsis supra vires nostras non parcimus, movere satis te etiam spontaneum debuissent, non modo ad parendum hortationibus nostris, sed ad ultro etiam offerendum, præsertim cum sis vicarius ecclesiæ, & promtior ad hoc quam ceteri esse deberes. Nam quod de capitulis cum Judæis ipsis allegas, id profecto irritum est, & absque Romani pontificis auctoritate, sub potestate tolerantur nulla possunt hujusmodi inivi capitula. Quare hortamur & monemus nobilitatem tuam, ut ita agas, sicut speramus, non solum in hoc, sed etiam in secundo subsidio, & honoris sui rationem habeat, ne solus hanc notam subire velit, sicut & oratori tuo latius eidem scribendum imposuimus. Datum Romæ XIII. Maij M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXVIII.
ducissæ Sabaudiæ.

Ut impositum subsidium adversus Turcas, alium in usum non convertat.

DIlecta in Domino filia, salutem &c. Mirati sumus atque doluimus de his quæ nobis significavit dilectus filius Johannes Antonius de Buxeto notarius & collector noster, videlicet quod subsidium defensioni fidei Christianæ contra infideles Turcos decretum, ad recuperationem insulæ Cypri converti velis, cum scire debeas impositionem & exactionem ejus ad nos sanctamque sedem apostolicam, non autem ad principes sæculares spectare, nec quæ Deo dicata sunt in prophanos usus converti debere, aut sacra mysteria cum temporalibus immiscenda. Nos hactenus non denegavimus reginæ ipsi pro viribus subvenire, ob honorem inclytæ domus Sabaudiæ, quamvis nonnulli ob id offenderentur. Cave igitur ne divinam offendas clementiam, & ultionem ejus incurras. Permitte quoque subsidium impositum libere exigatur, quemadmodum ceteri Italiæ faciunt potentatus. Nullo enim pacto intendimus tolerare, ut id quod exigendum est ab ecclesiasticis & Judæis, in alium usum quam Christianorum, contra infideles subsidium convertatur. Datum Romæ die XVI. Maij anno M. CCCC. LXXVI. Pontificatus V.

EPISTOLA CXIX.
Nobili mulieri Imperiali de Columna.

Petit ab ea pro Urbe frumenta.

DIlecta in Domino filia, salutem &c. Egentes inpræsentiarum frumento pro almæ urbis nostræ necessitate, nobilitatem tuam requirimus cum fiducia, ut si nobis rem gratum facere cupis, majorem quam potes frumenti quantitatem ex locis tuis ad ipsam Urbem celeriter mittas. Datum Romæ XVI. Maij anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXX.
Raimundo de Urſinis.

Ejuſdem argumenti.

Dilecte fili, ſalutem &c. Frumentum ad almam Urbem, ſicut neceſſitas exegit, undiquè cupientes deferri; tibi pro quanto gratiam noſtram caram habes expreſſe mandamus, ut majorem quam potes quantitatem frumenti mittere debeas. Datum Romæ die XVI. Maij anno M. CCCC. LXXVI. Pontificatus anno V.

EPISTOLA CXXI.
duci Ferrariæ.

Petit ab eo mutuo pecunias pro communi eccleſiæ utilitate.

Dilecte fili, ſalutem &c. Multis de cauſis credebamus, te non eſſe ultimum, qui in hoc ſubſidio reipublicæ Chriſtianæ neceſſario, petitam pecuniam ad breve tempus nobis communi utilitati non noſtræ ſtudentibus mutuo dares, cum ad Catholicum principem & S. R. E. vicarium maxime pertineat, & maxima cum laude id facere poteras, præſertim cum haberes unde cito poſſes pecuniam ipſam in dominio tuo recuperare. Quod ut facias iterum atque iterum te hortamur, aut ſaltem operam des quod ab aliquo mercatore mutuo concedatur. Collectoribuſque noſtris omnes opportunos favores impendas, ad ſubſidium ipſum commode & celeriter exigendum, ne in re tam ſancta tamque neceſſaria defuiſſe videaris, quod abiit ab animi tui religione & pietate. Datum Romæ apud S. Mariam-majorem XXX. Maij anno M.CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXII.
duci Mediolani.

Ejuſdem argumenti.

Dilecte fili, ſalutem &c. Expectatur ab omnibus, ut pro animi tui pietate atque religione, rem ipſam adimpleas, quam per litteras tuas & quidem propria manu tua ſcriptas, de pecuniis ſubſidii reipublicæ Chriſtianæ nobis mutuo concedendis promiſiſti. Ita enim rei neceſſitas exigit, quæ tanta eſt, ut omnis dilatio mittendi ſubſidii maxime obfutura videatur. Hortamur igitur caritate paterna, & per paſſionem Domini noſtri JESU-CHRISTI te obteſtamur, ut pecuniam ipſam quantocius mutuo des, nec aliam cautionem requiras. Potes enim ſatis de reſtitutione eſſe ſecurus, quando pecuniæ omnes in tuo dominio erunt, & omnia bona cameræ apoſtolicæ, cui omnes etiam mercatores credunt, & pecunias ipſas ſubſidii exigendi tibi jam obligavimus, aliæ omnes ferme pecuniæ mutuo datæ Venetias pervenerunt, tuæ ad rem bene gerendam deſiderantur. Conſidera pro ſapientia tua id honori tuo convenire, qui & princeps Italus & catholicus es, neque in re tam pia & neceſſaria & omnibus communi, ceteris concurrentibus, tu ipſe deeſſe deberes, quod nullo modo nobis poſſumus perſuadere. Ceterum collectores noſtros ipſos ita tibi commendamus, ut in exigendis pecuniis moram nullam interponant, ſed omnibus opportunis favoribus ad rem celeriter conficiendam eos complectaris, ſicut confidimus excellentiam tuam eſſe facturam. Datum Romæ apud S. Mariam-majorem die XXX. Maij anno M. CCCC. LXXVI. Pontificatus anno V.

EPISTOLA CXXIII.
Neapuleoni de Urſinis.

Petit ab eo pro Urbe frumenta.

Dilecte fili, ſalutem &c. Neceſſitas ingruens facit ut nobilitatem tuam ſæpius requiramus de frumento ad almam Urbem noſtram mittendo. Præcipuam enim in te fiduciam obtinemus. Quare hortamur, & quanto poſſumus ſtudio per præſentes requirimus, velis quam primum mittere ad ipſam Urbem frumentum in majori quantitate quam potes, in quo vix dici poteſt, quam gratum nobis ſis præſtiturus obſequium. Datum Romæ II. Junii anno M.CCCC. LXXVI. anno IV.

EPISTOLA CXXIV.
regi Ferdinando.

Diſcedens ab Urbe propter peſtem Urbem ipſi terraſque eccleſiæ ipſi commendat.

Cariſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Sæviente in dies magis per almam Urbem noſtram peſte, cogimur aliquo ſecedere ubi clementior ſit aeris temperies: quod certe non cauſa noſtra facimus, quia & nos morituros ſcimus, & ex carcere hujus corporis exituros, adeo ut hæc non magnificamus, ſed cuncta potius curialium & civium noſtrorum, quos a periculo præſervari paterna nos pietas plurimum movet; quod per has litteras noſtras majeſtati tuæ ſignificare voluimus, tamquam ei, cui res noſtræ non minus curæ quam nobis exiſtunt, ſicut & tua ſunt nobis. Itaque etſi

ſuperfluum exiſtimamus, quia ſponte tua paratiſſimum te fore non dubitamus. Tamen pro conſueta & mutua noſtra caritate, duximus majeſtati tuæ almam ipſam Urbem & omnes S. R. E. terras & civitates in hoc diſceſſu & abſentia noſtra commendare, ut pio officio catholici & amantiſſimi regis invigiles ad conſervationem quietis & pacis illarum, & propulſationem improborum & diſcolorum, qui populorum quietem perturbare præſumerent. Quod ut nos toto affectu deſideramus, ita ſerenitatem tuam pientiſſime & amantiſſime facturam confidimus. Datum Romæ die III. Junii M.CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXV.
regi Ferdinando.

Gratulatur de matrimonio Ferdinandi principis Capuæ cum Eleonora Caſtellæ principiſſa.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Quod nos de connubio dilectorum filiorum nobilium FERDINANDI Capuæ principis nepotis tui, ELEONORÆQUE principiſſæ Caſtellæ certiores per tuas litteras feceris, agimus tibi grátias. Rem enim admodum gratam nobis feciſti. Pluribus namque de cauſis lætamur neceſſitudinem ſanguinis, quæ tibi cum cariſſimo in Chriſto filio noſtro FERDINANDO Caſtellæ rege illuſtri patruele tuo intercedit, hoc vinculo addito, conglutinari, latiuſque patere, ut qui perſpicimus conſenſum animorum veſtrorum, non ſolum vobis veſtriſque regnis, ſed apoſtolicæ ſanctæ ſedi, cujus pientiſſimi filii eſtis, totique reipublicæ Chriſtianæ, quam tueri & amplificare ſtudetis, jocundum & ſalutare futurum. Deo igitur & Salvatori noſtro JESU-CHRISTO bonorum auctori ſit honor & gloria ejus nomine, ut felix & fauſtum ſit in perpetuum precamur, quod & nos per præſentes benedicimus in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Datum die XII. Junii anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXVI.
Imperatori ſemper auguſto.

Eccleſiæ Conſtantienſis ad Rhenum de perſona Ludovici de Fryberg proviſionem tuetur.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Expectabamus ob alterius brevis noſtri emiſſionem, monitiones noſtras animum tuum in Conſtantienſis eccleſiæ cauſa mutaviſſe, & dum illius reſponſum expectamus, graviora nuntiata ſunt, quæ publicis decretis A tuis contra proviſionem noſtram, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus mandata ſunt. Acceſſerunt & noviſſimæ litteræ tuæ, quibus data eſſe abs te OTHONI DE SOVVENBERG, prætenſo electo regalia nobis ſignificas, quæ niſi per Romanum pontificem confirmatis, neque conſuetum eſt, neque dari ex officio tuo debuerunt. Hæc a te, cariſſime fili, numquam expectaviſſemus, qui animum tuum ex noſtro judicabamus: decebat enim, ut qui in te ſemper benefici fuimus, qui tibi quantum cum Deo potuimus, in omnibus complacere ſtuduimus, idem de te repromitteremus. Nam ſicut hactenus celſitudini tuæ Tridentinæ & aliarum quarumdam Germaniæ eccleſiarum, trecentarum inſuper perſonarum ad alia beneficia nominationes, additis quoque duobus menſibus ultra ordinariorum alternativum, & cum eorum præjudiciis conceſſimus, ſicut pro quiete rerum tuarum delatam ad nos dilecti filii nobilis viri FREDERICI ducis Bavariæ comitis palatini appellationem non admiſimus, licet illius cauſæ cognitio ad nos ſpectaret, ſicut in tanto totius nationis Germanicæ diſcrimine cum apud Miſniam arma ferverent, ea noſtris tunc litteris mandavimus, quæ honori tuo maxime conſuluerunt, ſicut paulo ante in abbatiſsiatu Colonienſi præſentationis tuæ potius quam alieni juris prætenſæ pro dignitate tua rationem habuimus. Non minori ſtudio ac benevolentia ſublimitati tuæ in poſterum in omnibus complacituri ſumus, ſi & te nobis in amore pariter viderimus reſpondere. In cauſa Conſtantienſi vide quam mature a nobis proceſſum ſit, & quod compactata nationis Germanicæ infringendi animum nuſquam habuimus. Veniente ad ſedem apoſtolicam dilecto tunc filio noſtro LUDOVICO DE FRYBERG, quem tu nobis litteris tuis accuratiſsime commendaveras, bonæ memoriæ HERMANNUS epiſcopus Conſtantienſis longo jam ſenio factus inutilis eccleſiæ ſuæ nobis ſupplicavit, ut ipſum Ludovicum ſibi coadjutorem daremus, acceſſitque ut pro tranquillitate illius eccleſiæ, ne ſuccedente poſtmodum vacatione, ex diſcordia canonicorum in electione ſcandala orirentur, cum ſibi ſucceſſorem prædictæ conferremus eccleſiæ, quam quorumdam laicorum avaritia diſsipaverat: ob epiſcopi ſenium opus eſſe coadjutore. Dandus merito fuit qui gratus eſſet epiſcopo, nec indignus ut idem ſucceſſor deſignaretur, ob periculum ſcandalorum in electione timendorum. In quo non tam epiſcopi petitioni ſatisfaciendum, quam eccleſiæ neceſsitati duximus conſulendum: putantes ob commendationem a te nobis factam, & tibi fore gratiſsimum. Neque hoc caret exemplo. Nam & alias ſedes apoſtolica vivente epiſcopo

Auguſtenſi coadjutorem dedit, qui ſucceſſor idem eſſet futurus, non expectata capituli electione. Fecimus & nos hoc paulo ante in eccleſia Morinenſi. Utrumque ratum fuit & obedientes filios invenit. Si vetera legimus, nonne & Zacharias prædeceſſor noſter coadjutoris electionem, ejuſdemque ſucceſſoris ſibimet ſubſtituendi archiepiſcopi Maguntinenſis ſupplicantis arbitrio condonavit? Habemus priſcorum temporum exempla, habemus & recentia, neque in hoc violata ſunt a nobis compactata. In illis enim eligendi facultas in caſu vacationis dumtaxat conceditur: Caſus noſter qui fuit, in coadjutore dato, eodemque ſucceſſore deſignato, nuſquam in illis expreſſius, nuſquam prohibitus eſt. Licuit ergo quod illa non prohibent, cum intra paucos poſt dies epiſcopus deceſſiſſet, delata ſubinde ad nos electione per capitulares facta, nihil tamen noſtræ proviſionis ignaros, eorumque procuratoribus auditis, neque potuimus, neque e dignitate noſtra fore cenſuimus, accedente etiam adhoc venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio, illam confirmare, ſed proviſionem noſtram jam antea factam inviolabilem permanere decrevimus, ac rurſus ipſi LUDOVICO tamquam idoneiori, & cujus promotio ipſi eccleſiæ magis expediret, de ipſa eccleſia providimus. Nam & ex forma compactatorum, factis quibuſcumque electionibus canonicis, in manibus noſtris eſt, & ex illis permittitur, ſi quem alium magis dignum & utilem putamus, quod judicium ad nos dumtaxat pertinet, electione poſthabita, illum præficere. Promovimus hominem per te nobis commendatum, multis & primariis poſt ſerenitatem tuam Germaniæ principibus acceptum, qui a principio de eo promovendo ad nos ſcripſerunt, de promoto gratias egerunt, utque proviſionem noſtram ſervaremus, pluribus litteris rurſus rogarunt, & quotidianis precibus inſtant, & ſua inſuper auxilia, ſi opus fuerit, pro honore ſedis apoſtolicæ pollicentur, in quo non eſt ut patiaris te a quoquam in officio veræ pietatis ſuperari. Habes, cariſſime fili, ſeriem totius negotii, in quo par eſt & conſuetudini tuæ bene in omnibus de Romana eccleſia promerendi conſentaneum, te rationes noſtras, quam falſas aliorum cavillationes, magis attendere; pluris veritatem & teſtimonium noſtrum, quam ſubdolas aliorum factiones facere. Videre in his poteſt ſerenitas tua, quam legitime ſit a nobis proceſſum. Et nos quia id mature fecimus, in ſententia noſtra perſiſtimus, & in ea ſumus conſtantiſſime permanſuri. Et cum nos in his quæ tui juris & honoris fuerint, dignitatis tuæ majorem ſemper, quam quorumcumque aliorum rationem habituri ſumus, quod pluribus documentis retroactis temporibus expertus es, te quoque in rebus eccleſiaſticis nobis decet rependere. Subminiſtremus invicem pro communi dignitate ſervanda mutua obſequia, & quod utrique noſtrum convenit, ſit inter nos cor unum & anima una. Tu hactenus pacifici conſilii ſemper tenax, idem laudis & gloriæ nomen quamdiu vixeris retinendum cura. Hortamur igitur ſerenitatem tuam, ut decreta ſua & mandata amoveat, & ipſi venerabili fratri noſtro epiſcopo Conſtantienſi ob Dei & apoſtolicæ ſedis reverentiam, & noſtram in te paternam caritatem ex animo faveat, & ſicut nos jam toti mundo noſtram in te benevolentiam non vulgaribus officiis patefecimus, ita tu quoque in hac re tuam in nos pietatem fideli obſequio & concordi mente oſtendas, quod cum redemtori tuo ex obedientiæ merito acceptum futurum ſit, nobis præcipue ob id potiſſimum ut tua auctoritate eccleſia Conſtantienſis in pace ſervetur, gratiſſimum futurum eſt. Datum Vetrallæ die XVII. Junii anno Domini M. CCCC. LXXVI. Pontificatus anno V.

EPISTOLA CXXVII.
regi Hungariæ.

Subſidium pecuniarum ſe ei miſiſſe ſcribit.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem. Accepimus litteras tuæ ſerenitatis, in quibus verba tibi dari, & ſubſidia non mitti doles & quereris. Teſtis eſt Deus, omnibus quod debet eſſe perſpicuum, nobis maxime curæ eſſe res tuas, nec tantum verbis, ſed rebus quoque & propriis facultatibus dediſſe & dare operam, ut tibi ſubveniatur. Commiſſarius noſter, quem cum pecuniis miſimus, ſcripſit nobis ſe ultimo ſubſediſſe Segniæ, quia circiter ſex millia Turcorum prope eſſe audiverat, & præſidium a te miſſum non ſatis ad illorum impetum reſtringendum: miſiſſe propterea ad celſitudinem tuam pro ſcorta validiore, ne pecunias eſſe in apertum periculum conjiceret, eam ſi tu miſiſti, ad te jam potuit pervenire, & ita reliquam quantitatem ipſius decimæ, quam primum mittemus. Quotidie etiam operam damus de ſecundo ſubſidio, nec quidquam omittimus, quod vel ad neceſſitatem vel ad celeritatem pertinear, ut tuæ celſitudini tempore opportuno ſubveniatur, adeo ut bene ſperare & animum tuum celſum confirmare poſſis & debeas. Datum Narniæ die I. Julii anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXVIII.

Nobili viro Carolo de Manfredis Faventiæ in temporalibus vicario noſtro.

Ut ablata abbatiæ de Lardechio reſtituat.

Dilecte fili, ſalutem. Valde nobis moleſtum fuit, quod intelleximus te armata manu invaſiſſe territorium Bononienſe & abbatiam de Lardechio occupaſſe, frumentaque & blada ad eam pertinentia inde abſtuliſſe: in quo quantum erraveris ipſe cogita. Ea propter mandamus tibi expreſſe ut viſis præſentibus, ſine ulteriori mora, poſſeſſionem dictæ abbatiæ relaxes, & omnia ablata non ſolum reſtituas, ſed ad ſuum locum reportes & reportari facias integre & cum effectu: quod ſi non feceris, ſcias nos contra te ita proceſſuros, ut ſero contumaciæ tuæ te penitebit. Datum Ameriæ die VIII. Julii anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXIX.

regi Franciæ.

De promotione & tranſlatione quorumdam epiſcoporum.

Cariſſime in Chriſto fili, ſalutem &c. Hodie de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum ad preces tuæ majeſtatis, ſuper quibus nobis etiam præſtantiſſime ſcripſit dilectus filius noſter cardinalis S. Petri ad Vincula, noſter ſecundum carnem nepos, providimus venerabili fratri CAROLO archiepiſcopo Lugdunenſi de eccleſia Claromontenſi, Claromontenſemque ipſum ad Cathurcenſem, & Cathurcenſem ad Carcaſſonenſem tranſtulimus. In perſona illius notarii noſtri pro quo ſupplicaſti, libenter quidem deſiderio tuo annuiſſemus de Carcaſſonenſi eccleſia, pro quo etiam diligentiſſime nobis ſcripſerat idem cardinalis, ſi cum Deo & tuo & noſtro honore facere potuiſſemus. Sed cum neceſſe fuiſſet, ut aliquis horum, ſcilicet vel qui Cathurcenſis erat, vel qui nunc Conſeranenſis eſt, ſine eccleſia remaneret, viſum eſt nobis id cum Deo fieri minime poſſe, neque etiam venerabiles fratres noſtri ad id conſenſiſſent. Quoniam ſicuti pro ſingulari prudentia tua potes conſiderare, longe honeſtius eſt, ut qui nunc notarius noſter eſt, vacationem alicujus eccleſiæ expectet, quam ut epiſcopus eccleſia ſpoliatus in opprobrium tantæ dignitatis mendicare cogeretur, præſertim cum jam conſecrati ſint: quod profecto caſu occurrente, animo lubentiſſimo faciemus juxta animi tui deſiderium, cui & in his & in aliis quæ fieri licebit complacere ſemper erimus parati. De Conſtantienſi eccleſia eidem cardinali nepoti noſtro providimus, juxta voluntatem tuæ majeſtatis, & Conſtantienſem ad Lauſanenſem tranſtulimus. Datum Ameriæ die XV. Julii anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXX.

Cardinali Malfitenti noſtro in Urbe legato.

Laudat ejus diligentiam prore frumentaria.

Dilecte fili noſter ſalutem &c. Accepimus litteras tuas & illis incluſum exemplum cariſſimi in Chriſto filii noſtri FREDINANDI Siciliæ regis illuſtris ad circumſpectionem tuam de Jordano de Colle-alto, quæ quia bonam ſpem præſtant fore ut ſua majeſtas juxta noſtrum deſiderium reique opportunitatem provideat, expectandum aliquandiu putamus quid opera ipſius regis fiat. Si res non reſpondebit expectationi noſtræ, tunc commiſſione per nos tibi data uteris, præſertim cum, ut ſcribis, omnia explorari diligenter, de quo te plurimum laudamus in Domino, feceris. Laudamus item, de cura rei frumentariæ tam prudenter ſolerterque habita, & de totius populi quiete, rem prudentia tua ſolita & noſtræ expectationi convenientem feciſti. Ceterum nolumus quod mœſtitiam animo capias pro his quæ ſcripſimus, & inferri tibi fecimus de domo bonæ memoriæ Cardinalis Bononienſis. Nam cum intellexiſſemus ea part... geſta illic eſſe, & ſcandalis poſſe præbere materiam, ſcripſimus confidenter erga te magis, quam erga ignotum feciſſemus. Nunc intellecta rei veritate, bono animo te volumus eſſe. Nam nihil de noſtro in te amore eſt imminutum. Datum Narniæ V. Auguſti anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXXI.

Andreæ Vendramino, duci Venetiarum.

Quod cardinalibus impoſitum ſit ſubſidium, ne aliud in ſua ditione ab eis exigi permittat.

Dilecte fili, ſalutem &c. Subſidio pro defenſione reipublicæ Chriſtianæ a nobis impoſito S. R. E. cardinales nobiſcum una contribuunt & taxam ei deſignatam promtiſſime ſolvunt. Quare iniquum putantes, quod hac de cauſa aliud onus cogantur ſubire, excellentiam tuam hortamur in Domino, & attente requirimus, ut ſuper beneficiis quæ ipſi cardinales in locis ditionis tuæ obtinent, non facias nec permittas occaſione ſubſidii quidquam exigi.

Datum Narniæ VII. Auguſti anno M.CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXXII.

Archiepiſcopo Sipontino civitatis noſtræ Peruſiæ gubernatori.

Bonum ipſius regimis laudat, promittitque ei aliquod beneficium.

VEnerabilis frater, ſalutem &c. Accepimus litteras tuas ex quibus ſtatum civitatis noſtræ Peruſiæ & locorum vicinorum cognovimus. De proviſione peditum & cura quam bono regimini civitatis impendis fraternitatem tuam in Domino commendamus. Quod ad beneficia tua pertinet, reminiſcimur tui propter noſtram in te caritatem præcipuam ac merita tua. Sed in his quæ nuper per obitum bonæ memoriæ cardinalis Bononienſis vacarunt, S. R. E. cardinalibus, qui nos comitantur ſatisfaciendum fuit: quorum petitionibus ac precibus, etiamſi plura vacaſſent, danda fuiſſent. In aliis occurrentiis tui rationem habebimus. Nam ut ſcis te paterne amamus. Datum Narniæ die X. Auguſti anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXXIII.

Dilecto filio nobili viro Anchatorio vice regi Sardiniæ.

Cauſatur de ſubditis ſuis ab Orteſio captis, mandatque eos relaxari.

DIlecte fili, ſalutem &c. Ex gravi nuper ad nos delata querela percepimus, quod quidam Orteſius ductor unius fuſtæ comitis de Schirra, ſub ſpecie amicitiæ in portus noſtros Cornetanum & Curtæ-vetulæ navigans, tres ſubditos noſtros, & unum Savonenſem, tamquam hoſtes aut hoſtium ſubditos duxit in prædam, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas contra tales in die cœnæ Domini per Romanos pontifices annis ſingulis publicatas damnabiliter incurrendo. Moti ſumus indignitate rei ut par erat, nec tantam injuriam ducimus tolerandam. Mare noſtrum non ſolum S. R. E. ſubditis, ſed omnibus aliis tutum eſſe debet, nec digni ſumus, qui a quoquam afficiamur injuria. Nulli enim bellum inferimus, prodeſſe omnibus paterne ſtudemus. Quocirca nobilitatem tuam hortamur in Domino, & monemus attentius, ut captos homines quorum nomina præſentibus incluſa ſunt abſque pretio & exactione aliqua reſtitui & relaxari facias. Quod ſi feceris, ut confidimus, nobis plurimum complacebis; ſcandalis obviabis, & cenſuras eccleſiaſticas evitabis. Datum Narniæ die XIII. Auguſti anno Domini M. CCCC. LXXVI. Pontificatus noſtri anno V.

EPISTOLA CXXXIV.

regi Ferdinando.

De promoto ad epiſcopatum Caput-aquenſem Auxia cardinali.

CAriſſime in Chriſto fili, ſalutem. Præfecimus nuper in adminiſtrationem eccleſiæ Caput-aquenſis paſtorem Tarenti dilectum filium noſtrum Auxiam tituli S. Sabinæ preſbyterum cardinalem juxta deſiderium ſerenitatis tuæ, & ut indemnitati cameræ apoſtolicæ conſuleremus, ordinavimus quod fructus ejuſdem eccleſiæ, uſque ad diem quo dictus cardinalis poſſeſſionem adibit, collecti in ſatisfactionem debiti per bonæ memoriæ Ludovicum, dum ad ipſam eccleſiam promotus fuit, cum eadem camera contracti cedant. Quocirca ſerenitatem tuam hortamur in Domino, ut venerabili fratri archiepiſcopo Malfitano, cui curam hujuſmodi fructus percipiendorum dedimus, opportunos favores impendas, quod erit nobis admodum gratum. Datum Narniæ die XVII. Auguſti anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

EPISTOLA CXXXV.

Beatrici reginæ.

Cardinalem Albanenſem qui coronam ei imponat mittit.

CAriſsima in Chriſto filia, ſalutem. Voluiſſemus pro noſtra in te caritate præcipua, ſolemnibus nuptiarum tuarum nos ipſi adeſſe; ſed quoniam id non licet, venerabilem fratrem O L. epiſcopum Albanenſem cardinalem Neapolitanum mittimus, magnæ virtutis & auctoritatis virum, qui noſtro nomine cunctis interſit, coronam deferat, ac capiti tuo imponat, benedictionemque apoſtolicam largiatur, ut feliciſsimi ſint omnes tui progreſſus & in Dei protectione. Datum Narniæ die XX. Auguſti anno M. CCCC. LXXVI. anno V.

BIBLIOTHECA REGIA

INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS.

A.

ABaelardi epistolæ, 1455. e.
Abbas unicus præsit Stabulensi & Malmundariensi monasteriis, 91. a. 97. b. Illius electio sit libera, 42. e. 49. a. 91. a. 97. b. 100. a. 104. a. 111. b. a Stabulensibus & Malmundariensibus facienda in capitulo Stabulensi, 115. a. Debet assumi de grege, 18. a e. Atque adeo eligendus de monasterio Stabulensi, 69. b. Ejus in electione primam vocem habent Stabulenses deinde Malmundarienses, 53. c. 54. d. 55. c.
Abbatis Corbeiensis electio libera, 615. b.
Abbatis electio ea die facienda qua præcedens abbas mortuus est, 318. a.
Abbas potest ordinare abbatem, 541. a. 851 d.
Abbates in ecclesia baculum pastoralem semper tulerunt, 513. c.
Abbates episcopi, 31. d. e.
Abbates olim non habebant canonici regulares, 541. a.
Abbas ut se gerere debeat erga subditos, 1012. b. 1025. a.
Abbates ordinis Cisterciensis non sunt ambitiosi, sed sponte & facile resignant, 707. c.
Abbas vitiis monachorum consentiens deponendus, 401. a.
Abbatias duas an simul retinere possit Wibaldus anceps, 471. c. & seq.
Abbatiam S. Dionysii Guillelmo cardinali de Estoutevilla dari in commendam petit a Rege Sixtus papa IV. 1473. b. 1474.
Abdinghoff abbas Conradus, 576. a. e.
Abotriti a Lothario imperatore S. Viti meritis superati, 174.
Abotritorum rex Gestimulus, 174.
Abrincensem episcopatum Guillelmo de Estoutevilla dare recusat Sixtus papa IV. 1481. b.
Abrincensis episcopus Johannes confessor Ludovici XI. 1483. b. Ipsi abbatiam Brantolmiensem cum vacaverit promittit Sixtus IV. 1487. b.
Absolutio ab excommunicatione sit gratuita, 818. c. 834. a. e. 904. b.
Abstinentia sine discretione damnatur, 1059. d. 1068. d.
Accursius honorem Petri de Vineis fitit, 1173. e.
Accursius de Petro Sixti IV. cubicularius & nuncius a Ludovico XI. detentus. 147. c.
Adalbero archiepiscopus Bremensis, 240. a. 151. c.
Adalberonis archiepiscopi Trevirensis epistola ad Rainaldum II. archiepiscopum Remensem pro monialibus Trevirensibus, 626. b.
Adalbero episcopus Leodiensis, 86. d. 87. c. 463. a.
Adalbero abbas Corbeiensis, 517. d. 518. e.
Adalbertus dux, 41. d.
Adalbertus marchio, 312. a. Totius honestatis & disciplinæ speculum, 191. c.
Adalbertus marchio de Brandeburg, 601. c. 603. b.
Adalbertus marchio, 616. b.
Adaleis imperatrix uxor Ottonis I. 48. d.
Adalgisilus vir illustr, 6. b.
Adalgisus filius Desiderii Longobardorum regis, 1407. c.
Adam abbas Ebracensis, 242. a. e. 516. d.
Adam de Capis, 1007. a.
Adam de Corbeia, 922. b.
Adelardus advocatus de Liesem, 73. d. Interfectus & Stabuleti sepultus, 74. c.
Adelais imperatrix, 198. e.
Adelbertus Moguntinus archiepiscopus, 112 c. e.
Adelbertus archicancellarius Lotharii, imperatoris, 92. a.
Adelbertus dux Saxoniæ, 112. d.
Adelbertus comes de Evelstein, 331. d.
Adelgotus ex abbate Disertinensi episcopus Curiensis, 553. b.
Adelida comitissa, c.
Adregesilius vir illustr, 7. b. 10. d.
Adrianus papa Tuscanensem & Spoletanum ducatum confirmat Carolo magno, 1228. a. Qui ipsum adversus Desiderium regem Longobardorum defendit, 1351. e.
Adrianus papa IV. 588. c. 795. e. 796. d. 920. a. Fridericum imperatorem in veneratione sedis apostolicæ continere tentat, 598. a. Ejus Tractatus pacis cum VVillelmo rege Siciliæ, 1231. d. VVibaldo abbati commendat Romanam ecclesiam, 591. a. & seq. Item suos legatos ad imperatorem Fridericum, 592. a. Item Farfense monasterium, 592. d. Camaldulenses, 589. e. Privilegium concedit VVibaldo abbati, 129. c. Sandaliorum & Dalmaticæ usum VVibaldo abbatis & successoribus concedit, 616. e. VVerbense monasterium unit Corbeiensi, 619. d. 620. b. Ejus epistola ad VViegmannum Magdeburgensem archiepiscopum qua causam inter Corbeiensem abbatem & episcopum Osnabrugensem dirimendam committit, 578. d. Ipsi rationem reddit VViegmannus archiepiscopus de commissa sibi causa, 584. c. Confert præbendam ecclesiæ Suessionensis, 617. a. Ei confirmat Fridericus I. imperator tractatum cum Eugenio III. factum, 1230. a.
Adversis frangi nec prosperis elevari debemus, 317. c.
Adulatione capiuntur divites, 278. b.
Adulfus comes, 102. a.
Adulfus comes *de Schoevenborch*, 356. c.
Advocatia Keminadæ & VVilibikæ Corbeiæ remissa, 107. d.
Advocatum ecclesiæ se dicit Fridericus II. imperator, 1146 b.
Advocatus Corbeiæ, 425. e.
Advocatus unicus sit Stabulensi monasterio, 91. b. 97. c. Tertium non habeat, 119. b. Ejus leges, 100. c. 104 c. 111. c.
Advocati Stabulensis monasterii coerciti, 71. c. 76. d. Ut pote monasterii deprædatores, 159.
Advocati non pauperum defensores, sed crudelissimi vastatores, 472. d.
Æduensis episcopus Henricus, 907. c.
S. Ægidii comes, 1356. a.
Ægidius vir nobilis Martini papæ IV. germanus, 1189. c.
Ægidius *de Cimai*, 768. a.
Ægyptum cum exercitu ingreditur Amalricus rex Jerusalem, 803. d. Petitam pacem negat Ægyptus, 801. c.
Ærarii regii præfectorum rapinæ, 1401. a.
Agamemnon eques natus Galeatii equitis Bononiensis, 1418. a.
S. Agatham recuperare tentat Fridericus II. imperator, 1246. a.
Agilolfus Colonensis episcopus, 81. e. 489. b. Ejus corpus 4.
Aginnum cedit Anglo, 1358. a.
Agnes abbatissa S. Glodesindis, 691. b.
Aimericus cardinalis, 162.
Aistulphus Longobardorum rex a Pipino victus, 1352. c.
Alanus abbas Ripatorii deinde episcopus Autissiodorensis, 652. e. 653. a. 713. c. 1011. d.
Albanensis episcopus, 718. e. 1510. d.
Albanensis episcopus Petrus, 121 b.
Albensi episcopo cardinalatum petit Matthias rex Hungariæ, 1492. d.
Albericus episcopus Hostiensis, 120. c. 122 a.
Albericus Remensis, 334. e.
Albero Bremensis archiepiscopus, 342. c. 347. a.
Albero Trevirensis archiepiscopus, 93. a. 101. e. 105. d. 109. d. 112. d. 164. 168. 173. 603. a.
Albero episcopus Basileensis, 103. e. 164.
Albero electus Leodiensis, 96. c.
Albero episcopus Leodiensis, 101. e. 102. d. 105. d. 112. d.
Albero II. episcopus Leodiensis, 116. e. 117. b. 164.
Alberonis episcopi Leodiensis diploma de villa *Turniues* Stabulensi monasterio restituta, 108. c.
Albero episcopus Metensis, 455. c. 457 b.
Albero Virdunensis episcopus, 110. a. 244. e.
Albertus presbyter cardinalis S. Anastasiæ, 122. b.
Albertus Missensis episcopus, 458. b.
Albertus sacerdos, 797. e. Ei ecclesia S. Remigii de Augeio & capella de Cerlolio confirmatur, 798. c.
Albertus de Grundula canonicus Lucanus mittitur ad partes Burgundiæ & Provinciæ ad colligendos census Romanæ ecclesiæ, 1501. b.
Albertus *Aubat* comes, 135. a.
Albertus de Casale comes 1241. c.
Albertus comes de Namuco, 72. d. 73. d. 74. c.
Albertus de Gruendinga, 458. b.
Albigensis episcopus duas marcas sterlingorum debet Romano pontifici pro censu de Scuria, 1305. a.
Albrizente hospitale, 1304. d.
Albricus abbas, 21. b.
Albricus actor fisci imperatoris, 25. a.
Alchingense monasterium, 1301. d.
Aldelleve monasterium, 311. d.
Alexander III. invitus papa creatur, 663. c. Ei adhæret tota Gallicana ecclesia, & pene omnis orbis, 661. e. ejus iter in Gallias, 623. ejus colloquium cum rege

apud Clarum-montem, 671. e. Item apud S. Laurentium aut apud S. Benedictum ad Ligerim, 676. b. Conatur impedire colloquium Ludovici regis VII. cum Friderico imperatore, 672. a. Habitum fuit illud colloquium apud Latonam, 672. c. Quam bene ibi se gesserit Ludovicus, ibid. Teutonicos rumores ab Henrico Remensi archiepiscopo rescire cupit, 680. c. Item acta in colloquio Frederici imperatoris & Ludovici VII. 916. a. Matrimonium inter filiam Ludovici junioris regis & filium Friderici imperatoris impedire contendit, 889. e. S. Thomam archiepiscopum Cantuariensem commendat Henrico Remensi archiepiscopo, 725. b. Scribit in gratiam Andreæ episcopi Atrebatensis, 698. b. Henricum archiepiscopum Remensem redarguit, 775. b. venit Turonos bis, 678. Ibidem consecrat capellam infirmorum Majoris monasterii in honorem S. Benedicti, ibid. Ei ad Urbem redeunti insidias tendit imperator, 718. e. Naves Pisanorum vitat, 718. c. Honorifice suscipitur in Urbe, 720. b. In ea magnifice & honorifice degit, 730. e. Subsidia pecuniarum petit ab Henrico archiepiscopo Remensi, 722. b. 731. a. b. Procurationes a provincia Remensi petit, 692. e. 693. e. compatitur afflictæ Terræ-sanctæ, 750. b. c. Ejus subveniri necessitatibus postulat, 748. a. & seq. 750. b. & seq. reges Angliæ & Franciæ ad pacem inducere laborat, 783. d. 969. d. Item inter ecclesiam & imperium, 969. c. Ejus tractatus cum Friderico I. imperatore, 1129. e. Pax cum ipso & Friderico Venetiis confirmata, 1128. d. Ejus epistolæ, 622. earum in editione quid sit præstitum, 622.

Alexander papa IV. 1295. a.

Alexander papæ V. Linguæ Græcæ gnarus, 1369. e. ei de evectione ejus ad summum pontificatum scribit Johannes de Monsterolio, 1369. b. Ab eo petitur pro rege Franciæ quorumdam beneficiorum nominatio, 1370. c. 1371.

Alexander episcopus Forlivienſis, 1472. 1489. b. 1505. b. 1513. a. ad imperatorem missus, 1481. d. 1484. a. c. d. 1505. a.

Alexander episcopus Leodiensis, 94. a. 130. c. VVibaldum Stabulensem abbatem benedicit, 106. b.

Alexander abbas Cistercienſis, 707. e. 990. a. e.

Alexander abbas Grandis-Silvæ postea Cistercienſis, 666. e.

Alexander Macedo, 1373. b.

Alexander de Gravina comes, 173. c. Legatus Conradi ad imperatorem Græcorum, 441. c.

Alexandriæ depopulatio, 1150. a.

Alienordis filia Guillelmi ducis Aquitaniæ, 1155. a. Uxor Ludovici junioris, 1355. a. deinde Henrici Normannorum ducis, ibid.

Aliphana civitas deleta, 188. b.

Almanni a Lothario deleti, 1356. b. c.

Alolfus comes de Montibus, 458. b.

Alphonsus archiepiscopus Toletanus, 1499. c.

In Alphonsum Castellæ regem insurgunt Sancius & Emmanuel filii ejus. 1293. c.

Alsatiæ dux Frithericus, 603. a. 610. b.

Altæ-cumbæ abbates Gaufredus, 706. e. Henricus, 706. e.

Altaha monasterium duplex superius & inferius, 540. e.

Altaha abbatia donatus episcopus Bambergensis, 540. a.

Altare absque licentia episcopi erectum removendum, 924. a.

Altare sub turri ecclesiæ, 84. a.

Althenensis abbatissa, H. 1060. c.

Altavienensis abbatissa S. dignitati cupit renunciare & cellæ singulari includi, 1061. d. Ejus epistola ad S. Hildegardem, 1061. d.

Alverniæ comes, 1304. c.

Amalbertus Caroli Crassi notarius, 33. c.

Amalricus rex Jerusalem in Ægyptum cum exercitu irrumpit, 803. d. Ejus epistola ad Henricum archiepiscopum Remensem, 803. a.

S. Amandus Tungrensium episcopatum abdicat, 2.

Amare quid sit, 217. b.

Amatus frater regis Angliæ Aquitaniam subintrat clam tempore Caroli Pulchri, 1358. e.

Ambianensis episcopus, 721. b. 810. b. 827. e. 932. e. Justitiæ cultor, 887. e. Ei committitur negotium Constantiæ comitissæ Tolosanæ, 754. d. 756. a.

Ambianenses episcopi Robertus, 744. c. 890. c. Theobaldus, 926. e. Theodericus, 744. 856. a. 878. b.

Ambianensi episcopo non debet obedientiam abbas S. Richarii, 856. e.

Ambitio multos mortales fieri falsos subegit, 1367. e. servitia hominum servitiis emit passionum, 1462. e.

Ambrosius de Milliis, 1428. b. duci Aurelianensi a secretis, 1459. a. ejus mira conversio ad pietatem, 1416. a. b. invehitur in Johannem de Monsterolio, 1456. d. e. 1457. 1458. dehortatur Guncherum a curia, 1459. d. ejus epistolæ, 1456. 1459.

Ambrosium Sulmonensem carpit Johannes de Monsterolio quod Virgilio Ovidium præponeret, 1423. d. 1424. & seq. & Ciceronem de contradictione reprehenderet, 1416. c. 1427.

Amelius abbas Brunvvillarienſis, 114. a. 115. e.

Amicitia palatiorum limina calcare nescit, 1461. c.

Amicos tutius conjungit humilis tranquillitas quam elata miseria, 1460. a.

Amor Dei omnibus scientiis præcellit, 337. c.

Amor verus otiosus esse non potest. 210. d. nec suspectus, nec suspiciosus, nec contemnens, nec accipiens personam, 211. b.

Anastasio papæ IV. de ejus electione gratulatur VVibaldus, 561. 563. a. & seq. qui ei fuit familiaris, 563. & aliis summis pontificibus ibid. e. ante pontificatum innocenter vixit, 563. c.

Anaxagoras, 315. d.

Anaximenes primam rerum causam ad aerem retulit, 1438. b.

Ancharotius vicerex Sardiniæ, 1549 c.

Ancherus Pantaleon archidiaconus Laudunensis sacra purpura decoratus. 1254. e. promotionem suam Laudunensi ecclesiæ significat, 1254. 1255. in ipsa honorum sumsit primordia, 1255. e.

Andegavensis episcopus Johannes Balue, 1524. b.

Andegavense monasterium monialium S. Mariæ, 1304. a.

Andegavensi comitis filius Henricus, 1354. e.

Ando abbas Stabulensis, 25. a.

S. Andreæ apud montem Avenionis monasterium, 1302. c.

S. Andreæ Colonienſis præpositi A epistola ad S. Hildegardem, 1048. b.

Andreas episcopus Atrebatensis, 767. c. 914. d. ab Henrico archiepiscopo increpatus, 698. b. & seq. ad quem pro eo scribit Alexander III. papa, 608. a.

Andreas episcopus Trajectensis, 100. c. 164.

Andreas de *Culek* episcopus Trajectensis, 354. c.

Andreas de Carreto affinis Sixti papæ IV. 1486. b.

Andreas Vindianimus dux Venetiarum, 1531. e. 1548. d.

Andreas de Dampetra, 674. c.

Anellus Archamonus orator Ferdinandi regis ad papam, 1471. d. 1479. b. 1488. a. 1521. b. d.

Angesilinus domesticus Childerici regis, 10. d.

Angelo de Ursinis domicello Romano arma quæ tulerat adversus Chicum de Nardinis deponere jubet Sixtus IV. 1518. e.

Anglia primum subjugata a Francis tempore Caroli-magni, 1354. a.

Angliam paucis diebus subegit Guillelmus Conquirens, 1356. d. ejus insignia habent reges Angliæ, 1356. d.

Angliæ reges Eduardus, 1513. d. Eduardus pater Eduardi regis, 1358. d. Henricus II. 587. b. 784. c. 989. b. 991. b. 996. c. Henricus III. 1357. c. Colloquium ejus Parisiis cum S. Ludovico, 1357. c. datur ipsi VVasconia & Aginnum, 1358. a. S. Dionysium visitat, ibid. c. Johannes, 1315. b. Richardus, 1344. a. Eo interemto Angliæ regnum dux Lancastriæ invadit, 1324. a. d. 1360. a. regem Franciæ se appellat, 1360. b. Stephanus, 1354. c.

Anglici a quo tempore terras in regno Franciæ habuerunt, 1354. c. Normanniam invadunt, 1357. a. Eorum adversus Francos bellum atrocissimum, 1316. 1317. feliciter pugnarunt adversus Philippum de Valesio & adversus Johannem Galliæ reges, 1359. b.

Angliæ regem inter & regem Francorum pacem procurare tentat Alexander III. papa, 969. d. inter Angliæ & Franciæ reginas ac Siciliæ regem tractanda concordia committitur episcopo Sylvanectensi & abbati S. Dionysii, 1172. d. ad Anglum deflectit Sigismundus imperator adversus Carolum VI. regem Franciæ, 1444. a.

Angliæ rex inducias ad annos XXX. confirmat cum rege Franciæ, 1322. e.

Angliæ regi gratulatur Martinus papa IV. quod a fidario perculsus evaserit, 1298. a. hortatur ut terræ sanctæ negotium prosequatur, ibid. c. 1299. insimulatur de translato in ærarium regium pecuniarum subsidio pro terra sancta, 1299. d.

Anglica gente nulla gens in inferioritate humilius blanditur, nulla superbius dominatur, 1357. c.

Anglis decipere est mercari, 1359. a.

Anglinus abbas Stabulensis, 17. c. Ei amplissimam donationem facit Carolomannus, 20. a. Ipsi restituitur villa *Letherau*, 19. b. & seq.

S. Aniani ecclesia collegiata, 717. c. Cujus decanus Alexandro III. papæ carus, 717. e.

Aniciensis episcopatus est domini papæ, 1305. b.

Animæ definitio ex Varrone, 1442. d. de anima philosophorum insultiæ, 1442. e.

Annatæ raro remittuntur, 1536. c.

S. Anno Colonienſis episcopus administer imperii sub pupillo Henrico, 82. e. 83. b. favet Malmundariensibus proprium abbatem optantibus, 438. c.

Annonis abbatis Indensis epistola ad VVibaldum abbatem, 206. b. VVibaldi ad eum responsio, 206. d.

Anno abbas Luneburgensis, 189. a.

Ansculfus episcopus Suessionensis, 918. c. e.

Ansegisus archiepiscopus Senonensis, 665. e.

Ansegisus, domesticus Sigeberti regis, 7. b.

Anselinus de Visiniis, 1197. a.

Ansoldum abbatem Compendiensem commendat Adrianus papa IV. 642. c. e.

Anselmus episcopus Havelbergensis, 102. e. 164. 170. 172. 173. 199. e. 205. e. 309. b. 315. c. 326. b. d. 350. a. 360. d. 394. e. 417. b. 419. 551. c. 557. d. 571. c. 603. a. 616. a. epis-

copus modicæ civitatis & modici cleri, 327. a. Ei quæſtionem de creatione Anglorum proponit VVibaldus, 328. c. Ejus epiſtola ad VVibaldum, 326. d. 419. a. VVibaldus quanti faciat ejus amicitiam, 327. c. Romam proficiſcitur, 326. e. 327. d. In eccleſia ſua reſidere ſe velle declarat, 419. b. ei mandat Eugenius ut a ſuis uſurpata prædia Corbeiæ reſtitui curet, 111. d.
Anſelmus de *Braz* in Hungariam profectus, 85. a.
Anſelmus de curia de *Helbercurt*, 1007. e.
Anſelmus Laudunenſis, 334. c.
Anſelmus de Poſſeſſa vir nobilis, 1000. a.
Anſericus de Dampetra, 674. e.
S. Antimi monaſterium, 590. c.
Antiochenus principatus contritus. 803. c.
Antiocheno patriarchæ auxilium promittit Sixtus IV. 1518. c.
Antiochenus patriarcha, A. 1136. d.
Antonellus de Averſa ſecretarius Ferdinandi regis Siciliæ, 1522. b.
Antonienſes canonici Lobienſi monaſterio ſubditi matrimonia contrahunt, 794. d.
S. Antonii in Condacenſi pago monaſterium, 1304. d.
S. Antonii Viennenſis prior Clauſtralis a rege Ludovico XI. miſſus ad Sixtum IV. papam, 1489. d.
Antonio de *Chalant* gratulatur Johannes de Monſterolio de ſua promotione in cardinalem, cum archiepiſcopatus Tarentas. commenda, 1331. b.
Antonius Cadurcenſis epiſcopus regis apud papam orator tranſlatus ad ſedem Claromontenſem, 1501. a.
Antonius epiſcopus & abbas Scabulenſis monaſterio privilegium impetrat, 31. d.
Antonius Cincinellus, 1471. d.
Antonius Donatus reipublicæ Venetæ ad papam orator, 1533. b. Equeſtri dignitate a Sixto IV. donatus, 1533. b.
Antonius de *Rovere* nepos Sixti IV. papæ, 1532. b.
Anturnacenſis abbatiſſæ T. epiſtola ad S. Hildegardem, 1079. e.
Anuli uſum ad vitam VVibaldo concedit Anaſtaſius IV. 572. d. quem ei per Gerardum cardinalem mittit, 573. c. Gregorii cardinalis ea de re epiſtola, 573. a.
Anulos in digito deferebant moniales S. Hildegardis feſtis diebus, 1080. a.
Anulos quatuor cuidam regi mittit Fridericus II. imperator, 171. d.
Anxia cardinalis epiſcopus Caput-aquenſis, 1550. b.
Anxia cardinalis transfertur a ſede Montis-regalis ad Cæſar-auguſtanam, 1523. d.
Apamienſis epiſcopus in eccleſia Carolioci ſepultus, 1392. b.
Appellationes ad ſedem apoſtolicam liberas promittit Otto IV. imperator, 1234. d.
Appellationem ad ſedem apoſtolicam impedientes excommunicandi, 841. a. Excommunicatio poſt factam appellationem ad papam nullius eſt roboris, 843. b. appellantibus datur annus aut biennium ad litem proſequendam, 911. c. de appellationibus variæ quæſtiones ſolvuntur, 911. e. & ſeq.
Appellationes temerariæ omnem diſciplinam eccleſiaſticam confundunt, 405. b. appellatio his non debet ſubvenire, qui in dolo appellant, 827. a.
Apoſtata pœnitens recipiendus, 668. b. 848. a. b.
Apoſtolorum limina quadrageſimali tempore viſitantur, 1281. d.
Aprilis de Manſo vir nobilis cruce ſignatus, 813. b.
Apulia expulſi Græci, 586. e.
Apuliæ juſtitiario ſcripta a Friderico II. epiſtolæ, 1182. b. 1183. a.
In Aquenſi majori baſilica reginam Siciliæ ſepeliri permittitur, 1166. e. 1167. a.
Aquicinctenſe monaſterium. 816. a. e.
Aquicinctenſis abbas, 956. a. contendit cum vicedomino de Pinconio, 988. b.
Aquilegienſis patriarcha M. cardinalis S. Marci, 1489. b.
Aquinenſes Caſinenſi monaſterio infeſti, 84. c.
Aquiſgranenſis theſaurus monachis Stabulenſibus cuſtodiendus traditur, 31. e. in Aquiſgranenſi eccleſia ex æquo prorſus miſcenda ſunt arma Franciæ & imperii, 1408. d.
Aquitania a Clodoveo regno Franciæ adjecta, 1352. a.
Aquitaniæ dux Guillelmus, 1355. a.
Comes de Ara excommunicatus, 485. b.
Aragonum reges Johannes, 1475. e. 1484. a. 1491. e. Petrus, 1205. a.
Aragonum regi ſcripta a Sixto IV. epiſtola, 1476. a.
Aragonum regis nepoti archiepiſcopatum Cæſar-auguſtanum reculat Sixtus IV. ob minorem ætatem, 1523. c. ideoque rex iraſcitur in cardinalem Montis-regalis, 1526. e.
Aragonum rex a comite Montisfortis occiſus, 1376. a.
Ad Aragoniæ regem reſcriptum regis Navarræ ſuper facto eccleſiæ, 1364. a.
Aragoniæ regnum Romanæ eccleſiæ cenſuale conſtitutum a regibus, 1195. b.
Archicancellarius Caroli Craſſi Liutbertus, 33. c. ſeu Liutvvardus, 32. c. Conradi I. imperatoris, Henricus, 458. 606. b. Conradi II. Adelbertus Moguntinus archiepiſcopus, 112. e. Friderici imperatoris Henricus archiepiſcopus Moguntinus. 616. c. Henrici III. imperatoris Ruothardus, 77. c. Henrici IV. Sigefridus, 71. e. Lotharii II. imperatoris Adelbertus, 92. a. Henricus, 102. a.
Arch.capellanus Henrici I. regis Romanorum Robertus, 42. a. Henrici III. regis Bardo, 600. d. Ludovici I. regis Franciæ orientalis Hugbertus, 28. b. Ottonis II. VVilligiſus, 50. a. 51. b. 52. c.
Archiepiſcopus nullus dicitur ante pallii ſuſceptionem, 660. c.
Arantionem cardinalem Remenſi archiepiſcopo commendat Alexander III. papa 708. b.
Arduenna afflicta, 360. c.
Arduinus abbas S. Germani Autiſſiodorenſis, 652. e.
Arelatenſis civitas ſedes & caput regni, 1186. d.
Arelatenſis archiepiſcopus B. 1183. a. creatur cardinalis Sabinenſis, 1173. c.
Arelatenſis archiepiſcopus Philippus cardinalis, 1474. d.
Arelatenſi populo ſcribit Fridericus ut vicarium ſuum a comite Provinciæ ejectum recipiant, 1186. d.
Areopagitæ non rethoricis floribus ſed ſed ſimplici narratione utebantur, 339. a.
Argentinenſis epiſcopus Burchardus, 603. a. 610. a.
Arienſes canonici S. Vedaſto caput S. Jacobi reſtituere jubentur, 811. c.
Ariſtotelis libros transferre curavit Manfredus rex Siciliæ, 1220. d.
Armarium librorum in monaſteriis, 84. e locus in claustro libris recondendis idoneus, 424. e.
Arnoldus I. Colonienſis archiepiſcopus, 4. 105. d. 109. d. 181. 298. c. 458. a. ab officio ſuſpenſus, 366. a. 368. e. 370. a. eum a papa ſuæ dignitati reſtitui petit Conradus II. imperator, 385. a. ſponte cedere ſuadetur, 395. d. 396. b. Ejus depoſitionem differe papa, 372. a. obitus illius, 489. b. 491. d. e.
Arnoldus II. archiepiſcopus Colonienſis, 571. b. antea præpoſitus majoris eccleſiæ Colonienſis, 114. c. 115. d. Arnoldus præpoſitus Colonienſis, 367. e. & imperatoris cancellarius, 105. d. 112. c. 172. 178. 301. b. 312. d. 418. c. 601. d. 604. a. 606. b. ei ſcribit VVibaldus, 442. b. 443. d. ejus epiſtola ad VVibaldum abbatem, 444. d. excuſat ſe a ſuſcipienda legatione Romana, 444. d. ad quam eum nihilominus hortatur VVibaldus, 445. b. & ſeq. ſummam conſilii in regno regere debet, 445. d. invitatur ad regis curiam, 381. a. invitus & renitens eligitur archiepiſcopus, 489. d. 491. a. 492. a. Fauſta illi omnia precatur VVibaldus, 490. c. 493. e. ejus electionem confirmat imperator. 492. c. eamdem confirmari a papa petit Henricus Leodienſis epiſcopus, 487. d. electioni necdum conſentiens privatur præpoſitura de *Lamperth*, 431. a. ejus legatio Romana, 499. a. 501. a. 503. d. ab Eugenio papa conſecratur & pallio donatur. 502. c. inaugurat Fridericum imperatorem, 507. a. ipſi de reportata ab hoſtibus victoria gratulatur VVibaldus, 515. d. qui cauſam Mindenſis epiſcopi ipſi commendat, 531. e. & ſeq. Mindenſem epiſcopum de excommunicatione clerici accuſatum ad Eugenium III. remittit. 533. a. petit a VVibaldo an poſſit in Pentecoſte velare ſacras virgines, 526. c. VVibaldi ad eum reſponſio, 526. e. ejus epiſtolæ ad VVibaldum abbatem, 501. d. 532. a. Diploma pro monaſterio Stabulenſi, 113. a. 114. c.
Arnoldus Moguntinus archiepiſcopus conqueritur de comite Palatino Rheni, 597. a. & ſeq.
Arnoldus abbas Niemburgenſis, 616. a.
Arnoldus cancellarius Friderici, 523. e. 616. b.
Arnoldus de *Biberach*, 524. a.
Arnoldus de *Rotenburch* dapifer, 610. c.
Arnoldus de *Rymmin*, 135. a.
Arnoldus de Brixia hæreticus, 554. a. e.
Arnulfus rex, 59. c. 580. e. Lintfrido comiti diplomata concedit, 33. d.
Arremarenſe monaſterium, 644. e.
Arnulfus abbas Prulliacenſis, 806. e.
Aſcaloniam obſidere meditatur Conradus imperator, 209. d.
Aſcholfus abbas Fuldenſis VVibaldi abbatis apud ſummum pontificem interceſſionem deprecatur, 215. c. pro eo ſcribit VVibaldus ad Guidonem cardinalem, 211. a. apud Trevirum depoſitus, 329. a. e.
Aſligeus dux, 1353. a.
Aſtaldus cardinalis S. Priſcæ, 618. e.
Aſtulphus pater Deſiderii Longobardorum regis, 1407. c.
Attelanus epiſcopus Laudunenſis, 7. b. c.
Attrebatenſes epiſcopi Aivitus, 627. e. Andreas, 698. b. & ſeq. 767. c. 914. b. Godeſcalcus, 627. b. c. 680. b. e. 914. e. cedit & ad Montem S. Martini ſecedit, 1010. d. Robertus, 894. a.
Attrebatenſes canonici, 917. b. 919. a. ordo tenendus in choro a canonicis Attrebatenſibus, 729. b. c.
Attrebatenſes cives, 668. e.
Avares Carolus magnus armis ſubegit, 1407. d.
Avaritia bonas artes ſubvertit, 1367. c.
Avenarum hoſpitale, 1303. b.
Aveniacum monaſterium ord. S. Benedicti, 708. a. e.
Avenionenſes vexati a regis Ludovici XI officialibus, 1108. a. 1109. d. maxime a teneſcallo Bellicadri, 1515. e.
Avenionenſis civitatis muri reparati, 1510. b.
S. Auguſtinus digamiam impugnavit, 330. c.
Auſicorum mores & vitia, 1398. b. c. 1399. b. c. 1400. 1401. d. 1402. a. 1460. c. 1463. impietas & irreligio, 1402. a. 1403. pro virtutibus vitia plauſibile colunt, 1400. d. inter luperbiæ, inh.

luxuriæ, insolentiæ petulantiæve aut mali cujusquam exsegnari potest sive fingi quibus aulici careant, 1403. c. in aula nemo extollitur diu, 1460. e. amittitur libertas, 1461. d. 1466. a. aulici curis senescunt non annis, 1465.
Aulus Gellius, 1438. c.
Auraicensis dominus ecclesiæ Romanæ debet dimidiam marcham argenti, 1302. c.
Aurelianenses episcopi Elias, 682. e. Manasses, 682 e.
Aurelianense studium, 1307. e.
Auriliacense monasterium, 1304. c.
Austriæ dux Leopoldus, 132. b.
Autissiodorenses episcopi Alanus, 651. c. 653. a. 713. e. 1011. d. Guillelmus, 664. e. Hugo, 629. d. 633. d.
Azo abbas S. Ægidii in Monte publico, 95. b.

B.

Baboleaus abbas Stabulensis, 16. b.
Baiona ab Anglo capta, 1358. d.
Baldricum hortatur VVibaldus ut suum exerceat ingenium, 247. a.
Balduinus episcopus Noviomensis, 746. c.
Balduinus monachus exsul propter perfidiam schismaticorum, 740. c.
Balduinus rex exsul Jerosolymitanus, 648. a. e.
Balduinus cancellarius Noviomensis, 833. c.
Balthasar abbas Flectorpensis, H. a. 236. c.
Bambergenses episcopi Eberardus, 516. e. 518. a. 551. c. ejus legatio Romana, 519. b. c. in ea ut se gerere debeat. 518. c. Egilbertus, 516. e. Hathelinus, 76. c. Suggerus, 64. d.
Bambergensis episcopus donatus abbatia Altaha, 540. a.
Bambergensis S. Michaelis abbatis B. epistola ad S. Hildegardem, 1016. e.
Bambergensis abbatissæ L. epistola ad S. Hildegardem, 1072. d.
Bapolenus vir apostolicus, 3. a Baboleno Fossatensi & a Bobiensi distinguendus, 3.
Baptismus gratis conferendus, 842. b.
Baptista episcopus Vintimilliensis, 1512. b.
Barcinonensis comes mala infert Hu. de Baucio, 165. c.
Bardo archicapellanus Henrici III. regis, 60. d.
Barensi episcopo de ecclesia Barensi S. Nicolai scribit Petrus de Vineis, 1167. b.
Barjolensis S. Mariæ ecclesia, 1302. b.
Baro S. R. E. subdiaconus, 121. d.
Bartholdus de Ocdier abbas S. Huberti, 139. d. 142. a.
Bartholomæus episcopus Belvacensis, 764. e. 781. b. 823. c. 907. b.
Bartholomæus episcopus Laudunensis, 795. c.
S. Bartholomæi canonici Leodienses, 381. c.
Bartholomæus de Andegavia armorum ductor capitaneus, 143. c. 1496. c.
Barum Apuliæ urbem expugnat Lotharius imperator, 161.
Basileenses episcopi Albero, 101. e. 164. Orthlievus, 402. c. 609. e.
Basileensis episcopi legatio Romana, 459 c. 521. b.
S. Basoli monasterium, 709. b. c. 932. e. 938. c.
Bathoniensis episcopus Robertus diffamatus, 1506. b.
Bavaria a Carolo magno debellata, 1353. a. & in comitatum conversa, ibid.
Bavariæ ducatum occupare conatur Hdux Saxoniæ, 417. e.
Bavariæ duces Fridericus, 1544. b. Henricus, 164. 168. 595. c.
Beatrix regina Siciliæ, 1550. d.
B. relicta Rogerii regis Siciliæ. 818. d.
Beatrix filia Ferdinandi regis Siciliæ desponsata Matthias regi Hungariæ, 1469. b.
Beatrix comitissa, 601. a. 1161. b.
Becelinus comes de *Brandeburch*, 57. c.
Bellævallis abbatis epistola ad S. Hildegardem, 1027. b.
Bellævallis ord. Præmonstr. abbas Philippus, 816. e.
Bellicadri Senescallus vexat Avenionem & Venaissini comitatum, 1515. c.
Bellinacii obsidio, 648. a.
Belli-loci abbas notatus, 910. a.
Bellum Sclavicum, 174. ejus infaustus eventus, 177.
Bellus miles secretarius cameræque regis Castellæ & Legionis portarius, 1286. a.
Belvacensis episcopus, 750. d.
Belvacensis ecclesia vexata a nobilibus, 634. d. & attrita, 631. a. 632. e. ejus *beneficia ipsis concessa injuste*. ibid. e.
Belvacensis civitas interdicto supposita, 688. a.
Belvacensis episcopus Bartholomæus, 765. d. 781. b. 823. c. 970. b. vexat canonicos S. Laurentii Belvacensis, 973. d. suo archiepiscopo inobediens redarguitur, 892. b. & seq. ipsum a jurisdictione archiepiscopi Remensis non eximit Alexander papa, 913. c. debitam ut ei obedientiam exhibeat jubet, 911. d. & ut clerici Belvacenses supplicem ab eo veniam deposcant, 913. d. ei humiliato parcendum, 893. a. ipsum ne gravet Remensis archiepiscopus hortatur Alexander III. papa, 910. a.
Belvacensis episcopus Henricus, 633. e. 634. c. 635. c. 636. c. 604. a. Translatus ad sedem Remensem, 666. b.
S. Benedicti in Vepria monaster. 952. d.
Benedicti papæ VII. privilegium pro Valciodoro, 450. c. 451. d. 457. c.
Benedictus XI. 1305. e.
Benedictus XIII. excitatur ad dandam ecclesiæ pacem & *finem schismati* imponendum, 1314. a. ei scribit Johannes de Monsterolio, 1343. b. cum nobilibus civibus Januæ epulatur, 1336 d. ejus studium circa unionem, 1331. d. 1336. e 1337. a. ei plures reges adhærent, 1333. c. cum unionem procurare deberet, vectigalia meditabatur, & milites conducebat, 1345. a. subtractionis effectum per beneficiorum collationem irritare molitur, 1345. a. Episcopatus ac plures abbatias meniæ coapplicat suæ 1345. d. in ejus regimine nova schismata exorta sunt, 1343. b. ad eum varii legati a rege Franciæ frustra transmissi, 1344. a.
Beneficiorum pluralitas damnata, 567. c. 1182. d.
Beneficium ecclesiasticum patris filius obtinere non debet, 1500. a.
de Beneficiis vacantibus apud sedem apostolicam moderatio facta in concilio Lugdunensi, 1177. b.
Beneventum Innocentio II. restitutum, 161.
Beneventana civitas a Frederico II. imperatore acquisita, 1137. b.
Berardus seu Bertardus abbas S. Martini Metensis, 45. e.
Berardi de Neapoli epistola ad regem Angliæ, 1299. d. ad Gregorium papam X. 1271. a.
Berengarius bonæ opinionis clericus, 815. b.
Berengarius comes, 40. a.
Beringerus abbas S. Laurentii Leodiensis fundator monasterii S. Egidii in Monte-publico, 95. c. 540. d.
S. Bernardus abbas, Clarevallis, 162. 173. 244. c. e. 557. d. 1013. ei reconciliatio Henrici episcopi Belvacensis cum Ludovico rege ipsius fratre committitur, 634. a. b. Conradum Lothario imperatori reconciliat, 161. ejus epistola ad Conradum imperatorem perdita, 410. a. ei Siciliæ regem commendat S. Bernardus, 410. a. pro pace Metensi laborat, 566. e. scribit Eugenio III. in gratiam Petri Lombardi, 636. e. ejus elogium, 339. d.
Bernardus cardinalis S. Clementis, 557. d. 561. b. c. 591. c.
Bernardus episcopus Portuensis cardinalis missus ad Ludovicum VII. regem Francorum, 618. d. ejus protectionem pro Corbeiensi monasterio implorat VVibaldus, 564. b. 565. b.
Bernardus & Gregorius cardinales habituri cum rege colloquium orant VVibaldum ut simul conveniat Herbipolim, 562. c.
Bernardus episcopus Hildesheimensis, 170. 317. a. scribit Eugenio papæ in gratiam VVibaldi, 233. d. intercedit pro Henrico abbate *deposito*, 300. c. 301. c. fit cæcus, 316. c. e.
Bernardus episcopus Paterbornensis, 111. d. 170. 428. a. 431. a. c. 447. d. 596. c. 616. a. VVibaldi requirit colloquium, 165. d. interest electioni abbatis Corbeiensis, 201. a. 202. d. 203. c. Henricum abbatem Corbeiensem denuntiat excommunicatum, 303. a. petit emancipationem Henrici prioris Corbeiæ electi abbatis, 549. c. quod recusat VVibaldus, 550. a. & seq. ei quamdam causam suam amice definiendam committit VVibaldus, 324. VVibaldo quam fuerit amicus, 325. c. ipsi scribit VVibaldus adversus Folcuinum & VVidikindum, 530. e. ejus epistola ad Eugenium papam III. 364. e. qui ipsi in gratiam Corbeiensis monasterii scribit, 506. d. ejus epistola ad Henricum episcopum Mindensem, 431. e.
Bernardus advocatus S. Martini Metensis, 45. c. e.
Bernardus de S. Gualarico vir nobilis *vexat fratres Cari-campi*, 827. b. 838. b.
Berta Caroli-magni mater, 1408. b.
Bertelinus, domesticus Sigiberti regis, 7. b.
S. Bertini monasterium, 670. e. 1303. b.
S. Bertini abbas Godefridus Leonis successor, 671. e.
Bertoldus abbas Morbacensis, 402. b.
Bertoldi abbatis Zvvnieldensis epistola ad S. Hildegardem, 1017. d.
Bertoldus filius ducis Conradi, 423. b.
Bertolfum ducem inter & Fredericum regem conventio, 523. d.
Berträmni abbatis Stabulensis electio, 54. e.
Bertrandus archiepiscopus Arelatensis creatus cardinalis Sabinensis, 1273. c. & postea Portuensis, 1283. a.
Bertulfus notarius Lotharii II. imperatoris, 102. b.
Betardingorum monasterium, 589. e.
Bethaniæ abbatis G. epistola ad S. Hildegardem, 1027. b.
Bibliotheca seu libraria incomparabilis, 1393. b.
Bidainense castellum, 1502. b.
Bilechildis regina, 10. c. 11. c.
Bissurius Lotharingorum rex, 1351. e.
Bituricenses archiepiscopi S. Guillelmus, 1392. c. Petrus de Castra, 842. e.
Bituricensis archiepiscopus justitiæ cultor, 887. e.
S. Blasii Mindensis monasterium, 237. e.
Blesia ab Anglo capta, 1358. d.
Bobbo advocatus VVerbensis monasterii, 610. b.
Bobo vir illustr. 6. b. 7. b.
Bobonus dux, 10. d.
Boda fluvius, 371. a.
Boëmundus archiepiscopus, Trevirensis, 135. b.
Boliflaus dux Polonorum pacem a Friderico imperatore poscit, 594. e.
Bolonienses canonici episcopum sicut antiquitus habere laborant, 713. c.

Bolonienſis comitatus datus in dotem Conſtantiæ filiæ Ludovici VI. regis, 755. b.
Bolonienſis comes Macheus, 755. b. c.
Boloniæ comes, 1355. c.
Bonæ-cumbæ abbates Guillelmus de Eſtoutevilla, 1495. c. 1502. b. Johannes de Ambaſia, 1495. a. 1502. b.
Bonacurſius de Pittis, 1455. d.
Bononia ſummo pontifici cedit, 1341. c.
Bononiæ depopulationi accingit ſe Fridericus imp. 1153.
Borburgenſe monaſterium, 852. e.
Borchardus abbas S. Michaelis Hildesheimenſis, 344. c.
Boſo epiſcopus Catalaunenſis, 770. c. e. 781. c. 917. e.
Boſo vir nobilis altare in eccleſia Stabulenſi erigit ſub turri, 84. a.
Boſonis-villæ abbatis VV. epiſtola ad S. Hildegardem, 1021. e. ipſius monaſterium olim magno in honore habitum magnas patitur perſecutiones, 1023. a. a Deo ſuſtentatur, 1023. d.
Bozo *de Braz* donum facit Stabulenſi monaſterio ob necem Adelardi advocati cognati ſui, 74. d.
Brabantia Hervetia dicta oppidis & incolis inclyta, 1417.
Brabantiæ duci Fridericus imperator Sinibaldi electionem in papam notam facit, 1145. a. & ſeq.
Brabantiæ dux VVenceſlaus, 135. a. d.
Brabantiones delendi, 880. d.
Braguenſes canonici, 735. d.
Braguenſis eccleſia data Silvæ majori, 818. d. e. & Noveti cellæ unita, 882. b. c. tum Braguenſes canonici vim inferunt monachis Noveti, 819. a. propter ea excommunicati, 882. d.
Brandeburgenſis epiſcopus VVigerus, 601. c. ſeu VVikkerus, 616. a.
Brandeburgenſes marchiones Adelbertus, 605. c. 603. b. Judocus, 158. c. Ludovicus, 134. e.
Branenſe monaſterium, 799. b.
Brebantienſes, 1355. c.
Bremenſes archiepiſcopi Adalbero, 180. 240. a. 551. c. Albero, 342. c. 347. a. A. 424. c. Hartvicus, 180. 341. d. 345. b. 318. a. 616. a. H. 424. e. 437. d. Har. 499. e. 504. a. 505. d.
Bremenſis eccleſia VVibaldum cauſæ ſuæ arbitrum eligit, 204. e.
Brevis-coxa eloquentiæ fidus, 1417. c.
Britanniam armis ſubegit Carolus magnus, 1407. d.
Britanniæ duces Franciſcus, 1501. e. Petrus Mali-clerici, 1357. a. S. Ludovico rebellis, ibid.
Britanniæ dux cardinalatum petit pro Petro de Fuxo, 1517. c. qui ei promittitur, 1530. d. e.
Brivatenſis eccleſia, 1304. c.
Brivenſis eccleſia, 1305. a.
Brixienſis epiſcopus Dominicus, 1497. d. 1512. d. 1517. d.
Bronium ordinis S. B. monaſterium, 522. e.
Bruburgenſis abbatiſſa, 807. c.
Brugenſes canonici, 893. e. 896. d. 899. d.
Brunonis Colonienſis archiepiſcopi diploma pro Stabulenſi monaſterio, 46 b.
Brunonis archiepiſcopi Trevirenſis epiſtola ad Raynaldum archiepiſcopum Remenſem, 624. c.
Bruno epiſcopus Hildesheimenſis, 316. e. 584. a.
Bruno Campi doctor, 161.
Brunvillarienſe monaſterium, 266. c.
Brunvillarenſem abbatem Guidoni cardinali commendat VVibaldus, 266. c.
Brunvvillarienſis abbas Amelius, 114. e. 125. a.
Bucco epiſcopus VVormatienſis, 112. d. 173. 199. e. 205. e. 601. e.
Bucilienſis abbatia, 626. d.
Bunnenſis præpoſiti H. epiſtola ad S. Hildegardem, 1053. c.
Burchardus epiſcopus Argentinenſis, 603. a. 616. a.
Burchardus Egiſtadienſis epiſcopus, 551. c.
Burchardus Magdeburgenſis Burgravius imperialis curiæ magiſter, 135. a.
Burdigalæ in Hiberniis ſterit Clodoveus quo anno regnum ad montes uſque Pireneos extendit, 1352. a.
Burgidolenſe monaſterium, 668. e.
Burgilini monaſterii abbas in concilio Erfordienſi litigat cum comite Sizone, 294. c.
Burgulienſe monaſterium datur in commendam epiſcopo Ebroicenſi, 1502. b. epiſcopo Malleacenſi, 1494. c.
Burgundiæ dux Carolus, 1502. e.
Bulla in cœna Domini, 1525. c.
Burſfeldenſe monaſterium, 529. e.
Burſfeldenſis abbas Nithardus, 529. c. 531. b.

C.

CNepos Alexandri III. papæ, 715. d.
Cadceiſſamanus notarius Childerici III. regis, 18. e.
Cadurcenſis epiſcopus tranſlatus ad ſedem Carcaſſonenſem, 1547. d. e.
Cadurcenſis epiſcopus Antonius, 1501. a.
Cælestini papæ II. epiſtola ad epiſcopum & clerum Leodii, 117. b. ejuſdem privilegium VVibaldo abbati conceſſum, 118. a.
Cœleſtino III. papæ mittit nuntios Henricus VI. imperator, 1231. b. apud eum ſe excuſat de gravaminibus illatis a Philippo fratre ſuo, 1249. a. dat ipſi litteras ſuper pace reformanda inter ipſum & papam, 1249. b. eidem ſecuritatem dat in ſua coronatione, 1249. c.
Cœleſtini III. papæ tractatus cum Henrico rege Romanorum, 1230. e. cum Tancredo rege Siciliæ, 1232. c. Caſſinenſes monachos excommunicat, 1230. b.
Cæſar-auguſtanus archiepiſcopus Auxia cardinalis, 1523. d.
Caladia monaſterium 300. monachorum, 881. e.
Calatravæ magiſter recuſat ſolvere ſubſidium in Turcas, 1498. e.
Callixtus papa II. 1233. c. tractatus pacis inter eum & Henricum V. imperatorem, 1234. c.
Camaldulenſes Betardingorum & S. Petri de Rota VVibaldo commendat Adrianus IV. papa, 589. c.
Cameracenſes epiſcopi Gerardus, 61. a. Nicolaus, 105. d. Petrus, 872. d. 889. c. Robertus, 894. e.
Cameracenſis electus, 1002. e. ejus exceſſus, 917. d.
Campenſis abbas Theodericus, 114. 115. c. 502.
Cancellarius Leonis papæ IX. 69. c. 70. c.
Cancellarius in regno Italico eſt ex officio Colonienſis archiepiſcopus 93. a.
Cancellarii Arnulfi regis Theotinarius, 34. e. Caroli Craſſi VVaido, 412. e. Conradi II. imperatoris Arnoldus, 105. d. 112. e. 458. c. 601. d. 604. a. 606. b. Frederici imperatoris Arnoldus, 816. b. Raynaldus archiepiſcopus Colonienſis, 710. b. e. auctor & caput turbationis eccleſiæ, 710. b. quem capi jubet Alexander papa, 710. c. Henrici I. regis Romanorum Poppo, 42. a. Henrici III. imperatoris Humbertus, 77. c. Theodericus, 60. d. Henrici IV. regis Rom. Sigehardus, 71. e. Ludovici Pii, Fridugiſus, 18. e. 24. d. Ludovici I. regis Franciæ orientalis Ebarhardus, 28. b. Ludovici II. regis Franciæ orientalis VValterius, 31. c. Lothatii II. regis Germaniæ Erchembaldus, 27. c. Ottonis II. Folemarus, 50. a. Hildeboldus, 51. b. 52. c. Zuendeboldi regis, Egilbertus, 36. c.
Canonicus exiſtens in ſcholis, aut in ſervitio eccleſiæ, aut regis, debet frui ſua præbenda, 833. b.
Canonici Catalaunenſes, 886. b.
Canonici Turonenſes S. Mauritii, 939. b.
Canonicorum regularium inſtitutum novum, 542. c. eos quidam dicunt nec eſſe clericos, nec monachos, ſed converſos, 542. b. olim præpoſitos tantum non abbates habebant, 541.
Canonizatio ſanctorum papæ reſervata, 1516. d.
Cantuarienſis archiepiſcopus S. Thomas, 723. b.
Cantuarienſis cardinalis 1506. a.
Caphenſis civitatis direptio, 1521. e.
Capitula generalia monachorum *in* Saxonia, 344. b. e.
Capitulum generale S. Johannis Hieroſolymitani Rhodi celebratum, 1495. d.
Captivos legatos de Erveta liberos facit VVibaldus propter papam, 213. e.
Capua totius Campaniæ caput & gloria vaſtata & incendio concremata, 188. b.
Capuanus archiepiſcopus xenia mittit Friderico II. imperatori, 1176. e. 1177. c.
Capuani archiepiſcopi epiſtola ad Petrum de Vineis, 1173. b.
Capuanus archiepiſcopus Petrus, 406. b.
Caput-Aquenſis epiſcopus Anxia cardinalis, 1550. b. Ludovicus, ibid.
Cardinalitiæ dignitati prælat epiſcopalis, 905. e.
Cardinales papa non creat ſine conſenſu aliorum cardinalium, 1492. d. ad cardinalatus apicem qui admittendi, 1256. b. 1273. e. cardinalium epiſtolæ ad principes Italiæ, 1278. d. ad Venetos, 1279. d.
Caritas commendatur, 1084. a.
Caritatis intenſus affectus legi ſubjici vel obſervationis cujuſlibet regulis coarctari vix poteſt, 1282. c.
Caritatis abbatis A. epiſtola ad S. Hildegardem, 1027. b.
Caritas cella ordinis Cluniacenſis, 640. e. 641. d.
Carnotenſis electus VVillelmus ad Albas-manus, 744. a. e.
Carnotenſis epiſcopus Petrus, 667. e.
Carnotenſis decanus Guillelmus Durandi, 1279. c.
Carlomannus rex, 61. e. 665.
Carlomannus major-domus, 17. a. ejus diploma pro Stabulenſi monaſterio, 19. a. cui ampliſſimam donationem facit, 20. a.
Carola Cypri regina, 1530. b. eam Romæ fovet Sixtus IV. 1505. b.
Carolinus vices gerens Rogerii regis Siciliæ, 189. a.
Carolus archiepiſcopus Lugdunenſis, 1500. e. pro eo epiſcopatum Claromontenſem in commendam petit Ludovicus rex XI. 1500. e. ad quem promovetur, 1547. d.
Carolus magnus imperator, 50. d. 68. e. 71. a. 617. d. ejus genus, 1408. b. omnibus ſui temporis naturæ dotibus ac donis gratiæ impar fuit, 1408. c. ipſe & Octavianus inter priſcos omnes ſtrenuitate & diuturnitate regnandi videntur excellere, 1408. a. ejus geſta, 1352. d. 1353. a. 1407. b. plures papis dedit civitates, 1227. b. ei Tuſcanenſem & Spoletanum ducatum confirmat Adrianus I. 1228. a. diœceſim Halberſtadenſem certis circumſcribit limitibus, 580. c. pro conſervanda fide Saxones a tributo ſolvit, 580. d. Britones rebelles in ordinem redigit, 1313. a. quorum dux, homagium ei præſtitit, 1312. b. regnum quod jam validum ſuſceperat, duplo auxit, 1353. d. legata fecit XXII. metropolitanis eccleſiis, 1353. e.
Carolus-Calvus, 1354. c.
Caroli Craſſi imp. diploma pro Theodone, 32. e. pro Stabulenſi monaſterio, 31. d. deponitur, 580. c.

Carolus IV. imperator confirmat privilegia Stabulenſis monaſterii, 143. e. 155. c. regalia concedit VVarnerio de Ochies abbati Stabulenſi, 136. c.
Caroli Simplicis præceptum, 59. e.
Carolus V. rex Francorum, 1359. a. multas ſuſtinet angoſtias, 1382. c. Pariſios obſidet, ibid. inſtar Quinti Fabii cunctando reſtituit rem. 1359. b. Caroli-loci monaſterium frequentabat, 1492. a.
Carolus VI. Anglos hortatur ad ulciſcendam Richardi regis mortem, 1314. e. ipſis ſubſidium promittit, 1325. b. & exercitum ad VValliam tranſmittit, 1325. c. ejus litteræ ad VVenceſlaum Romanorum regem, 1321. d. ad Anglos, 1323. d. ipſi epiſtolam mittit Johannes de Monſterolio ſcriptam adverſus Sigiſmundum, 1443. c. Neutri de papatu contendentium adhæret, 1305. a.
Carolus Pulcher Francorum rex, 1358. e.
Carolus rex Navarræ Martinum Aragoniæ regem hortatur ut neutri contendentium de papatu obediat, 1366. c. mittatque oratores ad concilium Piſanum, 1367. b. Infantem Caſtellæ nepotem ſuum hortatur ut Benedictum inducat ad accediendum vel mittendum ad concilium Piſanum, 1368. b. ad quod oratores mittere proponit, 1365. e.
Carolus comes Andegavenſis S. Ludovici frater, 1356. d. regnum Neapolitanum & Siciliæ conquiſivit, 1356. d. ipſi Urbis regimen committitur, 1285. d. terras & bona omnia ſua offert Martino IV. ſummo pontifici, 1284. b. ad eum ſcribit Martinus papa IV. 1284. a. c. Vide de eo, 1278. b. 1295. c.
Carolus princeps Salernitanus nepos Caroli Siciliæ regis, 1279. a. ejus uxor Clementia, ibid.
Carolum ducem Burgundiæ reconciliare cum Friderico imperatore laborat Sixtus IV. 1505. a.
Carolus comes Valeſii patruus Caroli Pulchri, 1358. e. Vaſconiam totam Gallicanæ dominationi reducit, 1359. a.
Carolus Martellus major domus, 15. e. 19. a. ejus geſta, 1352. c.
Carolus de Manfredis Faventiæ in temporalibus vicarius papæ, 1547.
Caroli-locus monaſterium, 824. e. 1386. b. ejus deſcriptio, 1388. & ſeq. illius fundator rex Franciæ, 1556. b. illius abbas S. Guillelmus Bituricenſis archiepiſcopus, 1392. c. ejus loci monachi illuſtres, 1392. c. eorum religio, 1391. d. e. 1391. atque in his venerabilis ſenis octogenarii, 1389. e. 1390. obſervantia regularis in choro & in capitulo, 1394. a. b. in refectorio, 1395. e. 1396. a. abſtinentia, 1391. a. occupatio, 1394. c. ejuſdem loci monachus quidam omni fere ſcientiarum genere peritus, 1392. d. e. Guillelmus auctor libri de tribus peregrinationibus & commentariorum in ſcripturam ſanctam, 1392. c. ibi multa miracula facta in capella beatæ Mariæ, 1389. c. in eccleſia nobiles ſepulturæ, 1392. b. illius ornatus, 1393. e. ſimplex, ibid. d. multæ ſanctorum reliquiæ, 1393. d. 1394. a. ibi in bibliotheca libri ſunt emendatiſſimi, 1393. b. c. infirmorum aula, 1395. d. grangiæ, 1391. d. molendina varia, ibid. operæ, 1391. a. converſi vix numerabiles, ibid. Caroli-loci monaſterium a Carolo V. frequentatum, 1392. a.
Carus-campus monaſterium religionis fragrantia venerandum, 837. d. 838. b.
Carus-locus monaſterium 825. e.
Caſæ-congiduenſe monaſterium, 1. illius fundatio, 6. a.
Caſæ Dei monaſterium, 1301. b.
Caſertano comiti mandat Fridericus II. imperator, ut fluctuanti Siciliæ invigilet, 1191. e.
Caſſatenſis eccleſia, 682. c.
Caſinenſe monaſterium eſt Camera ſpecialis Romani imperii, 163. 183. a. 181. c. e. 1881 e. 189. c. caput omnium monaſteriorum, 184. b. 186. a. 189. d. multa patitur a Longobardis, Normannis & Saracenis, 183. a. 187. ab Aquinenſibus, 184. c. tres ſummos Pontifices eccleſiæ dedit, 163. ad Innocentii II. obedientiam relicto Petro Leonis rediit, 161. Caſſinenſes monachos excommunicat Calixtus papa, 1130. b. eos Lothario imperatori commendat VVibaldus abbas, 183. a. 186. d.
Caſinenſes abbates Raynaldus Colmentanus, 167. 151. c. e. Raynaldus Tuſcus, 161. 162. 167. 190. e. Seniorectus, 161. 167. 188. d. Theobaldus, 163. VVibaldus qui monachis facultatem eligendi abbatis ſui loco concedit, 190. b. & ſeq. eoſque a ſua obedientia abſolvit, 191. c. & ſeq. 192. b. & ſeq. Caſinenſis abbatis electionem impedire nititur, Carolinus, 189. b.
Caſtellæ reges Ferdinandus, 1162 a. 1163. b. 1543. c. Henricus, 1469. e.
Caſtellæ rex ad hoſtes crucifixi conterendos aſpirat, 1286. e. Martino papæ IV. ſcribit, litteris nondum receptis de promotione ejus, 1286. b. eum hortatur Martinus IV. ad pacem cum P. rege Francorum componendam, 1287. a. regis Navarræ reſcriptum ad eum ſuper facto eccleſiæ, 1364. a. in regem Caſtellæ & Legionis inſurgunt filii ejus, 1292. a. 1293. a. de hac rebellione ſcribit ad univerſos archiepiſcopos &c. Martinus papa IV. 1292. e. & ad regem, 1291. a.
Caſtellioneus Guido, 673. a. Guermundus de Caſtellione, 968. a.
Caſtelli civitatis deditio, 1468. c.
Caſticium quid, 48. c.
Caſtri-Radulfi decanus, A. 798. e.
Catalaunenſis eccleſiæ negotium, 671. c. in ſe ſuſcipit Henricus Remenſis cum ſuis ſuffraganeis, 670. c.
Catalaunenſi eccleſiæ perſolutus ceræ cenſus annuus, 957. e.
Catalaunenſis epiſcopus, 727. b. 743. b. 756. a. 763. b. 985. b.
Catalaunenſis epiſcopi negligentia, 761. a. excommunicatos abſolvere ſine pecunia recuſat, 834. a. non defert appellationibus factis ab eo ad archiepiſcopum Remenſem, 961. a.
Catalaunenſes epiſcopi Boſo, 770. c. e. 782. e. 957. e. electus G 685. d. Gaufridus, 957. e. Guido, 849. a. 869. e. Guido de Joinvilla, 904. b. e. 928. c. 937. c. 938. c. Guido de Monteacuto, 957. e. 992. b.
Catalaunenſis decanus, B. 770. c.
Catalaunenſes canonici pecunias exigere prohibentur ab his qui alios docent, 750. b.
Catalaunenſes canonici S. Nicolai, 961. c.
S. Catharina Senenſis cum ſtigmatibus non eſt pingenda, 526. b.
Caro privatus nomine publicus opere ſemper ſe virtuti exercebat, 1463. c. Græcas litteras in ſenectute didicit, 335. c.
Cauſæ majores canonizatio ſanctorum, 1516. d. Amotio epiſcoporum, 1517. e.
Cazimirus frater ducis Bohemorum, 595. b.
S. Ceciliæ monaſterium canonicarum ſæcularium, 1512. c. & ſeqq.
Cellæ monaſterium prope Dionantum, 3.
Cella Trecenſis monaſterium ordinis S. Benedicti, 756. c. e. illius abbas Petrus, 667. e.
Cella S. Petri de *Nante*, 1304. d.
Cella Noveii, 735. d
Cella S. Petri de Turribus, 695. e. 696. b.
Cella de Turribus ſuper Matronam, 979.
Cella S. Theobaldi de Vitreio, 689. e.
Cellenſis abbas Petrus, 667. e.
Celſitudinis titulus papæ attributus, 589. b.
Cenomanenſis epiſcopus Guillelmus *Paſſavant*, 643. a. e. 738. e. 739. c.
Cenſuales eccleſiæ Romanæ eccleſiæ, 783. b.
Cencius cardinalis, 742. a.
Cencius Portuenſis epiſcopus, 591. c.
Cencius Frajapanus a Romanis ex Urbe ejectus, 599. b.
Ceræ cenſus annuus eccleſiæ Catalaunenſi ſolutus, 957. e.
Chareivus dux, 14. d.
Cheminon monaſterium, 888. e.
Childericus rex, 43. 68. c. 70. e.
Childericus rex Theoderici regis germanus, 11. d. confirmat S. Remaclo villam Germiniacum a Sigeberto rege conceſſam, 9. b. item foreſtæ donationem factam a Sigeberto rege, 10. c. commutationem facit cum S. Remaclo, 15. a.
Childerici III. regis præceptum pro Stabulenſi monaſterio, 17. a. 23. b.
Childradus Notarius, 19. e.
Chirini monaſterium, 1303. b.
Ordo in choro a canonicis Attrebatenſis eccleſiæ tenendus, 729. b. c.
Chriſtiani a paganis fuſi, 648. b.
Chriſtianus epiſcopus, 19. c.
Chriſtiernus rex Daciæ, 1532. e.
Chriſtum ſecundum quod homo eſſe aliquid, 844. a.
Chrodegangus epiſcopus Metenſis, 1004. e.
Chronicon cujuſlibet monaſterii ſcribendum, 621. d.
Cicenſis epiſcopus invaſor eccleſiæ Magdeburgenſis, 550. d.
Cicenſes epiſcopi Guicmannus, 552. b. e. ſeu VVicmannus, 616. a. Udo, 112. d. Uto I. Uto II. 552. e.
Cicero liricos & dialecticos legebat, 333. d. de levitate notatur, 1427. a.
Cichus de Nardinis armis impetitus ab Angelo de Urſinis domicello Romano, 1518. e.
Cimiterium conceſſum infirmis de Dampetra, 756. a. infirmis de Mellento, 988. d.
Cinthius diaconus cardinalis SS. Sergii & Bachi, 122. c.
Ciſtellenſium monachorum ad S. Hildegardem epiſtola, 1130. c.
Ciſtercienſes fratres inter ceteros religioſos cauſam eccleſiæ prudentius defenderunt, 506. a. eos commendat Alexander III. Henrico archiepiſcopo Remenſi, 706. b non litigant pro ſuperiore loco. 930. d. dignitates ſponte & facile reſignant, 707. c. non ſolvunt decimas de terris quas colunt propriis manibus, 1009. b. iis permiſſum duodecies in anno radere barbam, 1160. a. converſos fratres eadem uti licentia jubet Iunius pontifex, ibid. b.
Ciſtercii abbas Alexander, 666. e. 707. e.
Clarembaldus de Capis, 865. b.
Clarevallenſe monaſterium quam famoſum, 706. d.
Clarevallis abbas, 666. b. Clarevallis abbates Bernardus, 244. c. e. 557. d. Faſtredus, 706. e. Gaufridus S. Bernardi olim notarius, 706. e. 719. e. eum deponi mandat Alexander papa, 707. d. 1011. b. ſed abbatiam ſponte dimittit ibid. an depoſitus fuerit, 707. e. Fit abbas Foſſæ novæ, deinde Altæcumbæ, ibid. mittitur ad Fridericum imperatorem vice Alexandri abbatis Ciſtercienſis, 707. e. Gerardus antea Foſſæ-novæ, 706. e. Henricus an-

tèa Altæ-cumbæ, 706. Pontius, 719. c.
Clarevallense negotium, 713. e.
Clarævallis ecclesia S. Petri, 1304. c.
Clari-fontis abbatis A. epistola ad S. Hildegardem, 1027. b.
Claromontenses episcopi; Antonius, 1500. a. translatus ad sedem Caturcensem, 1547. d. Carolus, 1547. d. Pontius, 719. e. 989. c.
Clarus-mariscus monasterium, 1009. e.
Clemens II. papa, 64. e.
Clemens papa III. 1230. e. ei hominium præstat VVillelmus rex Siciliæ, 1233. d.
Clementis papæ IV. epistola ad Philippum Galliæ regis primogenitum, 1269. a.
Clementia filia Rodulfi Romanorum regis uxor Caroli principis Salernitani, 1273. a.
Clementia Flandriæ comitissa Borburgensis parthenonis fundatrix, 802. e.
Clerici in sacro ordine constituti non debent esse sine aliquo beneficio, 981. e. eis non dandæ præbendæ monachorum, 630. c. infra subdiaconatum constituti adhæreant uxoribus & beneficia dimittant, 794. e. supra subdiaconatum continentiam servent 795. a. Clericum negotiatorem, vel ex inope divitem, vel ex ignobili glorioſum ut pestem fuge, 555. c. Clerici a laicis non judicandi, 868. d. e. 1237. e. Clericos percutientes sunt excommunicati, 756. c. 984. a. item injuriam facientes, 685. c. Clericum percutere quando liceat, 756. d. a Clero subsidium pecuniarum exigit Fridericus II. imperator, 1145. e.
Clodoveus I. regum Franciæ Christianus, 1351. e. ejus præclara facinora, ibid. 1352. a.
Clodoveus rex, 50. c. 61. e. 68. c. 71. a. ejus præceptum datum Pabolino abbati Stabulensi, 14. d.
Clotarius magnus pater Dagoberti, 1352. a. eorum gesta in Saxonia, ibid.
Cluniacensis monasterii elogium, 661. b. c. 662. c. 999. b. schismatico abbate inficitur, 661. e. 662. a. Cluniaci custodita ecclesiæ Romanæ privilegia, 1214. Cluniacenses vexat comes Nivernensis, 753. b.
Cluniaci abbates, Hugo schismaticus, 661. e. 662. b. 666. a. 669. d. e. Stephanus, 696. b. c. 753. b. litigat cum canonicis Turonensibus, 669. d. e.
Colloquium Ludovici VII. regis & Frederici imperatoris, 935. e. inter Tullum & Vallem-colorum, 880. c. apud Cranaha, 424. e.
Colonia Agrippina civitas ingentis honorificentiæ, 1417. d.
Coloniensis ecclesia omnes fere Germaniæ & Galliæ ecclesias præcellit, 491. d. Prælatorum negligentia est attrita, 491. d.
Coloniensis archiepiscopus caput omnium principum, 298. d.
Coloniensis archiepiscopus ex officio est cancellarius imperatoris in regno Italico, 493. a.
Colonienses archiepiscopi, S. Agilolfus, 4. S. Anno 4. 82. e. 83. b. 88. c. Arnoldus 4. 105. d. 109. d. 113. a. 114. e. 181. 298. c. 366. a. 368. a. c. 385. a. 395. d. 489. b. papæ gratiam pecunia sibi conciliare quærit, 368. a. depositionem meretur, 372. a. Arnoldus II. electus, 458. a. 487. d. 489. d. 499. a. 501. a. 503. d. de ejus electione Coloniensis ecclesiæ epistola ad Eugenium papam III. 488. b. plura de eo, 501. d. 517. a. 526. b. e. 528. b. 532. a. e. 535. d. 571. b. Bruno, ejus diploma pro monasterio Stabulensi, 46. b. Gunibertus, 6. c. 7. b. 56. a. 489. b. Fredericus, 3. a. 87. d. 114. d. Henricus, 132. b. Heribertus, 113. d. ejus privilegium pro Stabulensi monasterio, 55. e. Herimannus, 61. a. Hugo, 366. b. c. Piligrinus, 57. c. 59. b. Severinus, 489. b.
Coloniensis archiepiscopi depositionem petit imperator, 1517. c.
Colonienses episcopi jurisdictionem in Malmundariense monasterium non exercent, 4.
Coloniensis abbatissæ N. epistola ad S. Hildegardem, 1077. a.
Colucius Salutatus, 1427. c. probat, nullam esse artem rhetorices, 1435. d.
S. Columbæ monasterium, 1502. e.
Commendæ monasteriorum absque onere conscientiæ papæ & regis fieri nequeunt, 1495. b. quam noxiæ sint illæ, 1495. b. Dari solent solis cardinalibus aut patriarchis, ibidem.
Compendiensis ecclesia, 642. b. e. ad plantandam in ea religionem sollicita fuit Romana ecclesia, 642. c.
Compendienses canonici, 972. c. 977. c. monachis infesti, 971. c. suæ ecclesiæ authentica retinent, 977. e.
Compendiense monasterium nullum præter Romanum habet episcopum. 825. c. ejus jura conservanda, 971. e.
Compendienses abbates, 825. b. Ansaldus, 642. e. Odo, 642. c.
Compendienses monachos protegit Henricus archiepiscopus Remensis, 971. b. instituunt capellanum S. Clementis, 977. c. componunt cum Tenoliensi monasterio, 973. a.
Compostellana ecclesia, 1257. e. de ipsa providere intendit Martinus papa IV. 1287. e.
Concilium Attrebatense, 627. c. Erfordiense, 294. c. Ingelheimense, 4. Lugdunense, 1177. b. Pisanum, cujus causa præcipua & totalis rex Franciæ, 1371. d. Remense sub Eugenio III. 145. b. 150. c. 263. a. 292. d. 298. b. 312. d. 372. a. 414. d. 901. c. e. Turonense sub Alexandro III. 623. 842. b. e.
Concordia res parvæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur, 271. c.
Concordia inter Eugenium III. & Fridericum imperatorem, 557. c.
Confluentiæ præpositi S. epistola ad S. Hildegardem, 1047. b.
Conradus electus Moguntinus, 718. d.
Conradus Magdeburgensis archiepiscopus, 164.
Conradus episcopus Lubicensis, 137. b.
Conradus episcopus Pataviensis, 551. c.
Conradus episcopus Sabinensis, 120. e. 121. b. 122. a.
Conradus abbas Fuldensis, 164.
Conradus abbas Helmvvardeshusanus, 601. c.
Conradus abbas Mariani-monasterii cedit dignitati ut in eremum secedat, 549. c. 550. a.
Conradi abbatis Patherbornensis epistola ad VVibaldum, 376. a.
Conradus imperator, 58. b. 59. b. d. 65. a.
Conradus II. imperator, 64. c. 101. d. 107. e. 108. c. 109. c. 125. a. 440. c. d. 460. d. 550. d. 581. a. 613. c. 614. b. 615. c. ejus amor erga Romanam ecclesiam, 367. b. devotio, 231. c. 233. d. 268. d. est præcipuus ecclesiæ Romanæ defensor, 371. e. 384. d. vitam pro ecclesia exponit, 231. b. ei reverentiam erga apostolicam sedem inspirat VVibaldus, 413. c. qui celtatur eum nihil moliri adversus papam, 403. d. Ratisponam accedit, 355. e. 360. d. descendit in Lotharingiam ad comprimendum motus bellicos, 492. b. Eugenium invitat Argentinam, 205. d. cruce signatur, 205. b. filium suum Henricum in regem Romanorum coronari curat, 205. b. illum VVibaldi fidei committit, 174. 213. a. VVibaldi consilio utitur, 434. e. in sacra expeditione auxilium imperatoris Constantinopolitam experitur, 375. c. a quo honorifice excepeus, 213. a. 408. c. d. VVibaldo narrat quæ sibi contigerunt in sacra expeditione, 152. b. & seq. deficientibus ad victum necessariis multa a Turcis patitur ejus exercitus, 252. c. a rege Francorum visitatus magnum accipit solatium, 152. d. infirmus visitatur ab imperatore & ducitur Constantinopolim, 253. a. quæ sibi Damascum obsidenti contigerint VVibaldo significat, 299. c. illum de infausto exitu sacræ expeditionis consolatur Eugenius III. 357. c. & seq. ejus reditus, 246. c. redux ex sacra expeditione febri laborat, 375. c. 404. c. 406. b. Sanatur ope Petri Capuani episcopi, 406. b. ex ejus absentia turbatum imperium, 375. d.
Conradi concordia cum imperatore Constantinopolitano adversus papam; 400. c. 409. d. ei se suaque omnia offerunt Senatores Urbis adversus papam & Siculum, 397. b. 399. a. d. ejus expeditio in Italiam, 498. c. in Siculum, 497. b. 498. b. ipsi ut adsint principes in expeditione Italica hortatur Eugenius III. 510. c.
Conradi proditor Guelphus, 423. b. in quem Conradus parat expeditionem, 379. d. Conradum imperatorem inter & Henricum regem Francorum colloquium, 57. c.
Conradi imperatoris protectionem implorat Sueno rex Daniæ, 495. e. item Kanutus regno expullus, 495. c.
Conradus imperator petit confirmari Arnoldi cancellarii in archiepiscopum Coloniensem electionem, 491. c. Ratisponensem episcopum Jerosolymam tendentem papæ commendat, 401. b. item imperatori CP. 401. c. VVibaldi absentis & renitentis electionem in abbatem Corbeiensem Eugenio papæ significat, 198. c. mandat VVibaldo abbati ut ad se accedat Francofurtum; regalia de manu sua recepturus, 194. a. VVibaldi ad eum responsio, 194. c. illustri eogit accipere Corbeiensis monasterii regimen, 201. b. hortaturque Stabulenses, ut VVibaldi abbatis ad Corbeiensem ecclesiam postulati absentiam æquanimiter ferant, 195. b. Corbeiensi monasterio asserit Kemnadam & VVilbrigam, 602. a & seq. ejus protectionem implorat VVibaldus adversus abbatissam de Kaminata, 388. a. & seq. Corbeiæ argenti metallorumque aliorum fodinas concedit, 606. d. Herevordensis Parthenonis reformationem committit VVibaldo abbati, 208. b. Stabulensem ecclesiam a vexationibus episcopi Leodiensis tuetur, 459. a. apud eum conqueruntur Stabulenses de Golvvino de *Hengebach* & Everardo ejus fratre, 422. b. & seq.
Conradus II. imperator aiebat litteratos viros jocundam vitam habere, 357. e. ejus ad filium præcepta, 231. a. 232. c. 268. d. moriens imperii sui successorem designat Fridericum, 559. c. ipsius obitus, 511. c. 514. c. epistolæ ad Emmanuelem imperatorem Constantinopolitanum, 375. b. ad imperatricem, 376. c. ad Eugenium III. 365. c. 369. d. 410. e. de expeditione Italica, 499. d. pro Petro archiepiscopo Capuano, 406. c. in gratiam Coloniensis archiepiscopi, 384. c. de electione episcopi Trajectensis, 483. e. de electione VVibaldi abbatis, 198. c. pro Morbacensi monasterio, 404. b. ad Henricum archiepiscopum Moguntinum, 450. e. ad H. episcopum Leodiensem, 458. d. ad H. Mindensem episcopum, 360. a. 363. e. ad Henricum ducem Saxoniæ, 433. e. in gratiam VVibaldi abbatis, 203. e. ad Pisanos, 500. c. ad Quindelinburgenses monales, 386. ad Roma-

wos, 498. d. ad VVibaldum, 315. c. 361. b. 417. c. 438. a. 443. b. 496. a. epistolæ ad ipsum scriptæ Eugenii III. 367. b. 371. d. 418. c. 503. c. Wibaldi, 423. c. 440. c. 461. b.

Conradi II. diploma pro Corbeiensi monasterio, 601. b. 606. d. 607. a. Herivvordensis monasterii privilegia confirmat, 604. b. & seqq. ejus diploma pro monasterio Reinhusano, 600. d. pro monasterio Stabulensi, 103. a. 110. c. confirmat privilegia Valciodorensis monasterii, 476. d.

Conradus filius Friderici cingulo militari accingitur, 1109. d. cui præclara data monita, 1166. a. & seq. dicitur electus in regem Romanorum & Jerusalem, 1150. c. ejus in imperio & regnis Siciliæ & Jerusalem hæres, 1181. d. 1194. a. eum vadem papæ offert Fridericus II. imperator, 1134. c. Gajetam ipsi dat, 1243. a. ejus epistola ad ballivos, 1289. c.

Conradus rex Siciliæ ad comprimendos rebelles in Italia se accingit, 1314. c. & seq. eosque revera comprimit in Sicilia, 1215. b. redarguit impunitum homicidium, 1215. c. restituit universale studium Salernitanum, 1208. c. & seq. H. ducissam Navarræ de morte ducis sui soceri consolatur, 1210. c. & seq. ejus epistolæ, 1207. & seq. ejus in Sicilia & Italia vices gerit Manfredus, 1182. a.

Conradus fundator monasterii Reinhusani, 601. a.

Conradus dux, 423. b.

Conradus dux de *Cabering*, 423. b.

Conradus dux de *Geringa*, 603. b.

Conradus Sueviæ dux in Germaniam irrumpit, 160. in gratiam a Lothario recipitur, 161. de imperio contendit, 168. eligitur imperator, 168. cruce signatur, 173.

Conradus marchio de Misnia, 616. b.

Conradus marchio de *VVitin*, 603. b.

Constantia imperatrix, 1159. d. Fridericum filium suum sub tutela sedis apostolicæ reliquit, 1195. a.

Constantia comitissa Tolosana virum ob ejus infidelitatem relinquit, 1003. c.

Constantiensis episcopi legatio Romana, 419. c. 501. b.

Constantiensis episcopus Heremannus, 373. c. 619. a.

Constantinum imperialia Silvestro papæ concessisse fabulosum, 556. c.

Constantinus Christianus antequam ad Urbem accederet, 556. d.

Conventio inter Fridericum regem & Bertolfum ducem, 523. d.

Coraldus & Manfredus a Carolo Andegavensi interemti, 1356. a.

Corbeiensis abbas, 914. e.

Corbeiense monasterium, 1303. c. tamquam rem propriam & specialem Henrico Remensi archiepiscopo commendat Alexander III papa, 869. b. qui Corbeiensis burgi jurisdictionem repetit, 925. a.

Corbeia monasterium in Saxonia, 169. 170. cujus fundator Ludovicus Pius, 599. b. ipsius dignitas, 307. c. ei unita Kaminata & Visbika, 233. c. 389. c. 602. a. & seq. Corbeienses monachi vi expulsi de Kaminata, 388. d. ex eabis ejecti, 434. b. eis confirmata Keminada. 614. b. item tres abbatiolæ, 614. d. datur etiam parthenon *Ulsim*, 554. c. monasterium VVerbense unitum, 619. d. 620. b. decimæ concessæ a Ludovico augusto, 581. d. a Lothario imperatore Rugiana regio, 174. 302. b. datæ argenti & aliorum metallorum fodinæ, 606. d.

Corbeiense monasterium sub sua protectione suscipit, H. dux Bavariæ & Saxoniæ, 449. e.

Corbeiensis monasterii privilegia, 361. a. confirmata ab Adriano papa, 616. d. & seqq.

Corbeienses monachi ab episcopo Misdensi gravati, 536. d. e. a duce Henrico, 177. a Ludolfo & Friderico Palatino, 561. b. eorum prædia occupat comes *Tekenburch*, 578. b decimas detinent episcopi Osnabrugenses, 577. d. eorum bona invasa, 505. c. 506. b. c. 507. b. c. restitui curat Eugenius, 211. d.

Corbeiensis monasterii tumulus, 274. d.

Corbeiensibus aliquando monasterii præpositus necessaria negat, 480. c. 481. d. 482. c. 483. a.

Corbeia negligentia abbatum collapsa, 198. d. 200. d. Corbeienses abbates Adalbero, 317. d. 318. c. Erkembertus, 546. c. 610. a. Henricus, 169. 180. intrusus, 317. d. & depositus, 198. d. 200. c. 202. b. c. 225. a. 289. d. 290. c. 293. a. d. 509. d. e. 511. e. cujus depositionem confirmat Eugenius III. papa 241. b. Henricus II. 170. 198. d. 200. d. 201. c. Marquardus, 621. d. Theodericus, 620. b. Corbeiæ abbas electus VVibaldus, 194. d. 195. b. 196. c. & seq. 611. d. Corbeienses VVibaldi ad se reditum urgent, 251. d. Quapropter eos increpat VVibaldus, 257. c. & seq. multa patiuntur ex ejus ablentia, 248. c. 249. d. 253. d. 254. b. & seq. 255. c. ibi quanta ipse passus fuerit, 432. c. monasterii ministeriales compescit, 607. b. & seqq.

Corbeiensium decretum de expendendo ecclesiæ thesauro in bellum sacrum, 175.

Corbeiensium monachorum epistola ad Eugenium papam III. de electione VVibaldi abbatis, 200. c. ad Bernardum episcopum Hildesheimensem, 317. a. ad Stabulenses, 95. d. Conradus imperator in gratiam Corbeiensis monasterii scribit Henrico duci Saxoniæ, 433. c.

Corbeienses inter & Stabulenses societas, 225. c. 247. c.

Corbeiæ advocatus Hermannus, 425. c.

Coronas festis diebus ferebant moniales S. Hildegardis, 1080. a.

Coterelli, 867. c. e. delendi, 880. d.

Cremonæ comitis fidelitatem laudat Conradus rex Siciliæ, 1314. a. & seq.

Cremonenses de fidelitate laudat Conradus rex Siciliæ feliceisque eis suos successus significat, 1210. a. & seq.

S. Crispini abbas, 973. a.

S. Crispini Suessionensis abbas Odo, 280. c.

Crocensis S. Martini ecclesia diœcesis Sistar. 1301. b.

Crosliensis ecclesia juxta burgum *Malturdel* in diœcesi Ebredun, 302. a.

Crovehdalensis abbatissæ H. epistola ad S. Hildegardem, 1071. d. 1081. c.

Cruce signati sub protectione sedis apostolicæ, 749. d. ab usuris debitorum sunt absoluti, 749. e. 751. b. eis apud Lugdunum Fridericus II. liberum per regnum suum transitum permittit, 1192. e. &c.

Cruce signatur adversus paganos VVibaldus, 220. b.

Cunibertus Colonensis episcopus, 2. 7. b. 10. d. 56. a. 485. b.

Cuno abbas Stabulensis, 84. e. 114. d. 127. b. 156. 157. malas consuetudines tollit. 86. c.

Cuono comes, 79. e.

Cuonradus archiepiscopus Magdeburgensis, 101. c.

Cuonradus abbas Fuldensis, 102. a.

Cuonradus marchio de *VVitin*, 101. a.

Curiensis episcopus Adelgodus, 553. b.

Cussiacensis abbas, 962. a.

Curia fallax Syrenis comparatur, 1465. a. mendax discordias semper enutrit & auget, 1463. d. ejus mortifera servitus, 1460. a. 1461. 1462. qui curiæ servit semper hospes est & alienæ domus habitator, 1462. a. Curia neminem relinquit incorruptum aut patitur diu extolli incorruptibilem, 1460. e. Curiales fortunæ servi præter naturam vivunt, 1465. c. Curialis vitæ copiosa egestas, celsitudo caduca, moribundæ vitæ, 1464. d. Curialis altitudinis ventosa gloria, 1461. b. Curiales hominum sunt inflitores, 1464. invidi, 1463. c. Curiales efficiorum non jura sed nomina sequuntur, 1463. c. V. Aula.

Custani domus pauperum, 1304. b.

S. Cyprianus errorem suum de rebaptizandis hæreticis sanguine suo expiavit, 336 c.

Cypri rex fratribus templi infestus, 1300. c.

Cypri regina Carlotta, 1509. b. 1530. b.

D.

Dæmoniorum varia genera, 1100. c. & seqq.

Dagobertus rex Francorum, 68. c. 71. a. fundator monasterii S. Dionysii, 1352. b. Sclavos debellat, 1352. b. ei fidelitatis homagium præstitit dux Britanniæ, 1352. 8.

Dagoberti regis Austrasiorum in thronum restitutio, 13. c. ejus diploma pro monasterio Stabulensi, 13. b.

Damascum obsidet Conradus imperator, 299. c.

S. Damiani ordo, 1262. c.

Damiatæ in auxilium ducem Bavariæ & alios mittit Fridericus II. 1196. c.

Damiatæ amissio, 1197. b.

Daniæ reges Kanutus, 496. c. Sueno, 495. c.

Dani a Carolo magno domiti, 1407. d.

Daniel episcopus Pragensis, 616. a.

Decanus ad residentiam compellendus, 808. c.

Decimas non solvunt Cistercienses de terris quas propriis colunt manibus, 1609. b.

Declamatio apud Germanos rara, 338. d.

Dedicatio ecclesiæ Stabulensis, 61. a. & seq.

Denanium monasterium virginum ordinis S. Benedicti, 734. c.

Denaniensis abbatissæ electio, 731. b.

Diodericus Metensis episcopus, 50. c.

Depositus abbas non potest cogi habitare ubi prius præfuit, 311. b.

Dernesheimense monasterium, 1301. d.

Dervense monasterium, 709. d. 711. e.

Dervensis abbas, 820. 970. e. litigat cum abbate S. Urbani, 880. c. excommunicatur, 961. c.

S. Defidodi abbatissa Jutta, 1012.

Desiderius Longobardorum rex a Carolo magno devictus, 1352. e. & captus, 1407. c.

Desideria longa nostra increpat vita brevis, 1386. d. 1387.

Deus est quidquid in Deo est, 1099. c.

Dei amor scientiis omnibus præcellit, 337. c.

Diabolus princeps invidiæ, 348. c.

Diaconus ad ecclesiam parochialem præsentatus non est recusandus nisi aliud obstet, 992. c.

Didenkirkim abbatissæ N. epistolæ ad S. Hildegardem, 1078. a.

Didilo rivus 11. b.

Digamiam impugnavere S. Augustinus & S. Hieronymus, 336. e.

Dignitas magna, servitus magna est, 1369. c.

S. Dionysii monasterium est juris ecclesiæ Romanæ, 769. c. illud Henrico archiepiscopo Remensi commendat Alexander III. 769. e. illius Basilicam visitat Henricus Angliæ rex, 1358. c.

S. Dionysii abbates Guillelmus, 950. e. Odo. 639. b. e. 640. a. d.

Disciplina

Diſciplina ceſſante peribit religio chriſtiana, 573. d.
Diſcordia in monaſteriis vitanda, 817. b.
Diſertinenſis abbas Adelgaudus, 553. e.
Dives aut iniquus aut iniqui filius, 1336. a.
Divitias veras accumulat qui bonum ſibi nomen & famam conſervat, 874. d.
Divinitatem Deum eſſe & dici debere ſibi revelatum fuiſſe ſcribit S. Hildegardis ad doctorem Pariſienſem, 1098. d. 1099. a.
Divioni VVibaldus abbas occurrit Eugenio III. in Gallias venienti, 310. c.
Dodo abbas Ferrarienſis, 665. b. e.
Dolenſe monaſterium, 623. 668. e. 1301. b. cujus altare conſecrat Alexander III. 623.
Domus pro eccleſia cathedrali, 1050. b. e.
Drocarum comes frater ducis Britanniæ, 1357. b.
Drogo ſchiſmaticus Lugdunenſis eccleſiæ violentus & improbus occupator, 726. c. excommunicari debet, ibid. d.
Drogo Noviomenſis cancellarius, 789. pro eo ſcribit Henricus archiepiſcopus Remenſis ad Alexandrum papam III. 789. e. ad cardinales, 788. e. hunc ad clauſtrum ſuum remitti jubet Alexander, 791. d. exceſſus ejus puniendi, 872. e.
Drogo canonicus S. Timothei, 785. a.
Duacenſis eccleſia S. Petri, 964. e.
Dudaſſelenſis eccleſiæ prava conſuetudo extirpanda, 895 a. & ſeq.
Duellum in juramentum commutatum, 330. e.

E.

EBenuldus notarius Lotharii II. imperatoris, 93. c.
Eberardus archiepiſcopus Saliſburgenſis, 551. c.
Eberardus epiſcopus Bambergenſis, 516. e. 518. a. 551. c.
Eberardus *de Bodemen*, 557. a.
Eberbacenſium monachorum ad S. Hildegardem epiſtola, 1117. e.
Ebracenſis abbas Adam, 242. a. e. 516. d.
Ebracenſis monachi N. epiſtola ad S. Hildegardem, 1107. b.
Ebroinus monachus nequiſſimus, 206. b.
Eccleſiæ unionem rex Franciæ primus omnium catholicorum procuravit, 1371. d.
Eccleſiarum poſſeſſiones patrimonia ſunt pauperum, precia peccatorum, 140. b.
Eccleſiæ dos & redditus in regno Franciæ potiſſimum ſunt, 1346. c.
Eccleſiæ bona ſtrenue contervanda, 632. d. eorum pervaſores compeſcendi, 230. c. Eccleſiæ jura illibata debent cuſtodiri, 581. c.
Eccleſia Romana magiſtra omnium eccleſiarum, 911 b. ad eam quæſtiones de diverſis mundi partibus referuntur, 911. b.
Eccleſia Romana afflicta & debitis gravata, 657. c. ad ea ſolvenda Henricum epiſcopum Belvacenſem hortatur Alexander ut liberalitatis manum apponat, 658. a.
Eccleſiæ orientalis afflictio, 700. c. ejus neceſſitates commendat Alexander III. 748. a. & ſeq.
Eccleſiæ datæ ſub annuo cenſu, 714. b.
Eccleſiæ ad firmam datæ contra canones, 855. e.
Eccleſiæ provinciæ Remenſis plures cenſuales ſunt Romanæ eccleſiæ, 785. b.
Eccleſiæ theſaurum in bellum ſacrum deſtinat VVibaldus abbas Corbeienſis, 175.
Eccleſiaſticorum beneficiorum in uno ſuppoſito incompatibilium multiplicatio damnatur, 1370. a. beneficiorum coacervationem reſpuit & damnat Johannes de Monteriolo, 1321. 1328.
Eccleſiaſtica negotia per maturas perſonas procuranda, 845. d.
Eccleſiaſtici ſtatus & miniſtrorum ejus conſervatores pugiles & athletæ fuerunt ab ævo reges Francorum, 1372. e.
Eduardus VI. Angliæ rex, primus nomen regis Franciæ ſibi uſurpavit, 1360. b. cui renuntiavit tractatu edito cum Johanne rege, 1360. c. Ambianis juramentum fidelitatis Philippo de Valeſio præſtitit, 1360. b.
Egeno comes, 524. a.
S. Egidii in Monte-publico monaſterium ab abbate S. Laurentii fundatum, 540. d. illius abbas debet inveſtiri & epiſcopo benedicendus præſentari ab abbate S. Laurentii, 541. a. abbatem S. Laurentii ſuo jure privare bulla ſubrepticia tentant canonici S. Egidii, 541. ipſis ſub certis conditionibus eccleſiam *de Haran* donat VVibaldus abbas Stabulenſis, 541. c. qui in ſynodo Leodienſi S. Laurentii jura propugnat, 544. a.
Egilbertus epiſcopus Bambergenſis, 516. e.
Egilpero notarius ſub Arnulfo rege, 54. e.
Eginardus Caroli-magni capellanus, 1354. a.
Ejectus e monaſterio monachus inordinatus, 350. b.
Eichſtadienſis epiſcopus Burchardus, 551. c.
Eilbertus comes fundator VValciodorenſis monaſterii, 454. e. 455. b. 457. a. Ottonis imp. conſanguineus, 457 a.
Eilika abbatiſſa, 600. e. 601. a.
Eilulfus abbas Erliacenſis deinde Morbacenſis, 403. a. 405. a. 610. a.
Elancium monaſterium, 987. e.
Eleburdæ abbatis N. epiſtola ad S. Hildegardem, 1029. e.
Electio abbatis ſit libera, 42. e. 49. a. 119. d. 615. b. 1234. d. & canonica, 1240. a. electioni archiepiſcopi Colonienſis præmiſſum jejunium triduanum & proceſſio, 489. b. electio abbatis eadem die facienda qua prædeceſſor defunctus eſt, 318. a.
Electiones epiſcoporum & abbatum fieri debent, non inferiorum miniſtrorum, 263. c.
Electiones in Sicilia ut faciendæ, 1239. a. iis rex debet præbere conſenſum, 1232. d.
Electio per compromiſſum, 735. e.
Eleemoſyna monaſterium ordinis Ciſtercienſis, 695. e.
Eleemoſynæ abbas miſſus ab Alexandro III. ad Henricum archiepiſcopum Remenſem, 678. a.
Elevangenſis abbatis A. epiſtola ad S. Hildegardem cum illius reſponſo, 1014. a.
Elias epiſcopus Aurelianenſis, 682. e.
S. Eligii Noviomenſis abbas Theodericus, 745. e.
Eloquens vere qui non deſtruit opere quod prædicat ore, 339. c.
Eloquentia res eſt non parvi temporis, 338. b.
Elvericus comes, 330. d. 331. c.
Elvericus comes *de Horhuſen* miniſterialis Corbeienſis monaſterii, 321. b.
Elveſtarenſis abbatis N. epiſtola ad S. Hildegardem, 1037. a.
Emanuelem imperatorem CP. hortatur VVibaldus ut fœdus ineat cum Conrado imperatore adverſus Siculum, 408. b.
Emanuel filius Alphonſi regis Caſtellæ inſurgit in patrem, 1293. a.
Embrico epiſc. VVirzeburgenſis, 105. d. 112. d.
Emichardus epiſcopus Mechelenbergenſis, 616. a.
Emiſch comes *de Linigen*, 566 b.
En. prior Vallis S. Petri, 758. d.
Engelheim conventus epiſcoporum, 88. c.
Engerannus de Codiciaco, 865. b.
Engobrandus *le Alve* vir nobilis, 1006. b.
Epiſcopalis dignitas cardinalitiæ præſtat, 905. c.
Epiſcopus non poteſt eſſe ſimul cancellarius & epiſcopus, 898. a.
Epiſcopi debent hæreſes reſecare, 841. d. e.
Epiſcopo nihil congruit magis quam diligere juſtitiam, 792. b. promior ad benedicendum quam ad maledicendum eſſe debet, 727. b. in eo commendatur manſuetudo, 1007. d.
Epiſcoporum conſtitutio in Leuticia, 559. c.
Epiſcopi e monaſteriis educti veſtem monachalem olim retinebant, 833. c. e.
Epiſcopis Romam ad generale concilium quatuor iter præcludit Fridericus II. imperator, 1146. e. & ſeqq.
Epiſtolæ ſunt abſentium amicorum adjumenta, 1170. a.
Erchembaldus cancellarius Lotharii II. regis Germaniæ, 27. c.
Erchembertus frater VVibaldi abbatis & cancellarius Conradi imperatoris, 116. e. 117. d.
Erebertus frater VVibaldi, 155. 169.
Eresburg abbatiola conceſſa Corbeiæ novæ, 602. d.
Ermembertus abbas Corbeienſis, 546. e. Jeroſolymam profectus, 611. a.
Erlebaldus frater & capellanus VVibaldi abbatis, 116. e. 153. 158. 331. d. abbas Stabulenſis, 182. 217. a. ejus conſtitutio de ſuo & fratris ſui VVibaldi anniverſario, 130. b.
Erliacenſis abbas Eilulfus, 403. a. 405. a.
Ermenegus abbas, 19. c.
Ermeſendis comitiſſa Lucemburgenſis, 132. b.
Erphordiæ præpoſiti A. epiſtola ad S. Hildegardem, 1049. b.
Erpo comes Padbergenſis, 236. e.
Eſculanus epiſcopus P. 369. a.
Eskenevorge monaſterium virginum, 313. b.
Etbertus abbas de *Huiſbrue*, 539. c.
Ethardus notarius Lotharii II. imperatoris, 102. a.
S. Eucharii abbatis B. epiſtola ad S. Hildegardem, 1019. c.
S. Eucharii abbatis L. ad S. Hildegardem, 1021. b.
S. Eucharii monachorum Trevirenſium ad S. Hildegardem epiſtolæ, 1126. a. quæ eorum ſanctam laudat converſationem, 126. d. & ſeqq.
Everaclus epiſcopus Leodienſis refugii locum in ſua Leodienſi civitate concedit Stabulenſibus monachis, 47. c.
Everardus advocatus Stabulenſis, 37. c. 39. d.
S. Eugendi monaſterium, 902. e. 1302. d.
Eugenius papa III. 206. c. 327. e. 360. c. 616. e. 647. b. 689. b. 1001. d. ante abbas quam papa, 141. b. 293. c. ſacrorum canonum vindex, 367. c. 370. a. b. ei in Gallicas venienti VVibaldus abbas obviam mittitur occurriteque Divioni, 310. c. ipſum Argentinam invitat Conradus imperator, 205. d. ejus adventus ad partes Lotharingiæ, 123. d. ad S. Dionyſium feſtum pentecoſtes agit, 171. 208. e. Meldas concedit, 175. 209. a. expeditionem injungit in paganos, 310. e. ægre fert quod Conradus abſque ipſius conſcientia cruce ſe ſignaverit, 205. b. indulgentias concedit ſubvenientibus terræ ſanctæ, 749. b. ipſi Ratisponenſem epiſcopum Hieroſolymam tendentem commendat Conradus imperator, 401. eccleſiam Belvacenſem commendat regi & Henrico epiſcopo, 631. a. 632. a. Rotomagenſi, Remenſi & Senonenſi archiepiſcopis, 632. c. Hugoni archiepiſcopo Rotomagenſi, 604. d. pro Petro Lombardo petit

prædendam in ecclesia Belvacensi, 617. b. Hildegardis revelationes examinat & approbat, 1012.

Eugenius III. Henricum juniorem regem Romanorum honorat & principibus commendat, 251. d. bellum adversus eum impedit, 400. c. ipsi mortem Conradi imperatoris & electionem Friderici annuntiat VVibaldus, 514. c. & seq. & Fridericus ipse, 516. c. & seq. gratulatur Friderico de illius ad imperium promotione, 548. b. suos ad ipsum legatos commendat VVibaldo abbati, 558. c.

Eugenii papæ III. tractatus cum Friderico I. imperatore, 557. c. 1229. c. cum Siculo, 397. b.

Eugenius III. monasteria reformari jubet, 603. c.

Eugenio exponitur VVibaldi electio, 209. b. sanctorum canonum tenax observator eam confirmare cunctatur, 174. b. sed tandem eam approbat, 209. c. 210. d. 473. Eugenio papæ obedientiam suadet VVibaldus, 245. c. 251. c. 252. d.

Eugenius III. depositionem Henrici abbatis Corbeiensis confirmat, 241. b. ipsumque vetat in suis abbatiis admitti, 243. d. electionem abbatis Fuldensis irritam declarat, 241. d. ejus obitus, 562. b. c.

Eugenii epistolæ ad Anselmum Havelbergensem episcopum, 211. d. ad clerum & populum Attrebatensem, 627. a. ad Aurelianenses canonicos, 629. c. ad S. Bernardum abbatem Clarevallis, 633. ad Bernardum episcopum Patherbornensem, 506. d. ad Colonienses, 502. b. ad Conradum imperatorem, 357. b. 367. a. 371. d. 438. c. 503. c. ad Corbeienses monachos, 229. ad episcopum Ferdensem, 508. c. ad H. archiepiscopum Bremensem pro Corbeia, 437. c. 505. c. ad Henricum archiepiscopum Moguntinum, 506. b. ad Henricum Belvacensem episcopum, 535. b. 536. c. d. 537. c. 538. 641. d. 647. a. 650. b. 651. b. 652. a. 653. a. ad A. Bremensem, H. Mindensem & T. Ferdensem, 240. a. ad Henricum episcopum Mindensem de Kaminata, 437. b. ad Henricum Leodiensem episcopum, 230. b. ad Henricum ducem Saxoniæ, 239. 508. a. b. ad Henricum juniorem regem Romanorum, 231. c. 239. a. ad Hermannum episcopum Trajectensem, 507. b. ad Hugonem episcopum Autissiodorensem, 633. d. ad Laudunensem episcopum, 645. c. ad Leodiensem episcopum, 504. c. ad Lobiensem abbatem & conventum, 630. ad Ludovicum regem Francorum, 630. ad abbatem Lunenburgensem, 509. c. ad episcopum Mindensem, 509. a. ad Noviomensem episcopum, 643. b. ad prælatos Poloniæ, 406. c. ad abbatissam & moniales S. Petri Remensis, 616. a. ad Reinherum canonicum Havelbergensem, 212. a. ad Remensem archiepiscopum, 632. c. 644. d. 645. c. 647. d. 649. ad Rothomagensem archiepiscopum, 632. c. 634. c. 635. e. ad Senonensem, 632. c. electo & capitulo Suessionensi, 653. c. decano & capitulo Suessionensi, 646. c.

Eugenii epistola ad Teutonicos in gratiam Henrici junioris regis Romanorum, 239. c. ad Ulricum episcopum Halberstadensem, 507. ad VVibaldum abbatem, 435. a. 436. a. c.

Eugenio III. papæ scriptæ epistolæ Bernardi episcopi Hildesheimensis in gratiam VVibaldi abbatis, 235. d. Conradi imperatoris, 369. 410. c. 499. c. in gratiam Coloniensis archiepiscopi, 384. c. pro Morbacensi monasterio, 404. b. de electione episcopi Trajectensis, 483. c. pro confirmatione electionis Arnoldi archiepiscopi Coloniensis, 491. c. VVibaldi abbatis in gratiam abbatis S. Laurentii Leodiensis, 540. c. pro abbate S. Medardi, 295. a. in gratiam canonicorum S. Bartholomæi Leodiensis scribit VVibaldus, 382. a. W. abbatis S. Blasii, 216. c. H. abbatis B. Mariæ *de Flechtorp*, 236. a. c. abbatis B. Mariæ in *Grevenkerken*, 237. d. abbatis *Hamulungesburnen*, 238. c. Henrici ducis Saxoniæ in gratiam VVibaldi abbatis, 234. c. Herimanni comitis *de VVisecenburc*, 235. b.

Eugenii III. privilegium pro VValciodoro, 513. b. c.

S. Evodii Branensis abbatia, 785. c. e.

Eustachius filius Stephani regis Angliæ Constantiam Ludovici VI. filiam ducens uxorem comitatum Bolonienſem ei dat in dotem, 755. b.

Eustachius magister militiæ Templi, 715. d. 845. c.

Eustachius frater Alberonis episcopi Leodiensis, 159. c. 168. villam Turnines invadit, 177. 218. c. 220. a.

Exarcharum Ravennæ dono regum Franciæ possidet papa, 1229. b.

Excommunicatio injuste illata nulla est & irrita, 985. b.

Excommunicari non debent familiæ pro forisfacto dominorum suorum, 933. a.

Excommunicandi violentas manus injicientes in sacerdotem, 820. c. 859. a. & in clericos, 900. c. 905. b. 917. c. 967. a. 984. a. & in monachos, 861. b. c.

Excommunicandi non sunt homines mortui, 264. d. 275. c.

Excommunicatio ultra annum non toleranda, 227. c.

Excommunicati extumulati, 847. c.

Excommunicatio a VVibaldo in Leodienses lata rata, 463. a.

Excommunicationis formula, 80. b.

Expeditio Italica, 563. b.

Expeditio Italica Conradi, 499. d. 500. c. & seq.

Expeditio Italica per imperatoris obitum retardata, 515. d.

F.

FAmam qui negligit crudelis est, 274. c.

Famariæ S. Petri ecclesia, 1305. a.

Farcensis episcopus Hermannus, 414. c. 508. d.

Farfensis abbas R. 592. d.

Fastredus abbas Clarevallis, 706. e.

Fatum summorum virorum sinistrum, 1439. a. b. c. 1440. a. d. Feliciores improbi, 1440. b. de fato miris modis senserunt Tullius, &c. 1441. c. d.

Fatali necessitate subesse omnia tradit Julius Firmicus, 1441. e.

Faventia peste afflicta, 1178. e.

Faventiæ obsidio, 1148. e. & expugnatio, 1162. b.

Feminæ hereditant in beneficiis Stabulensis monasterii ubi non supersunt masculi, 259. d.

Fenaldus episcopus, 19. c.

Ferdenses episcopi, H. Sifridum abbatem Ullesheimensem non accusatum non convictum ejicit, 755. a. Thiotmarus, 170. 240. b.

Ferdinandus rex Castellæ, 1543. c. ei significat Fridericus victoriam suam de rebellibus, 1162. b.

Ferdinandus rex Siciliæ, 1521. c. 1522. a. 1543. c. 1548. b. 1150. a. ejus triremes invadit Johannes Silvaigus Januensium triremium capitaneus, 1511. c. ipsi terras ecclesiæ ipsamque Urbem commendat Sixtus IV. 1542. Ferdinando regi gratulatur Sixtus IV. de nova affinitate cum Mathia rege Hungariæ, 1468. c.

Ferdinandi principis Capuæ matrimonium cum Eleonora principissa Castellæ, 1543. b.

Ferentinus episcopus Rod. 745. 787. d.

Ferrariensis episcopus D. nepos Sixti IV. papæ, 1532. b.

Ferrariense monasterium, 1302. d. cui ecclesiam de Brusiaco adjudicat Adrianus IV. 641. d.

Ferrarienses abbates Dodo, 665. b. c. Lupus, 665. c.

Ferrariæ dux, 1470. d. 1499. b.

Fiscanensis abbatia data Pe. cardinali Hispalensi, 1524. c. 1525. a.

Flamingi, 1355. c.

Flandriæ comites Guido, quem pontif. hortatur ad pacem cum Philippo rege Franciæ & Navarræ faciendam, 1306. c. Philippus, 147. c. 755. b. 811. c. 855. b. 888. c. 894. b. Theodericus Alsatius, 648. c. comitissa Clementia, 802. c.

Flandriæ comitis primogenitus R. comes Nivernensis, 1301. c. filia nobilis domina de Cossiaco, 1307. c.

Flanheimensis præpositi H. epistola ad S. Hildegardem, 1033. c.

Flavigniacensis monasterii abbas R. resignatam abbatiam recuperare laborat, 655. b. 656. b.

Faviacense monasterium S. Germari, 781. b. c.

Flectorpiensis abbas Balthasar, 236. c.

Flodulfus domesticus Sigiberti regis, 7. b.

Flonensis abbas VValterus, 110. a.

Floreffiensis abbatia, 462. c. 515. c.

Florentinos invitat Fridericus imperator ad obsidionem Faventiæ, 1148. c. & seqq.

Florentinus filius comitis Sifridi *de Erteneburch*, 331. d.

S. Florentii Salmuriensis monasterium, 1304. a.

S. Florentii Veteris monasterium, 1304. a.

Florentinense monasterium, 514. c.

Fluvii Boda, 371. a. Didola, 43. d. Glanum rivulus, 43. c. Huia, 41. a. Itta, 8. b. Ligeris, 8. b. Matrona, 695. c. Mosa, 59. a. Mosella, 66. a. Odora, 59. c. Sesomirus, 6. c. Suppia, 10. d. Taunucus, 8. b.

S. Foillani monasterium, 836. b. c.

Folcoardus vir illustris, 7. b.

Folcuinus comes, 49. d.

Folcuinus *de Sualemberch*, 427. d. ejus matrimonium solvendum ob dissimulatam uxoris infirmitatem, 468. b.

Folcmarus cancellarius Ottonis II. 50. a.

Folmarus abbas Stabulensis, 79. c. 80. c. 81. a. 83. b. 85. b. 156.

S. Forannanus episcopus & abbas VValciodori, 193. b. c. 513. a. ejus vita examinanda datur VVibaldo abbati, 193. c.

Forliviensis episcopus Alexander, 1489. b. 1503. a. 1505. b. 1513. a.

Fortunæ inconstantia & mutabilitas, 1461. a.

Fossæ-novæ abbas Gaufridus, 707.

Frajapanis nobilis viri filius ex regno Teutonico Alexandrum III. convenit in Gallias, 675. c. 678. b.

Franco abbas Lobiensis, 630. a. c. 794. e.

Franco vir nobilis, 84. a.

Francia urbibus amplius mille & insignibus gloriatur, 1408. d. in ea infinita pene sunt monasteria & collegia, 1397. d. est justitiæ basis, est & columen, ac unicum fidei stabilimentum, 1347. a. ipsius reges ad ecclesiæ defensionem semper promti, 1244. b. ab ævo fuerunt totius status ecclesiastici & ministrorum ejus omnium conservatores pugiles & athletæ singulares, 1372. e.

Franciæ regnum numquam tactum fuit errore schismatis, 1347. b. Franciæ rex tanta olim potestate enituit, ut

nec papa nec ullius suæ ditionis antistes posset absque sui præsentia vel consensu eligi, 1373. e. decimas regni sui aliquando habuit, 1373. e. in Franciæ regno redditus suos ecclesia potissimum habet, 1346. e. regi Franciæ petitur quorumdam beneficiorum ecclesiasticorum nominatio, 1370. 1371. & seq. ab eo factam collationem præbendæ in ecclesia Laudunensi sede vacante Nicolaus III. declarat non valere 1276. b. Francorum strenuitas, 1351. a. quas regiones suo subdiderint dominio, ibid. Francorum arma Italis & Romanis quam infesta, 1361. b. Franciæ regis felix congressus cum rege Angliæ, 1322. c. d. in quo induciæ ad annos xxx. confirmatæ, 1322. e. Francorum bellum cum Anglis crudele, 1316. d. 1317. in Franciæ regno a quo tempore Angli terras habuerunt, 1354. c. d. 1355.

Francorum reges Carolus VII. 1511. c. Ludovicus VII. 671. 678. d. 783. c. 824. d. 832. 844. c. 989. b. 995. b. in sacra expeditione Conrado imperatori adjunctus maxima ei contert solatia, 252. d. Ludovicus XI. 1513. d. 1529. d. Philippus, 1215. e.

Franciæ regi scribit Fridericus cur accedentibus ad concilium prælatis transitum prohibuerit, 1138. b. & seq. eum Gregorius papa x. de sua in papam electione certiorem facit, 1270. a. rex Franciæ causa fuit præcipua & theatis concilii Pisani, 1371. d. primus omnium catholicorum unionem ecclesiæ procuravit, 1371. d.

S. Francisci Stigmata, 1526. a.

Franciscus cardinalis S. Mariæ - novæ Mantuanus, 1497. e.

Franciscus electus Oxomensis, 1499. b.

Franciscus dux Britanniæ fœdus concordiæ init cum Ludovico XI. rege Francorum, 1501. e.

Frembertus abbas VValciodori, 523. a.

Fridericus archiepiscopus Colonienſis, 114. d. ejus diploma pro monasterio Stabulensi, 87. d.

Fridericus episcopus Monasterienſis, 598. c. ejus epistola ad VVicmannum archiepiscopum, 583. c.

Fridericus electus Trajectensis in discordia, 484. c.

Fridericus abbas S. Godehardi Hildesheimensis, 288. c. 317. e. 344. a.

Frithericus præpositus S. Georgii in Colonia electus in discordia Trajectensis episcopus, 481. c.

Friderici præpositi Vallis-Dei epistola ad S. Hildegardem, 1043. d.

Fridericus I. imperator, 130. c. 552. d. 553. b. 554. b. 590. a. 591. e. 592. b. ejus genealogia, 557. b. uxorem de sanguine CP. imperatoris requirit, 179. 559. e. eum imperii sui successorem declarat Conradus, 559. d. ipsius imperatoris electio, 514. d. 515. c. 516. e. 529. e. & unctio, ibid. 517. a. certum facit papam de sua electione, 516. c. & seq. qui ei de promotione ad imperium gratulatur, 548. b. rex Longobardorum dein imperator coronatur, 179. ejus erga sedem apostolicam devotio, 517. d. e. ipsum inter & Eugenium III. concordia, 557. c. 1229. c. quam ratam habet, 1230. a. eum in reverentia erga sedem apostolicam continere tentat Adrianus papa IV. 598. a. ipsum ut excusso summi pontificis jugo, imperium a senatu populoque Romano suscipiat hortatur VVetzel, 554. c & seq.

Fridericus I. imperator ecclesiæ persecutor, 657. d. itinera ad papam claudit, 657. d. ejus colloquium cum Ludovico rege conatur impedire Alexander III. 672. a. eorum colloquium inter Tullum & Vallem colorum, 880. c. ipsius filii matrimonium cum filia regis Franciæ impedit Alexander papa, 890. a. & filiæ ejus cum filio Ludovici regis, 991. c. tractat cum Alexandro III. papa, 1229. e. confirmat pacem ipsum inter & Alexandrum III. Venetiis pactam, 1228. d.

Friderici imperatoris victoriæ, 577. c. expeditio in Polonos & victoria, 594. b. & seqq. expeditionem in Siculum parat, 560. prospera sua VVibaldo significat, 582. b.

Fridericum regem inter & Bertolfum ducem conventio, 523.

Fridericus imperator Corbeiense monasterium sub sua protectione suscipit, 613. a. & seqq. VVicmanno archiepiscopo commendat causam Corbeiensis monasterii adversus episcopum Osnabrugensem, 581. b. illatas VVibaldo injurias a comite *de Sumereburc* jubet emendari, 567. b.

Friderici imperatoris epistolæ, ad Corbeienſes monachos, 537. e. ad Henricum II. regem Anglorum, 587. b. ad Huxerienſes, 538. b. ad Manuelem imperatorem, CP. 559. b. ad VVibaldum, 537. c. 586. b.

Friderici imperatoris neptis regi Hispaniarum desponsata, 540. b.

Friderici imperatoris cancellarius Raynaldus, 710. b.

Fridericum II. sub tutela sedis apostolicæ reliquit Constantia imperatrix ejus mater, 1195. a. ipsius infantia, 1159. d. matrimonium cum Isabella sorore regis Angliæ, 1247. d. per electores ad imperium promovetur, 1156. a. 1236. c. d. e. quomodo electus fuerit, 1157. d. ejus constitutiones de libertate ecclesiastica, 1237. d. revocat statuta ecclesiasticæ libertati contraria, 1239. c. regnum Siciliæ a papa se tenere recognoscit, 1236. c. & seq. dimittit privilegia & possessiones in Romanam ecclesiam usurpatas, 1243. a. obedientiam promittit Innocentio III. papæ, 1240. a. e. 1248. c. Honorio papæ III. ante suam coronationem, 1243. d.

Frid. II. colloquium cum Honorio III. papæ Verulis, 1197. c. & Ferentiæ, ibid. d. Gregorio IX. promittit aggredi Lombardos, 1244. a.

Frid. II. hæredem regni Jerosolymitani ducit uxorem, 1197. d. Aquisgrani cruce signatur, 1196. a. a bello sacro suscipiendo quid eum retardaverit, 1196. b. crucem secundo sumit de manu Gregorii IX. papæ tunc episcopi Ostiensis, 1196. c. a Gregorio IX. excommunicetur, 1245. a. c. jurat stare mandatis ecclesiæ pro quibus a Gregorio IX. fuerat excommunicatus, 1245. c. remittit offensas sibi illatas ab his qui ecclesiæ adhærebant, 1245. d. in auxilium Damiatæ mittit ducem Bavariæ & alios, 1196. e. passagium in biennium differt, 1198. a. 1199. c. quid pro subsidio terræ sanctæ fecerit, 1198. a. & seq. ad transfretandum se parat, 1202. a.

Friderico II. papa contrarius, 1193. a. 1194. d. & seq. Fridericus hortatur S. Ludovicum ut conjunctim tueantur jura principum, 1143. d. & seq. notam facit duci Brabantiæ Sinibaldi in papam promotionem a quo bene sperat, 1144. e. & seq. de qua gratulatur ipsi papæ, 1244. c. ei certam de papæ dilectione fiduciam dat A. patriarcha Antiochenus, 1136. d. compositionem pacis inter se & papam committit cardinalibus, 1137. c. ecclesiam se offendisse agnoscit, 1137. d. disponit se ad proficiscendum ad concilium Lugdunense ut inustum sibi infamiæ nomen purget, 1136. a. 1139. e. ad illud cur non accesserit, 1140. e. episcopis ad concilium venientibus transitum prohibet, 1136. b. & seq. 1146. e & seq. pactum init cum comite Tolosano adversus papam, 1140. e. deponitur in concilio Lugdunensi, 1295. e.

Frid. II. dissidium inter Norvegiæ regem & socerum ejus componere studet, 1187. e.

Frid. II. præclara dat monita Conrado filio suo, 1166. a. & seq. dat Conrado filio suo Gajetam, 1243. b. quam Civitatem & S. Agatham recuperare conatur, 1146. a. Rosidum Beneventanum ad suum revocat obsequium, 1157. b. a. Castellæ rege petit copias ad conterendos rebelles, 1150. b. adversus eos solemnem curiam indicit Veronæ, 1150. e. ejus de rebellibus victoriæ, 1162. b. Marchiam & ducatum Spoleti imperio suo reformare laborat, 1155. d. a Spoletanis & Marchianis exigit auxilium, 1146. c. invitat Papienses ad destructionem Mediolanensium, 1149. c. Victoriam de Mediolano annuntiat populo Romano, 1190. e. & duci Lotharingiæ, 1151. c. & seq. condolet Papiensium depopulationi promittitque eis auxilium, 1154. c. Parmam obsidet, 1140. a. obsidionem solvit, 1140. a. Ravennenses qui a se defecerant ad fidem revocat, 1156. a. & seq. Ravennæ colloquium indicit, 1202. b. Sarracenorum insolentiam ulcisci vult, 1155. a. Tartaris occurrit, 1152. d. a clero exigit pecuniarum subsidium, 1145. e. advocatum ecclesiæ se dicit, 1146. b. ei xenia offert archiepiscopus Capuanus, 1177. a. annulos quatuor mittit cuidam regi, 1171. d. ejus obitus, 1181. d. epistolæ variæ, 1136. & seq. diploma datum Honorio III. de emancipando filio suo Henrico, 1142. ejus tractatus pacis cum Innocentio IV. papa, 1244. d. e. 1245. a.

Fridericum III. imperatorem pro defensione christianæ religionis laudat Sixtus IV. 1466. e. ad concordiam cum Matthia rege Hungariæ hortatur, 1466. c. & cum Carolo Burgundiæ duce, 1509. Falsi de eo rumores, 1468. a. ejus diploma pro monasterio Stabulensi, 145. b. ad Philippum Burgundiæ ducem, 146. e.

Fridericus Ferdinandi Castellæ regis filius, 1163. b.

Fridericus dux, 68. d.

Fridericus dux & advocatus Stabulensis, 65. d. pro anima Gerbergæ uxoris suæ dat allodium de Sprismont, 72. b. 73. a. 105. b. ejus iter Romanum, ibid. 73. b.

Fridericus dux Bavariæ, 1544. b.

Fridericus dux Suevorum & Alsatiæ, 112. d. 423. b. 605. a. 610. b.

Fridericus dux Urbini, 1471. b. Confalonerius S. R. E. ibid.

Friderici Urbini ducis filia Johanni *de Ruere* papæ nepoti collocata, 1470. d.

Fridericus marchio de Amona, 102. a.

Fridericus marchio *de Lautec*, 1180. a.

Fridericus comes, 68. d.

Fridericus comes *de Aremberg*, 80. a.

Fridericus comes palatinus pro invasione bonorum Corbeiensis monasterii excommunicatur, 573. e.

Fridericus comes advocatus Stabulensis, 57. c. 58. d. e. 59. b.

Fridericus de Alea subadvocatus Stabulensis, 108. c.

Fridericus advocatus monasterii *Aldesleve*, 31. e.

Fridericus *Meyerbilber* nuntius ducis Bavariæ apud papam, 147. b.

Frodugisus cancellarius Ludovici Pii, 25. d.

Frisingensis episcopus Otto, 458. a. 524. e. 551. c. e.

Frisiam armis subegit Carolus-magnus, 1407. d.

Frithesellensis abbas Johannes, 386. b. d.

Frormundus Clarevallensis monachus erat Remis, 707. c.
Frumentum pro Urbe colligit Sixtus papa IV. 1541. a. 1542. c. 1548.
Fucoaldus vir illustr, 10. d.
Fugitivus monachus revertens benigne suscipiendus, 721. d. e.
Fulcon - Mariæ filio Raynaldi - Mariæ Eltensis denegatur abbatia de Pompofia, 1499. e. sed illi conceditur pensio super ipsa, 1500. b.
Fulcuinus ecclesiæ Paterbornensis persecutor, 266. e.
Falcuinus & Vidkindus Huxariam vastant, 530. a. & seq. 531. b.
Fuldense monasterium Romanæ ecclesiæ possessio, 71. c. 285. a. Fuldæ episcopus papa, 286. c.
Fuldensis electus renuit benedici ac propterea inutilis, 245. c. ejus electionem irritam declarat Eugenius III. 241. d. 242. c. jubetque alio ex claustro eligi abbatem, 241. d. 242. c. 283. b. evanuit, 243. c.
Fuldenses VVibaldum abbatem ad abbatis sui electionem invitant, 243. b. 278. e. 279. c. qui suis eos adjuvat consiliis, 244. c. 261. b. 271. b. abbatis electionem papæ significat, 282. & seq. 327. e. 583. a.
Fuldensis monasterii turbæ, 329. a. c.
Fuldensis episcoporum & nobilium conventus, 412. a.
Fuldensem propter abbatiam susceptam in judicium vocatur abbas Hersfeldensis, 294. d.
Fuldenses abbates Ascholfus, 213. b. 329. a. c. Cuonradus, 104. a. seu Conradus, 164. Henricus, 135. a. 329. d. cedit, 411. d. Marcvvardus, 412. d. 616. a. Roggerius depositus, 283.
Fulgerius regni Jerosolymitani sub Friderico II. ballivus & sacri imperii legatus, 1193. e.
Fulradus cœnobita, 40. a.
Fundatio duorum altarium in ecclesia Stabulensi a Gaspardo abbate, 147. c. & seq.
S. Fusciani vigilia cum abstinentia a carnibus, 927. e.
Fusniacense monasterium, 678. c.
Fusniacensis abbas missus ab Alexandro III. ad Henricum archiepiscopum Remensem, 678. a.
Fuxi comes, 1556. a.

G.

G Pro V. usurpant Galli, 341. a.
G. Titul. S. Marci presbyter cardinalis electus archiepiscopus Remensis, 1267. c.
G. tituli S. Martini cardinalis, 1197. e.
G. Parisiensis archidiaconus, nuncius regis Franciæ ad summum pontificem, 1276. b.
G. comes de Monte-Acuto, 504. d. vexat Stabulensem ecclesiam, 461. c.
G. de Aspero monte gravat Gorziense monasterium, 1004. e.
G. de Castellione, 757. a.
Gabriel de Rernesia, 1510. a.
Gajetam recuperare tentat Fridericus II. imperator, 1246. a. eam dat Conrado filio suo, 1243. b.
Gaiferus rex a Carolo - magno victus, 1352. d.
Gal. *Bertot* monasterii S. Remigii depræda tor, 1002. d.
Galeaz Maria dux Mediolanensis, 1469. d. 1471. c. 1521. d.
Gallicana ecclesia scientia & honestate præfulget, 853. d.
Galli arma movent adversus imperatorem C P. 377. c.
Galliæ rex quot hostes unus debellavit, 1360. c.
Galli vix 30. Maurorum 3000. loco expulerunt, 1361. c.
A Gallis adversus Anglos male pugnatum sub Philippo de Valesio & sub Johanne I. 1359. b.
Galterius de Mauritania episcopus Laudunensis, 714. c. 728. e.
Galterius episcopus Laudunensis, 737. b. & seq. 755. e. 776. 895. c. 899. d.
Galterius episcopus Tornacensis, 734. d. de exactionibus notatus, 890. c. d.
Galterius abbas S. Medardi Suessionensis, 294. c.
Galterius presbyter bonæ opinionis, 1008. e.
Galterius sacerdos schismaticos vitat, 852. b.
Galterius Tyrellus, 829. b.
Gandersheimensis abbatissa Hadeleidis, 1056. c.
Garebertus domesticus Childerici regis, 10. d.
Garibertus domesticus Sigiberti regis, 7. b.
Garinus abbas S. Martini Laudunensis, 930. b. c.
Garinus abbas Pontiniaci, 936. a. e.
Fr. Garnerius ordinis prædicatorum a Martino papa IV. ad regem Angliæ missus, 1299. b.
Gaspar abbas Stabulensis, 145. c. duo in ecclesia sua fundat altaria, 1148. a. & seq. sepultus ante ingressum chori, 150. a.
Gaucelinus SS. M. & P. presbyter cardinalis apost. sed. legatus, 1307. e.
Gaufridus episcopus Catalaunensis, 957. e.
Gaufridus S. Bernardi notarius ex abbate Igniacensi factus abbas Clarevallis, 706. e.
Gaufridus de Joinvilla, 675. e. 685. c. 1001 e.
Gebennensis ecclesiæ administrator Johannes Ludovicus a Sabaudia, 1468 d.
Gebennensis episcopus minorennis, 1527. b. c.
Geldulfus æduus Stabulensis, 69. e.
Gemblacense monasterium, 514. e.
Gen:hardus comes *de Sulzebach*, 112. d.
Georgius Hisp... papæ notarius, 1497. d.
G. S. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis destinatur a papa ad Romanos, 1281. c.
Gerardus Sabinensis episcopus & sedis apostolicæ legatus a Messanensibus ejicitur, 1155. a.
Gerardus presbyter cardinalis, 110. e.
Gerardus diaconus cardinalis, 110. d. 111. d.
Gerardus diaconus cardinalis S. Mariæ in Via lata, 129. e. 619. a.
Gerardus cardinalis S. Crucis, 162.
Gerardus Cameracensis episcopus, 61. a.
Geraldus abbas Fossæ - novæ factus abbas Clarevallis, 706. e.
Gerardus abbas S. Martini, Metensis, 45. a.
Gerardus abbas S. Pantaleonis Coloniensis, 89. c. 414. a. 115. e.
Gerardus abbas Solemniacensis, 352. e. 353. c. e eum Anglorum regi commendat Fridericus imperator, 587. c.
Gerardus dives canonicus S. Fursei Peronensis, 854. d.
Gerardus de Salis, 666. e.
Gerardus Armarii de Montilio, 1302. c.
Gerberca ducissa, 72. b. 73. a.
Gerberga regina fundat cellam Marsnam a S. Remigio pendentem, 528. e.
Gerbertus de Loco sacri imperii in Italia legatus, 1146. c.
Getbestethdensis abbatissæ N. epistolæ ad S. Hildegardem, 1066. a.
Gerborardensis ecclesia, 1303. d.
Gerisheim monasterium virginum. 404. e.
Germanorum mores, 1419. a. apud eos moniales & canonissæ fericos habitus deferunt, 1418. d.
Germanis non solita declamatio, 338. d.
S. Germani Autissiodorensis abbates Arduinus, 652. e. Gervasius, 652. c.
S. Germani de Pratis monasterium, 1389. c.
Germiniacum villam a Sigeberto rege concessam S. Remaclo confirmat Childericus rex, 9. b. & Ludovicus rex, 30. c. & seq.
Gero comes, 198.
Gero intrusus Halbersladiensis, 860. c. d.
Gersonis Parisiensis cancellarii zelus purissimus in negotio schismatis, 1379. a. b. c. d. 1427. c.
S. Gervasio dicata ecclesia Suessionensis, 982. e.
Gervasius abbas S. Germani Autissiodorensis, 652. c.
Gestimulus rex Abotritorum, 174.
Gilo miles fratres S. Johannis de Vineis vexat, 921. c.
Ginandus in diœcesi Aptensi tres marobotinos census Romanæ ecclesiæ debet, 1302. a.
Giselbaldus comes de Ruceio infestus monasterio S. Remigii, 1002. c.
Gisleb:rtus cardinalis, 121. b.
Gisleb:rtus episcopus Pictavensis, 1013. *ejus error de divinitate*, 1098. c. e.
Gisleb:rtus abbas S. Huberti, 110. a.
Gisleb:rtus dux, 40. e. 41. c.
Gisleb:rtus comes, 33. a.
Gisleb:rtus comes imperatoris gratiam amittit, 58. b. 64. b.
Gisleb:rtus comes de Salmo, 59. b.
S. Gisleni abbas Leo, 889. e.
Giseknse monasterium virginum, 296. e. 297. b. e.
Giseknsis abbatissa indigna, 813. a. 387. d. 388. b.
Gisloardus episcopus, 10. d.
Gislocardus episcopus Virdunensis, 7. b. e.
Gladbacense monasterium, 486. b. e. et protectionem suam promittit VVibaldus, 486. c.
Gloduisus domesticus Childerici regis, 10. d.
Gloria fallax non se concedit impune, 1452. d.
Godeboldus canonicus Mindensis excommunicandus, 435. excusatur, 448. e. ejus causa cum Everardo presbytero, 464. b. 465. c. 466. b. 467. b.
Godefridus episcopus Lingonensis, 1011. d.
Godefridus abbas, 671. e.
Godefridus dux Lovaniensis, 112. d.
Godefridus comes de Ambiavia, 57. e.
Godefridus de Asca comes de Durbui, 86. d. 105. d.
Godefridus *de Engris* comes, 71. b. 76. c.
Godefridus comes Namurcensis prædia Stabulensis monasterii invadit, 105. b. 177. 178. 218. e. villam Turnines injuste ipsi aufert, 91. d. 98. a. 109. b.
Godefridus comes Namurcensis fundator Floreffæ ibidem fit conversus, 462. e.
Godefridus comes de Zingeis, 60. a.
Godefridus comes advocatus Fuldensis, 285. c.
Godefridus de Rupe advocatus Stabulensis, 108.
Godegesilus comes, 7. d.
S. Godehardi abbatia apud Hildesium, 289. e.
S. Godehardi abbas Fridericus, 288. e. 301. e. 317. e. 344. a.
Godescalcus episcopus Atrebatensis, 914. e. commendatur, 617. b. e. senio gravatus episcopatum resignat, 630. b. e. b. cedenti tria conceduntur ad vitam altaria, 1010. c. ad Montem S. Martini secedit, 1010. d.
Godescalcus abbas VValciodori, 523. a.
Godo episcopus, 6. b.
Goduinus abbas Stabulensis, 3. corpus S. Remacli transfert in majorem ecclesiam, 62. b. ei diploma concessum a Theoderico rege, 12. a. 13. b.

Gairo cardinalis, 120. d.
Gondoinus dux, 10. c. 11. e.
Gonterus Colli, 1412. a. præceptor Johannis de Monsteriolo, 1398. d. Horatium assidue legebat, 1399. a. eum dehortatur a curia Ambrosius de Miliis, 1459. d. & seq.
Gorziense monasterium ab unitate S. Romanæ ecclesiæ non recedit, 1005. a. illud gravat G. de Asperomonte, 1004. e.
Gorziensis abbatia data cardinali S. Petri ad Vincula Sixti IV. nepoti, 1504. e.
Gosbertus notarius Zwendeboldi regis, 3. d.
Gosselenus miles, 771. c.
Gosvvinus *de Hengebach* deprædatur res Stabulensis monasterii, 422. d.
Gotbaldus nepos Anglini abbatis, 20. c.
Gozilo dux Lotharingiæ advocatus S. Martini Metensis, 57. c. 59. b.
Gozilo comes de *Engei*, 57. e.
Græcorum avaritia, 423. d.
Græci ex Apulia expulsi, 585. e.
Græcorum regi in Italia terra non concedenda, 558. a. c.
Græciæ sapientum maximus Thales, 1438. a.
Grandif-campi S. Mariæ ecclesia, 1303. a.
Grandi-montense monasterium, 1305. a.
Grandif-prati comes, 757. a. vexat fratres S. Remigii, 686. d. ejus filius ab utero matris oblatus sancto Remigio, 692. e.
Grandi-prati vicecomes gravat Maurimontense monasterium, 1006. b.
Grandis-Silvæ abbates, 698. Alexander, 666. e. Pontius, 719. e.
Gratianopolitanus episcopus Johannes, 733. a.
Gregorius V. patruus patris Henrici regis 61. d. ejus diploma pro monasterio Stabulensi, 52. e.
Gregorius papa IX. 1197. c. ejus consilio Isabellæ sorori regis Angliæ nupsit Fridericus, 1247. d. quem tamen excommunicat, 1245. a. ejus arbitrio negotium Lombardiæ committit Fridericus imperator, 1244. a. 1246. c. e. 1247. b. ei militiam promittit Henricus rex Romanorum in obsequium imperii & ecclesiæ, 1249. d. ei tamen jurat quod numquam erit contra Fridericum patrem suum, 1248. b.
Gregorius papa X. 1197. c. cum electus fuit in transmarinis partibus agebat, 1271. e. invitatur ut quamprimum redeat, 1272. a. b. ejus epistola ad Francorum regem de sua electione in papam, 1270. a. et Berardus de Neapoli de sua in papam creatione gratulatur 1271. a. B. Arelatensem archiepiscopum cardinalem S. Sabinæ instituit, 1273. c. ejus moderatio super beneficiis apud sedem apostolicam vacantibus, 1277. b. Epistola ejus ad episcopum Sylvanectensem & abbatem S. Dionysii de pace componenda inter Siciliæ regem & Franciæ atque Angliæ reginas, 1272. d.
Gregorius cardinalis, 120. d. 359. e. 505. a. 561. b. e.
Gregorius diaconus cardinalis S. Angeli, 121. d. 122. c. 557. d.
Gregorius diaconus SS. Sergii & Bacchi cardinalis, 120. d. e. 121. b.
Gregorius presbyter cardinalis, 121. b.
Gregorius cardinalis S. Mariæ Trans Tiberim, 557. d.
Gregorius cardinalis quosdam episcopos VVormatiam convocat, quibus accenseri optat VVibaldum, 562. b. d. ejus pro Stabulensi monasterio implorat protectionem VVibaldus, 564. d. e. ipsius epistola ad VVibaldum, 573. a.
Gregorius Adenulfi de S. Johanne Casinum adversus imperatorem munit, 162.
Grimoaldus major domus, 8. a. 13. c.
Grimoaldus vir illustr, 6. b. 7. b. 10. d.
Grimoaldus dux, 2.
Groningensi hospitali donationem facit VVibaldus, 620. d.
Guelphus cum Siculo fœdere conjunctus, 423. b. victus ab Henrico juniore rege, 372. e. 374. 377. b. & seq. 379. b. & seq. 380. b. 404. a.
Guericus advocatus Stabulensis, 41. c.
Guischardus archiepiscopus Lugdunensis, 726. d. 727. e.
Guicmannus episcopus Cicensis invasor ecclesiæ Magdeburgensis, 552. b. c.
Guido presb. cardinalis, 120. d. 122. a. 322. c.
Guido cardinalis & cancellarius, 200. a. 366. c. 385. c. legatus in Germania, 174. amicus Conradi imperatoris, 405. c. VVibaldo abbati per annos viginti familiaris, 409. c. qui suos ei Stabulenses commendat, 227. c. & abbatem Brunvillarensem, 266. a. ei etiam scribit in gratiam abbatis Fuldensis & Reinardi sui quondam præceptoris, 214. a. & seq.
Guidonis cardinalis epistola ad Anselmum episcopum Havelbergensem, 325. e. 326. b. ad VVibaldum, 210. d. 227. a. ut Conradum imperatorem avertat, ne quid adversus Romanam ecclesiam moliatur, 400. b. & seq. VVibaldi ad eum epistola, 211. a.
Guido diac. SS. Cosmæ & Damiani cardinalis, 121. c. 122. b.
Guido cardinalis S. Crysogoni, 618. c.
Guido diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu, 129. e. 557. d. 618. a.
Guido Fulcodii Narbonensis archiepiscopus creatur cardinalis Sabinensis, 1258. c. d. significat regi promotionem suam, 1257. c. ab onere cardinalitus eximi cum instantia supplicavit, 1256. d.
Guido Catalaunensis episcopus, 840. a. 869. e.
Guido de Dampetra electus Catalaunensis, 674. e.
Guido de Joinvilla electus Catalaunensis, 675. e. ab officio episcopali suspensus, 409. b. & seq
Guidonis episcopi Catalaunensis iniqua compositio cum Viviano presbytero, 928. c.
Guido de Monte-acuto episcopus Catalaunensis, 957. e.
Guido comes Alverniæ, 1304. c.
Guidonem comitem Flandriæ hortatur papa ad pacem, 1306. c.
Guido de Monte Feltri comes, 1280. e.
Guido senator Urbis, 358. d. e.
Guido de Castellione, 673. a.
Guido Caroli-magni comes Angliam debellat, 354. a.
Guido VVerra comes, 557. d. ecclesiæ defensioni insistit, 1160. e. ideoque Friderici I. incurrit indignationem, 1161. c.
S. Guillelmus Caroli-loci abbas invitus ad sedem Bituricensem assumtus, 1392 c.
Guillelmus de Estoutevilla cardinalis Rothomagensis, 1493. d. 1502. b. beneficiorum ejus temporalitas & spiritualitas usurpata, 1494. a.
Guillelmus episcopus Autissiodorensis, 664. c.
Guillelmus *Passavant* episcopus Cenomanensis, 643. a. e. 738. c. 739. c.
Guillelmus legatus Romaniolæ generalis, 1156. c.
Guillelmus abbas S. Dionysii, 950. e.
Guillelmus procurator electi Panormitani, 1188. a.
Guillelmus Durandi sedis apostolicæ capellanus & decanus Carnotensis, 1279. d.
Guillelmus monachus Caroli loci, scripsit librum de tribus peregrinationibus, 1192. e.
Guillelmus Conquirens Angliam paucis diebus subegit, 1356. d.
Guillelmus dux Aquitaniæ, 1355. a.
Guillelmus de Dampetra, 674. e.
Guillelmus de Guercia vir nobilis, 1304. a.
S. Guicolegii ecclesia in diœcesi Cenomanensi, 1104. a.
Gunterus Colli regi a secretis, 1312. d. Vid. Gontherus.
Guntherus episcopus Spirensis, 610. a.
Guntrannus abbas, 48. b.

H.

H. monachi virtutes, 278. a.
Hadelheidis abbatissa Gandersheimensis a S. Hildegarde educata, 1056. e. ejus epistola ad S. Hildegardem, ibid.
S. Hadelinus S. Remacli discipulus, 3.
Hadvvidis soror VVibaldi, 250. d. abbatissa Gerigesheimensis, 405. d.
Hæretici non nova inveniunt, sed vetera replicant, 334. b. hæreses relegare debent episcopi, 843. d. e. hæretici expellendi & eorum bona confiscanda, 1218. a.
Hæretici Attrebatensem diœcesim infestant, 627. d. Ebredunensem, 1507. a.
Hæretici Burgenses, 683. e. 684. c.
Halberstadienses episcopi Othelricus, 616. a. Rodulfus, 170. Ulricus, 507. d. Gero intrusus, 860. c. d.
Helebrunnensis abbas Nicolaus, 1015. e.
Hamelencensis provisoris H. epistola ad S. Hildegardem, 1040. c.
Hamenburgensis episcopus H. 416. e.
Hamensis abbatia, 646. c. Hamense monasterium in diœcesi Noviomensi, 746. c. 857. e. 1009. e.
Hamensis abbas Droconem cancellarium in claustrum revocare jubetur, 874. c.
Hamulungesburnense monasterium, 238. b.
Harduinus vir nobilis, 38. c.
Haribertus Trajectensis episcopus, 289. c. 434. a.
Hartvvicus archiepiscopus Bremensis, 180. 341. b. 358. a. 437. d. 499. e. 504. 505. d. 616. a. in VVibaldum commotus, in quem conspirare visa sunt vota in electione Bremensis antistitis, 342. e.
Hasteria cella est non abbatia, 452. e. 455. c.
Hasterienses monachi VValciodorensi abbati subjecti, 450. c. ejus jugum abjicere tentant, 450. b. Theodorico abbati VValciodorensi facti rebelles, 454. a. A divinis suspensi, ibid. propter duorum circumcellionum cohabitationem, 454. d.
Hasterienses vocem habent in electione abbatis VValciodorensis, 450. e. dissentiunt in electione abbatis, 512. b. 513. d. duos abbates in VValciodoro volunt habere, 522. a. sepeliuntur apud Valciodorum, 451. d.
Hasungense monasterium, 102. e.
Hathelmus episcopus Bambergensis, 76. c.
Havelbergensis ecclesia regularis, 419. d.
Havelbergensis episcopus Anselmus, 101. 102. c. 164. 170. 172. 173. 199. e. 205. e. 211. d. 309. b. 326. b. d. 358. a. 360. d. 394. e. 407. b. 419. a. 551. c. 557. d. 571. e. 603. a. 616. a.
Hayensis capella in diœcesi Rothomag. 1503. d.
Heberhardus cancellarius Ludovici I. regis Franciæ orientalis, 28. b. 30. a.
Hegennehensis abbatis VV. epistola ad S. Hildegardem, 1054. d.
Helinandus, 1387. c.
Helmvvardeschusanus abbas Conradus, 601. c.
Helvvidis prioritta *de Broburg*, 821. d.
Helvvidis nobilis femina, 83. c.
Helvvidis *de Nouant* nobilis vidua, 916. b.
Henricus Pisanus monachus Cisterciensis & cardinalis, 638. e. 659. c.
Henricus cardinalis SS. Nerei & Achillei, 129. e. legatus in Gallias, 655. 666. b. 682. c. 905. b. 1011. c. regis consilio adesse jubetur, 901. c. secessum cogitat, 711. e.
Henricus Coloniensis archiepisc. 132. b.
Henricus archiepiscopus Moguntinus,

222. d. e. 468. a. 504. a. 506. b. 601. c. archicancellarius Conradi imperatoris, 458. c. 606. c. 616. b. junioris regis curam suscipit, 173. concilium celebrat Erfordiæ, 294. c. Arnoldum electum Colonienſem necdum electioni conſentientem præpoſitura *de Lemparh* privat, 491. a. eum ad papam proficiſcentem Eugenio III. commendat Henricus junior rex Romanorum, 269. a. & ſeq.

Henrico archiepiſcopo Moguntino ſcribit VVibaldus abbas, 427. c.

Henricus Aper archiepiſcopus Senonenſis, 640. c. 641. e.

Henricus epiſcopus Æduenſis, 907. e.

Henrici epiſcopi Belvacenſis electio, 650. e. in epiſcopatu quam bene ſe geſſerit, 650. c. fuit religioſus & providus, 662. b. ejus fides inconcuſſa, 664. b. ſuæ eccleſiæ prædia a nobilibus invaſa recuperat, 631. a. e. 632. e. ſedem apoſtolicam per nuncium viſitat, 631. e. ipſe accedit ad papam Eugenium, 634. e. ad Adrianum papam IV. 639. b. 640. a. cui fuit carus, 638. e. petit abſolvi ab epiſcopatu, 536. c. 635. c. dignitatem dimittere non permittitur, 651. e. ejus reconciliatio cum rege fratre committitur Hugoni epiſcopo Autiſſiodorenſi & S. Bernardo abbati, 634. a. b. legatos ei ſuos commendat Alexander III. 664. c. Cluniacum mittitur ad deponendum abbatem, 652. b. Henrico electo Remenſi gratulatur Alexander de ſua promotione & ei mittit pallium, 666. b. c. ejus devotio & amor in ſedem apoſtolicam, 678. a. 730. d. 731. c. 743. d. 828. b. 856. d. dicitur eccleſiæ principale membrum, 660. a. 968. c. firmiſſima columna, 720. a. 892. e. ipſi manſuetudinem in ſubditos commendat Alexander III. papa, 934. b. & ſeq. qui ejus conſilio utitur, 683. c. & eccleſiæ negotia ipſi commenddat, 678. d. invitatur ad colloquium Alexandri III. & regis ad S. Laurentium aut S. Benedictum ad Ligerim, 676. b. ab eo rumores Teutonicos reſcire cupit Alexander III. papa, 680. c. qui *infirmitate* laborantem optat viſitare, 695. a.

Henricus archiep. Rem. S. Thomam archiepiſcopum Cantuarienſem fovet, 723. b. erga Corbeinſe monaſterium beneficus dicitur, 869. b. quærit an poſſit recipere hominium a Leodienſi intruſo & ſchiſmatico, 950. a. & ſeq. a rege diſcordat, 670. c. cauſatur de de G. epiſcopo Laudunenſi, 776. b.

Henricum archiepiſcopum Remenſem redarguit Alexander III. 775. b. Tornacenſem epiſcopum ordinat licet prohibitus ab Alexandro papa, 733. d. in epiſcopum Aurelianenſem dicitur commotus, 683. b. gravat ſuffraganeos, 823. c. d. 932. a. canonicos ſuæ eccleſiæ vexat, 934. b. & ſeq. item monachos S. Baſoli, 932 a. 940. a. & ſeq. Flaviacenſe monaſterium eximit a juriſdictione epiſcopi Belvacenſis, 781. e. ipſum Alexander papa redarguit quod juſtitiæ defuerit in cauſa Hamenſium canonicorum adverſus Præmonſtratenſes, 746. b. excommunicat Henricum comitem eccleſiam ſuam gravantem, 867. d. e. 907. e. ut cum Henrico Trecenſi comite amice componat de quodam caſtello hortatur Alexander papa, 910. d. qui hac de re ſcribit regi, 912. c. ipſi ſua in Urbe obſequia offert Stephanus abbas Cluniacenſis, 753. c.

Henricus archiep. Remenſis, 797. a. Litteræ capituli Sueſſionenſis ad eum, 797. b.

Henricus epiſcopus Leodienſis, 173. 182.

Henricus de Lymburgo epiſcopus Leodienſis, 125. d. 752. d. recuſat oblatum ſibi papatum, 752. e. antipapam conſecrat, 753. e.

Henricus II. epiſcopus Leodienſis, 303. d. 458. a. 521. c. 522. d. 603. a. eum hortatur Eugenius III. ut raptores bonorum Stabulenſis monaſterii compeſcat, 230. b. monetur de vi illata Stabulenſis monaſterii hominibus a Theoderico de Salcevivo, 264. b. eum hortatur VVibaldus ut Euſtachium bona monaſterii ſui invadentem compeſcat, 220. a. & ſeq.

Henrici epiſcopi Leodienſis epiſtola ad Eugenium III. 487. c. Eugenii ad ipſum, 504. c. Gregorii & Jacobi cardinalium, 505. a. ejus epiſtola ad Stephanum epiſcopum Metenſem, 521. b. ad VValciodorenſes & Haſterienſes, 522. d. ad VVibaldum abbatem, 222. e. 459. d. VVibaldi ad eum epiſtola, 223. b.

Henricus Lubecenſis epiſcopus, 135. a.

Henricus epiſcopus Mindenſis, 170. 180. 240. a. 322. c. 343. b. 365. e. 364. c. 435. b. 537. a. 616. a. ex monacho Corbeienſi, 426. b. 430. c. citatur ad Colonienſem archiepiſcopum, reſponſurus de excœcatione Vortlievi, 528. c. & ſeq. ejus cauſa ad Eugenium papam remittitur, 533. a. & ſeq. petitam pacem dare recuſat Corbeienſi monaſterio, 426. c. & ſeq. purgat ſe a ſibi objectis a VVibaldo, 428. e. & ſeq. ei ſcribit Eugenius papa III. in gratiam Corbeiæ. 509. b. reconciliatur cum VVibaldo abbate, 445. c. & ſeqq. ideo offenſum ſuam ei remittit Conradus imperator, 448. b. ejus epiſtolæ, 300. a. 448. e. 464. b. & VVibaldi ad eum, 467. a. 468. d. item Eugenii papæ, 457. a.

Henricus epiſcopus Olomucenſis, 170.

Henricus epiſcopus Ratiſponenſis & archicancellarius, 102. b. 165. 551. c.

Henricus epiſcopus Silvanectenſis, 900. e.

Henricus epiſcopus Trecenſis, 891. c. e.

Henricus epiſcopus Tullenſis, 102. a. 164.

Henricus abbas, 683. a.

Henricus abbas Altæ-cumbæ factus abbas Clarevallis, 706. e.

Henricus abbas Corbeienſis flagitioſus 180. violenter intruſus, 317. c. de multis *accuſatus*, 169. *deponitur*, 170. 173. 198. d. 200. e. 202. b. e. 215. a. 276. c. ejus cauſam defendit VVibaldus ante ipſius depoſitionem, 102. b. ipſum in gratiam recipi orat abbas S. Godehardi, 289. d. & ſeq. renuit VVibaldus, 291. a. & ſeq. eumdem recipi in profeſſionis Clauſtro orat epiſcopus Hildesheimenſis, 300. e. 301. c. quam male ſe geſſerit, 291. b. depoſitus in pontificalibus celebrat, 302. e. 311. e. excommunicatus denuntiatur a Bernardo epiſcopo Paterburnenſi, 303. Corbeiam cum armis, VVibaldo abbate abſente, invadere tentat, 311. d. item fere fecerat in monaſterio *Adſleve*, 341. d. hanc abbatiam invadere tentat, 312. a. *ejus depoſitio confirmata in concilio* Remenſi, 312 d. e. & ab Eugenio III. 241. b. 315. d. ſucceſſoris adventum patienter expectat, 307. d. immo Romam proficiſcitur ad reparandam cauſam ſuam, 303. b. c. revertitur infecto negotio, 310. a. monaſterii prædia diſſipat, 310. a. *ſimulac ſe* Romæ reſtitutum, 172. ſed non reſtitutum declarat Eugenius III. 509. d. nec ſacerdotii ordini reſtitutus fuit, 511 c. ſoror ipſius abbatiſſa Kaminatenſis depoſita, 313. a.

Henricus II. abbas Corbeienſis, 170. 200. d. 202. c. eligitur, 303. b. obit ibid. 303. c. ejus anniverſarium 274. d. 313. e.

Henricus Fuldenſis & Hersfeldenſis abbas, 135. a. 329. d. 601. c. 616. a. abbatiæ Fuldenſi renuntiat, 411. d.

Henricus abbas montis S. Diſibodi, 1128. a.

Henricus prior Corbeienſis electus abbas Mariani monaſterii, 549. c.

Henricus præpoſitus Corbeienſis factus abbas, 198. d.

Henricus præpoſitus de Groninga, 371. a.

Henricus monachus Stabulenſis pius & doctus, 158.

Henrici monachi epiſtola ad VVibaldum 280. e.

Henricus de Vizeliaco Martini papæ IV. capellanus & theſaurarius eccleſiæ Laudunenſis, grandi ſcientia præditus. 1290. a. capellanus etiam & familiaris regis Francorum, ibid. c.

Henricus imperator I. 48. d. ejus diploma pro Stabulenſi monaſterio, 41. d.

Henricus II. rex Romanorum, 56. c. ejus diploma de electione abbatis Bertranni, 54. e.

Henrici III. regis Romanorum diploma pro monaſterio Stabulenſi, 59. c. 64. b. intereſt conſecrationi Stabulenſis monaſterii, 59. d. 61. a.

Henricus IV. rex Romanorum confirmat privilegia Stabulenſis monaſterii, 70. a. 75. d. ejus diploma pro Stabulenſi monaſterio, 82. b. decimas ad Corbeienſe monaſterium pertinentes dat Oſnaburgenſi epiſcopo, 599. b.

Henricus V. rex Romanorum, 64. c. 86. ejus tractatus cum Calixto II. papa, 1234. a.

Henricus Conradi filius rex Romanorum coronatur, 173. 205. b. 264. e. 358. b. 367. d. 371. d. 372. c. eum. fidei VVibaldi abbatis committit Conradus II. *imperator*, 174. 575. e. VVibaldi erga ſe ſervitia agnoſcit, cupitque omnia ſua & regni negotia per ipſum ordinari, 261. c. d. ejus obedientiam laudat Eugenius III. 231. d. quam filio commenduverat Conradus imperator, 232. c. uxor ei quæritur neptis imperatoris *CP.* 378. c. ipſius victoria de Guelfone, 371. c. & ſeq. 377. b. & ſeq 379. & ſeq. 380. b. quem vincit & capit, 372. e. Eugenii III. patrocinium deprecatur, 230. c. 233. a. cui etiam archiepiſcopum Moguntinum commendat, 269. a. & ſeq. ejus epiſtola ad VVibaldum abbatem Corbeienſem, 212. c. Eugenii papæ ad eum, 239. a.

Henricus VI. rex Romanorum, 1230. e. ejus *tractatus cum* Cœleſtino III. papa, 1230. e. ei mittit nuncios, 1231. b. ſecuritatem dat in ſua coronatione, 1249. e. excuſat ſe de illatis a Philippo fratre injuriis, 1249. a. Henricus rex Sardiniæ filius Friderici I. imperatoris, 1253. d. 1156. c. 1246. e. facti imperii in *Italia* legatus generalis, 1140. c. miſſus ad Florentinos. 1149. c. in regem eligitur, 1157. c. ad mandatum Innocentii III. rex coronatus vivente patre, 1242. a. in patrem rebellat, 1152. e. 1158. d. & in principes, 1158. b. Gregorio papæ IX. promittit militiam in ſervitium imperii & eccleſiæ, 1249. d. jurat tamen quod numquam erit contra Fridericum patrem ſuum, 1248. b.

Henricus Angliæ rex, 1357. c.

Henricus II. Angliæ rex, 783. e. dux Aquitaniæ & Normanniæ, 1354. e. 1355. a. 1360. e. pacem cum ipſo & Ludovico rege VII. Francorum procurare tentat Alexander III. papa 989. b. & ſeq. 995. b. & ſeq. ei Gerardum Solemniacenſem abbatem commendat Fridericus imperator, 587. c.

Henricus rex Caſtellæ & Legionis, 1469. e.

Henricus dux Corbeiæ infeſtus, 177.

Henricus dux Bavariorum, 61. d. advocatus S. Maximini Trevirenſis, 65. c. expeditionis Italicæ ſub Lothario imperatore dux, 161. 164. de imperio contendit, 168. ejus epiſtola ad VVibaldum abbatem, 470. a. VVibaldi apud imperatorem protectionem implorat, 470. a.

Henrici ducis Bavariæ & Saxoniæ epiſtola ad Fridericum imperatorem, 588. a.

Henrici ducis Bavariæ & Saxoniæ epistola ad VVibaldum, 595. c.
Henricus dux Bavariæ & marchio Tusciæ, 102. a.
Henricus dux Saxoniæ, 423. b. 523. c. 581. a. 616. b. ei VVibaldum commendat Conradus imperator, 203. c. 207. c. ei scribit in gratiam abbatiæ Corbeiensis, 433. c. Corbeiense monasterium sub sua suscipit protectione, 449. c. scribit Eugenio III. in gratiam VVibaldi, 234. c. ipsi scribit Eugenius, III. 508. b.
Henricus filius VValerani ducis, 105. d. 116. c. 128. a.
Henricus comes, 86. c. 891. c. 1200. b.
Henricus comes advocatus S. Maximini Trevirensis, 57. c. 58. d. e. 59.
Henricus comes in auxilium Damiatæ missus a Friderico II. 1197. a.
Henricus comes de *Cazeneleaborges*, 603. b.
Henricus comes de Gelra, 458. b.
Henricus comes Grandis-prati, 757. a. 813. b. 897. b.
Henricus comes Namurcensis, 112. e. ejus epistola ad Eugenium papam III 244. c.
Henricus comes *de Northeim* fundator monasterii Bursfeldensis, 529. e.
Henricum S. Pauli comitem mandat Fridericus imperator, ut sibi cum decenti militum turma occurrat, 1136. b.
Henricus comes de Rupe advocatus Stabulensis, 125. d. 458. e. vexat ecclesiam Leodiensem, 460. a. & Stabulensem, 461. c. domum Erchemberti fratris VVibaldi destruit, 117. d.
Henrico comiti *de Salmes* recensetur VVibaldus damna ab ipsius ministerialibus illata Stabulensi monasterio, 568. e. & seq. Henricus suas controversias VVibaldo dirimendas remittit, 569. e.
Henricus comes Trecensis, 659. a. 880. e. 940. a. 1007. a. gravat ecclesiam Remensem, 867. a. & seq. ab Henrico archiepiscopo excommunicatur, 867. d. e. a quo appellat ad papam, 907. c. & seq. ecclesiæ Remensis homines vexat, 907. d. cum eo ut amice componat Henricus archiepiscopus Remensis hortatur Alexander papa, 910. d. qui hac de re scribit regi, 912. c.
Henrici Trecensis comitis epistola ad Henricum archiepiscopum Remensem, 967. e. litteræ ad Alexandrum III. de negotio ecclesiæ Catalaunensis, 671. c.
Henricus frater Alberti comitis Namurcensis, 72. d. 73. d.
Henricus advocatus major filius Alberti comitis Namurcensis, 74. e. 79. e.
Henricus frater Herimanni comitis VVinzenburgensis, 601. c.
Henricus filius Roberti Drocensis comitis litigat pro cancellaria ecclesiæ Noviomensis, 810. c.
Henricus consanguineus Hermanni episcopi Constantiensis, 374. a.
Henricus *de Limburg*, 125. d.
Henricus de Luxemburgo vice-comitatum de curia de Braz descendentem dat Stabulensi monasterio, 133. b.
Henricus miles *de Prigi*, 904. e.
Henricus de Rupe miles, 169.
Henricus Marescalcus, 610. c.
Henricus imperatoris notarius, 361. e. 391. e. 410. d. orator Conradi imperatoris ad papam mittitur, 411. a. & seq. 413. d. 499. b. 501. a. 503. d. ei VVibaldus commendat apud imperatorem causam de Kaminata, 389. b. & seq. Henrici ad eum responsio, 390. d. ejusdem ad VVibaldum epistolæ, 439. c. 519. a. c. 539. d.
Henricus notarius Henrici junioris regis Romanorum, 245. c.
Henricus advocatus Stabulensis, 84. c. 85. a. 86. d.
Herdensis præpositi epistola ad S. Hildegardem, 1039. b.
Herebertus vir illustris, 40. e.
Heremannus episcopus Ferdensis, 616. a.
Herevordense monasterium virginum, 208. e. ad illud accersuntur moniales ex Suessionensi B. Mariæ cœnobio, 209. e. a Ludovico Pio fundatur, 604. e. ejus reformatio VVibaldo commissa, 208. b. illius moniales ab abbate Corbeiensi debent procurari, 613 e. 614. a.
Herevordensis abbatissa Juditha, 208. a. e.
Heribertus archiepiscopus Colonensis, 113. d. ejus privilegium pro monasterio Stabulensi, 55. e.
Heribertus *de Beren* episcopus Trajectensis, 354. e.
Heribertus capellanus Conradi imperatoris, 424. a. 438. c. 441. a.
Heribertum Friderici imperatoris capellanum Anastasio IV. papæ commendat VVibaldus, 575. d.
Hericus dux, 14. d.
Herimannus Mimigardevordensis episcopus, 61. a.
Herimannus marchio de Bada, 603. b.
Herimannus marchio de *Bothen*, 610. b.
Herimannus comes, 71. b. 76. b. 243. e. 424. d. 481. c. 601. a.
Herimannus comes advocatus Corbeiæ interest VVibaldi abbatis electioni, 202. d. ejus epistola ad Eugenium papam de electione VVibaldi, 203. c.
Herimannus comes palatinus Rheni, 603. a.
Herimannus Salmucensis comes, 80. a.
Herimannus comes VVinzenburgensis, 601. c. scribit Eugenio papæ III. in gratiam VVibaldi abbatis, 235. b.
Herimannus Alexandri III. notarius, 613.
Herimannus filius Adalberti marchionis Brandeburgensis, 603. b.
Heriveus archiepiscopus, 40 d.
Hermannus archicapellanus Zuendeboldi regis, 36. e.
Hermannus episcopus Constantiensis, 373. d. e. 551. c. 557. d. 610. a. asciscit sibi coadjutorem Ludovvicum de *Fryberg*, 1544. d. ejus epistola ad VVibaldum abbatem, 373. d. VVibaldi ad eum responsio, 374. b.
Hermanno episcopo Fardensi pro monasterio Corbeiensi scribit Eugenius III. 508. d.
Hermannus electus Trajectensis, 458. b. 484. c. ei scribit Eugenius III. pro monasterio Corbeiensi, 507. b.
Hermanno canonico Bunnensi villicationem de Casliniaco committit VVibaldus, 546. b.
Hermannus marchio, 112. d.
Hermannus comes, 60. a. 249. b. 257. a. 392. d. amicus VVibaldi, 386. e. advocatus Corbeiæ, 425. e.
Hermannus *de Kuic*, 458. b.
Hersendis nobilis femina, 714. d.
Hersfeldensis abbas Henricus, 329. d. 425. d. 601. a. 616. a. interest electioni abbatis Fuldensis, 284. b. eligitur ad Fuldensem abbatiam, 287. c. electioni acquiescit, 288. d. in judicium vocatur quod abbatiam Fuldensem susceperit, 294. d. abbatiæ Fuldensi renuntiat, 411.
Hersfeldensis abbas a monachis expulsus de Claustro, 344. a. 345. c. in suo restituitur officio, 328. b.
Hertinhasilis abbatis electi Salemensis epistola ad S. Hildegardem, 1018. d.
S. Hieronymus digamiam impugnavit, 336. c.
Hieronymus de Praga, 1445. a.
Hilardus presbyter ab officio suo suspensus, 927. e.
Hildebaldus episcopus, 19. c.
Hildebaldus abbas Stabulensis monasterii privilegium impetrat, 28. c. 30. c.
Hildeboldus episcopus Vormatiensis, 52. a.
Hildeboldus cancellarius Ottonis II. imperatoris, 510. b. 52. c.
Hildebrandus Pincerna, 514. a.
S. Hildegardis a puertia a Deo consecrata, 1031. in monasterio montis Desibodi educata solum didicit psalterium, 1113. b. & tamen philosophorum & dialecticorum superat acumina, 102. e. prophetiæ dono adimpletur, 1047. b. ejus fama ubique dispersa, 1030. a. 1044. e. 1059 a. consulitur a doctore Parisiensi, 1013. ad eam accedit pedestris femina nobilis sed sterilis, 1027. d. ipsam nudis convenire pedibus optat monachus S. Benedicti, 1090. b. ejus moniales festis diebus gestant alba velamina, coronas in capite, anulos in digitis &c. 1080. a. omnes erant nobiles, ibid. b. libros scribit, 1027. c. ejus opuscula, 1013. vita compendio redacta, 1022.
Hildegrinus episcopus Halberstadiensis, 520. d.
Hilderici præpositi S. Simeonis Trevirensis epistola ad S. Hildegardem, 1051.
Hildericus rex, 19. e. 43. b 50. c. 61. c.
Hildesheimenses episcopi Bernardus, 170. 300. d. 301. b. 317. a. VVibaldi ad eum epistola, 301. c. Bruno, 316. e. 584. a. c. Udo, 601. a.
Hilduardenhusen monasterium Corbeiæ concessum, 386. c.
Hillinus archiepiscopus Trevirensis, 516. d. e. 551. c. ei gratulatur VVibaldus de sua promotione, 547 d.
Hillinus abbas monasterii *Aldesleve*, 311. d. Jerosolymam profectus & militiam secutus obit, 312. a.
Hiltruda comitissa, 38. b.
Hinsbergensis abbas, 290. b.
Hirminmaris Ludovici Pii notarius, 25. d.
Hispalensis cardinalis, 1469. d.
Hispalensis episcopus Pe. cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum, 1524. c. 1515. a.
Hispanias debellavit Carolus-magnus, 1407. d.
Hirsaugiensium monachorum cum abbate discordia, 1116. d. & seq. epistola ad S. Hildegardem, ibid.
Hodo domesticus Childerici regis, 11. a.
Holduinus vice-dominus ecclesiæ Remensis, 774. d.
Homicidium enorme in urbe Remensi perpetratum, 811. a.
Homicidium impunitum redarguit Conradus rex Siciliæ, 1215. e.
Homo ante peccatum ex profunditate illuminati pectoris scientiarum notitiam obtinebat, 1274. c.
Honorius papa II. 22c. d.
Honorius papa III. 1210. d. 1241. b. d. 1242. d. 1243. d. colloquium Verulis & Ferentiæ habet cum Friderico II. 1197. c. ei promittit Fridericus II. regis Siciliæ nomen dimittere cum coronatus fuerit imperator, 1242. a.
Horatii comœdiæ a Ciceronе magni habitæ, 1398. d.
Hospitalariis B. Mariæ Teutonicorum sua sunt privilegia servanda, 1184. a. & seq.
Hospitali Jerosolymitano locum in diœcesi Remensi petit Josbertus magister hospitalis, 1001. b. & domum in regno Franciæ A. subprior S. Sepulcri, 995. c. d. hospitalis Jerosolymitani fratres vexat dux Lovanienſis, 752. d. ejus factam eleemosynam aufert, 771. b. ipsis abbata sunt restituenda, 980. a. & seq.
Hospitali Valencenensi conceditur ecclesia & cimiterium, 868. c. d.
Hospitale de Avenis, 1303. b.
Hospitale de *Comitat*, 1302. a.
Hospitale seu domus pauperum de Cusalano, 1304. b.
Hospitale dictum Petras albas, 1304. c.
Hospitale de Rupetuia, 1302. c.
Hospitale S. Johannis Sagiensis, 1303. d.
Hospitale S. Trinitatis de *Sunringal, alde*, 1305. c.
Hospitale S. Trinitatis de Velvolica 1301. d.

Hostiensis episcopus, 718. e.
Hostiensis episcopus Albericus, 110. b. c. 122. a.
Hubaldus presbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli, 121. a.
Hubaldus presbyter cardinalis S. Praxedis, 122. a. 129. d.
S. Huberti abbates Bertholdus de Ocriers, 139. d. 142. a. Gislebertus, 110. a.
Hudo comes, 45. c.
Hugbertus archicapellanus Ludovici I. regis Franciæ orientalis, 28. b.
Hugbertus comes palatii, 19. c.
Hugo presbyter cardinalis, 121. c.
Hugo archiepiscopus Colonienſis, 366. b e.
Hugoni archiepiscopo Rotomagensi ecclesiam Belvacensem commendat Eugenius III. 634. d.
Hugo archiepiscopus Senonensis, 653. e. 658. a. multa aufert monasterio Ferrariensi, 665. b. c.
Hugo episcopus Autissiodorensis, 629. d. ipsi & S. Bernardo abbati committitur reconciliatio Henrici episcopi Belvacensis cum Ludovico rege fratre ipsius, 634. a. b.
Hugo episcopus Leodiensis, 132. a.
Hugo *de Chamflenti* episcopus Suessionensis, 652. e. 754. c. 778. b. 783. d. 785. c. d. 796. a. 800. e. 801. d. 836. d. 871. e. regis placita tenet Parisiis, 797. b. cancellariam dimittere jubetur, 898. a. e.
Hugo abbas Cluniacensis schismaticus excommunicatur & deponitur, 660. a. 662. b.
Hugo abbas Stabulensis, 134. a.
Hugo comes, 45. c.
Hugo comes S. Pauli, 837 e.
Hugo notarius Caroli Simplicis, 40. d.
Hugo miles divortium fact ab uxore per fallos testes, 805. d.
Hugo *de Brois*, 891. c.
Hugo de Gornaco, 636. a.
Hugo *de Funcari*, 920. b.
Hugo Parisiensis, 334. e.
Hugo *de Rissi*, 1006. e.
Hulsbracensis abbas Erbertus, 539. c.
Humana natura quanto magis ex cursu temporum a primordiali formatione dilabitur, tanto efficitur debilior, 1174. d.
Humbertus cancellarius Henrici III. imperatoris, 77. e.
Humolariensis abbas P. 793. c. 964. b. 970. b.
Hungariæ rex Mathias, 1466. a. 1469. a. 1490. d. 1491. d. 1536. c. ei pecuniarum subsidium adversus Turcas mittit Sixtus papa IV. 1491. c. 1506. c.
Hungolinus frater Hermanni Fardensis episcopi, 508. e.
Hunni a Carolo-magno devicti, 1407. d.
Huxeri villa regia data Cotoniæ a Ludovico Pio, 250. e. eam vastant VVidikindus & Folcuinus, 530. a. & seq. eam tuetur Fredericus imp. 538. b. 539. c.
Hylarensis ecclesia, 1302. a.

I.

Sancti Jacobi reliquias Atrebatensi S. Vedasti monasterio vi aufert Philippus comes Flandrensis, 747. e. illas dat ecclesiæ Arlensi, 811. c.
S. Jacobi Leodiensis abbates Olbertus, 110. a. Stephanus, 382 d.
Jacobus cardinalis, 505. a. 718. c.
Jacobi de Arcis mortem luget Johannes de Monsterolio, 1414. b.
Januensium classem Venetl magno dolo invadunt, 1341. d.
Jasto comes palatii, 25. b.
Jerosolymitani patriarchæ epistola ad Henricum archiepiscopum Remensem, 997. a. Item regis, 996.
Jerusalem rex Balduinus, 648. a. e.
Jesicæ abbatissa Juditha corrupta, 414. d. dissipat bona Kaminatæ, 434. b.
Igniacense monasterium, 701. e.
Igniacensis abbas Gaufridus S. Bernardi notarius, 706. e.
Imarus episcopus Tusculanus, 618. e.
Imiko comes *de Livigen*, 610. c.
Imma comitissa, 198. e.
Immo abbas VValciodori, 523. a.
Imperator quibus dotibus ornari debeat, 536. e.
Imperii custos & procurator est archiepiscopus Moguntinus absente principe, 268. e.
Imperium ex absentia Conradi turbatum, 375. d.
Incantationibus fidem non adhibent docti gentiles, 352. b.
Incendiarii excommunicati, 463. b. 827. d. 908. d.
Indensis abbas Anno, 106. b. d.
Indulgentia indulta terræ sanctæ subvenientibus, 749. b. & seq.
Indulgentias Jubilei concessas Polonis suspendit Sixtus IV. 1529. b.
Infirmis de Mellento conceditur Cimiterium, 988 d.
Infirmis *de Osiayn* oratorium & cimiterium, 963. d. e.
Ingrannus abbas S. Medardi, 295. a. 910. e.
Injuriam qui facit apud christianos miser, non qui patitur, 338 d.
Innocentius papa II. 109. d. 220. d. 366. b. 400. c. a Lothario imperatore exceptus, 157. eum & Richizam imperatricem diademate decoravit, 257. qui eum sedi suæ restituit, 100. & Benevento, 161.
Innocentius III. 1242. a ipsi obedientiam promittit Fridericus II. imperator, 1240. a. item Otto IV. imp. 1234. d 1235 a & seq.
Innocentii IV papæ electio, 1145. a. ante electionem propensus in imperatorem fuit, 1145. b. qui ipsi de sua promotione gratulatur, 1244. tractatus pacis inter Innocentium IV. papam & Fridericum II imperatorem, 1244. d. e. 1245. a. quem ille deposuit in concilio Lugdunensi, 1295. e. privilegia ecclesiæ Romanæ describi & suum in locum deponi curavit, 1224. 1226. a. d.
Innocentius VII. de ipso quæritur Johannes de Monsterolio, 533. c. 1334. a.
Inobedientia punienda, 930. b.
Insula monasterium, 913. b.
Insulæ-Barbaræ monasterium, 1302. d.
S. Johannis sepulcrum manna scaturit, 252. e.
Johanni papæ XII. Otto imperator confirmat civitates olim datas sedi apostolicæ a Pippino & Carolo-magno, 1217. a. & seq.
Johannes diaconus cardinalis, 121. d. 129. e.
Johannes cardinalis nepos Lucii II papæ, 228. c. ejus ad VVibaldum epistola, 229. b.
Johannes Baluë cardinalis S. Susannæ episcopus Andegavensis, 1514. b.
Johannes administrator Cæsar-augustanus natus regis Aragonum, 1123. b.
Johannes Ludovicus de Sabaudia papæ notarius & Gebennensis ecclesiæ administrator, 1468. d.
Johannes episcopus Gratianopolitanus exsul, 733. a. pro eo scribit Alexander III. ad Remensem archiepiscopum, ibid.
Johannes Luthomuschlensis episcopus, 131. b.
Johanni de Ambasia datus episcopatus Malleacensis, 1494. c. 1502. b. postea Lingonensis, 1494. e.
Johannes episcopus Massanus, 1522. c.
Johannes Antonius Ferrosinus episcopus Sagonensis captus a Pyratis, 1519. b.
Johannes Franciscus Ferrosinus papæ familiaris & continuus commensalis, 1519.
Johannes abbas Frichesallensis, 386. b. compellet VVibaldum recipere opus abbatiæ Corbeiensis, 386. d.
Johannes abbas Lobiensis, 795. a.
Johannes abbas S. Maximini Trevirensis, 58. c. 65. d.
Johannes abbas Stabulensis, 127. b.
Johannes *Rulland* abbas Stabulensis, 157.
S. Johannis Morinensis monasterium, 1008. e.
S. Johannis de Vineis abbas, 725. e. 915. d. 920. d. 921. b.
Johannes rex Angliæ filiam suam Othoni imperatori collocat, 1356. b.
Johannes rex Aragonum, 1491. c.
Johannis Francorum regis tractatus cum Eduardo rege Angliæ, 1360. e.
Johannes rex Jerosolymitanus, 1197. c.
Johannes *de Ruz* comes, 135. a.
Johannes *de Ruere* nepos Sixti IV. papæ matrimonium contrahit cum filia ducis Urbini, 1470. d.
Johannes Baptista de Bentivoliis eques & Jurisconsultus, 1471. a.
Johannes Franciscus de Bentivoliis, 14 1. a.
Jo. Navarrus seneschallus Hierosolymitanus, 1526. c.
Johannes Salvaigus Januensium triremium capitaneus excommunicatus ob invasas Ferdinandi regis Siciliæ triremes, 1511. e.
Johannes notarius Gregorii papæ V. 55. e.
Johannes de Burgundione excommunicatus, 773. e.
Johannes de Jasonio cancellarius Parisiensis, 1312. d.
Johannes de Magduno fabulosæ narrationis vulgo le *Roman de la Rose* scriptor, 1419. a. adversus quemdam Carnificum defenditur, 1419. d. 1420. & adversus quosdam doctores, 1421. 1422. 1423.
Johannis de Monsterolio studia, 1405. c. 1433. b. c. 1434. a. b. 1435. a. familiariorem sibi facit Augustini librum de Civitate Dei, 1405. c. Hieronymum ceteris patribus præfert, 1404. d. solitudinem urbano tumultu studiis suis esse accomodatiorem, 1405. d.
Johannis de Monsteriolo munia, 1312. 1319. b. legationes, 1432. e. varias & honorificas ad summum pontificem, imperatorem &c. obivit, 1312. proficiscitur ad summum pontificem cum duce Bituriæ, 1330. c. qui pensionem ei renovat, 1435. b. legatus mittitur ad regem Romanorum & ad partes Almanniæ, 1416. d. de suo itinere Germanico ad amicum scribit, 1416. e. 1417. 1418. item ad Muretum, 1417 a. legatus ad reges Angliæ & Scotiæ mittitur, 1314. b. ipsum amici sollicitant ut præbendam in ecclesia Parisiensi sibi procuret, 1337. e. a beneficiorum ecclesiasticorum coacervatione quam alienus videatur, 1325. e. 1328. præceptorem orat ut quod pro obtinenda sibi præbenda Belvacensi cœperat vellet perficere, 1415. a. b. plures habet præbendas in ecclesiis cathedralibus, 1329. a. & præposituram insignem ibid. multa largitur amicis qui loco sui his in ecclesiis degunt, 1328. d. petit a præpositura suæ administratione eximi ad decennium, 1335. b. quædam opera sua episcopo mittit, 1420. d. e. ejus obitus, 1312. d. epistolæ, 1301. & seq. varii eatum codices reperiuntur, 1301. d. quas regis nomine scripsit desiderantur, ibid. libellus ejus de regali progenie, 1312. a. hunc sibi petunt principes regii sanguinis, *ibid.* c. exempla ejus vitiata insciția scriptoris, 1364. b. in eum invehitur Ambrosius de Miliis, 1456. d. e. 1457. 1458.
Johannes de Sleida, 135. a.

Johannem

Johannem Turdum de morte filii consolatur rex Siciliæ, 1217. b.
Johannes Venatoris, 1311. d.
Johannis notarii epistola de Guelphi fœdere cum Siculo, 413. a.
Jordanus cardinalis VVibaldum defendit, 525. d. 527. e. illum perstringit S. Bernardus, 525. e.
Jordanus presbyter cardinalis S. Susannæ, 124. b.
J. de Columna cardinali scripta a Friderico II. epistola, 1167. c.
Jordanus vexillifer Romanæ urbis, 397. c.
Josbertus hospitalis Jerosolymitani magister petit ab Henrico archiepiscopo Remensi locum in ejus diœcesi 1001. b.
Josbertus de Calvo-monte infestus monasterio S. Remigii Remensis, 1002. a.
Joscius archiepiscopus Turonensis, 843. d. e. 907. e.
Joseph patriarcha cum ossa sua ex Ægypto transferri jussit, transfiguravit sanctorum corporum translationes, 1188. b.
Ira qualis esse debet, 1025. c.
Isaac comes, 39. c.
Isabellæ regis Angliæ sororis matrimonium cum Friderico II. imperatore, 1247. d.
Itali, ab his cavendum exemplis probatur, 1341. a. 1342. dicunt omnia sui causa facere sapientem, 1342. a.
Itta fluvius, 8. b.
Jubilæi indulgentiæ concessæ pro subsidio colligendo adversus Turcas, 1136. c. in Gallia promulgatæ, 1529. d. concessas Polonis suspendit Sixtus IV. 1329. b.
Judæis etiam peccantibus non defuit magister, 1024. e.
Judæi conversi benigne sunt tractandi, 787. a.
Judicatæ rei standum esse juris decernit auctoritas, 751. e. 778. c 786. d.
Juditha abbatissa Herevordensis, 208. a e.
Juditha abbatissa Kaminatensis, 180. deposita, 414. c. d. 437. e. dissipatrix prædiorum monasterii sui, 235. a. 236. c. 240. b 505. d.
Judith ducissa, 126. e. 128. a.
Judocus marchio Brandeburgensis confirmat monasterio Stabulensi diploma Lotharii imperatoris, 138. c.
Juliacenses, 1351. c.
Juliacensis dux VVilhelmus, 135. a. 610. c.
Julius presbyter cardinalis S. Marcelli, 129. d.
Julius cardinalis S. Petri ad Vincula Sixti IV. nepos, 1516. a.
Julius Cæsar de Verano, 1518. c.
Julius Firmicus pentissimus in Matheseos, 1441. e.
Jurare contra conscientiam nullus debet compelli, 830. d.
Justitiæ defectu quanta sequuntur mala, 1185. e.
Justitiam subditis exhiberi suis mandat Manfredus rex Siciliæ, 1221. c. & seq.
Jutta abbatissa S. Desibodi, 1012.

K.

Kadroe abbas VValciodori, 521. a.
Kaminata virginum monasterium, 313. b. 322. d. 343. a. 347. a. 348 d. 360. b. 386. 388. b. 391. d. 432. e. 433. e. Corbeiæ-novæ unitum, 175. 199. b. 207. c. 233. c. 234. a. 389. c. 602. c. episcopo Mindensi consentiente, 448 b.
Kaminata bis ejecti monachi Corbeienses, 434. b. eis confirmatur, 614. b.
Kaminatensis abbatissa Juditha, 180. 235. a. 236. c. 240. b. 437. d. deposita, 197. e. ejus depositio in concilio Remensi ab Eugenio confirmata, 298. bona dissipat abbatiæ de Jesika, 434. b. 505. d.
Kaminatensis ecclesia cessat a divinis officiis ob catum pueruli qui in ecclesia expiravit, 347. c. 348. e. 349. b 356. d. 360. 361 e. 364. c. ejus reconciliationem apud papam urget VVibaldus, 414. b. 436. d. 427. b.
Kanutus rex Daniæ privatus regno ad Conradum imperatorem confugit, 496. c.
Kepereliense monasterium, 1304. b
Kizingunensis abbatissæ S. epistola ad S. Hildegardem, 1062. d.
Knelhstehdensis præpositi H. epistola ad S. Hildegardem, 1052. c.
Koufungimensis abbatissæ H. epistola ad S. Hildegardem, 1063. a.

L.

L. episcopi Theanensis obitus, 1206. c.
L. L. prior S. Remigii abbatiam ad quam electus erat, recusat, 41. b.
Lacedemoniorum mores & statuta gravissimæ auctoritatis, 1408. b.
Lactantius millenarius, 336. b.
Ladislai ducis Poloniæ profugi restitutionem meditatur Conradus II. rex, 178.
S. Lambertus patronus ecclesiæ Leodiensis, 679. e.
Lambertus abbas Lobiensis, 630. e.
Lambertus abbas VValciodori, 523. a.
Lambertus VVerdenensis abbas, 458. b.
Lambertus comes, 110. a.
Lambertus filius Cuonomis comitis, 80. a.
Lambertus de Nigella, 877. c.
Lancastriæ dux regnum Angliæ Richardo rege interemto invadit, 1324. a. d. 1360. a. a. cum nullum jus ante haberet, 1314. c.
Landechiæ abbatiæ ablata restitui jubet Sixtus IV. 1547.
Landulfus Bucca Vitelli, 102. a.
Lanfranco Spinulæ scripta a Friderico II. epistola, 1177. c.
Longobardi Casinense monasterium vastant, 183. 187. b.
Larium lacus a Mediolano passibus 25. distans, 1151. d.
Latiniacense monasterium, 1302. e.
Latinus episcopus Tusculanus papæ camerarius, 1506. b.
Laudatio sine amore fieri non potest, 333. b.
Laudunensis ecclesia, 986. d.
Laudunensis ecclesia Christi vicarium scilicet Urbanum IV. & quatuor filios claritate conspicuos produxit, 1254. b. d.
In Laudunensi ecclesia sede vacante, factam collationem a rege Franciæ Nicolaus papa III. declarat non esse legitimam, 1276. b.
Laudunensis episcopus, 645. e. ei committitur negotium Constantiæ comitissæ Tolosanæ, 754. d. 755. a.
Laudunenses episcopi Galterius, 737. b. Galterius de Mauritania, 724 e. 728. e. 776. b. 895. e. 899. d.
Laudunensis ecclesiæ decanus S. 1276. b.
Laudunenses canonici, 805. d. 923. b. arguuntur quod canonicis horis interesse negligant, 1265. a. eorum correctio, 914. b.
Laudunensis canonia S. Johannis de Burgo, 951. b.
Laudunenses sancti Martini canonici, 956. d.
Laudunensis vice-comes R. vexat ecclesiam S. Remigii Remensis, 702. e.
Laudunensi in provincia tyrannidem exercet Robertus *de Bove*, 919. d.
S. Laurentii Leodiensis abbas Beringerus, 540. d. e. fundator monasterii S. Egidii in monte publico, 541. d. debet abbatem S. Egidii investire & benedicendum episcopo offerre, 541. a. suo jure bulla subrepta abbatem S. Laurentii privare tentant. S. Egidii canonici, 541.
S. Laurentii Leodiensis abbates VValterius, 518. d. VVazelinus, 110. a.
S. Laurentii canonici Belvacenses ab episcopo vexati, 973. d.
Laureshamense monasterium, 308. c.
Lausanensi episcopo commissum negotium Morbacense, 439. a.
Lectio gentilium scriptorum quo animo fieri debeat, 316. a.
Lectio vaga & multiplex quantum adfert voluptatis tantum aufert utilitatis, 334. e. delectat non instruit, 331. a.
Lectioni addictus Manfredus rex, 1220. b.
Legati imperatoris ad papam quid debeant observare, 518. e.
Legatus papæ inquirit de ecclesiæ Corbeiensis thesauri dilapidatione, 116. a. & seq.
Legionis rex Henricus, 1469. e.
Lehonensem episcopum ad precem Ludovici XI. dignitate privare recusat Sixtus IV. 1501. d.
Leo papa III. 617. d.
Leonis papæ IX. privilegium pro monasterio Stabulensi, 67. c. pro Geldulfo ædituo Stabulensi, 69. a.
L. Ostiensis cardinalis ad Romanos a papa destinatur, 1201. a. e.
Leo abbas S. Gisleni a schismaticis ejectus, 889. e.
S. Leonis monasterium, 912. e.
Leodiensis ecclesia ab Henrico comite de Rupe & a comite Namurcensi vexata, 460. a.
Leodienses episcopi de jure benedicunt abbates Stabulenses, 4.
Leodiensis episcopus, 181. vexat ecclesiam Stabulensem, 481. e.
Leodienses episcopi Adalbero, 85. d. 87. c. Albero, 96. c. 101. e. 102. d. 105. d. 108. e. 112. d. Albero II. 16. c. 117. b. 164. 220. d 463. a. Alexander, 94. a. 106. b. 130. c. 220 d. Everaclus, 47. c. Henricus, 173. 220. a. 222. e. 230. b. 264. a. Henricus II. 303. d. dictus de Limburgo, 458. a. d. 460. c. 487. c. 504. e. 505. a. 57 .b. 603. a. 752. d. Hugo, 132. a. Norgerus, 50. e. 52. a. 54. c. Otbertus, 78. d. 79. e. 80. e. 82. a. 84. c. 614. a. d. Radulfus, 950. e. Reinardus, 17. e. 59. b. Richardus, 61. a. Tiethvvinus, 73. a. c. VVazo, 66. d. 67. d.
Leodiense capitulum VVibaldi requirit consilium, 262. a. aliæ urbis præposituræ ab ipso fundatæ & dotatæ, 262. e. VVibaldi responsum, 263. c.
Leodiensem ecclesiam tuetur Conradus imperator, 418. d e.
Leprosi Cameracenses, 763. e. 764. d. 772. d. 861. e.
Leprosi de Turribus, 979. b.
Leprosi Sparnacenses, 965. d. his conceditur, presbyter, 1008. e. & cimiterium, 937. a.
Letiense monasterium, 985. e.
Letoldus præpositus Aurelianensis, 679. b.
Libertates ecclesiæ violantia statuta revocat Fridericus imperator, 1239. e.
Libertas ecclesiastica, de ea constitutiones Friderici II. imp. 1237. d.
Libertas in aula amittitur, 1401. d.
Libertinus monachus, 346. a.
Libris emendatur, 154.
S. Liborio episcopo Cenomanensi dicata ecclesia cathedralis Paterbornensis, 267. e.
Licurgus philosophiæ plurimum innititur, 1410. a. Licurgi leges decem excerpsit Justinus, 1409. b. civiliter & moraliter, immo bene beateque vivere docuit, 1409. a.
Liddensis episcopus B. 195. e. 996. e. 997. e.
Liesbornense monasterium, 596. e.
Ligam generalem principum Italiæ contendit contendere Sixtus IV. papa, 1471. d.
Liguriæ felicitatem depravat infelicitas incolarum, 1150. e.
Lingoniæ ecclesia, 301. b.
Lingonensis episcopus, 666. b.
Lingonensis episcopus Godefridus, 1011 d.
Lintfridus comes, 33. e. 34. e.
Lites incommoda generant, 695.

Litium nullus eſſet finis, ſi a tranſactionibus reſilire liceret, 817. a.
Litigare non convenit monachis, 838. b.
Litterati jocundam habent vitam, 338. a. ſunt diligendi, 885. c. litteratiſſimi olim erant reges & duces, 1316. c.
Luitbertus archicapellanus Ludovici I. regis Franciæ orientalis, 30. a.
Liutbertus archiepiſcopus Moguntinus, 11. c.
Luitvvardus ſeu Liutbertus archicancellarius Caroli Craſſi imperatoris, 32. c. 33. c.
Lobienſe monaſterium, 514. c. 1303. b.
Lobienſes abbates Franco, 630. a. c. 794. c. Johannes, 795. a. Lambertus, 630. c.
Lobienſi monaſterio ſubditi S. Urſmari & Antonienſes canonici, 794. d.
Lobienſes monachi canonicos S. Urſmari in choro & refectorio ſuo admittere prohibentur, 620. b. S. Mariæ de Lochis eccleſia, 1303. c.
Lod. *de Buren* vir nobilis cruce ſignatus, 813. c.
Londoiæ duci ſcribit Fridericus II. imperator, 1148. a.
Longia caſtellum munitum, 85. a. aſſertum Stabulenſi monaſterio, 132. b. reſtauratum a VVibaldo, 106. c.
Longobardorum reges Aiſtulphus, 1352. c. Deſiderius, 1352. c.
Loricenſe monaſterium, 1301. d.
Lotharingia afflicta, 160. c.
Lotharingiæ motus bellicos comprimit Conradus imperator, 492.
Lotharingiæ patriæ ſuæ paci inſudat VVibaldus, 483. c.
Lotharingorum rex Biſſurius, 1351. c.
Lotharingiæ dux Mattheus, 880. c.
Lotharius I. imperator, 19. a. Corbeiæ dat Rugiam inſulam, 174. 312. b.
Lotharii & Ludovici Pii imperatorum diploma pro Stabulenſi monaſterio, 24. c.
Lotharius II. imperator, 408. d. *Leodii* Innocentium II. excepit, 157. ab eoque coronatur, 157. expeditionem in Italiam ſuſcipit, 160. Innocentium ſuæ ſedi reſtituit, 160. alteram in Italiam expeditionem aggreditur feliciter, 161. ab epiſcoporum conſortio numquam fuit ſequeſtratus, 164. ei Caſinenſe monaſterium commendat VVibaldus, 183. & ſeq. 186. d. Petrum diaconum ſecum in Germaniam abducere deliberat, 164. 165. in viliſſima caſa devixit, 168. ob S. Remacli devotionem venit Stabuletum, 50. d. ejus diploma pro monaſterio Stabulenſi, 89. c. 96. d. 98. d. 134. b. prædia Stabulenſis monaſterii dat ſuis fidelibus, 26. a. inveſtituram regiam abbatiæ Stabulenſis VVibaldo tribuit, 106. b.
Lotharius rex Francorum, 1356. b.
Lothevvicus comes regionatus. 284. d.
Lovanienſis dux vexat fratres Hoſpitalis Jeroſolymitani, 72. d. factam ei eleemoſynam aufert, 771. b.
Lubboldesbergenſis abbatiſſæ N. epiſtola ad S. Hildegardem, 1069. a.
Lubecenſis epiſcopus Henricus, 135. a.
Lucemburgenſis dux VVenceſlaus, 135. a. d.
Luchenſis epiſcopus Robertus diffamatus, 1506. b.
S. Luciani monaſterium, 651. a. c.
S. Luciani Belvacenſis abbas, 850. c.
Lucius II. papa VVibaldum unice diligit. 228. c. annis viginti ipſi familiaris, 228. c. 229. b.
Lucii papæ II. privilegium conceſſum VVibaldo abbati, 121. a.
Ludolfus & Fridericus Palatini Corbeienſe monaſterium infeſtant, 561. b.
Ludovicus epiſcopus Caput Aquenſis. 1550. b.
Ludovicus *de Freiberg* epiſcopus Conſtantienſis ad Rhenum, 488. c. 1544. d. 1545. c.
Ludovicus Pius imperator, 43. b. 50. d. 68. c. 71. a. 580. c. 1352. d. 1354. c vivente patre Carolo-magno quinquennis coronatus, 1316. c. fundator Corbeiæ-novæ, 599. b. & Herivordiæ, 603. c. quod monaſterium ad inſtar Sueſſionenſis fundat, 604. c. tres abbatiolas concedit Corbeienſi monaſterio, 614. c. dat decimas, 581. d. ejus diplomata pro Stabulenſi monaſterio, 21. c. 23. a. 24. c.
Ludovici I. regis Franciæ orientalis diploma pro monaſterio Stabul. 27. d 28. d.
Ludovici II. regis Franciæ orientalis diploma pro monaſterio Stabulenſi. 30. c.
Ludovicus rex Auſtraſiæ, 38. a. c. 39. c.
Ludovici Auſtraſiorum regis diploma pro Stabulenſi monaſterio, 36. d.
Ludovicus & Carlomannus reges, 665. c.
Ludovicus Groſſus imperatorem regno expellit, 1356. a.
Ludovicus VII. rex Francorum, 666. d. 670. c. 732. d. e. 733. d. 750. c. 844. c. 892. b. 908. c. rex catholicus & chriſtianiſſimus & eccleſiaſticæ libertatis amator, 934. c. 935. b. Alexandri III. ad eum epiſtola, 935. a. ejus devotio erga ſedem apoſtolicam, 656. c. 818. a. b. 935. c. 950. b. Fuit a ſummis pontificibus dilectus, 63. b. in epiſcopum Aurelianenſem propenſus, 683. a. Benignus in viros eccleſiaſticos, 814. d. eum in fidei catholicæ unitate firmat Henricus epiſcopus Belvacenſis, 659. c. c. ſcribit papæ adverſus hæreticos Flandriæ, 684. c. ipſi eccleſiam Belvacenſem commendat Eugenius III. 630. c. & ſeq. rogat papam levari interdictum civitatis Belvacenſis, 688. a. ejus reconciliatio cum fratre Henrico epiſcopo Belvacenſi committitur S. Bernardo & Hugoni epiſcopo Autiſſiodorenſi, 634. a. b.
Ludovici VII. litteræ ad Alexandrum III. de negotio eccleſiæ Catalaunenſis, 671. c. ejus cum eo colloquium apud Clarum-montem, 671. c. colloquium aliud apud S. Laurentium aut S. Benedictum ad ligerim, 676. b. aliud ejus colloquium cum Friderico I. imperatore inter Tullum & Vallem-colorum, 880. c. 935. d. aliud apud Laonam impedire conatur Alexander III. 672. a. in eo quam bene ſe rex geſſerit. 672. c. Ludovici VII. filiam ne cum Friderici imperatoris filio contrahat nuptias impedit Alexander papa, 890. a. item matrimonium filii illius cum filia, 991. c. & ſeq.
Ludovicus VII. rex Francorum bellum gerit cum Henrico II. rege Angliæ, 783. c. inter eos pacem procurare tentat Alexander III. papa, 969. d. 389. b. 995. b. & ſeq. ipſum etiam hortatur Alexander papa ut componat diſſidium inter Henricum archiepiſcopum Remenſem & Henricum comitem Trecenſem, 912. c. d. ad ipſum mittitur Bernardus cardinalis, 678. d. Alienordem uxorem repudiavit, 1355. a.
Ludovicus VIII. rex Francorum, 1375.
Ludovicus IX. anno ætatis 13. coronatus, 1356. c. ejus elogium, 1252. 1253. Urbanum IV. papam ad ſolum natale invitat, 1253. b. ejus precibus Petrus de Roſcida-valle creatur archiepiſcopus Burdigalenſis, 1279. b. cum hortatur Fridericus imperator, ut conjunctim principum jura tueantur, 1241. d. & ſeqq.
Ludovicus rex cognomento infans, 580. c.
Ludovicus marchio Brandeburgenſis, 134. c.
Ludovicus comes palatinus Rheni & dux Bavariæ, 1145. c. 1197. a.
Ludovicus comes *de Loz*, 504. d.
Ludovicus Landgravius Turingiæ, 601. c.
Ludovicus de Alvernia regis Siciliæ nuntius ad Martinum papam IV. 1186. b.
Lugdunenſis archiepiſcopus Carolus, 1100. c. 1549 d. Guichardus, 726. d. Drogo ſchiſmaticus, 726. c.
Lugdunenſis archiepiſcopus annorum XVII. 1527. b.
Lugdunenſis archiepiſcopus Avenionis gubernator, 1514. d.
Lugdunenſis archiepiſcopus pacem componit inter Ludovicum XI. Franciæ & Eduardum Angliæ reges, 1313. c.
Luneburgenſis abbas anno, 189. a.
Lupanar conſtitutum infra cryptam baſilicæ S. Mariæ Romæ, 1261. a.
Lupoldus dux Auſtriæ, 132. b.
Luſtrenſe monaſterium in dioceſi Biſuntina, 1301. c.
Luthhmuſchlenſis epiſcopus Johannes, 135. b.
Luthereſis ſacerdotis epiſtola ad S. Hildegardem, 1111. c.
Luthevvicus comes de Turingia, 603. b.
Lymburgiæ dux VVenceſlaus, 135. a. d.

M.

MAcalanus abbas VValciodori, 523. a.
Macharius *de Cimai* interfector Adelardi advocati cognati ſui donum facit Stabulenſi monaſterio, 74. d.
S. Magdalenæ tranſlatio facta in monaſterio Vizeliaci e ſepulchro plumbeo in thecam argenteam, 1282. d. coſta una data legato apoſtolico quam Senonenſi eccleſiæ dedit, 1289.
Magdeburgenſes archiepiſcopi, Cuonradus, 101. c. 164. VVicmannus, 578. d. 579. a. d. e. 581 b. 582. d. 583. c. 584. a. e.
Magdeburgenſis eccleſiæ invaſor Cicenſis epiſcopus, 550. d.
Maginerius comes, 39. c.
Machometus ſeductor, 1418. b.
Mahometici chriſtianis infenſi, 1440. d. a Carolo debellati prope Narbonam, 1352. c.
Majus monaſterium, 678. c.
Malbodienſes moniales ordinis S. Benedicti in abbatiſſam rebelles, 931. b.
Malleaceuſis epiſcopus Johannes de Ambaſia, 1494. c. 1502. b.
Malmundarium monaſterium, 58. b. ejus fundatio, 6. b. an facta ante Stabulenſis monaſterii, 2. in eo nullam juriſdictionem exercet Colonienſis archiepiſcopus, 115. c. ſed eſt Stabuleto ſubjectum. 88. c. d. 118. c. ideoque Malmundarienſes profeſſionem emittere debent in Stabulenſi monaſterio, 88. c. 118. c. eorum culpæ per Stabulenſes emendandæ, 89. b. ſub Ottone II. proprium abbatem habere tentant, 71. d. 77. a. 81. c. 88. c. 99. c. Malmundarienſes monachos transferre poteſt abbas Stabulenſis, 115. b. qui ejus jugum excutere tentant, 4. ſibi eligunt abbatem Tegenonem, 4. qui ſic intruſus cauſa ſcandali, 83. a. Malmundarienſe monaſterium ab Hungris combuſtum & ab Evergero reſtauratum, 56. a. Malmundarii privilegia Stabulenſi in monaſterio ſervata, 88. b.
Manaſſes epiſcopus Aurelianenſis, 682. c.
Manaſſes de Ruminiaco vir nobilis, 763. c. 772. d.
Manegoldus ſcholæ magiſter laudat VVibaldum de ſcientia, 332. b.
Manerium quid, 28. c.
Manfredus cardinalis preſbyter, 122. b. 129. d.
Manfredus cardinalis S. Savinæ, 618. c.
Manfridus cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum, 728. c.
Manfredus princeps Tarentinus Friderici imperatoris nothus, 1295. c. ſententiæ adverſus eum latæ ab Alexandro papa IV. 1295. c. 1296. a. epiſtola de Friderici II. morte, 1181. c.

vices Conradi imperatoris gerit in Italia & Siciliæ regno, 1182. a.
Manfridus fictus rex lectioni addictus fuit, 1220. b. Aristotelis libros latine donari curavit. 1220. d. codices mittit universitati Parisiensi, 1221. a. restaurat studium universale Neapolis, 1218. b. 1219. c. pacem & justitiam subditis suis exhiberi mandat, 1221. c. & seq. a Carolo Andegavensi interemtus, 1356. d.
Mansuetudo in episcopo commendatur, 1007. d.
Mansuetudo in subditos commendatur, 1020. e.
Manlus quid, 28. e.
Mantuanus dominus a Mediolanensi duce obsessus, 1341. a.
Mantum insigne papalis dignitatis, 654. e.
Manuel imperator C P. Conrado imperatori offert vires suas adversus Siculum, 498. b. VVibaldo abbati familiaris fuit, 179. qui ipsi significat Conradum imperatorem parare expeditionem in Siculum, 497. a. & seq. eumque hortatur ad fœdus cum Friderico imperatore faciendum & uxorem de suo sanguine ei dandam, 560. c. & seq. Manuelis imperatoris epistola ad VVibaldum abbatem, 574. b. & VVibaldi ad eum, 574. e.
Marchiam & Spoleti ducatum imperio suo reformare laborat Fridericus II. imperator, 1155. d.
Marchianensis abbas Ingranus, 294. e. 920. e.
Mareolensis monasterii abbatem turpiter tractat electus Cameracensis, 917. d.
Maria filia Stephani regis Angliæ sanctimonialis nupta Matthæo Bolonienſi comiti, 681. e.
Mariani monasterii abbas electus Henricus prior Corbeiensis, 549. c.
Maricolense monasterium, 876. c. 877. c. gravatur a Petro electo Cameracensi, 872. d. 873. c. Maricolensis abbas, 993. c.
Marinus de Balo sacri imperii in Papia vicarius, 1145. d.
Marquardus abbas Corbeiensis, 621. d.
Marquardus abbas Fuldensis, 616. a.
Marquardus *de Gronbach*, 610. c.
Marquardus abbas Telekeingæ electus Fuldensis, 412. d.
Marq. *de Gronbach*, 524. a.
Marquardus *de Gruenbach*, 458. b.
Martini papæ IV. germanus Ægidius, 1289. c.
Martinus papæ IV. consecrationis suæ solemnia differt, 1285. c. suam regi electionem annuntiat, 1282. b. ei rex Castellæ & Legionis scribit, nondum de promotione ejus litteris receptis, 1286. b. Arelatensem archiepiscopum creat cardinalem Portuensem, 1283. a. urbis regimen Carolo regi committit, 1285. d. qui ei terras & bona omnia offert, 1284. b. cum legationis officio fungeretur in regno Franciæ, corpus S. Magdalenæ e sepulchro plumbeo in thecam argenteam transtulit, 1288. c. collam ejus unam accepit, 1289. a. quam dedit ecclesiæ Senonensi. ibid. e. de Compostellana ecclesia intendit providere, 1287. e. ejus epistolæ, 1280. d.
Martinus papa V. 1525. d. ejus diploma pro Stabulensi monasterio directum abbati S. Huberti, 140. a.
S. Martini monasterium August. diœcesis, 1301. d. S. Martini Laudunensis monasterium, 795. b. abbas Garinus, 930. b. c.
S. Martini Metensis abbas Nantherus, 66. d.
Martinum Aragoniæ regem hortatur Carolus rex Navarræ ut neutri contendentium de papatu obediat, 1366. c. & suos ad concilium Pisanos oratores mittat, 1367. b.
Martinus prior ordinis Calatravæ, 1499. a.
Martinus de Ebulo, 1183. c.
Marsna Cella S. Remigii, 528. a. e.
Massanus episcopus Johannes, 1522. c.
Massilienses communitas, 1302. b.
Matfredus cardinalis S. Georgii in Velabro, 742. a.
Mathildis abbatissa, 755. b.
Mathildis abbatissa VVisbikæ, 199. c.
Mathildis comitissa, 1241. c.
Matisconensis comes VVillelmus, 524. a.
Matrimonium inter filium Friderici imperatoris & filiam Ludovici VII. regis Francorum impedire contendit Alexander papa, 889. e. item inter filiam Ludovici VII. regis Francorum & filium Friderici, 991. c.
Matrimonium a canonicis contractum, 794. d.
Matthæus Albanensis episcopus apostolicæ sedis legatus, 158.
Matthæus Clementis papæ IV. capellanus, 1169.
Matthæus dux Lotharingiæ, 880. e.
Matthæus comes Bolonienſis, 755. b. c. abbates S. Mariæ & S. VVlmari Bolonienſis eicit de suis cœnobiis. 681. a. d. 914. c. uxorem ducit Mariam sanctimonialem in abbatissam benedictam, 681. d. quam genitis duobus liberis claustro suo restituit, 681. e. excommunicatur, 681. b.
Matthias rex Hungariæ, 1490. d. 1492. d. 1536. c. affinitatem contrahit cum Ferdinando rege Siciliæ, 1468. e. desponsata Beatrice illius filia, 1469 b. eum Friderico imperatori reconciliare laborat Sixtus IV. 1466. c.
Maurimontense monasterium, 861. e. 863. b. a vicinis gravatum Henrico archiepiscopo Remensi commendat Alexander III. papa, 1005. d. 1006. b.
Maurimontensis abbas, 992. b.
Mauricius episcopus Parisiensis, 655. b. e. 665. a.
S. Mauritii Remensis monasterium, 666. e. conversas mulieres sustentat, 667. a.
Maximilianus natus imperatoris, 1489. b.
S. Maximini Trevirensis abbates, Johannes, 58. c. 65. d. S. Poppo, 57. a. 58. d. Theodericus, 66. b.
Mechelembergensis episcopus Emehardus, 656. a.
S. Medardi monasterium Suessionense, 295. b 862. d. 1303. b. ad jus & proprietatem sedis apostolicæ specialius pertinet, 910. b. 912. c. 952. c. vexatur ab Hugone de Juncriaco, 920. b. illius abbates, 557. a. Galterius, 294. e. Ingrannus, 295. b.
Medicinæ studium Salernitanum, 1219. d.
Mediolanensis ancistes imperatori electo coronam imponit ferream, 1309. a.
Mediolanensis dux Galeaz Maria, 1469. d. 1471. c. 1521. d. ejus triremes, 1528. d. Sixti IV. ad eum epistola, 1491. b.
Mediolanensis dux Mantuanum ducem invadit, sed succurrit Paduanus, 1341. a.
de *Mediolanensibus* queritur Fridericus II. imperator, 1138. d. 1139. a. eos tuetur papa, adversus Fridericum II. 1139. a. qui adversus eos expeditionem parat, 586. e. & ad eorum destructionem invitat Papienses, 1149. e. Villas Papiensium depopulatur, 1154. c. vincuntur & delentur a Friderico II. imperatore, 1150. e. 1151. c. qui victos populo Romano nunciat, 1150. e. & seq.
Medi cum Persis & Turcis conspirant in terram sanctam, 995. a.
Meginhardus comes Spanheimensis, 1012.
Meinfridus marchio, 102. a.
Meingaudus episcopus Merseburgensis, 101. c. 164.
Meldensis episcopus, 810. b. Stephanus, 890. e.
S. Memmius I. Catalaunensis episc. 904. e.
S. Memmii monasterium, 816. e.
Memorianus episcopus, 10. d.
Mentiri & mendacium dicere quid differant, 322. b.
Meppia abbatiola concessa Corbeiæ novæ, 602. d.
Merseburgensis episcopus Meingoldus, 101. c. 164.
Mediolanenses impulsu Manfredi nuncios apostolicos non admittunt, 1295. a.
Messanensium fidelitatem laudat rex Siciliæ, 1216. b. & seq.
Metenses episcopi Albero, 465. c. 457. b. Bernardus, 566. d. Chrodegangus, 1004. e. Theodericus, 50. c. Godo, 6. c. 7. b. Stephanus, 112. d. 451. b. 452. b. 512. a. 521. e. 523. b. 700. e. Theodericus, 57. c. 59. b. 451. b. c. 457. b. Theodericus Barrensis electus, 781. e.
Metensis S. Martini monasterii conditor Sigibertus rex, 45. a. abbas Gerardus, 45. a.
Metropolitana sedes ultra tres menses vacare non debet, 494. d.
Metropolitana sedes refugium est oppressorum & sedes judicii, 776. c.
S. Michaelis Hildesheimensis abbas Borchardus, 344. a.
de disciplina Militari auctores legendi, 1359. c.
Milo I. episcopus Morinensis, 712. e.
Milo II. episcopus Morinensis, ecclesiæ Romanæ devotus, primus inter occidentales ad Alexandrum III. accessit, ab eo consecratus, 713. a. 727. e.
Milo nuncius Henrici archiepiscopi Remensis ad papam, 966. c.
Milo clericus litteratus & probus, 842. d.
Milo *de Dampetra*, 674. e.
Milo de S. Margarita, 1006. e.
Mimigarvodensis episcopus Herimannus, 61. a.
Mindense colloquium episcoporum, 425. c.
Mindensis episcopus Henricus, 176. 180. 240. a. 322. c. 300. a. 343. b. 349. a. 360. a. 363. e. 364. c. 414. b. 426. a. & seq. 428. e. 439. a. 435. b. 437. a. 446. b. 448. a. d. 464. b. 467 a. 468. e. 509. e 528. b. 535. a. 537. a. 616. a. gravat Corbeienses monachos, 356. d. 360. b. c. contradicit VVibaldo abbati Corbeiensi, 387. e.
Mindensis episcopus VVernerus, 576. d. 582. d. Mindensis episcopi causam Arnoldo Colonienſi archiepiscopo commendat VVibaldus, 531. e. & seq.
Mindensium canonicorum epistola ad VVibaldum abbatem, 465. b.
Ministerialium Corbeiensis monasterii insolentiam compescit VVibaldus, 607. b. & seqq.
Minores fratres in Sicilia Friderico imperatori contrarii, 1192. c. fratribus Minoribus datur protector, 1161. c.
S. Michaelis capella in diœcesi Caturcensi, 1304. e.
Misnensis episcopus Albertus, 458. b.
Misniæ marchio Conradus, 616. b.
Modoëciæ ecclesia, 1309. a.
Moguntia civitas affabilitate morum & divitiis & nobilitate Coloniæ Agrippinæ non impar, 1417. c.
Moguntinus archiepiscopus imperii tutor, 174. absente rege regni est administer, 173. 268. e.
Moguntini archiepiscopi Adelbertus, 112. c. e. Arnoldus, 596. e. Henricus. 232. d. e. 268. c. 294. c. 427. c. 468. a. 458. c. 491. a. 504. a. 506. b. 601. c. 606. c. 616. b. Liutbertus, 31. e. Radulfus, 960 e. VVillelmus, 48. d. Moguntinus electus. 718. d.
Moguntini præpositi epistola ad S. Hildegardem, 1050. b.
Moguntini S. Martini decani N. epistola ad S. Hildegardem, 1102. b.
Moguntinus conventus sub Friderico II. imperatore, 1141. a
Monachorum dux prævius Moyses, 543. b. defendi debent a pravorum vexatione, 826. d. eorum præbendæ nec laicis nec clericis danæ, 650. c. consortia

magnatum vitare debent, 46. c. e. His non convenit litigare, 838. b. Monachus inordinatus e monasterio ejectus, 950. b. Monachus factus sui non compos non ligatur, 918. b. Monachorum cellulæ, 1193. d.
Monasterensis episcopi Fredericus, 581. c. e. 598. c. VVarnerus, 105. d. 458. b.
Monasteria & sacra loca sunt pene infinita in regno Franciæ, 1397. d.
Monasteria reformari jubet Eugenius III. 603. c.
Monasteriis virginum presbyteri maturi & longævi ordinandi, 808. a.
Monasterium *de Alchingin*, 1301. d. S. Andreæ de Castello, 763. e. 764. c. 772. d. 861. e. Andreæ apud montem Avenionis, 1302. c. S. Antimi, 590. c. S. Antonii in Condacensi pago, 1304 d. Aquicinctense, 836. e. Arelatense S. Petri, 1302. b. Arremarense, 644. Aveniacum, 780. a. e. Aurilacense, 1304 c. Bambergense S. Michaelis in monte, 412. d. Basilense S. Petri, 1304. e. S. Basoli, 709. b. c. 932. a. 938. e. Benedicti de Castris, 1305. a. S. Benedicti ad Ligerim, 676. c. e. S. Benedicti in Velnia, 952 d. Bertholdicartis, 690. b. S. Bertini, 1303. b. Betardingorum Camaldulense, 589. Bethaniæ, 1027. b. Blandinense, 890. Bonæcumbæ, 1502. e. Branense, 799. b e. Broburgum, 802. e. 807. e. Bucilium, d. e. Burgulense, 1494. e. de Burro, 1303. d. Bursfelda, 529. c.
Monasterium Cala[illegible]ia, 88[illegible]. e. Casæ Dei, 1504. b. Cappenbergense, 316. e. Cari-campi, 837. e. 838. b. Cari-loci, 825. e. 1027. b. Caritalib. ord. Cisterciensis, 1027. b. Caritas ordinis Cluniacensis, 640. e. Caroli-loci, 824. e. Monasterium Caroli-loci, 1386. b. 1388. & seq. Cellæ Trecensis, 756 c. e. de Chirrino, 1303. b. Clarevallense, 706. d. Clarisense, 1027. b. Clari-marisci, 1009. e. Cluniacense, 999. a. S. Columbæ, 1301. e. S. Martini *de Combsan*, 1301. c. Corbeiense, 1303. c. Corbeiæ novæ, 613. e. S. Crucis in episcopatu Augustensi, 1301. c. S. Crucis, 1301. e. in diœcesi Basileensi Cussiacense, 962. e.
Monasterium in Dernesheim, 1301. a.
Monasterium Dervense, 691. d. e. 709. d. 711. c. 886. e. Monasterium S. Dionysii, 769. c. 1358. c. 1502. b. Dolense, 613. 668. e. 1304. b. Monasterium Ebracense, 412. c. S. Egidii in Monte-publico a Beringero abbate S. Laurentii Leodiensis fundatum, 95. e. Elantium, 987. c. e. Eleemosynæ, 678. e. *Ereßburg*, 614 d. 617 d. S. Eugendi, 902. c. 1302. d. S. Evodii Branensis, 785. c. e.
Monasterium Farfense, 592. d. Ferrariense, 641. d. 665. e. 1302. d. Filicanense, 1524. b. 1525. a. Flaviacense S. Geremari, 781. b. c. Flaviniacense, 655. 656. b. Flectorjense, 136. e. 316. e. Floreficense, 515. c. S. Florentii Salmuriensis, 1304. a. S. Florentii veteris, 1304. a. Florinense, 514. e. S. Foillani, 836. a. e. Fuliniacense, 678 e.
Monasterium Gemblacense, 514. c. S. Germani a pratis, 1389. c. S. Gervasii de Fossis, 1302. b. Gladbacense, 486. b. e. S. Glodesindis abbatissa Agnes, 691. b. Gorziense, 1004. e. Grandimontense, 1305. a. Grandis-silvæ, 666. e. *Gravenbirch*, 316 a.
Monasterium Hamense, 746. e. 1009. e. Hassungense, 302. e. Halelesburnense, 410. 412. c. Helmvvardischusem, 601. e. Herivordense, 208. e. 604. c. 613. e. 614. d. 619. b. Humolariense, 793. c. e.
Monaster. de S. Igniaco, 699. a. Insulæ, 953. b. Insulæ Barbaræ, 1302. d. Insulæ Germanicæ, 756. e. S. Johannis de Condas, 676. d. S. Johannis Morinensis, 1008. e. S. Johannis *de Stangan*, 1301. c. S. Johannis de Vineis, 724. c. 799. c. 848. a. 915. d. 920 d. 921. b. 925. d. S. Juliani Turonensis, 1303 c.
Monaster. Landechianum, 1147. a. Latiniacense, 1302. e. S. Laurentii abbas Betingerus, 95. e. S. Leonis, 953. b. Letiense, 985. e. Liesbornense, 596. e. Lobiense, 514. e. 630. e. 1303. b. in Lorica, 1301. d. S. Luciani Belvacensis, 651. a. b. e. 850. e. de Lustra in diœcesi Bisuntinensi, 1301. e.
Monast. Kemnata, 198. e. 199. b. 200. b. 201. c. 207. e. 209. c. 617 d Kepereliense, 1104. b.
Majus Monasterium, 625. 1303. d. Malbodiense, 986. a. Malonicense, 515. e. Manatense, 1304. d. Marcianense, 1303. c. Mareolum, 917. e. de Mari, 832. e. S. Mariæ Andegavense, 1304. a. S. Mariæ Bolonicnsis, 680. e. S. Mariæ de Capella, 1303 b. S. Mariæ de Roccha majori, 1304. d. S. Mariæ in Pilcina Coloniam translatum in ecclesia S. Ceciliæ, 1512. e. S. Mariæ Virtuensis inopia laborat, 782. b. Marsna, 578. e. S. Martini August. diœcesi. 1301. d. S. Martini de Burro, 1303. d. S. Martini *de Combsan*, 1301. c. S. Martini Laudunensis, 765. d. 795. b. Mauritii Remensis, 666. e. Maurimontense, 861. e. 863. b. 1005. c. 1006. b. Maurzicnle, 1304. c. Mausen, 1301. e. S. Maximini Trevirensis, 58. b. S. Medardi Suessionensis, 980. d. 982. c. e. 1514. e. 1303. b. S. Memmii, 825. c. 102. e. 904. e. Meppiense, 614. d. Monasteriolum, 793. c. e. 964. b. Montis-angelorum, 1303. d. Montis-S. Eligii, 1008. e. de Monte Ferrando, 1304. c. Montis-Viridoni, 1502. d. Monasterii-novi abbas Ymarus, 660. e. Morbacenses abbates Bertholdus, 402. b. Eilulphus, 403. a. 405. a.
Monasterium Nannetense, 1304. b. S. Nicasii Remensis, 617. c. 697. a. 987. c. Northeim, 536. a. 341. c. Noveii, 776. e. & seq. 785. a. 806. e. Nucarense, 1303. e.
Monasterium S. Odalrici, 1301. e. Omnium Sanctorum, 1303. b. Omnium Sanctorum Catalaunense, 702. e. Ostermere, 533. e.
Monasterium Paracliti, 1303. a. S. Pauli Virdunensis, 952. e. S. Petri de Monte, 738. e. 739. c. 760. a. 808. e. 916. b. 962. c. S. Petri Remensis, 626. a. 849. c. 787. a. 905. d. S. Petri de Rota, 589. e. de Pomposa, 1499. e. Prumeium, 952. Prumiense, 528. e. Pulterense, 1302. d.
Monast. sancti Quintini de Monte, 793. b.
Monasterium Redonense, 1304. b. Reinhusanum, 316. a. 600. d. e. Regis vallis, 952. b. S. Remigii Remensis, 740. d. e. 741. b. d. 677. a. c. 685. d. 686. b. 691. d. 700. 701. b. 709. d. 710. e. 711. e. 757. a. d. 849. b. 906. e. 1001. c. 1006. e. de Ribodimonte, 793. c. e. S. Ricarii in Pontivo, 1303. c. *Richemberg*, 315. S. Rufi, 1302. c.
Monasterium S. Salvii, 305. a. S. Saturnini, 1531. a. in Scheubrunem, 1501. d. S. Sepulchri, 1303. e. Sepulchri Cameracensis, 763. e. 764. c. 772. d. 861. e. S. Severæ in diœcesi Bituricensi, 1304. b. Silvæ-majoris, 735. c. 882. b. e. Soliaci, 1304. e. de Sordua, 1302. a. S. Spiritus, 1516. b. Stabulense, 677. e. Suessionense B. Mariæ, 209. e.
Monast. Telekeinge, 412. d. de Tenaliis, 758. e. 823. c. Triumfontium, 779. b. e. 780. a. e. 952. b.
Monasterium Vabrense, 1304. d. Vallis-Lucentis, 806. c. e. Vallis S. Petri, 758. e. Vallis Sarnaji, 850. b. S. Vedasti, 747. e. 1303. c. VVeidhense, 1301. d. Verziliacense in episcopatu Antissiodorensi, 1303. a. Villarium, 952. e. Basilense S. Vincentii, 1301. e. S. Vincentii Silvanectensis, 717. c. Vindecense seu Vendocinense, 1303. a. Virtuense S. Salvatoris, 981. e. 955. c. S. Urbani, 886. e. Urscampi, 765. e. 812. c. Uscrcicense, 1305. a. S. VVallerici, 1303. c. VValesodorense, 156. VVisbic, 198. e. 199. b. 207. c. 209. c. 614. d. S. VVulmarici, 1303. b. S. VVulmari Bolonicnsis, 680. c. S. VVlmari de Bosco, 680.
Monera Colonicnsis, 45. d.
Monetæ percussio permissa monasterio Reinhusano, 601. b.
Moniales S. Hildegardis *festis diebus* velamina alba & coronas in capite, annulos in digitis ferebant, erantque omnes nobiles, 1080. a. b.
Moniales seu conversæ ad usum monasteriorum, 667. a.
Monasticam vitam amplecti non potest vir invita uxore, 711. a.
Montis S. Cyriaci abbatissæ N. epistola ad S. Hildegardem, 1067. d.
Montis S. Desibodi prioris epistola ad S. Hildegardem, 1123. a. 1132. a. eo in monasterio educata S. Hildegardis, 1123. b. vitam S. Desibodi ab ea scribi exposcunt, 1133. b.
Montis S. Eligii abbas Godescalcus, 627. e. 680 c.
Montis-falconis collegium canonicorum, 761. b. e.
Montis-ferrandi monasterium, 1304. c.
Montis-ferrati marchionis legatio Italica, 503. b.
Montis-ferrari marchioni injurias remittit Fridericus II. imperator, 1247. a.
Montis-fortis comes Simon, 1355. e. regem Angliæ filiumque ejus bello capit, 1355. c. regem Aragonum &c. debellat, 1356. a.
Montis-regalis episcopus Auxia cardinalis S. Sufannæ transfertur ad Cæsaraugustanam, 1513. d. ipsi iratus rex Aragonum ob recusatum nepoti suo archiepiscopatum Cæsar-augustanum, 1526. e. in Monte-regali sepelitur filius S. Ludovici, 1358. c. delato feretro ab Henrico Angliæ rege, ibib.
Mora semper in summis rebus timenda est, 444. d.
Morbacense monasterium, 402. c. in eo collapsa disciplina, 402. c. & seq. 405. a. negotium commissum episcopo Lausanensi, 439. a.
Morbacensis abbas Eilulfus, 610. a.
Morinum civitas episcopalis, 792. c.
Morinensis episcopatus, 303. b.
Morinenses episcopi, 915. b. Milo I. 711. e. Milo II. ibid. 727. e.
Mors pia quatuor monachorum Stabulensium, 313. b. & seq.
Mors amici defletur, 1207. a. & seq.
Mulebrunnensis abbatis H. epistola ad S. Hildegardem, 1015. c.
Mulenbrunnunsis monachi H. epistola S. Hildegardem, 1104. e.
Mundus regitur & auctoritate pontificali & potestate imperiali, 510. b. 517. c.
Mureti elogium, 1312. c. 1331. a. 1335. a. 1378. c.

N.

NAmucho notarius Clodovei regis, 15. d.
Namurcenses comites Albertus, 72. d. 73. d. 74. e. Godefridus Stabulensis depraedatur, 177. 178. 219. d. 461. c. vexat ecclesiam Leodiensem, 460. a.
Namurcensis comitissa excommunicata, quia virum suum dereliquerat, 690. c.
Nantherus abbas S. Martini Mettensis. 56. d.

Narbonensi

Narbonenſi archiepiſcopo ſcribit Alexander III. de comitiſſa Toloſana 1003. d.
Narbonenſis archiepiſcopus interdicitur gubernatione urbis Avenionenſis, 1514. d.
Narbonenſis archiepiſcopus Guido Fulcodii creatur cardinalis Sabinenſis, 1250. d.
Regis Navarræ reſcriptum ſuper facto Eccleſiæ ad Caſtellæ, Aragoniæ, Trinacriæque reges, 1364. a.
Navarræ ducissa H. 1210. e.
Navarræ ducis ſoceri ſui mortem luget Conradus rex Siciliæ, 1010. c.
Naves ruptæ iis reddendæ ad quos pertinent, 1238. b.
Nazarenæ eccleſiæ ſubveniendum, 864. a.
Nazareni archiepiſcopi Epiſtola ad Henricum archiepiſcopum Remenſem, 864. e.
Neapolitanum ſtudium univerſale reſtauratur, 1218. b. 1219. c. fit celebre, 1275. e.
Neapolis deditio facta Conrado regi Siciliæ, 1213 b.
Neapolitani ad alta conſilia conſpicui, 1218. b.
Neapolitano archiepiſcopo ſcribit Petrus de Vinea, 1176. d.
Nemauſenſi epiſcopo ſcribit Alexander papa III. de comitiſſa Toloſana, 1003 d.
Nemorianus epiſcopus, 10. d.
S. Nicaſii Remenſis abbatia, 617. e. 697. e. 985. e.
Nicetus rex Sclavorum, 178.
S. Nicolai eccleſia Barenſis, 1167. b.
S. Nicolai de Ribodimonte abbas R. 793. c.
Nicolai III. reſcriptum regi Franciæ, 1275. b.
Nicolaus papa IV. 1301. a.
Nicolaus patriarcha, 1228. c. 1231. b. 1235. e. 1237. c. 1239. e.
Nicolaus epiſcopus Cameracenſis, 105. d.
Nicolaus epiſcopus Mutinenſis Sixt. ad & regem Galliæ legatus, 1511. c. 1516. e.
Nicolai abbatis Haſelbrunnenſis epiſtola ad S. Hildegardem, 1025. e.
Nicolaus abbas Sigebergenſis, 502. b. e.
Nicolaus Arremarenſis monachus S. Bernardi olim diſcipulus Adriano papæ carus, 644. b. 645. a ejus fidem & devotionem laudat Alexander III. 658. d.
Nicolaus canonicus Ambianenſis, 744. c.
Nicolaus de Clemangis, vir totus ex ſapientia & virtute factus, 1420. e. litteris utilibus abundantiſſimus, 1304. e.
Nicolai de Clemangis elogium, 1418. e. 1310. d. 1429. b. et cantoriam in eccleſia Bajocenſi procuravit Johannes de Monſterolo, 1512. c. 1335. e. 1336. aliquandiu retardatur ab ineunda ejus poſſeſſione, 1338. d. 1339. hanc tandem Johannis de Monſterolio opera adipiſcitur, 1340. b. c. ejus liber de laude eremi laudatur, 1431. c.
Nicolaus de Bajochis, 906. e.
Nicolaus conſiliator curiæ ac procurator ſenatus, 1398. e.
Nicolaus *de Remigni*, 626. d.
Nicolaus Spinula admiratus Siciliæ, 1177. e. ejus obitus, 1178. a.
Niemburgenſis abbas Arnoldus, 616. a.
Nithardus abbas Burſfeldenſis, 529. c.
Nivernenſis comes, R. 1305. c.
Nivernenſis comes vexat Cluniacenſes, 713. b.
Nobiles tantum in ſuo parthenone admittebat S. Hildegardis, 1080. b.
Noradinus pacem quærit a Soldano Iconii, 997. d.
Normanni, 1356. b. dicti Siculi, 1811. e. Caſſinenſe monaſterium deprædantur, 183. a. 187. b.
Normanniæ ducatus, 1354. e.
Norvegiæ regis diſſidium cum ſocero, 1187. e.
Notarii Arnulfi regis Egilpero 341 e. Caroli Simplicis ringo. 10. d Lotharii II. imperatoris Bertulfus, 92. b. Ebenulfus, 91. c. Thiethmarus, 91. a. Zuendeboldi regis Golbertus, 35. d.
Norgerus epiſcopus Leodienſis, 50. e. 51. d. 54. c.
Novalium cella Silvæ-majoris, 715. d. 778. a 882. b. cui unita Braguenſis canonicorum eccleſia, ibid.
Novicenſe monaſterium, 785. a.
Noviomenſis eccleſia, 721 b.
Noviomenſis epiſcopus, 738. e.
Noviomenſes epiſcopi Balduinus, 746. e. B. 791. b. Simon, 688. e.
Noviomenſes clerici elaborant ut Tornacenſis epiſcopatus Noviomenſi denuò uniatur, 733. c.
Novitates periculoſæ, 817. a. & ſeq.
Nucarienſe monaſterium, 33. c.
Numerianus epiſcopus, 10. d
Nuptiæ gratis & ſine pecunia celebrandæ, 953. e. 954. e.

O.

Obedientia commendatur, 1084. d.
Obediendum magiſtris quamdiu catholicæ fidei non reſiſtunt, 1055. e.
Obertus comes, 38. b.
Obſidio Faventiæ, 1148. e.
Obſidio caſtri S *yn*., 532. e.
Octavianus antipapa Victor IV. dictus, 654. b. e. 660 a. c. 661. e. 663. b. propius ſe manibus manco induit, 663. c.
Octavianus cardinalis, 120. d. 121. c. 122 b. 123. d.
Octavianus cardinalis S. Ceciliæ, 557. d. 591 c.
Octavianus & Carolus-magnus inter priſcos omnes excellere videntur ſtrenuitate & diuturnitate regnandi, 1405. a.
Octavianus genus, 1408. b.
Odalricus epiſcopus Halberſtadienſis, 501. b.
Odelricus comes de *Hornes*, 524. a.
Odelricus de *Lotzenbor*, comes, 524. a.
Odilo abbas Stabulenſis, 42. c.
Odilo abbas Stabulenſe monaſterium reſtaurat, 62. d.
Odo cardinalis, 788. c.
Odo prior cardinalium Alexandrum III. manu induit, 63 c.
Odoni cardinali ſcripta a Friderico epiſtola, 1202. d.
Odo diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, 129. e. legatus miſſus in Galliam, 666. 1. 667. d. 82. c. 689. e. 702 e. 728. e. 783. e. 793. d 794. a.
Odo epiſcopus Belvacenſis, 647. b.
Odo abbas S. Dionyſii, 838. b. c. 640. a. d.
Odo abbas S. Remigii Remenſis, 110. a. 625. b. ejus epiſtola ad VVibaldum abbatem, 180. c.
Odo abbas Urſicampi, 812. a. e.
Odoni decano Caſinenſi ſcribit VVibaldus, 102. a.
Odo domeſticus Childerici regis, 10. c. e. 102.
Officialium agendi ratio eximinanda, 1116. e.
Oilardus de *Landrecies*, 877. e.
Oliverius individuus comes Rolandi, 1352. c.
Olbertus abbas S. Jacobi Leodienſis, 110 a.
Olomucenſis epiſcopus Henricus, 176.
Omnium Sanctorum monaſterium, 887. e. 1503. b.
Oratorem ab utero matris ſuæ formare incipit Quintilianus, 138. c.
Orbacenſe monaſterium, 700. e.
Ordinationes ſacerdotum quo die celebrandæ, 527. b. c.
Ordines ſacros ſuſcipere permittitur clericus qui nolens & pœnitens interfuerat homicidio, 953. d.
Ordinatio ſine titulo eſt inanis, 766. b.
Orientalis eccleſiæ pericula, 904. d. & ſeq. 996. b. & ſeq. 997 b. & ſeq. & afflictio, 700. e. pro ea eleemoſynas petit Alexander III. papa, 701. a. 748. & ſeq.
Orphani & pupilli ſub eccleſiæ tutela conſiſtunt, 715 a.
Orthlievus epiſcopus Baſileenſis, 402. c. 604. e.
Osnabrugenſes epiſcopi Philippus, 170. 578. d. 579. a. 582. e. 58 . d 58 . b. 585. e. Udo, 105. d. 11 . d.
Oſnabrugenſes epiſcopi detinent quaſdam Corbeienſis monaſterii decimas, 577. d. quas repetitas a VVibaldo ægre volunt dimittere, 580. a.
Oſterm.re moniales conqueruntur de VVibaldi miniſterialibus, 514. e. & ſeq
Oſtienſis epiſcopus Guillelmus de Eſtoutevilla, 1493. d. 1502. b.
Otbertus epiſcopus Leodienſis, 78. d. 701 e. 84. e. in caſtro Bullonio partem Remenſis eccleſiæ uſurpat, 624. a. in ſynodo confirmat excommunicationem latam in moleſtatores Stabulenſis monaſterii, 63. e.
Othelricus epiſcopus Halberſtadienſis, 610. a.
Othelricus comes de *Luxemburch*, 610. b.
Otioſum non eſſe, eſt quædam voluptas, 393. d.
Otto diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum aureum. 122. b. 659. c e.
Otto epiſcopus Friſingenſis frater Conradi imperatoris, 458. a. 551. c. e. explicat VVibaldo quemdam pſalmorum verſiculum, 524. d.
Otto *de Sousenberg* prætenſus electus Conſtantienſis, 1544. a.
Otto imperator, 605. d.
Otto I. imperator, 43. c. e. 50. c. 57. d. 61. e. 455. b. 581. a. ejus præceptum pro Stabulenſi monaſterio, 40. c. confirmat primariam dotationem ſtabulenſis monaſterii, 43. e. villam Turniacs reſtituit, 105. a. & privilegio confirmat. 109. b.
Otto II. imperator, 48. d. 60 c. ejus præceptum pro monaſterio Stabulenſi 49. e.
Ottonis III. imperatoris præceptum pro monaſterio Stabulenſi, 51. d.
Otto de Saxonia favore ſedis apoſtolicæ factus imperator, 1195. b. promittit obedientiam *Innocentio III.* papæ, 1234. d. 1235. a. & ſeq. ſedem apoſtolicam perſequitur, 1195. c. filiam Johannis regis Angliæ ducit uxorem, 1755. b.
Otto dux Saxoniæ, 581. a.
Otto marchio, 603. b.
Otto comes, 70. e.
Otto comes palatinus *de VVitelinſpach*, 524. a. 610. b.
Otto frater Herimanni comitis Salmuntcenſis, 80. a.
Otto clerici cujuſdam naſum amputat, 439. c.
Ovidio Virgilius præponendus, 1424. & 1425.
Oxomenſis electus Franciſcus, 1499. b.

P.

P. Albanenſis epiſcopus, 1197. e.
P. Eſculanus epiſcopus, 369.
P. Comes Sabaudæ Iolandis comitis Provinciæ, 1197. b.
P. comes *de Percy*, 1197. b.
P. de Calabria, 1353. a.
Paboleno abbati Stabulenſi conceſſum a Clodoveo rege præceptum, 14. d.
Paduanus dominus Mantuano adverſus Mediolanenſem ducem ſuccurrit, 1341. a.
Paganus miles excommunicatus pro injectione violenta manus in clericos, 756. c.
Palæologi ſubtractio & filiorum ejus diſſidia, 1296. c.

Palatini comitis Rheni vexationes, 597. b.
Palatiorum limina calcare nescit amicitia, 1461. e.
Pallium Henrico electo Remensi mittit Alexander III. 665. e. ante pallii receptionem nullus dicitur archiepiscopus, 666. c.
Pampilonensis cardinalis zelus & benignitas in pauperes scholasticos & clericos, 1383. c. d. 1384.
Panadensis episcopus, 748. d. 804. c.
Panormitanæ ecclesiæ dilapidatio, 1188. d. & seq.
Panormitani archiepiscopi epistola ad Petrum de Vineis, 1174. b. 1175. c. ejus ad eum responsio, 1174. c. eum Petrus de Vineis invitat ad curiam, 1175. a. ille suam moram excusat, 1176. b.
Panormitana civitas suis semper male respondet hospitibus, 1176. b. eam ad ulciscendam cædem C. secretarii sui hortatur Conradus filius Frederici II. imp. 1208. a.
S. Pantaleonis abbas Gerardus, 90. c. 114. c. 115. c.
Papa pater patrum, 1199. e. ipsum orbis parrem agnoscit Fredericus II. imperator, 1137. a. omnium ecclesiarum curam habet, 283. a. ejus est inter discordes pacem componere & justitiam unicuique conservare, 699. c. ipsi debet hominium præstare rex Siciliæ, 1233. a. sub certa forma ibid. c. procurat papam Leodii VVibaldus, 227. c. papam exagitari vetat Petrus de Vineis, 1164. c. adversus eum fœdus init Fridericus II. imperator cum comite Tolosano, 1141. a. papæ attributus Celsitudinis titulus, 589. b.
Papias, 1437. b.
Papiensium fidem laudat Fridericus II. 1154. d. eorum desolationi a Mediolanensibus factæ condolet & promittit auxilium, 1154. c. ipsos invitat ad destructionem Mediolanensium, 1149 c. & seq.
Paracliti monasterium, 1303. a.
Parisienses episcopi Mauritius, 655. b. e. 665. a. Petrus Lombardus, 636. c. Theobaldus, 639 b. 640. b. d.
Parisiensi episcopo scribit Martinus papa IV. 1296. a.
Parisiensis universitas velut fertilitatis ager uberes fructus proferens, viros virtutum varietate fœcundos producit, 1266. b. providit ut magistri pauperes in unum congregati consortium de subsidiis fidelium alerentur, ibid. ipsi codices mittit Manfredus rex Siciliæ, 1221. a. illius epistola ad Sigismundum imperatorem, 1443. c.
Parisiensis theologi V. epistola ad S. Hildegardem an dici possit quod paternitas & divinitas Deus sit, 1067. c.
Parisienses scholæ pauperum, 1302. e.
Parmam obsidet Fridericus II. imperator, 1140. 2. obsidionem solvit, 1140. e.
Parochialibus presbyteris quisque tenetur confiteri semel saltem in anno 1291. d.
Patrochiarum administratio permissa Stabulensibus monachis, 142.
Paschalis II. epistola ad Otbertum episcopum Leodiensem, 624. e.
Pataviensis episcopus Conradus, 551. c.
Paterborneusis ecclesia a Folcuino vexata confugit ad VVibaldum abbatem Corbeiensem, 266. d. & seq. qui eam consolatur, 267. d.
Paterbornensis episcopus Bernardus, 112. d. 170. 201. a. 202. d. 203. c. 265. d. 303. a. 314. c. 325. c. 364. e. 428. a. 431. a. e. 447. d. 506. d. 530. e. 549. c. e. 596. a. 616. a.
Paterniacensis S. Mariæ ecclesia, 1302. a.
Patria occubuisse credenda est, cum exstinctis justitiæ defensoribus absque protectore relicta est, 488. d.
Paulus II. papa, 1467. c. 1515. c. d.
S. Pauli Virdunensis monasterium, 552. b. e.
S. Pauli comes H. citatur ab imperatore Friderico, ut sibi cum decenti militum turma occurrat, 1136. b.
Pax omne bonum continet, 1316. a.
Pacem inter ecclesiam & imperium arbitro Ludovico VII. rege Francorum, tentat Alexander III. papa, 969. item inter reges Galliæ & Angliæ, 783. e. 969. d. 989. b. 995. b.
Pacem inter principes christianos commendat Sixtus papa IV. 1505. e. & seq.
Pax inter C. Siciliæ regem & Franciæ ac Angliæ reginas tractanda committitur episcopo silvanectensi & abbati S. Dionysii, 1272. d.
Peccato primi hominis humanæ compago naturæ corruptionis vulnera perculit, 1274. d.
Cardinalis de Petra-mala eloquentissimus, 1414. d.
Petrarcha, 1426. c. 1431. c. 1433. c. 1440. a. Horatium assidue legebat, 1399. a. Oratores & poetas extra Italiam quærendos negabat, 1129. Francisci Petrarchæ liber Ambarum fortunarum commendatur, 1385. a.
Peregrinus patriarcha Aquilegiensis, 1611.
Peregrini possunt ut volent testari, 1238. b.
Pereurichensis ecclesia, 1301. d.
Peronensis cantor, 643. e.
Persæ & Medi conspirant in terram sanctam, 995. a. 997. d.
Persecutionis tempore reliquiæ ad terram depositæ, 218. d. e.
Persecutores sunt virga Dei & baculus furoris ejus, 216. a.
Perusiæ gubernator Sipontinus archiepiscopus, 1549. a.
Pessis Faventiæ, 1178. e. Romæ, 1542. e.
S. Petronilla S. Petri filia spiritualis, 1470. b. corporis ejus inventio, ibid. ejus sepulcrum a regina Franciæ exornatum, 1470. b.
Ad Petras-albas hospitale, 1304. c.
S. Petri ad Clementem papam monita, 555. e.
Petrus cardinalis S. Chrysogoni legatus in Galliam, 969. d. e.
Petrus diaconus S. Mariæ in Portica cardinalis, 121. e.
Petrus diaconus cardinalis S. Mariæ in Via-lata, 122. c.
Petro cardinali Hispalensi datur abbatia Fiscanensis, 1524. c. 1525. a.
Petrus de Castra archiepiscopus Bituricensis, 842. e.
Petrus de Roscida-valle creatus archiepiscopus Burdigalensis ad preces S. Ludovici, 1259. b.
Petrus Capuanus archiepiscopus optimus medicus, 406. b.
Petrus archiepiscopus Tarentasiensis, 988. e.
Petrus episcopus Albanensis, 121. b.
Petrus electus Cameracensis, 889. e. gravat ecclesiam Maricolensem, 872. d. archiepiscopo suo rebellis est, 873. d.
Petrus episcopus Carnotensis, 667. e.
Petrus episcopus Moldavienſis, 1531. c. 1536. b.
Petro Lombardo postea episcopo Parisiensi prædendam in ecclesia Belvacensi petit Eugenius III. 637. b.
Petrus de Fuxo episcopus Venetensis, 1530. d. ei promittitur cardinalatus, 1517. e.
Petrus Cellensis abbas postea episcopus Carnotensis, 667. c.
Petrus abbas Cluniacensis, 362. VVibaldi ad eum epistola, 362. b.
Petrus abbas S. Remigii, 667. e. 757. d. 778. b. 829. b. 886. c.
Petrus abbas Stabulensis, 63. e.
Petrus diaconus cancellarius Leonis papæ, IX. 69. c. 70. e.
P. de Liytota Martini papæ IV. capellanus, 1284. & Siciliæ regis nuntius, 1284. b.
Petrus notarius papæ Parisiis studiis literarum incumbit, 649. e.
Petrus diaconus monachus Casinensis imperii Romani fidelis, 185. a. eum in Allemanniam, Saxoniam, Daciam, Sueviam ac Lotharingiam mittere meditatur VVibaldus, 185. b. historiam imperatorum occidentalium scribere jussus, ibid. ipsum secum in Germaniam ducere deliberat Lotharius imperator, 164. 165.
Petrus canonicus Suessionensis, 832. c. 833. a.
Petrus *Plaoul* sacræ theologiæ professor profectus in Italiam cum aliis studii Parisiensis doctoribus pro ecclesiæ unione, 1363. b.
Petrus rex Aragonum Siciliæ regnum invadit, 1295. c. Messanenses sibi adjungit, 1296. a.
Petri Leonis filii ex Urbe ejecti, 399. b.
Petrus de S. Germano, 1103. e.
Petrus de Lambesco, 1302. a.
Petrus *de Liri* vir nobilis, 1006. b.
Petrus *Manbac*, 1312. d. præceptor Johannis de Monasteriolo, 1398. d. Horatium assidue legebat, 1399. a.
Petrus de Sicco justitiarius Aprutii, 1105. b.
Petrus subadvocatus Stabulensis, 84. c.
Petrus miles Compendiensis, 983. c.
Petrus Judæus factus christianus, 787. a.
Petrus de Vineis, 1180. d. humili genere natus, 1160. d. a suis creditoribus exagitatus, 1165. b. suam in curia imperatoris promotionem matri significat, 1160. c. Clenodium a Conrado Romanorum rege accipit, 1161. c. infensus ei fit imperator, 1171. b. ejus epistola ad justitiarium Lombardiæ, 1163. d.
S. Petri Basileensis monasterium, 1304. c.
S. Petri de *Naute* cella, 1304. d.
S. Petri Remensis abbatissa Judæo converso dat monasterii sui præbendam unam. 787. a.
S. Petri de Rota monasterium, 589. e.
S. Pharaildis ecclesia, 893. e.
Philippus episcopus Osnaburgensis, 170. 458. b. 578. d. citatur a VVicmanno archiepiscopo responsurus ad objecta Corbeiensis abbatis, 579. b. ægrotat Hildesii, 583. a. 584. b.
Philippus abbas Præmonstrati, 816. e. 919. c.
Philippus Ludovici regis Francorum frater archidiaconus Parisiensis sub protectione sedis apostolicæ, 629. c. e. thesaurarius Compendiensis, 642. e.
Philippus nepos Henrici archiepiscopi Remensis, 845. c. 914. e. canonicus Carnotensis, 844. pro eo archidiaconatum in ecclesia Senonensi petit Alexander papa III. 914. b.
Philippus I. Franc. rex octennis coronatus, 1356. e.
Philippus II. dictus Augustus rex Francorum, 729. e. 1235. c. 1315. a.
Philippi III. regis Francorum discordiæ cum rege Castellæ & Legionis, 1287. b.
Philippus rex Franciæ & Navarræ, 1305. d. ejus tempore Angli irrumpunt in Normanniam, 1358. c.
Philippus de Valesio rex Francorum, 1359. a. ei juramentum fidelitatis præstitit Eduardus VI. Angliæ rex Ambianis, 1360. b.
Philippo Galliæ regis primogenito epistola Clementis papæ IV. 1269. a.
Philippus dux Burgundiæ, 146. e. ejus diploma pro Stabulensi monasterio, 143. e.
Philippus dux Tusciæ, 1249. a.
Philippus comes Flandrensis, 755. b. 855. b. 888. c. 894. b. 969. d. frater electi Cameracensis, 873. d. S. Jacobi reliquias aufert violenter monasterio S. Vedasti, 747. c. eas confert Arisiensi

ecclesiæ, 811. c.
Philippus de Corsinis consiliarius regius, 1455. d.
Phil. de Ruminiaco miles, 861. c.
Philippi epistola ad Henricum Remensem archiepiscopum, 958. c.
Philosophia quantum profit, 1410. c.
Philosophiam naturalem primus introduxit Thales, 1438. b.
Philosophi sibi invicem contrarii. 1436. c. 1438. b. eorum de summo bono sententiæ, 1437. a. & seq.
Pictavensis episcopus Gilbertus Porretanus, 1013. 1098. c.
Piligrinus Colonicnsis archiepiscopus, 57. c. 59. b.
Pinginniaci vice dominus vexat fratres Cari-campi, 837. d. & fratres de Selincurte, 827. b.
Piniacensis ecclesia, 1302. a.
Pippinus major domus, 21. b. donationem facit Stabulensi monasterio, 19. b.
Pipinus II. Caroli-magni genitor, 1352. c.
Pippinus & Carolus-magnus multas civitates dederunt papis, 1227. b.
Pipinus filius Caroli-magni, 1407. c.
Pisarum comiti pacem & justitiam exhiberi subditis suis jubet Manfredus rex Siciliæ, 1221. c. & seq.
Pisanis scribit Conradus imperator, 500. c.
Pithagoræ insulfiæ, 1442. c.
Placitum coram Carolo-Martello pro Stabuleto, 15. c.
Plumarium castrum a Friderico II. imp. deplumatum, 1153. c.
Pluralitas beneficiorum damnata, 367. c. 1282. d.
Po. decanus Suessionensis, 830. b.
Pœnitentia pro peccatis commendatur, 1102. c. & seq.
Pœnitentiæ gradus varii, 1091. d.
Poetarum & oratorum maxima est Connexio, 1424. eos commendat Cicero, ib.
Polonica expeditio, 594. b.
Poloni sub jugo imperatoris reducti, 594. b. eorum legati ad Fridericum imperatorem, 593. c. ipsorum paci intendit Eugenius III. 407. a. d. & Sixtus IV. 1490. d.
Poloniæ rex Casimirus, 1529. a.
Polonorum dux Bolezlaus, 594. c.
Poloniæ ducissa excommunicata & a propriis terris exsul, 233. a. 239. b. restituenda, 362. a.
Polycrates, 1469. c.
Pontiniaci abbates Garinus, 936. a. Guichardus, 727. c.
Ponzis - tremuli castellano scripta epistola, 1203. c.
Pontius episcopus Claromontanus, 589. c.
Pontius abbas Clarevallis Henrico archiepiscopo Remensi graculatur de sua promotione, 719. c.
S. Pontii abbas unionis ecclesiæ desiderantissimus, 1282. b. quantis obsequiis Benedictum XIII. sibi demeruerit, 1344. d. ingratitudinis vicem rctulit, ibid. e.
Poppo Trevirensis archiepiscopus, 57. c. 59. b.
S. Poppo abbas S. Maximini Trevirensis, 57. a. 58. d.
S. Poppo abbas Stabulensis, 56. d. 59. d. 65. b. 71. b. 76. b. Stabulensem ecclesiam dedicari procurat, 61. a. & privilegium impetrat ab Henrico IV. imperatore, 82. b.
Poppo II. abbas Stabulensis, 83. c. 85. d. 91. d. 98. 127. b. monasterii dilapator. 570. d. ejus alienationes irritæ declaratæ, 117. c.
Poppo de Bello-monte abbas Stabulensis, 156.
Poppo comes, 102. a.
Poppo cancellarius Henrici regis I. Romanorum, 42. a.
Portuensis episcopus Bernardus, 618. c.
Portuensis cardinalis creatur Bernardus Arelatensis archiepiscopus, 1283. a.
Portuensis episcopus Cencius, 591. c.
Præbendæ non dividendæ, 901. c. e.
Præbendæ monachorum nec laicis nec clericis dandæ, 630. c.
Prædicatores fratres in Sicilia Friderico II. imperatori contrarii, 1192. c. ipsis facultas datur seu confirmatur prædicationis munus exercendi &c, 1291. b.
Prælatus inutilis dimittat curam pastoralem, 1035. c.
Prælaturas pastoribus vacuas sinere jura abhorrent, 1341. d.
Pragensis episcopus Daniel, 415. c. 551. c. 616. a.
Præmonstratensis ecclesia, 773. c. ære alieno gravata, 930. a.
Præmonstratenses fratres, 926. d. non litigant pro superiori loco, 930. d.
Præmonstrati abbates Philippus, 816. c. 929. c. Johannes, 930. a. ejus electio præponere facta, 929. c. irrita declaratur, 930. b.
Præmonstratensium dissensiones, 929. d.
Præmonstratenses terram A. de *Vilers* restituere jubentur, 805. b.
Prænestinus episcopus Stephanus, 120. c.
Presbyteri omnes non habent potestatem ligandi atque solvendi, sed qui curam habent animarum, 351. d. e.
Prisneium monasterium, 953. c.
Privilegia ecclesiæ Romanæ irritare conatur Fridericus II. imperator, 1242. d.
Privilegia aureis characteribus scripta & bulla aurea sigillata, 1246. c.
Privilegium meretur amittere, qui privilegii abutitur libertate, 286. c.
Processus contra Albertum de Casale & Nersium comites, 1241. c.
Prophanorum lectio tamquam venenum vitanda, 393. c.
Prosperis elevari frangi adversis non debemus, 357. c.
Provinciæ comitem cum decenti armatorum copia ad se invitat Fridericus II. imperator, 1168. d. & seq. jura reddere imperatori Friderico negligit, 1142. d. ad imperatorem accedit in Italiam qui ipsum militari cingulo decorat & muneribus cumulat. 1143. b. Arelate ejicit vicarium Friderici imperatoris, 1186. a. c. eum citat Fridericus ad curiam de infidelitate responsurum, 1185. c. & seqq.
Provincia reformanda, 1205. a.
Prucenorum ordo ad prosequendam fidei exaltationem adversus infideles institutus, 1321. d. magistri ordinis discordias cum rege Poloniæ componere satagit Wencelaus, 1321. c.
Prumia monasterium, 528. c.
Pueris multa indulgenda quæ provectioribus non manent multa, 821. b.
Pulteriense monasterium, 1302. d.
Puteolana civitas deleta, 188. b.
Dominus de Puteolo, 1360. c.

Q.

Quadragesimæ tempore visitantur apostolorum limina. 1281. d.
Quindelinburgense cœnobium virginum a Mathilde regina fundatum, 385. c.
Quintilianus oratorem formare incipit ab utero matris suæ, 338. c.
S. Quintini decanus redarguitur, 953. c.

R.

R. cardinalis S. Mariæ in Via lata, 1003. d.
R. abbas Farfensis, 591. d.
R comitem Nivernensem hortatur papa ut Guidonem patrem inducat ad pacem cum Philippo rege faciendam, 1305. c. & seq.
R. comes de Roceio pecuniam nuncii Lugdunensis archiepiscopi tollit, 703. b.
R. vicecomes Laudunensis vexat ecclesiam S. Remigii, 701. c.
R. de Capua, 1183. d.
R. de Guilia, 888. a.
Rabangarius episcopus & abbas Stabulensis monasterii, 16. a.
Rabanus archiepiscopus, 805. d.
Rabanus abbas S. Pontii unionis ecclesiæ desideratissimus, 1312. b.
Radulfus archiepiscopus Moguntinus e sede sua expulsus, 760. c.
Radulfus Viridis archiepiscopus Remensis, 624. a. d. 625. c.
Rad. episcopus Ferentinus, 745. c.
Radulfus episcopus Leodiensis schismaticus, 960. b. c.
Radulfus de Cociaco excommunicatus ob confractam Templi capellam, 847. a.
Radulfus de Cuscio infestus monasterio S. Remigii Remensis, 1002. a.
Rad. de Curtero, 787. a.
Ragenarius comes, 39. c.
Raginulfus Apuliæ dux, 164.
Raimundus comes Tolosanus, 1245. a.
Rainaldus archiepiscopus Colonicnsis Friderici I. imperatoris cancellarius, 710. b.
Rainaldus I. archiepiscopus Remensis, 625. c.
Raynaldus Colmentanus abbas Casinensis, 194. c. e. eligitur, 67.
Rainaldus Tuscus abbas Casinensis intrusus, 161. 180. 190. e. exauctoratus, 162. 167. Casinum expugnare conatur, 161.
Raynaldus-Maria Estensis germanus ducis Ferrariæ abbas B. Mariæ de Pomposia, 1499. c.
Rainaldus comes, 897. b.
Rainaldus de Roseto vir nobilis, 757. a. 768. a.
Rainaldus de S. Walarico, 648 d.
Rainerius de Calvo-monte monachos S. Johannis de Condas vexat, 679. d.
Fr. Rainerius de Florentia ordinis Prædicatorum a Martino papa IV. ad regem Angliæ missus, 1299. b
Rappenperh abbatis epistola ad S. Hildegardem, 1044. c.
Ratta quid, 601. c.
Ratbodus archicancellarius Ludovici regis Austrasiorum, 37. b.
Ratboldus archicancellarius Zuendiboldi regis, 35. d.
Ratisponensis episcopus Jerosolymam rendit, 401. b.
Ratisponensis episcopus Henricus, 102. a. 165. 151. c.
Ratisponensis abbatissæ E. epistola ad S. Hildegardem, 1074. c.
Ratisponensis S. Mariæ abbatissæ R. epistola ad S. Hildegardem, 1063. c.
Ravengerus abbas Stabulensis, 51. d. 52. a. 54. a. 55. a. ab Ottone II. impetrat liberam abbatis electionem, 50. c.
Ravennæ exarchatum dono regum Franciæ papa possidet, 1217. b.
Ravennates qui a se defecerant ad fidem suam revocat Fridericus II. imperator, 1156. a. & seq.
Ravennæ colloquium indicit Fridericus II. imperator, 1202. b.
Reatini ecclesiæ fideles, 1201. b.
Recordatio bene gestorum ingenuis stimulus solet esse, 1151. a.
Redditi qui essent, 756. c.
Redonense monasterium, 1304. b.
Reformare destructa non minoris gratiæ, quam nova ædificare, 90. d.
Reginarius comes, 40. a.
Reginarius comes abbas Stabulensis, 36. d. 37. c. d. 38. e.
Reginbertus canonici causa, 468. c. 469. 470. 471. c.
Reginensem episcopum ad curiam invitat Fridericus II. imperator, ipsius usurus consilio, 1162. c.
Registrensis comes, 818. c. Laudunensem opprimit ecclesiam, 672. b. vexat ecclesiam de Noveio, 777. c. vexat & homines S. Medardi de Jungeriaco, 982. c.

Regnum non minus moribus & legibus ornatur quam armis & bello defenſatur, 516. c.
in Regula oppido captus Amatus frater regis *Angliæ*, 1358. e.
Regulares clerici archidiaconi gerunt vices in epiſcopatibus, 789.
Regulares ad prælationes eccleſiaſticas poſſunt aſſumi, ſed effici non poſſunt laici, 791. b.
Reinardus epiſcopus Leodienſis, 57. c. 59. b.
Reinardus abbas Reinhuſanus, 155. 181. 196. d. 600. d. VVibaldi olim magiſter, reous pauper & meritis dives, vir magnæ autoritatis & carni ſuæ inimicus, 214. b. e. ejus ad VVibaldum epiſtolæ, 197. b. 216. c. moleſtias patitur, 197. b. gratulatur VVibaldo de ſua electione, 197. d. apud VVibaldum intercedit pro Henrico abbate Corbeienſi depoſito, 293. a.
Reinardus *de Schonenforſt*, 135. a.
Reinerus comes abbas Stabulenſis, 18. 6.
Reinero de Rupe quædam prædia in beneficium dat VVibaldus abbas, 127. a.
Reingerus Pincerna, 610. c.
Reinherus præpoſitus *de Ereſburg*, 321. b.
Reinhuſani monaſterii fundatores, 601. a. abbas Reinhardus, 181. 196. e. 197. a. 214. e. 215. e. 600. d.
Reinzo decanus & abbas civitatis Leodienſis, 110. a.
Reliquiæ Sanctorum ad terram depoſitæ tempore perſecutionis, 218. d. e. 530. c.
Reliquiæ Aquiſgranenſis eccleſiæ cuſtodiendæ Stabulenſibus monachis traditæ, 31. c.
Reitterare, id eſt referibere, 395. e.
S. Remaclus, 12. b. 22. a. 23. b. 25. b. 30. d. 42. d. abbas Solemniacenſis, 6. c. deinde Caſegungidunenſis, 6. b. Stabulenſis & Malmundarii monaſterii ædificator., 88. a. epiſcopus & abbas, 8. a. Tungrenſium epiſcopus, 13. c. ordinatus epiſcopus antequam ad ſedem Tungrenſem veheretur, 2. in Stabulenſi monaſterio ſedem fixerat, 3. ei Germiniacum villam concedit Sigiſbertus, 9. b. confirmat Childericus, 9. b. & factam foreſtæ donationem, 10. c. commutationem facit cum rege, 15. a. mediam partem fundi Stabulenſi monaſterio conceſſi reſtituit, ne turberur ejus requies, 23 c. 43. c. ejus obitus quo anno, 3. 12. c. Stabuleti fuit ſepultus, 100. a. ſepulcri ipſius inventio, 62. a. corpus ejus in perſecutione Danorum tranſlatum in villam Boviniacum, 54. c. Leodium ad imperatorem delatum, 4. ubi corruſcat miraculis, 77. b. quæ præſente Henrico IV. imperatore patrat, 88. d. vitæ ejus compendium, 1. feſtum ſolemne in Corbeienſi monaſterio, 612. a. ejus patrocinium agnoſcunt Solemniacenſes monachi, 353. c. 354. b.
Remenſis eccleſia celebris & ſolemnis, 935. c. ſoror eccleſiæ Trevirenſis, 625. a. 626. e. eam vexat Henricus comes, 867. a. & ſeq.
Remenſes archiepiſcopi Artaldus, 932. e. Henricus, 843. d. Manaſſes, 625. c. Radulfus, 625. c. Rainaldus I. 625. c. Rainaldus II. 624. c. 625. b. Sämſon, 644. d. e. 649. c. 658. e. 672. e. 712. e. 722. e. 792. d. 818. d. 852. b. 882. b. c. Thomas, 1267. b. VVillelmus, 950. e. electus G. preſbyter cardinalis S. Marci, 1267. c. ejus electio confirmatur. 1267. c. & ſeq.
Remenſis *decanus* F. 886. e.
Remenſibus canonicis gratiam ut reſtituat ſuam Ludovicum regem hortatur Alexander III. papa, 933. b. & ſeq.
S. Remigii Remenſis monaſterium, 1000. c. 1001. c. debitis aggravatum Henrico archiepiſcopo commendat Alexander III. papa, 700. b. item epiſcopis, 971. d. ejus bona in Alemannia ſubtrahunt ſchiſmatici, 758. b. a proceribus vexatur, 757. a. d. 774. a. 1000. a. item a Sueſſionenſibus canonicis, 906. e. S. Remigii monachis commiſſæ ſcholæ Regiſtetenſes, 999. e.
S. Remigii abbates, 693. d. 695. b. 697. a. 701. e. 702. b. d. 723. d. 740. d. 741. d. 807. b. 973. a. *Odo*, 110. a. 180. c. e. 625. b. Petrus, 667. 757. d. 778. b. 829. b. 886. e.
Reſidere debet decanus in ſua eccleſia, 808. c.
Reſi ſententiam non facienti auferenda eccleſia, 716. d.
Res magnæ celeritate adjuvantur, 375. a.
Reſta ſeu reſtis menſura agraria, 379. a.
Reſvedenſis abbas a ſuis an ejectus, 417. b.
Rex eſſe deſinit qui prudentia deſtitutus ab aliis regitur, 1160. b. quare inſtituitur, 118. d. reges olim literatiſſimi, 1316. b.
Rhetorices artem nullam eſſe Colucius probat, 1435. d. Rhetorica naturalis præſtetit artificiali, 1435. d. 1436. a. Rhetoribus quid conceditur. 338. c.
Rhodiis ſubſidia miniſtrat Sixtus IV. papa, 1490. c. 1529. d.
Ribodimontis abbas, 964. b.
Richardus Leodienſis epiſcopus, 61. a.
Richardus *Virdunenſis epiſcopus*, 61. a. conſecrat altare in crypta Stabulenſi, 66. d.
Richardus de Criſa electus Virdunenſis, 675. c. 761. b.
Richardi abbatis *Sprinckerſbac* epiſtola ad S. Hildegardem, 1031. b. quem illa hortatur ad portandum ſtrenue impoſitum ſibi onus, 1322. a.
Richardus Angliæ rex captus & morti traditus factione ducis Lancaſtriæ, 1324. a.
Ric. de Corbelio miles Templi ordinem Ciſtercienſem, ut voverat, intrare compellitur, 692. c.
S. Ricarii in Pontivo monaſterium, 1303. c. ad jus & proprietatem S. Petri pertinet, 856. d. ipſius abbas obedientiam non debet epiſcopo Ambianenſi, 856. e. illi abbatem per archiepiſcopum Remenſem providet Alexander, III. 851. e.
Richiza imperatrix, 90. d. 186. b. coronatur, 157. VVibaldum orat Caſinenſis monaſterii regimen ſuſcipere, 162.
Rigoldus de Alſunza advocatus Stabulenſis monaſterii ablata a Germiniacum villam ei reſtituit, 79. a. & ſeq.
Ripatorii abbas Alanus, 1011. d.
Rivuli, Dodilo, 23. d. Dulnotus, 25. a. Tailerneo, 25. a.
Robertus cardinalis & cancellarius, 122. c.
Robertus epiſcopus Ambianenſis, 144. c. 754. e. 870. e.
Roberti epiſcopi Attrebatenſis electio confirmatur, 894. a.
Robertus epiſcopus Bathonienſis & Luchenſis de multis criminibus diffamatus citatur ad papam, 1506. b.
Robertus abbas VValciodori, 192.
Robertus decanus Stabulenſis vir doctus, 158. ejus eloquentia Tulliana, 215. b.
Robertus princeps Capuanus, 164.
Robertus comes, 844. b. 891. c.
Robertus comes Droceniſis, 810. b.
Robertus *de Bove* tyrannidem exercet in Laudunenſi provincia, 919. d.
Robertus Malateſta, 1518. c.
S. Mariæ de Roccha-majori monaſterium, 1304. d.
Rocci comes G. 703. b.
Rochenbuitenſis S. Mariæ eccleſia, 1301. d.
Rodericus epiſcopus, 19. e.
Rotmundus notarius ſub Lothario II. Germaniæ rege, 27. c.
Rodolfus epiſcopus Halberſtadienſis, 170.
Rodulfus abbas Stabulenſis regii ſervitii neceſſitate coactus in radimonium dat curtem de *Spreſſuont*, 74. a. excipit donum Macharii de *Cimai*, 75. a. partem montis *Selaeyes* concedit Riciero canonico S. Dionyſii Leodienſis, 77. d.
Rodulfus abbas Tuitienſis, 114. a. 115. e.
Rodulfus abbas VValciodori, 523. a.
Rodulfus rex Romanorum, 1278. b. ejus filia Clementia, 1279. a.
Rodulfus comes *de Rameſberch*, 557. a.
Roſcidum Beneventanum ad ſuum revocat obſequium Fridericus II. imperator, 1157. a.
Roggerius abbas Fuldenſis depoſitus, 283. b.
Rogerius rex Normannorum, 183. b.
Rogerius rex Siciliæ, 161. 189. a. 443. b. c. 557. e. 818. d. 1229. c.
Rogerius dux Siciliæ Caſſinum & expugnatas a Lothario urbes recuperare tentat, 166. VVibaldo abbati crucem minatur, 166.
Rogerius dux *filius VVillelmi regis* Siciliæ, 1232. a.
Rogerius filius Beatricis comitiſſæ frater Guidonis Guerræ, 1161. c.
Rogerius de Joinvilla, 675. c.
Rogerius Angliæ municeps, 1164. c.
Rollandi cardinalis epiſtola ad S. Remenſem archiepiſcopum, 649. b.
Rollandus cardinalis S. Marci, 557. d.
Rollandus cardinalis & cancellarius, 130. a. 619. a. b.
Rollandus nominatiſſimus miles *tempore* Caroli-magni, 1352. c.
Roma ex inſcitia & inertia populi depreſſa, 743. e.
Romana eccleſia omnium catholicorum mater, 409. d. omnium eccleſiarum caput & magiſtra, 911. b. ad eam de *diverſis* mundi partibus quæſtiones referuntur, 911. b. leges a ſe conditas *non deſtruit*, 381. b. Recipere quod Romana eccleſia reſpuit piaculum, 192. b. Romanam erga eccleſiam *reverentiam* inſpirat VVibaldus, 245. c. 251. c. 268. d.
Romanæ eccleſiæ cenſus in eccleſiis Burgundiæ & Provinciæ, 1301. a. & ſeq. Romanæ eccleſiæ privilegia deſcribi & tutum in locum deponi curavit Innocentius IV. 1224. 1226. a. d. ea conatur irritare Fridericus II. imperator, 1242. d.
Romana eccleſia afflicta & debitis gravata, 657. e.
Romani pontifices ſuam in papam electionem annunciare non ſolent ante conſecrationem, 1282. b. ante conſecrationem bullis utuntur in literis ſuis quæ nomen ſuum non habent, 1270 d. 1282.
Romanus *pontifex diadema* aureum imperatori imponit in baſilica principis apoſtolorum, 1309. a.
Romanis pontificibus confirmat Otto imperator civitates olim datas a Pippino & Carolo-magno, 1227. a. & ſeqq.
Romanenſis eccleſia, 1308. c.
Romanorum rex Carolus, 1278. b.
Romanorum *rex* in impetatorem promovendus duplici corona inſignitur cum diademate, 1309. a.
Romanis in Eugenium papam rebellibus obſiſtit VVibaldus abbas, 178.
Romanis ſcribit Conradus, 498. d.
Romanis victoriam de Mediolano ſignificat Fridericus II. imperator, 1190. c. & ſeq.
Romanis nullas treugas dare promittit Fridericus I. imperator, 1219. c.
Romanis Martinus papa IV. cardinales Oſtienſem & S. Georgii ad Velum-aureum deſtinat, 1281. e.
Romanos ad pacem hortatur Martinus papa IV. 1280. e. 1281.
Romantii de-Roſa auctor Johannes de Magduno, 1421. a. quanti olim habitum,

tum, a quibusdam viris doct's impugnatum, ibi l. a Johanne de Monsterolio defenditur, ibid. 1412.
Rotbertus archicapellanus Henrici I. regis Romanorum, 42. a.
Rotomagenses archiepiscopi, 642. e. Guillelmus de Ritoutevilla, 826. c. 1493. d. 1502. b. Hugo, 654. c. Rotrodus, 843. d. e.
Rola aurea dominica IV. quadragesimæ missa duci Venetorum, 1532. c.
Royenses canonici, 721. b. c. duas ecclesias dant sub annuo censu, 724. b.
S. Rufi monasterium, 1302. c.
Rugiam insulam Corbeiæ novæ dat Lotharius imperator, 147. 312. b.
Ruotbardus archicancellarius Henrici III. imperatoris, 77. c.
Rupella ab Eduardo rege Angliæ capta, 1318 d.
Rupertus abbas Tuitiensis, 89. c.
Rupes-monachi, 1355. d.
Ruperulæ hospitale in episcopatu Mauriennensi, 1302. c.
Ruricortis abbatiam Henrico episcopo Belvacensi commendat Eugenius III. 638. b.

S.

Sabaudiæ ducissa decimas a papa impositas solvere recusat, 1508. e.
Sabaudiæ comes P. fororius comitis Provinciæ, 1169. b.
Sabinenses episcopi, B. 1273. c. Conradus 112. c. 121. b. 122. a. Guido Fulcodii, 1276. c. d.
Sacerdotum filii, 938. d. eorum ecclesiam obtinere nequeunt, 858. b. d.
Sacerdotis filius per ignorantiam ordinatus sua debet ecclesia perfrui 910. e.
Sacerdos ob carnis lapsum officio suo privatus, 790. d.
Sacramenta gratis administranda, 914. b.
Sagonensis episcopus Johannes Antonius Ferosinus, 1519. b.
Salemensis abbatis G. epistola ad S. Hildegardem, 1118. d.
Salernitani studii restitutio, 1208. c & seq.
Salernitanum medicinæ studium, 1219. d.
Salmucenses Stabulenfiotis infesti, 568. b.
Salzburgenses archiep. Conradus, 911. c. Eberardus, 511. c.
Saluciarum cardinalis, 1436. b.
Salviacense monasterium, 1303. a.
S. Salvii monasterium, 1303. a.
Salustius, 1427. a.
Samson archiepiscopus Remensis, 644. d. e. 649. c. 658. e. 672. c 690. d. 711. e. 712. e. 792. d. 852. b. dat Silvæ-majori ecclesiam Braguensem, 818. d. quam unit cellæ de Novelo, 882. b. c.
Sancius filius regis Castellæ in patrem insurgit cum fratribus, 1292. 1295. a.
Sanctitatis titulus simplici episcopo datus, 416. c. abbati 386. c. 417. e.
Sardiniæ rex Henricus, 1042. c. 1149. c.
Sardiniæ vice rex Anchoratius, 1149. c.
Sarmeliensis cella, 884. b.
Sarraceni Casinense monasterium vastant 163. a. 187. b.
Sarracenorum insolentiam punire sibi proponit Fridericus II. imperator, 1175 a.
Sarraceni e locis sacris expulsi a christianis, 748. c.
Saticum quid, 48. c.
S. Saturnini monasterio abbas providetur, 1531. a.
Saxones a Carolo Magno debellati, 1352. e. 1353. a. 1407. c. eos a tributo solvit Carolus Magnus, 580. d.
Saxoniæ dux Henricus, 234. 423. b. 449. e. 508. b. 524. a. 595. c. 616. b. Bavariæ ducatum invadere conatur, 417. e.
Seatillum ducem Bavariæ debellat Carolus Magnus, 1353. a.
Scheubrunense monasterium, 1301. d.
Schisma ecclesiæ quam infestum, 1059. e. 1319. a. b. c. 1378. a. b.
Schisma sub Alexandro III papa, 1155. b. per Fridericum imperatorem suscitatum, 647. c. cui favet Tolosanus comes, 732. d. Schismatici in Alemannia bona S. Remigii subtrahunt, 758 b.
Schisma quam facile potuisset solvi, 1376. b. c. d. hinc tamen operæ viri litterati, dum inter se non contentiunt, frustra incumbunt, 1177. a. b. c. in schismatis negotio doctorum dissentiones, 1378. c. 1379. de schismate, 1380. e. 1381. c. 1382. 1383. pro unione ecclesiæ cardinalem amicum hortatur Johannes de Monterolio ut laboret, 1413. d e. 1414. a.
Scholæ pauperum Parisienses, 1382. e.
Scholæ Registenses monachis S. Remigii Remensis commissæ, 999. e.
Scholasticos docere volentes pecunias solvere non debent canonicis Catalaunensibus, 730. b. sed neque aliis. 853. d
Scholasticis disciplinis intendentes diutius beneficio fraudari non debent, 206. b.
Scientiarum & artium commoda, 1276. a. b. extollendis regiæ præfecturæ fastigiis scientia necessaria, 1220. a. sine scientia mortalis vita non regitur, 1220. sed scientiis omnibus præcellit amor Dei, 337. c. scientia sui ipsius homini imprimis necessaria, & si sola sit sufficit, 1387. d stulta scientia est supervacua nolcere, necessarius ignoratis, 1387. c.
Sclavi idolorum cultui dediti: adversus eos decreta expeditio, 172. 174.
Sclavi a Carolo Magno domiti, 1407. d.
Scotensis abbas Walterus, 610. a.
Scotiarum reges Carolum Magnum dominum suum appellabant, 1407. e.
Sebrandus clericus excommunicatus, 713. b
Securiæ castrum in diœcesi Albigensi, 1305. a.
Selboltensis abbatis H. epistola ad S. Hildegardem, 1037. c.
Selincurtis monasterium a laicis vexatum 812. e.
Sempiguiaci destructio, 968. a.
Senatus Romanus Conradum imperatorem hortatur ut Romam veniat, ie suaque omnia ei offerens adversus papam & Siculum, 396. e. & seq. 399. a. & seq. ejus ad eum epistola, 400. c.
Seneeam Hieronymus inter viros illustres catholicos locavit, 1406. d.
Seniorectus abbas Casinensis, 161. 188. d.
Senonensi ecclesiæ datur colta una S. Mariæ Magdalenæ, 1289. cujus solemnitet celebrat memoriam, 1289. c.
Senonenses archiepiscopi Anfegisus, 665. e. Hugo, 652. b. 653. a. 658. b. 665. b. Henricus Aper, 641. e. Willelmus, 888. e. 990. a. 991. d.
Septem salices monachis S. Basoli aufert Henricus archiepiscopus Remensis, 940. a. & seq.
Sepulcrum Domini accessu populorum celebre, 748. c. illud ab infidelium spurcitia prorius purgavit Carolus Magnus, 1407. e. 1408. a. visitantibus illud data indulgentia, 750. e.
S. Sepulcri subprior domum Hospitali Jerololymitano petit in regno Franciæ, 998. c. d.
S. Sepulcri monasterium, 1303. e. ecclesia S. Sepulcri Caturicensis, 1304. d.
Sepultura mortuis gratis exhibenda 842. b. e. 914. b.
Sepulturæ in ecclesia prohibitæ variis in conciliis, 1258. e. in basilica SS. Petri & Pauli, 1258. b. c.
Sepultura caret defunctus in torneamento, 674. e.
Servi Dominis suis serviant, 993. a.
Sesomirum fluvius, 6. b.
S. Severæ monasterium in diœcesi Bituricensi, 1304. b.
S. Severinus archiepiscopus Coloniensis, 489. b.
Severitas nimia damnatur, 683. a.
Sigue castri obsidio, 532. c.
Siciliæ regnum, 1171. b. ad imperium non pertinet, 1236. d. sed peculiare est Romanæ ecclesiæ, 1295. c. ideoque rex papæ debet præstare hominium, 233. d. sub qua forma, ibid. c. Siciliæ regnum a papa se tenere recognoscit Fridericus II. imperator, 1238. c. quod diuturne promittit cum fuerit coronatus imperator, 1242. a.
Siciliæ regnum est veluti fons scientiarum irriguus, 1275. d. ibi studia reformanda, 1276. a. sub Friderico I. floruit, 1401. e. Siciliæ electiones ut laicitidæ, 1219. a.
Siciliæ reges Carolus, 1278. b. Ferdinandus, 1500. c. 1521. c. 1522. a. d. 1532. e. 1543 c. 1548. b. 1550. a. Rogerius, 557. c. cui fœdere conjunctus fuit Guelphus, 424. b. & papa, 443. c. in quem expeditionem parat Constantius, 497. b. Tancredus, 1234. c. 1235. a. Willelmus, 1231. d. 1253. d e. ejus victoria in Græcos, 1251. d.
Siciliæ Tyrannus, 370. c. Walbaldum expulit a Casinensi monasterio, 508 d.
Siciliæ regis proloquium de principanda recuperatione imperii Romani, 1259. e
Siciliæ regina Beatrix, 1150. a.
Siculi dicti Normanni, 173. c.
Siclinienses canonici, 801. e.
Sifridus Virzeburgensis ecclesiæ, 1173 673 a
Sifridus abbas Ulisheimensis ab episcopo Ferdensi ejectus de suo monasterio, 535. ab abbate de Monte admittitur, 538. e.
Sifridus comes, 176.
Sifridus comes Henricum fratrem vi intrudit in abbatiam Corbeiensem, 31. e. e.
Sifridus comes de Ertesdorf, 531. d.
Sigebergensis abbas Nicolaus, 901. b.
Sigebergensium monachorum ad S. Hildegardem epistola, 1114. d. horum aliqui ut stellæ, alii in obscuritate remanent, 1115. b. & seq.
Sigebertus rex, 12. b. c. 10 c e. 50. e. 61. e. quando regnare cœperit, 9. e. fundator est monasterii Calæcongidunensis j. item Stabulensis & Malmundariensis j. 68 b 70. e. & S. Martini Metensis, 45. a. ejus diploma de fundatione Calæcongidunensis monasterii, 6. a. pro fundatione Stabulensis monasterii, 6. b. quod dotat, 43. c. vectigalia ad fundationem Stabulen addit, 7. d. S. Remacio dat Germinacum villam, 9. b. aliud ejus præceptum pro Stabulensi monasterio, 23. b.
Sigeharus Spirensis episcopus, 711. d.
Sigefridus archicancellarius Henrici IV. Romanorum regis, 71. e.
Sigefridus dux, 514.
Sigefridus comes, 46. c.
Sigefridus cancellarius Henrici IV regis Romanorum, 71. e.
Sigillum imperatoris aureum, argenteum & stanneum, 520. a. b.
Sigil. in Compendiensis conventu 57. d.
Sigismundus imperator Carolo V. Francorum regi cognatione germanitatis conjunctus, 1441. c. de eo bene meritus deflectit ad Anglos, 1442. a. Jamuenses ab obsequio Caroli VI. regis divellere tentat, 1444. b adversus eum epistola scripta ad Universitatem Parisiensem, 1443. c.
Sigismundus Austriæ dux, 1489. a.
Sigolenus abbas Stabulensis, 3.
Silva-major monasterium, 882. b. c. ipsi data ecclesia Braquentis, 818. d. e. illam Henrico archiepiscopo Remensi commendat Alexander III. papa, 819. d. Silvæ-majoris monachos vexant Wilicardus & Radulfus de Codiciaco, 974. e.
Silvanectensis episcopus Henricus, 900. e.
Silvanectensem episcopum & abbatem S. Dionysii Gregorius X. pacis interpretes mittit inter C. Siciliæ regem & Franciæ ac Angliæ reginas, 1272. d.
Silvestri II. papæ bulla pro Stabulensi monasterio, 54. a.

S. Simeonis Trevirensis præpositi epistola ad S. Hildegardem, 105. b.
Simon episcopus Noviomensis & Tornacensis, 688. c. 689. b.
Simon puer Tridentinus a Judæis interemtus pro sancto habetur, 11. d. quod prohibet Sixtus IV. papa, ibid.
Simon comes Montisfortis, 1375. c.
Simon Belvacensis, 1360. c.
Simonis Veneti scriptura a Petro de Vinsis epistola, 1164. a.
S. Simoniam ante omnia tollenda, 964. c.
Sinibaldus in papam electus eum notam facit Fridericus iperatque bene de eo 1145. a. & seq.
Sinibaldus de Fossa-caeca vir nobilis, 1164. b.
Siponitanus archiepiscopus Perusiæ gubernator, 1540.
S. Sixti Remensis ecclesia, 774. d.
Sixtus papa IV muros civitatis Avenionensis reparat, 1510. b. frumentum pro Urbe colligit, 1544. a. 1542. c. pecunias pro communi ecclesiæ utilitate mutuo petit a duce Ferrariæ, 1541. c. item a duce Mediolanensi, 1541. c. Polonorum regem hortatur ut facta pace cum rege Hungariæ arma convertat in Turcas, 1492. adversus eos pecuniarum subsidium mittit Hungariæ regi, 1490. c. 1541. c. item Rhodius, 1490. c. componendæ pacis inter principes Christianos curator, 1505. c. inter Franciæ & Angliæ reges, 1513. c. inter Fridericum imperatorem & Carolum Burgundiæ ducem, 1544. c. Ut ligam inter Venetos & Florentinos impediat, generalem ligam inter alios Italiæ principes concludere cupit, 1474. d. Carlotam reginam Cypri Romæ fovet, 1509. b. exortum in partibus Ebredunensium hæresim extinguere studet, 1507. a. ea de re scribit episcopo Taurinensi, 1510. d. archiepiscopatum Cæsar-augustanum nepoti regis Aragonum innocentii recusat, 1512. a. Roma propter pestem discedit, 1541. c.
Sizo comes, 194. c.
Societas inter Corbeienses & Stabulenses, 225. c. 247. c.
Socrates fidibus tractandis operam dabat, 355. c.
Solemniacense monasterium, 1. 353. c.
Solemniacenses abbates Gerolfus, 352. c. 353. c. seu Gerardus, 587. c. S. Remaclus, 6. c.
Soliaci monasterium, 1304. c.
Sorduacense monasterium in episcopatu Aquensi, 1302. a.
Sparnacenses leprosi, 537. a. 965. d.
Spirenses episcopi, 363. b. Guntherus, 610. a. Sigefridus, 112. d.
S. Spiritus prioratus datus in commendam nepoti papæ, 1503. c.
Spoletanus episcopus Constantinus, 1515. b.
Spoletanum ducatum Carolo-Magno confirmat Adrianus papa, 228. a.
Spoleti ducatum & marchiam imperio suo reformare laborat Fridericus II. imperator, 1155. d.
Sprincersbach abbas Richardus, 1031. b.
Stabulensis monasterii fundatio, 6. b. quando facta, 1. 2. fundationi vectigalia addit Sigebertus, 7. d. Stabulenses mediam fundationis partem reddunt regi, 11. a. Stabulensis monasterii primaria dotatio confirmata, 44. b. & seq. dedicatio, 60. c. A Stabulensi monasterio non separandum Malmundarium, 79. b. 104. a. 111. c.
Stabulense monasterium principale dictum respectu Malmundarii, 88. a. 91. a. 97. b. 200 ritus electio non Malmundarii sed Stabuleti celebratur, 4. in abbatis electione primam habent vocem Stabulenses, 69. b. 88. b. 91. a. 97. b. 100. c. 104. b. 111. b. 115. a. ex eis ante omnia eligendus abbas Stabulensis, 100. b. 104. b. 111. b. benedicendus ab episcopo Leodiensi, 88. a. 100. b. 104. c. 115. b.
Stabulensi in monasterio Coloniensis archiepiscopus nihil potest, 118. d.
Stabulensium jugum excutere tentant Malmundarienses, 4.
Stabulensis ecclesia a regno non scindenda, 99. d. 103. d.
Stabuletum venienti imperatori quid faciendum, 101. d.
Stabulenses abbates quod servitium imperatori deberent 111. c.
Stabulensi monasterii possessiones subPoppone II. abbate, 89. c. & seq.
Stabulensibus datur vicecomitatus descendens de curia de *Brais*, 133. b. altertum castrum Longiæ, 326. ab eis villam Rapensem se habere in beneficium declarat Venceslaus rex Romanorum, 137. c.
Stabulensi monasterio bullam auream a Lothario imperatore concessam confirmat Conradus II. imperator, 101. c.
Stabulensis monasterii possessiones suis fidelibus dat Lotharius II. Germaniæ, rex, 26. a.
Stabulense monasterium commendat Fridericus imperator II. de *Limburg*, 5. 6. a.
Stabulensis ecclesia ab episcopo Leodiensi, comitibus de Ruse, de Monte-acuto, & Namurcensi vexata, 401. c. & seq. 440. a. b. eam tuetur adversus episcopum Leodiensem Conradus imperator, 452. a. eam depræ dator Godefridus comes Namurcensis, 177. comites de Los & de Monte-acuto, 501. d. Stabulenses, 568. b. c. advocati & monasteriales, 159. Stabulense monasterium a bellis ita arcetur, ut vix quisquis monachus ulte exsp rit, 140. c. d.
Stabulensibus monachis permissa parochialium administratio, 141. b.
Stabulense monasterium bellorum turbi ne, e gens a tutum, incantativum tabi filium quodcunque tempestatis permittat exigere, 147. a. & seq.
Stabulensis monasterii reformatio facienda, 152. b. & seq.
Stabulenses comites Ando, 25. a. Anglinus, 17. c. cui ampliorem donationem facit Carolomannus, 20. a. ei restituuntur villa *Letberum*, 120. b. & seq. Antonius episcopus, 31. d. Baboleuus, 16. b. Bajolenus, 3. Bertrami electio, 33. c. Cuno, 14. c. 86. a. 114. d. 127. b. 156. 157. 160. Ercleofus, 30. b. 182. Fulmarus, 86. 79. c. b. c. 81. 83. 116. Gaipar, 145. c. 148. a. Godunus, 3. 12. a. 13. b. 14. c. 62. b. Hildebaldus, 8. c. 8. c. Hugo, 133. c. Johannes, 127. b. Odilo, 430. c. 432. b. & seq. Pabolenus, 14. d. Petrus, 83. c. Poppo, 50. d. 52. d. 61. b. 72. b. 76. b. Poppo II. 83. c. 84. d. 91. d. 98. a. 117. c. Poppo de Bello-Monte, 56. 160. Rabangarius episcopus, 16. a. Ravengerus, 5. c. 51. d. 52. a. 54. a. 55. a. Reginarius comes, 36. d. 37. c. d. 38. c. Remerus, 32. b. Rodulfus, 74. a. 75. a. Sigolinus, 3. Theodoricus 66. b. 73. a. d. 79. a. Warnerus, 85. d. 86. a. 127. b. 131. Warnerus de *Ochies*, 136. a. c. Werinfridus, 47. c. 49. d. 52. c. Commutationem facit cum Warnero comite, 46. b. Wibaldus, 63. b. 92. b. 94. c. 101. c.
Stabulensis ecclesia Wibaldum alit, 249. Qui magnis eam laboribus & expensis ornavit, 508. a. Ni quam necessaria fuerit Wibaldi abbatis præsentia, 249. d. ipsius calamitatibus condolet, 211. b. & seq. ab oppressionibus liberat, 178.
Stabulenses gratulantur Wibaldo abbati de suoe Sclavonicâ expeditione reditu, 218. a. & seq. 219. b.
Stabulensibus gratias referunt Corbeienses quod Wibaldum sui abbatem non iaviderint, 195. d.
Stabulenses gratulantur Corbeiensibus de Wibaldi electione 196. c.
Stabulensem abbatem vult dimittere, & quam ob causam Wibaldus, 472. d.
Stabulensi abbati Wirundo privilegium concedit Ludovicus Pius, 22. 23. a.
Stabulensis abbas curam Stabuleti & Malmundarii in sua consecratione suscipit, 89. a.
Stabulenses abbates sunt principes, 479. c.
Stabulensium monachorum quatuor morspia, 312. b. & seq.
Stabulenses, inter & Corbeienses societas, 225. c. 247. c.
Stabulensium monachorum epistola ad Conradum II. imperatorem, 422. a. ad Corbeienses 156. b. ad Wibaldum, de rebus sui monasterii, 271. c. 272. c. 418. a. 421. c. 567. c.
Stabulensi in monasterio asservata diplomata Malmundarii, 3.
Stabulensis ecclesia à Danis combusta, 62. d.
Stabulensis monasterii vetera monumenta, 1.
Stamediensis abbas Petrus, 988. c.
Stangen monasterium S. Johannis, 1301. c.
Stephanus episcopus Meldensis, 890. c.
Stephanus Metensis episcopus, 112. d. dedecus ecclesiæ suæ illatum, mediante Wibaldo, ab imperatore rogat emendari, 506. c. ei privilegia Vulciodorensis monasterii commendat Wibaldus, 411. b & seq. qui ipsi scribit pro electione abbatis Vulciodorensis, 512. b.
Stephani Metensis episcopi, epistola ad Theodericum abbatem Vulciodorensem, 451. c. ad Wibaldum abbatem Stabulensem, 452. b. 523. Wibaldi ad eum responsio, 453. c.
Stephanus Metensi episcopo scribit Henricus episcopus Leodiensis, 521.
Stephanus episcopus Metensis schismaticus, 780. c.
Stephanus episcopus Prænestinus, 110. c.
Stephanus abbas Cluniacensis, 662. c. 669. d. c. 690. b. ejus epistola ad Henricum, archiepiscopum Remensem, 753. b.
Stephanum electum abbatem S. Jacobi Leodiensem hortatur Wibaldus, ut subeat onus sibi oblatum, 382. d. & seq.
Stephanus abbas Viconiensis, 829. c. 831. b. c.
Stephanus decanus Laudunensis, regis Franciæ nuncius ad summum pontificem 1176. d.
Stephanus canonicus Remensis, vir sanguine nobilis, discretus & probus, 828. c. 829. a.
Stephanus rex Angliæ, 755. b. 1354. c.
Stephani Vaivoda Moldaviæ zelus debellandi Turcas, 1450. a. 1531. c. 1536. a.
Sterilitas, 444. d. 445. b.
Stigmata S. Francisci, 1526. a.
Stipendiorum defectum patienter ferre hortatur Fridericus, 1205. c.
Stoicæ disciplinæ princeps Zeno, 1438.
Studiorum generalium seu universitatum commoda, 1275. d. 1276. a.
Studium Aurelianense, 1307. c.
Studium Parisiense, 640. c.
Studium Salernitanum Medicinæ, 1219. d.
Studii universitatis Salernitani restitutio, 1208. c.
Studium in regno Siciliæ reformandum, 1276. a.
Sualembergense monasterium, 548. c.
Suaviæ dux Fridericus, 423. b. 603. a. 610. b.
Subdiaconi uxores habere prohibentur, 717. b. c. 795. a.
Succi a Carolo Magno domiti, 1407. d.
Sueno rex Daniæ, Conradi imperatoris protectionem implorat, 495. c.
Suessionensis episcopus, 562. c.

Sueſſionenſi epiſcopo committitur negotium Conſtantiæ comitiſſæ Toloſanæ, 754. d. 755. a.
Sueſſionenſes epiſcopi Anſculfus, 918. c. e. 925. Hugo de *Chamſleuri*, 652. c. 778. b. 783. d. 785. e. 796. a. d. 797. b. 800. e. 801. d. 836. d. 871. e. 898. e.
Sueſſionenſes decani, Po. 830. b. VVilelmus, 795. e. 796. d. 800. e.
Sueſſionenſes canonici S. Remigii monachos vexant, 906. e.
Sueſſionenſis eccleſiæ privilegia confirmat Adrianus IV. 640. d. e.
Sueſſionenſis eccleſiæ præbendam confert Adrianus Papa IV. 657. a.
Sueſſionenſium monialium inſtitutum in Germania propagatum, 613. e.
Sueſſionenſis comes, l. 643. c. 784. d.
Suevorum motus, 205. a.
Sugerius abbas S. Dionyſii Eugenio III. carus, 637. d. ejus nepotem commendat Eugenius III. Henrico epiſcopo, Belvacenſi, 637. d.
Sugerus epiſcopus Bambergenſis, 64. d. e.
Sulpicius, 1359. e.
Summenia flamen, 1356.
Suggarius cancellarius Ludovici Auſtraſiorum regis, 37. b.
Suntingolfeld Hoſpitale, 1303. c.
Suppia fluvius 9. c.
S. Symphoriani Remenſis abbatia, 815. b. c.

T.

T. epiſcopus Ambianenſis, 878. b.
Tancredi regis Siciliæ tractatus cum Cæleſtino papa III. 1152. c. 1253. a. b.
Tarentaſienſes archiepiſcopi Johannes de *Chalant*, 1331. b. Petrus, 568. c.
Tartari excidium generale chriſtianitatis minantur 1252. c. ad caput orbis Romam aſpirant, 1152. d.
Taupinus de Caneu-merula miles epidimia *peſte correptus in Brabantia diem* obit, 1417. e.
Tecta palatium regium, 25. d.
Tegeno monachus abbas Malmundarienſis, 4.
Telekeinge abbas Marcvvardus, 412. d.
Teleſina civitas deleta, 188. b.
Tekeneburchenſis comes prædia Corbeienſis monaſterii occupat, 578. b.
Templi milites laudantur, 883. d. novi *Machabæi* dicuntur, 647. d. d. zelus eorum pro tuendis ſacris locis, ibid. 1300. c. jacturam patiuntur à paganis, 648. a. paganos vicißim cædunt, 648. c. ipſis infeſtus rex Cypri, 1300. c. eorum patrocinium ſuſcepit Alexander papa III. 883. b. d. Henrico archiepiſcopo Remenſi illos commendat, 846. a. c. 847. a. qui cum eſſet epiſcopus Belvacenſis, ei præbendam abſtulit, 647. b.
Templi magiſter S. nuncius Henrici archiepiſcopi Remenſis ad papam, 892. b.
Tenacitatis *vitium in monachis lugendum*, 323. c.
Tenoheuſe monaſterium, 973. e.
Terræ motus, 863. e.
Terra ſancta periclitatur, 748. d. 994. d. & ſeq. 996. b. & ſeq. 997. b. & ſeq. ejus deſolatio, 863. e. ipſi ſubvenire petit Alexander III. 748. a. & ſeq. 750. b. & ſeq. ei ut ſubveniat orat Henricum archiepiſcopum Remenſem Amalricus rex Jeruſalem, 803. b. c.
Terræ Sanctæ negotium, 1137. b.
Teutonicorum B. Mariæ hoſpitali ſua jura ſunt ſervanda, 1184. a. & ſeq.
Thales maximus ſeptem ſapientium Græciæ, 1438. a.
Thamaldus comes, 1283. b.
Tharonenſis S. Petri eccleſia, 1302. c.
Theanenſis epiſcopi Lo. obitus, 1206. c.
Theobaldus epiſcopus Ambianenſis, 929. e.
Theobaldo epiſcopo Pariſienſi ſcribit Adrianus papa IV. 639. b. 640. b. d.
Theobaldus abbas *Calinenſis*, 163.
Theobaldus præpoſitus Xantenſis, 366. a. d. 368. a. & 525. e. v. Thietbaldus.
Theobaldus de Veteri foro canonicus Sueſſionenſis, 796. b. e.
S. Theodardus Tungrenſis epiſcopus, 311. a.
Theodoricus archiepiſcopus Trevirenſis, 132. a.
Theodoricus epiſcopus Ambianenſis, 744. e.
Theodoricus Metenſis epiſcopus, 57. c. 59. b. 455. b. d. 457. b.
Theodoricus Barrenſis electus Metenſis, 741. e.
Theodericus abbas de Campis, 114. a. 115. e. 502. b.
Theoderici abbatis Corbeienſis litteræ de ſcribendis chronicis, 621. b.
Theodericus abbas S. Maximini & Stabulenſis, 66. b.
Theodericus abbas Stabulenſis, 73. a. d. 89. a. et privilegium confert Leo papa IX. 67. aliud impetrat ab Henrico IV. rege, 70. e.
Theodericus abbas Valciodori, 110. a. 191. 410. b. 452. e. 457. d. 523. a. de dilapidatione accuſatus citatur ad ſynodum, 453. c. ejus defenſionem ſuſcipit VVibaldus, 454. a. & ſeq.
Theodericus II. abbas VValciodori, 523. a.
Theodericus rex Francorum, 68. e.
Theoderici regis diploma Godomo abbati Stabulenſi conceſſum, 12. a.
Theodericus comes, 41. a.
Theodericus comes occiſus à VVidikindo. 588. b.
Theodericus comes Flandriæ, 648. d. e. 680. e.
Theodericus comes *de Montbel ort*, 603. b.
Theodericus cancellarius Henrici III. 60. d.
Theodericus *de Rielinge*, VVibaldo infeſtus, 439. e.
Theodericus judex Aquenſis, 105. d.
Theodulfus epiſcopus & Cardinalis, 168. 170. legatus in Germaniam, 203. a. Conradum imperatorem coronat, 204. e.
Theodvvinus S. Rufinæ cardinalis epiſcopus, 105. c. 120. c. 121. b. e terra ſancta rediens tranſit per Siciliam, 4 e. e.
S. Theofredi eccleſia, 1305. b.
Theophania imperatrix, 32. a.
Theotmarus cancellarius Arnulfi regis, 34. c.
Theotvvinus cardinalis, 312. e.
Thefaurario Stabulenſi reditus aſſignati, 70. b.
Theodefridus epiſcopus Tullenſis, 7. b. e.
Thidericus comes de Huxara, 176. 324. 330. b. occiſus a VVidikindo de *Sualenbereh*, 578. a.
Thiebaldus Capellanus præpoſitus Xantenſis, 366. d. 367. c. 368. a. d. 369. e. 371. 381. a. 383. d.
Thietbaldus ſubadvocatus Stabuleti, 79. e.
Thiebertus *de Vrinſpech*, camerarius, 710. c. b.
Thitmarus epiſcopus Ferdenſis, 170. 240.
Thietmarus notarius Lotharii II. imperatoris, 92. a.
Tiethvvinus epiſcopus Leodienſis, 73. a. e.
Thomas cardinalis, 120. d. 170. 509. d. legatus Eugenii III. Henricum abbatem Corbeienſem deponit, 200. c 202. 225. a. 241. b. 277. b. 292. a. 303. d. 302. c. 311. e. 319. d. & abbatiſſam Kaminatenſem, 297. c. 4 4. d.
S. Thomas archiepiſcopus Cantuarienſis Henrici Remenſis archiepiſcopi beneficia experitur, 723. b. ipſum ei commendat Alexander III. ibid.
Thomas Rhemenſis archiepiſcopus, 1267. b.
Thomas de Monte nigro juſtitiarius Principatus, 1284. e.
Thomas de *Suer*, vir nobilis, 1006. b.
S. Thomæ pauperum ſcholarum Pariſienſium eccleſia, 1302. e.
Thuringiæ Lantgravius, 1198. b. & ſeq. moritur, 1199. b.
Tibaldus marchio, 112. d.
Toletanus archiepiſcopus Franciſcus, 1499. e.
Toloſanus comes favet ſchiſmaticis, 732 d. cum eo fœdus init adverſus papam Fridericus II. imperator, 1141. a
Toloſana comitiſſa Conſtantia, 754. d. 755. b. virum ob ejus infidelitates deſeruit, 1603. c.
Tornacenſes epiſcopi, Anſelmus, 689. b. Galterius, 734. d. 890. b. 891. e. Geraldus, 689. b. Simon, 688. e. 689. b.
Tornacenſem *epiſcopatum* Noviomenſi denuo uniri contendunt Noviomenſes clerici, 733. e.
Tornacenſium abbatum & canonicorum exceſſus, 855. e.
In Torneamento defunctus ſepultura chriſtiana privatur, 674. c.
Trajectenſes epiſcopi Andreas, 101. e. 105. d. 164 Andreas *de Cuik*, 354. Haribertus, 484. a.
Trajectenſis epiſcopus Haribertus, 289. c. Heribertus *de Berene*, 354. e.
Trajectenſis electus Herimannus, 418. b. 484. c. ſeu Hermannus 507. b. S. Remaclus, 6. c.
Trajectenſis epiſcopi electio facta in diſcordia, 494. e.
Trajectenſis canonici S. epiſtola ad Hildegardem, 1109. d.
Tranſlatus ab una ad aliam pinguiorem eccleſiam eſt prævaricator 1013. 1019. e.
Trecenſis civitas Urbano papa IV. originem tribuit, 1253. a.
Trecenſis epiſcopus, 936. a. Henricus, 891. e.
Trecenſis comes Henricus, 659. a. 671. c. 880. e. vexat eccleſiam Rhemenſem, 867. a. & ſeq. excommunicatur, 867. d. e.
Treviri Galliæ Belgicæ caput & metropolis, 547. d.
Trevirenſis & Remenſis eccleſiæ ſorores, 625. a. 626. c.
Trevirenſes archiepiſcopi, Adalbero, 516. e. 547. e. 626. b. Albero, 93. a. 101. a. 105. d. 109. d. 112. a. 114. 168. 173. a. 603. Boemundus, 125. b. Bruno, 824 c. Hillinus, 349. d. e. 547. b. 551. c. Numerianus, 10. c. Poppo, 37. c. 59. b. Theodericus, 132. a.
Trevirenſes ſanctimoniales, 621. d.
Tridentinus epiſcopus reprehenditur negotio Judæorum, 1512. b.
Ad Trinacriæ *regem* reſcriptum regis Navarræ ſuper facto eccleſiæ, 1361. a.
S. Trinitatis canonicis reſtituendum cimeterium, 923. d.
Trium fontium monaſterium, 779. b. c. 780. a. 952. b.
Tutienſes abbates, Rodulfus, 114. a 115. e. Rupertus, 89. c
Tullenſis diœceſis ſchiſmate infecta, 916 c.
Tullenſes epiſcopi, Henricus, 102. a. 164. Theodefridus, 7. b e
Tumultus in Corbeienſi monaſterio, 274. d.
Tungrenſium epiſcopus S. Remaclus, 53 e.
Turcarum in Terram Sanctam irruptio, 802. d. in Ægyptum, 804. a Chriſtianos vexant, 1491. d. in bellum inferendum, 1490. a e. 1503. c. 1505. d. 1509. a. 1514. b. 1521. e. 1531. e. 1533. c.
Turingiæ Landgravius Ludovicus, 600. e.
Turonenſis archiepiſcopi probitas, 1492. b.
Turonenſis archiepiſcopus, 743. e.
Joſcius, 843. d. e. 907. c.
Turonenſes canonici, 665. c. 656. b 939. b.

Tuſcanenſem ducatum Carolo magno confirmat Adrianus papa I. 112. 8.
Tullenſis epiſcopi, Imarus, 618. c. 660. d. c. 662. a. Latinus, 1506. b.
Tyrannenſis epiſcopus, P. 1497. b. 1527. a.
Tyrenſis archiepiſcopus P. 748. d. 750. d. regni columna, & eccleſiæ ſpeculum, 804. b.

V.

V. Cardinalis SS. Sergii & Bacchi, 570. b.
V. Pariſienſis Theologi epiſtola ad S. Hildegardem, 1097. c.
Valcaſe monaſterium, 1304. d.
Valdenſium ſecta in partibus Ebredunenſium faſcinata, 1057. b. ſerpit in diœceſi Tarentinenſi, 1110. d.
Valerius maximus, 1359. c.
Vallis Dei præpoſitus Fridericus, 1043. d
Vallis-lucentis monaſterium, 806. c. e.
Vallium Sernaii abbas Andreas, 648. c. Ubaldus preſbyter S. Crucis in Jeruſalem cardinalis, 121. b. 122. b.
Ubaldus cardinalis S. Crucis, 618. c.
Ubaldus cardinalis S. Praxedis, 557. d. 618. c.
Udalricus epiſcopus Patterbornenſis, 14[illegible]. d.
Udalricus comes *de Lenzenburg*, 557. a.
Udo epiſcopus Cicenſis, 112. f.
Udo epiſcopus Hildesheimenſis fundator Reinhuſani monaſt. 501. a.
Udo Otenburgenſis epiſcopus, 105. d. 112. d.
S. Ulfi Arrebatenſis eccleſia 1303. e. nullum præter Romanum habet epiſcopum, 811. c. et reliquias S. Jacobi vi aufert Philippus comes Flandrenſis, 747. c. 811. c.
Vegetius, 1359. c.
Velamina alba feſtis diebus ferebant monniales S. Hildegardis, 1800. a. b.
Venatini comitatus rector Conſtantinus epiſcopus Spoletanus, 1515. b.
Venatini comitatum vexat Seneſcallus Bellicadri, 1515. e.
Venetenſis epiſcopus Petrus de Fuxo, 1530. d. cardinalatus ei promittitur, ibid.
Veneti viri conſilii, viri prudentia eminentes, 1280. b. ipſis ſcribunt cardinales ne terras eccleſiæ Romanæ prædantibus faveant, 1279. d. 1280.
Veneti primum Paduanis ſocii adverſus ducem Mediolanenſem, ad ipſum converſi, 1141. a.
Veneciarum dux Andreas Vindianimus, 1535. e. 1545. ipſi ſola a pontifice miſſa quarta dominica Quadrageſimæ 1532. c. ad eam ſcribit Sixtus IV. ut in Italia bellum impediat 1496. c.
Vencimilienſis epiſcopus Baptiſta, 1512. b.
Vercellenſes monet Fridericus II. ut cum armatorum copia ad ſuum veniant exercitum, 1153. b.
Vercellenſibus juris civilis profeſſorem mittit Fridericus imperator, 1140. c.
Verdenenſis abbas *Lambertus*, 458. b.
Veronæ ſolemnem indicit curiam Fridericus II. imperator adverſus rebelles, 1160. e.
Verziliacenſe monaſterium in epiſcopatu Autiſiodorenſi, 1303. a.
Veſcerenſis abbatis epiſtola ad S. Hildegardem, 1032. c.
Veſtiario aſſignata prædia, 113. c. 114. a.
Veteris-montis Moguntinenſis diœceſis abbatiſſæ N. epiſtola ad S. Hildegardem, 1073. d.
Viconienſis eccleſia debitis afflicta. 829 e. 831. b.
Viconienſis abbas Stephanus, 829. c. 831. b. c.
Victor IV. antipapa. 654. e.
S. Victoris Moguntini præpoſiti G. epiſtola ad S. Hildegardem, 1046. a.
Victoriæ caſtri combuſtio, 1217. d.
Vigilantii hæretici errores, 1343. c.
Vigilia S. Fulcani cum abſtinentia a carnibus, 923. c.
Villare monaſterium, 912. c.
Villarienſis abbas Geraldus factus epiſcopus Tornacenſis, 689. c.
S. Vincentii monaſterium in diœceſi Baſileenſi, 1301. c.
S. Vincentii Laudunenſis abbas Anſelmus factus epiſcopus Tornacenſis, 688. c.
S. Vincentii Silvanectenſis abbas, 773. c.
Viridocinenſe monaſterium in diœceſi Carnotenſi, 1301. a.
Vinea S. Genulphi & Belnenſe 1389. e.
Virdunenſes epiſcopi Albero, 110. a. 244. c. Richardus, 61. a. 66. d. electus Richardus de Criſta, 761. b. 675. c.
Virgilius Ovidio præponendus, 1424. a. 1425.
Virginum conſecratio quo die facienda, 526. c. 527. a.
Virginum monaſteriis preſbyteri maturi & longævi ordinandi, 808. a.
Virſeburgenſis epiſcopus Embrico, 105. d. 112. d.
Virtuenſe monaſterium, 885. b.
Virtuenſe S. Mariæ monaſterium 782. b.
Virtuenſe S. Salvatoris monaſterium, 781. c. 951. c. 981. b. 898. d.
Virtutis ea eſt vis ut ablentes maximosque cum infimis jungat, 1412. a.
Virtus nominalis & verbotis dignitas, ridicula & digna cachinno, 1463. b.
De Virtute qui libenter audit vel loquitur jam eſſe cenſetur virtuolus, 1361. e.
Virtus nulla eſt quam diſcretio deſerit, 257. c.
Vita brevis longa noſtra deſideria increpat, 1336. d. 1387.
Vitæ privatæ felicitas, 1465.
Vitriaci Caſtellanus vexat monachos de Cajadia, 881. d.
S. Vitus patronus Gladbacenſis & Corbeienſis monaſterii, 480 c ejus meritis Victoria de Abotritis reportata, 1 4.
Vizliacenſe monaſterium, 1302. d. in eo facta tranſlatio corporis S. Magdalenæ a Martino papa IV. cum legatus ageret *in regno Franciæ*, 1238.
Ullesheimenſis abbas Sifridus à monaſterio ejectus innocens. 535. a. 538. e.
Ulmanetz eccleſia S. Mariæ, 1304. a.
Ulrico epiſcopo Haldebertſtadienſi ſcribit Eugenius III. pro monaſterio Corbeienſi, 507. d.
Ulſen monaſterium monialium tranſit ad Corbeienſes, 534. c.
Unacorr decanus, 954. c.
Undereſtlorfenſis præpoſiti N. epiſtola ad S. Hildegardem, 1042. d.
Unio inter prælatos & ſubjectos commendatur, 627. b.
Univerſitati Pariſienſi codices mittit aliquot Manfredus rex Siciliæ, 1121. a.
Voluntas propria deteſtanda, 1070. b.
Vormatienſes *epiſcopi*, Burco, 112. d. 173. 199. c. 205. a. 601. c. Hildeboldus, 52. a.
Urbanus papa II. 119. a indulgentias concedit ſubvenientibus Terræ ſanctæ, 749. b.
Urbanus papa IV. Trecenſis, 1153. a. præbendas & canonicatus habuit in Ebornenſi Laudunenſi & Sueſſionenſi eccleſiis 1277. a. unde & dicitur quondam Laudunenſis eccleſiæ filius. 1254. b. ſcribit communitatibus de promotione ſua, 1250. & ſequejus inſignis modeſtia, 1251. b. 1252. a. 1253. b. c. Francorum regis religionem multis verbis prædicat, 1252. 1253. ad ſolum natalis proprii cum invitat S. Ludovicus, 1253. b.
S. Urbani Trecenſis eccleſia, 1303. a.
S. Urbani monaſterium, 886. c.
Urſicampi abbas Odo, 812 a. c.
S. Urſmari canonici Lobienſi monaſterio ſubditi matrimonia contrahunt, 794. d.
Uſercienſe monaſterium, 1305. a.
Uſionis caſtrum, 1304. c.
Uſura damnata, 686. c. 694. b. 862. c. 916. c. 957. a. b. inter graviſſima crimina reputatur Deo & hominibus abominanda, 871. a.
Uthelricus comes *de Lancenburg*, 557. d. 603. b.
Uthelricus comes de Orninga, 603. b.
VVade eaſis abbatis H. epiſtola ad S. Hildegardem, 1041. c.
VValdo cat cellarius Caroli Craſſi imperatoris, 32. c.
VValandus clericus litteratura & morum probitate ornatus 807. c.
Valciodorum Wibaldi abbatis mater, 450. d. 451. c. 452. e. 454. e. 512. c. 514. a. quia ibi monaſticum habitum accepit, 451. c. 456. e. ideoque protectionem ſuam ei promittit, 452. e. & ejus privilegia commendat Stephano Metenſi epiſcopo, 451. b. & ſeq. eadem confirmat Conradus II. imperator 455. d. 456. e.
VValciodori abbates, Forannanus, 192. c. 523. c. Hrembertus, Godeſcalcus, Immo, Kadroe, Lambercus, Macalanus, 525. a. Robertus, 192. c Rodulfus, 525. a. Throdericus I. 110. c. 192. c. 450. b. 452. e. 457. d. 522. c. 523. a Throdericus II. 521. a. VVibaldus, 521. b. VVidricus, 1561.
VVlricus, 523. b.
VValeramnus dux, 105. d. 126. c. 128. a.
VValeramnus dux Lotharingiæ Moſelanæ, 108. c.
VValramus *de Bure*, 135. a.
VValramus *de Salme*, 135. a.
S. VVallerici monaſterium, 1303. c.
VValterius abbas Floncenſis, 110. a.
VValterius abbas S. Laurentii Leodienſis, 188. d.
VValterius abbas Scienſis, 610.
VValterius ſacerdos catholicus, 851. c.
VValterius Præmonſtratenſis canonicus præpoſitus de *Gaſſn*, 714. b.
VValterus cancellarius Ludovici II. regis Franciæ Orientalis, 31. c.
VValterius dapifer, 524. a.
VVarnerus epiſcopus Monaſterienſis, 105. d. 458. b.
VVarnerus abbas Stabulenſis, 127. b. dignitate dejectus, 86. a. 156.
VVarnerus de *Oxhen* abbas Stabulenſis, 136. a. c.
VVarnerus rector ſcholarum Stabulenſium, 18.
VVarnerus comes commutationem facit cum VVerinfrido abbate Stabulenſi, 46. b.
VVarnerus frater Frederici marchionis de Amone, 102. a.
VVarnerus de Ketpenne Vilippam uxorem invadit. 91. c. 98. a.
VVaſconia cedit Anglo, 138. a.
VVaſelinus abbas S. Laurentii Leodienſis, 10. a
VVazo epiſcopus Leodienſis, 66. 67. d.
VVelpho avunculus ducis Saxoniæ, 616 b.
In VVelphonem expeditionem præparat Conradus imperator, 379. d.
VVenceſlaus rex Romanorum, 16. a. Vices ſuas interponit ad ſtabiliendam pacem inter VVladeſlaum Poloniæ regem & magiſtrum ord. Prucenorum. 13. d. declarat ſe beneficiariam habere villam Rupenſem ab abbate Stabulenſi, 136. e.
VVenceſlaus Luxemburgenſis Brabantiæ & Limburgiæ dux, 155. a. d.
VVerbenſe monaſterium Corbeienſi unit Adrianus Papa IV. 619. d. 620. b.
VVerinfridus abbas Stabulenſis monaſterii, 52. c. Turminas prædium monaſterio ſuo reſtitui curat, 49. d. commurationem facit cum VVarnero comite, 46 b. locum refugii Leodii petit ab Everaclo epiſcopo, 47. c.
VVerneri epiſcopi Mindenſis epiſtola ad VVibaldum abbatem, 576. d. 582. d.
VVernerus comes *de Basen*, 603 b.
VVernerus comes *Hasenbergensis*, 610. b.

VVethdersvvinkelenſis

Vythdersvvinkelensis abbatissæ M. epistola ad S. Hildegardem, 1018. e.
Vvezel epistola ad Fredericum imperatorem, 554. c.
Vvibaldus abbas, 505. b. d. 506. c. 601. c. ætate conceptus, vere natus, 519. e. ejus patria, 151. 483. b. fratres & soror, 155. frater ejus cancellarius regiæ curiæ, 250 e. soror Hadvvidis, 250. d. Stabuleti fuit educatus, 221. d. 249. d. 259. a. ejus eruditor Reinhardus abbas Reinhusanus, 600. d. Stabuletum matrem suam appellat, 432. d. & tamen dicitur Valciodori filius, 450. d. docuit Stabuleti, 476. e. ibidem fuit magister & portarius & postea abbas, 88. a. e.
Vvibaldus electus abbas Stabulensis, 512. c. 521. b. fuit religionis amator & disciplinæ regularis cultor, 213. c. viri boni testimonii & in ecclesia catholica bene nominatus, 233. c. omni honestate & prudentia spectatus, 215. c. 256. b. 237. d. e. pro suæ honestatis prudentia honorandus, 508. b. de sententia liberalium artium laudatus, 332. b. ejus eloquentiæ torrens indeficiens, 459. e. eloquentia Tulliana, 215. b. studia & lectiones, 334. e. Ciceronis lectione quomodo utus, 392. e. 393. c. ipsius humilitas, 150. b. 191. d. 319. d. e. 374. c. pacis & concordiæ amor, 246. c. lites amice componere studet, 343. d. persecutionem patitur, 214. d. 216. b. ejus elogium, 369. b. investituram regiam a Lothario imperatore & benedictionem ab Alexandro episcopo Leodiensi in Stabulensi monasterio accipit, 106. b. privilegia ipsi concedit a Lucio papa II. 121. a. ab Eugenio III. 121. e. a Celestino II. papa, 118. a. ab Adriano papa IV. 129. c. Guidoni cardinali commendat suos Stabulenses, 227. e privilegium impetrat ab Arnoldo archiepiscopo Coloniensi. 113. a. 114. c. a Lothario rege pro Stabulensi monasterio, 90. c. 96. d. 98. d. quæ confirmari impetrat a Conrado II. imperatore, 111. a. Stabuletum ecclesiam magnis laboribus & expensis ornavit, 568. c. inductus a Paschale II. abbate abbatias emendit, 570. b. & seq. castellum Longue restaurat, 106. c. ejus res gestæ & emendatæ in curte Andernaci, 92. b. contentio de investitura quarumdam eccl. fratrum, 94. b. legatus hominum de Stavelo papæ mandatu liberos ebire permittit, 123. c. Vvinandum de *Lamberto* excommunicat, 125. c. transfert ossa fratrum suorum, 67. b. ipsi Alberto Leodiensis episcopus concedit diploma de restitutione *Tavanne*, 109. a eidem villa Bovinacum restaurandæ traditur, 94. a. quædam prædia ad vitam cedunt Stabulenses, 123 a. ejus diploma, 123. e de curte *Lenne*, 121. a. donationem facit Leodiensi S. Martini ecclesiæ, 102. c. ejus diploma pro Azone abbate S. Egidii in Mauro-publico, 95. b. Reinero de Rupe quæ ejus prædia dat in beneficium, 126. b. excusat se a colloquio Hoiensi, 478 d.
Vvibaldus abbas Corbeiensis, 621. c. eligitur, 303. c. electioni ejus interest Bernardus episcopus Paterbornensis, 201. a. 202. d. 203. e. item Herimannus comes. 202. d. electionis decretum ipsi mittitur, 303. e. antequam illi assensum præbeat consultat Deum & fratres suos, 305. d duas simul abbatias aut aliam sua ditiorem habere recusat, 305. d. urget rex ut abbatiam suscipiat, 308. c. atque de illa eum investit, 309. e.
Vvibaldo gratulatur Reinardus abbas ipsius olim magister de sua electione, 197. d. eum hortatur ad humilitatem, 197. d. e. Vvibaldi absentis & renitentis electionem in Corbeiensem abbatem Eugenio papæ significat Conradus imperator, 198. c. qui ipsum cogit accipere Corbeiensis abbatiæ regimen, 201. b. 207. c. electioni ægre consentit, 201. a.
Vvibaldus abbas Eugenio in Gallias venienti mittitur obviam, eique Divionem occurrit, 310. c. A papa honorifice susceptus, 199. d. qui tamen de illius electione petit Corbeiensium testimonium, 197. e. ei testimonium perhibet Herimannus comes advocatus Corbeiensis, 203. c. Vvibaldum H. duci Saxoniæ commendat Conradus imp. 205. e. Vvibaldi electio Eugenio III. explicatur, 209. b. qui eam ratam habet, 209. e. 210. d. 311. a. idque Meldis, 473. a. & ut ei obediant Corbeienses hortatur, 230. a. Vvibaldo papa injungit expeditionem in pagnos, 310. e. a papa crucem accipit, 220 b. intrat cum militia in terram Leuticiorum, 311. c. adest obsidioni Diminibii. eum occidere tentant seditiosi monachi, 314. a. d. inimicis suis benefecit, 314. b. apud Eugenium insimulatur dedisse regi thesaurum ecclesiæ, 209. d. 226. a. & seq.
Vvibaldi acta in administratione Corbeiensis monasterii, 171. a. & seq. in ea quam bene se gesserit, 224. e. prædia ab Henrico abbate dissipata recuperat, 225. a. collapsa restaurat, 201. b. multos labores patitur, 222. a. 432. e. ministerialium insolentiam compescit, 609. e. Corbeiensis monasterii privilegia confirmari impetrat, 604. c. ejus absentia Corbeiensibus quam noxia, 248. e. Stabulensibus prætentia quam necessaria, 249. d. 256 a. b. 257. c.
Vvibaldo commissa reformatio Henvordensis Parthenonis, 108. b. in Kaminata divinæ religionis cultum & prædia ipsius alienata restituit, 234. a. d. 231. d 236. b. 237. b. 238. a. priorem Corbeiæ instituit, 481. b.
Vvibaldo abbati anuli ulum ad vitam concedit Anastasius IV. 512. d. quem ei per Gerardum cardinalem mittit, 573. c. Gregorii cardinalis ea de re epistola, 574. a. sanctiorum & dalmaticæ usus ipsi concessus, 619. e.
Vvibaldus hæret an duas possit simul abbatias possidere, 471. c. & seq. a retinenda abbatia Stabulensi quibus rationibus deterretur, 472. d. Stabulenses eum retinere contendunt, 473. b. & seq. 474. b. & seq. iterum instat ad dimittendam abbatiam, 460. & 475. b. c. & seq. optat utraque abbatia potius carere quam neutri prodesse, 475. e. Malmundarienses uti & Stabulenses eum a dimittenda abbatia dererrent, 477. c. & seq. 478. b. & seq. Corbeiensibus præfectus potius quam datus fuit, 479. d. qui etiam eum exorant ne Stabulensem abbatiam dimittat, 480. d.
Vvibaldus electus invitus abbas Casinensis, 99. b. Casinensi abbatiæ renuntiat, 190. b. & seq. Casinenses absolvit a sua obedientia, 191. c. & seq. 192. b. Casino expulsus dicitur a rege Siculo, 408. d.
Vvibaldus electus abbas Vvalciodorensis, 521. b. privilegia illius monasterii confirmari facit a Conrado imperatore, 456. d.
Vvibaldi industria in curia regis celebris & in Romana ecclesia non ignorata, 196. ecclesiæ Romanæ & imperio fidelis fuit, 500. a. ejus devotio erga Romanam ecclesiam, 403. d. 460. d. 591. a. 597. e. 619. d. zelus in Romanam ecclesiam, 440. c. 545. e. 561. a. amorem & reverentiam erga sedem apostolicam inspirat Conrado imperatori, 409. e. 413. c. reverentiam erga Eugenium papam inspirat Henrico juniori regi Romanorum, 245. e. 251. c. 258. d. impedit quominus Henricus junior rex Romanorum papam offendat, 250. c. a Lucio papa unice dilectus, 228. c. idque per viginti annos, 228. e. 229. b. ecclesiæ Romanæ sapienter & efficaciter semper restitit, 229. c. Eugenii partes tuetur, 282. a. Romanæ ecclesiæ captivos liberat, 211. c. ejus consilium requirit G. cardinalis apostolicæ sedis legatus in Polonia, 359. e. Vvibaldi ad eum epistola, 160. b. Vvibaldus amicus Guidonis cardinalis, 326. 3. c. 328. a. Vvibaldus curiam quando experit frequentare, 508. c. 510. c. ejus fidelitas erga imperium laudata, 97. a. 613. c. diu multumque imperio servivit, 509. d. ejus præsentia regno necessaria & imperatori utilis, 190. e. eo familiariter utitur Conradus imperator, 455. b. qui ejus fidelitatem laudat, 355. e. & eum fidelem suum appellat, 414. a. ejus consilio utitur. 362. a. 389. d 434. e. Vvibaldo acta in obsidione Damasci significat, 399. d. Vvibaldi ad Conradum monita, 396. c. filium suum instituendum ei commendat imperator, 174. a. 213. a. Vvibaldum ad se vocat Henricus rex Romanorum junior, 265. a. illius servitia agnoscit suaque & regni negocia per ipsum vult ordinari, 261. c. d. illam papæ commendat, 253. b Vvibaldum de fidei constantia laudat ipsiusque in regni administratione consilium requirit, 212. d.
Vvibaldus a Conrado imperatore legatus missus ad Eugenium III. papam, 205. e 388. a. 418. b. 479. a. 500. a. 501. a. 503. d. excusat se a suscipienda propriis sumtibus legatione Romana, 441. d. 442. b. & seq. quantas pro imperatore expensas fecerit, 442. c. qui suscipiendam legationem urget. 443. b. recusatam legationem Romanam tandem suscipiendam censet, 444 a. b. ab ea excusat illum Conradus imperator, 459 c. Vvibaldi abbatis reditus ex legatione Romana, 511 cum filiis suis & germanis antepositi Conradus imperator, 511. d
Vvibaldi legatio ad Græcos, 586. d. 595. b. 597. c.
Vvibaldi fides & constantia in Italica expeditione & in imperii administratione. 99. a. b. 103 c. 116. d.
Vvibaldus ad electionem novi imperatoris vocatus, 513. e. ejus literæ ad papam de electione Friderici imperatoris, 541. c. cui quam gratus, 517. e. 552. b. c. ejus fidelitas laudata a Friderico, 581. c 592. a. graviora imperii negotia ejus consilio tractanda, 126. ipsi expeditio in Mediolanenses committitur, 507. a. ei quam prospere omnia secum agantur significat Fridericus imperator, 582. b. Vvibaldi injurias ulturum se promittit, 537. c. e.
Vvibaldi virtus in negotiis ecclesiæ & regni exercita, 438. b. de regno bene merita, 207. e. & tamen in curia adversa patitur, 392. a. c. 595. b. diuturniorem nec majorem a rege gratiam sperat, 595. b. ægrotat Viterbii, 503. c. interest synodo Leodiensi, 303. d.
Vvibaldus ad archiepiscopatum Coloniensem optatur, 595. d. quem ille refugit, 396. b. in electione Bremensis archiepiscopi omnium fere vota inclinant se in eum, 342. b.
Vvibaldus abbas ad sedem apostolicam provocat Philippum episcopum Osnabrugensem, 581. e. reconciliatur cum episcopo Mindensi, 446. b. & seqq. 448. b. ipsum causæ suæ arbitrum eligit ecclesia Bremensis, 204. c. ejus intercessionem apud summum pontificem deprecatur Alchodus abbas Fuldensis, 213. c. Guidoni car-

dinali fervat in gratiam Fuldenſis a. 1139 & Reinardi tui quondam magiſtri, 215. a. & ſeq. ipſum Fuldenſes invitant ad futurum abbatis tui electionem, 243. b 278. c. 279. c. ſalutaria eis dat monita, 249. a 271. b. c. ejus conſiliis recreantur, 361. b. in capitulo Fuldenſi ſermonem ad fratres habet ante abbatis electionem, 284. c. Eugenium III. certum facit de electione abbatis Fuldenſis, 283. d. & ſeq. 327. c.

Vvibaldus Anſelmo epiſcopo Havelbergenſi proponit quæſtionem de creatione Angelorum, 328. c. ipſi quemdam pſalmi verſiculum explicat Otto Frisingenſis, 520. c

Vvibaldo ſcriptæ epiſtolæ, Arnoldi archiepiſcopi Colonienſis, 501. d. Guidonis cardinalis, 227. a. Manuelis imperatoris C. P. 508. a.

Vvibaldus donationem fecit hoſpitali de Groninga, 620. d. ſubſcribit privilegio Conradi imp. pro Vvalciodoro, 458. b. privilegium impetrat a Conrado imperatore pro monaſterio Reinhuſano, 600. d.

Vvibaldi anniverſarium, 130. 610. d.

Vvibaldum Stabulenſem a Corbeienſi perperam diſtinguit Libnits, 154.

Vviemannus epiſcopus Cicenſis, 616 a.

Vviemanno archiepiſcopo Magdeburgenſi cauſam inter epiſcopum Osnabrugenſem & abbatem Corbeienſem dirimendam committit Adrianus IV. papa, 578. d. illi cauſam Corbeienſis monaſterii adverſus epiſcopum Osnabrugenſem commendat Fridericus imperator, 581 b.

Vviemanni archiepiſcopi Magdeburgenſis epiſtola ad Adrianum papam, 584. c. ad Vvibaldum, 579. d. e.

Vvidergoldesdortenſis abbatiſſæ N. epiſtola ad S. Hildegardem, 1070. c.

Vvidikindus invaſor bonorum Corbeienſis monaſterii, 506. e.

Vvidikindus & Folcuinus Huxariam vadant, 530 a. & ſeq. 531. b.

Vvidikindus de *Swalenberg*, 331. d. occidit Thidericum de Huxaria, 578. a.

Vvidricus abbas Vvalciodorenſis, 156.

Vvigerus ſeu Vvikkerus epiſcopus Brandeburgenſis, 601. c. 616. a.

Vvigerus de Vvoronna, 109. c.

Vvikerus miles, 65. b.

Vvillardus presbyter diffamatus, 878. b.

Vvillelmus cardinalis S. Petri ad Vincula, 654. c. 656. b. 783. e. ejus epiſtola ad Henricum archiepiſcopum Remenſem, 528. e.

Vvillelmus ad Albas-manus electus Carnotenſis, 744. a. e.

Vvillelmus archiepiſcopus Senonenſis apoſtolicæ ſedis legatus, 888. e. 990. e.

Vvillelmus archiepiſcopus Mogúntinus, 48 d.

Vvillelmus Pariſienſis, 334. c.

Vvilelmus Sueſſionenſis decanus, 795. e. 796. d. 800. e.

Vvillelmus canonicus Nazarenus, 865. a.

Villelmi regis Siciliæ tractatus cum Adriano papa IV. 1231. d. hominium præſtat Clementi papæ III. 1233. d.

Vvillelmi regis Siciliæ in Græcos victoria, 1231. d.

Vvillelmus dux Juliacenſis, 135. a.

Vvillelmus comes Palatinus, 105. d. 112. d.

Vvillelmus comes de *Glizpere*, 610. b.

Vvillelmus comes de Juliaco, 610. e.

Vvillelmus comes Matiſconenſis, 523. d. e.

Vvillelmus de Vvide comes, 135. a.

Vvillelmus caſtellanus S. Audomari, 993. e.

Vvillelmus de *Mell.* infeſtus monaſterio S. Remigii, 1002. a.

Vvillegiſus Moguntinus archiepiſcopus archicapellanus Ottonis II. 50. a. e. 51. b. 52. c.

Vvinandus de *Lemburch* excommunicatus a Vvibaldo caret ſepultura, 115. e.

Vvinzenburgenſis comes Herimannus, 611. c.

Vviricus de *Berperg*, 135. a.

Vvirnitus magiſter parvulorum imperatoris, 25. b.

Vvirſeburgenſis electus Sifridus, 173. 603. a.

Vvirundo abbati Stabulenſi privilegium concedit Ludovicus Pius, 22. a. 23. a.

Vvisbicke monaſterium virginum, 364. a. Corbeiæ novæ unitum. 173. 199. b. 207. c. 233. c. 386. c. 389. c. 602. c. c.

Vvitus decanus Sueſſionenſis, 653. e.

Vvladiſlaus rex Poloniæ, 1321. d.

VVitramnus comes de *Voerthem*, 610. c.

S Vvulmari monaſterium, 1303. b.

VVitricus abbas Vvalciodori, 523. b.

VVolcmarus abbas Corbeienſis, 611. a.

X.

XAntenſis præpoſitura, 366. d. 367. b. 371. e collata Thiebaldo capellano Conradi imperatoris, 366. a. ab Eugenio III. ipſi confirmata, 367. b. 368. a. 369. e. 371. e.

Y.

YMarus cardinalis Tuſculanus epiſcopus ſchiſmaticus e Cluniacenſi monaſterio ejiciendus, 660. d. 662. a.

Z.

ZUendeboldus rex donationem facit Stabulenſi monaſterio, ut miſſa & pſalterium pro eo decantetur, 35. e. & ſeq.

Zvvetellenſis abbas R. conſulit S. Hildegardem an curam paſtoralem dimittere debeat, 1024. b.

Zvvifeldenſis monaſterii collapſa diſciplina, 111. b. prioris ejuſdem monaſterii ad S. Hildegardem epiſtola, ibid.

Zvvifeldenſium monialum ad S. Hildegardem epiſtola, 1120. e. quæ eas hortatur ut ſuperbiam vitent, ne ſint ſaltatrices nec extra monaſterium prodeant & ad primam deportationem redeant, 1121. b. & ſeqq.

Zvvnieldenſis abbas Bertoldus, 1017. d.

FINIS.

Errata corrigenda & emendanda.

Pag. 36. lin. 56. noſtris *leg.* noſtri. *p. 45. l. 12.* ſigalini *l.* ſigalini. *p. 52. l. 57.* ſolutam. *l.* ſalutem. *l. 59.* divini. *l.* divino. *p. 85. l. 48.* reddiderit *l.* reddiderat, *p. 95. l. 48.* cui *l.* cui, *p. 125. l. 35.* Bailus *vox corrupta*, *p. 148. l. 35.* tranſgreſſore pœnas mandatorum *l.* tranſgreſſione mandatorum. *p. 153. l. 21.* A Ilberonis *l.* Alberonis, *p. 155. l. 12. dele* eccleſia Scabulenſis, *ibid. l. 41.* paternæque *l.* tranſgreſſione mandatorum. *p. 153. l. 21.* A Ilberonis *l.* Alberonis, *p. 155. l. 12. dele* eccleſia Scabulenſis, *ibid. l. 41.* paternæque *l.* paternaque, *p. 157. l. 12.* fratri *l.* fratris, *p. 160. l. 35* Italicæ *l.* Italiæ, *ibid. l. 45.* ediſſe *l.* edidiſſe, *p. 168. l. 34.* Adalberoni *l.* Alberoni *l.* paternaque, *p. 157. l. 12.* fratri *l.* fratris, *p. 160. l. 35* Italicæ *l.* Italiæ, *ibid. l. 45.* ediſſe *l.* edidiſſe, *p. 168. l. 34.* Adalberoni *l.* Alberoni *eiſdem ſic p.* Alberonis, *p. 172. l. 48.* majoris eccleſiæ, *adde* Colonenſis, *p. 173. l. 22.* accepto Ratiſbonæ *l.* accepto Spiræ, *p. 177. l. penult.* vere *l.* vero, *p. 173. l. ult.* quædam poſſes, *adde* ſionas eccleſiæ noſtræ valde utiles ex eis conquiſivimus. Reliqua omnia integra in eccleſia conſervata ſunt. Ea vero quæ nunc propter neceſſitatem, *p. 179. l. 14.* ſocium *l.* ſolium, *ibid. l. penult. 1519. l. 1159. p. 180. l. 8.* invidens *l.* invidemus, *p. 185. l. 1.* in præcermiſſe *l.* inprætermiſſe, *p. 209. l. 62.* comiti.... acceſſitis *l.* comite... acceſſitis, *p. 223. l. 20.* patri *l.* patris, *p. 225. l. 39.* eccleſiæ *l.* eccleſia, *p. 235. l. 54.* qui *l.* quæ, *p. 240. l. 8.* reſtituit *l.* reſtitui, *p. 247. l. 20.* in ipſum *dele* in, *p. 252. l. 9.* Jacob & Jacob *l.* Jacob & Joſeph, *p. 262. l. 13.* admiratione *l.* adjuratione, *p. 274. l. 11.* quod id *l.* id quod, *p. 275. l. 18.* contradictione *adde* admiratem, *p. 276. l. 26.* lætandam *l.* lætandum, *p. 276. l. 51.* poſſimus *l.* poſſemus, *p. 311. l. 42.* addaturos *l.* adducturum, *p. 340. l. 19.* quid *l.* quod, *p. 345. l. 6.* inhabili *l.* inhabilis, *p. 353. l. 29.* & G. *l.* &c. G. *p. 358. l. 35.* Theſſalam *l.* VViboldum. *p. 371. l. 33.* MCXIX *l.* MCLIX *p. 372. l. 2.* gravis ſit *l.* quam gravis ſit, *p. 375. l. 22.* ferio *l.* ferit, *p. 374. l. 21.* ſumus *l.* ſeimus, *p. 379.* in fine notæ *adde* ſed hoc loco reſtis multo magis extenſa videtur, *p. 412. l. 39.* *dele* patrocinium *ibid. lin. penult.* quæ ſola *adde* poſſit, *p. 414. l. 46.* per totum *adde* terra n, 415. *l. 22.* papa *l.* papæ, *p. 425. l. ult.* Hermannus *l.* Heramannum, *p. 431. l. 30.* præparem *l.* præparatem, *p. 462. l. 20.* neſcierimus *l.* reſcierimus, *p. 490. l. 53.* Eugenii *l.* Eugenius, *p. 496. l. 53.* ſibimi *l.* ſuolimi, *p. 499. l. 51.* debemus *adde* nec, *p. 504 l. 13.* ipſas *l.* ipſos, *p. 507. l. 22.* eccleſia *l.* eccleſiam, *p. 511. l. 32.* utilitatem *l.* vilitatem, *p. 530. l. 57.* ſumam *l.* ſumas, *p. 542. l. 40.* quam eſt *l.* quæ eſt. *p. 560. l. penult.* Odeleſiam, *p. 511. l. 32.* utilitatem *l.* vilitatem, *p. 530. l. 57.* ſumam *l.* ſumas, *p. 542. l. 40.* quam eſt *l.* quæ eſt. *p. 560. l. penult.* Odelricam ſeu Udalricam *l.* Odelrico ſeu Udalrico, *p. 563. l. 15.* fieri *l.* fidei, *p. 564. l. 15.* converſatione *l.* converſatione, *p. 596. l. 25.* Ireſburgenſem *l.* Iseburgum, *p. 603. l. 7.* quam *l.* quem, *p. 611. l. ult.* commiſſionis *l.* commiſimus, *p. 612. l. 25.* ſed *l.* ſecundum, *p. 617. l. 2.* tux *l.* lux, *p. 623. l. 1. d.: l.* diem, *p. 633. e dele* nota n, *p. 634. l. 39.* quæremus *l.* quæreremus, *p. 636. l. 12.* Gormaco *l.* Frequerico, *p. 640. l. ult.* ad ligeram *l.* ad ligerim, *p. 655. l. 50.* excommunicatio *l.* excommunicato, *p. 657. l. 25.* & *l.* [illegible], *p. 668. l. 25.* noſtræ *l.* noſtra, *p. 672. l. 29.* indebita *adde* exactione, *p. 671. l. 38.* apoſtolicam *l.* apoſtolicæ, *p. 676. l. 17.* accipias *l.* arripias, *p. 691. l. 35. dele* eſt *ibid. l. 53.* Derventis *l.* Derventæ, *p. 694. l. 7.* multiplicate *l.* multiplicitate, *p. 713. l. 53.* epiſt. 77. & 78. *l.* epiſt. 76. *p. 716. l. 16.* fuerit *l.* tuerit, *ibid. l. 21.* terminandum *l.* terminandam, *ibid. l. 42.* eccleſia ſua *l.* eccleſia ſibi, *p. 722. l. 26.* neceſſitatem *l.* neceſſitates, *p. 727. l. 31.* Catalaunenſi *adde* ſi, *p. 732.* Johanne *l.* Johannem, *p. 733. l. 3.* voluerit *l.* noluerit *p. 740. l. 49.* copioſam *l.* copioſas, *p. 750. l. 46.* Belmenſis *l.* Bethleemenſis, *p. 754. l. 4.* potuiſſis *l.* potuiſti, *p. 773. l. ult. 155. & 156. l. 153. 154. p. 776. l. 37. dele* fraternitas veſtra, *p. 780. l. 32.* quandam *l.* quondam, *p. 785. l. 55.* quos *l.* quas, *p. 785. l. 1.* capellæ *l.* capella, *p. 792. l. 30.* ſint *l.* ſub, *p. 796. l. 24.* dectantu *l.* dæmonius, *p. 96. 796. l. 47* prædenda præſcripta *l.* præbendam præſcriptam, *p. 801 l. 57.* executum *l.* executus, *p. 816. l. 12.* differes *l.* differres, *p. 807. l. 16.* fratri *l.* filio, *p. 816. l. 46.* abbatibus *adde* apud, *p. 817. l. 41.* autem *adde* Deus, *p. 829. l. ult.* hac *l.* hanc, *ibid. 253. l. 251. p. 833. l. 5.* ut viros *l.* & viros. *p. 841. l. 16.* facias *l.* faciatis, *p. 845. l. 3.* ſuo *l.* ejus, *p. 847. l. 39.* non fuit *dele* non, *p. 848. l. 41.* pro ſiquidem *l.* pro hac ſiquidem, *p. 881. l. 19.* voluerit *l.* violiverit, *p. 836. l. penult.* diœceſi *l.* in diœceſi, *p. 891. l. 1.* cupidacis *l.* cupiditatis, *p. 897. l. 32.* deſervire *l.* deſevire, *p. 902. l. ult.* Eugenio *l.* Eugendo, *p. 905. l. 27.* juſticiæ *l.* juſtitia, *p. 910. l. 50.* quanto *l.* quanta, *p. 931. l. 50.* brachii *l.* brachius, *p. 936.* parte, ut non &c. *hic eſt aliquis hiatus, p. 981. l. 51.* cum ipſis *l.* tum ipſis, *p. 1016. l. 26.* torquat *l.* torquæ, *p. 1034. l. 35.* ipſius precibus mederi *l.* ſuis precibus medeatur, *p. 1046. l. 25.* domine *l.* domina, *p. 1050. l. 31.* ſibi *l.* tibi, *p. 1053. l. 23.* penas *l.* pœnas, *p. 1059. l. 23.* exopta *l.* exopto, *p. 1070. l. 23.* aſſimulatur *l.* aſſimilatur, *p. 1082. l. 46.* iteſiæ *l.* Iſiliæ, *p. 1089. l. 19.* execuris *l.* excutis, *p. 1106. l. 26.* mundaverunt *l.* inundaverunt, *p. 1114. l. 23.* impendantur *l.* impendatur, *p. 1120. l. 23.* eſt *l.* eſtis, *p. 1123. l. 18.* vos *l.* nos, *p. 1139. l. 5.* etiam, ſi *l.* etiamſi, *p. 1146. l. 20.* ſumus *l.* ſummus, *1148. l. 52.* hiemare *l.* hiemari, *p. 1152. l. 31.* quam plurimum *l.* quam plurium, *p. 1157. l. 12.* cauſam *l.* caulam, *p. 1195. l. 5.* privametur *l.* privaremur, *p. 1201. l. 5.* ſermotim *l.* ſeinotim, *p. 1269. l. 4.* archiepiſcopum *adde* *** *p. 1264. l. 44.* gravior *l.* graviori, *p. 1266. l. 13.* ſuper tuo *l.* ſuper hoc, *p. 1274. l. 52.* vatium *l.* variam, *p. 1276. l. penult.* continuenda *l.* continuanda, *p. 1277. l. 46.* adminiſtrationi *l.* ad miniſtratione, *p. 1276. l. 56.* operantes *l.* iperantes, *p. 1277. l. ult.* innocentium *l.* innocentiam, *p. 1281. l. 30.* qui poſt *l.* qui poteſt, *ibid. l. 45.* Tulabrius *l.* talubribus, *p. 1283. l. 14.* oderint, *l.* oderint.... *p. 1295. l. 5.* moleſtias *l.* moleſtius, *p. 1296. l. 26.* tenebatur, *l.* tenebantur, *p. 1300. l. 50.* debet, *l.* debes, *p. 1301. l. 2.* ſenitus *l.* penitus, *p. 1307. l. 5.* ſuis *l.* tuis, *p. 1314. l. 36.* cecidit is, de *l.* cecidit: is de *p. 1317. l. 58.* quique *l.* hiique, *ibid. l. ult.* diſcernendi *l.* deſcendendi, *p. 1321. l. 7.* ut quæ *l.* ut quæ, *p. 1321. l. 54 dele* quoniam, *p. 1324. l. 13.* intimaſſe *l.* intimaſſe, *p. 1328. l. 20.* ſimi *l.* ſumi, *p. 1330. l. 54.* ac *l.* ad, *p. 1333. l. 10.* prolatiora *l.* politiora, *p. 1335. l. 10.* prædicabitur *l.* prædicabatur, *p. 1358. l. ult.* cogitare *l.* cogitaret, *p. 1370. l. 42.* ſanctæ *l.* ſancte, *p. 1382. l. 28.* indefeſſum *l.* indefentium, *p. 1401. l. 8.* cauſam quam *dele* quam *ibid. l. 37.* etiam *l.* enim, *p. 1405. l. 10.* integerrime *l.* integerrimæ, *p. 1408. l. 4.* quæſita *l.* quæſitam, *p. 1435. l. 8.* agricultura Viturinus *l.* architectura Vitruvius, *p. 1438. l. 34.* Agellius *l.* A. Gellius, *p. 1440. l. 49.* domine *l.* domini, *p. 1456. l. 6.* mens *l.* meus, *p. 1457. l. 58.* terſorium. Hic &c. *l.* tertiorium, hic tu ridebis, ſat ſcio, & ego rideo in tergendis, *p. 1460. l. 52.* ſuſpectior *l.* ſuſpectius, *p. 1465. l. 23.* catu *l.* cata, *p. 1510. l. penult.* opportunam *l.* opportunum, *p. 1521. l. penult.* ferendum. Scripſimus, *l.* ferendum, ſcripſimus. *p. 1523. l. 12.* quam *l.* quem.

APPROBATIO.

EX Mandato illuſtriſſimi ſigillorum regiorum cuſtodis, qua potui diligentia legi hanc *Veterum ſcriptorum & monumentorum collectionem* a doctiſſimis viris concinnatam, atque ex ea non mediocrem hiſtoriæ cum eccleſiaſticæ tum litterariæ lucem acceſſuram eſſe judicavi. Pariſiis anno Domini 1723. die vero Auguſti decimo-nono.

COUTURE.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Notre bien amé FRANCOIS MONTALANT, Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer, qu'il ſouhaiteroit faire imprimer & donner au Public un ouvrage qui lui avoit été mis en main, qui a pour titre, *Veterum ſcriptorum & monumentorum hiſtoricorum dogmaticorum & moralium ampliſſima collectio*; s'il Nous plaiſoit accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires; A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit Expoſant; Nous lui avons permis & permettons par ces Preſentes, de faire imprimer ledit Livre en telle forme, marge, caractere, en un ou pluſieurs volumes, conjointement ou ſéparement, & autant de fois que bon lui ſemblera; & de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de quinze années conſecutives, à compter du jour de la date deſdites Preſentes : faiſons deffenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance, comme auſſi à tous

Libraires, imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Livre en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre, ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & interêts ; à la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles; que l'impression de ce Livre sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformement aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant que de les exposer en vente, le manuscrit ou imprimé, qui aura servi de copie à l'impression dudit Livre, sera remis dans le même état, où l'Approbation y aura été donnée, és mains de nôtre tres-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France, le sieur Fleuriau Darmenonville ; & qu'il en sera ensuite remis deux Emplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre tres-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Darmenonville; le tout à peine de nullité des Presentes. Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie desdites Presentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, soit tenuë pour duëment signifiée; & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires foy soit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires ; Car tel est notre plaisir. Donné à Paris le vingt-septieme jour du mois d'Aoust, l'an de grace mil sept cens vingt, & de notre Regne le huitiéme. Par le Roy en son Conseil, DE SAINT HILAIRE.

BIBLIOTHEQUE ROYALE

Registré sur le Registre V. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 364. N°. 620. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrest du Conseil du 24. Février 1703. A Paris le 4. Septembre 1723.

BALLARD, *Syndic.*